4537

ILLUSTRISSIMI AC VENER. D. DOM.

JACOBI PEREZ DE VALENTIA,

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI,
ET EPISCOPI CHRISTOPOLITANI

OPERUM

TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS COMMENTARIA in quinquaginta posteriores Psalmos : Insuper in Cantica ferialia veteris, ac novi Testamenti. In Canticum Angelorum *Gloria in altissimis Deo.* In Hymnum *Te Deum laudamus.* Item Tractatum contra Judæos, cum quinque Quæstionibus, & earum doctissimis resolutionibus, quibus eorum perfidia retunditur & confutatur. In *Cantica Canticorum Salomonis*, cum illius quæstionis discussione : *Utrum solus Christus sit metrum, largitor bonorum omnium, & reparator humanæ naturæ.* Et pro coronide expositionem in Symbolum S. Athanasii *Quicumque vult salvus esse.*

EDITIO ACCURATA CUM VETERIBUS EXEMPLARIBUS RECOGNITA; repurgata, meliorique ordine, & typis elegantioribus excussa.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO RERUM AC SENTENTIARUM NOTATU DIGNIORUM.



BIBLIOTECA PROVINCIAL AGUSTINIANA

MATRITI. Ex Typographia Ordinis de Mercede, Anno MDCCXLIX.

INDEX BIBLICUS QUINQUAGINTA posteriorum Psalmorum, qui in hoc secundo Tomo explicantur, & reliquorum Operum Authoris.

101. DOmine exaudi orationem meam, & clamor meus. Pag. 1.
102. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ. 9.
103. Benedic anima mea Domino; Domine Deus meus. 19.
104. Confitemini Domino, & invocate nomen ejus. 45.
105. Confitemini Domino, quoniam bonus. 54.
106. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. 61.
107. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. 69.
108. Deus laudem meam ne tacueris. 73.
109. Dixit Dominus Domino meo. 83.
110. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. 99.
111. Beatus vir qui timet Dominum. 109.
112. Laudate pueri Dominum. 114.
113. In exitu Israel de Ægypto. 118.
114. Dilexi quoniam exaudiet Dominus. 125.
115. Credidi, propter quod locutus sum. 126.
116. Laudate Dominum omnes gentes. 130.
117. Confitemini Domino quoniam bonus. 131.
118. Beati immaculati in via. 143.
119. Ad Dominum cum tribularer clamavi. 188.
120. Levavi oculos meos in montes. 191.
121. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. 193.
122. Ad te levavi oculos meos. 199.
123. Nisi quia Dominus erat in nobis. 199.
124. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. 200.
125. In convertendo Dominus captivitatem Sion. 202.
126. Nisi Dominus ædificaverit domum. 204.
127. Beati omnes qui timent Dominum. 208.
128. Sæpe expugnaverunt me à juventute mea. 210.
129. De profundis clamavi ad te Domine. 212.
130. Domine non est exaltatum cor meum. 216.
131. Memento Domine David. 217.
132. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum. 225.
133. Ecce nunc benedicite Dominum. 227.
134. Laudate nomen Domini. 228.
135. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus. 231.
136. Super flumina Babylonis. 234.
137. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti. 242.
138. Domine probasti me. 245.
139. Eripe me Domine ab homine malo. 256.
140. Domine clamavi ad te, exaudi me. 259.
141. Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum. 267.
142. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem. 269.
143. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet. 280.
144. Exaltabo te Deus meus rex. 285.
145. Lauda anima mea Dominum. 292.
146. Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus. 293.
147. Lauda Jerusalem Dominum. 296.
148. Laudate Dominum de Cœlis. 299.
149. Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia. 312.
150. Laudate Dominum in sanctis ejus. 314.

IN Canticum trium puerorum. 319.
In Canticum Isaiæ, *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi.* 326.

In

In Canticum Ezechiæ, *Ego dixi in dimidio dierum.* 330.
In Canticum Annæ, *Exultavit cor meum in Domino.* 338.
In Canticum Moysis, *Cantemus Domino.* 345.
In Canticum Habacuc, *Domine audivi.* 351.
In Canticum Moysis, *Audite Cœli quæ loquor.* 370.
In Canticum Virginis Mariæ, *Magnificat.* 387.
In Canticum Zachariæ, *Benedictus.* 451.
In Canticum Simeonis, *Nunc dimittis.* 459.
In Canticum Angelorum, *Gloria in excelsis Deo.* 461.
In Canticum Ambrosii & Augustini, *Te Deum laudamus.* 471.
Tractatus contra Judæos. 506.
In Cantica Canticorum Salomonis expositio. 607.
In Symbolum S. Athanasii, *Quicumque vult salvus esse.* 785.

ERRATA QUÆ IN HOC SECUNDO TOMO IRREPSERUNT.

PAg. 510. lit. A. ariginale, leg. originale. Pag. 529. lit. E. pacto, leg. peracto. Pag. 564. lit. A. insignimus, lege insignissimus. Pag. 590. lit. E. quæ, leg. qui. Pag. 593, lit. A. Christianas, leg. Christianus. Pag. 653. quòd vineæ, leg. quòd quando vineæ. Pag. 669. lit. A. sicut vitia, leg. sicut vitta. Pag. 672. lit. F. *Tulnerasti*, leg. *Vulnerasti.* Ibi. lit. G. sicut ador, leg. sicut odor. Pag. 673. lit. F. præxidit, leg. prædixit. Pag. 704. lit. B. felicitati, leg. felicitate. Pag. 710. lit. B. tridio, leg. triduo. Pag. 724. lit. D. in quam, leg. in qua. Pag. 733. lit. B. volen, leg. volens. Pag. 734. lit. G. elegit nbi, leg. elegit sibi. Pag. 746. lit. E. in eam, leg. in ea. Pag. 750. lit. H. aromarnm, leg. aromatum. Pag. 764. lit. D. omnes porteriori, leg. omnes posteri. Pag. 768. lit. H. natura, leg. naturæ. Pag. 776. lit. D. Baptismum, leg. Baptismus. Pag 783. lit. B. descendit, leg. discedit. Pag. 787. lit. C. Dominuo, leg. Dominus. Pag. 788. lit. A. Spiritus sanctus, leg. Spiritus sancti. Ibid. Spiriti sancti, leg. Spiritus sanctus.

Secundus, sic inscriptus, *Illustrissimi ac Vener. D. Dom. Jacobi Perez de Valentia, Ordin. Eremitarum S. Augustini, & Episcopi Christopolitani, Opera omnia, &c.* Matrit. die 24. Julii anni 1749.

Lic. D. Emman. Licardo de Rivera.
Correct. Generalis.

PSAL-

PSALMUS CI.

1. *Domine exaudi orationem meam , & clamor meus ad te veniat.*

2. *Non avertas faciem tuam à me : in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.*

3. *In quacumque die invocavero te , velocitèr exaudi me.*

TITULUS : *Oratio pauperis , cum anxius fuerit , & in conspectu Domini effuderit precem suam.* Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm Apostolum 1. *ad Cor.* 15. quòd duplex est *Adam* , scilicet , primus, & secundus. *Primus Adam* factus est in animam viventem : *novissimus Adam* in spiritum vivificantem. *Primus homo de terra terrenus : secundus de cœlo cœlestis.* Qualis *terrenus* , tales & terreni : qualis *cœlestis* , tales & cœlestes. Ergo sicut portavimus imaginem *terreni* : portemus & imaginem *cœlestis.* Ex his habet Apostolus, quòd isti duo *Adam* sunt principia omnium hominum. Nam primus est principium & caput omnium hominum , in quantum sunt terreni & peccatores , & portant imaginem & vestigium peccati , & pœnam ejus. *Secundus Adam* , scilicet Christus, est principium omnium hominum spiritualium & cœlestium , in quantum portant imaginem Christi , scilicet , ut sunt regenerati per Baptismum , & portant characterem Christi , & sunt effecti participes Passionis ejus & Resurrectionis. Ex quo patet, quòd ante adventum Christi , & antequam reciperemus Baptismum , omnes portavimus imaginem & characterem *primi Adam*, scilicet , culpam originalem in anima , & fomitem , & pœnalitates in carne. Sed post Baptismum portamus imaginem & characterem Christi in anima , remoto & expulso peccato , licèt maneat vestigium in carne ad exercitium & signum. Ergo quidquid terrenum manet in nobis , habemus ab Adam ; & quidquid cœleste habemus à cœlesti.

Sed unde traxit *Adam* talem imaginem & miseriam animæ & corporis , narrat Christus , *Lucæ* 10. in parabola illius, qui voluit descendere ab *Hierusalem* in *Jericho* , & incidit in latrones , qui expoliaverunt eum , & percusserunt , & plagis affectum reliquerunt &c. Ex quo patet, quòd iste primus Adam dives & felix creatus est, & dominus omnium inferiorum , ut patet *Genesis* 1. & 2. Sed voluit descendere ab Hierusalem in Jericho , id est , declinare à divino præcepto , & sequi consilium serpentis : ideo incidit in latrones , & in potestatem diaboli , qui ipsum expoliavit omnibus gratuitis & justitiâ , & ejectus est à Paradiso , & perdidit omnia bona corporis & animæ , & bona exteriora , scilicet, dominium , & domicilium illius felicis civitatis. Et ultra hoc fuit percussus , & plagatus in anima originali culpâ , & actuali. Et fuit plagatus in carne morbo fomitis & seminis peccati , & omnium pœnalitatum. Et ista imago & plaga fuit impressa in anima & corpore ipsius Adam. Quam imaginem transtulit in omnes posteros per generationem libidinosam. Et sic omnes portavimus ejus imaginem in anima ante Baptismum , & portamus nunc vestigium in carne. Sed post Baptismum portamus imaginem Christi in anima , licèt maneat vestigium primi Adam in carne. Adam ergo, qui ante lapsum erat felix & dives in Paradiso voluptatis , factus est infelix & pauper per exilium , & expoliatus divitiis antè collatis. Et factus est anxius & tribulatus ex plagis sibi impositis : & sic mansit pau-

Nota de lapsuade.

pauper & anxiatus. Sed quia quando ejectus est à Paradiso, fuit sibi promissum quod de sua posteritate nasceretur unus alius *secundus Adam cœlestis*, qui relevaret & liberaret ipsum, & totam suam posteritatem à miseria sibi ex peccato inflicta, & renovaret ipsum, & impingeret aliam imaginem felicitatis, per quam efficeretur cœlestis: hinc est quod *primus Adam* pauper & anxius semper cum sua tota posteritate expectavit & desideravit istum secundum *Adam cœlestem*, ut ipsum redimeret & liberaret, ut ait *Augustinus* in libro *Cur Deus homo*: & de hoc est totus iste Psalmus, & multi alii. Nam considerans David totum statum primi *Adam*, & omnium portantium ejus imaginem, quod erat totum genus humanum. (Nam sicut Christus est unum corpus cum omnibus Christianis portantibus imaginem ejus, & dicitur unum corpus mysticum, & unus Christus mysticus, cujus Jesus est Caput.) Ita totum genus humanum, in quantum portat imaginem primi Adam, dicebatur unus Adam plagatus, cujus caput est Adam, in quo omnes peccaverunt. Ideo in Scriptura loquitur in persona omnium membrorum, & filiorum suorum, ab eo per libidinosam generationem descendentium, & conqueritur, & petit veniam, & invocat Christum.

Et ideo est advertendum in Psalmis hujusmodi mysterium. Nam sicut Christus multotiens loquitur in persona suorum membrorum; ita *Adam* loquitur in persona sui, & omnium filiorum: & sic est intelligendus *Psalmus* 37. & iste *Psalmus* præsens. Nam David introducit Adam loquentem, & conquærentem de infortunio & infelicitate, & petentem veniam, & quærentem restitui. Ideo dicitur in hoc Titulo *Oratio pauperis*, Adam, supple, *cum anxius fuerit* ante adventum Christi, existens in miseria. Qui cupiens redimi per Christum, & liberari à sua paupertate & anxietate, effudit precem suam ad Christum, dicens: *Domine exaudi &c.*

Psalmi materia

Tria ergo facit iste pauper in hoc Psalmo. Primò, præmittit suam orationem & deprecationem. Secundò, exponit & deflet suum infortunium & miseriam. Tertiò, prædicit suam securam liberationem per Christum, & petit futuram redemptionem. Secunda ibi: *Defecerunt.* Tertia ibi: *Tu autem Domine in æternum permanes.*

Quantum ergo ad primum, dicit iste *pauper* anxiatus, & tot miseriis septus: *O Domine* Jesu-Christe venture, *exaudi orationem meam*, quam semper effudi cum omnibus filiis meis, postquam fui expoliatus & ejectus de Paradiso; *& clamor meus*, & omnium filiorum meorum Patriarcharum & Prophetarum clamantium in hoc Limbo, & expectantium adventum tuum, ut liberes nos: iste, inquam, *clamor veniat ad te*, & ad aures misericordiæ tuæ: & veni ad liberandum nos de isto lacu. Nam hucusque omnes clamarunt ad te. Nam *Abraham desideravit videre diem tuum*: & *Isaac*, & *Jacob*, cùm dixit: *Non auferetur &c.* Et *Anna*, & *Samuel*, & *Daniel*, & *David*, & *Isaias*, cùm dixit: *Utinam dirumperes cœlos & descenderes &c.* Iste ergo *clamor* omnium nostrum, qui est *clamor meus*, quia propter peccatum meum, *veniat ad te.* Et rogo, *ne avertas faciem tuam à me*, differendo adventum tuum; quia *in quacumque die tribulor*, & per totum tempus sum in continua tribulatione, & pœna, & miseria in corpore & anima, & ubique per totum orbem. Et sicut *in quacumque die*, & continuè *tribulor*: ideò continuè oro & invoco. Ergo *in quacumque die* invocavero, *inclina ad me aurem tuam*, & *velociter exaudi me*, & veni in carne ad liberandum me.

4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.*

7. q. 1. §. Cum vero cap. Adversitas.

HÆC est secunda pars, in qua iste pauper anxiatus, expoliatus, percussus, & plagatus à diabolo, ut moveat Christum Salvatorem adveniendum & properandum adventum suum, & liberandum ipsum, detegit & ostendit ipsi, & narrat totum infortunium suum, & miserias suas omnes, quæ sibi ex peccato sunt inflictæ intrinsecùs & extrinsecùs, tàm corporales, quàm spirituales. Unde iste dicitur *pauper*, in quantum fuit expoliatus omnibus bonis gratuitis: & dicitur *anxius* ratione pœnarum, & tribulationum, quibus est afflictus.

Adam deflet suam paupertatem.

Deflet ergo *Adam* hîc suam paupertatem & anxietatem: primò, quia perdidit immortalitatem, & factus est de necessitate mortalis: ideò dicit: *Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* Secundò, quia deditus & expositus est diversis infirmitatibus corporalibus: ideò subdit: *Et ossa mea sicut cremium aruerunt.* Tertiò, quia *percussus* est in appetitu fomite concupiscentiæ: ideò dicit: *Percussus sum.* Quartò, debilitatus est in omnibus potentiis animæ cognoscitivis, & naturalibus: ideò subdit: *Ut fœnum arui.* Quintò, subjectus est laboribus ad acquirendum victum: ideò subdit: *A voce gemitus.* Sextò, fuit expulsus à Paradiso, & relegatus, & exul factus in hac valle miseriæ: ideò subdit: *Similis factus sum pellicano.* Septimò, fuit traditus persecutionibus diversorum hominum: ideò subdit: *Tota die exprobrabant mihi &c.* Octavò, quòd de alta felicitate dejecit

cit ipsum in infimam miseriam : ideò subdit : *Quia elevans allisisti me.* Quia quantò altius elevaverat Deus eum per gratiam , tantò majori lapsu allisus decidit: A ideò subdit , quòd sicut dies per præsentiam Solis est clara , & per absentiam vertitur in umbram : ita *Adam* fuit in gloria & felicitate , dum Deus fuit ipsi præsens; sed pulsus à facie Dei , declinavit in umbram miseriæ. Et sicut fœnum viret & crescit in Vere & Æstate ex præsentia Solis, sed in Autumno & Hyeme aret & desiccatur per elongationem Solis : ita *Adam* aruit à viriditate prosperitatis & felicitatis per absentiam Dei.

Sed oportet, quòd omnia ista per singula declarentur. Primò ergo iste *homo mysticus* deflet immortalitatem quam perdidit , & mortalitatem in quam incidit, dicens: *Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* B Quasi dicat : O Christe , veni , & libera me ab hac mortalitate , & redde mihi immortalitatem quam perdidi. Nam ego fui creatus immortalis , quia poteram non mori: sed ex peccato taliter factus sum mortalis, quòd habeo necessitatem moriendi. Et sic *dies mei sicut fumus* successivè *defecerunt.* Nam sicut fumus tantùm durat , quantum durat lignum combustibile ; sed consumpto ligno per ignem , deficit fumus , & evanescit : ita vita & dies hominis deficiunt paulatim , & consumpto corpore per mortem , & exhausto humido radicali. Et hæc est prima miseria , in quam incidi per peccatum. Secunda miseria in quam incidi, C fuit , quia subjectus fui infinitis infirmitatibus & ægritudinibus : quia omnia *ossa mea sicut cremium aruerunt.* Nam sicut *cremium* carnis , dum frigitur in patella, vel assatur ad ignem , continuè perdit humidum naturale , & sic aret : ita homo continuè per calorem extraneum & intraneum præter naturam , perdit humidum radicale, & alterantur ejus humores : & sic incidit in diversas infirmitates , & arescit usque ad mortem.

De Confe. d. 4. cap. Per Baptismum Christi.

5. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.* D

6. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.*

HIC ponit tertium damnum, quia percussus est in sensualitate veneno concupiscentiæ , in tantùm quòd potentiæ fuerunt vulneratæ , & debilitatæ , & pronæ ad cadendum , non sufficientes resistere malo , nec agere bonum. Et sic claudicat liberum arbitrium , sicut *fœnum* percussum nimio ardore Solis , & sectum à radice aret: ita homo ejectus à gratiâ , & perditâ originali justitiâ , aruit , perdens virorem gratiæ. E Ideò ait: *Percussus sum* ex Dei sententia , sicut percutitur *fœnum* , quando falce secatur à prato : ideò aruit cor meum. Et dat causam quare , & unde hoc damnum, & dicit: *Quia oblitus sum comedere.* Quasi dicat : Quia transgressus sum præceptum Domini. Nam Deus assignavit omnes arbores in panem & cibum ad sustentandum vitam , dicens : *De omni ligno quod est in Paradiso comedes* , præterquam de arbore scientiæ boni & mali : quia qua hora comederis &c. Sed ego contemnens præceptum Domini , *oblitus sum comedere panem meum* , id est , cibum mihi licitum & assignatum , & comedi illicitum & vetitum. F Ideò ex sententia Domini venerunt mihi omnia prædicta mala. Nam illicò audivi vocem Dei , dicentis : *Adam , ubi es?* & audivi sententiam à Deo mihi datam , dicente : *Quia audisti vocem uxoris tuæ , ideò maledicta terra in opere tuo : tribulos & spinas germinabit tibi , & in sudore &c.* Et ista sententia fuit *vox gemitus* , & fletus, & infortunii , & pœnæ meæ. Et sic illicò ex ista *voce gemitus mei* , quæ fuit divina sententia , *adhæsit os meum carni meæ* , ex infirmitatibus & adversitatibus &c.

7. *Similis factus sum pellicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.* G

40. d. Ex Adam.

QUARTUM damnum fuit exilium ab illo Paradiso deliciarum in hac valle lacrymarum. Nam ego qui ibi eram in societate , & colloquio , & familiaritate Angelorum , expulsus sum inter bestias, perdendo locum mihi debitum ex gratia. Et sic *fui factus similis pellicano solitudinis* , vagans per desertum. Nam sicut *pellicanus* fugit societates hominum : ita ego societatem Angelorum propter peccatum meum : & etiam *factus sum* in hoc exilio *sicut nycticorax in domicilio.* Littera Hieronymi habet : *Factus sum quasi bubo solitudinum.* Nycticorax autem Græcè interpretatur H *coruus nocturnus* , sive *noctua* Latinè.

Nycticorax quid interpretatur.

Noctua enim non valens sustinere lumen Solis, absconditur in foraminibus murorum in die , & quærit victum : ita ego non valens videre lumen veritatis , fugio lumen Solis , & omnis virtutis , & gradior in nocte , & in tenebris peccatorum , semper fugiendo lumen , & eligendo ignorantiam , & omne malum : judicando bonum malum & malum bonum ex mala inclinatione & ignorantia propter peccatum: quia non solùm sum percussus in potentiis

tiis cognoscitivis, sed etiam in appetitivis.

Item, si *noctua* exit à domicilio in A die, tunc omnes passeres congregati conantur ipsi eruere oculos: ita dum homo exit in lucem, ut aliquid boni agat: omnes diaboli congregantur ad tentandum eum, & auferendum ipsi lumen fidei & charitatis, ut patet *Matth.* 12. quia *tunc assumit septem alios spiritus nequiores se &c.* Et ideò ait hîc Propheta: *Factus sum sicut nycticorax*, contra quem omnes aves insurgunt: ita contra me omnes tentationes diaboli &c.

De pellicano. *Pellicanus* est avis in solitudine Ægypti latitans, quæ proprios filios interficit. Sed mœrore ducta & mutata, proprio rostro trahit sanguinem à peccatore & latere suo, & effudit super filios: & sic resuscitat & vivificat eos. Ita *Adam* propter pec- B catum interfecit omnes posteros suos. Sed *secundus Adam*, qui est Christus, assumpta humanitate, proprio sanguine omnes vivificavit. Ideò David in persona ipsius primi Adam, dicit: *Similis factus sum pellicano*, occidendo omnes filios meos, quia sententia mortis per me transivit in omnes. Et *factus sum sicut nycticorax in domicilio*, odiens & fugiens lucem, quem semper dœmones persequuntur, & obscurant tenebris peccatorum & ignorantiæ.

40. d. c. Illud, & c ap. seq.

8. *Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* C

HIC ponit sextum damnum, qui est continuus labor *in sudore vultus* propter victum acquirendum: quia oportet, ut homo sit in continua vigilia & motu sicut *passer solitarius*, qui habitat *in tecto*, id est, in tegulis domorum, sub quo conficit nidum, & semper quærit escam pro se, & pro filiis cum periculo. Ita ego semper *vigilavi*, quærendo victum pro me, & filiis meis, cum potuissem, ac fuissem immunis à solicitudine tali, si non peccassem: quia terra liberè & absque labore ferebat mihi cibum & victum. Nunc autem in sudore vescor pane.



D 9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversum me jurabant.* *3. q. 1. Nulli duplum. Dist. 50. c. Si quis Diaconus.*

10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.*

11. *A facie iræ indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.*

E PONIT septimum damnum, quæ est continua persecutio ab extraneis, & alienis hominibus, & proximis. Nam semper homo patitur persecutiones, & æmulationes, & invidiam, & exprobrationes occultas & manifestas ab amicis ictis: ideò dicit de inimicis: *Tota die*, id est, semper *exprobrabant mihi inimici mei*, opprobria inferendo: & amici mei ficti, *qui* in præsentia *laudabant me*, posteà in absentia *adversum me jurabant*, id est, conjurabant, falsa imponendo, & damna procurando.

Quia cinerem. Hîc ponit octavum defectum, quia semper homo est in continuo dolore, cui veniunt undique adversitates, F aut infirmitates: in tantùm, quòd continuus dolor non finit esse felicem. Et sic nec in vigilia, nec in prandio quis potest esse sine fletu & mœrore. Ideò ait: *Quia cinerem*, id est, amaritudinem *tanquam panem manducabam*, & *potum*, id est, amaritudo erat mihi cibus, & fletus mihi potus, *à facie iræ tuæ*, id est; à facie punitionis, quæ est effectus *iræ & indignationis tuæ*, dum considero iram tuam contra me: *quia elevans allisisti me*: quia quantum me in dignitatem elevasti & extulisti illa felicitate Paradisi; tantùm posteà *me allisisti*, dum à Paradiso expulisti: quia quantò fuit altior ascensus, tantò fuit gravior lapsus in miseriam.

Et est advertendum, quòd isti duo versus possunt exponi de humana pœnitentia; ut sit sensus: Ego patior hujusmodi G defectus & pœnam, unde oportet me facere pœnitentiam pro peccato: *Quia*, id est, quapropter *cinerem tanquam panem manducabam*, id est, amaritudinem & contritionem in corde. *Et potum meum cum fletu miscebam*, in satisfactionem pro reatu: & hoc à *facie iræ tuæ*, *quia elevans &c.*

Ulteriùs est advertendum, quòd omnis isti quinque versus possunt referri personaliter ad ipsum David, ut dicat: *Similis factus sum pellicano solitudinis, & sicut nyc-*

nyctícorax in domicilio, fugiens à facie *Abſalon* filii mei: & *vigilavi* per montes A ſicut paſſer. Et *inimici*, ſcilicet, *Semei*, & alii *tota die exprobrabant mihi*, dicendo: *Egredere vir ſanguinum*, & *Achitophel*, & cæteri, *qui* antea *laudabant me* in facie, poſtea *adverſum me jurabant*: & tunc omnia poſſunt figuraliter exponi de Chriſto, cujus figuram gerebat.

Item, omnia prædicta verba poterat dicere populus Dei exiſtens in perſecutione *Antiochi*, & captivitate Babylonica. Et ideò quomodocumque exponantur omnia prædicta, unuſquiſque poteſt dicere verſum, qui ſequitur:

12. *Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fœnum* B *arui.*

56. d. c. Naſci.

NAM ſicut præſente Sole omnia vivunt, & aër dicitur vivere, quia eſt illuminatus, & herbæ aliquæ tantum vivunt, quantum Sol eſt præſens: & Sole abſente illico mortificantur & inclinantur, ut patet de flore cucurbitæ, & de herba Solis: ita fit in vita humana: nam tantum homo vivit, quantum Deus vitam influit & eſſe naturale. Et in tantum bene operatur, in quantum influit gratiam ipſi Deus: & in tantum proſperatur, in quantum ei favet: ſed ſi Deus avertitur ab eo, omnia bona deficiunt: & ſic deficit, & inclitur *ſicut umbra*. Et ideò ait Propheta in perſona uniuſcujuſque: *quia elevans alliſiſti me*, à te abjiciendo; ideò *dies mei*, C non ſolùm vitæ, ſed etiam proſperitatis, *tanquam umbra declinaverunt*, & defecerunt deficiente Sole: *& ego ſicut fœnum arui*, deficiente mihi humore gratiæ, poſtquam fui à te abjectus & ſeparatus per per peccatum. Et ſic poteſt exponi tota pars hujus Pſalmi ſupradicta de quolibet pœnitente, qui per peccatum incidit in omnes miſerias ſpirituales ſupradictas. Ideò iſte Pſalmus ponitur quintus inter ſeptem Pſalmos Pœnitentiales: ſed in veritate, ſenſus propheticus eſt principaliter intentus à Propheta.



D 13. *Tu autem Domine in æternum permanens: & memoriale tuum in generationem & generationem.*

De Conſc. d. 3. c. ult.

14. *Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.*

De Pœ. d. 3. c. Quia divinitatis natura.

POSTQUAM ſuperius iſte pauper explicavit querelam & miſerias ſuas: in hac tertia parte quærit remedium, & invocat *ſecundùm Adam* Cœleſtem, ſcilicet, Chriſtum, qui eſt Deus & Homo, & per conſequens æternus ſecundùm divinitatem, ut E veniat ad liberandum eum ab omni miſeria, & reſtituat ſibi immortalitem, & vitam æternam, unde duo facit: primò, quod dictum eſt: ſecundò, promittit gratias agere pro beneficiis receptis. Ibi: *Scribantur*. Dicit ergo ad primum: licèt ego ſum effectus mortalis propter peccatum: *Tu autem Domine* Jeſu-Chriſte *in æternum manes* in quantum Deus, *& memoriale tuum in generationem & generationem*: ideo potes me à morte, & à pœnis liberare. Et *tu exurgens*, id eſt, veniens in carne: & etiam *exurgens* à mortuis poſt Paſſionem, *miſereberis Sion*, id eſt, toti Eccleſiæ credentium, eos à morte & captivitate liberando: *quia* jam *venit tempus miſerendi ejus*, ſcilicèt Sion, ſicut ab æterno ſtatuiſti.

F 15. *Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus: & terræ ejus miſerebuntur.*

16. q. 2. c. 1. Poſt medium.

16. *Et timebunt Gentes nomen tuum Domine: & omnes Reges terræ gloriam tuam.*

1. q. 1. c. Multe. & 24. q. 1. loquitur

17. *Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.*

38. d. c. Sedulo 15. q. 1. Revertimini

18. *Reſpexit in orationem humi-*
G *lium: & non ſprevit precem eorum.*

19. *Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.*

AD cujus intellectum eſt notandum, quòd iſta civitas *Sion*, ſive *Hieruſalem*, quam Chriſtus erat edificatus, per to-

totum orbem, non erat construenda ex lapidibus mortuis, sicut erat illa civitas terrena *Hierusalem*: sed ex lapidibus vivis, scilicet, ex Fidelibus conversis pro majori parte de populo Gentili: quos lapides debebant Apostoli eligere, & adaptare in sua prædicatione, & ex talibus erat Ecclesia construenda: qui quidem lapides fuerunt ædificati & compaginati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Unde *Zacar. 9. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa ut gregem populi sui: quia lapides elevabuntur super terram.* Ex quibus patet, quòd tales lapides maximè erant excidendi per Apostolos de populo Gentili, ex quibus debebat ædificari ista civitas *Sion* toto orbe diffusa: & hoc est quòd dicit: *quoniam lapides ejus*, lapides hujus civitatis *placuerunt servis tuis* Apostolis ad ædificium Ecclesiæ. Et ideò Apostoli *miserebuntur terræ* populi Gentilis. Et tunc *Gentes timebunt nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ* timebunt *gloriam tuam. Quia* ex istis lapidibus *Dominus* Jesus-Christus *ædificabit Sion*, id est, Ecclesiam suam: *& sic videbitur in gloria*: Synagoga, & Judæis superbis cœcis obstinatis reprobatis: *quia* Dominus Jesus-Christus *respexit in orationem humilium* Gentilium: quia per fidem fuerunt humiliati. *Et* Christus *non sprevit precem eorum*, immò admisit eos ad fidem, & per Baptismum regeneravit, & Judæos reprobavit. Ideò *hæc* mysteria redemptionis *scribentur* & memorabuntur *in altera generatione*, scilicet, in religione christiana: & ideò ille *Populus* Christianus, *qui creabitur*, & regenerabitur, *laudabit Dominum* in Christo Redemptore suo, & aget gratias in Testamento novo pro beneficiis receptis in sua redemptione, de quibus festa celebrabit.

Ex his patet, quòd David non loquitur de ipsa *Sion* & *Hierusalem materiali*, quæ jam erat ædificata ex lapidibus mortuis. Sed loquitur de *Hierusalem spirituali* toto orbe diffusa, quæ per Christum erat ædificanda ex lapidibus vivis excisis ex utroque populo.

* * * * * * *



D 20. *Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de Cœlo in terram aspexit.* 15. q. 1. c. Revertimi.

21. *Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.*

22. *Ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Hierusalem.*

E

23. *In conveniendo populos in unum, & Reges, ut serviant Domino.*

HIC enumerat beneficia, pro quibus populus Christianus hodie laudat Christum cum Deo Patre: primò, *quia* cum esset Deus Æternus in sinu Patris *prospexit de Cœlo excelso & sancto suo*, id est, de altitudine suæ majestatis *in terram, ut audiret gemitus compeditorum* existentium in carcere Inferni, scilicet F Sanctorum Patrum in *Limbo* expectantium. Et *ut solveret filios interemptorum*, id est, Patrum damnatorum: ut tales Gentiles soluti à peccato, & ad Fidem conversi *annuntient*, sive annuntiarent *laudem Domini in Sion*, & *Hierusalem*, id est, ut annuntiarent, & profiterentur Legem Euangelicam in Ecclesia Christi toto orbe diffusa. In *conveniendo populos in unum, & Reges, ut serviant Domino*, id est, ut convenirent populi Judæorum & Gentilium, & omnes *Reges* terræ *in unum* Baptismum, & unam Fidem, & *servirent* uni Deo in Substantia, & trino in Personis, & adorarent unum Christum Deum & Hominem adoratione *Latriæ*.

G 24. *Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.*

25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.*

NOTA, quòd iste passus est valdè difficilis secundùm Translationem nostram ad ordinandum & concordandum

cum

cum littera præcedenti & subsequenti, & hoc accidit, quia littera nostra est differens ab Hebraica prout nunc est punctuata. A Nam illa littera dicit. *Cum congregati populi simul, & regna ut serviant Domino.* sequitur: *Afflixit in via fortitudinem meam, abreviavit dies. Dicam: Deus ne rapias me in dimidio dierum.* Tunc littera videtur magis plana; quia videtur esse vox hujus pauperis cum superiori sententia, repetendo miseriam suam: *afflixit Dominus fortitudinem meam in hac via: & abreviavit dies meos*, faciendo me miserum & mortalem. Sed ego *dicam*: O *Deus* meus, *ne rapias me in dimidio dierum meorum*, sed fac me videre Christum antequam moriar. Et tunc ista littera esset satis plana. Translatio autem nostra dicit: *Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi: & ne revoces me in dimidio dierum meorum*: quam B litteram *Beatus Augustinus*, & *Cassiodorus* sequentes ipsam, exponunt *anagogicè* pro desiderio vitæ æternæ: unde dicunt, quòd Ecclesia, sive populus Christianus respondit ei, scilicet Christo in *via virtutis suæ*, id est, obedivit & implevit ejus voluntatem in *via virtutis suæ*, id est, ambulando in Lege Euangelica, quæ est via virtutis Dei. Et sic servando Legem Euangelicam *respondit* Christo & ejus voluntati, sicut ager bonus & uber respondet votis agricolæ cum benè fructificat. Et quod sequitur, scilicet, *paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, referunt ad desiderium vitæ æternæ: quia justus cupit *dissolvi* in brevi, & *esse cum Christo. Ne revoces me*, id C est, ne tardes me vocare ad te: quia ista vita brevis est respectu tuæ: quia anni tui sunt æterni *in generationem & generationem.* Verumtamen licèt hæc sententia & intelligentia *Beati Augustini* sit vera & subtilissima, tamen non est omittenda expositio prophetica.

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd omnes Sancti Patres veteris Testamenti, scilicet, *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob* confracti longa miseria & captivitate, cum grandi affectu desiderabant accelerari adventum Christi, ut eos liberaret, & ut viderent mirabilia opera Christi: unde dicit Christus, *Matth.* 11. & *Luc.* Ideo *multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non vi-* D *derunt.* Et ideo *Simeon*, & *Zacharias* cum magno affectu desideraverunt videre Christum antequam morerentur: & sic *accepit Simeon responsum, non visurum se mortem, nisi prius videret Dominum, Luc.* 2. Ex quo patet, quòd unusquisque Sanctorum Patrum desideravit videre Christum antequam moreretur.

His habitis ly *respondit ei*, dupliciter potest exponi: uno modo, quòd referatur ad Christum continuatio cum littera superiori: ut sit sensus: *populus qui creabitur laudabit Dominum* multipliciter: primò, E quia *Dominus prospexit de Cœlo*, & *audivit gemitus compeditorum.* Secundò, quia *soluit filios interemptorum.* Tertiò, quia jam *Reges* & *Populi convenerunt in unum, ut serviant Domino.* Quartò, quia Christus *respondit ei*, scilicet, isti homini mystico juxta votum & desiderium suum. Nam iste homo semper rogando dicebat: O Domine *nuntia mihi paucitatem dierum meorum.* Quasi dicat: abrevia adventum tuum, & veni ad liberandum me: & *ne revoces me in dimidio dierum meorum*, id est, non tollas me de hac vita, sed videam adventum tuum antequam moriar. Sed Dominus *respondit* desiderio suo: quia jam venit, sicut promisit. Et sic *respondit*, F & satisfecit *ei in via virtutis suæ*, id est, in Lege Euangelica, & in tempore incarnationis, quæ dicitur *via virtutis* Christi.

Expositio.

Potest etiam juxta eundem sensum sic ordinari littera, scilicet, Dominus *respondit ei*, scilicet Ecclesiæ, & satisfecit ipsi juxta votum & desiderium suum. Et hoc patet *in conveniendo populos in unum*, id est, quia omnes populi, & Reges Gentium convenient & congregabuntur *in unum, ut serviant Domino* nostro Jesu-Christo. Sed quia hoc præviderat David in spiritu, conversus ad Christum petit accelerari ejus adventum antequam moriatur. Ideo dicit & subdit: O Domine Jesu-Christe, *ne revoces me in dimidio dierum meorum*, id est, non moriar ego ante adven- G tum tuum, sed *nuntia mihi paucitatem dierum meorum*, id est, abrevia dies adventus tui, & revela mihi adventum tuum, & ne differas ipsum, quia dies mei sunt pauci, & breves; sed tu es æternus secundùm divinitatem. Quòd patet: nam tu *in initio terram fundasti &c.*

Similiter cum Ecclesia esset in magna anxietate tempore Tyrannorum, rogabat Christum, ne annihilaret eam *in dimidio dierum* suorum: sed permitteret eam crescere, usquequo omnes Gentiles venirent ad Fidem, & omnes crederent Euangelio. Sed Christus *respondit ei* & satisfecit juxta petitionem suam. Nam tempore *Constantini* Ecclesia fuit liberata à persecutionibus, & omnes venerunt ad H Fidem: & sic *populus*, qui *fuit creatus* & regeneratus *laudavit Dominum.* Nam *Reges & populi convenerunt in unum ad serviendum Domino* post *Constantinum.* Et sic Christus *respondit* Ecclesiæ juxta petitionem & votum suum.

Alio modo potest exponi juxta eamdem sententiam, referendo, ly *respondit*, ad ipsam Ecclesiam; ut sit sensus: Iste homo mysticus & tota Ecclesia ante adventum Christi multotiens rogando & clamando *respondit*, & dixit ipsi Christo:

O Chriſte *nuntia mihi paucitatem dierum meorum* in afflictione poſitorum, & *ne revoces me*; ſed veni ad liberandum, ante A quam moriar. Et hoc dixit *Abraham*, quando deſideravit videre diem Domini. Et *Moyſes*, quando dixit: *Mitte quem miſſurus es*, *Exod.* 33. Hoc idem dixit David, quando dixit: *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus Pſalm.* 79. & *Eſa.* cum dixit: *utinam dirumperes Cœlos, & deſcenderes* 72. &c. Et quo patet, quòd omnibus iſtis reſpondit Chriſtus quando venit, quia audivit voces eorum. Et ſimiliter per oppoſitum ipſi *reſpondebant* Chriſto, cum clamabant, & invocabant eum: Nam multoties in Sacra Scriptura ponitur reſpondere pro *rogare*: ut patet *Matth.* 16. *Reſpondens Petrus dixit ad Jeſum:* B *Bonum eſt nos hic eſſe.*

Reſponde re pro rogare.

In generationem & generationem. Hic probat Propheta: quòd ſolus Chriſtus poterat redimere genus humanum, & venire ad liberandum ipſum, & reſtituere ei immortalitatem, & dare ei vitam æternam, eò quòd Chriſtus eſt æternus, & ipſa vita per eſſentiam in quantum Deus, & per conſequens præbere poteſt aliis vitam. Nam tempus procedit ab ævo, & eſt effectus æternitatis; & ævum in quo ſunt ſancti in patria, fluit ab æternitate.

Hebr. 1. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt Cœli.*

C


Ibidem. 27. *Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.*

Ibidem. 28. *Et ſicut operiorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

56. diſt. c. Naſci. 29. *Filii ſervorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.* D

Dicit hoc Propheta in perſona hominis myſtici: O Chriſte, veni, & libera nos ab hac mortali miſeria: quia tu ſolus potes hoc facere, & recreare genus humanum: quia tu creaſti cœlos, & es æternus. Nam *in generationem & generationem ſunt anni tui.* Nam *initio tu Domine terram fundaſti:* quia omnia per Verbum facta ſunt; *& opera manuum tuarum ſunt Cœli.* Ergo tu præceſſiſti Cœlum, & ſuccedes. Nam ipſi peribunt, licèt non quoad ſubſtantiam, ſed quoad E motum & operationem: quia ceſſabunt moveri. Et ideò dicentur corrumpi & perire, non ſimpliciter, ſed ſecundumquid quoad operationem. Nam alteratio dicitur generatio, & corruptio ſecundumquid, ut patet 1. *de Generatione. Tu autem* Chriſte *permanebis* in corpore glorificato, & immortalis, & incorruptibilis, & inalterabilis. *Et anni tui*, id eſt, duratio *non deficiet.* Et ſicut tu manebis immortalis, ita & membra tua, quæ participabunt gloriam capitis, & ideò non ſolùm ſervi tui Apoſtoli, ſed etiam omnes *filii ſervorum tuorum*, & omnes Fideles, quos Apoſtoli in Chriſto genuerunt per Baptiſmum, *habitabunt* in iſta *Sion* per gratiam, F & in ſuperna per gloriam; *& ſemen eorum*, id eſt, omnes Fideles ſequentes fidem illorum, *dirigentur in ſæculum* ad gloriam. Quaſi dicat iſte pauper: O Chriſte licèt tu ſis homo de matre ex tempore natus; tamen tu es Deus ab æterno ex Patre generatus: quia *in initio* temporis mundum creaſti, & *terram fundaſti*, & Cœlos formaſti: ideò quia homo potes pro me pari, & miſerias meas ſublevare: & quia tu es Deus, potes mihi peccata remittere: & ſicut creaſti me, potes me recreare & regenerare. Et ſicut formaſti Cœlos, & totum mundum ex nihilo, ita potes novum mundum, ſcilicet, Eccleſiam, ſpiritualem ædificare ex lapidibus vivis, & homines renovare. Et quia es æternus, quia *in æternum permanes, & anni tui erunt*, & ſunt & fuerunt *in generationem & generationem*, id eſt, æternaliter: ideò potes mihi immortalitatem quam perdidi, retribuere, & vitam æternam donare. G

Hanc litteram hujus Pſalmi adducit Apoſtolus *ad Hebr.* 1. ad probandum, quòd Chriſtus, qui locutus eſt in novo Teſtamento, eſt idem Deus, qui dedit Legem *Moyſi*, & locutus eſt per Prophetas, & recreavit omnia. Hæc eſt ergo ſententia ipſius Prophetæ in hoc Pſalmo, in quo introducit *Adam* deflentem caſum ſuum, & redemptionem futuram per Chriſtum poſtulantem. Sed quia unuſquiſque peccator poteſt recuperare per pœni- H tentiam gratiam, quam perdidit per culpam adinſtar ipſius Adæ; quæ quidem pœnitentia habet virtutem ex Paſſione Chriſti: ideò Eccleſia ordinavit iſtum Pſalmum in quinto loco inter ſeptem Pſalmos Pœnitentiales; & non ſolùm tota Eccleſia, ſed unuſquiſque peccator debet dicere frequenter hunc Pſalmum pro remiſſione peccatorum ſuorum.



PSAL-

PSALMUS CII.

1. *Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.*

2. *Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

15. q. 1. Revertimini.

De Cons. dist. 2. c. Iteratur.

TITULUS: *Ipsi David*, sine additione. Ex quo patet, quòd David fecit hunc Psalmum, & est de illis quos fecit ad laudandum Dominum, ut dictum est *Psalm. 95.* Ad cujus intelligentiam est notandum: quòd postquam *Adam mysticus* deflevit casum suum, & explicavit miserias, à quibus liberatus est per Christum: Ideò David in hoc Psalmo, & in sequentibus introducit eundem *Adam* benedicentem & laudantem Deum & agentem gratias pro beneficiis receptis. Et hoc facit per septem Psalmos sequentes. Nam in isto Psalmo agit gratias pro beneficio redemptionis, & remissionis peccati. Et sic laudat Deum de summa misericordia. In quo duo facit: Nam primò, excitat seipsum ad laudem Dei. Secundò, invitat naturam Angelicam, ibi: *Dominus in Cœlo.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd tota ista prima pars est quoddam *soliloquium*, in quo iste homo mysticus introductus ad loquendum, alloquitur animam suam, excitando eam ad laudandum Deum de misericordiâ, & de beneficio redemptionis, agendo gratias, quia per suam Passionem & Resurrectionem liberavit eum de sex pœnis contractis ex peccato primi parentis; scilicet, à culpa, ab infirmitatibus, à periculo mortis futuræ, & à miseria, & morte, & corruptione, & penuria. Ita enim sex damna incurrit *Adam* propter peccatum inobedientiæ, sicut dictum est Psalmo præcedenti, à quibus liberati sumus per Christum. Dicit ergo excitando seipsum, & animam suam ad laudem Dei: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt*, id est, omnes potentiæ, sensitivæ & intellectivæ benedicant *nomini sancto ejus.*

Et nota, quòd duplex est *benedictio:* una est gratiæ collatio, in qua major benedicit minorem conferendo gratias: quæ convenit soli Deo, & Sacerdoti loco Dei. Secunda dicitur *Benedictio laudis*: & sic minor benedicit majorem. Et isto modo dicit hic Propheta: *Benedic anima mea Domino*, id est, lauda Dominum: & dic, & narra omnia bona, & beneficia, quæ tibi fecit. Et ideo sequitur: *Noli oblivisci omnes retributiones ejus*, id est, noli oblivisci retribuere ipsi gratias pro beneficiis receptis in nostra redemptione, dicens:

3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.*

De Pœ. d. 2. c. Iteratur.

4. *Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.*

5. *Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur, ut aquilæ juventus tua.*

De Pœ. d. 2. c. In quibus.

ENUMERAT beneficia, quæ recepimus à Christo in redemptione. Primò, quia remisit nobis culpam: ideò ait: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, satisfaciendo per mortem. Secundò, sanavit languores nostros, mitigando concupiscentiam: non, ut non sit, sed ut non imputetur per Baptismum: ideò ait: *qui sanat omnes infirmitates tuas*; & ideo recepit flagella. Tertiò, præservavit nos à peccato per doctrinam Legis Euangelicæ: ideo ait: *qui redimit de interitu vitam tuam.* Quartò, dat nobis præmium, & meritum ex observantia Legis: Ideò sequitur: *qui coronat te in misericordia, & miserationibus*, quas ipse fecit tibi pro quibus tu facis proximo. Quintò, per sanguinem suum emit nobis Regnum Cœleste cum ejus felicitate: ideò sequitur; *qui replet in bonis desiderium tuum.* Sextò, adeptus est nobis immortalitatem corporis: & hoc per suam Resurrectionem: ideò subdit: *Renovabitur, ut aquilæ juventus tua*, quando recuperabis corpus glorioſum in novissimo die. Ergo propter præfata sex beneficia spiritualia & intrinseca, anima mea debet laudare Dominum & benedicere. Sed hoc etiam potest moraliter exponi.

Unde est advertendum: quòd peccatum sex mala affert homini. Primò, elongat eum à Deo. Secundò, sauciat animam culpa. Tertiò, captivat in potestate diaboli. Quartò, reddit hominem Deo odiosum. Quintò, expoliat ipsum omnibus bonis, non solùm gratificis, sed etiam gratuitis. Sextò, indurat ipsum ex consuetudine in malo. Ita per oppositum medicina pœnitentiæ sex operatur in pœnitente. Nam primò, facit Deum propitium, ut tanquam medicus accedat ad peccatorem,

Peccatum sex mala affert.

& appropinquet. Secundò, sanat ipsum à vulnere peccati. De primò dicit: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* De secundò dicit: *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Tertiò, redimit à captivitate diaboli, & liberat à morte perpetua, & finali impœnitentia: ideò subdit: *Qui redimit de interitu vitam tuam.* Quartò, reddit Deum benignum, reconciliando sibi peccatorem: ideò subdit: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Quintò, reddit bona, quæ per peccatum fuerant mortificata, cùm subdit: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Sextò, renovat ipsum in novam vitam, fortificando omnes potentias, & excitando habitus Virtutum Theologalium, & Donorum Spiritus sancti. Etiam operatur meritoriè per gratiam ipsum renovantem, & perficientem. Ideò concludit: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.*

Ut patet Exod. 14. de Pharaone & Populo Israel.

6. *Faciens misericordias Dominus: & judicium omnibus injuriam patientibus.*

7. *Notas fecit vias suas Moysi: filiis Israel voluntates suas.*

SED quia Ecclesia Fidelium non recipit à Deo solum beneficia spiritualia per redemptionem, sed etiam quondam recepit beneficia temporalia, *faciens misericordias* populo suo, vindicando de inimicis injurias illatas Fidelibus: ut patet de *Pharaone*, & Ægyptiis, & cæteris persecutoribus populi Dei: ideò septimò debet anima nostra benedicere Domino, quia *fecit misericordias* suas Fidelibus *injuriam patientibus*, cum vindicavit eos de inimicis eorum: & hoc in utroque Testamento. Nam non solùm in veteri Testamento Deus afflixit inimicos Ecclesiæ, sed in novo, ut patet de *Nerone*, *Domitiano*, & *Diocletiano*. Nonò debet anima nostra benedicere Domino, quia quondam ipse *misericors, & miserator Dominus fecit notas vias suas Moysi, & filiis Israel voluntates suas*, cum dedit eis Legem, in qua sunt præcepta & mandata moralia, ut faceret eos bonos; & cærimonialia, ut faceret eos Fideles: quia cærimonialibus erant figurata omnia mysteria Christi & Ecclesiæ, & vivebant in Fide & Spe Christi venturi: & salvabantur.

Nota. Lex ergo Dei dicitur *viæ Domini*, in quantum in ea continentur mandata & præcepta, per quæ tendimus, & quæ vehunt nos ad Deum: dicuntur etiam *voluntates Domini.* Nam quia Lex est *constans & perpetua voluntas*, ideò in Lege exprimitur *voluntas* Legislatoris, quæ figurabatur in cærimonialibus, ut dictum est. Quasi dicat: Sicut Deus in primo Testamento *fecit misericordias, & judicium* Hebræis in Ægypto *injuriam patientibus*, eos liberando, & Ægyptios flagellando: ita in novo Testamento *fecit misericordiam* Christianis, & *judicium* de inimicis tyrannis Ecclesiam persequentibus, eos conterendo, & subjiciendo. Item, sicut tunc *fecit notas vias suas Moysi* in monte Synaï & filiis Israel *voluntates suas*, dando legem veterem & cærimoniam: ita per Christum fecit nobis *notas vias suas & voluntates*, dando Legem Euangelicam, quæ exprimit & notificat voluntatem Patris.

8. *Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors.*

De Pœn. d. 3. c. Quia divinitatis natura.

9. *Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.*

10. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.*

93. d. c. Diaconi.

QUIA superiùs enumeravit beneficia Dei; nunc demonstrat unde emanaverunt ista beneficia collata generi humano: & dicit, quòd ex sola misericordia: quia in quantum *miserator & misericors* fecit nobis illa beneficia. Et primò, narrat magnitudinem misericordiæ Dei. Secundò, dicit modum in quo misereretur. Dicit ergo, quòd non aliud movit Deum ad supradicta beneficia nobis exhibenda, nisi sola misericordia. Nam ipse est *misericors* habitualiter & essentialiter, & est *miserator* actualiter; quia jugiter facit nobis misericordiam suam. Et in tantùm est *misericors*, quia est *longanimis* in punitione: quia per magna tempora expectat & suffert peccatorem, ut convertatur, & vivat: quod probat quoad tempus: nam *non in perpetuum irascetur*, quia licèt quandoque corripiat; tamen citò placatur. Sed quia talis correptio non est nisi quædam *comminatio*, ne peccator æternaliter puniatur, sed corrigatur per pœnitentiam: ideò talis *comminatio* non est æterna, sed temporalis. Ergo *non in æternum comminabitur:* quia citò desistit à minis correptivis. Et ideò quando temporaliter corrigit, non *in perpetuum* damnat, sed *comminatur* temporaliter. Ex quo patet magnitudo misericordiæ suæ. Et quia non solùm

lùm oſtendit magnitudinem miſericordiæ ſuæ, quia non punit æternaliter, ſed etiam quoad quantitatem, quia non punit condignè ſecundùm gravitatem peccati, ſed citra condignum: ideò ſequitur: *Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis*, & punivit nos pœnâ infinita, ſicut peccavimus contra infinitum; *neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis*; quia non retribuit pœnam ſecundùm quantitatem delicti, nec hîc, nec in Purgatorio.

86. d. c. In ſingulis in glo.

11. *Quoniam ſecundùm altitudinem Cœli à terra, corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.*

PROBAT quam magna eſt miſericordia Dei ſuper nos; & dicit, quòd quanta eſt *altitudo Cœli à terra*. Nam ipſe deſcendit de Cœlo in terram, & aſſumpſit carnem: Ergo quantùm miſericordia Dei attingit à Cœlo uſque ad terram, tantùm *corroboravit* & prolongavit *miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*. Item, non ſolùm diſtantia Cœli à terra eſt longa, ſed comparatio terræ ad Cœlum, eſt infinitum diſtans. Nam terra eſt ad modum puncti reſpectu Cœli, & eſt quaſi inſenſibilis: ſed Deus, qui eſt major toto Cœlo ſine comparatione, aſſumpſit carnem & corpus de terra, quæ eſt minor Cœlo ſine comparatione. Ergo *corroboravit miſericordiam ſuam ſuper* nos *ſecundùm altitudinem Cœli à terra*: ideò plùs fecit ſine comparatione, quando *Verbum caro factum eſt*: quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio.

1. q. 4. c. Homi.

12. *Quantùm diſtat Ortus ab Occidente: longè fecit à nobis iniquitates noſtras.*

NOTA, quòd *altitudo Cœli à terra* diſtat per mediam diametrum mundi in ſummitate Cœli ſupra Cenith capitis noſtri uſque ad centrum. Sed diſtantia ab Oriente in Occidentem dicit totam diametrum à Polo ad Polum ſecantem centrum mundi. Ideò dicit duplicem proportionem; & in tali proportione ſe habet remiſſio peccati noſtri ad myſterium Incarnationis: nam per Incarnationem nobilitavit, & exaltavit naturam humanam in ſummam dignitatem. Sed per myſterium Paſſionis remiſit peccatum, & juſtificavit genus humanum. Sed juſtificatio impii eſt maximum inter opera Dei: ergo in duplum oſtendit nobis miſericordiam ſuam, liberando nos à peccato per Paſſionem, quam exaltando naturam per Incarnationem.

Sed quæritur, quare eſt majus opus remiſſio peccati, quam Incarnatio & Creatio? Reſpondetur, quòd in opere Creationis, vel Incarnationis Deus nil poſuit de ſuo, nec aliquis motus factus eſt in Deo: ſed in remiſſione peccati dedit ſuum ſanguinem: quia non fit remiſſio peccati, quin exponatur de ſanguine Chriſti: quia ipſe ſoluit de proprio pro peccato impii, & ultra reſiſtentiam quam reperit, ſoluit aliquid de proprio. Et ideò dicit Propheta: *Quantùm diſtat Ortus ab Occidente longè fecit à nobis noſtras iniquitates.* Quaſi dicat, quòd eſt dupla diſtantia in quantitate.

Opus remiſſionis eſt majus quàm Creationis, & Incarnationis opus.

Aliter exponunt alii: nam Chriſtus duo nobis remiſit, ſcilicet, culpam & pœnam. Et per minorem diſtantiam intelligunt remiſſionem pœnæ, & per majorem, remiſſionem culpæ: eò quòd culpa eſt infinita, quia contra objectum infinitum: ſed totum eſt bene dictum, quia utrobique oſtenditur magnitudo miſericordiæ Dei.

9. q. 3. c. Ad menſam.

13. *Quomodò miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.*

13. q. 2. In Eccleſiaſtico.

14. *Recordatus eſt quoniam pulvis ſumus: homo, ſicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorebit.*

Et 13. q. ulti. Quæ præpoſterum.

15. *Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.*

QUIA ſuperiùs dixit miſericordiam Dei infinitam reſpectu temporis, & reſpectu quantitatis culpæ: hoc idem probat hîc exemplo, ſive ratione. Primò, quoad quantitatem in ſe. Secundò, quoad longitudinem temporis. Primò ergo ponit quomodò cognoſcitur miſericordiam Dei eſſe infinitam, ratione modi redimendi, dicens: *Quomodò miſeretur.*

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd aliter *miſeretur* extraneus homo, aliter amicus, aliter conſanguineus, aliter pater. Nam extraneus quandoque *miſeretur* ore, dum quis eſt in miſeria, & quandoque ore, & corde tanquam proximus. Sed amicus *miſeretur*, non ſolùm corde, & ore, ſed etiam auxilio bonorum temporalium. Conſanguineus juvat quando-

Nota.

que cum persona. Sed pater *miseretur* corde, & ore, & opere, & assumit negotium filii ut proprium, & semper, & cum proprio sanguine redimit filium, ut liberet à malo. Ita ergo Deus non solùm corde & opere, sed in persona assumpsit negotium nostrum ut proprium, & descendit de Cœlo factus homo: in qua humanitate voluit pro nobis pati, & dare suum sanguinem, ut nos à morte perpetua liberaret. Ergo *misertus est nobis*, non sicut amicus & frater, sed sicut pater: nam frater quandoque deficit. Ideò ait David: *Quomodò miseretur pater filiorum*, ita *misertus est Dominus timentibus* fidelibus; & per consequens *misertus est nobis*: *quoniam* pro *quia*, aut pro *ut cognovit figmentum nostrum* per experientiam, id est, voluit assumere carnem nostram, ut cognosceret, & experiretur in se fragilitatem nostram, & pœnas nostras. Unde ly *quoniam* non stat causaliter, sed consecutivè: & potest etiam stare causaliter pro *quia*, id est, quia cognovit, & cognoscere voluit, & experiri *figmentum nostrum*, & fragilitatem nostram per carnis assumptionem: ideò misertus est nobis, sicut *miseretur pater filiorum*. Et tunc cum fuit factus homo, cognoscens figmentum nostrum per experientiam, *recordatus est quoniam pulvis sumus* & fragiles; & cognovit quod *homo sic efflorebit*, *tanquam flos agri*, qui de manè prosperatur, & in serò marcescit: ita vires hominis consistunt in quadam apparentia, cùm sit fragillimus, & pronus ad peccandum, & sit infirmus & mortalis, & semper in continuo fluxu: *quoniam spiritus* vitalis, & naturalis, & animalis ejus *pertransibit in illo*; quia continuè generantur, & corrumpuntur, & fluunt hujusmodi spiritus, & nunquam hæc natura *subsistit* continuè in eisdem, *nec cognoscet amplius locum suum* eumdem.

Et etiam potest exponi, & meliùs de spiritu rationali: *quoniam* anima *non* semper *subsistet in illo*, sed recedet per mortem: *& amplius non cognoscet locum suum*, id est, illud corpus mortale: & si recuperaverit illud per resurrectionem, hoc non fiet naturaliter, sed virtute Dei in novissimo die. Hæc eadem sententia habetur *Psal.* 89. per totum de humana fragilitate & infirmitate & fluxibilitate, & vitæ brevitate & varietate, ut ibi largiùs dictum est.

* * *
* *

*** *** ***
*** *** ***

E 16. *Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.*

De Pœn. d. 3. Quia divinitatis natura. 15. q. 1. c. Firmissimè, & 23. q. 4. c. Displicet.

17. *Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus,*

18. *Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.*

F NON erit sic de misericordia, sicut de fragilitate hominis. Nam licèt homo sit fragilis, & mortalis, & variabilis, & temporalis; tamen misericordia Dei est immortalis, & fortis, & firma. Nam quacumque hora ingemuerit peccator, semper est Deus paratus parcere: & hoc, non solùm nunc, sed ab initio. Ita statuit & ostendit in Patribus antiquis. Et erit *justitia illius*, scilicet, retributio præmii promissi, *in filios filiorum*, id est, in omnes successores Apostolorum, & imitatores, scilicet, in *his qui servant testamentum ejus*, *& sunt memores mandatorum ejus ad faciendum*, & ad servandum *ea*. Ex quo patet, quòd *misericordia Dei* non solùm est infinita in virtute intensivè, & extensivè; sed etiam est G infinita in duratione & successivè. Et benè dicit, *ad faciendum ea*: nam multi *sunt memores* mandatorum Dei, de Lege Dei loquendo & disputando, & volunt scire Legem Dei & mandata; sed non *ad faciendum ea*, sed ut scire videantur. Ex quo patet, quòd *misericordia Dei*, & retributio, & *justitia* præmii promissi non erit nisi in his qui observant mandata, & Legem Euangelicam.

Ad majorem intelligentiam hujus est notandum, sicut dictum est *Psalmo* 34. quòd caro Christi, quam infirmam pro nobis assumpsit, fuit illi tanquam cilicium pœnitentiale. Nam quia cilicium est contextum ex pilis & setis animalium, ideò est H pungitivum, & per consequens affligit carnem, ex qua afflictione pœnitens recordatur suorum peccatorum. Et sic continuè memor peccatorum pœnitet & dolet peccata commisisse: & sic meretur veniam. Et rursus sic recordatus suorum peccatorum, confunditur detrahere proximo; immò cognoscit proximum peccare ex fragilitate: & sic compatitur & miseretur ei, et citiùs remittit ipsi injuriam. Et sic patet, qualiter cilicium pungitivum reducit in memoriam peccata præterita, et in dolorem et pœnitentiam peccatorum, et ad compatiendum proximo, et miserendum ei.

Caro Christi fuit illi tamquam cilicium.

Hæc

Hæc fuit ergo cauſa, quare Filius Dei voluit induere carnem noſtram infirmam tanquam cilicium pœnitentiale, ut in ea ageret pro nobis pœnitentiam. Nam aſ- A ſumpſit illam carnem cum ſpinis pœnalitatum, ſcilicet, cum fame, & ſiti, & dolore, & nuditate, & mortalitate &c. præter concupiſcentiam & peccatum; ut eſſent inſtrumenta ad merendum pro nobis & patiendum: quæ quidem pœnalitates erant quædam ſpinæ, quæ continuè pungebant animam Chriſti memorando illi peccatum Adam, & omnium noſtrum: ex qua compunctione & memoriâ continuè dolebat, & affligebatur, & patiebatur, & per conſequens merebatur. Et ideò ab inſtanti Incarnationis uſque ad emiſſionem ſpiritus, & etiam uſque ad Reſurrectionem, fuit ſemper ductus unus actus continuus noſtræ B redemptionis, non interpolatus, ut dictum eſt *Pſalmo* 29. Item, iſta continua compunctio & afflictio inflicta Chriſto ab iſto cilicio carnis ſpinoſo, inducebat Chriſtum experimentaliter ad compatiendum noſtræ fragilitati, & per conſequens ad miſerendum nobis, & remittendum peccata noſtra. Et ſic quia experimentaliter *cognovit figmentum* & fragilitatem noſtram: ideò Chriſtus fuit motus ad miſericordiam erga nos. Duplici ergo ex cauſa Chriſtus miſertus eſt nobis: uno modo tanquam pater, quia creaverat nos: alio modo tanquam frater, eò quòd cepit carnem noſtram, & expertus fragilitatem noſtram, *cognovit figmentum noſtrum.* Et hoc eſt quod intendit C dicere David in hac parte, cùm ait: *Quomodò miſeretur pater filiorum.*

Iſai. 33. 1. Thi. 1. 38. d. Si quid.

19. *Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur.*

20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.*

IN hac ſecunda parte demonſtrat Pro- D pheta, quòd non ſolùm homines obligantur ad benedicendum Chriſtum propter beneficia recepta, ſed etiam Angeli. Ideò invitat naturam Angelicam ad benedicendum & laudandum Chriſtum. Et licèt non exprimat niſi unam cauſam, ſcilicet, quia *in Cœlo paravit ſedem ſuam* tanquam *Dominus*: tamen ſubintelliguntur duæ cauſæ præcedentes.

Ad cujus intellectum eſt advertendum, quòd quadruplici cauſa non ſolùm homines, ſed etiam Angeli obligantur Chriſtum laudare & benedicere. Primò, tanquam eorum *Redemptorem*; quia eos redemit. E Secundò, tanquam eorum *Caput*; quia ſimul Chriſtus eſt *Caput* hominum & Angelorum. Tertiò, tanquam *Reparatorem* Angelicæ ruinæ; quia per homines quos redemit, Angelorum ruinam replevit & reparavit. Quartò, tanquam *Dominum* & *Judicem* hominum & Angelorum; quia *Dominus* Chriſtus *paravit ſedem ſuam in Cœlo.* Quomodò autem Chriſtus ſit & eſt Redemptor, & Caput, & Reparator, & Dominus Angelorum, cui ſedes Imperialis fuit ab origine mundi præparata, partim dictum eſt *Pſalmo* 81. ſed clariùs dicetur in fine hujus Pſalmi. Ex quibus patet, quòd licèt ſupradictâ quadruplici cauſa & ratione Angeli obligentur benedicere & lauda- F re Chriſtum etiam in quantum homo: tamen David non tangit niſi quartam cauſam hîc in Pſalmo, in quantum Chriſtus eſt Dominus, & paravit ſedem ſuam Imperialem ſuper omnes Angelos: quæ quidem ſedes licèt fuerit præparata pro Chriſto ab origine mundi, ut videbitur: tamen non poſſedit eam manifeſtè uſque ad diem Aſcenſionis. Ideò ait David, quia *Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus* Angelis & hominibus *dominabitur.* Ideò *benedicite Domino omnes Angeli ejus potentes virtute*, id eſt, qui accipitis potentiam & virtutem ab eo, ut faciatis verbum ejus, & ad faciendum verbum ejus, & *ad audiendam vocem ſermonum ejus*, id G eſt, ad exequendum ejus imperium & præceptum. Quaſi dicat: benedicite Chriſto, quia eſt Dominus, & vos miniſtri ejus, & executores voluntatis ejus.

Angeli Deum laudare obligantur.

21. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus: miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.*

De Pœd. 2. §. Principium enim.

AD evidentiam hujus verſus, & præteriti, eſt notandum ſecundùm *Ariſtotelem* 16. *de Animalibus*, quòd opus naturæ eſt opus intelligentiæ: unde videtur dicere *Auguſtinus ſuper Geneſim*, quòd omnes rationes ſeminales quas activè impreſſit Deus in Angelis, & Cœlis, impreſſit H paſſivè in elementis. Et eſt iſte ordo: Nam Deus primò ab æterno habet in mente & eſſentia ſua omnes rationes & formas omnium rerum creatarum, quæ vocantur rationes & ſpecies æternæ, quas *Plato Idæas* appellavit, ut ait *Auguſtinus lib. octoginta trium Quæſtionum*, ad quarum ſimilitudinem ex tempore creaturas produxit in ſpecies ſuas, ſervando iſtum ordinem. Nam in mentibus Angelorum, qui ſunt nobiliores creaturæ, impreſſit ſimilitudines omnium inferiorum: quas quidem Doctores appellant *ſpecies concreatas*, quæ non ſolùm fa-

Quid ſit Idæa.

faciunt ad cognoſcendum, ſed etiam ad agendum; & ſunt quaſi artes in mentibus intelligentiarum: iſtæ eædem poſſunt eſſe A rationes ſeminales, & potentiæ activæ ad operandum in hæc inferiora. Et ſic movent Cœlum propter Deum amatum & deſideratum ad generationem iſtorum inferiorum.

Ex hoc innuit *Auguſtinus*, quòd oportet poni in elementis & elementatis quaſdam rationes ſeminales paſſivas correſpondentes rationibus ſeminalibus activis impreſſis in Angelis & corporibus Cœleſtibus, quæ ſecundùm *Ariſt.* ſunt quædam potentiæ paſſivæ in materia, de quibus agentia naturalia virtute Intelligentiarum educunt formas de potentia in actum. Et dicit *Auguſtinus*, quòd *iſtæ Intelligentiæ ſeparatæ*, id eſt, Angeli & dœmones, B *habent tàm grande dominium ſuper elementa propter rationes ſeminales, quòd poſſunt operari abſque agente particulari in elementa, addendo, & applicando activa paſſivis*; ita quòd *quæ faciunt longo tempore mediantibus agentibus particularibus, faciant per ſe in brevi.* Et ita dicit, quòd *Magi Pharaonis virtute dœmonum fecerunt ranas & cætera tempore Moyſi.* Et iſto modo Deus fecit miracula & facit tempore oportuno per Angelos. Et iſto modo omnes Angeli dicuntur *virtutes Dei*: quia in eis Deus à principio impreſſit hujuſmodi *virtutes*, quæ vocantur *quaſi naturales*: & continuè Deus præ- C cepit, & dat virtutem Angelis ad faciendum miracula nova ſecundùm ſuam voluntatem.

Angelorum potentia.

Sed inter Angelos eſt quidam ordo, qui ſpecialiter dicitur *ordo Virtutum*, eò quòd movent Cœlum & elementa, & prohibent dœmones, ne lædant mundum ex potentiâ naturali, quam habent ſuper elementa, nec inducant tempeſtates &c. Sed generali nomine omnes poſſunt dici *virtutes* propter rationes prædictas: quia Deus tradit poteſtatem & virtutem, quando vult, ut faciant miracula, ſicut ſibi placet: & ſic omnes ſunt executores divinæ voluntatis; & dicuntur *potentes virtute, & facientes verbum ejus*, & *parati ad audiendam vocem ſermonum ejus* obediendo. Sed quia D iſtimet Angeli, qui fuerunt *potentes virtute ad audiendam vocem Dei*, & exequendum præceptum in veteri Teſtamento, putà, ad dividendum Mare Rubrum, & inferendas plagas Ægyptiis; poſtea fuerunt miniſtri Chriſti ad mitigandum undas maris, & faciendum cætera miracula: Et ſunt quotidie miniſtri Chriſti *in miniſterium miſſi.* Ex quo patet, quòd ſunt ſub ditione Chriſti. Ideò dicit David: *Benedicite Domino omnes virtutes ejus*: quia eſtis *miniſtri ejus*, & *qui facitis voluntates ejus* implentes & exequentes ejus præcepta & imperium. Sed eſt alia potentia obe-

dientialis in materia, quæ reſpicit ſolum E Deum, de qua non eſt ad præſens ſpeculatio.

22. *Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.*

De Pœn. d. 2. §. Quod autem.

QUIA in prima parte invitavit ſeipſum in perſona totius generis humani ad laudandum Chriſtum propter beneficium redemptionis &c. & invitavit in ſecunda parte Angelos, eò quòd Chriſtus eſt adeptus dominium & ſedem in Cœ- F lo: ex quo patet, quòd Chriſtus habet univerſale dominium in Cœlo & in terra; ſed omnia elementa & elementata ſunt propter hominem: Ergo ſequitur, quòd omnia opera creata ſunt Chriſto ſubjecta & obligata, & ſuper omnia habet dominium; quia in quantum Deus, eſt in omnibus per ſubſtantiam, virtutem, & operationem; & in quantum homo, *omnia ſunt ſubjecta ſub pedibus ſuis*: Ergo omnia obligantur laudare Chriſtum ubique. Concludit ergo: *Benedicite Domino omnia opera ejus*, tàm creata, quàm recreata, *in omni loco dominationis ejus*: quia nullus locus excluditur G à ſua ditione & dominio. Et converſus ad ſeipſum dicit: *Benedic anima mea Domino*: quia non ſolùm me redemit, ſed omnia creavit, & Angelos redemit ante caſum, & hominem poſt caſum, eò modo quo dictum eſt. Nam omnia elementa, & plantas, & mineralia creavit propter hominem, & etiam Cœlos, & motus eorum propter nos diſpoſuit. Ergo tenemur ſpecialiter Deum laudare &c.

Ex toto iſto Pſalmo poſſumus recolligere *quatuor concluſiones*: quarum *prima* eſt: quòd nos obligamur benedicere & laudare Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm ore, ſed etiam corde & opere, ſcilicet, ex toto corde, & mente, & anima, & ex omnibus, viribus; propterea quòd non ſolùm quoad totam ani- H mam, ſed quoad totum corpus nos redemit & ſanavit. Nam primò, *propitiatus eſt iniquitatibus noſtris* omnia peccata remittendo. Secundò, *ſanavit omnes infirmitates noſtras*, non ſolùm ſpirituales, ſed etiam corporales. Tertiò, quia redemit nos à morte corporali & ſpirituali. Quartò, quia reddidit nobis corpus glorioſum & impaſſibile. Quintò, quia *replevit nos* bonis cœleſtibus: & ſic recuperavit nobis omnia quæ perdidimus in Adam.

Secunda concluſio: quòd Deus non punivit ſecundùm juſtitiam, ſed ſalvavit nos per miſericordiam, quia *non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis.*

Ter-

Tertia conclusio : quòd Deus magis est pronus ad misericordiam, quàm ad A justitiam erga nos : quia non punivit nos ut servos rebelles, *sed misertus est nobis* tanquam filiis.

Quarta conclusio : quòd non solùm homines, sed etiam Angeli obligantur laudare & benedicere Christum, tanquam Dominum, & Redemptorem, & Caput, & Reparatorem, &c.

Objectio. Sed contra omnia prædicta arguitur. Et primò, arguunt Judæi contra primam conclusionem dicentes : quòd iste de quo loquitur iste Psalmus non est Jesus-Christus quem nos recepimus in Messiam & Redemptorem : Nam ipse non sanavit *omnes infirmitates nostras* per Mortem & Resurrrectionem : quia adhuc manemus subjecti morti, & omnibus morbis, B & laboribus, & infirmitatibus corporalibus. Ergo non perfectè nos redemit, nec abstulit omnem lacrymam ab oculis nostris, prout dicitur in *Isaia.*

Secundò arguitur contra secundam conclusionem. Nam si Deus non punivit nos *secundum peccata nostra*, sequeretur, quòd non esset justus Judex tribuens unicuique secundùm opera sua.

Tertiò arguitur contra tertiam conclusionem. Nam si Deus esset magis pronus ad misericordiam, quam ad justitiam, sequeretur, quòd in eo esset major misericordia quam justitia : Quod videtur falsum : quia ista duo sunt unum substantialiter & essentialiter in Deo : Ergo una non est major altera.

Quartò arguitur contra quartam con- C clusionem : & videtur quòd Christus non sit Dominus Angelorum : quia minor non potest esse Dominus majoris : sed Christus est minor Angelis, cum sit homo : Igitur. Item, nec Christus potest esse caput Angelorum : quia corpus non potest influere gratiam rebus spiritualibus. Item, Christus non potest esse Redemptor Angelorum : quia Angeli remanentes nunquam peccaverunt : & per consequens non indiguerunt Redemptore, nec Reparatore. In oppositum est Propheta David in hoc Psalmo. Respondeo.

Hîc sunt quatuor videnda. Primò, an Christus dicatur perfectus Redemptor, dato quòd maneamus mortales & passibiles ? Secundò est videndum, quare Deus D est magis pronus ad miserendum, quàm ad puniendum ? Tertiò est videndum, an propter hoc Deus sit minus justus Judex, & lædat suam justitiam ; & sit major sua misericordia quàm justitia ? Quartò videbitur, quomodo Christus est Dominus, & Redemptor, & Caput, & Reparator Angelorum.

Christus perfectus Redemptor. Quantum ergo ad primum est dicendum secundùm *Apostolum ad Rom.* 6. quòd per Baptismum omnes sumus mortui & consepulti cum Christo ; & sic omnes consurreximus cum Christo, postquam omnes E sumus baptizati in eo : quia sicut resurrexit, ita omnes resurgemus, 1. *ad Cor.* 15. In quibus vult innuere *Apostolus*, quòd Christus in sua Resurrectione accepit potestatem resuscitandi omnes suos Fideles, & membra sua per Baptismum sibi incorporata : & per consequens intendit dicere, quòd omnes baptizati de præsenti liberantur à peccato in anima, & adipiscuntur meritum, & facultatem ut mereantur resurgere in corpus glorioſum in generali resurrectione. Et sic adipiscuntur resurrectionem glorioſam in habitu, licèt non in actu. Et hoc confirmat *Beatus Augustinus* in quodam sermone de *Martyribus*, qui etiam attribuitur *Beato Ambrosio :* ubi dicit, quòd licèt *omnes Martyres & justi* F *nondum resurrexerunt in actu ; tamen jam surrexerunt in merito : quia jam sunt certi de sua resurrectione : quia sicut fuerunt socii Passionis Christi, ita erunt socii Resurrectionis.* Ex quibus sequitur, quòd jam perfectè redemit nos, non solùm quoad animam, sed etiam quoad corpus, & ommnes infirmitates & miserias.

Sed causam quare Christus noluit, ut illico per Baptismum, sicut absolvimur à peccato, absolvamur à pœnnis corporalibus? assignat *Augustinus, libr. de Baptismo parvulorum*, & 12. *de Civit. Dei, cap.* 4. ubi ait : quòd Christus voluit, ut ablato peccati nexu, mortis & cæterarum infirmitatum experimentum nobis relinqueretur. Et hoc propter multiplex bonum G nostrum. Primò, quia si tales corporeæ infirmitates nobis non fuissent relictæ, tunc nulla posset esse pugna : & si nulla esset pugna, tunc nulla esset victoria Martyrum, nec Virginum, nec Continentium, nec Justorum ; & per consequens nulla esset eorum corona. Item, nulla esset spes resurrectionis, & per consequens nullum meritum. Item, si illico per Baptismum tollerentur hujusmodi passiones, & conferretur immortalitas baptizatis, tunc multò plures recurrerent ad Baptismum, ut absolverentur ab hujusmodi Passionibus, quàm ut consequerentur futuram beatitudinem : & sic nullum operarentur bonum propter Deum. Et ideò istæ infirmitates & passiones nobis relictæ, *sunt bonis bonæ ad meritum, & malis malæ ad sup-* H *plicium.* Item, hoc factum est propter universale bonum Ecclesiæ triumphantis, & reparationis Angelicæ ruinæ. Nam si talis pugna tolleretur in corpore nostro per Baptismum, tunc homines non possent coæquari Angelis, qui ruerunt in meritis, nec per consequens possent adipisci per meritum & laborem sedes, quas illi amiserunt per superbiam. Et sic Angelica ruina mansisset irreparata.

Quatuor ergo operatur Baptismus in no-

Quatuor operatur Baptismus in nobis.

nobis: Nam primò, abluit animam à peccato. Secundò, confert meritum vitæ æternæ de præsenti. Tertiò, tollit debitum concupiscentiæ: non ut non insit, sed ut non imputetur. Quartò, confert aptitudinem & meritum resurgendi ad vitam gloriosam corporis in novissimo die. Ex supradictis patet responsio ad miseros Judæos, qui solum carnaliter sapiunt.

Quare Christus magis est pronus ad misericordiam.

Quantum ad secundum est dicendum: quòd manente justitia æquali cum misericordia, & absque læsione justitiæ, Deus est magis pronus ad miserendum pœnitentibus, quam ad æternaliter puniendum. Et hoc multiplici ratione. Et primò, ratione animæ rationalis, quam ad suam imaginem creavit & ideò in tantum diligit hominem, quòd non permittit, nec placet sibi, ut anima maneat peccato deturpata, nec subjecta. Secundò, ratione abominationis peccati: quia Deus in tantum odit & abominatur peccatum, quòd semper est paratus destruere & delere ipsum per gratiam & pœnitentiam. Tertiò, ratione humanæ fragilitatis, cui semper Deus compatitur. Quartò, ratione suæ magnanimitatis: quia magnanimus non æstimat, immò vilipendit injuriam sibi factam: ideò cito ignoscit, cum videt humilitatem & pœnitudinem in pœnitente, ut patet 4. *Ethicor.* Quintò, ratione summæ liberalitatis: quia liberalis & magnificus semper est pronus solvere pro paupere indigenti: & sic Christus semper est paratus pro nobis solvere debitum. Sextò, ratione paternitatis, in quantum Deus est Pater noster: ideò semper est pronus ad parcendum filiis suis. Septimò, ratione fraternitatis: quia Filius Dei factus est frater noster carnem assumendo. Octavò, ratione experimentalis pietatis: Nam Deus voluit experiri fragilitatem nostræ carnis, ut disceret cæteris misereri: ideò *recordatus est quoniam pulvis sumus*, quia *cognovit figmentum* & fragilitatem nostram per experientiam. Nonò, Deus est magis pronus ad parcendum, quam ad puniendum ratione promissionis: quia per totam Legem & Prophetas Deus promisit veniam & remissionem pœnitentibus. Et sic Deus in parcendo justificat & ratificat justitiam. Item, si Deus non parceret peccatori pœnitenti; sequeretur, quòd magis diligeret peccatum, quam hominem; cum delendo peccatum possit hominem liberare: ideo in hoc ostendit Deus, quod magis diligit hominem, quam peccatum: quia ut hominem liberet, extinguit, & destruit peccatum in eo, ut salvet naturam: & hoc pertinet ad justitiam, ut destruat malum, & salvet bonum. Et ideo ponitur pro conclusione: quòd Deus in parcendo & miserendo peccatoribus pœnitentibus exercet opera omnium virtutum: & per consequens opera justitiæ, cùm justitia sit omnis virtus, 5. *Ethicor.* quod per singula probatur.

Nam primò, exercet opera boni viri: nam in parcendo & miserendo diligit, & conservat bonum naturæ, & odit & destruit malum culpæ, & peccatum quod corrumpebat naturam. Item, exercet opera magnanimi, non æstimando injuriam, & compatiendo humanæ fragilitati. Item, exercet opera liberalis, quia de proprio sanguine solvit pro debito peccatoris. Item, exercet opera boni Patris & Pastoris, quia non permittit filium, nec ovem suam perire. Item, exercet opera justi viri, quia non violat, immò complet promissum, quòd promisit, *Ezech.* 18. & per alios Prophetas, scilicet, *qua hora conversus fuerit peccator à via sua mala, omnium iniquitatum, quas operatus est, non recordabor.* Item, exercet opera justi Judicis, quia nec relinquit crimen, nec malum impunitum: nam peccatum licèt non sufficienter puniatur in peccatore; tamen sufficienter punitur in Christo, ut patebit in sequenti articulo. Et sic patet responsio ad argumentum. Nam licèt Deus sit magis pronus ad parcendum & miserendum peccatoribus, tamen semper manet justus: quia quod non punit in peccatore, punivit in Christo, ut infra patebit. Et sic licèt misericordia videatur major quàm justitia effectivè respectu nostri; tamen essentialiter in Deo una non est major altera, cùm sint idem.

Deus propter misericordiam non dicitur minus justus judex.

Quantum ad tertium, est advertendum sicut dictum fuit *Psalm.* 6. quod duplici judicio potest Deus judicare peccatorem: uno modo judicio obstinationis, & finalis impœnitentiæ: alio modo judicio pœnitentiali. Primò modo, judicat Deus peccatorem judicio iræ & furoris secundùm suam obstinationem, destinando peccatorem ad pœnam æternam. Secundo modo, judicat judicio misericordiæ, remittendo culpam, & mutando pœnam æternam in pœnam temporalem: & in hoc Deus ostendit suam justitiam: quia judicat secundùm mensuram & qualitatem peccati. Nam quia obstinatus peccat in termino, & per consequens æternaliter proponit peccare; ideo justè judicatur ad pœnam æternam suæ obstinationi correspondentem: quia non est sibi remissa culpa in hoc sæculo, ideo nunquam remittitur nec dimittetur ipsi pœna in alio. Sed quia pœnitens per pœnitentiam peccatum dimisit in via antequam perveniret ad terminum, quia reductus est à mala via in viam salutis, à qua recesserat: ideo peccatum suum factum est finitum & temporale respectu sui: & ideo quia remittitur culpa in hoc sæculo, pariter remittitur pœna in alio.

Et sic patet, qualiter Deus tribuit unicuique secundùm opera sua tanquam justus Judex: nam pœnitenti tribuit misericordi-

ter

ter veniam ſecundùm ſuam pœnitentiam in hac vita, & in hoc ſæculo; & per conſequens remittit pœnam in alio: & obſtinato tribuit pœnam ſecundùm ſuam obſtinationem. Nam ſicut peccator per contritionem & pœnitentiam dimiſit peccatum, & delevit culpam in hac vita ante terminum mortis: ita Deus dimiſit illi pœnam æternam. Et ſicut obſtinatus non in vita voluit dimittere peccatum, ita Deus nunquam ei dimittet pœnam in altero ſæculo. Nam ſicut ſola pœna temporalis correſpondet pœnitentiæ in hac vita, vel in Purgatorio ſecundùm judicium miſericordiæ: ita pœna æterna correſpondet obſtinationi & impœnitentiæ in inferno ſecundùm judicium iræ Dei: & ſic Deus ſemper manet juſtus Judex.

Sed adhuc manet & reſtat dubium: quia omne peccatum eſt infinitum ratione objecti, in quantum peccator peccavit contra Deum infinitum: ergo cuique peccato juſtè debetur pœna infinita: & per conſequens nullo pretio poteſt ſatisfieri offenſæ factæ contra Deum, nec juſtè poteſt peccatori pœna remitti, cùm omnis pœnitentia, & omnia bona opera peccatoris ſint finita.

Objectio.

Ad hoc reſpondetur, ſicut dictum eſt *Pſalm.* 84. quòd quia nullum pretium finitum poteſt ſatisfacere pro peccato commiſſo contra Deum, ideò fuit neceſſaria Paſſio Chriſti, ad juſtè ſatisfaciendum pro omni peccato: quæ quidem Paſſio fuit pretii infiniti ratione puritatis & innocentiæ Chriſti: & præcipuè ratione gratiæ unionis, ut dictum fuit *Pſalm.* 17. & 84. ideò Chriſtus potuit pro omnibus ſatisfacere, & in eo ſufficienter omnia noſtra peccata fuerunt punita: quia Deus Pater *poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum*, & *propter peccatum populi* ſui *percuſſit eum*: *cujus livore ſanati ſumus*, *Iſai.* 53. & Deus Pater *fecit ipſum peccatum*, ſcilicet, ſacrificium pro peccato, 2. *ad Corinth.* 5. Et ſic omnia peccata noſtra fuerunt in Chriſto punita, & in ejus Paſſione: quam Paſſionem nos participamus per Baptiſmum, & Pœnitentiam, & cætera Sacramenta. Et ideò nulla pœnitentia poſſet ſatisfacere pro peccato alicujus, niſi participaret Paſſionem Chriſti: quia illa fuit pœnitentia generalis pro omnibus peccatoribus pœnitentibus, & baptizatis, à quâ ſumunt virtutem omnia ſacramenta; quam quidem pœnitentiam participamus per Eccleſiaſtica ſacramenta. Et ideò noſtra pœnitentia particularis non ſatisfacit in virtute propria, ſed in virtute Paſſionis Chriſti, quam participat, in quantum Filius offert Patri ſuam Paſſionem pro illo baptizato, ſive pœnitente. Et ſic eſt dicendum, quòd peccatum punitur in peccatore per illam modicam contritionem & pœnitentiam, & per pœnam temporalem in hoc mundo, vel in Purgatorio: ſed plenè punitur in Chriſto, cujus Paſſionem pœnitens participat per particularem pœnitentiam: & ſic particularis pœnitentia roborata & adjuta virtute Paſſionis Chriſti, redditur ſufficiens ad ſolvendum & ſatisfaciendum pro debito infinito. Et ſic nullum peccatum manet impunitum, nec debitum inſolutum: quia omne peccatum partim punitur in peccatore, & plenè punitur in Chriſto: cujus Paſſionem Pater acceptat in pretium ſufficiens pro debito peccatoris. Et ſic Deus ſemper manet juſtus, & ſimul miſericors in ſuo judicio, manente juſtitiâ inviolatâ & integrâ ſimul cum miſericordia. Et hoc eſt quod intendit dicere David, cùm ait: *Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis*, *neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis &c.* Sed ut oſtendat, quòd Deus tanquam Pater & Frater expertus noſtram fragilem carnem, eſt magis pronus ad parcendum, quam ad puniendum, ſubdit: *Sicut miſeretur pater filiorum*, *miſertus eſt Dominus timentibus ſe*: *quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum &c.* & ſic patet reſponſio ad argumenta ſecundi & tertii dubii.

Reſponſio

Paſſio Chriſti ſatisfecit.

Quantum autem *ad quartum*, ſcilicet, qualiter Chriſtus eſt Dominus, & Caput, Redemptor, & Reparator Angelorum, eſt notandum, ſicut dictum eſt *Pſal.* 81. quòd omnes Angeli ante lapſum, dum fuerunt viatores, præviderunt myſterium futuræ Chriſti Incarnationis: & præviderunt præparatam ſedem Imperialem pro Chriſto futuro Domino omnium hominum & Angelorum: quorum Angelorum quidam ſtatuerunt, ſcilicet, *Michael* cum ſuis, divinæ voluntati obedire, & Chriſtum Deum & Hominem futurum in Dominum & Caput aſſumere; & ſic manſerunt in gratia confirmati, & ex viatoribus comprehenſores facti & beati. *Lucifer* autem cum ſuis ſequacibus inobediens divinæ voluntati, & Chriſto invidens, zelo invidiæ commotus, quia hoc prævidit, illicò invidit, & ſedem Chriſti perversè & temerè appetivit, & ipſam conſcendere & uſurpare præſumpſit. Et ideò illicò in illa malitia obſtinatus miſer effectus eſt, & de Cœlo in perpetuam pœnam corruit, & cecidit in infernum.

Chriſtus Dominus, & Reparator Angelorum.

His ergo habitis ponitur *prima concluſio:* quòd Chriſtus ante caſum *Luciferi* fuit Caput omnium bonorum Angelorum, dum fuerunt viatores. Probatur: nam pro tunc habuerunt veram fidem, & per conſequens ſpem de Chriſto futuro, à qua non deviarunt, immò illi adhæſerunt: quia divinæ voluntati obedire ſtatuerunt. Ergo ſequitur, quòd per talem fidem & obedientiam Chriſtum in Dominum & Caput aſſumpſerunt, & ſuſceperunt, & per conſequens jam tunc facti ſunt membra Chriſti ab eis crediti: & jam tunc participarunt

Chriſtus Caput Angelorum.

Chriſti gratiam per quam ipſi adhæſerunt; in qua gratia per talem inhæſionem confirmati manſerunt, & effecti ſunt comprehenſores & beati. Ex quibus patet, quòd Chriſtus ante lapſum *Luciferi* fuit Dominus & Caput bonorum Angelorum viatorum, & per conſequens manſit Dominus, & Caput eorum, poſtquam facti ſunt comprehenſores & beati: quod probatur: nam manſerunt in eadem gratia Chriſti confirmati, de cujus myſterio Incarnationis, & humanæ redemptionis habuerunt clariorem notitiam poſt confirmationem. A

Chriſtus Redemptor Angelorum.

Secunda concluſio: quòd Chriſtus fuit verus Redemptor bonorum Angelorum. Probatur: nam redimi à Chriſto, nil aliud eſt, niſi liberari ab æterna damnatione per gratiam Chriſti: ſed boni Angeli fuerunt liberati, & præſervati à caſu aliorum per gratiam & Fidem Chriſti futuri, per quam gratiam acceperunt ipſum in Caput, & Dominum, ut dictum eſt: Igitur per Chriſtum verè fuerunt redempti. Nam mali, qui hanc fidem & gratiam ſervare noluerunt, ideò ceciderunt, à cæteris diviſi. Ex quo ſequitur, quòd gratia Chriſti ſeparavit bonos à malis. Et ſic illi peccaverunt in termino; & iſti adhæſerunt in via, prout dictum eſt *Pſalmo* 81. Ergo Chriſtus eſt verus Redemptor Angelorum. B

Tertia concluſio: quòd Chriſtus non ſolùm eſt Caput & Redemptor bonorum Angelorum, ſed Reparator Angelicæ ruinæ. Probatur: nam Chriſtus redemit homines, & ex eis quoſdam ſublimavit per gratiam ſupra humanam facultatem, ut mererentur adæquari Angelis qui ceciderunt, & eorum manſiones & ſedes beatas illis debitas poſſederunt, & numerum illorum compleverunt, ut frequenter dictum eſt. Ergo Chriſtus fuit verus Reparator & Reſtaurator Angelicæ ruinæ: & ſic patet, qualiter Chriſtus fuit verus Dominus, & Caput, & Redemptor Angelorum. C

Caput Eccleſiæ Chriſtus.

Quarta concluſio: quòd Chriſtus ſimul eſt Caput hominum & Angelorum, & utriuſque Eccleſiæ, ſcilicet, Triumphantis & Militantis. Probatur: nam ſicut de ratione capitis materialis eſt influere ſenſum & motum in omnia ſua membra: ita de ratione capitis ſpiritualis eſt influere gratiam & gloriam: ſed Chriſtus influit in omnia membra hujus Eccleſiæ gratiam & merita ſuæ Paſſionis per inſpirationem, & Eccleſiaſtica ſacramenta: & in patria influit gloriam ſuper omnes Angelos & omnes Beatos: Ergo eſt verum Caput viatorum omnium, comprehenſorum & Beatorum. D

Quod autem Chriſtus ſit Dominus, & Caput, & Beatificator ſimul hominum & Angelorum, patet ex multiplici auctoritate. Unde primò dicit *Apoſtolus*, quòd Deus Pater conſtituit eum Caput omnium Eccleſiarum ſuper omnem poteſtatem & principatum &c. *ad Epheſ.* 1. Item, *ad Philip.* 2. *Deus exaltavit illum: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum &c.* Item, *Joan. Apocal.* 5. vidit *millia millium Angelorum* ſimul cum ſenioribus, dicentium: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem &c.* Item infra *cap.* 7. *Vidit turbam magnam quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis: & omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & adoraverunt Deum cadentes in facies ſuas, dicentes: Benedictio & claritas &c.* Item, Angelus dixit *Joannni*, *cap.* 19. *Conſervus tuus ſum* Jeſu-Chriſti. E

Ex quibus patet, quòd Chriſtus ſimul eſt Caput, & Dominus hominum, & Angelorum, & omnium creaturarum: & per conſequens non ſolùm homines, ſed etiam omnes Angeli obligantur laudare, & benedicere, & colere Chriſtum honore Latriæ tanquam Deum & Dominum. Et hoc eſt quod intendit dicere David in hoc Pſalmo, cùm dicit: *Dominus in Cœlo paravit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur*: ideò *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus.* Et nunc reſpondetur ad rationes & argumenta. Nam cum dicitur, quòd Chriſtus eſt minor Angelis, quia homo: Ergo non poteſt eſſe Dominus Angelorum, nec Caput, nec influere gratiam & gloriam in eis. Ad hoc reſpondetur, ſicut dictum fuit *Pſalmo* 74. quòd licèt anima Chriſti ſit minor Angelis quoad eſſentiam & bona naturalia conſequentia formam: tamen erat nobilior & melior omnibus Angelis, quoad bona gratuita & gratifica, & quoad gratiam unionis: & ſic erat Dominus Angelorum. Item, licèt Chriſtus ex ſola humana natura non influat gloriam in Angelos; tamen ratione gratiæ unionis & capitis influxit gratiam in Angelos, dum erant viatores; & influit nunc gloriam, dum ſunt comprehenſores: quia non ſolùm eſt mediator Dei & hominum, ſed etiam Dei & Angelorum, propter rationes jam dictas. Et ſic patet, qualiter Chriſtus redemit Angelos, eos per gratiam à lapſu aliorum præſervando: & qualiter factus eſt Dominus & Caput, non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum. Ex quibus patet, quòd non ſolùm ab hominibus, ſed etiam ab Angelis Chriſto debetur cultus veræ Latriæ, quod maximè intendit probare David in hoc Pſalmo. F G H

PSALMUS CIII.

95. d. c. Ecce.

1. *Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.*

Alius vestimentum

2. *Confessionem & decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento.*

LICET huic Psalmo nullus Titulus præponatur in Hebræo: tamen Beatus *Hieronymus* in *Epistola ad Eustochium de Virginitate servanda*, asserit ipsum esse factum ab ipso David, cùm dicit: *Posuisti, ait David, tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt bestiæ silvæ &c.* Hoc idem affirmat Ecclesia, cum cantat in benedictione chrismatis, dicens: *David prophetico spiritu gratiæ sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit &c.* Ex quo patet, David confeciſſe hunc Psalmum, & ex materia ejus patet ipsum esse *Allelujaticum*, id est, ad laudandum Deum factum: quia manifestè laudatur Deus in hoc Psalmo de beneficio universalis creationis & recreationis.

Quinque fabricationes in vet. Testam. ex Dei præcepto factæ.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd quinque fabricationes leguntur factæ in veteri Testamento ex præcepto Dei: nam prima fuit fabrica totius mundi in exordio, quam Deus fecit ex nihilo per seipsum ad solum præceptum, sine aliquo ministro: quia *dixit & facta sunt omnia per Verbum suum*: nec ejus aliquis consiliarius fuit. Secunda fuit Arcæ tempore diluvii, quam *Noe* præcepit fabricare. Tertia fuit fabricatio Tabernaculi & Arcæ fœderis, quam Deus *Moysi* præcepit fabricare. Quarta fuit fabricatio Templi Salomonis, cujus descriptionem Deus tradidit David, 1. *Paral.* 28. Quinta fuit reædificatio Templi facta per *Zorobabel*, & *Zachariam*, & *Aggæum*, & *Malachiam* ex præcepto Dei, quæ omnes quinque fabricationes sensibiles significabant & figurabant fabricationem Ecclesiæ per Christum faciendam, secundùm *Augustinum* in libro *de Arca Noe*, & *contra Adversarium Legis & Prophetarum.* Nam omnes has fabricationes fecit Deus fieri in figuram Ecclesiæ, ad quam tendebat tota Lex vetus, tanquam in finem.

Unde dicit *Augustinus contra Faustum*, quòd sicut faber argentarius, sive domificator, prius depingit domum & opus modo grosso, ut habitator prænoscat domum fabricandam ad sensum; sed posteà depingit, vel fabricat domum modo subtili & perfecto ad finalem usum hominis: ita pariter Deus in veteri Testamento priùs depinxit & fabricavit totum istum mundum sensibilem, non solùm ad usum naturalem hominum, sed etiam ut esset figura mundi spiritualis, scilicet, Ecclesiæ Christi: ut per ista sensibilia veniret homo ad spiritualia. Item eodem modo per discursum temporis fecit Arcam fabricari cum omnibus illis partibus & conditionibus, in qua salvatus est *Noe* de aquis diluvii, quæ secundùm omnes suas partes figurabat Ecclesiam Christi, in qua erant salvandi Fideles de diluvio peccatorum. Ita pariter est dicendum de Arca, & Tabernaculo, & Templo: nam per hoc quod Deus fabricari præcepit Arcam, ut ipse habitaret in ea; & Arca reposita fuit in Tabernaculo, & posteà in Templo; per hoc figurabatur, quòd Verbum Dei debebat sibi fabricare Arcam humanitatis, in qua habitaret per unionem personalem: quæ quidem Arca erat reponenda in Tabernaculo Virginali, & in Templo universalis Ecclesiæ, in qua habitat per fidem, & unionem mysticam. Ita pariter est dicendum de reædificatione *Templi*, & *Civitatis Hierusalem*: nam sicut Deus præcepit reædificari illud Templum & Civitatem Hierusalem, propter peccata Regum & populi per *Chaldæos* destructam: ita pariter Deus Pater præcepit Christo Filio suo, ut reædificaret Templum humanum, & Hierusalem spiritualem, quam diabolus destruxerat propter peccatum *Adæ*, quando *descendit ab Hierusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui ipsum expoliaverunt, & sauciarunt*, & totam humanam naturam corruperunt. Hanc ergo Civitatem dirutam, & Templum dissolutum resarcivit & renovavit Christus per suam Incarnationem, & Passionem, & Resurrectionem. Nam corpus quod fuerat dissolutum reædificavit post triduum, ut ipse ait *Joann.* 2. Ex quibus patet, quòd fabricatio mundi fuit figura fabricationis Ecclesiæ, & per consequens David non solùm intendit benedicere Deum, & commendare divinam sapientiam circa creationem mundi: sed principaliter circa fabricationem & creationem Ecclesiæ Christi.

Quadruplex mundus.

Secundò est advertendum, quòd quadruplex mundus reperitur memoratus in Sacra Scriptura. Primus dicitur *mundus exemplaris*, & æternus, & increatus, & idæalis, existens ab æterno in mente & Verbo Divino, ad cujus exemplar Deus ex tempore produxit hunc mundum sensibilem: de quo mundo idæali meminit *Plato in Timæo*, & *in libro Idæarum*, & *Boëtius* 3. *de Consolatione*, dicens:

Tu cuncta superno ducis ab exemplo,
Mundum mente gerens pulchrum, pulcherrimus ipse &c.

Item, *Joann.* 1. *In principio erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt, quòd factum est in ipso vita erat*, id est, iste totus mundus, qui factus est ex tempore, erat vita ab æterno in ipso mundo ideali, & Verbo Æterno, ut exponit *Augustinus.* Secundus dicitur *mundus sensibilis*, & materialis, & creatus factus ad exemplar primi: de cujus creatione & dispositione agitur *Genes.* 1. Tertius dicitur *mundus spiritualis*, & recreatus, figuratus per mundum materialem, qui est Ecclesia Christi, cujus habitatores sunt omnes Christi fideles in Christo regenerati, unde de mundo materiali dicit *Joannes*: *Mundus eum non cognovit*: sed de mundo spirituali dicit: *Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt &c.* de cujus mundi spiritualis recreatione dicit Dominus *Isai.* 66. *Ecce ego creo Cœlos novos, & Terram novam, & non erunt in memoria priora &c.* Quartus dicit *mundus gloriæ*, & perpetuus, de quo *Psalm.* 83. *Beati qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*; de cujus fabricatione & ædificio dicit Joann. *Apocal.* 21. *Vidi Cœlum novum, & Terram novam: primum enim Cœlum, & prima Terra abiit: & mare jam non est. Et vidi Civitatem Sanctam Hierusalem novam descendentem de Cœlo &c.*

Cum ergo intentio Prophetæ sit deducere nos ad cognitionem spiritualium per sensibilia; ideò per dispositionem hujus mundi sensibilis & creati, propheticè nos manuducit in cognitionem dispositionis mundi spiritualis per Christum regenerati, quæ est Ecclesia: eò quòd contemplando dispositionem hujus materialis mundi in principio creati, prævidit in spiritu totam dispositionem Ecclesiæ per Christum regenerandæ, & reædificandæ: de cujus dispositione fecit hunc Psalmum. Ideo primò exponetur de dispositione hujus mundi materialis: Secundò de dispositione mundi, quæ est Ecclesia, ut facilius perveniamus ad cognitionem spiritualium per corporalia quæ facta sunt, ut inquit *Apostolus ad Rom.* 1.

In quo quidem Psalmo duo principaliter agit David: nam primò commendat divinam potentiam, & sapientiam, & bonitatem circa creationem mundi: secundò, agit gratias, ibi: *Sit gloria Domini.*

Mundus sensibilis adinstar mundi æterni.

Quantum ad primum est notandum: quòd iste mundus sensibilis, & prodoctus à Deo ad instar illius mundi exemplaris & æterni, ideo in se retinet quasi per omnia vestigium & similitudinem illius; eò quòd modus productionis, & emanationis creaturarum sequitur modum productionis, & emanationis divinarum Personarum. Nam sicut ab æterno Pater dicendo ad intra, producit Verbum, & ambo spirando producunt Spiritum Sanctum per modum voluntatis: ita pariter Pater ex tempore dicendo ad extra, per Verbum suum produxit hunc mundum visibilem: & Pater & Verbum spirando super omnia creata per Spiritum Sanctum, produxerunt ea in esse essentiæ.

Itaque tota Trinitas simul & indivisibiliter concurrit ad productionem creaturarum, licèt modis distinctis: & hoc patet *Gen.* 1. Nam Deus Pater dixit: *Fiat lux &c.* ergo per Verbum suum dixit, & locutus est Pater; & Pater & Verbum spirant per Spiritum Sanctum esse & vitam in rebus: ideo sequitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas &c.* & sic apparet, quòd tota Trinitas simul, & realiter, & indivisè concurrit ad creationem rerum, licèt modo distincto; qui modus explicatur *Psalm.* 22. *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ex quo patet, quòd productio creaturarum præsupponit productionem, & modum productionis divinarum personarum. Unde sicut secunda persona emanat ab altera in divinis, & tertia ab utraque; ita totus iste mundus emanat à tota Trinitate Personarum. Sed est magna differentia: nam Pater producendo Filium, communicat ipsi eandem substantiam & essentiam; & ita ambo producendo Spiritum Sanctum: & sic manet unus solus Deus in substantia & essentia cum Trinitate personarum. Secus autem est in productione creaturarum: nam Trinitas ita communicat rebus similitudinem suarum perfectionum, quod non communicat substantiam. Unde sicut Sol communicat diaphano suam similitudinem, non communicando substantiam; ita pariter Deus in creatione communicat rebus similitudinem idearum & perfectionum, non comunicando substantiam: eò quòd creaturæ emanant à Deo per modum artis, & artificialiter: Nam sicut domificator fabricando domum ita comunicat ipsi similitudinem suæ artis, quòd non communicat suam substantiam: ita pariter Deus in creatione communicat rebus similitudinem suarum perfectionum & idearum, non communicando aliquid de divina substantia.

Et ideo dicit *Dionysius*, quòd *creaturæ emanant à Deo sicut radii & lumen à Sole.* Et ideo hæc est causa, quare in toto universo, & qualibet ejus parte reperitur vestigium & similitudo Trinitatis: omnia enim facta sunt sub numero, pondere, & mensura *Sapientiæ* 11. aut sub specie, modo, & ordine. Et sic totus mundus consistit in triplici natura: constat enim ex natura Angelica, quæ est incorporea & incorruptibilis; & ex natura Cœlesti corporea & incorruptibili: & ex natura Elementali, quæ est corporea & cor-

Mundus consistit in triplici natura.

corruptibilis: totum ergo univerſum creavit ad ſimilitudinem ſuam.

Nam ſicut in Deo eſt Trinitas perſonarum ſub una ſimpliciſsima ſubſtantia: ita A in toto univerſo mundo eſt Trinitas naturarum ſub unitate mundiali: & ſic etiam in qualibet natura ſervatur quædam Trinitas. Nam in natura Angelica reperitur Trinitas Hierarchiarum, & in qualibet Hierarchia triplex ordo Angelorum, & in quolibet Angelo reperitur ſpecies, modus, & ordo ſecundùm *Auguſtinum*, aut ſubſtantia, virtus, & operatio: quia nulla ſubſtantia præter primam eſt ſua operatio, nec principium ſuæ operationis ſecundùm Commentatorem: ita pariter in natura Cœleſti reperitur Trinitas Cœlorum, ſcilicet, *Cœlum Empyreum* immobile, & *aqueum*, quod eſt primum mobile ſuper B polos mundi, & *Cœlum Aſtrorum*, & Planetarum, quod movetur ſuper polos Zodiaci. Et ita pariter in elementis reperitur Trinitas, nam licèt ſint quatuor elementa diſtincta ſecundùm formam juxta quatuor combinationes qualitatum primarum, 4. *de Cœlo*, & 2. *de Generatione*, & 4. *Metheorum*, ſed ſecundùm materiam non ſunt niſi tria elementa, ſcilicet, Aër, Terra, & Aqua; nam Ignis licèt formaliter diſtinguatur ab aliis elementis, tamen non localiter, nec materialiter, ſecundùm quoſdam Philoſophos; quia non facit ignis ſpheram per ſe, ſed eſt in cæteris elementis continentèr & virtualiter ſecundùm *Thomam de Barbo*, & pleroſ- C que alios Philoſophos. Et ſic eſt dicendum de quolibet corpore, & de qualibet creatura particulari, in quibus omnibus reperitur quædam Trinitas ad ſimilitudinem creatricis & primæ cauſæ: ideo *Pythagorici* celebrabant Deum ſub triplici honore, arguentes Trinitatem in Deo, ſumptâ cauſa ex Trinitate, quam reperiebant in omnibus rebus creatis, ut ait *Ariſtotel.* 1. *Cœli & Mundi.*

Hunc ergo ordinem tenuit primò *Moyſes* in deſcribendo creationem rerum, *Gen.* 1. Nam primò ponit qualiter Deus creavit iſtam triplicem naturam, ſcilicet, naturam Angelicam, & Cœleſtem, & Elementalem in tribus primis diebus. Secundò, ponit ornatum eorum in tribus ſequentibus diebus, ut patet ibidem. Et hunc D eundem ordinem tenet David in hoc Pſalmo, ſive in hac prima parte Pſalmi: Nam volens Deum magnificare, & commendare de potentia & ſapientia circa creationem totius univerſi, primò commendat omnipotentiam & ſapientiam circa creationem & diſpoſitionem Angelicæ naturæ: ſecundò, circa diſpoſitionem Cœlorum: tertiò commendat Dei ſapientiam, & providentiam, & bonitatem circa diſpoſitionem elementorum. Secunda, ibi: *Extendens Cœlum ſicut pellem.* Tertia, ibi: *Qui po-*

nis aſcenſum. Quantum ad primum eſt advertendum ſecundùm *Auguſtinum*, quòd E *Moyſes* unico verbo notificavit Creatorem toti naturæ Angelicæ cum dixit Deus: *Fiat lux, & facta ex lux*: unde per lucem intellexit totam Angelicam naturam. Sed *Dionyſius* in de *Angelica Hierarchia* divisit totam Angelicam naturam in tres Hierarchias: Nam prima dicitur *ſuper Cœleſtis*, in qua ſunt tres ordines, ſcilicet, *Seraphim*, *Cherubim*, & *Troni.* Secunda Hierarchia dicitur *Cœleſtis*, in qua ſunt alii tres ordines, ſcilicet, *Dominationes*, *Principatus*, & *Poteſtates.* Tertia dicitur *Sub-Cœleſtis*, in qua ſunt alii tres ordines, ſcilicet, *Virtutes*, *Archangeli*, & *Angeli.* Unde licèt omnes iſtæ tres Hierarchiæ inceſſabili voce laudent Deum, dicentes: F *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*; tamen prima ſpiritualiter eſt dedicata ad confeſsionem & laudem Dei. Secunda verò, ad decorem, & regimen totius univerſi in generali. Tertia autem dedicata eſt ad regimina particularia partium univerſi. Nam ordo Virtutum eſt dedicatus ad movendum Cœlos & Elementa, & reſiſtendum aëreis poteſtabus, ne lædant elementa. *Archangeli* vero ſunt dedicati ad cuſtodiam Regnorum & Civitatum. *Angeli* autem ad cuſtodiam uniuſcujuſque hominis.

Hanc ergo triplicem Hierarchiam intendit explicare David iu his primis verſibus commendas Deum de omnipotentia & magnificentia circa creationem Ange- G lorum, ſive Angelicæ naturæ. Unde excitat ſeipſum ac animam ſuam ad Domini laudem, dicens: *O anima mea, benedic Domino*, id eſt cauſam habes ut benedicas Domino. Et converſus ad Deum dicit: *O Domine Deus magnificatus es vehementer* per Angelicam naturam: & ideo bene debet te magnificare & benedicere anima mea, Unde probo, quòd tu ſis vehementer & valde ſemper *magnificatus.* Nam tu *induiſti* & circumdediſti tibi *confeſsionem & decorem*, id eſt, primam Hierarchiam creaſti & dedicaſti ad confeſsionem & laudem tui; & ſecundam ad decorem uuiverſi: quia ordines ſecundæ Hierarchiæ aſsiſtunt tibi ad generale regimen univerſi, quaſi conſultores; non quòd in- H digeas conſilio eorum, ſed hoc ordinaſti & feciſti ad communicandam ſapientiam & bonitatem tuam eis. Item, tu ſuiſti *amictus* & circundatus *lumine*: id eſt, luminoſis Angelis tertiæ Hierarchiæ ſuiſti *amictus* & veſtitus, ſicut quis veſtitur *indumento.* Unde per *confeſsionem* intelligit primam Hierarchiam, dedicatam ad confeſsionem & laudem: & per *decorem* intelligit ſecundam, dedicatam ad decorem Dei & univerſi: Et per *lumen* intelligit tertiam Hierarchiam, dedicatam ad illuminandum mundum per lationem Cœlorum, & Aſtrorum, & ad illuminandos par-

Angelica natura in tres Hierarchias.

particulariter homines: & quod Deus eſt indutus & amictus his tribus Hierarchiis Angelorum; eò quòd ſemper illi aſſiſtunt. Et exinde vulgares ſumunt argumentum & occaſionem ad depingendum Deum indutum & circundatum Cherubim, & Seraphim, & cæteris ordinibus Angelorum: ut per viſibilia conſpiciamus intelligibilia. Deinde cùm dicit:

Geneſ 1. Et de Majo, & Obe. c. Solitæ.

3. *Extendens Cœlum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora ejus.*

COMMENDAT Dei omnipotentiam & ſapientiam circa creationem & diſpoſitionem Cœlorum: de qua dicit *Moyſes*, quòd *Deus fecit firmamentum, & diviſit aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſupra firmamentum, & vocavit firmamentum Cœlum.*

Cœlum triplex.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd in Sacra Scriptura triplex cœlum reperitur, ſcilicet, *Empyreum*, quod eſt totum luminoſum ad gloriam Sanctorum. Secundum dicitur *Cœlum Aqueum*: tertium dicitur *Firmamentum*, quod eſt Cœlum Aſtrorum, & Planetarum. Unde primum dicitur *Empyreum*, id eſt, luminoſum, in quo Beati Deo fruuntur: & hoc eſt immobile. Secundum dicitur *Aqueum*, non à frigiditate, ſed à diaphanitate & velocitate. Unde *Maim* in Chaldæo, quod aquæ dicuntur, Latinè idem eſt quod fluxibilis, & mobilis: ſed omnia creata citra Deum ſunt mobilia, & fluxibilia. Ideò dicitur *Geneſ.* 1. quòd *ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, id eſt, ſuper omnia mobilia, & fluxibilia: quia Spiritus Domini rebus dat vitam, & motum, & eſſe, & operari, ut ſuprà dictum eſt. Sed quia ſecundum Cœlum eſt primum mobile, velocius omnibus aliis, quia in viginti quatuor horis facit circulum & gyrum ſuum, & trahit omnes cœlos inferiores ſuper polos mundi, & ſic inæquali tempore majorem lineam deſcribit: ideò propter talem exceſſum velocitatis dicitur *aqueum* per antonomaſiam, id eſt, velociſſimum. Sed quia ex duobus elementis viſibilibus, ſcilicet, ex aëre & aqua videmus unum ſemper moveri, & alterum ſemper quieſcere; unum vocamus vulgariter *aquam*, propter mobilitatem; & alterum *terram*, propter ſtabilitatem: ideò ne putaremus, primum mobile eſſe ejuſdem naturæ cum elemento aquæ, dicit *Moyſes*, quòd Deus *diviſit aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſupra firmamentum*, id eſt, diviſim collocavit, ſicut ſunt diverſarum naturarum. Nam illas cœleſtes, ſcilicet, *Cœlum aqueum*, collocavit ſupra firmamentum, id eſt, ſupra Cœlum Aſtrorum: & iſtas *aquas* elementales collocavit ſub firmamento. Et ſic patet, quòd illicò poſt primum mobile collocavit firmamentum, id eſt, Cœlum Aſtrorum & Planetarum: & ſic patet, quòd tres dicuntur generaliter Cœli, ſcilicet, *Cœlum Empyreum*, quod eſt penitùs immobile propter gloriam Sanctorum, quæ conſiſtit in quadam quiete. Secundum dicitur *Aqueum*, à mobilitate & ſumma velocitate: eò quòd movetur motu diurno ſuper polos mundi ab Oriente in Occidentem. Tertium dicitur *Firmamentum*: eò quòd in eo firmantur Aſtra, quod motu proprio movetur ſuper polos Zodiaci circulo obliquo ſemicontrario: & ſic ſub firmamento comprehendit non ſolùm Cœlum Aſtrorum, ſed etiam omnium Planetarum.

Unde cum hac poſitione Moyſi concordat David in hoc Pſalmo: nam cùm ſuperiùs dixit: *Confeſſionem & decorem induiſti amictus lumine ſicut veſtimento* (per quod lumen intelligit Cœlum Empyreum & luminoſum cum triplici Hierarchia Angelorum, in quo Cœlo Deus habitat cum Beatis per gloriam) poſteà ſubdit: *Extendens Cœlum ſicut pellem*, id eſt, poſt Cœlum Empyreum tu fuiſti *extendens Cœlum* Aſtrorum *ſicut pellem* ſuper elementa: qui *tegis ſuperiora* hujus Cœli *aquis* cœleſtibus, id eſt, Cœlo aqueo, quod eſt primum mobile. Ex quo patet, quòd Cœlum aqueum, ſive cryſtallinum collocatur inter Cœlum Empyreum & Firmamentum, quod dicitur Cœlum Stellarum & Planetarum: & ſic non memorantur niſi tres Cœli.

Ex iſto modo loquendi ſumpſit occaſionem *Rabbi Eliezer*, dicens, quòd Deus fecit Cœlum ex una parte veſtimenti ſui. Dicit enim, quòd Deus fecit elementa; ſed poſteà extendit partem veſtimenti ſui ſuper ea: & ſic factum eſt Cœlum. Sed quantum ſit irridenda iſta poſitio, de ſe patet intuentibus: quia non ſolùm deluditur à Chriſtianis, & Prophetis, ſed etiam à *Rabbi Moyſe de Ægypto*, & Diſcipulo ejus.

4. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum.*

56. d. ca. Naſci. Et 6. q. 1. Si omnia. Hebr. c. 1.

5. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus: & miniſtros tuos ignem urentem.*

IN hac tertia parte commendat Divinam Sapientiam & Providentiam circa creationem, & diſpoſitionem elementorum, & mixtorum: in qua facit ſex. Nam primò, commendat Divinam Sapientiam & Providentiam circa creationem, & diſpoſitionem

nem aëris. Secundò, circa diſpoſitionem terræ, & aquarum, ſcilicet, fluviorum, & marium. Tertiò, circa diſpoſitionem pluviarum ad utilitatem plantarum. Quartò, circa diſpoſitionem temporum, & diſtinctionem eorum. Quintò, circa diſpoſitionem maris ad utilitates piſcium, & cæterorum aquatilium, & navigantium. Sextò, commendat Divinam Providentiam & largitatem circa collationem fructuum, & aliorum bonorum, ad victum & conſervationem animantium. Secunda ibi: *Qui fundaſti terram.* Tertia ibi: *Rigans montes.* Quarta ibi: *Fecit Lunam in tempore.* Quinta ibi: *Hoc mare magnum.* Sexta ibi: *Omnia à te expectant.*

Nota de Dei providentia circa creationem.

Quantum ergo ad primum dicit: *O Domine Deus*, tu *magnificatus es vehementer* in diſpoſitione elementorum, qui in primis *ponis nubem aſcenſum tuum*, id eſt, creaſti aërem nubiloſum ſupra terram, & aquam tanquam *aſcenſum tuum*, *qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Et loquitur modo poëtico: quia putant vulgares, quòd Deus ambulet ſuper aërem & ventos tempore tempeſtatis: ſed quia hoc non facit immediatè per ſe, ſed miniſterio Angelorum, ideò ſubdit: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Unde nota ſecundùm *Auguſtinum*, & *Iſidorum*, libro *de Summo bono*: quòd *ſpiritus*, ſive Intelligentia immaterialis, *eſt nomen naturæ*: ſed *Angelus eſt nomen officii*, *quia Angelus idem eſt quod nuntius*, *ſive miniſter Dei.*

Sed quia ex tertia Hierarchia illorum cœleſtium ſpirituum Deus conſtituit, & mittit frequenter nuntios, & miniſtros quoſdam ad regenda iſta elementa contra aëreas poteſtates, & contra Angelos malos, ne concitent aërem & aquam, inferendo tempeſtatem ad lædendum homines: ideò Angeli boni prohibent Angelos malos, ne nobis noceant: quia aliter inducerent tempeſtatem ſuper mare ad deſtruendas claſſes navigantium, & inducerent fulmina, & grandines, & alias plagas ad deſtruendas Civitates, ſicut factum fuit in Ægypto, ut dictum eſt *Pſalmo* 77. Et ideò Deus *ſpiritus* incorporeos *fecit Angelos* & nuntios ſuos, ad cuſtodiendos homines ab hujuſmodi periculis: & *ignem urentem*, id eſt, illam naturam Angelicam igneam, & urentem, & charitate ardentem, fecit *miniſtros*, ut miniſtrarent ipſi, & implerent ejus voluntatem, non ſolùm in Cœlo, ſed etiam in his inferioribus. Quaſi dicat: quòd ex illa natura ſpirituali & ardenti fecit *nuntios & miniſtros* ad regendum aërem, & elementa, & ad cuſtodiendos homines, & omnia iſta inferiora. Deinde cùm dicit:

* * * * * * * *

E 6. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi.*

Geneſ. 1: *Et de Majo. & Obe. c. Solitæ, §. Preterea.*

7. *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus: ſuper montes ſtabunt aquæ.*

8. *Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.*

F COMMENDAT Divinam Sapientiam & Providentiam circa creationem, & diſpoſitionem terræ, & aquarum: primò, comparando terram & aquam ad totum univerſum. Secundò, comparando partes terræ & aquarum inter ſe.

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd centrum mundi æqualiter diſtat à circumferentia totius univerſi: & ideò cum omnia gravia fugiant à circumferentia Cœlorum propter diſconvenientiam qualitatum, tendunt ad centrum mundi. Et ſic *terra* cum ſit gravior cæteris elementis, collocatur in centro mundi, ut patet 4. *Cœli.* Et ſic terra ſi moveretur à centro, jam aſcenderet verſus Cœlum; quod eſſet contra naturam ſui, & totius univerſi: ſed quia aqua eſt minus gravis G quam terra, ſed gravior aëre; ideò Deus collocavit eam ſuper faciem terræ, & infra aërem: & hoc eſt quod dicit hîc Propheta. Unde ait: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*, id eſt, ſuper centrum mundi, quod eſt immobile & ſtabile, in quo terra habet ſtabilitatem ſuam propter ejus gravitatem. Et ideò *non inclinabitur in ſæculum ſæculi* à ſuo centro, & ſtabili loco: quia ſi inde inclinaretur, jam aſcenderet in Cœlum; quod eſſet contra naturam ſui, & totius univerſi.

Sed quia *aqua* eſt minus gravis quam terra; ideò *abyſſus*, id eſt, Occeanus, & quodlibet mare, collocatur ſuper terram immediatè *ſicut veſtimentum amictus*, & H tegiminis *ejus.* Nam ſicut veſtimentum tegit hominem quoad quaſdam partes ſuas; ita pariter *aqua* Occeani, & aliorum marium, veſtit & cooperit terram quoad quaſdam partes.

Deinde cùm ſubdit: *Super montes ſtabunt aquæ &c.* Hoc poteſt tripliciter intelligi: uno modo, quòd in Occeano ſunt multi montes cooperti aquis: alio modo poteſt legi interrogativè, ut ſit ſenſus: O Domine *aquæ ſtabunt ſuper montes* licèt ſint leviores? Quaſi dicat, non: quia oportet ut montes, & aliquæ partes terræ maneant

Super montes ſtare aquas quo modo intelligitur.

neant discoopertæ ad habitationem hominum. Et ideò licèt naturaliter tota aqua deberet circumdare & tegere totam terram ; tamen tu *divisisti aquas ab aquis, & apparuit arida*: unde ipsæ *aquæ*, quæ deberent cooperire montes, *fugient ab increpatione* & jussione tua, & *formidabunt à voce tonitrui*, id est, potestatis *tuæ:* & sic fugientes à montibus, congregabuntur in mari, quod est in inferioribus partibus terræ. Tertio modo, ly *super montes stabunt aquæ* potest referri ad aquas pluviales, & nubes aquosas exeuntes, & incubantes super montes, quæ mittunt pluvias cum tonitruis & fulminibus ad *increpationem* & terrorem hominum : ut sit sensus: O Domine, ex ordinatione tua *aquæ* & nubes aquosæ *stabunt super montes*, mittentes pluvias & fulmina super terram, & *super montes*, ubi, & *super* quos frequenter cadunt fulmina, quæ tu ordinasti ad increpationem, & *ab increpatione tua formidabunt* & timebunt *à voce tonitrui tui.* Hoc autem dicit Propheta : nam homines pravi, conscii suorum scelerum communiter timent fulmina & tempestates, ne comprehendantur in sceleribus suis, ut ait Juvenalis. Deinde cùm dicit:

Genes. 1. 9. *Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum quem tu fundasti eis.*

10. *Terminum posuisti, quem non transgredientur: neque convertentur operire terram.*

EXPLICAT dispositionem terræ quoad partes suas, propter cursus & loca aquarum : in qua maximè manifestatur immensa Sapientia & Providentia summi Creatoris, de qua dicitur *Genes.* 1. quòd Deus præcepit tertia die, ut *aquæ congregarentur in locum unum* : & sic *terra apparuit arida* inter mària, & *appellavit aridam, Terram; & congregationes aquarum appellavit Mària.* De qua dispositione terræ sunt multi & varii modi loquendi. Nam quidam præsupponunt, quòd omnia mària se contingunt, & quod Oceanus est multò major totâ terrâ, & circuit eam undique ; & terra est in aqua sicut pila lèvis, sive sicut unum pomum in pelui plena aquâ, cujus sola summitas apparet super aquam : & dicunt, quòd hoc fecit Deus in principio. Nam cum tota terra esset tecta aquis, Deus divisit partes aquarum, & mansit in illa pars discooperta & sicca ad habitationem hominum : sed quia aquæ partes non possent in se contineri, quin fluerent super faciem terræ, nisi terra esset elevata, & inclinata à centro versùs unam partem Cœli : ideò dicunt isti, quòd centrum terræ non est centrum mundi ; immò inclinatur à centro per attractionem quarumdam stellarum ad unam partem mundi.

Nota.

Sed ista positio est manifestè irrationabilis : primò, quia esset contra totam Philosophiam, ut dictum est, & contra Sacram Scripturam allegatam : quia Deus fundavit eam *super stabilitatem* & centrum mundi, à quo *non inclinabitur in sæculum sæculi.* Secundò est irrationabilis : nam si terra attraheretur à centro per aliquam partem stellarum, tunc sequeretur, quòd terra continuè moveretur in gyrum, ad modum illarum stellarum attrahentium, quod est falsum.

Et ideò dicunt quidam Philosophi, quòd centrum terræ est cum centro mundi : sed Deus elevavit & tumefecit unam partem ejus in principio ; & ista pars quæ apparet arida, est quidam gibbus elevatus super aquas ad nostram habitationem, dividens partes aquarum : & sic salvant, terram manere semper in centro mundi.

Sed ista positio est insufficiens : nam semper præsupponit, quòd Occeanus sit multò major totâ terrâ ; quod est falsum, ut patebit. Item sequeretur, quòd ille gibbus terræ esset major pars terræ, & per consequens terra non esset rotunda, sed pyramidalis : unde sequerentur multa inconvenientia contra positionem omnium Philosophorum, & Astrologorum. Et ideò est dicendum, quòd positio & descriptio *Ptolomæi* de dispositione terræ & aquarum, est magis rationabilis, & magis conformis Sacræ Scripturæ, & verior, ut apparet ad sensum, & per experientiam multorum est probatum, qui peragrarunt & navigarunt diversas partes mundi.

Dispositio terræ in hoc consistit.

Ad cujus evidentiam est advertendum, quòd tota dispositio terræ consistit principaliter in montibus, & vallibus, & campis declivibus. Nam de necessitate inter montes causantur valles, & si montes sunt inter se valde distantes, tunc inter eos in talibus vallibus causantur campi plani : sed nunquam possunt esse tàm plani, quin aliquantulum sint declives versus medium illius vallis. Et hinc est quòd aquæ fontales emanantes ex lateribus, aut radicibus montium, semper decurrunt per campos declives usque ad medium, & partes depressiores & inferiores illius vallis. Et sic ex multis fontibus decurrentibus à montibus, fluunt flumina in vallibus. Et quia omnes valles ut plurimum sunt declives, & declinant usque ad aliquam vallem infimam non habentem exitum ; ideò semper flumina decurrunt per valles & campos declives usque ad infimam vallem, & ibi congregantur multa flumina, ex quorum congregatione causantur mària, ut manifestè pa-

patet in noſtro mari *Mediterraneo*, & in mari *Euxino*, & in mari *Caſpio*. Nam noſtrum mare *Tyrrhenum* & *Mediterraneum*, A nihil aliud eſt, niſi quædam vaſta vallis infima, quæ cauſatur inter montem Athlantem ex parte Africæ, & montes Hiſpaniæ, & Galliæ, & Italiæ, & Græciæ ex parte Europæ: ad quam vallem decurrunt omnia flumina decurrentia à latere Aquilonari montis Athlantis, & à latere Meridionali montium Hiſpaniæ, & Galliæ, & Italiæ, & Græciæ, & Aſiæ Minoris. Et ſic omnes congregationes aquarum iſtorum fluminum efficiunt mare *Tyrrhenum* in hac valle, quod quidem mare dividit Europam ab Africa. Item, mare *Ponticum*, ſive *Euxinum*, nihil aliud eſt, niſi quædam vallis cauſata, & clauſa ab Aquilone per mon- B tem *Riphæum*, & partem *Caucaſi*, & ab Oriente per montes *Armeniæ*, & à Meridie per montes *Galatiæ*, & Cappadociæ; & ab Occaſu per montes *Daciæ*: ad quam vallem decurrit *Tanais* cum pluribus aliis fluminibus ex parte Aquilonis, & *Boryſthenes*, & *Hypanis*, & *Danubius* ex parte Occidentis, & *Phaſis* cum pluribus aliis ab *Armenia*, & multa alia flumina recipit ab *Aſia minori*: quæ aquæ ſimul congregatæ efficiunt mare *Ponticum*, quod per anguſtum fretum *Propontidis*, & *Helleſponti* continuatur cum noſtro mari *Tyrrheno*: & poſteà mare *Tyrrhenum* continuatur, & conjungitur cum Oceano per anguſtum fretum *Gaditanum*.

Sed ſi flumina congregantur in aliqua valle montibus undique clauſa, tunc efficiunt mare ſeparatum per ſe ab Oceano, C & cæteris maribus: & iſto modo efficitur mare *Caſpium* ex congregatione multorum, & vaſtorum fluminum: ſcilicet, *Rha*, & *Gerri*, & *Daverix*, & *Oxi*, & *Cambiſis*, & *Cyri*, & *Araxis*, quæ decurrunt in illam vallem clauſam ab Ortu montibus *Imai*, & ab Aquilone montibus *Hyperboreis* ex parte *Caucaſi*, & ab Occaſu montibus Armeniæ, & à Meridie montibus *Tauri*, & montibus *Medorum*: & ſic ex congregatione ſupradictorum, & multorum aliorum fluminum & aquarum, efficitur mare *Caſpium* in illa valle, in nulla ſui parte contingens Oceanum, nec aliud mare. Et ſic eſt dicendum de mari *Indico*, ut patebit. Ex quibus patet, quòd congre- D gationes aquarum ad flumina & mària, cauſantur ex diſpoſitione terræ, quæ conſiſtit in montibus, & vallibus, & campis declivibus. Nam montes & campi efficiunt terram habitabilem, & congregationes fontium efficiunt flumina, & paludes, & congregationes fluminum in vallibus infimis efficiunt mare.

Quinque famoſi montes. Ad cujus majorem evidentiam eſt iterum advertendum, quòd quinque ſunt famoſiſſimi montes, qui efficiunt & claudunt totam terram habitabilem nobis notam cum ſuis maribus: quorum duo claudunt eam ab *Aquilone* & *Meridie*: & cæteri tres E efficiunt terram mediam habitabilem, & terminant & claudunt maria inter eorum latera. Unde ultra *Æquinoctialem* per quindecim gradus reperitur quidam mons, qui jam longo tractu venit ab Occidente terminans Oceanum & ſinum *Heſperium*, & exinde procedit verſus Ortum, terminando totam *Africam* nobis notam à Meridie, & exinde procedit verſus *Apreſo*, uſque ad *Catigaram*, regionem *Sinarum*, ſemper terminando mare *Indicum* à Meridie. Iſte mons à principio ſuæ notitiæ in littore Oceani occidentalis & ſinus *Sperii*, appellatur *Sperivera* ab ipſis Græcis. Deinde magis procedens verſus Or- F tum, appellatur *Jon*: deinde nominatur *Dauchis*: deinde *Xiphas*: deinde *Meſcha*: deinde *Bardetus*: deinde dicitur *Agiſſimba*: deinde protractus uſque ad ſexageſimum gradum longitudinis, appellatur *Luna*. A cujus latere Aquilonari oriuntur *fontes Nili* decurrentes ad plana, ubi efficiunt duas vaſtiſſimas paludes, à quibus egreditur *Nilus* veniens verſus Aquilonem per Æthiopiam uſque in Ægyptum: in cujus littore abſorbetur à mari noſtro.

Sed iſte *mons Lunæ* protenditur ultrà verſus Ortum uſque ad centum octoginta gradus longitudinis, & tunc appellatur *Praſſus*, ubi attingit ad mare *Indicum*, faciens in eo promontorium in principio maris *Indici*, & ſinu *Barbarico*. Et tunc protenditur ultrà verſus Ortum per centum & decem gradus uſque ad *Catigaram* ſta- G tionem *Sinarum*, terminando mare *Indicum* ab Auſtro, & procedit ultra per terram ignotam, cujus finis ignoratur. Et ſic iſte mons cingit, & terminat totam *Africam* & *Aſiam* ab Auſtro: & ſic ignoratur ejus principium & finis: & eſt ita altiſſimus, quòd in radicibus ejus generatur ignis ex refractione radiorum Solarium, maximè in noſtra hieme; quia tunc radii cadunt illuc perpendiculariter: ſed in medio montis ſunt perpetuæ nives, quæ liquefactæ in Æquinoctiis implent paludes: ex quarum aquarum abundantia inundat *Nilus* in Æquinoctio. In ſummitate autem illius montis nec ſunt pluviæ, nec venti: ideò putant aliqui ibi eſſe Paradiſum deli- H ciarum propter ejus temperiem: iſte mons à *Praſo* uſque ad *Catigaram*, appellatur *Peon* ab ipſis Græcis: eò quòd in ejus radicibus generatur ignis, & in medio ſemper apparent fulmina, & fulgura, & coruſcationes.

Item, ad Aquilonem in trigeſimo gradu longitudinis & ſexageſimo ſexto latitudinis, incipit quoddam promontorium quaſi ſupra *Scociam*, quod *Tyle Ptolomæus*, & omnes antiqui appellant: quod *Ptolomæus* putavit eſſe Inſulam: ſed in veritate compertum eſt poſteà ex experientia, illum

montem protrahi verſus Ortum uſque ad montem *Riphæum*, quæ Provincia hodie *Noruegia* appellatur: ultra quem montem verſus Aquilonem adjacet magna regio, A quæ *Suecia* dicitur, cujus finis verſus polum ignoratur. Quæ quidem regio dicta *Noruegia* jam eſt nota navigantibus Latinis, cujus magna pars eſt ſub dominio Regis *Daciæ*. Inter quam & *Germaniam* cauſatur *ſinus Sarmaticus*, qui per anguſtum fretum inter promontorium *Cymbricum*, & *Noruegiam* continuatur cum Oceano occidentali. Deinde iſti montes *Noruegiæ* protenduntur uſque ad montes *Riphæos*, unde oritur *Tanais*, & exinde protenditur uſque ad montes *Hyperboreos*, & exinde protenditur uſque ad *Imaum* tranſverſalem, & exinde cingit totam *Scythiam Sericam* ex parte Aquilonari: & ſic pro- B tenditur verſus Ortum per terram ignotam, cujus finis ignoratur. Et ſic patet, quòd iſte mons cingit & terminat totam Europam & Aſiam ſitam ab Aquilone. Sola ergo illa terra eſt nota Philoſophis & Geographis Græcis & Latinis, quæ jacet inter iſtum montem & montes Æthiopiæ, quæ menſuratur una quarta terræ habitabilis.

Sed inter iſtos duos montes longiſſimos reperiuntur tres minores in longitudine, qui efficiunt totam terram mediam diviſam in tres partes, ſcilicet, Aſiam, & Europam, & Africam; nam unuſquiſque iſtorum trium montium facit ſuam partem cum aliquo extremorum: unde primò ab C Occaſu in tertio gradu longitudinis & quadrageſimo tertio latitudinis, elevatur quoddam promontorium in Hiſpania appellatum *Celticum* in regione *Galliciæ*, quod ab incolis *Finis terræ* dicitur, prope quod ſita eſt Eccleſia Sancti Jacobi. Iſte autem mons protenditur verſus Ortum, terminans Oceanum ab Aquilone uſque ad montes *Pyreneos*: & exinde dictus *Pyreneus* ſeparans Hiſpaniam à Gallia, protenditur obliquè verſus Ortum: qui quidem mons facit multos ramos per Hiſpaniam, à quibus oriuntur plura flumina. Item, iſte *Pyreneus* protenditur per *Galliam Narbonenſem* uſque *Lugdunum*: & exinde uſque ad montem *Adulam*, qui tranſverſaliter dividit Gallias ab Italia. Iſte autem mons *Adulas* facit tres ramos, qui commu- D niter *Alpes* dicuntur. Quorum primus dictus eſt *Apenninus*, qui protenditur ad Ortum, terminans mare *Tyrrhenum* à Meridie, & *Sinum Adriaticum* ab Aquilone, & terminatur iſte mons apud *Rhegium* & *Pharum Siciliæ*. Itaque ſolus iſte mons facit totam Italiam, habens à latere Meridionali littora *Januæ*, *& Tuſciam*, *& Laviniam*, *& Campaniam*, *& Lucaniam*: & à latere Aquilonari habens *Lombardiam*, *& Famineam*, ſive *Romandiolam*, *& Picenum*, quæ *Marcha* dicitur, & *Brutium*, *& Apuliam*, *& Calabriam*, quæ quondam *Magna Græcia* vocabatur. E Ex quo patet, quòd tota *Italia* nihil aliud eſt niſi iſte mons *Apenninus* elevatus inter *mare Tyrrhenum*, & *Sinum Adriaticum*.

Poſteà iſte mons *Adulas* mittit alium ramum verſum Ortum, qui dicitur *Rhetius*, relinquens à Meridie *Lombardiam*, & *Venetias*, & *Dalmatiam*: & ab Aquilone relinquens *Rhetiam*, & *Vindelicam*, & *Noricum*, & *Pannonias*: & ſic protenſus ultrà facit totam *Græciam* inter *Sinum Adriaticum* & mare *Ægæum*.

Rurſus iſte mons *Adulas* facit alium ramum, qui dictus *mons Sarma*, protenditur verſus *Vulturnum* quaſi obliquè, uſquequò attingit montem *Riphæum*; cui adja- F cens tota regio, dicitur *Sarmatia* Europæ. Rurſus iſte mons *Adulas* protenditur recto tramite, faciens quartum ramum verſus Aquilonem uſque ad promontorium *Cymbricum*, & ſic facit totam *Germaniam*. Ex quibus ſequitur, quòd iſte mons *Adulas* per quinque ramos facit totam Europam: nam per ramum quem mitit verſus Occaſum facit *Gallias*, & *Hiſpanias*: & per alios ſupradictos quatuor ramos facit *Italiam*, & *Græciam*, & *Sarmatiam*, & *Germanias*, in quibus comprehenditur tota Europa cum montibus *Noruegiæ*.

Item, in ſecundo gradu longitudinis, & vigeſimoquinto quaſi latitudinis incipit aliud promontorium ſuper Oceanum, qui G dicitur *magnus Athlas*: & iſte mons protenditur verſus Ortum quaſi ſub Tropico *Cancri* uſque ad *mare Rubrum*, ſive *Sinum Arabicum*, relinquens à Meridie totam *Æthiopiam*, & *Lybiam*; & ab Aquilone *Tingitaniam*, & *Cæſaream*, & omnia littora Africana uſque in Ægyptum. Iſte ergo mons *Athlas* ſimul cum montibus *Æthiopiæ* facit totam *Africam*. Nam quidquid eſt inter hos montes pertinet ad *Æthiopiam*: ſed omnia latera Aquilonaria hujus montis *Athlantis* dicuntur littora Africana.

Item, ultra *Helleſpontum*, ſive à mari *Ægæo* in quinquageſimo octavo gradu longitudinis, & trigenteſimo ſeptimo latitudinis, incipit alius mons in *Icaria*, qui H protenditur recto tramite verſus Ortum per totam *Aſiam* uſque ad regionem *Sinarum*, ultimò nobis notam, qui eſt ita longiſſimus, quòd ſecundùm diverſas ſui partes ſortitur diverſa nomina. Nam in principio ſui apud Icariam dicitur *Phœnix*. Poſtea dicitur *Cadmus*, faciens à Meridie *Lyciam*, & *Pamphiliam*: & ab Aquilone Bithyniam, & *Capadociam*. Poſtea magis elevatus dicitur *Taurus*, mittens *Antitaurum* ad *Vulturnum*, & *Armeniam*. Poſtea *Taurus* protenſus ad Ortum uſque ad *Medos*, dicitur *Coronus*, ſive *Medus*, faciens totam regionem *Medorum*, in qua

eſt

eſt maxima civitas *Tauris* , & *Cordiam.* Deinde protenſus , & relinquens à Meridie *Syriam* , *Meſopotaniam* , *Perſiam* , & A *Parthiam* , & *Ariam :* & ab Aquilone *Hyrcaniam* , & *Bactriam* , regiones *Sacarum* & *Maſſagetas.* Poſtea protenſus ultrà verſus Ortum, dicitur *Imaus* longitudinalis , habens à Meridie Indiam intra *Gangem* : & ab Aquilone *Maſſagetas,* mittens verſus Aquilonem unum ramum dictum *Imaum* tranſverſalem tendentem ad Aquilonem : finis cujus ignoratur. Sed iſte *Imaus* longitudinalis protenditur rurſus verſus ortum , & dicitur *Serus* : Poſtea dicitur *Otochoras* , habens à Meridie *Indiam* ultra *Gangem* , & regionem *Sinarum*, ultimò nobis notam : ab Aquilone autem habens *Scythiam* ultrà *Imaum* & *Sericam* regionem *:* quæ quidem Regio ſemper fuit Græcis & Latinis ignota propter incolarum immanitatem : de quibus dicitur : *Ignoti facie , ſed noti vellere* B *Seres.* Sed anno Domini 1200. egreſſi ſunt *Tartari* ab illa regione , qui vaſtarunt, & ſubjecerunt omnes *Indias* , & *Parthiam* , & *Mediam* , & *Perſiam* , & totam *Scythiam* , circa *Imaum* , & *Sarmatiam ;* & gentes illius regionis factæ ſunt nobis notæ propter peccata noſtra. Unde quaſi tota iſta regio *Serum* dicitur hodie Regnum *Catai* , cujus Dominus & Rex dicitur *magnus Cham* , qui etiam dominatur omnibus *Indis* , & *Maſſagetis.*

Iſte autem mons *Serus* , & *Otochoras* tenditur ſemper verſus ortum ultra per terram ignotam , cujus finis ignoratur. Ex quo patet , quod iſte prædictus mons efficit totam *Aſiam* per duo latera : à cujus latere meridionali oriuntur innumera flumina , quæ decurrunt , & recipiuntur in C mare *Indicum.*

Ex quibus omnibus ſequitur, quòd ſupradicti quinque montes principales, ſcilicet, duo extremi , & tres intermedii efficiunt totam terram nobis notam & habitabilem , propter ſuam eminentiam & elevationem ſuper valles.

Item ſequitur ſecundò, quòd maria nihil aliud ſunt , niſi valles infimæ inter altiſſimos montes , in quibus congregantur omnia flumina , & omnes aquæ , à montibus per valles , & campos declives deſcendentes & decurrentes. Unde *mare* noſtrum *Mediterraneum* nihil aliud eſt, niſi quædam vallis infima cauſata & depreſſa D inter montem *Athlantem Africæ* , & montes *Europæ.* Quod quidem mare recipit omnia flumina ab utriſque montibus decurrentia. Nam à montibus *Hiſpaniæ* recipit *Tuderum* & *Sucronem* : & in littore noſtræ florentiſsimæ Civitatis *Valentiæ* recipit *Turium* : & juxta *Dertuſium* recipit famoſiſſimum *Iberum* , & juxta *Barchinonam* recipit *Lubricatum* , & multa alia flumina à *Pyreneis* montibus deſcendentia ; & à montibus *Galliæ* recipit *Rhodanum* cum pleriſque aliis. Et à montibus *Ita-* E *liæ* recipit *Arnum*, & *Tiberim*, & *Aranum*, & *Vulturnum* , & multa alia : & in ſinu *Adriatico* recipit *Padum* haud procul ab urbe famoſiſſima *Venetiarum* : & ſic recipit multa flumina à montibus *Macedoniæ* in mare *Egæum :* & à montibus *Lyciæ* & *Pamphiliæ* & *Ciliciæ* in mare *Rhodenſe.* A montibus autem *Æthiopiæ* , & *Africæ* , famoſiſſimum *Nilum* , & *Bagradam*, & *Mulacam.* Sed quia hoc mare noſtrum *Mediterraneum* continuatur cum mari *Euxino* per anguſtum *Helleſpontum* , & *Boſphorum Bizantinum* : Ideo recipit in Ponto magnum *Danubium* , *& Boriſtenem* , & *Tanaim* , & *Phaſim* cum innumeris aliis fluminibus *:* ex quorum congregatione efficitur illud mare.

Item , inter montes *Armeniæ* , & *Caucaſum* & *Coronum* , & *Oxum* cauſa- F tur una vallis infima , non habens exitum, ubi congregantur innumera & vaſtiſſima flumina , quæ efficiunt mare *Caſpium.* Nam illud mare recipit magnum *Araxem* à montibus *Armeniæ.* Et magnum *Rha* à montibus *Hiperboreis:* & *Damxim*, & *Gerrum* à montibus , & *Jaxartem* , & *Oxum* ab *Imao* , & *Cyrum* & *Cambyſſem* à montibus Medorum cum innumeris aliis. Hoc autem mare eſt terminatum , & clauſum undique montibus , per nullam ſui partem attingens Oceanum , nec aliud mare.

Item , inter montes *Indorum* , & montem *Peonem Meridianum* cauſatur alia vaſtiſſima vallis , in qua recipiuntur omnia flumina , ab utriſque montibus deſcendentia *:* ex qua congregatione efficitur G mare *Indicum* , undique montibus clauſum, per nullam ſui partem attingens Oceanum , nec aliud mare. Hoc mare recipit à montibus *Africæ* multa flumina nobis ignota *:* ſed à montibus *Aſiæ* recipit *Senum*, & maximum *Danam*, & *Gangem*, & *Indum* cum infinitis aliis. A montibus autem *Medorum* recipit *Arium* , & in ſinu *Perſico* recipit *Euphratem* cum *Tygri*, & cæteris.

Ex quibus omnibus patet, quòd maria nihil aliud ſunt , niſi congregationes aquarum in vallibus infimis inter montes. Item ſequitur , quòd non omnia maria attingunt Oceanum , nec continuantur cum eo. Item ſequitur , quòd Oceanus non circuit totam terram , ut vulgares putant, H immò clauditur undique montibus. Nam littora ejus Orientalia , & etiam Meridionalia ſunt nobis nota , licèt Occidentalia & Aquilonaria ſint ignota. Sed multæ & vaſtæ inſulæ repertæ ſunt à nautis verſus occaſum. Nam etiam multum diſtant littora Occidentalia ejus , ſecundùm *Ariſtotelem* , *in fine ſecundi de Cælo.*

Ex ſupradictis etiam patet , quòd tria faciunt montes. Nam primò , reddunt terram habitabitabilem. Secundò , ab eis

oriuntur aquæ propter eorum concavitatem & spongiositatem: quæ quidem aquæ decurrunt inter valles, & per montes declives. A Tertiò, montes terminant maria, ne egrediantur ad operiendam terram; in qua dispositione terræ maximè demonstratur Dei omnipotentia, & sapientia, & providentia: quia omnia ista sunt necessaria ad vitam hominum, & plantarum, & omnium animalium; aliter enim non possent vivere.

Ex supradictis patet, quòd non oportet quòd centrum terræ ponatur extra centrum mundi: immò centrum est æqualiter distans ab orbibus, & terra secundùm se tota manet rotunda, & quoad omnes partes sui habet montes elevatos, qui terminant Oceanum, & etiam alia maria: quia montes continent Oceanum inter se, & alia maria, tanquam in vase; sicut dictum est *Psalm.* 32. *Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris* B *abyssos*, id est, ponit maria tanquam thesauros in arca & vase. Hoc idem probatur *Proverb.* 8. ubi ait Sapientia Divina: *Quando præparabat Cœlos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum.*

Sed contra supradicta occurrunt duo dubia. Dictum est enim primò, quòd flumina nihil sunt nisi congregationes aquarum ex fontibus manantes, & ex radicibus, aut ex lateribus montium, & quandoque ex campis &c. Dictum est etiam, quòd ista flumina decurrunt ad valles & partes infimas terræ, ex quorum congregatione fiunt maria. Ideo propter primum dubitatur: unde potest oriri aut generari tanta copia & multitudo aquarum, quanta videmus in maximis fluminibus congre- C gari? Propter secundum etiam dubitatur: quare maria non augentur, & operiunt terram & campos propinquos, cùm continuè recipiant tam maxima flumina & tantam copiam aquarum? Quia *omne quantum additum quanto, reddit ipsum majus.*

Dubitatur.

Hæc duo dubia putat solvere *Arist.* 2. *Metheorum.* Unde dicit ad primum, quòd in concavitatibus terræ, maximè ipsorum montium, elevantur vapores humidi, & convertuntur, sive congelantur in aquam, & sic emanant fontes ex lateribus & verticibus montium; & etiam ex aëre incluso in cavernis & visceribus terræ continue generantur aquæ: & sic emanant fon- D tes in radicibus montium propter eorum concavitatem, & in campis: ex qua congregatione fiunt flumina in mare decurrentia.

Responsio ad primum.

Ad secundum dubium dicit, quòd propter calorem intensum radiorum solarium continuè fiunt resolutiones in mari, ex quibus resolutionibus aqua ut plurimum convertitur in aerem, & resolvitur.

Ad secundum.

Sed in veritate si pleniùs volumus considerare, licèt istæ rationes partim contineant aliqualem veritatem; tamen non E sufficiunt, nec evacuant supradicta dubia. Nam manifestum est, quòd ex decem pugillis aëris vix generatur unus pugillus aquæ. Et sic aër inclusus in terra, vel vapores elevati in concavitatibus montium, benè sufficerent, & sufficiunt ad generandum aliquos fonticulos emanantes in verticibus montium: sed nullo modo possent sufficere ad generandum tantam copiam aquarum continuè: sicut videmus, quòd *Araxes* in principio jam manat maximus, & copiosus exit à monte *Armeniæ*: & sic oportet, quòd in decuplo intraret copia aëris ad concavitatem illorum montium ad generandum tantam copiam aquarum: quod est falsum, & inexpertum: quia oportet, quòd per aliud latus illius montis intraret decupla portio aëris cum maximo F impetu, ex qua continuè generaretur illa copia aquarum.

Item, secunda solutio est insufficiens. Nam talis solutio aquæ maris per radios solares non fit continuè, nisi in die, & non omni tempore: sed in æstate, & in fervore diei; & non æqualiter in omni parte mundi, sed juxta *Tropicos*. Et sic in hieme, in nocte, & in partibus Aquilonaribus parvæ fiunt resolutiones propter elongationem & debilitatem radiorum solarium. Sed continuè, & omni tempore intrant vastissima flumina & innumera, maximè in mare *Caspium*: quod vix habet duo millia milliarum in longitudine, & mille in latitudine. De quo dicunt Philosophi, quòd si per aliquam potentiam totaliter posset evacuari, repleretur in decem diebus. Quia duodecim vastissima flu- G mina majora Danubio intrant in ipsum cum centum viginti aliis. Et tamen istud mare numquam augetur, sicut nec cætera maria.

Et ideo est dicendum, conformando cum Sacra Scriptura, quòd sic ille sapientissimus Architector Omnipotens Deus in principio creationis disposuit faciem terræ, *elevando montes*, & *declinando campos*, & deprimendo valles infimas, in quibus congregantur omnes aquæ à montibus per campos decurrentes, ut dictum est. Ita poriter taliter dispositi interiores & viscerales partes terræ, quòd in ea fecit venas, & meatus subterraneos penetrantes H totam terram, per quas venas continuè serpunt aquæ, ut manifestè videmus. Nam in profundo cujuslibet maris fiunt multæ submersiones aquarum, & per venas supradictas serpunt penetrantes partes terræ, & dulcorantur ex frigiditate; & per æquilibrium emergunt, & ebulliunt ex radicibus & lateribus montium oppositorum, & fiunt flumina fluentia, & decurrentia per faciem terræ usque ad maria.

Nota de cursu aquæ.

Ex quibus sequitur primò, quòd aqua, quæ

quæ decurrit ſupra faciem terræ, primò ſerpit & intercurrit per venas, & conductus, & meatus in viſceribus terræ, ſicut ſanguis continuè movetur per venas animalis: quia homo dicitur *Microcoſmus*, id eſt, *mundus parvus* factus ad inſtar mundi magni. Et hoc videmus manifeſtè: Nam in quacumque parte fodimus terram, ſemper reperimus venas aquarum tranſeuntium per viſcera terræ, & non ſolùm per viſcera terræ, ſed etiam per viſcera rupium reperiuntur aquæ tranſeuntes, & penetrantes rupes per venas: in quibus rupibus fiunt putei, ut ego oculis pluries vidi in diverſis partibus. Unde ſicut in homine reperiuntur venæ magnæ, per quas diſcurrit copia ſanguinis, & reperiuntur *miſeraicæ* per quas diſcurrit modicus ſanguis: ita pariter in viſceribus terræ: & in hoc manifeſtatur ſumma Sapientia Creatoris.

Secundò ſequitur, quòd aquæ continuè moventur circulariter, quarum medius circulus fit ſuper faciem terræ: & alius medius inter viſcera terræ: Nam eadem aqua, quæ ſubmergitur in maris profunditate, & ſerpit per venas & meatus viſcerales terræ, & emergit ex montibus & campis, poſtea decurrit inter convalles, & per campos declives uſque ad mare: & ſic ſemper aqua movetur circulariter.

Tertiò ſequitur, quòd maria nunquam augentur, nec decreſcunt quoad partes formales: quia quaſi quanta aqua intrat per flumina decurrentia ſuper terram, tanta exit, & ſubmergitur in profundo, & continuè ſerpit per venas viſcerales terræ, & emergitur in fontes & flumina ex montibus & campis: & ſemper fit motus circularis. Et hoc dicit ſapiens *Salomon*, *Eccleſiaſtæ* 1. *quòd omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: & ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Ex quibus patet manifeſta ſolutio ſupradictorum dubiorum.

Eſt tamen advertendum, quòd propter hoc non tollitur, quin *Ariſtoteles* continet aliqualem veritatem. Nam in concavitatibus montium bene elevantur aliqui vapores in verticibus & lateribus montium, qui reſolvuntur in fontes: & ideo tempore magnæ ſiccitatis ſiccantur illi fontes ex defectu talium vaporum. Et etiam ex aëre incluſo in cavernis terræ generatur aqua parva, ex qua oriuntur aliqui parvi fontes: ſed talis aqua generata ex vaporibus & aëre non ſufficeret ad tantam copiam, & continuum fluxum aquarum, ut ex eis tam vaſta flumina congregarentur, & tot, & tam vaſta maria complerent & efficerent. Item, verum eſt quòd radii ſolares in fervore diei reſolvunt partem aquæ maris in aërem: ſed talis reſolutio eſt parva, & non continua reſpectu tantæ multitudinis & copiæ aquarum, quæ continuè intrant maria. Nam licèt in mari *Indico* fiat magna reſolutio, eò quòd eſt inter *Tropicos*; tamen non in *Caſpio*, cùm ſit ad Aquilonem: nec etiam in mari *Pontico*: & ſic ſemper maria augerentur, niſi magna copia exiret aliunde, ut dictum eſt. Et ideo magis eſt credendum *Salomoni*, qui eruditus à Spiritu ſancto dicit. *Eccleſiaſt.* 1. Quòd *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: Ad locum de quo exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Et hoc idem intendebat dicere David *Pſalm.* 32. cùm ait: *Congregans ſicut in utre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos:* Nam abyſſi & profunditates maris ſunt theſauri, unde exeunt aquæ per venas terræ. Et ſic in diſpoſitione terræ, & maris, & fontium, & fluminum manifeſtatur ineffabilis omnipotentia, & ſapientia, & providentia Creatoris: de qua ſapientia dicit *Salomon Proverb.* 7. *Quando præparabat Cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circundabat mari terminum ſuum & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos &c.* Ex quibus verbis Salomonis ſequuntur tres concluſiones.

Prima: quòd abyſſi & maria ſunt vallata in gyrum per montes & circumdata littoribus.

Secunda: quòd fontes aquarum erumpunt, & emergunt in montibus per quoddam æquilibrium, prout dictum eſt: eò quòd dicit: *librabat fontes aquarum.* Et per conſequens aquæ non ſemper generantur ex aere, nec ex vaporibus.

Tertia concluſio: quòd omne mare habet terminum, & terminos, intra quos includitur, per hoc, quod ait: *Quando circundabat mari terminum ſuum &c.* Ex quibus patet quòd mare non continet terram: immò continetur inter montes & littora terræ. Hoc eſt ergo quod intendit dicere David in hac parte, cùm ait: *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi.* Quaſi dicat: tu Deus in principio taliter diſpoſuiſti terram propter neceſſitatem animalium & plantarum, quòd tota terra conſiſtit in montibus, & campis, & vallibus. Nam tu elevaſti montes in altum, & campos creaſti in quodam deſcenſu & declivio: & ſic campi, licèt videantur plani; tamen ſemper *deſcendunt* & declinant *in locum quem fundaſti eis*, id eſt, uſque ad valles quas fundaſti in infimo loco, ut eſſent loca aquarum: quia à montibus deſcendunt aquæ per valles ac campos declives uſque ad valles infimas; ex quarum congregatione fiunt maria, ut dictum eſt. Ex quo patet, quòd ipſi montes terminant maria, ideò ſubdit: *Terminum*

num poſuiſti quem non tranſgredientur &c. Quaſi dicat : tu poſuiſti montes in terminum ipſis aquis , *quem* terminum *nunquam tranſgredientur , neque convertentur operire terram* : quia poſtquam deſcendunt aquæ ad loca infima , non poſſunt aſcendere , nec converti , nec redire ſupra montes : quia tunc contra naturam aſcenderent : ideo quieſcunt in vallibus infimis. A

Geneſ. 1.

11. *Qui emittis fontes in convallibus : intermedium montium pertranſibunt aquæ.*

30. q. 2. 1. c. Nuptis.

12. *Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua.* B

13. *Super ea volucres Cœli habitabunt : de medio petrarum dabunt voces.*

EX tali diſpoſitione , & ordine ſitus terræ ſequitur alia utilitas : nam *tu emittis fontes in convallibus* , id eſt , per valles : & ſic *inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Nam aquæ primò deſcendunt à montibus : poſtea inter montes ſunt convalles per quas tranſeunt aquæ : & ſic deſcendunt ad campos , & exinde ad maria : eò quòd ſunt infima loca terræ. Sed quia iſta non fecit Deus à caſu , imC mò ad utilitatem animalium ; quia tales fontes & flumina ſerviunt hominibus , & ad alia neceſſaria , ideo ſubdit : *Potabunt omnes beſtiæ agri* ex his aquis ; etiam *onagri* , id eſt , aſini ſilveſtres , & cæteræ beſtiæ *expectabunt* has aquas *in ſiti ſua* , id eſt , quando ſitient , venient ad iſtas aquas fontales & fluviales. Et *volucres Cœli habitabunt* , id eſt , volabunt ſuper ea , ſcilicet flumina , vel habitabunt in ripis & rupibus , quæ ſunt ſuper flumina : & *dabunt voces de medio petrarum.* Quaſi dicat : quòd cantabunt ſuper ripas fluminum, ſicut frequenter videmus : quia canunt aves , quando veniunt ad bibendum ad fontes , vel ad flumina.

Ex ſupradictis apparet profunditas ſaD pientiæ & providentiæ Dei. Nam ex tali diſpoſitione in qua Deus creavit terram, ſalvatur , & ſolvitur omnis quæſtio quæ poſſet fieri. Nam ex eo quod montes ſunt alti , de neceſſitate aquæ deſcendunt inter montes per valles , & exinde decurrunt per campos , qui de neceſſitate declinant ad infima loca terræ , quæ ſunt valles , ubi congregantur omnes aquæ; & ſic efficiuntur maria. Et ſic montes & campi ſerviunt hominibus ad habitationem, & fontes & flumina ad potum animalium, & ad purgandas ſordes rerum , & ad riE gandos campos. Maria autem ſerviunt hominibus ad navigandum , ut infra patebit. Ex quibus omnibus patet ſumma ſapientia & providentia Dei. Deinde cum dicit:

14. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis : de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*

Infra 146. b. 13. q. 1. Eccleſias. §. His itaque. Et extra de Sacra unctio , cap. unico.

15. *Producens fœnum jumentis , & herbam ſervituti hominum.*

F 16. *Ut educas panem de terra : & vinum lætificet cor hominis.*

17. *Ut exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.*

COMMENDAT divinam Providentiam & Sapientiam circa diſpoſitionem pluviarum. Nam licèt aquæ fluviales & fontales ſufficiant ad potum animalium, & rigandos aliquos campos : tamen non ſufficiunt ad rigandos montes , nec omnes partes terræ : eò quòd non attingunt cacumina montium , nec terram per omnes partes : etiam non ſufficiunt ad nutritionem G plantarum : & ſic ſunt neceſſaria flumina ad implendas ciſternas , & rigandos montes , & omnes partes terræ ; ad quos fontes & flumina attingere non poſſunt. Et ideo ſummus , & ſapiens *Artifex* Deus providit de aquis pluvialibus. Nam taliter diſpoſuit machinam mundi , ut ſol per virtutem & calorem ſuorum radiorum atraheret vapores à terra humidos uſque ad medium interſtitium aeris , ubi per *Antipariſtaſim* infrigidantur & congelantur in nubes , quæ reſolvuntur in aquam. Et ſic per ſui ponderoſitatem pluvia cadit ſuper montes & totam terram , ad nutritionem arborum , & plantarum. Et ſic germinantur fructus terræ , & creſcunt plantæ ad eſum hominum , & beſtiarum ; & implentur ciſternæ ad potum hominum. Et hoc intendit dicere David in hoc paſſu.

Unde aît : O Deus , tu es *rigans montes de ſuperioribus ſuis* , id eſt , rigas ſuperiora & ſummitates montium per aquas pluviales ex nubibus deſcendentes. Et ſic *ſatiabitur terra de fructu operum tuorum* , quem terra compluta producit. Nam ex tali pluvia *produces* in montibus *fœnum jumentis* & beſtiis , & produces *herbam ſervituti hominum.* & eſt ſenſus;

quòd

quòd tu *produces fœnum & herbam jumentis ſervituti*, id eſt, ad ſervitutem *hominum*. Et mittis iſtam pluviam, *ut educas panem de terra, & vinum, ut lætificet cor hominis*: & rigas etiam terram per pluviam, ut creſcant & nutriantur oliveta, & producant *oleum*, *ut* homo *exhilaret*, & ungat, & lætificet *faciem* ſuam *in oleo*: vel lætetur in videndo abundantiam & copiam olei; & fit tanta copia *panis*, ut *confirmet cor hominis* & fortificet. Et per talem pluviam *ſaturabuntur*, & nutrientur *ligna* & arbores *campi*, *& cedri Libani*, *quas* ſolus Deus ipſe *plantavit* abſque manibus & curâ hominum. A

Tres terræ fructus.

Eſt autem advertendum, quòd Propheta notanter memorat tres fructus terræ ſpeciales, quos nutrit pluvia cœleſtis ad conſervandam vitam hominis, ſcilicet, *panem*, *vinum*, & *oleum*: eò quòd iſti tres fructus ſunt valde neceſſarii ad communes uſus vitæ humanæ, propter tres effectus quos efficiunt in homine, prout memorat Propheta in hac parte. Nam *panis confirmat cor hominis*, id eſt, fortificat & ſuſtentat. Nam cibus panis poſt famem & inediam reſtaurat deperditum, & vivificat cor hominis, & vires hominis, quæ ex inedia deficiebant. Item, homo ex ſiti triſtatur, & deficit: Sed *potus vini* refocillat, & *lætificat cor hominis*. Hoc etiam dicit, quia manifeſtè videmus, quòd ſi vinum datur ſyncopizantibus, illicò vivificantur, & recuperant ſenſum & motum, & lætificantur: ex quo patet, quòd *vinum lætificat cor hominis*. B

Exilarare quid ſit?

Item ſubdit: *Ut exilaret faciem in oleo*. Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd *exhilarare*, idem eſt quòd ex lætitia os, & naſum, & omnes venas aperire, & ex tali intrinſecâ lætitiâ anhelitum per riſum emittere, ſicut videmus in ridentibus. Nam ſicut ex triſtitia rugatur facies, & reſtringitur os, & naſus, & venæ, & retinetur anhelitus: ita per oppoſitum ex lætitia, & ſanitate, & bona diſpoſitione, omnia ſupradicta aperiuntur, & homo exaltat anhelitum per os & naſum, & ſic oſtendit lætitiam cordis in facie per riſum, & faciem lætam: & tunc dicitur *exhilarere*, quaſi *exhalare*: & talis homo dicitur hilaris, & lætus. Sed quia hunc effectum facit in homine uſus olei: ideo dicit, *Ut exhilaret faciem oleo*: nam oleum eſt valde nutritivum propter ſuam pinguedinem, & bonum humorem, & qualitatem: ideò cauſat bonam complexionem in homine: ideo eſt valde utile ad condimentum in omni cibo, & eſt penetrativum in omni medela. Et videmus etiam manifeſtè, quòd homines utentes oleo, communiter habent faciem plenam, & pinguem, & lucidam, & bene coloratam, & facilem ad riſum & lætitiam: C D ideo dicit Propheta: *Ut exhilaret*, id eſt, lætificet *faciem in oleo*, id eſt, in uſu & eſu olei. Poteſt etiam dici, quòd in partibus Orientalibus & Meridionalibus homines ungunt oleo facies ſuas, ut appareant læti & lucidi: ut patet in *Daniele*. Deus ergo per pluviam *educit panem de terra* ad cibum, & vinum ad potum, & *oleum* ad condimentum & ſaporem cibi hominis. E

18. *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit: illic paſſeres nidificabunt.*

De conſ. d. 2. c. A capite.

19. *Herodii domus dux eſt eorum: montes excelſi cervis: petra refugium herinaciis.* F

ADVERTENDUM eſt, quòd notanter dicit Propheta, *Cedri Libani, quas plantavit*. Nam ſecundùm *Virgilium in Georgicis*, quædam ſunt partes terræ, quæ ſponte de ſe proferunt quaſdam arbores, & plantas, & fructus quos aliæ terræ non proferunt: ſicut *Arabia* profert *cynnamomum*, & *incenſum &c.* quæ non naſcuntur, niſi ſeminentur per artem & curam hominum, ſicut *frumentum* & *hordeum &c.* & quadam ſunt arbores, quæ in quibuſdam locis per ſe naſcuntur ex ſola Dei providentia abſque labore hominum, ſicut copia altiſſimarum Cedrorum naſcitur in *monte Libano*. Et has virtutes & differentias Deus contulit terræ in primordio creationis, ut ait *Auguſtinus ſuper Geneſ.* quando dixit: *Germinet terra herbam virentem &c.* quia tunc indidit, & creavit rationes ſeminales in diverſis partibus terræ, ut abſque labore hominum, ex ſola influentia & virtute activa cœli, & humore pluviæ terra germinet & producat ſponte tales plantas & arbores: ideo dicit Propheta, quòd ex illa pluvia *ſaturabuntur ligna campi, & cedri Libani*, *quas* ſolus Deus *plantavit*. G

Illic paſſeres nidificabunt. Hîc commendat divinam providentiam circa diſpoſitionem locorum animalium brutorum ad refugium: nam Deus creavit arbores altas ad habitationem avium, in quibus nidificant, & habitant ad tuendam vitam, & ad quas refugiunt, ne lædantur à venatoribus & ſagittariis. Item, creavit montes altos, ut eſſent *refugium* cervis, & capreolis, & cæteris quadrupedibus: ad quos montes refugiunt propter venatores. Item, creavit & diſpoſuit cavernas in terris & rupibus, ut eſſent refugium & latibulum cirogrillis, & leporibus, & vulpibus, & cæteris animalibus piloſis. Ideo H

ait,

ait, quòd *passeres* & omnes volucres *nidificabunt*, & facient nidos suos *illic*, id est, in cedris, & cæteris arboribus ad quietem, & tuendam vitam pullorum. A

Quid sit herodius.

Et *herodii domus dux est eorum.* Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *herodius* est avis prædalis & rapax, & nidificat & habitat in cedris, & altis arboribus: & est talis naturæ, quòd non quærit escam in locis ubi facit nidum, sed à longè per decem milliaria à nido suo: & sic non nocet avibus, quæ nidificant & habitant in arboribus propinquis: & ideo omnes passeres & aves libenter nidificant & habitant prope nidos *herodiorum*, propter securitatem; quia *herodius* non solùm non nocet eis, sed etiam tuetur & defendit eas à cæteris avibus ex rapina viventibus: qui quidem *herodius* apud nos dicitur *Grifoldus*: & ideo cæteri passeres & B aves habent nidum & latibulum herodii tanquam ducem & refugium: ideo dicit Propheta, quòd *domus*, id est, nidus & latibulum *herodii est dux* & refugium *eorum*, scilicet passerum: & *montes excelsi* sunt refugium *cervis*, & cæteris quadrupedibus: & petra cavernosa est *refugium herinaciis*, scilicet, animalibus pilosis aptis ad venationem, sicut sunt *cuniculi*, & *lepores*, etiam *ericius*, quia omnia ista eligunt latibula in cavernis terræ & petrarum ad securitatem.

20. *Fecit lunam in tempora: sol* C *cognovit occasum suum.*

21. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.*

7. q. 1. c. Si omnia, & c. sequenti.

22. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi.*

23. *Ortus est sol, & congregati* D *sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.*

24. *Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam usque ad vesperum.*

COMMENDAT hic divinam providentiam, & sapientiam circa dispositionem, & varietatem temporum, quæ fit per variationem Solis, & Lunæ: Nam sol per lationem & cursum suum supra nostrum E hemisphærium, causat diem apud nos, & per ejus absentiam causat noctem; & quando fertur super aliud hemisphærium, & causat ibi diem, & apud nos causat noctem. Et hoc fit per motum diurnum ad raptum primi mobilis. Sed per motum proprium in circulo obliquo causat in nobis quatuor tempora diversa in anno, scilicet, ver, & æstatem, & autumnum, & hiemem, secundùm accessum & recessum ad polos. Luna autem diversificat etiam tempora in quolibet mense, secundùm quòd diversimodè illuminatur à sole quoad partes suas, & quoad nostrum aspectum. Nam in conjunctione illuminatur tota medietas superior; & sic lumen ejus nullo modo videtur à nobis; & sic causat magnam alte- F rationem in mari, & in terra, & in arboribus, & animalibus, propter humiditatem ejus. Sed sicut incipit elongari à Sole, ita incipit videri à nobis aliqua particula ejus illuminata, & ita crescit usque ad primam quadram, & exinde usque ad plenitudinem cùm est in oppositione: & exinde incipit accedere ad solem; & quantum accedit, tantùm decrescit ejus lumen quoad nostrum aspectum, quia respectu sui semper illuminatur medietas ejus. Et sic Luna per accessum & recessum ad solem, causat, & diversificat quatuor tempora in terra & in mari, secun- G dùm quatuor quadras ejus. Et hoc est quòd dicit David in hac parte.

Unde ait: Deus *fecit Lunam in tempora*, id est, in diversitatem *temporum* secundùm accessum & recessum ad Solem, supple, sive ad diversificanda *tempora*. Et *Sol cognovit occasum suum*, id est, taliter disposuit motum suum, quòd dum fertur super terram, causat diem; sed postea *cognoscit occasum suum*, cadendo sub nostro horizonte. Et sic tu Deus *posuisti tenebras* per occasum Solis & absentiam; & sic *facta est nox* super nostrum hemisphærium. Sed quia talem dispositionem non fecit Deus in Astris à casu & fortuna, sed propter finem bonum ad utilitatem, & vitam hominum, & aliorum animalium: ideò H subdit: *Et facta est nox*, quia *in ipsa* nocte *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, & discurrent ad quærendum cibum. Et *catuli leonum* discurrent de nocte, *ut rapiant escam sibi*, & *quærant à Deo* providente: nam *Pater cœlestis pascit omnia animalia*, ut ait Salvator, *Matth. 7.* Sed postquam *ortus est Sol*, & lucet dies, tunc leones, & cæteræ bestiæ rapaces, *congregati sunt* fugientes diem, & *collocabuntur in cubilibus*, & latibulis *suis*: sed per oppositum *homo* tunc in die, postquam *ortus est Sol*, *exibit ad opus suum* faciendum, & *ad operationem suam* exercendam *usque ad vesperum* & occasum Solis.

Ex

Ex quibus patet, quòd non à caſu, nec in vanum diſpoſuit de tempore: ſed diſtinxit diem à nocte propter ſupradicta, & diſtinxit annum in quatuor tempora ſecundùm acceſſum & receſſum Solis ad Polos propter generationes & corruptiones rerum: nam per acceſſum Solis ad *Polum Arcticum* cauſantur generationes arborum & plantarum, & etiam animalium citra Æquinoctialem; ſed per receſſum Solis à nobis, & acceſſum ad alium *Polum*, cauſantur corruptiones citra Æquinoctialem, & generationes ultra Æquinoctialem, ſecundùm *Ariſtot. 2. de Generatione.* Unde quia omnia iſta proveniunt ex ſumma ſapientia, & providentia illius ſummi Artificis & Architectoris: ideò admirando exclamat Propheta, dicens:

Pſ. 91. 2. De Conſe. d. 2. c. Acceſſerunt.

25. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua.*

O *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine!* id eſt, quàm magnificatus es in operibus tuis! quia *omnia* opera tua *feciſti in ſapientia* magna, & providentia: quia omnia ſic ordinaſti propter aliquem bonum finem, ut unumquodque produceret fructum ſuum in tempore ſuo ſibi determinato. Et ſic *impleta eſt terra poſſeſſione tua*, id eſt, donis & beneficiis tuis, quæ proveniunt ex tua mera largitate. Deinde cùm dicit:

26. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus.*

27. *Animalia puſilla cum magnis: illic naves pertranſibunt.*

COMMENDAT divinam ſapientiam circa diſpoſitionem maris, quoad ejus magnitudinem, & extenſionem, & diverſitatem ſpatiorum, locorum, & habitationum ad utilitatem piſcium, & ad utilitatem navigantium.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd ſicut Deus diverſificavit terram per montes & valles & campos declives, ad habitationem hominum, & animalium reſpirantium, quæ vivunt in aëre, ut dictum eſt: ita pariter diverſificavit maria, & extendit per diverſa loca, ad vitam piſcium, & utilitatem navigantium: nam primò voluit, ut *hoc mare* eſſet *magnum*, & *ſpatioſum*, propter duo. Primò, ut in eo procrearetur copia piſcium, & navigantes poſſent attingere loca remota. Item voluit, ut circa littus eſſet vadoſum propter piſces parvos, & circa medium eſſet profundum, propter piſces magnos, ut ibi ſalventur, nec poſſint devorare omnes piſces parvos natantes circa littora. Et voluit diſponere receſſus, & ſinus, & portus in hoc mari, ut attingeret terram per multas partes, & naves ſalvarentur refugientes ad portus tempore tempeſtatis. Unde ait David: O Domine, tu creaſti *hoc mare magnum*, & *ſpatioſum*, & latum *manibus*, id eſt, locis, & receſſibus, & ſinibus. Et quia *magnum*, ideò *illic* procreantur *reptilia*, & natatilia, & piſces magni, & parvi, *quorum non eſt numerus*, id eſt, innumerabiles piſces, & animalia natatilia in eo creaſti, & de continuo procreantur. Et ſic procreantur ibi *animalia* natatilia *puſilla cum magnis*. Et quia *hoc mare* creaſti *ſpatioſum* & plenum magnis *manibus* & ſpatiis; ideò *illic naves pertranſibunt*, & navigabunt ab uno littore in aliud, & ab una regione in aliam.

Mare magnum, & ſpatioſum propter duo.

Unde nota, quòd hoc nomen *manus* eſt æquivocum ad tria: nam uno modo ſignificat membrum hominis: alio modo ſignificat fortitudinem & turmam exercitus, ſive ſatellitum. Tertiò, ſignificat extenſiones locorum, & brachia, & ſinus, ſive receſſus maris: nam ſicut homo extendit manus & brachia ad attingendum aliquid extrinſecùs; ita pariter Oceanus, & quodlibet mare extendit manus & brachia inter terram, qui dicuntur ſinus, & receſſus, & portus maris. Et iſto modo Oceanus primò extendit brachium inter *Noruegiam* & *Germaniam*, qui dicitur ſinus *Codanus*, ſive *Germanicus*, ſive *Sarmaticus*. Secundò, ultra Æquinoctialem extendit aliud brachium inter montes *Æthiopiæ* & terram *Guineorum*, qui dicitur ſinus *Sperius*, quem hodie navigant *Portugalenſes*, ad fodiendum aurum ex mineralibus. Tertiò, mittit aliud brachium per anguſtum *fretum Gaditanum* inter *Africam* & *Europam* uſque *Syriam*: quod dicitur mare *Tyrrhenum*: quod mare *Tyrrhenum* mittit aliud brachium verſus Aquilonem inter *Phrygiam* & *Thraciam* per anguſtum *Heleſpontum* & *Propontidem*: & ſic intrat mare *Ponticum*, ſive *Euxinum*: & exinde intrat *Meotidem paludem* per anguſtum *Boſphorum* inter promontorium *Caucaſi* & *Tauricam Cherſoneſum*, quæ dicitur *Caffa*. Ex quibus patet, quòd *hoc mare magnum*, ſcilicet Oceanus, dicitur *ſpatioſum*, & extenſum longis *manibus*, & brachiis, & ſinibus.

Item, *mare Indicum*, quod clauditur inter montes *Aſiæ* & montes Auſtrales, dicitur *magnum & ſpatioſum manibus*: quia habet duos gradus in longitudine à *Preſſo* Africæ uſque *Catigaram* regionem Si-

Sinarum: & habet quinque gradus in latitudine, & habet plures sinus, sicut est *Arabicus* & *Persicus* &c. Et ita est dicendum de *mari Caspio*, quod clauditur intra *Caucasum*, & montes *Medorum*: & inter *montes Armeniæ*, & montes *Sacarum*, sive *Messagetarum*. Et ita est dicendum de maribus nobis ignotis: nam de necessitate oportet, quòd ultra *montes Æthiopiæ*, sint alia maria, quæ recipiant aquas decurrentes ab alio latere illorum montium versus *Austrum*. Et etiam ultra montes *Sericos* versus *Aquilonem* est *mare Sericum*, recipiens aquas decurrentes à latere Aquilonari illorum montium: quod quidem mare erat ignotum Græcis & Latinis tempore *Ptolomæi*. Sed posteà *Tartari* ab illis regionibus egressi notificarunt *Persis* & *Medis* & *Latinis*, qualiter ibi ultra *Imaum* est quoddam *mare magnum*, ubi congregantur omnia flumina, à circunstantibus montibus descendentia: & sic est præsumendum, quòd ultra montes magnos *Sinarum* versus *Ortum*, sunt alia maria, in quibus congregantur omnes aquæ decurrentes à lateribus Orientalibus illorum montium.

Ex quibus patet, quòd mare non est tantum unum, nec continet terram, ut vulgares autumant; immò sunt multa maria inter montes contenta & terminata, ut ait *Ptolomæus*, prout dictum est. Nec mare est majus terrâ, ut quidam putant; immò terra est major in spatio septies, quàm omnia maria, ut legitur in 4. *lib. Esdræ*, *cap.* 6. ubi sic dicitur: *Et tertia die imperasti aquis congregari in septima parte terræ: sex verò partes siccasti, & conservasti, ut ex his sint coram te ministrantia seminata à Deo & culta:: Et in quinto die dixisti septimæ parti ubi erat aqua congregata, ut procrearet animalia, & volatilia, & pisces: & ita fiebat.*

Ex supradictis patet, quòd terra est major omnibus maribus septupliciter: & tamen mare, quod dicitur *Oceanus* est magnum & extensum per multos sinus, & brachia, ut dictum est: & eodem modo *mare Indicum*, & mare *Caspium*. Et hoc ordinavit Deus, non solùm propter copiam piscium ad esum hominum, sed etiam propter navigationem, & ut victualia quæ germinantur in una parte terræ, vehantur ad alias partes. Et sic omnia bona terræ communicentur omnibus. Deinde cum subdit:

*** *** ***
*** *** ***

E 28. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore.* *Genes. 1.*

29. *Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* *Ps. 13. b.*

OSTENDIT, quòd Deus non solùm fecit mare longum manibus, & brachiis, & sinibus propter merces vehendas; sed etiam fecit ipsum mare profundum in F medio, & vadosum ad littora, ut *ballenæ* & pisces magni vivant in profundo, & parvi salventur juxta littora vadosa, ne pisces magni possent accedere ad littora ad devorandum parvos. Unde quandoque pisces magni deluduntur à parvis: nam dum *ballena*, vel quilibet alius magnus piscis, insequitur pisces parvos ad devorandum; tunc pisciculi fugiunt ad littora: sed *ballenæ* volentes pisces parvos sequi per littora vadosa cum magno impetu, reperiuntur in modica aqua, non valentes natare super arenam, nec valentes retrocedere ad profundum: & sic nautæ & piscatores interficiunt *ballenas*, & pisces magnos. Et sic pisces magni decipiuntur & G illuduntur à parvis.

Dicit ergo David: O Domine, tu fecisti *hoc mare magnum*, *& spatiosum manibus*: quia *illic* sunt *reptilia pusilla cum magnis*; et etiam quia *illic naves pertransibunt*: sed etiam fecisti istud profundum in medio, & vadosum in littore, ut illic sit etiam *iste draco*, id est, *ballena*, & quilibet alius magnus piscis, *ad illudendum ei*, ut sibi illudatur à parvis piscibus per modum jam dictum.

Unde est advertendum, quòd per *draconem* intelligit *ballenam*, sive *cetum*. Unde *Genes.* 1. ubi nostra Translatio dicit: *Creavit Deus cete grandia.* Alia Translatio dicit: *Creavit Deus dracones magnos*: & in hoc loco dicit littera *Hieronymi*: *Leviathan iste quem formasti.* Et alia Transf- H latio habet: *Cetus iste*, per quem intelligitur quælibet bellua marina. Ex quibus omnibus patet, quòd Deus omnia creavit apta ad debitum finem: & omnibus viventibus providit de loco, & tempore, & victu necessario ad vitam tuendam & conservandam.

Omnia à te expectant Domine. Hìc incipit versus apud Hebræos, & etiam sententia: nam postquam superiùs ostendit Propheta, quòd Deus omnia creavit & disposuit propter debitum finem, & omnibus

bus providit de loco & tempore opportuno, & cibo & potu necessario ad vitam: ideò in hac parte conversus ad Dominum concludendo, dicit: O Domine, *omnia* animalia *expectant à te, ut des illis escam in tempore* opportuno: nam animalia bruta expectant, ut in Vere des eis fœnum, & herbam ad cibum: & homines expectant tempus Vernum, ut colligant quosdam fructus; & æstatem, ut colligant frumenta, & cæteras fruges & segetes. Et expectant Autumnum, ut colligant vindemias, & cæteros fructus tunc maturos secundùm naturas suas &c. Ideò *te illis dante* copiam fructuum & ciborum, tunc illi *colligent* fructus per te creatos & augmentatos: & *te aperiente manum tuam*, & thesauros largitatis tuæ, *omnia implebuntur bonitate*, id est, bonis terræ ex tua bonitate largitis. A B

Duplex appetitus in viventibus.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd duplex est appetitus in viventibus: unus naturalis, & alius voluntarius. *Appetitus voluntarius* regitur per seipsum, cùm sit primum principium movendi. Sed *appetitus naturalis* regitur ab Intelligentia superiori movente orbem: ideò non solùm animalia perfecta appetunt, & expectant cibum in tempore ad conservationem vitæ appetitu voluntario & naturali simul, sed etiam plantæ, & animalia imperfecta hoc idem expectant quodam naturali appetitu, ab Intelligentia directo: quia opus naturæ est opus Intelligentiæ. Unde dicit Propheta, quòd omnia viventia, tàm plantæ, quàm animalia *expectant à Deo, ut det eis* C *escam in tempore* opportuno. Et sic formica ex divina ordinatione à superiori Intelligentiâ directa & mota, recolligit granum in æstate pro tempore futuro.

56. d. c. Nasci.

30. *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.*

31. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem* D *terræ.*

De Confe. d. 5. c. de Spiritu S.

32. *Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis.*

E 33. *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.*

34. *Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.*

1. 84. 15. q. 1. et Reverti-mini.

35. *Jucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino.*

F

1. q. 42. et Homini.

36. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita ut non sint: benedic anima mea Domino.*

POSTQUAM superiùs David ostendit, Deum esse provisorem, & datorem omnium bonorum ad conservationem vitæ, & ipsius esse in omnibus rebus; nunc est notandum, quòd cum Deus sit causa omnium in triplici genere causæ, scilicet, efficientis, formalis, & finalis: ita creatura recepit à Deo triplex esse, scilicet, *esse essentiale*, & *actuale*, & *operativum*: nam in quantum est facta ad imaginem Dei, aut similitudinem, habet esse essen- G tiale, & specificum, & formale. Sed quia nulla creatura est per essentiam suam, ideo habet à Deo esse existentiæ, per quod existit in actu: & sic existit in esse personali. Itaque creatura non solùm dependet à Deo quoad esse essentiæ, sed etiam quoad esse existentiæ, in quantum Deus continuè influit esse in eam, & conservat eam in esse. Nam si per aliquod instans Deus desisteret influere esse in eam, illicò deficeret: sicut nostrum hemisphærium in tantum est illuminatum, in quantum Sol influit lumen per suam præsentiam: sed quando Sol subtrahit suam præsentiam, illicò deficit lumen, & efficitur nox apud nos: ita pariter dicit David, quòd quando Deus influit vitam in creaturas, tunc crea- H turæ vivunt, & operantur: sed si Deus avertit suam præsentiam & influentiam, tunc creaturæ deficiunt. Et ita pariter est dicendum de cibo corporali: nam quando Deus influit virtutem super terram in Vere, tunc terra germinat; sed quando avertit suam virtutem, tunc terra turbatur, & omnia deficiunt, ut patet in Autumno: sed quando iterum in Vere mittit suam virtutem & influentiam, tunc terra renovatur, & germinat plantas & fructus: & hoc est quod vult dicere David in hac parte.

Deus causa omnium in triplici genere causæ.

Unde ait : O Domine, sicut te *aperiente manum omnia implentur bonitate*: A ita pariter *te avertente faciem* & influxum, omnia *turbabuntur*. Et tunc *auferes spiritum*, id est, esse actuale *eorum*, quod habent ex influxu tuo ; & tunc totaliter *deficient*, & morientur animalia, & plantæ; & sic mortua *revertentur in pulverem suum* : quia incinerabuntur, & putrefient cadavera animalium. Et arbores resolventur in pulverem, postquam deficiet eis influxus. Sed quando tu *emittes spiritum* & influxum, tunc res *creabuntur* : & sic *renovabis faciem terræ* : nam sicut quidam moriuntur propter defectum hujus influxus : ita alii creantur per influxum tuum in eis : & sic *facies terræ* renovatur per homines noviter creatos : quia quotidie creas spiritus et animas in eis. Et sic licèt unus moriatur, tamen alter de novo per B te creatur. Et sic *renovatur* semper *facies terræ*, et mundus conservatur in esse.

Hoc etiam potest referri ad cœlestes influentias secundùm diversitatem temporum. Nam in Autumno Deus *avertit faciem*, id est, influentiam à terra per recessum Solis ; et tunc omnia folia arborum cadunt cum fructibus suis, et herbæ deficiunt. Sed posteà in Vere Deus emittit spiritum et influentiam per accessum Solis: et tunc herbæ recreantur, et arbores frondescunt, et florent : et sic *renovatur facies terræ*. Sed prima Expositio est melior, et profundior, et magis consona litteræ.

Ex supradictis patet, quàm immensa fuit omnipotentia Dei, et quàm profunda et inscrutabilis sapientia, et providentia Dei in creatione, et dispositione mun- C di ; et quantum est immensa bonitas Dei in mundi conservatione : de qua quidem omnipotentia, et sapientia, et providentia, et bonitate commendavit David Deum in hoc Psalmo. Et ideo concludens agit gratias, dicens : *Sit gloria Domini in sæculum* sæculi &c. Quomodo autem paradisus delitiarum situetur in hemisphærio Australi, et de dispositione ejus, dictum est *Psalmo* 71.

* *
*



D SECUNDA EXPOSITIO.

Benedic anima mea Domino : Domine Deus meus magnificatus es vehementer. 95. c. Ecce; & 13. q. 1. Hii itaque.

QUIA ut dictum est in principio Expositionis hujus Psalmi, secundùm mentem *Augustini contra Adversarium Legis & Prophetarum*, quòd Propheta *Moyses* auctor libri *Geneseos*, magis intendebat, ut ejus narratio rerum factarum, esset etiam figura futurarum : ideò à fortiori est credendum, & affirmandum, quòd David, qui non est minùs Propheta E in hoc Psalmo, quàm in cæteris, non solùm intendit commendare divinam sapientiam, & providentiam, & bonitatem circa creationem & dispositionem mundi materialis, quem produxit ad instar mundi idealis & æterni : sed etiam à fortiori magis intendit commendare divinam sapientiam, & providentiam, & bonitatem circa recreationem mundi spiritualis, qui est Ecclesia, quam recreavit, & regeneravit, et disposuit ad instar mundi idealis, & ad figuram hujus mundi materialis.

In cujus creatione contemplando David, prævidit in spiritu totum mysterium regenerationis Ecclesiæ, quæ dicitur *mundus spiritualis*. Ideò postquam exposuimus istum Psalmum litteraliter de mundo materiali, exponatur iterùm consequenter de F mundo spirituali, et ejus recreatione : de qua primò et principaliter David intendebat Deum commendare in hoc Psalmo, ad quam intentionem principaliter legit et cantat ipsum Ecclesia. Nam licèt utraque creatio sit ejusdem potentiæ et sapientiæ; tamen creatio mundi spiritualis est majoris misericordiæ et bonitatis quoad nos : quia *nihil nobis profuisset, quòd creasset, nisi miris atque ineffabilibus modis recreasset*, ut inquit *Augustinus*. Hoc idem innuit *Gregorius* in Benedictione Cerei Paschalis: et ideò est valde attendendus iste Psalmus, ut inquit *Augustinus* : quia totus est refertus profundissimis mysteriis, et sacramentis: G nam Propheta David per figuram creationis mundi intendit commendare, et nobis notificare propheticè divinam sapientiam et bonitatem circa fundationem et regenerationem Ecclesiæ Christi.

Ad cujus intelligentiam est primò notandum, quòd cùm creatio mundi materialis fuerit figura fundationis Ecclesiæ: eundem ordinem servavit Deus in fabricatione Ecclesiæ, quem tenuit in creatione mundi : nam sicut tunc Pater dicendo per Verbum suum : *Fiat lux*, fecit lucem: *Creatio mundi figura fundationis Ecclesiæ.*

cem : & dicendo : *Fiat firmamentum*, fecit firmamen tum &c. & ſic per Verbum factus fuit totus iſte mundus materialis : quia *ipſe* Pater *dixit* , *& facta ſunt omnia* : & *Verbo Domini cœli firmati ſunt* : Ita pariter in fabricatione Eccleſiæ idem Deus Pater locutus eſt nobis per idem Verbum incarnatum , & dixit nobis totum Euangelium , & ex latere ſuo produxit totam Eccleſiam. Nam tota Eccleſia conſiſtit virtualiter in Euangelio dicto per Chriſtum , qui eſt Verbum Patris. Nam ſicut olim Deus Pater loquebatur multifariè in Prophetis , *noviſsimè locutus eſt nobis in Filio*, ut ait Apoſtolus *ad Hebr.* 1. Ex quo patet , quòd per idem Verbum per quod Deus creavit mundum, per idem fundavit Eccleſiam. Hoc idem manifeſtavit *Joannes* 1. qui dicit: *Omnia per ipſum facta ſunt* , & infra : *Verbum caro factum eſt* : &, *Dedit poteſtatem* credentibus *filios Dei fieri* , *qui non ex ſanguinibus* , *ſed ex Deo nati ſunt &c.*

Ex quo patet , quòd Pater per idem Verbum nos regeneravit , per quod nos antè creavit , & per quod facta ſunt omnia. Item , ſicut tunc per Spiritum ſanctum omnia , quæ creavit , vivificavit , dando eis vitam , & motum : quia *ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas* , dando vitam & operationem rebus : ita pariter Pater in noſtra regeneratione , poſtquam per Filium ſuum Verbum incarnatum fundaverat Eccleſiam in Apoſtolis & Diſcipulis : in die *Pentecoſtes* miſit Spiritum ſanctum in eis , quos ad gratiam & vitam ſpiritualem per ſeptem dona vivificavit , & movit ad prædicandum Euangelium omni creaturæ. Et ſic quia *Spiritus Domini ferebatur ſuper* eos : ideo tali ſpiritu vivificati , totum orbem ſubjecerunt Eccleſiæ , & jugo Chriſti. Ex quibus patet , quòd ſicut tota Trinitas indiviſè concurrit ad creationem mundi ; ita eodem modo ad fundationem Eccleſiæ.

Item , ſicut tunc creavit in mundo triplicem naturam , ſcilicet , *Angelicam* prope ſe , quâ dicitur indutus ; & *cœleſtem* , ad mittendas influentias in hæc inferiora ; & *elementalem* ad recipiendas cœleſtes influentias : ita pariter in Eccleſia recreavit & diſpoſuit tres ſtatus , ſcilicet , ſtatum Apoſtolorum prope ſe , quibus primò revelavit myſteria Euangelica. Secundò , ſtatum Doctorum , qui moti ab Apoſtolis , ſicut cœli moventur ab Angelis , declararunt Sacras Scripturas hominibus ſimplicibus. Tertiò , fundavit ſtatum communem conjugatorum & ſimplicium , qui receperunt ſacram doctrinam à Doctoribus. Nam ſicut Deus influit in Angelos , & Angeli moventes influunt in orbes cœlorum , & cœli influunt in elementa : ita Criſtus influxit primò in Apoſtolos , Apoſtoli in Doctores , & Doctores in Populum , qui ſunt elementa Eccleſiæ. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu , laudat divinam providentiam & bonitatem in hoc Pſalmo dicens : *O anima mea benedic Domino* , & lauda eum de tanta ſapientia & miſercordia.

Item , ſicut tunc primò creavit mundum quoad ſuas tres partes principales , ſed poſtea ornavit eum in tribus diebus ſequentibus : ita pariter Chriſtus primò fundavit Eccleſiam in Apoſtolis , & poſtea ornavit eam donis gratiarum Spiritus ſancti in die Pentecoſtes. Hæc ergo omnia prævidens David in ſpiritu , fecit hunc Pſalmum ; in quo commendat divinam ſapientiam & providentiam circa fundationem & diſpoſitionem Eccleſiæ : in quo quatuor facit. Nam primò commendat divinam potentiam circa fundationem Eccleſiæ quoad partes ſuas. Secundò , quoad ornatum. Tertiò , quoad diſpoſitionem temporum. Quartò , agit gratias. Secunda ibi : *Rigans montes.* Tertia ibi: *Fecit lunam in tempora.* Quarta ibi : *Sit gloria Domini.*

Eccleſia eſt quidam mundus.

Quantum ad primum eſt advertendum , ut dictum fuit *Pſalm.* 18. quòd cùm *Eccleſia* ſit quidam mundus ſpiritualis , ſive *microcoſmus* , & *homo myſticus*, in ea conſideramus caput , qui eſt Chriſtus: & totum reſiduum dicitur corpus ejus , ſive membra : & ſic Chriſtus uno modo computatur cum Eccleſia tanquam caput ejus : ſicut Deus qui eſt prima cauſa totius univerſi , computatur uno modo cùm toto univerſo , ut patet *primo cœli*: & ideo cùm Chriſtus ſit caput hujus mundi ſpiritualis , & hoc in quantum homo ; ideò Propheta incipit fundationem Eccleſiæ ab Incarnatione : nam ſicut dictum eſt in alia Expoſitione , quòd Deus in principio creationis mundi *induit ſe decorem & confeſſionem* , & fuit *amictus lumine ſicut veſtimento* , cum creavit naturam Angelicam: ita pariter Verbum æternum , ſcilicet Filius Dei , in principio fundationis Eccleſiæ circumdatus & indutus eſt humanitate , & carne in utero virginali.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu excitans animam ſuam ad laudem , dicit: *Benedic anima mea Domino :* & converſus ad Chriſtum dicit : O Chriſte *Domine Deus meus* , tu in principio fundationis Eccleſiæ *magnificatus es vehementer.* Nam tunc *induiſti confeſsionem & decorem* humanitatis , id eſt , mundam & immaculatam carnem de Virgine aſſumpſiſti. Et ſic fuiſti factus *ſpecioſus formâ præ filiis hominum.* Nam illam humanitatem & veſtem multipliciter ornatam induiſti : quia *ſuper te requievit ſpiritus ſapientiæ* , *& intellectus* , *ſpiritus conſilii & fortitudinis &c.* & talibus virtutibus & donis fuiſti *amictus* & veſtitus *ſicut veſtimento.* Unde triplici ornamento fuiſti indutus in illa In car-

carnatione, scilicet, confessione laudis propter magnam misericordiam & humilitatem: quia *cum esses in forma Dei,* voluisti induere formam servi. Secundò, fuisti indutus decore puritatis. Tertiò, lumine omnium virtutum & donorum: quia omnia fuerunt in te tanquam in fonte, ut posses influere in membra tua. A

Fundatio Ecclesiæ quoad partes.

Deinde cum dicit: *Extendens cœlum &c.* describit fundationem Ecclesiæ Christi quoad suas partes. Unde dictum est in *Psalm.* 18. quòd sicut iste mundus sensibilis constat ex tribus partibus, scilicet, ex cœlo, & elementis, & elementatis: ita pariter mundus spiritualis, quæ est Ecclesia. Nam Apostoli sunt cœli: & Ecclesiæ Doctores, & Marryres, & Prælati sunt quasi elementa: & populi sunt quasi elementata. Nam Christus tanquam Caput influxit doctrinam Euangelicam in Apostolos tanquam in cœlos: & Apostoli in Doctores, & Martyres, & Prælatos: Et Prælati & Doctores in populos: quia Apostoli tanquam *cœli enarrant gloriam Dei* incarnati. Item, istimet Apostoli dicuntur etiam *nubes* in quantum pluerunt imbrem Euangelicum per totum orbem. B

Item, dicuntur *pennæ* ventorum: nam sicut duodecim venti perflant omnes partes terræ, & discurrunt totum orbem: ita duodecim Apostoli discurrerunt omnes partes terræ, ferentes nomen Jesu & nubem Euangelicam: & sic moverunt totum orbem. Item, Apostoli comparati ad alias partes terræ, dicuntur *montes* in Sacra Scriptura: nam sicut à montibus descendunt fontes & flumina per convalles ad campos: ita ab Apostolis descenderunt flumina Euangelica ad Doctores & Prælatos, & exinde ad populos. C

Hæc ergo omnia intendit explicare Propheta in hac prima parte: unde ait: O Christe, tu es *extendens cœlos*, id est, Apostolos, super totam Ecclesiam, ad tegendum eam, *sicut pellem*, id est, ad modum pellis, extendens eos ad tegendam & defendendam Ecclesiam, & ut influant influentiam Euangelicæ doctrinæ super eam. Sed quia tota Ecclesia fundatur, & tegitur aquis baptismalibus, quia sacramentum Baptismi continet omnia Ecclesiæ Sacramenta, quia tàm Apostoli, quàm cæteri fuerunt de necessitate baptizati: ideo subdit: *qui tegis aquis* baptismalibus *superiora ejus*, scilicet, totius mundi; nam sicut *Cœlum Aqueum* est primum mobile movens omnes cœlos inferiores; Baptismus est primum Sacramentum movens omnia alia. Item, quia Apostoli tanquam *nubes* tulerunt nomen Christi, & tanquam *venti*, per totum mundum: ita subdit: *Qui ponis nubem*, scilicet cætum Apostolorum, *ascensum tuum*: quia super Apostolos tanquam super nubes ascendisti, & super D

eos *ambulasti* tanquam *super pennas ventorum*: quia in ore eorum volasti per totum orbem, velociter eum subjiciendo; quia tanquam *nubes* & *venti* portantes nomen Christi & imbrem Euangelicum, volarunt per totum orbem. E

Sed quia Apostoli ministerio & opere Angelorum ex nutu Dei faciebant miracula, ideo subditur: *Qui facis Angelos tuos spiritus & ministros* in miraculis faciendis.

Item, quia Christus fundavit Ecclesiam supra seipsum, qui est *lapis & petra fundamentalis*, & supra duodecim articulos Fidei, cujus fundamentum non potest deficere: ideo subdit: *qui fundasti terram*, id est, Ecclesiam Militantem, *super stabilitatem*, id est, supra petram stabilem, & firmam, qui est Christus, & ideò *in sæculum sæculi non inclinabitur*, nec ruet: quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* nam fluctuare potest, sed numquam mergi *Navicula Petri.* Sed quia ista *navicula Petri*, est undique circumdata aquis persecutionum, & percutitur à Tyrannis & Hæreticis, sicut littora ab oceano; & istæ aquæ persecutionum non solùm voluerunt percutere littora Ecclesiæ, sed etiam ascendere super montes, id est, super Apostolos & Martyres, sicut nubes tempestuosæ ascendunt super montes: tamen sicut fulgura & tonitrua pellunt nubes tempestuosas; ita Apostoli mittentes fulmina & tonitrua Euangelicæ prædicationis, increpantia peccata & infidelitatem Paganorum, fugarunt Tyrannos, & superstitionem & cultum Idolorum: unde Ecclesia amicta & vestita aquis baptismalibus, pepulit & fugavit aquas persecutionum Tyrannorum. F G

Et ideo subdit Propheta, quòd *abyssus* baptismalis est *sicut vestimentum amictus ejus*, scilicet, Ecclesiæ, sicut Oceanus est amictus & vestimentum terræ: & aquæ baptismales magis tegunt Ecclesiam, quam Oceanus, qui non tegit montes. Sed *aquæ* baptismales etiam *stabunt super montes*, id est, super Apostolos, Martyres, & Prælatos: ideo istæ aquæ Baptismi fugabunt aquas persecutionum: & omnes Tyranni & Infideles *fugient ab increpatione tua*, id est, à prædicatione Legis Euangelicæ, quæ increpat, & prohibet omne vitium & infidelitatem. Et *formidabunt* omnes Tyranni *à voce tonitrui* Euangelicæ prædicationis; in tantum quòd fugatâ superstitione Idolorum, totus populus Gentilis converteretur ad fidem. H

Item, ne istæ aquæ persecutionum, & mare fluctuosum submergat terram, ideo *ascendunt montes*, id est, tu Christe, elevasti Apostolos altitudine donorum: *& campi*, id est, populi fidelium *descendunt*, id est, sunt inferiores quam montes,

tes, ut ab eis recipiant aquas Euangelicas.

Item, *poſuiſti* iſtos montes, ſcilicet A Apoſtolos, & Martyres, & Prælatos tanquam *terminum* maris hujus mundi. Quaſi dicat: quòd ſicut poſuiſti montes, qui terminarent maria, ne aquæ exeant & ſubmergant terram: ita pariter poſuiſti Apoſtolos, & Martyres, & Doctores, ne aquæ perſecutionum & tentationum convertantur retrò ad operiendam & ſubmergendam Eccleſiam, ſed ut faciant obſtaculum, & reſiſtant Tyrannis & dœmonibus, ne ſubmergant Eccleſiam, & naviculam Chriſti.

Item, ſicut tu Chriſte in principio *emiſiſti fontes in convallibus* emanantes ex montibus, & tranſeunt inter montes & campos ad potum animalium: ita pariter in Eccleſia *emittes fontes* ſacramentorum, & doctrinæ Euangelicæ *in convallibus* B Doctorum: & *pertranſibunt inter medium montium*, ſcilicet Apoſtolorum, uſque ad campos populorum; de quibus fontibus & fluminibus aquæ Euangelicæ *potabunt omnes beſtiæ agri*, id eſt, omnes de populo Gentili, qui tanquam beſtiæ agri reputabantur, non habentes Legem, nec Prophetas. Et *onagri*, id eſt, Philoſophi & Principes, *expectabunt in ſiti ſua* iſtam aquam Euangelicam, quam ſitiebant, & qua carebant ad ſalutem animæ; & ſic *ſatiabuntur* in ſiti ſua. *Et volucres*, id eſt, Apoſtoli volantes per cœlum Eccleſiæ *habitabunt ſuper ea* flumina, & *dabunt voces* Euangelicæ prædicationis *de medio petrarum* duodecim articulorum fidei.

Sacramenta Eccleſiæ. C *Rigans montes de ſuperioribus.* Hæc eſt ſecunda pars principalis, in qua commendat divinam largitatem circa diſpoſitionem pluviæ, & ornatus ſacramentorum Eccleſiæ, & aliorum donorum. Unde ſicut quando Deus pluit ſuper montes, attingit omnes partes terræ, maximè ſummitates montium, unde germinantur herbæ, & fructificant arbores tàm ſilveſtres, quàm domeſticæ, & vineæ, & fruges: ita pariter Chriſtus in die Pentecoſtes pluit pluvias donorum & gratiarum ſuper Apoſtolos; quæ quidem dona fuerunt ornamenta Eccleſiæ, & *aqua ſapientiæ ſalutaris*, quæ ab Apoſtolis deſcendit ad valles, ſcilicet Doctores; & exinde ad campos, id eſt, populos fidelium: & ſic illa pluD via irrigavit totam Eccleſiam, & omnes ſtatus, & fecit eam germinare: ideo dicit David: O Chriſte, tu eris rigans montes, id eſt Apoſtolos, qui ſunt montes Eccleſiæ, id eſt, ſuper eos mittes pluviam Spiritus ſancti: & tunc tota *terra ſatiabitur de fructu operum tuorum:* quia de fructu illorum donorum quæ receperunt Apoſtoli, fuit tota Eccleſia ſatiata ſecundùm omnes ſtatus & conditiones.

Unde ex pluvia *produces fœnum jumentis*, id eſt, paſtum ſpiritualem ſacramentorum *produces* Gentilibus, qui ante vivebant ſine lege tanquam jumenta; & E *produces herbam* intelligentiæ Sacræ ſcripturæ, & *herbam* virtutum Moralium, & Theologalium, *ad ſervitutem*, id eſt, neceſſitatem hominum fidelium. Et plues etiam ſuper Eccleſiam, *ut educas panem* ſacramenti Euchariſtiæ *de terra*; & ut *vinum* ſacramentale ſanguinis Chriſti *lætificet cor hominis.* Quaſi dicat: quòd per iſtam pluviam Eccleſiam irrigantem produxit ſacramentum *Euchariſtiæ*, in quo offertur Corpus Chriſti ſub forma panis, & ſanguis ejus ſub forma vini, ad lætificandam animam hominis.

Et etiam ut ex iſta pluvia homo *exhilaret*, & lætificet *faciem in oleo* ſacramentorum. Quaſi dicat: hac pluvia irrigaſti Eccleſiam, ut producat & germinet F quatuor ſacramenta, quæ per oleum conficiuntur: & ſunt *Baptiſmus*, *Confirmatio*, *Extrema-Unctio*, & *Ordo*: ut homo *exhilaret* & lætificet *faciem* conſcientiæ ſuæ *in oleo* iſtorum quatuor ſacramentorum: ut ſicut panis ſacramentalis confirmat cor & animam hominis in gratia; ita unctio olei iſtorum ſacramentorum *exhilaret*, & lavet, & lætificet *faciem* animæ hominis.

Pluvia Spiritus ſancti tres produxit fructus. Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd tres fructus memoratos produxit iſta pluvia Spiritus ſancti, ſcilicet, panem, et vinum, et oleum: per quos intelliguntur quinque ſacramenta Eccleſiæ. Nam in pane & vino conficitur ſacramentum *Euchariſtiæ*; ſed oleum conficitur, & G conſecratur ad quatuor ſacramenta, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Extremam-Unctionem, & Ordinem. Nam oleo Catechumenorum unguntur baptizati & Presbyteri: & chriſmate unguntur confirmati: et oleo infirmorum unguntur infirmi: ſed oleo miſericordiæ inviſibili unguntur pœnitentes: oleo autem vinculi charitatis unguntur conjugati. Et ſic per *panem*, & *vinum*, & *oleum* intelliguntur omnia ſeptem Eccleſiæ ſacramenta; quæ germinata ſunt in Eccleſia ex pluvia Spiritus ſancti. Quæ quidem ſacramenta *confirmant* & *lætificant* & *exhilarant* animam hominis per gratiam. Quinque ergo ſunt fructus Legis Euangelicæ per pluviam Spi- H ritus ſancti germinati in Eccleſia, ſcilicet, *fœnum*, *herba*, *panis*, *vinum*, *oleum*, quibus paſcuntur fideles Chriſti.

Item, ex pluvia ſupradicta *ſaturabuntur ligna*, ſive arbores *campi*, *& cedri Libani*, ſcilicet, magni et parvi fideles, tàm Principes, quàm populares. Et *paſſeres*, id eſt, homines contemplativi, *nidificabunt illic*, id eſt, in montibus Eccleſiæ in vita ſolitaria habitabunt.

Refugium fidelium ut ſalventur. Unde tres ſunt gradus Eccleſiæ fidelium, ſcilicet, Populares, & Principes, & Doctores contemplativi. Et ſic per *arbo-*

bores campi intelliguntur populares, & per *cedros libani* principes & reges; & A per *paſſeres* contemplativi, & Doctores, & etiam eremitæ ſolitariam vitam ducentes, quòd omnes creverunt ex hac pluvia Spiritus Sancti.

Deinde cum dicit: *herodii domus*, explicat refugium ad quod refugiunt omnes iſti ſtatus, ut ſalventur, & liberentur ab omni periculo. Ad cujus intellectum eſt advertendum, ſicut dictum eſt in alia Expoſitione: quòd *Herodius* ſive *Griſaldus* cuſtodit omnes aves figentes nidum prope ſe: & omnes alias aves prædales fugat. Et ideo omnes aves ſimplices libenter fabricant nidum prope nidum & latibulum *Herodii*, quem habent tanquam ducem, & tutorem, & refugium. Per iſtum ergo *Herodium* intelligitur Chriſtus, qui ſtatuit nidum ſuum in cruce; qui fugavit & exterminavit omnes dœmones & B raptores animarum; & cuſtodit & tuetur omnes fideles, qui ſtatuunt nidum ſuum juxta crucem ejus, & recipiunt ipſum in ſalvatorem: & omnes fideles habent Chriſtum crucifixum in ducem & tutorem, & ponunt ſpem & nidum ſuum in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti, per *quem ſalvati & liberati ſumus*. Et hoc intendit dicere David, unde ait; quod ſicut *domus Herodii eſt dux* & refugium paſſerum, ut ſalvetur ab avibus prædalibus: ita *domus*, id eſt, crux Chriſti, *eſt dux* & refugium omnium fidelium: & ſicut *montes excelſi* ſunt refugium *cervis*: ita excelſa Eccleſia eſt *refugium* Prælatis & Regibus, per *cervos* intellectis: & ſicut *petra* cavernoſa eſt *refugium herinaciis*, & leporibus: ita *petra* articulorum fidei eſt refugium omnibus fidelibus ſimplici- C bus.

Ex ſupradictis patet, quòd ſicut Chriſtus providit Eccleſiæ ſuæ de pluvia Spiritus ſancti ad refrigerium: ita providit de triplici refrigerio, quo ſalventur homines. Tria enim refugia fecit Chriſtus in Eccleſia, ad quæ fugiamus tempore neceſſitatis, ſcilicet, ad arborem crucis & paſſionis, in qua Chriſtus poſuit nidum ſuum in Paſſione: Secundò, ad montem orationis: tertiò, ad petram articulorum fidei. Iſta ſunt refugia noſtra, in quibus nos oportet ſalvari: nam fideles iliçò currunt ad crucem & Paſſionem per pœnitentiam, & alia ſacramenta: Secundò, ad D fidem articulorum: tertiò, ad orationem: aliter nullus poteſt ſalvari.

Tria refugia in Eccleſia.

Fecit lunam in tempora. Hîc commendat providentiam Chriſti circa diſpoſitionem & diſtinctionem temporum Eccleſiæ. Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd ſicut luna per acceſſum & receſſum ad ſolem, cauſat & diſtinguit quatuor tempora in uno menſe ſecundùm quatuor quadras, per quas quatuor quadras fiunt multæ alterationes in elementis & elementatis: ita pariter Eccleſia figurata per E *lunam*, quæ totum ſuum lumen & virtutem recipit à Chriſto, variavit quatuor tempora, ſecundùm quòd recipit favorem à Chriſto. Nam prima quadra Eccleſiæ fuit à Chriſto uſque ad magnum *Conſtantinum*, in cujus tempore Eccleſia fuit quaſi media in mundo, quia medietas mundi venit ad fidem. Secunda quadra Eccleſiæ fuit tempore *Juſtiniani*, quia tunc Eccleſia fuit plena per totum orbem dilatata à ſolis ortu uſque ad occaſum. Sed tempore *Heraclii* jam Eccleſia incepit decreſcere & diminui propter ſectam *Mahometi*: & ſemper proceſſit in diminuendo quaſi in tertia quadrâ, uſque ad annum 1200. quando inſurrexit dominium *Tartarorum*, qui occuparunt omnes *Indias*, & totam *Mediam*, *Perſiam*, *Meſopotamiam*, & totam F *Scithiam* & *Sarmatiam*, uſque ad fines *Rutenorum*: & ſic manet Eccleſia in ſola *Europa*, & non in tota. Ex quo patet, quòd Eccleſia eſt in ultima quadra prope Anti-Chriſtum, niſi Chriſtus Sol juſtitiæ adaugeat lumen favoris in ea.

Iterum eſt notandum, quòd ſicut ſol per acceſſum & receſſum ad Polos, cauſat & variat quatuor tempora anni, ſcilicet, *Ver*, *Æſtatem*, *Autumnum*, & *Hiemem*, ſecundùm quòd diſcurrit per quatuor quadras ſignorum: ita pariter Chriſtus Sol juſtitiæ, qui per ſuam præſentiam & adventum cauſavit diem gratiæ in Eccleſia, licèt ſemper reſpiciat eam per gratiam: tamen ſecundùm quod accedit ad eam per favorem temporalem; vel recedit propter peccata noſtra, cauſavit & variavit in ea quatur tempora, ſecundùm G quatuor quadras ejus. Nam prima quadra Eccleſiæ fuit uſque ad *Conſtantinum*. Secunda fuit uſque ad *Juſtinianum*, quando Eccleſia fuit in plenitudine ſua & favore, extinctâ *idololatriâ* per totum mundum, & extincta hæreſi *Ariana* in *Africa* & *Hiſpania*, & extinctâ hæreſi *Pelagianorum*, & *Manichæorum*, quaſi per totum mundum regnante fide Catholica. Sed poſtea incepit minui Eccleſia per *Saracenos* in tota *Arabia*, & *Syria*, & *Ægypto*, & *Africa*. Sed poſtea per *Turcos*, & *Tartaros* totaliter eſt reducta in unam partem *Europæ*: ſic patet, quòd Eccleſia eſt in ultima quadra.

Nota, quando Deus accedit ad Eccleſiã per gratiam &c.

H Iterum eſt notandum, quòd ſicut ſol per ſuam præſentiam cauſat diem, & per ſuam abſentiam cauſat noctem in mundo materiali: ita pariter Chriſtus *Sol juſtitiæ*, quando peccavit *Adam*, per ſuam abſentiam cauſavit noctem in Eccleſia. Sed per ſuum adventum & nativitatem cauſavit diem gratiæ in ea. Et ſic totum tempus ab *Adam* uſque ad *Chritum*, dicitur *nox* & totum tempus à *Chriſto* uſque ad *judicium*, dicitur dies gratiæ.

Tempus ab Adam uſque Chritum dicitur nox.

De

De qua nocte & die ait Apoſtolus *ad Romanos* 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit &c.* Unde ſicut in nocte propter abſentiam lucis leones, & lupi, & omnes beſtiæ rapaces diſcurrunt per montes & ſilvas rapientes parva animalia in eſcam ſibi: ita pariter diabolus exivit per totam noctem ante adventum Chriſti, & rapuit totum populum Gentilem in eſcam ſibi: quia ab omnibus colebatur præterquam à populo Iſrael: & etiam iſte populus frequenter apoſtatavit ad idololatriam: & ſic diabolus regnabat in toto mundo per omnia vitia: & totus mundus erat in tenebris. Sed poſtquam ortus eſt Chriſtus *Sol Juſtitiæ* in mundo, omnes tenebræ noctis fugerunt, & diabolus recluſus eſt in inferno, ſicut leones includuntur, & fugiunt ad latibulum ſuum in die: & ſic factus eſt dies gratiæ in Eccleſia; & Chriſtus Deus & homo *exivit* de ventre virginali *ad opus ſuum*, ſcilicet, ad opus redemptionis, *uſque ad veſperam* ſuæ mortis. Sed poſtea exivit de ſepulchro per reſurrectionem: & tunc *homo myſticus*, cujus Chriſtus eſt caput, *exivit ad operationem ſuam*: quia ſemper vivit & operatur ſecundùm Euangelium & Fidem, *uſque ad veſperam* mundi. Et ſic patet, quomodo ab *Adam* uſque ad Chriſtum, ſemper fuit *nox* in Eccleſia; ſed à Chriſto uſque ad judicium eſt *dies* gratiæ.

Et ſic patet, quomodo variata ſunt quatuor tempora in Eccleſia ſecundùm acceſſum & receſſum Eccleſiæ ad Chriſtum: nam quando acceſſimus ad Chriſtum per veram fidem, & ſpem, & charitatem, Chriſtus ſemper augmentavit Eccleſiam: ſed quando receſſimus per multitudinem peccatorum, tunc Chriſtus permiſit infideles regnare. Et hoc eſt quod intendit dicere Propheta in hac parte. Unde ait: Quod Chriſtus Deus *fecit Lunam*, id eſt, Eccleſiam *in tempora*, id eſt, ut per tempora variaretur ſecundùm acceſſum & receſſum ad Chriſtum. Et Chriſtus *Sol* juſtitiæ *cognovit occaſſum ſuum*, id eſt, receſſum, quando peccavit *Adam*: quia tunc tu Chriſte Deus *poſuiſti tenebras, & facta eſt nox*, quando ab homine propter peccatum receſſiſti. Et *in ipſa* nocte peccati *pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ, & catuli leonum*, id eſt, diaboli, *ut rapiant* homines *à Deo* in *eſcam ſibi*. Nam *Adam* erat in gratia Dei in paradiſo: ſed quia voluit *deſcendere in Jericho* per inobedientiam, ideo *incidit in latrones*, qui expoliaverunt, & rapuerunt ipſum in *eſcam ſibi*. Et ſic diabolus rapuit *Adam* à Deo in *eſcam ſibi*: & eodem modo per totam illam noctem rapiebat homines, & populos Gentilium; & multotiens rapuit populum Iſrael in *eſcam ſibi*, ut patet per totum diſcurſum *librorum Judicum, & Regum*.

Sed *ortus eſt* Chriſtus *Sol Juſtitiæ* per incarnationem & reſurrectionem, & factus eſt dies gratiæ: & tunc diaboli *congregati ſunt* fugientes Solem Juſtitiæ, *& collocati*, & abſconſi ſunt *in cubilibus*, & antris inferni. Et tunc Chriſtus Deus & homo *exivit* in hunc mundum *ad opus* redemptionis *uſque ad veſperam* mortis, & paſſionis, & ſepulturæ. Sed poſtea exivit de ſepulchro per reſurrectionem, & aſcendit in cœlum. Sed *homo myſticus*, ſcilicet Eccleſia, cujus Chriſtus eſt Caput, *exivit* in hunc mundum *ad operationem ſuam*, & operatur in hac vinea à mane *uſque ad veſperam*, in qua recipiet mercedem, & denarium promiſſum, quando veniet Chriſtus ad reddendum mercedem operariis, ut patet *Matth.*20.

His ergo ſupradictis conſideratis admiratur Propheta ineffabilem ſapientiam, & miſericordiam Chriſti, & exclamat, dicens: O Chriſte, *quàm magnificata ſunt opera tua* erga noſtram redemptionem & ſalutem! quia *omnia feciſti* cum *magna ſapientia*, quia omnibus providiſti, & in nullo defeciſti de his quæ pertinent ad noſtram redemptionem & ſalutem, & ad conſervationem Eccleſiæ: putà, in copia donorum, & gratiarum, & ſacramentorum. Et *impleta eſt terra*, id eſt, Eccleſia Militans, *poſſeſsione tua*, id eſt, copiâ bonorum.

Deinde cùm dicit: *Hoc mare*, poſtquam ſuperiùs comparavit Eccleſiam ad Lunam, hîc comparat ipſam ad navem fluctuantem in mari hujus mundi: & comparat diabolum ad *draconem*, ſive ballenam, poſtquam comparavit ipſum ad leonem rapientem. Ad cujus intellectum eſt notandum: nam dictum eſt in alia Expoſitione, quòd Deus taliter diſpoſuit mare, quòd fecit illud magnum & ſpatioſum ad copiam piſcium, & ut naves poſſent attingere terras remotas: & fecit ipſum profundum in medio, & vadoſum ad littora, ut ballenæ, & magni piſces non poſſent accedere ad parvos piſces in littore natantes: & quomodo ballena deluditur, ſi exit à profundo ad littora. Ita ergo pariter Chriſtus fabricavit Eccleſiam ſuam levem, & mundam ab onere peccatorum, ut exonerata poſſet natare ſuper hoc mare vaſtum & ponderoſum hujus mundi, & vehere merces Euangelicas per omnes partes orbis: & conſtituit littora vadoſa & portus in hoc mari, ad quæ littora & portus confugerent parvi piſces, id eſt, humiles fideles, quando magnus draco exiens à profundo ſuperbiæ & aliorum vitiorum, conatur eos perſequi & devorare. Sed ſicut parvi piſces fugientes ad littora, illudunt draconi: ita fideles fugientes diabolum à ſuperbia, & cæteris vitiis & peccatis ad pœnitentiam, decipiunt diabolum, & confundunt & quaſi interficiunt.

Eccleſia eſt navis fluctuans.

Ideo ait Propheta: O Domine Jeſu-

Christe, bene omnia fecisti cum magna sapientia & providentia: nam tu fecisti *hoc mare* hujus mundi *magnum, & spatiosum* A *manibus*, id est, magnis spatiis, & brachiis, & sinibus, & portubus: quia *illic* sunt *reptilia & animalia pusillia cum magnis, quorum non est numerus*, id est, sunt infinita genera vitiorum, & peccatorum, & periculorum, & tyrannorum, & pravorum hominum. Sed *naves* Ecclesiæ ab omni pondere peccatorum alleviatæ *illic* supra hoc mare *pertransibunt*, & navigabunt cum securitate: quia navis Ecclesiæ est armata multis, & diversis armis, & auxiliis ad navigandum per hoc mare. Nam habet Crucem Christi pro *arbore*, & fidem pro *anchora*, & spem pro *temone*, & charitatem pro *velo*, & Sacramenta pro *scuto*. B Et ideo licèt fluctuet, tamen nunquam submergetur, nec expugnabitur ista navicula Petri.

Est etiam *illic* in isto mari hujus mundi *iste* magnus *draco* diabolus, *quem formasti* in principio *ad deludendum*, id est, ut illudatur *ei* à parvis & humilibus per pœnitentiam, & alia Sacramenta, sicut illuditur draconi à piscibus parvis fugientibus ad littora vadosa. Iste est ille magnus *Behemot, & Leviathan*, cujus fortitudinem, & naturam, & mores, & potestatem describit *Job* 40. & 41. *cap.* cui nulla potestas creata valet comparari. Sed Christus illusit ei, quando venit ad tentandum eum in deserto, à quo discessit confusus & victus, ut patet *Matth.*4. Item, Christus illusit ei, parando illi *hamum*: nam iste *Leviathan* voluit mordere escam humanitatis C Christi, sub qua latebat *hamus* divinitatis: & sic Christus cepit Leviathan *hamo* suo, & *perforavit nares ejus, & ligavit linguam ejus*, ut patet *Job* 40. Et quotidie illudit Christus ei per Ecclesiæ Sacramenta: nam dum iste draco possedit hominem per magna tempora, tamen in uno momento perdit eum, si recurrit ad pœnitentiam: & sic illuditur ei.

Christus illusit diabolo.

Omnia à te expectant Domine. Hîc commendat divinam providentiam, & omnipotentiam circa conservationem vitæ spiritualis in ipsis fidelibus. Ad cujus intellectum est notandum, quòd sicut Pater & Filius spirant vitam corporalem in rebus per Spiritum sanctum, qui *ferebatur super* D *aquas*, ut dictum est: ita etiam spirant per eundem Spiritum sanctum vitam spiritualem, & gratiam in Angelis & hominibus. Et sic omnia viventia, & omnia entia in tantum vivunt & habent vitam & esse, in quantum Deus spirat vitam in eis: & si Deus retraheret suum influxum, omnia deficerent. Ita pariter omnes fideles & justi in tantum vivunt spiritualiter, in quantum Pater et Filius inspirant in eis gratiam per Spiritum sanctum. Et si Deus desineret spirare, gratiam subtrahendo; tunc omnes

Deus est causa essendi.

ruerent in peccatum & mortem. Et ideo sicut omnia entia expectant à Deo vitam E naturalem, & esse; ita omnes creaturæ rationales expectant à Deo vitam spiritualem, & gratiam.

Ideo Propheta conversus ad Christum dicit: O Christe, *omnia* rationalia *expectant à te, ut des illis escam* spiritualem sacramentorum & gratiarum *in tempore* opportuno, id est, omnes fideles veteris Testamenti expectant te, ut venias in carne ad redimendum eos, & ædifices Ecclesiam tuam: & *des eis escam* Sacramentorum ad refectionem spiritualem, & vitam gratificam *in tempore* adventus tui. Et omnes fideles novi Testamenti *expectant à te, ut* continuè *des eis* eamdem *escam*, & con- F serves eos in ea. Nam *dante* & largiente *te* istam escam illis, tunc ipsi *colligent* dona gratiarum; & *te aperiente manum tuam, omnia implebuntur bonitate*, id est, bonis spiritualibus: sed per oppositum, *te avertente faciem* tuæ largitatis, & retrahente manum, tunc omnes *turbabuntur*, & deficient à vita spirituali, & sic morientur, *& revertentur in pulverem suum*, id est, in peccatum; et contemptis rebus et bonis spiritualibus revertentur ad terrena, quæ occidunt animam. Et licèt tales homines sint mortui ex peccato; tamen si tu *emittis spiritum tuum*, et gratiam Spiritus sancti; tunc *creabuntur* noviter per gratiam, & sic *renovabis faciem terræ*, scilicet, faciem animæ. Hoc etiam dicit propheticè: nam Christus in triduo subtraxit G gratiam ab Apostolis; et sic turbati omnes defecerunt, et dubitarunt in fide, et relicto Christo omnes fugerunt, et reversi sunt *in pulverem*, id est, ad opera terrena: quia pro majori parte reversi sunt ad artem piscatoriam, ut patet *Joan.*21. Sed in die Pentecostes misit eis Spiritum sanctum, et recreati sunt ad gratiam: et sic fuit *renovata facies* Ecclesiæ, et fortificata et confirmata. Unde *Petrus*, qui deficiens in fide, ad vocem unius mulieris Christum ante negaverat, post missionem hujus Spiritus, in gratia renovatus, et confortatus, paratus fuit mori pro Christo. Et sic etiam Christus quotidie *emittit spiritum* gratiæ in peccatores, et recreat et renovat eos ad vitam spiritualem.

H *Sit gloria Domini in sæculum.* Postquam superiùs explicavit omnia beneficia, quæ recepimus à Deo in nostra creatione, et Ecclesiæ recreatione, nunc in hac ultima parte agit gratias pro tantis beneficiis receptis. Unde ait: *Sit gloria Domini in sæculum*, id est, in æternum. *Lætabitur*, id est, lætetur *Deus in operibus suis.* Quasi dicat, quòd sicut creavit, et recreavit nos, ita nos serviamus ipsi. Et tunc ipse *lætabitur* in nobis: quia lætitia et gaudium est in Deo in justificatione et salute hominum. *Qui* quidem Christus *respicit*, id est,

res-

reſpexit *terram* per miſericordiam, & *fecit eam tremere* in die Pentecoſtes, & *tetigit montes*, id eſt, Apoſtolos mittendo in eis A Spiritum ſanctum *in ſpiritu vehementi &c.* & tunc montes ſic illuminati *fumigarunt*, Legem Euangelicam prædicando per totum orbem. Nam tetigit Apoſtolos igne ſancti Spiritus, & ipſi fumigarunt, & fulminarunt Euangelium omni creaturæ. Et ideo ſubdit : *Cantabo Domino* Jeſu-Chriſto *in* tota *vita mea* in hac Eccleſia, celebrando Divina Officia, & feſtivitates, in memoriam nativitatis, & paſſionis, & reſurrectionis, & aliorum beneficiorum. Et ſic *pſallam*, id eſt, Pſalmos & laudes dicam *Deo quamdiu ſum*, id eſt, quantum vixero.

Nota. *Deficiant peccatores à terra*, id eſt, poſtquam peccatores repudiant gratiam, ſine qua anima non poteſt vivere, ideo *deficiant à terra* & ab iſta Eccleſia, *ita ut non ſint*, ſed moriantur in peccato ſuo: B & non ſolùm peccatores & infideles moriantur quoad animam, ſed etiam quoad corpus: & ſic *deficiant à terra*, ſicut mortui fuerunt & trucidati crucifixores Chriſti, & tyranni, & omnes perſecutores Eccleſiæ. Et converſus ad ſe, dicit : *O anima mea*, licèt iſti peccatores & infideles nolunt laudare Dominum, nec Chriſtum recipere; tamen tu *benedic Domino* Deo noſtro, à quo tot & tanta beneficia recepiſti per creationem, & quia dedit tibi gratiam, ut pervenires ad cognitionem veræ fidei.

Epiloga-tio Pſal. Ex iſto Pſalmo poſſunt recolligi viginti concluſiones, quarum

Prima concluſio eſt : quòd ſicut Moyſes in principio *Geneſ.* non intendit ſcribere creationem mundi ſolùm litteraliter, C ſed etiam prout illa creatio fuit figura creationis Eccleſiæ : ita pariter David in hoc Pſalmo intendit commendare divinam ſapientiam & providentiam, non ſolùm circa mundi creationem, ſed etiam circa Eccleſiæ recreationem.

Secunda concluſio : quòd ſicut iſte mundus ſenſibilis eſt creatus à Deo trino & uno ad exemplar illius mundi idealis; ita totus, & quælibet pars ſui retinet ſimilitudinem Trinitatis : & ſic ſicut in divinis eſt trinitas Perſonarum ; ita in mundo eſt trinitas naturarum, putà, Angelica natura, & cœleſtis, & elementaris &c. D

Tertia concluſio : quòd ſicut Deus impreſſit in creaturis quamdam ſimilitudinem Trinitatis, ſcilicet, ſubſtantiam, virtutem, & operationem : ita pariter Chriſtus in Eccleſia ſua impreſſit triplicem characterem ad ſimilitudinem ſui, ſcilicet, characterem Baptiſmalem, & Confirmationis, & Ordinis : & ita in quolibet fideli impreſſit fidem, ſpem, & charitatem, ſicut in Chriſto eſt divinitas, & anima, & corpus, qua humanitate Chriſtus indutus eſt ſicut veſtimento.

E *Quarta concluſio*: quòd ſicut Deus in principio fundavit terram ſupra centrum mundi, ne poſſit inclinari : ita Chriſtus fundavit Eccleſiam ſupra petram fidei, & ſupra ſeipſum, qui eſt centrum & *fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum:* & ideo nunquam totaliter cadet uſque in finem.

Quinta concluſio : quòd ſicut Deus in creatione elevavit montes ad terminandum fluctus maris, ne aquæ exeant ad cooperiendum terram : ita Chriſtus ſublimavit Apoſtolos & Martyres ad reſiſtendum tyrannis: & poſuit fidem, ſpem, & charitatem tanquam murum & montes, ad reſiſtendum, & repellendum incurſus perſecutorum. Nota.

Sexta concluſio : quòd ſicut Deus in principio diſpoſuit montes & valles, ut F ex radicibus & lateribus montium decurrerent aquæ per convalles, & flumina per campos ad potum animalium : ita pariter Chriſtus taliter ordinavit Eccleſiam, ut ex fontibus Chriſti exirent aquæ ſapientiæ ſalutaris, & diſcurrerent inter valles Apoſtolorum ad campos populorum, ut inde bibant fideles.

Septima concluſio : quòd ſicut Deus ordinavit, & providit de pluvia iſti mundo ſenſibili, ut attingeret ſummitates montium, & terram per omnes partes ad germinandum arbores, & fœnum, & herbam ad vitam animalium, & panem, & vinum, & oleum ad vitam corporalem hominum: ita pariter Chriſtus pluit ſuper Eccleſiam pluviam Sacramentorum ad vitam ſpirituaG lem omnium fidelium.

Octava concluſio: quòd ſicut nidus *herodii* eſt refugium ſecurum, & dux omnibus avibus facientibus nidum & habitaculum prope *herodium* : ita pariter arbor Crucis, in qua Chriſtus poſuit nidum ſuum in Paſsione, eſt dux & refugium ſecurum omnibus fidelibus, ponentibus ſpem ſuam in Cruce & Paſsione Chriſti. Et ſicut montes excelſi ſunt refugium cervis, & petræ cavernoſæ erinaciis & cuniculis: ita Chriſtus & Eccleſia eſt refugium omnibus contemplativis, & vulnera Chriſti, quæ ſunt cavernæ terræ, qui eſt Chriſtus : & duodecim articuli, in quibus fundatur Eccleſia, ſunt refugium omnibus ſimplicibus fiH delibus. Omnes ergo fideles ut ſalventur, refugiunt ad arborem Crucis, & ad montem Euangelicum, & ad petram articulorum, quæ ſunt tria refugia miſerorum.

Nona concluſio : quòd ſicut Luna per acceſſum & receſſum à Sole variatur in lumine, & variat quatuor tempora in quolibet menſe in his inferioribus : ita pariter Eccleſia per acceſſum & receſſum ad Chriſtum variavit quatuor ſtatus. Hoc idem

est dicendum de Sole per accessum & recessum ad Polos, qui variat quatuor tempora in anno. A

Decima conclusio: quòd sic Sol per suam præsentiam causat diem super nostrum hemisphærium: ita Christus per suum adventum & ortum causavit diem gratiæ in Ecclesia usque ad finem mundi.

Undecima conclusio: quòd sicut dies artificialis à mane usque ad vesperam datus est ad laborandum pro vita naturali: ita ab adventu Christi usque ad finem mundi, id est, ad judicium, est dies constitutus ad laborandum in hac Ecclesia: & in hoc die laborat *homo mysticus* ab Adam, & ab adventu Christi usque ad Judicium: quia ultra non erit tempus laboris, sed præmii. Item, tota vita hominis est dies laborandi usque ad vesperam mortis, in quo die potest homo exercere opera meritoria, & agere pœnitentiam usque ad mortem: quia post mortem non erit tempus laboris, sed mercedis: quia *oportet operari dum dies est: quia veniet nox*, id est, finis vitæ, *quando nemo poterit operari.* B

Duodecima conclusio: quòd sicut Deus in principio omnia creavit cum magna sapientia & providentia; ita recreavit Ecclesiam in tanta sapientia & providentia, quòd nihil deficit Ecclesiæ de his quæ pertinent ad nostram salutem: nam per Ecclesiæ sacramenta omnibus nocivis obviavit: & contra omnem infirmitatem confecit medicinam & subsidium.

Decimatertia conclusio: quòd sicut ars reperit navem ex ligno levi ad navigandum super hoc mare magnum & spatiosum, ad vehendas merces ad omnes partes mundi: ita Christus constituit & fabricavit Ecclesiam *non habentem maculam neque rugam*, terreno pondere alleviatam & liberam, ut posset navigare super mare ponderosum, & fluctuosum hujus mundi, & vehere merces & aromata Euangelica per omnes partes mundi ad vitam spiritualem fidelium. Et sicut ars providit de arbore, & temone, & anchora, & velo ad tutelam navis, ne pereat & submergatur: ita pariter Christus in Ecclesia. Nam posuit in ea crucem pro arbore, & charitatem pro velo, & fidem pro anchora ne evellatur, & spem pro temone ad dirigendam navem Ecclesiæ in Christum: & sic licèt semper fluctuet, tamen nunquam submergetur navicula Petri. C

Decimaquarta conclusio: quòd sicut pisces parvi fugientes ad littora vadosa, salvantur, & decipiunt ballenam & draconem marinum: ita pariter fideles simplices fugientes ad littora humilitatis, & pœnitentiæ, & aliorum sacramentorum, non solùm salvantur, sed etiam illudunt diabolo volenti eos devorare, & decipiunt eum. D

Decimaquinta conclusio: quòd sicut Pater & Verbum per Spiritum sanctum spirant vitam naturalem in omnibus rebus indivisibiliter: ita pariter Pater & Christus Verbum incarnatum per Spiritum sanctum spirant vitam spiritualem, scilicet gratiam, in omnibus justis & fidelibus. Ex quo patet, quòd sicut opera Trinitatis sunt indivisa in mundi creatione & conservatione, ita etiam in nostra recreatione, & justificatione. E

Decimasexta conclusio: quòd sicut omnia alia animalia, ita homines expectant escam spiritualem gratiarum, & donorum, & sacramentorum; & sic Christo dante & *aperiente manum*, omnes colligunt & vivunt per gratiam: ita Christo subtrahente manum & gratiam, omnes deficiunt à vita, & ruunt in peccatum: nam sicut Pater per Verbum creavit omnia: ita per ipsummet Verbum incarnatum regeneravit Ecclesiam: & sicut *sine ipso factum est nihil*: ita sine ipso recreatum & redemptum est nihil. Et sic sine gratia Spiritus sancti donata à Patre & Filio, nihil vivit spiritualiter & meritoriè. F

Decimaseptima conclusio: quòd sicut in tempore veris, quando Deus mittit influentiam & ventum occidentalem, germinat terra herbas & flores, & *renovatur facies terræ*: ita pariter in die Pentecostes Christus misit Spiritum sanctum super Apostolos, qui germinavit in eis dona gratiarum; & sic renovata fuit facies Ecclesiæ, & corroborata. Et eodem modo quando Deus mittit spiritum gratiæ super quemcumque peccatorem, recreat & renovat ipsum: ut qui per autummnum, & hiemem peccati perdiderat folia, & fructus gratiæ, postea recuperatâ gratiâ, germinet & proferat fructus meritorios vitæ æternæ: & sic renovatur facies animæ peccatorum per pœnitentiam. G

Decimaoctava conclusio: quòd Deus non solùm delectatur, & felicitatur in contemplatione sui ipsius, sed etiam in operibus suis, scilicet, in creaturis: & non solùm in creatione mundi, sed multò magis in creatione Ecclesiæ, & gratificatione, & justificatione fidelium: & non solùm in operibus creationis, sed magis in operibus redemptionis & recreationis.

Decimanona conclusio: quòd sicut Deus respiciendo terram, *facit eam tremere*: ita Christus in adventu primo movit totam terram spiritualiter, & tetigit montes Apostolorum, & fumigarunt, & fulminarunt Euangelium. H

Vigesima conclusio: quòd sicut fideles viventes per gratiam, laudant Dominum agendo gratias pro beneficiis supradictis receptis: ita per oppositum infideles ex defectu gratiæ mortui in peccato, non possunt Dominum laudare: ergo anima nostra quæ per gratiam ad hanc cognitionem

&

& vitam pervenit, maximè obligatur Deum laudare, & gratias agere, & benedicere. A

PSALMUS CIV.

1. *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: annuntiate inter Gentes opera ejus.*

Judic. 3.

2. *Cantate ei, & pſalite ei: narrate omnia mirabilia ejus.*

Iſ. 22. 1. p. 16. 1. cap. 6.

3. *Laudamini in nomine ſancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum.* B

25. q. 1. c. Revertimini.

4. *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus ſemper.*

TITULUS *Alleluia.* Iſte eſt primus Pſalmus alleluiaticus ſecundùm *Hieronymum*, ſcilicet, intitulatus cum *Alleluia*: nam *alleluia* interpretatur, *laudate Deum.* Ex quo ſequitur, quòd omnes Pſalmi in quibus narrantur laudes Dei, poſſunt dici *Alleluiatici*, licèt non ponatur talis titulus, niſi in viginti Pſalmis tantum. Unde eſt advertendum, ſicut ſuperius frequenter eſt dictum, quòd David in deſcriptione Templi ſibi tradita à Spiritu ſancto, intellexit myſteria futura Chriſti & Eccleſiæ, ut ipſe dicit 1. *Paralip. penult.* & ſic fecit plures Pſalmos ad laudandum Deum, appropriatos certis feſtivitatibus & temporibus, ut patet 1. *Paralip.* 16. ubi dicitur: *Quòd Sacerdotes ſtabant in officiis ſuis, & Levitæ in organis carminum quæ fecit David ad laudandum Deum, quoniam in æternum miſericordia ejus &c.* Inter quos fecit iſtum Pſalmum & ſequentem, ut patet 1. *Paralip.* 16. Ex quo patet, quòd iſte Pſalmus principaliter eſt factus ad laudandum Deum: ideo præponitur Titulus *Alleluia*, & in duobus ſequentibus, in quibus narrantur laudes domini, & mirabilia. Sed eſt differentia: Nam in iſto narrantur mirabilia Dei, referendo ad ejus juſtitiam, & in tertio referendo ad ejus promptam miſericordiam. C D

Sed eſt advertendum, quòd licèt iſti tres Pſalmi videantur hiſtoriales; tamen non ſunt intelligendi ad ſolam hiſtoriam. Nam David bene noverat in ſpiritu, quòd mirabilia myſteria in his Pſalmis narrata, non erant facta gratiâ ſui, ſed prout figurabant mirabilia, quæ Chriſtus erat facturus in noſtra redemptione. Et omnes Patriarchæ & Prophetæ noverant ex revelatione, quòd non poterant liberari & ſalvari, niſi per Verbum & Chriſtum incarnatum, in quo omnes receperunt repromiſſiones, *ad Hebræos* 11. Ad hunc ergo Deum incarnatum confitendum & invocandum exortabatur David in his tribus Pſalmis, & in cæteris. E

Principalis ergo intentio ipſius David in hoc Pſalmo fuit inducere omnes ad laudem Domini, propter nimiam bonitatem quam oſtendit Patribus propter fidem: ut per myſteria & fidem illorum induceret nos ad fidem Chriſti, & ad recipiendum eum. Duo ergo facit: nam primo invitat omnes ad laudem Dei. Secundò ibi: *Mementote*, dat cauſam, & aſſignat, quarè F eſt laudandus.

Quantum ergo ad primum eſt advertendum, ſicut ſuperius dictum eſt, quòd hæc ſe habent per ordinem, ſcilicet, revereri, honorare, laudare, glorificare, confiteri, adorare. Nam *revereri* eſt, aliquod majus bonum in alio, quam in ſe exiſtimare. *Honorare* autem eſt, reverentiam exhibere propter illud bonum. *Laudare* eſt, honoratum commendare. *Glorificare* eſt, laudes ipſius honorati largè lateque præconizare. *Confiteri* eſt, Deum & Dominum univerſalem affirmare coram hominibus. *Adorare* eſt, reverendum, honorandum, & glorificandum propter eminentiam omnipotentiæ & ſanctitatis colere, & omni alia ſpe poſtpoſitâ ſe totum illi ſubjicere: & hoc ſoli Deo pertinet & convenit. *Nota de adoratione &c.*

Ex quo patet, quòd *adoratio* contiG net in ſe omnia alia, ſcilicet, reverentiam, honorem, & laudem, & gloriam, ſive glorificationem & confeſſionem, Et ideo cum intentio David ſit inducere populum ad recidiendum Meſſiam Chriſtum; ideo exhortatur ipſum populum ad laudandum, & honorandum, reverentiandum, & glorificandum, & adorandum eum: cum ſit Dominus Deus noſter, Deus & Homo, ut patebit. Et hunc ordinem explicat in tota prima parte.


Dicit ergo: O populе Dei, *confitemini Domino* noſtro Jeſu-Chriſto confeſſione laudis & fidei, confitendo ipſum eſſe Deum, licèt appareat in forma humana: *Et invocate nomen ejus*, quod eſt Jeſus, & Salvator: quia *non eſt aliud nomen ſub* H *cœlo, in quo poſſimus ſalvari, niſi hoc nomen Jeſus.* & quia non ſolùm veniet ad ſalvandum Judæos, ſed etiam Gentiles, cum ſit Redemptor & Salvator univerſalis: ideo *Annuntiate inter Gentes opera ejus*, cùm vos Apoſtoli peragrabitis univerſum mundum *prædicando Evangelium omni creaturæ, & in nomine ejus ejicietis dæmonia &c.* Et vos membra Chriſti, & tota Eccleſia ex Judæis & Gentilibus congregata, *cantate ei, & pſalite ei*

lau-

laudes & carmina, & officia Canonica: & *narrate omnia mirabilia ejus* in choro & pulpito: quia hoc est Deum glorificare, scilicet, ipsum reverentiandum & honorandum commendare, & laudes ejus largè lateque præconizare. A

Sed quia non sufficit nos Deum & Christum ore laudare, sed etiam in eo laudari; nam tunc quis in Deo laudatur, cum bene vivendo secundùm Legem Christi, bonum exemplum cæteris præbet, ut videndo bona opera ejus, *glorificent Patrem, qui in cœlis* est: ideo subdit; *Laudamini*, id est, faciatis bona opera, ut laudemini in nomine sancto ejus, videndo opera vestra & exempla: & sic *lætetur cor* fidelium *quærentium Dominum*, & videntium vestra opera bona: quia lætantur justi, cùm vident bona opera, & exempla in proximo: per oppositum tristantur pravi invi- B dentes fraternæ charitati.

Sed quia non sufficit Deum, sive Christum laudare & glorificare, sed etiam tanquam Deum colere & invocare, & omni aliâ spe postpositâ, nos tota intentione illi subjicere, quod pertinet ad cultum Latriæ & adorationem: ideo subdit: *quærite Dominum* Jesum-Christum, & non alium, *& confirmamini* in eo tota spe, & intentione, & devotione, & confidentia absque omni hæsitatione & dubio, quia solus ipse potest salvare: & quia oportet perseverare, & frequenter & assiduè pulsare ad ostium: ideo *quærite faciem ejus semper*, scilicet majestatem, & misericordiam: quia *multus est ad ignoscendum*, & C paratus ad parcendum. Item, hoc dicebatur Judæis & Gentilibus ante adventum Christi, scilicet, *quærite faciem ejus*, id est præsentiam, ut veniat ad salvandum: nobis autem nunc dicitur *quærite faciem ejus semper*, hîc per gratiam, & in futuro facialiter per gloriam. Unde per *faciem Dei* in scriptura semper intelligitur humanitas Christi, per quam cognitio divinitatis designatur.



D 5. *Mementote mirabilium ejus, quæ fecit: prodigia ejus, & judicia oris ejus.* *Genes. 16 Et. 25. & 28.*

6. *Semen Abraham servi ejus: filii Jacob electi ejus.*

7. *Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.*

8. *Memor fuit in sæculum testamenti sui; verbi, quod mandavit in mille generationes:* *Gen. 12; & Genes. 22.*

E

9. *Quod disposuit ad Abraham: & juramenti sui ad Isaac.*

10. *Et statuit illud Jacob in præceptum: & Israel in testamentum æternum,* *Gen. 11. Gen. 28.*

11. *Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.* *Gen. 16.*

F HÆC est secunda pars principalis, in qua reddit causam, quare Deus est laudandus, & glorificandus, & colendus. Sed quia causa talis est collatio beneficiorum facta antiquis Patribus, in qua Deus ostendit suam omnipotentiam, & bonitatem, & largitatem: ideo simul exhortatur nos ad confessionem beneficiorum, sive gratiarum actionem: ideo ista secunda pars dividitur in tres partes, sive particulas. Nam in prima memorat beneficia quæ Deus contulit *Abrahæ*, & *Isaac*, & *Jacob* propter justitiam fidei: secundò, beneficia collata *Joseph*: tertiò, beneficia collata *Moysi*, & toti populo *Israel* in exitu de Ægypto: eò quòd maximè isti fuerunt figura Christi futuri. Secunda ibi: *Et vocavit famem.* Tertia ibi: *Et intravit Israel in Ægyptum.*

G Quantum ad primum est notandum, quòd *beneficia* collata Patribus simul sunt dicta *mirabilia*, & *prodigia*, & *judicia*. Dicebantur enim *mirabilia*, in quantum fuerunt facta supernaturam, ut putà, transitus maris *Rubri &c.* dicebantur *prodigia*, in quantum aliquid præfigurabant & protendebant futurum in Christo, & Ecclesia. Dicebantur *judicia*, in quantum puniebant in fideles & malos, ut putà, decem plagæ & flagella illius populi &c. & ideo iste Psal- *Beneficia præstita Patribus dicuntur prodigia.*

mus

mus, & cæteri triplici reſpectu leguntur in Eccleſia : Primò, in memoriam, in quantum memorantur beneficia, & illa A mirabilia facta, & collata antiquis. Secundò, leguntur ad prophetiam, in quantum figurabant futura myſteria de Chriſto & Eccleſia. Tertiò, leguntur ad doctrinam & bonos mores, in quantum nos inducunt ad finem ex imitatione ſanctorum Patrum, & ad timorem judicij divini ex punitione illorum malorum, & rebellium, & infidelium. Ideo iſte Pſalmus & cæteri, non ſolùm eſt exponendus litteraliter, ſed principaliter eſt exponendus allegoricè & litteraliter de Chriſto & Eccleſia, & ex conſequenti moraliter. Sed quia faciliter unuſquiſque poteſt ſibi ſumere doctrinam moralem per ea quæ memorantur : ideo poſt ſenſum litteralem, principaliter eſt inſiſ- B tendum in allegorico & ſpirituali.

Dicit ergo David : *Confitemini* confeſſione fidei & laudis propter beneficia recepta : *& mementote mirabilium quæ fecit* Patribus antiquis, in quantum fuerunt facta ſupra naturam : & *mementote*, quæ prodigia fecit, in quantum figurabant Chriſtum & Eccleſiam : & *judicia oris ejus*, in quantum malos punivit ex præcepto ſuo. Et incipit conſtructio in verſu ſequenti. Quaſi dicat : *O ſemen Abraham* non ſolùm ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum & promiſſionem, & *O filii Jacob electi ejus*, ſcilicet, electi ipſius Dei, *mementote mirabilium ejus, quæ fecit* : & *prodigia & judicia oris ejus.* C

Nam *ipſe* Chriſtus *Dominus Deus noſter* eſt, licèt veniat ad nos in forma hominis & ſervi ; & ideo *judicia ejus*, & Lex Euangelica, fient *in univerſa terra* manifeſta : nam ſicut figuraliter *memor fuit teſtamenti* quod promiſit ad *Abraham*, & *Iſaac*, & *Jacob*, dando ſucceſſoribus eorum terram *Chanaam*, ita *memor fuit*, quando venit in carne, *in ſæculum*, id eſt, quando venit in carne temporaliter, tunc *memor fuit verbi in ſæculum*, id eſt, quod æternaliter propoſuit infallibiliter ſervandum, ſcilicet, teſtamenti promiſſi, & *verbi quod mandavit in mille generationes*, id eſt, à progenie in progenies. Et ponitur numerus determinatus pro indeterminato, id eſt, per multas generationes : quod qui- D dem *teſtamentum* Deus *diſpoſuit ad Abraham*, cùm dixit : *Egredere de terra &c. Geneſ.* 12. & cùm dixit: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, *Geneſ.* 22. Et *memor fuit juramenti*, *quod diſpoſuit ad Iſaac*, cùm dixit : *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, *Geneſ.* 11. & quia cum *juramento* promiſit Deus Chriſtum venturum, figuratum per ſacrificium ipſius *Iſaac. Et ſtatuit* & firmavit *illud* teſtamentum Deus ipſi *Jacob in præceptum*, cùm apparuit ipſi in *Bethel*, *Gen.* 28. Et poſtea toti *Iſrael in teſtamentum æternum* ; vel ipſi ſoli E *Jacob*, qui in luctatione vocatus eſt *Iſrael.*

Et quia unicuique iſtorum promiſit terram Chanaam, ſcilicet *Abrahæ*, *Geneſ.* 25. & *Jacob*, *Geneſ.* 28. ideo ſubdit : *Diſpoſuit teſtamentum ſuum &c. dicens* unicuique iſtorum : *Tibi dabo terram Chanaam*, ſcilicet, *funiculum*, & menſuram, & ſortem *hæreditatis veſtræ.* Quaſi dicat: *Confitemini*, *& invocate nomen* Chriſti, & *quærite faciem ejus ſemper* : quoniam *ipſe* eſt *Dominus Deus noſter &c.* quoniam *memor fuit teſtamenti*, id eſt, quia implevit quod promiſit ipſi *Abrahæ*, dicens : *In ſemine tuo &c.* cùm per mortem & paſſionem & reſurrectionem nos abſolvit à maledictione *Evæ*, & per Baptiſmum nos F ſanctificavit. Et cùm natus eſt ex Virgine, tunc implevit quod promiſerat : *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Nam *Virgo Maria* deſcendit de *Abraham* per *Iſaac* : & tunc *dedit nobis terram Chanaam in poſſeſſionem æternam*, cùm in die Aſcenſionis penetravit cœlos, & ſedet à dextris Patris, & præparavit nobis ſedes æternas : quod minimè de terra materiali *Palæſtinæ* verificari poteſt : tunc enim præparavit unicuique ſedem & manſionem ſecundùm menſuram & funiculum gratiarum & meritorum : nam unuſquiſque juxta menſuram meritorum & gratiæ poſſidet illam hæreditatem.

Nota, quòd *Chanaam* interpretatur *negotiatio*, ſive *mercatio* : & ideo per *ter-* G *ram Chanaam* intelligitur Regnum Cœlorum, quod non poteſt acquiri, niſi per negotiationem operum miſericordiæ, & laboris. Unde ait Salvator, *Matth.* 11. *Regnum Cœlorum vim patitur*, *& violenti rapiunt illud.* Et *Euſebius* : *Regnum Cœlorum paupertate*, *& fletu*, *& miſeria*, *& perſecutione emitur*, *& cum labore acquiritur*, *& cum negotiatione quinque*, *& duorum talentorum adipiſcitur* : *& cum uſura unius talenti comparatur*, *Matth.* 25. Ex quibus patet, quòd *terra Chanaam* Patribus promiſſa in poſſeſſionem æternam, eſt Regnum Cœlorum.

Ut patet Genes. 11. & 12. & 26.

12. *Cum essent numero brevi, pauciſsimi & incolæ ejus.* A

13. *Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum;*

Ut patet Geneſ. 12. & 26. per 19. c.

14. *Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges.*

15. *Nolite tangere Chriſtos meos: & in Prophetis meis nolite malignari.* B

HIC oſtendit ſpecialia beneficia collata primis Patriarchis propter virtutem fidei: quia ſemper Deus eos cuſtodivit in peregrinationibus ſuis inter gentes extraneas, & feroces: nec permiſit eos lædi, immò flagellavit eos lædentes. Unde dicit, quòd *cùm* ſancti Patres in principio, ſcilicet *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob eſſent pauciſsimi*, *incolæ*, & advenæ, & peregrini in *numero brevi*, *pertranſierunt de gente in gentem*, *& de regno ad populum alterum* abſque læſione. Nam primò, *Abraham* cum patre ſuo *Thare* & fratre ſuo *Nachor*, venit de *Chaldæa* in *Meſopotamiam*, ut patet *Geneſ.* 11. & poſtea de *Meſopotamia* in terram *Chanaam*, *Geneſ.* 12. & exinde propter famem & inediam tranſivit in *Ægyptum*, & poſtea in *Geraris*. Et ſimiliter *Iſaac*, ut patet *Geneſ.* 26. & poſtea *Jacob* profectus eſt de terra *Chanaam* in *Meſopotamiam*: & exinde deſcendit in *Ægyptum* cum filiis & nepotibus: & tamen in nullo iſtorum locorum *reliquit*, nec permiſit aliquem *hominem nocere eis*. C

Nam primò, *Abraham* liberatus eſt de *Ur Chaldæorum*, & Deus *corripuit* Chaldæos, & flagellavit propter eum, ſicut & *Pharaonem* Regem Ægypti, eò quòd detinebat *Saram* uxorem ejus: & *Abimelech* Regem *Geraræ* propter eamdem cauſam, *Geneſ.* 12. & 20. & ita pariter non permiſit ut *Laban* noceret *Jacob*, cùm inſequeretur eum, nec etiam *Eſau* frater ejus: ita etiam Deus flagellavit, & *corripuit* Regem *Geraræ* propter *Iſaac*, *Geneſ.* 26. quaſi Deus diceret: *Nolite tangere* Patriarchas & ſanctos *Chriſtos meos*, *& in Prophetis meis*, id eſt, in Prophetas meos nolite malignari. D

Unde nota: quòd licèt *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob* non fuerint uncti oleo materiali, ſicut Sacerdotes & Reges poſt Moyſen: tamen fuerunt uncti oleo ſpirituali Spiritus ſancti; & ſic fuerunt veri Prophetæ, quia multa myſteria Chriſti & Eccleſiæ præviderunt in ſpiritu & figura: & ideo vocat hîc eos *Prophetas*, & *Chriſtos*. Nam primò cum *Abraham* receſsit à *Chaldæa*, & *Aran* ex præcepto Dei, prævidit in ſpiritu, quòd omnes Gentiles, relictâ idololatria, erant venturi ad Eccleſiam, & fidem Chriſti, *Geneſ.* 12. Item, per vaccam triennem, & capram trimam, & arietem trium annorum, & turturem, & columbam, prævidit in ſpiritu totum diſcurſum poſteritatis ſuæ uſque ad Chriſtum, ut patet *Geneſ.* 15. Item, quando voluit immolare filium ſuum *Iſaac*, prævidit totum myſterium Paſſionis Chriſti: & facta fuit ipſi promiſſio in ſemine ejus de Chriſto & Eccleſia, *Geneſ.* 22. Item, quando Jacob vidit ſcalam, & ſudit oleum ſuper lapidem &c, *Geneſ.* 28. tunc in ſpiritu prævidit totum myſterium Incarnationis, & Paſſionis Chriſti, & futuram proſperitatem Eccleſiæ: & ideo cùm benedixit filiis ſuis, prædixit omnia quæ ventura erant eis uſque ad Chriſtum: & cùm benedixit filio ſuo *Judæ*, manifeſtè prædixit regnum Chriſti, & Eccleſiæ, & paſſionem, & reſurrectionem &c. *Geneſ.* 49. E F

Abraham Iſaac, & Jacob fuerunt Prophetæ.

Ex quo patet, quòd omnes iſti Patriarchæ fuerunt *Chriſti*, in quantum fuerunt uncti oleo Spiritus ſancti: & etiam *Jacob* fuit unctus oleo materiali, cùm unxit lapidem oleo, & *erexit ipſum in titulum*, *Geneſ.* 28. Item, omnes iſti fuerunt Prophetæ: quia Spiritu ſancto illuſtrati & moti, multa futura prædixerunt, & præviderunt de Chriſto & Eccleſia, ut dictum eſt: & ideo dicit David in perſona Dei: *Nolite tangere Chriſtos meos*, *& in Prophetis meis nolite malignari.* G

Ex quo patet, quòd David in hoc Pſalmo non ſolùm intendit narrare hiſtorias, ſed & intendit deducere nos ad fidem Chriſti, & cognitionem myſteriorum, & beneficiorum futurorum per Chriſtum, quæ in memoratis beneficiis figurabantur.

Nam David non ſolùm eſt hiſtoriographus, ſed Propheta, ut dictum eſt. Quaſi dicat: *Mementote mirabilium*, quæ Chriſtus facturus eſt in ſua nativitate, & ſua prædicatione, & paſſione, quæ ſunt figurata per mirabilia & beneficia collata prædictis ſanctis Patriarchis & Prophetis. Nam de ſemine iſtorum eſt Chriſtus naſciturus ſecundùm carnem &c. id eſt, de *Virgine Maria*. Et ſicut paſsi ſunt perſecutiones: ita & Chriſtus paſſurus eſt. Et ſicut iſti fuerunt liberati: ita & Chriſtus eſt liberandus per reſurrectionem. Et ſicut iſti peregrinati ſunt: ita & Eccleſia erit peregrina & afflicta, & in fine liberata &c. H

Ergo ſicut illi Patriarchæ laudaverunt

&

& confessi sunt Deo confessione fidei & laudis propter beneficia à Deo recepta: ita & vos *confitemini Domino* Jesu-Christo Deo & homini, propter beneficia incarnationis & redemptionis &c. nam hoc est *testamentum quod Deus disposuit ad Abraham: & juramentum ad Isaac.* Et ista, scilicet, Ecclesia *Militans* & *Triumphans*, est illa *terra Chanaam* quam Deus promisit *Abrahæ*, & semini ejus *in funiculum hæreditatis &c.* Quia omnia illa quæ ibi fuerunt impleta litteraliter & figuraliter in testimonium & pactum, sunt spiritualiter implenda per Christum. Quia ille nos debet introducere in terram viventium promissam, in qua fruemur bonis gratiæ in præsenti, & bonis gloriæ in futuro. A

Exo. 10. 16. *Et vocavit famem super terram: & omne firmamentum panis contrivit.* B

Gen. 37. 17. *Misit ante eos virum: in servum venundatus est Joseph.*

Gen. 39. & 40. 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.*

19. *Eloquium Domini inflammavit eum: misit rex & solvit eum;* C *princeps populorum, & dimisit eum.*

Gen. 41. 20. *Constituit eum Dominum domus suæ: & principem omnis possessionis suæ.*

21. *Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum: & senes ejus prudentiam doceret.* D

Gen. 46. 22. *Et intravit Israel in Ægyptum: & Jacob accola fuit in terra Cham.*

E 23. *Et auxit populum suum vehementem: & firmavit eum super inimicos ejus.* Gen. 3. & 14. q. 5. cap. Dixit Dominus.

HIC memorat beneficia mirabilia collata *Joseph* in figuram Christi. Dicit ergo, quòd causa quare Deus exaltavit *Joseph*, fuit ista. Nam Deus *vocavit* & procuravit *famem super terram*, subtrahendo influentiam & gratiam suam, prohibendo cœlum, & elementa &c. *Et* sic *omne firmamentum*, & sustentamentum *panis contrivit*, & minoravit. Et tunc *misit virum* Joseph *ante eos*, scilicet, Ægyptios; vel ante fratres suos: qui *venundatus* fuerat à fratribus suis *in servum* & captivum Ismaelitis: & postea Ægyptii, scilicet, *Putiphar* & servi ejus *humiliaverunt pedes* ipsius Joseph *in compedibus* carceris, & *ferrum* catenarum & compedum *pertransivit animam*, id est, vitam & vires *animæ ejus*; & stetit in carcere, *donec veniret verbum ejus*, scilicet, interpretatio somniorum illorum duorum sociorum, qui erant vincti cum eo. Quia tunc *eloquium Domini*, scilicet, spiritus prophetiæ *inflammavit* & illustravit ipsum Joseph, ut interpretando somnia, prædiceret futura. Tunc Pharao *rex* Ægypti *misit principes* & magnates *populorum*, *& solvit eum* à vinculis, & dimisit liberum. Et factâ interpretatione de septem vaccis pinguibus, & macilentis, *constituit eum Dominum* totius *domus suæ*, *& principem* & rectorem *possessionis suæ*: *ut erudiret* omnes *principes* Ægypti, *& senes ejus prudentiam doceret* in agibilibus. Et sic providit de frumento in septem annis pinguibus pro sequentibus sterilibus, ut patet *Genes.* 41. Et sic fuit exaltatus & veneratus tanquam rex in Ægypto. F G

Sed quia per exaltationem *Joseph* post venditionem & incarcerationem, prævidit David exaltationem Christi, & regni ejus post venditionem, & mortem, & passionem, & resurrectionem: ideo per hoc nos intendit deducere ad laudem & confessionem fidei Christi propter beneficia redemptionis &c. Quasi dicat David: O fideles, qui estis *semen Abrahæ* secundùm spiritum, *mementote &c.* quoniam sicut *Joseph* fuit venditus à fratribus viginti denariis: ita & Christus est vendendus à Juda discipulo suo triginta argenteis. Et sicut *Joseph* fuit positus in carcere: ita Christus in sepulchro. Et sicut *Joseph* abstractus à carcere interpretatus est somnium *Pharaonis*: ita Christus post resurrectionem interpretatus est *Apostolis* sensum scripturarum, ut patet *Lucæ ultimo.* Et sicut *Joseph* liberavit Ægyptum à fame corporali ex sua providentia: ita Christus liberavit H

genus humanum à morte & fame ſpirituali per Legem Euangelicam, & Sacramenta Eccleſiaſtica. Et ſicut rex *Pharao* exaltavit *Joſeph* poſt exitum carceris ſuper totam Ægyptum, & omnes principes & magnates : ita Deus Pater exaltavit Filium ſuum poſt reſurrectionem & aſcenſionem ſuper Angelos & homines, & *data eſt ei poteſtas in cœlo & in terra.* Et ſicut *Joſeph* introduxit patrem ſuum *Jacob*, & fratres ſuos in Ægyptum, ubi erat abundantia frumenti &c. ita Chriſtus introduxit fratres ſuos *Apoſtolos* in fertilitatem ſcripturarum, & Sacramentorum Eccleſiæ, in qua ſumus *accolæ*, & peregrini. Et ſicut *Joſeph*, ſive Deus, *auxit populum ſuum* in Ægypto, *& firmavit eum ſuper inimicos ejus* Ægyptios : ita Chriſtus *auxit populum ſuum* chriſtianum, & fideles ſuos, *& firmavit ſuper inimicos ejus* Judæos, & cæteros infideles. Omnia ergo ſupradicta myſteria de Chriſto & Eccleſia prævidens David in ſpiritu, adducit myſterium Joſeph in figura.

Exod. 3. Et de Pœ. d. 1. Qui ſunt.

24. *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus : & dolum facerent in ſervos ejus.*

25. *Miſit Moyſen ſervum ſuum; Aaron, quem elegit ipſum.*

Exod. 10. c.

26. *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum, & prodigiorum in terra Cham.*

HIC memorat mirabilia beneficia collata Moyſi, & populo Iſrael propter fidem eorum ; & memorat punitionem & afflictiones *Pharaonis*, & Ægyptiorum, propter infidelitatem & duritiam eorum. Et primò aſsignat cauſam. Nam ut patet *Exod.* 1. videntes Ægyptii filios Iſrael in tam magnum numerum creviſſe, & in bonis temporalibus abundaſſe, moti invidiâ, cogitaverunt eos debilitare, & dura opera, & vectigalia eis imponere : & præcepit rex obſtetricibus, ut maſculos ſtrangularent &c. Et hæc eſt cauſa quare filii Iſrael clamaverunt ad Dominum. Unde Dominus *miſit Moyſen & Aaron* ad liberandum eos. Ideo ait David : Dominus *convertit cor eorum*, ſcilicet, Ægyptiorum, *ut odirent populum* ſuum Iſrael, invidentia fraternæ charitatis & proſperitatis, *& dolum facerent in ſervos ejus*, dura onera, & labores in luto & lateribus imponendo, *& dolum* de pueris ſtrangulandis machinando.

Et dicit : *Convertit cor eorum* : non quod Deus impelleret eos ad malum agendum, cum non ſit author malorum ; ſed quia permiſit cor eorum perverti, *ut odirent populum ejus*, dimittendo eos in ſua malitia & duritia, non largiendo gratiam propter peccata eorum præcedentia : quia *peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox per ſui pondus in aliud trahit* : & ſic *filii Iſrael* habuerunt cauſam clamandi ad Dominum. Tunc Deus compaſſus illi populo, *miſit Moyſen ſervum ſuum*, apparens ei in rubo : & *miſit* cum eo *Aaron, quem elegit* in ſocium ad loquendum ante *Pharaonem*, ut patet *Exod.* 3. Et *poſuit in eis* Dominus *verba ſignorum ſuorum*, eos informando, quomodo loquerentur ante *Pharaonem*, in quorum verbis & virga erat virtus faciendi ſigna & prodigia.

Et dicuntur *ſigna*, in quantum ſignificabant virtutem & potentiam Dei. Et ideo dixerunt *Magi Pharaoni : Digitus Dei eſt hic.* Et dicuntur *prodigia*, in quantum aliud futurum protendebant. Nam illæ decem plagæ ſignificabant decem damna, quæ patitur hodie populus Judaicus propter peccatum infidelitatis, ut ſupra dictum eſt *Pſalmo* 77. Et dicitur Ægyptus *terra Cham*; eò quòd *Meſrain* filius *Cham* populavit Ægyptum.

Pſal. 77. c.

27. *Miſit tenebras & obſcuravit : & non exacerbavit ſermones ſuos.*

28. *Convertit aquas eorum in ſanguinem : & occidit piſces eorum.*

Exod. 7. d.

29. *Et dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipſorum.*

Exod. 90. cap. Alius cœnomyia

30. *Dixit, & venit cœnomyia : & ciniphes in omnibus finibus eorum.*

31. *Poſuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipſorum.*

32. *Et percuſsit vineas eorum, & ficulneas eorum : & contrivit lignum finium eorum.*

Di-

33. *Dixit & venit locuſta, & bruchus, cujus non erat numerus.* A

Exod. 10. d. *Et* 16. q. 1. *Revertimini.*

34. *Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.*

Pſal. 18. a.

35. *Et percuſit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.* B

36. *Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.*

37. *Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos.*

38. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem.*

Ex. 103. d.

HIC incipit enumerare ſigna & prodigia, quæ fecit Dominus per *Moyſen*, ſed non eodem ordine quo facta ſunt. C Unde primò ponit nonam plagam, quando miſit tenebras per totam Ægyptum, *Exod.* 10. Ideo ait: *Miſit* Dominus per Moyſen *tenebras, & obſcuravit* totam Ægyptum: & Deus, vel Moyſes *non exacerbavit ſermones ſuos*: Nam ſemper cum benignitate exhortabatur & loquebatur *Pharaoni*, ut dimitteret populum. Et cum *Pharao* ceſſabat à malitia, & promittebat, pariter ceſſabat plaga: & ſic ſermones *Moyſi* cùm dulcedine procedebant. In ſecundò loco ponit primam plagam, cùm dicit: *Convertit aquas eorum in ſanguinem*, ne poſſent bibere de aqua *Nili*, & *occidit piſces eorum.* In tertiò loco ponit D plagam ſecundam, quando dedit *ranas* in *terra eorum* in tanta quantitate, quòd penetrabant totum regnum, exeuntes ab aquis. In quarto loco ponit quartam plagam, quæ fuit *muſca canina.* Nam dixit Moyſes in virtute Dei, vel Deus *dixit*, id eſt, præcepit, *& venit cœnomyia*; venerunt etiam *cinifes*, quæ fuit tertia plaga, *in omnibus finibus eorum. Poſuit* etiam *pluvias eorum grandinem*, quæ fuit ſeptima plaga, quando venit grando mixta cum E igne, ſcilicet fulminibus & corruſcationibus: *& percuſsit vineas eorum, & ficulneas, & contrivit* omne *lignum*, id eſt, omnes arbores *finium eorum.* Et *dixit* etiam, & præcepit, *& venit locuſta & bruchus*, quæ fuit ſexta plaga: quæ quidem locuſta & bruchus corroſerunt quod remanſerat. Ultimò ponit decimam plagam, cùm dicit: *Et percuſsit omne primogenitum in terra eorum*, & *primitias omnis laboris eorum*, tàm hominum, quàm beſtiarum, & pecudum. Et ſequitur: *Et eduxit eos* Moyſes *cum argento & auro* quod mutuò acceperant à vicinis ex præcepto Domini: *Et non erat* aliquis *infirmus in tribubus eorum.* Nam cùm Ange- F lus Domini percuſſiſſet omnia primogenita Ægypti, ab homine uſque ad pecus; ſoli filii Iſrael fuerunt immunes, eò quòd unxerant limina & poſtes ſanguine agni, ut patet *Exod.* 12. Et ſic ſalvi facti ſunt filii Iſrael ab illa plaga & infirmitate. Et ſic *lætata eſt Ægyptus*, & totus populus, in *profectione* & receſſu *eorum*, ſcilicet filiorum Iſrael, *quia incubuerat timor ſuper* Ægyptios ex morte primogenitorum. Et tunc Deus *expandit nubem in protectionem eorum:* & etiam expandit *ignem*, *ut luceret eis per noctem.* Nam nubes ducebat eos in die, & columna ignis per noctem, *Exod.* 13. Et hoc fuit primum & maximum beneficium poſt exitum de Ægypto, quantum ad continuum ducatum.

Sed hic quæritur: utrum filii Iſrael peccaverint, & commiſerint furtum, & mendacium, aſportando ſecum vaſa argentea & aurea, quæ mutuò acceperant ab Æ- G gyptiis? Cùm ſit contra illud præceptum: *Non furtum facies.* Ad hoc reſpondent communiter Doctores: quòd illemet Deus, qui dixit: *Non furtum facies* generaliter; ille idem dixit tunc ſpecialiter, ut filii Iſrael acciperent mutuò illa vaſa, & portarent ſecum; ideo non egerunt contra voluntatem Dei: immò impleverunt Dei voluntatem, qui eſt Dominus auri & argenti, & omnium creaturarum: ideo filii Iſrael non fecerunt contra præceptum Dei, qui eſt conditor Legis: nec facta fuit injuria Ægyptiis; eò quòd erant debitores filiis Iſrael, quos per longa tempora violenter oppreſſerant, & abſque mercede ab eis ſervitia acceperant. Ideo voluit, ut H in ſolutionem & ſtipendium ſuorum laborum acciperent filii Iſrael illa vaſa argentea & aurea. Sed addit *Auguſtinus*, quòd Deus non ſine cauſa illud præcepit: Nam quia Ægyptii abutebantur auro & argento, faciendo ex eis Deos aureos & argenteos, & vaſa, & cætera utenſilia ad uſum ſacrificiorum falſorum Deorum: ideo Deus voluit, ut auferretur ab Ægyptiis aurum & argentum, ut filii Iſrael commutarent illa vaſa aurea in meliorem uſum, ſcilicet,

Si filii Iſrael peccaverint à ſportando vaſa Ægyptiorum?

ad ornatum tabernaculi & ad cultum veri Dei : quia ex illa copia auri & argenti obtulit unusquisque pro vasis & utensilibus fabricandis ad cultum veri Dei , ut patet *Exod.* 28. A

Item , addit *August.* quòd illud factum est in figura & ad doctrinam nostram: Nam absque peccato nos accepimus à Philosophis gentium scientias Mathematicas, & naturalem & moralem Philosophiam, & complures morales doctrinas , applicando & convertendo eas in meliores usus, scilicet, ut ancillentur & serviant nostræ sacræ *Theologiæ* , de quibus ait *Salomon*, *Proverb. 9. quòd Sapientia vocavit ancillas suas ad arcem &c.*

Ex.16.c. Exod 17. 7. b.

39. *Petierunt , & venit conturnix: & pane cœli saturavit eos.*

B

40. *Dirupit petram , & fluxerunt aquæ : abierunt in sicco flumina.*

SECUNDUM beneficium fuit , quia *petierunt* carnes , & cibum , *& venit conturnix*, *& pane cœli saturavit eos* , scilicet , *Manna* de cœlo misso : & duravit per quadraginta annos usque ad terram promissionis , *Exod.* 15. & *Numer.* 20. Tertium beneficium fuit , quando *dirupit petram* , *& fluxerunt aquæ* , & *in sicco abierunt* & emanarunt *flumina* : quare Deus non defecit eis in ducatu , nec in cibo , nec in potu.

41. *Quoniam memor fuit verbi sancti sui , quod habuit ad Abraham puerum suum.* C

Exod.12. c. Et de consec. d. 2. Quid sit sanguis.

42. *Et eduxit populum suum in exultatione , & electos suos in lætitia.*

43. *Et dedit illis regiones Gentium : & labores populorum possederunt.*

44. *Ut custodiant justificationes ejus , & legem ejus requirant.* D

ET hæc omnia non fecit Deus meritis eorum , cùm essent rebelles , sed ut impleret quod promisit *ad Abrahам puerum* , & verum , & fidelem famulum *suum* , cui promisit illam terram pro semine suo. Et sic Moyses , sive Deus per Moysen , *eduxit populum suum* cum *exultatione* , *& electos suos* cum *lætitia* & victoria contra *Amalecitas* & *Sehon* regem *Amorrhæorum*, & Og regem *Basan* : & per *Josue dedit eis regiones Gentium*, scilicet à *Dan* usque *Bersabee* , & *labores populorum* Gentilium *possederunt* , illis expulsis & subjectis. Et causa , quare Deus eduxit eos de Ægypto , & dedit eis illam terram , fuit , *ut* libere possent *custodire Legem* Dei , & *justificationes ejus* in illa Lege contentas , quoad judicialia , & cærimonialia , & moralia , *& Legem ejus requirant* , quoad mysteria in Lege clausa & contenta de Messia futuro. E

SECUNDA EXPOSITIO ultimæ partis Psalmi.

F

Expositio allegorica

SED quia David fecit hunc Psalmum non solùm propter litteram , sed principaliter in Prophetiam propter mysteria Christi & Ecclesiæ in prædicta littera clausa & significata , ut in ultimo versiculo ait ; *Ut legem ejus requirant* ; tenebantur enim Judæi exquirere in Lege mysteria Christi , in cujus fide salvabantur : ideo videndus est sensus propheticus & allegoricus hujus ultimæ partis.

Unde notandum : quòd per *Moysen* significatur regnum Christi , & per *Aaron* sacerdotium. Per hoc significabatur , quòd Christus Rex , & Sacerdos erat mittendus ad liberandum genus humanum. Et sic cum totum genus humanum esset afflictum in servitute peccati in potestate diaboli , Christus Rex & Sacerdos & Legifer , ipsum per mortem & passionem & resurrectionem à tenebris & servitute liberavit. Item , cum specialiter populus Israel esset sub jugo Legis , & omnes Patriarchæ & Prophetæ clamassent ad Dominum , ut patet per totum discursum veteris Testamenti. Tunc venit Christus missus à Patre , & prædicavit per totam Judæam , & Gallilæam exhortando populum , ut exiret à jugo Legis , & veniret ad Ecclesiam ad offerendum verum sacrificium : & monuit Principes Sacerdotum & Pharisæos , ut dimitterent populum exire à jugo Legis. At illi prohibuerunt , nec voluerunt credere prædicationi & miraculis Christi , sed ipsum occiderunt , & crucifixerunt. Sed Christus post resurrectionem primò abstraxit sanctos Patres de potestate diaboli & à tenebris inferni. Postea eduxit populum suum , scilicet , Apostolos & Discipulos de populo Judæorum , qui fuit primus populus Christi & Ecclesiæ per Christum abstractus de tenebris ignorantiæ & peccatorum , & jugo Legis. G H

Etiam

Maledictiones Chriſti contra Phariſæos

Etiam eſt advertendum, quòd ſicut *Moyſes* intulit decem plagas Ægyptiis nolentibus dimittere populum: ita Chriſtus A intulit, & reliquit decem maledictiones Scribis & Phariſæis, & Judæis, qui noluerunt dimittere populum à jugo Legis & peccati; immò oppreſſerunt Apoſtolos & Diſcipulos, & perſecuti ſunt Chriſtum, & primitivam Eccleſiam: quas quidem maledictiones enumerat Chriſtus, *Matth.* 23. cùm dicit: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines! vos enim non intratis, nec introëuntes ſinitis intrare.* Nam ſicut *Pharao*, & ejus Principes prohibuerant filios Iſrael, ne exirent de captivitate, & intrarent in terram promiſſionis: ita Scribæ & Phariſæi prohibuerunt illum populum, ne exiret à jugo Legis. Et etiam *Rabini* prohibent Judæos modernos, ne exeant à tenebris & jugo Legis & peccati, ne veniant ad Eccleſiam, & lumen fidei: & ſic B claudunt eis cœlum; & nec ipſi intrant, nec permittunt alios intrare: & ipſi ductores cœcorum ſimul cùm cœcis, omnes in foveam inferni cadunt. Et ideo Chriſtus dat eis decem maledictiones; unde octies dicit eis, *Væ vobis*; per quæ intelliguntur octo maledictiones, & addit nonam, cùm dicit: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Et ſubdit decimam, cùm ait: *Amen dico vobis, quia non me videbitis donec dicatis, Benedictus qui venit &c.*

Omnes iſtæ decem maledictiones illatæ Judæis fuerunt figuratæ per decem plagas illatas Ægyptiis. Nam illas, & eaſdem patiuntur hodie *Judæi*, non ſolùm ſpiritualiter, ſed etiam temporaliter. Nam C ſicut *Moyſes* convertit aquas Ægyptiorum in ſanguinem: ita Chriſtus convertit aquas, & ſacramenta, & cærimonias Judæorum in ſanguinem. Nam ſacramenta veteris Legis, ſcilicet, Circunciſio &c. quæ antè erant eis ſalubria, nunc ſunt eis mortifera, & nociva, & bibunt ſanguinem, & peccatum. Item, miſit eis Chriſtus ranas: nam ſicut ranæ in aquis cœnoſis & putridis cærimoniarum involuti, ſemper murmurant contra Chriſtum & conqueruntur: quia ejecit eos à ſedibus ſuis: & expulſi extra aquas mundas veræ ſapientiæ, ſemper volvuntur in luto litteræ, ignorantes ſenſum ſpiritualem, & tali aquâ cœnosâ potantur. Item etiam, Chriſtus reliquit eis D *cœnomyiam*, & *ciniphes*, qui eos ſpiritualiter pungunt, ut patet *Pſalmo* 77. Item, intulit eis *locuſtam* & *bruchum*, corrodentes arborem & ficulneam Synagogæ, quæ arida nullum facit fructum, ut patet *Matth.* 22. cùm Chriſtus maledixit ficulneæ, quæ continuò aruit: per quam ſignificata eſt Synagoga. Item, miſit eis *ignem* & *grandinem*, quando venit *Titus*, & *Romani*, & interfecerunt decies centena millia eorum, & totidem captivos duxerunt, & civitatem, & regnum eorum E totaliter deleverunt. Item, *interfecit primogenita eorum*, cùm animas eorum in mortem perpetuam deſtinavit, cùm dixit: *Amen dico vobis, quia non me videbitis &c.* ubi privat eos divina viſione. Ex quo patet, quòd totidem plagas & maledictiones patiuntur hodie Judæi, quot paſſi ſunt Ægyptii. Ideo prudens lector advertat & ſciat adaptare illas decem plagas iſtis decem maledictionibus, quas Chriſtus intulit Judæis, *Matth.* 23. Quoniam illæ figuræ fuerunt iſtarum, quas hodie Judæi patiuntur.

Tria auxilia Chriſtus dedit Chriſtianis ad vitam æternam conſequendã. Primum.

Item, ſicut Deus tunc in exitu Ægypti, dedit populo ſuo tria adjumenta pro itinere: ita Chriſtus, quando liberavit populum ſuum chriſtianum à jugo legis & peccati, contulit tria adjumenta & auxilia neceſſaria nobis in hac vita & peregrina- F tione, uſquequò perveniamus ad *terram viventium* nobis promiſſam. Nam Deus præcepit filiis Iſrael, ut unuſquiſque acciperet mutuò à vicinis ſuis aurum & argentum, & ſuppellectilia, & ita ſpoliaret Ægyptios: & detulerunt ſecum omnia illa bona, Ægyptiis expoliatis & vacuis remanentibus. Ita pariter Diſcipuli, & Apoſtoli, & omnes Fideles acceperunt à Judæis aurum & argentum mutuò, ſcilicet, Legem Euangelicam, & doctrinam Apoſtolicam, quæ latebat in ſcriptura veteris Teſtamenti. Nam ſicut theſaurus latet abſconditus in agro: ita Articuli Fidei, & tota Lex Euangelica, & Eccleſiaſtica Sacramenta latebant in veteri Teſtamento, & ſcriptura Legis & Prophetarum. Et hunc G theſaurum abſtraxerunt Apoſtoli & Fideles à veteri Teſtamento, Judæis expoliatis & vacuis remanentibus, cum ſola ſuperficie litteræ, & paleis cærimoniarum: & nos accepimus fructum, & granum, & verum theſaurum abſconditum in agro, ut patet *Matth.* 13. Hunc profectò theſaurum non habuerunt Apoſtoli ab Æthiopibus, nec Scythis, nec Gentilibus; ſed à Judæis vicinis eorum, & à Lege eis per *Moyſen* promulgata: ideo nullam habent excuſationem.

Deduxit ergo Chriſtus populum ſuum chriſtianum de jugo legis, & tenebris peccati & ignorantiæ, *cum argento & auro*: ſcilicet, cum Lege Euangelica, & doc- H trina Apoſtolica, à veteri Teſtamento excerpta & collecta, in tantum quòd *in tribubus eorum*, ſcilicet, Fidelium Chriſtianorum, *nullus fuit infirmus*: quia medelâ Sacramentorum ſanati ſunt per Chriſtum, Judæis manentibus afflictis cum prædictis decem plagis, & maledictionibus.

Secundum

Secundum adjumentum, quod Deus contulit illi populo, fuit: *Expandit ſuper eos nubem*, ut protegeret eos per diem, & *columnam ignis*, ut præcederet, & lu-

ce-

ceret eis per noctem : ita pariter Christus reliquit populo christiano *columnam* Articulorum Fidei, ut luceat nobis per noctem hujus mundi, in cujus lumine ducimur in vitam æternam : & *expandit nobis nubem* suæ charitatis *per diem* gratiæ, in quo sumus, ut nos protegat ab imbribus & ardoribus tentationum. Unde per *noctem* potest intelligi scriptura veteris Testamenti, in qua per lumen Fidei videmus mysteria Christi & Ecclesiæ ibi clausa, & ambulamus per scripturam veteris Testamenti, ducatu luminis Fidei, & non offendimus in lapidem scandali & offensionis. Per *diem* autem intelligitur status gratiæ, in quo indigemus protectione *nubis* desuper extensæ ad conservationem gratiæ & defensionem contra imbres peccatorum & persecutorum Ecclesiæ. Hac nube fuerunt protecti Martyres & armati, quando contemnentes minas principum, non timebant tormenta & exilia, nec carceres &c. Et ideo in hac peregrinatione semper præcedit, & ducit nos *columna* luminis Fidei, & protegit nos nubes charitatis Christi usque ad portum salutis.

Tertium. *Tertium adjumentum* fuit, quando Deus dedit illi populo carnes & panem; scilicet *Manna*, quod duravit usque ad introitum terræ promissionis, in cibum; & percussit petram, & dedit eis aquam in potum: ita pariter Christus dedit populo suo christiano Sacramentum *Eucharistiæ*, in quo manducant Fideles veram carnem Christi sub forma panis qui de cœlo descendit. Itaque dicitur vera caro & verus panis, non materialis sicut antè erat, sub illis accidentibus : sed verus panis Angelorum, qui de cœlo descendit : cujus fruitione Angeli & omnes Beati reficiuntur & felicitantur. Et iste cibus & panis dicitur *Viaticus*, quia est necessarius in hac via & peregrinatione, usquequò perveniamus ad terram viventium. Nam licèt tunc comedamus eundem panem per fruitionem & gloriam : tamen non eodem modo sicut nunc comedimus sacramentaliter, & per gratiam. Et ideo propheticè & figuraliter ait David in hoc Psalmo : *Petierunt, & venit coturnix* figurativa Christi per carnem. *Et pane cœli saturavit eos*, scilicet *Manna* de cœlo misso, figurativo Sacramenti *Eucharistiæ* sub forma panis. Et sic Christus vero *Pane cœli saturavit eos*, scilicet, populum suum christianum. Item, sicut Moyses percussit *petram*, *& dirupit*, *& fluxerunt aquæ*, & bibit populus: ita Christus percussit petram sui corporis, supra quam fundatur Ecclesia, & exivit sanguis in pretium nostrum, & aqua in remissionem peccatorum, & refrigerium, & potum spiritualem, unde sumpserunt virtutem omnia Sacramenta ad medelam peccatorum et refrigerium nostrum. Et ideo dicit: *Dirupit*, scilicet, *petram* sui lateris, & pedum, et manuum ; & *flumina* suæ virtutis et sapientiæ *abierunt in sicco*, id est, per animas nostras, quæ antè erant siccæ et aridæ sine humore fidei et gratiæ.

Quoniam memor fuit ; quasi dicat, quòd tunc impleta fuit promissio facta ipsi Abrahæ, scilicet, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes*, *Genes.* 22. Et, *Tibi dabo terram &c. Genes.* 17. *&c.* Et Christus deduxit populum suum, scilicet, Patres de Limbo inferni *cum lætitia* et exultatione in cœlum ; et etiam *deduxit* Apostolos et Discipulos et omnes Fideles de jugo legis et peccati, liberando eos à captivitate diaboli, *cum exultatione* et victoria resurrectionis : *& electos suos*, scilicet, sanctos Patres de Limbo, *cum lætitia* in cœlo collocando. *Et dedit illis*, scilicet, Apostolis, et Christianis *regiones Gentium*: quia omnia regna Gentium subjecerunt jugo Christi. *Et labores eorum possederunt*: nam Ecclesia non solùm possidet spiritualiter omnia regna Christianorum, sed etiam temporaliter possidet multas civitates et castra per donationem Magni *Constantini*, qui Ecclesiam dotavit de tota Italia &c. Et hoc dominium, et possessionem, et libertatem dedit Christus fidelibus suis, *ut custodiant justificationes ejus*, scilicet, legem justificantem, quia sola Lex Euangelica justificat : et sic operando in ea, justificamur. Et subdit : *Et legem ejus requirant*, id est, in ea meditentur et contemplentur. Duo ergo monet, scilicet, ut contemplemur et exquiramus in Lege viam salutis. Secundò, ut exquiramus justificationes ejus, id est, opere compleamus.

Psalmus CV.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.*

2. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?*

Judi. 3. c. Inf. 106. a. 95. d. ca. Ecce. Et 13. q. 1. cap. Hist ita.

Titulus : *Alleluja, alleluja.* Principalis intentio ipsius David in hoc Psalmo est petere universalem redemptionem per adventum Christi. Sed quia per Christum fuerunt redempti duo populi, scilicet, Judæorum, et Gentilium, ex quibus constat Ecclesia fundata et juncta in *lapide angulari*, id est, Christo Jesu : ideo ponitur duplex *Alleluja*. Sed quia quasi omnes Psalmi leguntur in Ecclesia quadruplici respectu, scilicet, ad laudem Dei. Secundò,

in

in memoriam antiquorum gestorum. Tertiò, ad prophetiam. Quartò, ad doctrinam & exhortationem nostram: ideo Pro- A pheta universaliter omnia ista servat in quolibet Psalmo. Quare David duo principaliter facit in hoc Psalmo. Nam primò exhortatur nos ad laudem Dei, & observationem Legis Divinæ. Secundò, petit universalem redemptionem. Ibi: *Memento nostri Domine.*

Quantum ad primum duo facit: nam primò nos exhortatur ad laudandum Deum. Secundò, ad timendum ejus judicium, & servandam justitiam per observationem Legis. Ibi: *Beati, qui custodiunt.* Dicit ergo: O vos populi, tàm Gentilium, quàm Israelitarum, *confitemini Domino* confessione laudis, id est, laudate Dominum & petite misericordiam, & universalem redemptionem per adventum Christi; *quo-* B *niam misericordia ejus* semper fuit, & erit in æternum propitia petentibus, & pœnitentibus. Nam *quis loquetur*, & explicare poterit, *& faciet auditas* & explicatas *laudes ejus*, quæ ipsi debentur ex miserationibus & beneficiis factis & collatis invocantibus eum? Quasi dicat: nullus hoc poterit explicare. Et hæc est causa quare in Titulo ponitur bis *Alleluja.* Quasi dicat: vos Judæi laudate Dominum, & petite redemptionem: & vos Gentiles laudate &c.

Matth. 5. 12. q. 1. c. Cum devotissimam 1. Petr. 3.

3. *Beati, qui custodiunt judicium,* C *& faciunt justitiam in omni tempore.*

HIC exhortatur omnes ad observantiam Legis, ut dignè valeant impetrare quod petunt: sed quia duo sunt in Lege, scilicet præcepta, quæ prohibent malum fieri sub comminatione pœnæ; & mandata, quæ exhortantur ad bene agendum cum promissione præmii: ideo in duobus consistit observantia Legis, scilicet, in non faciendo malum, *custodiendo*, id est, timendo judicium Dei. Secundò, in faciendo bonum, & desiderando præmium æternum. Ideo ait David: O vos omnes observate Legem Dei. Nam *Beati, qui custodiunt*, id est, timent judicium Dei, *& faciunt justitiam*, id est, justificant semetip- D sos operando secundùm Legem. Hoc etiam potest referri ad *Judices*: quia *Beati* Judices, *qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore* secundùm Leges, malos puniendo, & bonos præmiando, & innocentes absolvendo.

** ** ** ** **
* * * * *
** ** **

E 4. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.* *De Conse. d. 2. c. Semel.*

5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua.*

HÆC est secunda pars principalis, in qua Propheta petit universalem redemptionem & misericordiam per adventum Christi. Sed quia magnanimus maximè inclinatur ad misericordiam, cùm reus F cognoscit, & confitetur peccata sua: & etiam magnificus libenter audit beneficia, quæ quondam fecit, & magis inclinatur ad faciendum plura, ut patet 4. *Æthicor.* ideo David tria facit in residuo hujus Psalmi: nam primò, in persona totius corporis mystici petit universalem redemptionem, & adventum Christi accelerari. Secundò, confitetur gravia peccata, quæ ille populus commisit contra Deum, & punitiones illorum peccatorum, à quibus per misericordiam liberavit sæpe illum populum Dominus: & hoc, ut magis inclinet Deum ad misericordiam. Tertiò, resumit petitionem suam. Secunda ibi: *Peccavimus cum patribus nostris.* Tertia ibi: *Salvos nos fac Domine.*

G Dicit ergo ad primum: O *Domine* Deus Pater, *memento nostri Domine in beneplacito populi tui*, id est, ut placeas populo tuo, ejus petitioni annuendo & propitiando: & *visita nos in* Jesu-Christo *salutari* & Salvatore *tuo*, quem promisisti patribus nostris, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, id est, mitte eum *ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est, ut ipsum videant electi tui in bonitate & redemptione, & facientem bonitatem redemptionis, & *ad lætandum in lætitia gentis tuæ*, id est, ut gentes tuæ lætentur lætitiâ magnâ per suum adventum.

Et nota, quòd hîc duos populos commemorat. Primò, Apostolos, & Discipulos conversos de Judæis, qui ipsum in carne H viderunt, cùm dicit: *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, scilicet, Apostolorum, & Discipulorum. Secundò, conversos de populo Gentili, qui cum lætitia ad fidem venerunt per prædicationem Apostolorum, cùm dicit: *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ.* Sed quia ex his duobus populis facta est una Ecclesia, quæ est hæreditas Christi: ideo sequitur: *Ut lauderis cum hæreditate tua* in tempore gratiæ, sicut nunc fit, & videmus manifestè impletum.

Judith 7. Dist.

6. *Peccavimus cum patribus nostris:* A *injustè egimus, iniquitatem fecimus.*

Exod. 4.

7. *Patres nostri in Ægypto non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.*

De Conse. dis. 2. c. Revera.

8. *Et irritaverunt ascendentes in mare, Mare Rubrum.*

9. *Et salvavit eos propter nomen* B *suum: ut notam faceret potentiam suam.*

Et extra d. bære. c. Cùm ex injuncto.

10. *Et increpuit Mare Rubrum, & exsiccatum est: & deduxit eos in abyssis sicut in Deserto.*

11. *Et salvavit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.*

Exod. 14.

12. *Et operuit aqua tribulantes* C *eos: unus ex eis non remansit.*

13. *Et crediderunt verbis ejus: & laudaverunt laudem ejus.*

HIC incipit confiteri, & memorare gravia peccata illius populi, & miserationes factas Patribus antiquis, ut inclinet Deum ad suam petitionem implendam.

Unde est advertendum: quòd misericordia Dei tantò major demonstratur, quantò majoribus peccatoribus, & rebellibus, D & ingratis præstatur. Sed quia filii Israel decies & ultra rebellaverunt, & peccaverunt contra Deum: sed quotiescumque reversi sunt & conversi ad pœnitentiam, semper Deus eis pepercit: ideo maximè Deus in hoc ostendit multitudinem & magnitudinem suæ misericordiæ. Et ideo David memorat octo peccata, & ingratitudines illius populi commissas contra Dominum; & quod semper Dominus misertus est eis. Quorum primum fuit peccatum infidelitatis & duritiæ. Nam cum fuissent castrametati in littore maris Rubri, & vidissent E exercitum *Pharaonis* venientem, quasi diffidendo dixerunt Moysi: *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto? Ideo tulisti nos ut moriamur in solitudine.* Unde non intellexerunt nec considerarunt, quòd Dominus potuisset eos liberare, sicut fecerat mirabilia & signa in Ægypto. Et tamen Dominus non attendit ad infidelitatem & murmurationem ipsorum: sed præcepit *Moysi*, ut percuteret aquas, & transivit totus populus Israel illæsus, & *Pharao* cum suis submersus est, ut patet *Exod.* 14. Hoc ergo peccatum, & hanc miserationem Domini confitetur David in principio, cùm dicit: *Peccavimus cum patribus nostris*, eos imitando: *injustè egimus* F contra proximum: *iniquitatem fecimus* contra Deum.

Nam p*atres nostri non intellexerunt*, id est, attentè & fideliter non consideraverunt *mirabilia tua* facta *in Ægypto*, decem plagis illatis Ægyptiis: *nec fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*, quam ostendisti filiis Israel, eos mirabiliter liberando; immò tanquam ingrati *irritaverunt*, id est, contemnentes eum, ad iram concitaverunt *ascendentes* in mare Rubrum: & tamen *salvavit eos propter nomen suum* per *Moysen* invocatum. Et hoc fecit Deus, *ut* ipsi *notam* facerent & prædicarent *potentiam suam*: quia *increpuit mare*, id est, cùm magno fragore & fluctuatione divisum est in duodecim partes, in tantum quòd *exsiccatum est*, id est, apparuerunt viæ siccæ in eo, *& Moyses de-* G *duxit eos in abyssis*, id est, per profunditatem maris, *sicut in deserto*, id est, ac si duceret eos per desertum, & terram aridam, *& salvavit eos* Deus *de manu* Ægyptiorum *odientium*; *& redemit eos de manu inimici* Pharaonis. *Et aqua* maris *operuit* & submersit Ægyptios *tribulantes eos*, in tantum quòd *unus ex eis non remansit.* Et tunc filii Israel, qui ante fuerant increduli, tunc *crediderunt verbis ejus* prolatis per os Moysi, *& laudaverunt*, id est, cecinerunt *laudes ejus*, prædicando ejus omnipotentiam & justitiam, dicendo: *Cantemus Domino glorioſe &c.*

Nota, quòd ista mysteria, & ingratitudines, sive peccata, non narrantur hîc H eo ordine quo facta fuerunt in *Exodo*, *& lib. Numerorum*; eò quòd Psalmi non sunt facti, nec leguntur ad historiam, sed ad Prophetiam.



Exod.17.

14. *Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus : & non sustinuerunt consilium ejus.* A

De Consecr.2.Revera. & c. In calice.

15. *Et concupierunt concupiscentiam in deserto : & tentaverunt Deum in inaquoso.*

16. *Et dedit eis petitionem ipsorum : & misit saturitatem in animas eorum.* B

HIC memorat secundum peccatum eorum, cùm murmurarunt contra Dominum & Moysen, *Exod.* 17. petentes aquam & cibum, & tentaverunt Dominum, dicentes : An *est Dominus in nobis, an non?* Et tamen Deus dedit eis carnes in abundantia per mensem integrum, & *Manna* ad manducandum. Ideo dicit: *Citò fecerunt*, id est, in brevi *obliti sunt operum ejus* mirabilium, & *non sustinuerunt* patienter *consilium* & promissum *ejus*: *sed concupierunt* indiscretè *concupiscentiam in deserto Raphidim*, petendo carnes: & *tentaverunt Deum in loco inaquoso* ad petram *Horeb*, dicentes : *Est Deus in nobis?* Ideo dictæ sunt *Aquæ tentationis*: & tamen Deus *dedit* & implevit *eis petitionem ipsorum : & misit saturitatem in* C *animas eorum*, ex abundantia coturnicum, & aquæ de petra *Horeb*.

Num.16 d.& 7.q 1.c.Denique,& 28 q.1.c.Didicimus.

17. *Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.*

18. *Aperta est terra, & deglutivit Dathan : & operuit super congregationem Abiron.*

19. *Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.* D

HIC confitetur, & memorat tertium peccatum, quod fuit ambitionis, & invidiæ, quando *Core*, & *Dathan*, & *Abiron* voluerunt sibi vendicare summum Sacerdotium, et moverunt seditionem contra *Moysen*, & *Aaron*, ut patet *Num.* 16. Unde dicit : *Et irritaverunt*, id est, contempserunt, et ad iram provocaverunt *Moysen in castris*, & *Aaron sanctum Domini*, id est, Sacerdotem ordinatum, et E sanctificatum à Deo : sed ex sententia Dei *aperta est terra*, & *deglutivit Dathan*, & *operuit* et ruit *super congregationem*, et conjurationem, et conventiculum *Abiron*; et sic absorbuit eos. *Et exarsit ignis in Synagoga* et congregatione malipolii *eorum. Et flamma* occidit ducentos quinquaginta viros *peccatores* præsumentes offerre incensum cum thuribulis, cùm essent peccatores et indigni, et non à Deo electi. Et tamen Deus pepercit filiis *Core*, qui non consenserunt. Unde factum est grande miraculum, ut cum omnes essent in eodem loco, tamen isti sunt liberati, et manserunt in facie terræ quan- F do aperta fuit terra : et tamen *Core*, & *Dathan*, & *Abiron* cum sequacibus fuerunt absorpti, ut patet *Numer.* 16. *&c.*

20. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile.*

21. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* *Exod.32.*

22. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra* G *Cham : terribilia in mari Rubro.*

23. *Et dixit ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus,* *3.Reg.12*

24. *Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos : & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* *Num.18. & 14.d. c.Disciplinarum. & 23.q. 4.c.Guillisarius, &c.Quod crudele.*

H 25. *Non crediderunt verbo ejus, & murmuraverunt in tabernaculis suis ; non exaudierunt vocem Domini.*

26. *Et elevavit manum suam super eos : ut prosterneret eos in deserto.*

27. *Et ut dejiceret semen eorum in Nationibus : & dispergeret eos in regionibus.*

HIC confitetur, et memorat quartum peccatum, quod fuit idololatriæ, quando adoraverunt, et *fecerunt vitulum* conflatilem. Unde dicit : *Et fecerunt* idolum & *vitulum in Horeb*, id est, prope montem *Sinai*, cujus pars dicitur *Horeb*: *& adoraverunt sculptile*, scilicet, vitulum conflatilem, ut patet *Exod.* 32. *& mutaverunt gloriam suam*, id est, *gloriam*, & Latriam Deo debitam, *in similitudinem* & imaginem *vituli comedentis fœnum*, attribuentes gloriam & honorem uni bestiæ mutæ. Et sic *obliti sunt Deum, qui salvavit eos* ab Ægyptiis liberando, quando *fecit* magna miracula *in Ægypto*, *& mirabilia in terra Cham & terribilia* portenta, & terribilem stragem Ægyptiorum *in mari Rubro*, deducendo aquas maris super eos. Et tunc filii Israel post tot miracula & beneficia fuerunt ingrati & infideles, adorantes vitulum. *Et* ideo Deus *dixit*, id est, decrevit, & comminatus est, *ut disperderet eos* cùm dixit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus super eos &c. Nisi Moyses electus ejus* obstitisset, & supplicasset *in confractione*, & contritione cordis, *in conspectu ejus, ut averteret iram ejus* : & Deus pepercit eis, occisis viginti quatuor millibus.

Et pro nihilo. Hîc incipit versus in Translatione *Hieronymi*, & est quintum peccatum, quod fuit rebellionis & diffidentiæ, quando voluerunt constituere sibi ducem, qui reduceret eos in Ægyptum, nisi *Caleb & Josue* obstitissent, ut patet *Numer.* 14. Unde data est eis sententia: ut nullus eorum, qui egressi sunt de Ægypto à viginti annis & suprà, intraret terram promissionis, præter *Caleb & Josue*, sed cadavera eorum jacerent in deserto. Ideo ait: Quia (*supple*) contempserunt, *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem* promissam Abrahæ, & Isaac, & Jacob: & *non crediderunt verbo ejus*, nec promissioni, *& murmuraverunt in tabernaculis suis*, cùm dixerunt: *Utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram illam, ne cadamus gladio, & uxores, ac liberi nostri deducantur captivi. Et non audierunt vocem Domini* de promissione facta: *Et* ideo Dominus *elevavit manum* & sententiam *suam, ut prosterneret eos in deserto, & ut dejiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus* diversarum gentium. Sed adhuc precibus Moysi fuit placatus, & noluit eos totaliter delere: sed prorogavit eos, ut vagarentur per desertum usque ad quadragesimum annum.

28. *Et initiati sunt Beelphegor : & comederunt sacrificia mortuorum.*

29. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis : & multiplicata est in eis ruina.*

30. *Et stetit Phinees, & placavit : & cessavit quassatio.*

31. *Et reputatum est ei in justitiam, in generationem & generationem usque in sempiternum.*

HIC confitetur, & memorat sextum peccatum, quod fuit idololatriæ & luxuriæ : cum ad consilium *Balaam* ipse *Balac*, rex *Mohabitarum*, obtulit filiis Israel puellas pulchras, cum quibus fornicati sunt, quæ eos deduxerunt ad adorandum *Beelphegor*, unde secuta est in eis plaga magna, ut patet *Numer.* 25. Unde dicit : *Et initiati sunt*, id est, sacrificaverunt & coluerunt *Beelphegor*, id est, Idolum *Bel*, qui adorabatur in monte *Phegor* tanquam Deus *Moabitarum. Et comederunt sacrificia* animalium *mortuorum*, illi idolo immolatorum. Et sic *irritaverunt* ipsum *Deum in adinventionibus*, id est, voluntariis sceleribus *suis.* Et ideo *multiplicata est in eis ruina*, & plaga magna: quoniam occisi sunt viginti quatuor millia. *Et Phinees stetit*, id est, sceleri eorum restitit, cùm transfixit *Zambri* coeuntem cum muliere *Madianita. Et* ideo *reputatum est ei ad justitiam in generationem & generationem usque in sempiternum*, ex quo meruit successionem sacerdotii ; qui quidem actus memorabitur in æternum.

2. q. 7. §. *Item cum Balaam.* 23. q. 4. c. *Adhuc perfidi.* & q. 44. c. *Quòd Christus* & 2. q. 5. c. *Eos* & q. 8. *Occidit.*

Num. 20. 32. *Et irritaverunt eum ad Aquas contradictionis : & vexatus eſt Moyſes propter eos : quia exacerbaverunt ſpiritum ejus.*

Num. 33. 33. *Et diſtinxit in labiis ſuis: non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.*

34. *Et commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum.*

Ut patet per diſcurſum lib. Judic. 35. *Et immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.*

36. *Et effuderunt ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan.*

37. *Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum : & fornicati ſunt in adinventionibus ſuis.*

38. *Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum : & abominatus eſt hæreditatem ſuam.*

39. *Et tradidit eos in manus gentium : & dominati ſunt eorum qui oderunt eos.*

HIC confitetur, & memorat ſeptimum peccatum, quod fuit murmurationis & infidelitatis, quando moverunt ſeditionem contra *Moyſen* in *Cades* propter defectum aquæ. Unde Domino præcipiente, *Moyſes percuſſit petram virga*, & dedit eis aquam, ut patet *Numer.* 20. ideo ait. *Et irritaverunt eum ad Aquas contradictionis* in deſerto Cades: *& vexatus eſt Moyſes propter eos: quia exacerbaverunt*, & amaricaverunt *ſpiritum ejus* murmure ſuo. *Et* ideo *diſtinxit in labiis ſuis*, cùm dixit: *Num ex hac petra poterimus vobis aquam ejicere?* Unde ex locutione ſua potuerunt conjicere, quòd hæſitabat. Et ideo ab ingreſſu terræ promiſſionis fuit excluſus uterque, ſcilicet, *Moyſes*, & *Aaron.*

Non diſperdiderunt. Hîc incipit verſus in Translatione *Hieronymi*, ubi memoratur decimum peccatum, quod fuit rebellionis, ſive inobedientiæ, eò quòd non impleverunt præceptum Domini, qui mandaverat eis, ut ejicerent, & interficerent omnes *Chananæos* in terra promiſsionis; immò eos reliquerunt, & propter avaritiam tributarios fecerunt. Unde evenerunt eis omnia mala: quia *didicerunt opera* & ſuperſtitiones *eorum*, & mores: & ſic Idololatriam frequenter commiſerunt, unde fuerunt frequenter afflicti, & ſervituti dediti. Ideo ait: *Non diſperdiderunt gentes Chananæorum*, quas præcepit ejiciendas *Dominus*, *Numer.* 33. Ideo *commiſti ſunt inter* eos, *& didicerunt opera eorum* & mores, *& ſervierunt ſculptilibus* & idolis *eorum*, ſcilicet, *Baalim*, *& Aſtarot*: & *factum eſt illis in ſcandalum*: Nam commiſtio eorum inter gentes fecit eos cadere in idololatriam & ſuperſtitiones eorum. Unde *immolaverunt filios*, *& filias dæmoniis* ad modum *Chananæorum*: & ſic *effuderunt ſanguinem innocentem filiorum & filiarum quas ſacrificaverunt ſculptilibus* & Idolis *Chanaan. Et infecta*, & *contaminata*, & polluta *eſt terra in ſanguinibus* humanis, & neſandis ſacrificiis; *& contaminata in operibus eorum* Deo odibilibus: & pro *quia*, *fornicati ſunt* fornicatione ſpirituali cum Diis alienis, Latriam tribuendo *in adinventionibus ſuis*, id eſt, ſponte. *Et ſic iratus eſt furore Dominus in populum ſuum*, id eſt, contra populum ſuum, *& abominatus eſt hæreditatem ſuam*, quam elegerat ſibi in populum peculiarem: *& tradidit eos in manibus Gentium* tanquam dejectos: *& dominati ſunt eorum, qui oderunt eos*, ut patet per totum diſcurſum libri *Judicum.*

Ut patet in lib. Judic. 40. *Et tribulaverunt eos inimici eorum : & humiliati ſunt ſub manibus eorum: ſæpe liberavit eos.*

Et lib. Regum 3. q. 1. cap. Nulli dubium. 41. *Ipſi autem exacerbaverunt eum in conſilio ſuo : & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.*

42. *Et vidit cùm tribularentur : & audivit orationem eorum.*

43. *Et memor fuit testamenti sui:* A *& pœnituit eum secundùm multitudinem misericordiæ suæ.*

44. *Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos.*

ET *tribulaverunt eos inimici*, scilicet, *Chananæi*, & *Moabitæ*, & *Ammonitæ &c. & humiliati sunt* captivi *sub manibus*, & potestate, & ditione *eorum.* Et tamen Dominus *sæpe liberavit eos*, mittendo Judices, & Salvatores: ut *Aod*, *Othoniel*, *Gedeon*, *Jepthe*, & cæteros: *ipsi vero* tanquam jurgati, multotiens *exacerbaverunt eum* sponte *in consilio* & arbitrio suo, & non coactè. *Et* ideo *humiliati*, & subjecti, & afflicti *sunt in iniquitatibus*, & sceleribus *suis.* Sed quia dum erant in captivitate & tribulatione recurrebant ad Deum; ideo *vidit* Deus oculo misericordiæ *cum tribularentur*, *& audivit orationem* & clamorem *eorum*: non in meritis eorum, sed quia *memor fuit testamenti* & promissi *sui* facti ad Abraham, Isaac, & Jacob, & non respexit eorum iniquitatem, sed suam misericordiam, & immobilitatem sui testamenti: quia de illa generatione promiserat futurum *Messiam*, & *Salvatorem. Et* ideo *pœnituit eum*: non quòd pœnam pateretur, sed fecit ad modum pœnitentis revocantis iram & vindictam, parcendo eis C *secundùm multitudinem misericordiæ suæ. Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium* gentium, *qui ceperant*, & subjecerant *eos*: quia non permisit Deus, ut inimici totaliter eos delerent: sed recipiebant eos in deditionem & servitutem, & permittebant eos vivere in civitatibus suis. Et per Judices suos ab inimicis liberabat sæpius eos.

95. d. ca. Ecce. 45. *Salvos fac nos Domine Deus noster: & congrega nos de nationibus:* D

46. *Ut confiteamur nomini sancto tuo: & gloriemur in laude tua.*

E 47. *Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & usque in sæculum: & dicet omnis populus: Fiat, fiat.* Et 15. q. 1. Revertimini.

HIC resumit suam petitionem, & ponit conclusionem intentam in toto Psalmo. Unde est advertendum, quòd per omnes supradictas tres liberationes fuit figurata universalis redemptio futura per Christum: nam sicut Deus misit *Moysen* ad liberandum & retrahendum populum de Ægypto, & traducendum per Mare Rubrum: ita figurabatur, quòd Deus erat missurus Filium suum *Jesum* ad liberan- F dum totum genus humanum de potestate diaboli, & trasferendum ipsum per Mare Rubrum sui sanguinis & passionis. Et per hoc quòd percussit *petram Horeb*, & dedit aquam, significabatur, quòd Christus erat percutiendus in latere, unde erant emanaturæ aquæ sapientiæ, & sacramentorum in nostram salutem; & sic de singulis, sicut superiùs frequenter dictum est. Et per unumquemque illorum tredecim Judicum quos Dominus misit ad liberandum filios Israel, ut patet *lib. Judicum*, significabatur Christus venturus ad salvandum & liberandum totum genus humanum à servitute diaboli.

Videns ergo David hoc in spiritu, dicit & clamat ad Deum, dicens: O Domine, non est tibi novum & inusitatum: immò semper consuevisti facere misericor- G diam & liberare populum tuum ab afflictione & captivitatibus temporalibus, in quibus figurabatur nostra redemptio per Christum. Ergo sicut novem vicibus liberasti populum tuum in deserto per Moysen, & tredecim vicibus liberasti eos in terra promissionis per tredecim *Judices*, qui dicti sunt Salvatores illius populi: mitte ergo Salvatorem universalem Christum, per illos figuratum, & *salvos nos fac* per ejus mortem & passionem. Quasi dicat: sicut salvasti illos, salva nos modo per adventum tuum, & congrega nos, scilicet, Ecclesiam tuam, non solùm de Judæis, sed etiam de omnibus nationibus, sicut pro- H misisti: *ut* omnes *confiteamur nomini sancto tuo*, ut *in nomine Jesu omne genu flectatur &c. & gloriemur in laude tua* sub una Lege Euangelica, & una Fide, & uno Baptismo, & uno sacrificio. *Et omnis populus*, scilicet, tàm Gentilis, quàm Judæus *dicet*, id est, dicat: *Benedictus* qui venit *Dominus Deus Israel*, id est, confiteantur Christum esse verum Deum & hominem, & jam venisse in carne: & confiteamur unum Deum Trinum & Unum, & Verbum incarnatum.

Unde

Unde nota, ſicut ſupra dictum eſt, quòd Hebræi non habent imperativum, nec optativum: ſed ponunt futurum indicativi pro optativo; ideo ait: *Et dicet omnis populus*, id eſt, dicat orando uterque populus: *Benedictus Dominus Deus Iſrael: Fiat, fiat*, id eſt, *amen, amen*. Et ponitur bis *fiat* propter duos populos, ſcilicet, Judaicum, & Gentilem, ex quibus una Eccleſia eſt in Chriſto congregata, ſicut in principio præponitur duplex *Alleluja* ratione utriuſque populi. Et ideo concordat finis cum principio: nam ſicut ibi dicitur: *Alleluja, alleluja*. Ita in fine dicitur: *Fiat, fiat*, ſive *Amen, amen*. Quaſi dicat, uterque populus laudet Deum, & dicat: *Benedictus* Jeſus, qui venit, *Amen, amen*, id eſt, ad ſalvandum utrumque populum.

Psalmus CVI.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.*

Judi. 13. Inf. 118. a.

2. *Dicant nunc qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici: de regionibus congregavit eos.*

56. d. ca. Naſci.

3. *A Solis ortu & occaſu: ab Aquilone & mari.*

Titulus: *Alleluja*. Ex hoc titulo & materiâ Pſalmi apparet, quòd iſte Pſalmus eſt de illis quos David fecit ad laudandum Deum in Templo pro feſtivitatibus: & dirigit ipſum ad unum populum jam per Chriſtum redemptum. Itaque in ſuperiori Pſalmo, cum maximo affectu & deſiderio petivit univerſalem redemptionem, & Chriſtum accelerare adventum ſuum ad ſalvandum nos, & congregandum nos de nationibus. Unde in principio dixit: *Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.* Item, interpoſitis multis miſerationibus divinis, reſumpſit petitionem ſuam, dicens: *Salvos nos fac Domine, & congrega nos de nationibus: ut confiteamur nomini tuo, & gloriemur in laude tua &c.* Sed quia Propheta in ſpiritu fuit certificatus hoc fore implendum per Chriſtum: ideo ad populum jam redemptum & ſalvatum per Chriſtum, & congregatum de nationibus in unam Eccleſiam & Civitatem Dei, dirigit hunc Pſalmum invitantem ipſum ad gratiarum actiones pro beneficio redemptionis.

Unde duo facit. Nam primò facit quod dictum eſt: & ſecundò enarrat beneficia, quæ recepimus per adventum Chriſti: & in quolibet nos admonet ad gratiarum actiones. Secunda ibi: *Erraverunt in ſolitudine.*

Dicit ergo David, incipiendo conſtructionem & ſententiam à ſecundo verſu: Omnes, *qui redempti ſunt à Domino* noſtro Jeſu-Chriſto per adventum ſuum, *quos redemit de manu* & poteſtate diaboli *inimici* noſtri, *& congregavit eos de nationibus* in unam Eccleſiam: congregavit, dico, *à Solis ortu & occaſu, & ab Aquilone & mari*, tàm Oceano, quàm Mediterraneo: omnes iſti in Chriſto redempti & congregati, *dicant* inter ſe, & exhortentur ſeipſos, dicendo: *Confitemini Domino* Jeſu-Chriſto *quoniam bonus* eſt, & *in æternum* eſt, & erit *miſericordia ejus*, quam nobis oſtendit in ſua redemptione.

Ex his verbis patet, quòd non loquitur hîc de temporali, & particulari, & corporali redemptione, ut Judæi, & quidam cum eis delirant: ſed loquitur de univerſali & ſpirituali ſalute & redemptione facta per Chriſtum, cùm dicit: *A Solis ortu &c.* nec invitat falſam Judæam, & illum populum ad gratiarum actiones, & ad laudandum Deum: ſed totam Eccleſiam, & Chriſtianam Religionem, *à Solis ortu uſque ad occaſum* diffuſam & congregatam, quæ verè redempta eſt per Chriſtum. Unde David Propheta bene ſciebat ex revelatione, quòd genus humanum non poterat redimi, nec ſalvari, niſi per Chriſtum Deum incarnatum, in cujus fide ſalvabantur antiqui: hunc ergo invocat in omnibus Pſalmis.

4. *Erraverunt in ſolitudine in inaquoſo: viam civitatis habitaculi non invenerunt.*

Inf. eod.

5. *Eſurientes, & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit.*

6. *Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.*

7. *Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.*

Con-

8. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.*

Infr. eod. & 15. q. 1. c. Repertimini

9. *Quia satiavit animam inanem: & animam esurientem satiavit bonis.*

IN hac secunda parte enumerat beneficia per Christum nobis collata in suo adventu, pro quibus gratias tenemur referre. Et primò memorat tria beneficia, quæ totum genus humanum recepit per suam mortem, & resurrectionem, & ascensionem, & alia tria, quæ Ecclesia recepit post suam ascensionem. Ibi: *Qui descendunt mare &c.*

Tria damna ex peccato Adæ.

Quantum ad primum est notandum, quòd totum genus humanum tria damna hæreditaria incurrit ex peccato primorum parentum. Primò, exilium ab utroque paradiso, cùm fuit homo expulsus in hanc vallem lacrymarum inter bestias & vepres &c. cùm dixit Deus: *Ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat & vivat in æternum.* Unde ex hoc exilio incurrit famem & sitim, errando per hanc vallem lacrymarum. Secundò, incurrit infirmitatem & ægritudinem, tàm animæ, quàm corporis. Nam in anima perdidit justitiam originalem, & fuit fauciatus triplici culpâ, & in corpore recepit omnes pœnalitates &c. Tertiò, fuit condemnatum totum genus humanum ad captivitatem & carcerem perpetuum diaboli, hîc per culpam, & in futuro per pœnam. Et sic homo fuit exul, & æger, & captivus.

Christus nos liberavit ab his tribus malit.

Sed ab his tribus damnis nos Christus liberavit in suo adventu. Primò, ab exilio, cùm nos in unam Ecclesiam ex diversis locis & nationibus congregavit, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Secundò, nos liberavit à captivitate, cùm per suum sanguinem nos redemit, & de inferno abstraxit. Tertiò, nos liberavit ab ægritudine peccati, & fomite ejus, cùm ex sua passione virtutem contulit Sacramentis ad sanandas nostras infirmitates. Unde per suam passionem nos redemit à captivitate, & per resurrectionem nobis recuperavit immortalitatem, & per ascensionem nos ab exilio revocavit, & introduxit in cœlum.

Et ideo David nos admonet ad gratiarum actiones. Primò, quia nos revocavit ab exilio, & siti, & fame. Secundò, quia nos à captivitate liberavit. Tertiò, quia ab ægritudine corporis & animæ sanavit. Secunda ibi: *Sedentes in tenebris.* Tertia ibi: *Suscepit nos.*

Quantum ergo ad primum dicit: Omnes filii Adam *erraverunt in solitudine in inaquoso* solo hujus mundi, & expulsi à terrestri paradiso: in qua solitudine *viam civitatis* cœlestis, & illius æterni *habitaculi non invenerunt*, immò viam perditionis.

Hic mundus dicitur solitudo.

Et dicitur *solitudo* hic mundus: nam in terrestri paradiso habebat Adam colloquium & familiaritatem & sc ietatem Angelorum: sed cùm fuit exp us, tunc ab hujusmodi fuit privatus. In qua solitudine non solùm *non invenit civitatem, nec habitaculum*, sed nec etiam *viam* ad civitatem & habitaculum Dei. Et ideo *errabat* totum genus humanum *sicut ovis quæ periit*, & omnes ibant ad barathrum inferni, perditâ viâ quæ ad cœlum ducebat.

Sed quia in tali exilio incurrerunt famem & sitim, non solùm corporalem, cùm perdiderunt cibum vitæ, sed etiam spiritualem &c. ideo sequitur: *Esurientes &c.* Et incipit hîc constructio sic dicendo: *Esurientes & sitientes erraverunt in solitudine; & viam civitatis & habitaculi non invenerunt:* ideo *anima*, id est, vita *eorum in ipsis defecit*, cùm perdiderunt omnes lignum vitæ. Ideo tunc omnes filii Adam, *cùm* per quinque millia annorum *tribularentur*, & vexarentur à diabolo in lacrymarum valle & *solitudine, clamaverunt ad Dominum*, scilicet, Patriarchæ & Prophetæ, dicendo: *Utinam dirumperes cœlos & descenderes &c. Et* tunc Deus misit Filium suum, & *de necessitatibus eorum eripuit eos. Et* per Legem Euangelicam *deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis* cœlestis, quam perdiderant.

Ergo omnes qui revocati sunt ab hujusmodi exilio, *confiteantur Domino mirabilia misericordiæ ejus.* Et etiam *confiteantur*, non solùm Domino, sed etiam omnibus *filiis hominum*, postquam tam magnum beneficium receperunt: *quia* Dominus Christus per sua Sacramenta Ecclesiastica *satiavit animam inanem* & vacuam gratiæ: *& animam esurientem satiavit* hîc *bonis* gratiæ, & in futuro bonis gloriæ: & maximè satiavit animas nostras pane sacramentali *Eucharistiæ.*

Et sic licèt tota ista particula hujus litteræ posset adaptari ad filios Israel, qui erraverunt quadraginta annis in solitudine deserti, quos *Josue* introduxit in uberem terram promissionis: tamen tunc illud adduceretur in figuram: quia iste Psalmus & cæteri non adducuntur, nec leguntur in Ecclesia ad historiam, sed ad prophetiam, ad intentum quo principaliter facti sunt, ut frequenter dictum est: aliter potiùs esset judaizare, quam Sacram Scripturam Christianis exponere; quod summopere cavendum est. Et esset occultare thesaurum Spiritus sancti, qui hîc latet.

10. *Se-*

10. *Sedentes in tenebris, & umbra* A *mortis: vinctos in mendicitate & ferro.*

De Pœ. d. 3. ca. Adhuc ultra ref.

11. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei: & consilium Altissimi irritaverunt.*

12. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.*

13. *Et clamaverunt ad Dominum* B *cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.*

2. & in eodem.

14. *Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis & vincula eorum disrupit.*

15. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.*

16. *Quia contrivit portas æreas: &* C *vectes ferreos confregit.*

HIC memorat secundum beneficium, scilicet, qualiter Christus nos liberavit à captivitate, & vinculis diaboli, & de carcere inferni. Et dicit: Christus (supple) liberavit omnes filios Adam *sedentes in tenebris* peccatorum, hîc per culpam, & in inferno, sive Limbo per pœnam damni, & in Purgatorio per pœnam sensus; & *vinctos* & ligatos *in mendicitate & ferro* catenarum culpæ & pœnæ.

Tria genera hominum Christus liberavit.

Unde Christus tria genera hominum liberavit: primò, sanctos Patres liberavit de *Limbo*, qui erant condemnati ad pœ- D nam damni. Secundò, expoliavit *Purgatorium*, in quo erant quidam de populo Dei condemnati ad tempus ad pœnam sensus. Tertiò, liberavit vivos, qui erant in vinculis peccati: ideo dixit Christus, *Joan.* 12. *Princeps hujus mundi ejicietur foras*: sic ergo liberavit *sedentes in tenebris, & umbra mortis.* Nam tàm infernus, quàm quælibet culpa dicitur *umbra mortis*, & privatio luminis gratiæ: & tales dicuntur *vincti in mendicitate*, & fame, & *ferro* du- E ræ servitutis.

Et subdit causam quare erant in illa captivitate, dicens: *Exacerbaverunt eloquia Dei*, id est, quia transgressi sunt præceptum Dei, comedendo de cibo vetito in paradiso: *& consilium Altissimi*, scilicet, Legem datam Moysi, *irritaverunt*, & contempserunt, & vanam reputarunt. Ideo *humiliatum* & dejectum *est in laboribus cor eorum* ex sententia Domini, dicentis: *In sudore vultus tui &c.* Et *infirmati* & percussi sunt in anima culpâ, & in corpore pœnalitatibus, & in sensualitate fomite concupiscentiæ: *& non fuit qui* eos *adjuvaret*, nec liberare posset à peccato & pœnis ejus. Et ideo *cùm* per quinque millia annorum *tribularentur* in hujusmodi captivitate, *clamaverunt ad Dominum* per Patriarchas, & Prophetas: & sic Christus F venit in carne, *& liberavit eos de necessitatibus* & vinculis *eorum*: *& eduxit eos de tenebris, & umbra mortis*, tàm inferni, quàm peccati: *& vincula eorum disrupit*, quando *portas æreas* inferni, & peccatorum, *& vectes ferreos confregit.* Et ideo omnes qui liberati sunt ab hujusmodi captivitate, *confiteantur Domino, & filiis hominum* mirabilia opera *misericordiæ ejus, qui contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.*

Notandum, quòd omnia *verba deponentia* habent duplicem significationem in tertiis personis, scilicet, activam & passivam, sicut verba communia: & ideo ly *confiteantur* forsan tenetur in hoc loco passivè, scilicet, *confiteantur Domino misericordiæ ejus*, id est, cum confessione ipsi referantur, & memorentur ad ejus laudem: G *& mirabilia ejus confiteantur* & manifestentur *filiis hominum*, ut cognoscant, & laudent ejus Omnipotentiam. Nam Deo debemus agere gratias, confitendo misericordias ejus, quas nobis fecit, & debent confiteri, & manifestari, & prædicari hominibus mirabilia opera ejus, & miracula &c.

Nota.

17. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.*

23. q. 2. Si quilibet & 15. q. 1. Firmissimè. 2. & in eodem.

H 18. *Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquaverunt usque ad portas mortis.*

19. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.*

20. *Mi-*

Num. 21.

20. *Misit verbum suum & sanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.*

2. & in eodem.

21. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.*

22. *Et sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera ejus in exultatione.*

B

HIC memorat tertium beneficium, scilicet, quia Christus non solùm revocavit genus humanum, & filios Adam ab exilio, & à captivitate diaboli; sed etiam sanavit eos ab infirmitate, non solùm culpæ, sed etiam pœnæ corporalis & spiritualis: & hoc per Sacramenta Ecclesiastica, & suam resurrectionem, ut dictum est. Ideo ait: Christus *suscepit eos de via* & culpa *iniquitatis eorum*: *nam propter injustitias*, & prævaricationes, & rebelliones suas *humiliati*, & condemnati, & percussi *sunt* diversis ægritudinibus corporis & animæ. Nam in anima fuerunt sauciati peccato, & in corpore diversis infirmitatibus, & in appetitu fomite & concupiscentia inordinata: in tantùm quòd *omnem escam* salubrem, & bonam doctrinam *abominata est anima eorum*, C inclinantes ad malum, abhorrentes bonum: & sic *appropinquaverunt usque ad portas mortis*, debilitati in consuetudine peccati.

Sed tunc cum per tot tempora tribularentur, & vexarentur in morbo peccati, *clamaverunt ad Dominum*, *& de necessitatibus eorum liberavit eos* isto modo: nam *misit Verbum suum*, scilicet Christum, & per mortem & passionem, & Ecclesiastica Sacramenta *sanavit eos*: *& eripuit eos de interitionibus*, & occisionibus, & interemptionibus *eorum*: unde per mortem liberavit eos, sed per Ecclesiastica Sacramenta *sanavit eos* à peccatis commissis, *& eripuit*, & præservavit *eos* ab interemptionibus, & peccatis futuris. Nam Sacramenta non solùm sanant culpam, sed etiam præservant à futuris, mitigando fomitem. D

Omnes ergo sanati ab hujusmodi morbis, *confiteantur Domino*, *& filiis hominum mirabilia misericordiæ ejus*: & omnes *sacrificent sacrificium laudis*, & offerant *Eucharistiæ* Sacramentum, quod de se, & opere operato est bonum & laudabile, & omnes *annuntient opera ejus*, scilicet, mysterium incarnationis & redemptionis, & omnia miracula & beneficia *ejus*: & hoc *in exultatione* cum Hymnis & Canticis. E

Et nota, quòd ly *confiteantur* aliter potest construi, sic: *Misericordiæ ejus confiteantur Domino*, & manifestent eum: & omnes ab hujusmodi liberati, *confiteantur mirabilia ejus filiis hominum.*

23. *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.*

Jonæ 1. 12. q. 1. c. Exemplum Exo. 14.

24. *Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.* F

25. *Dixit, & stetit spiritus procellæ: & exaltati sunt fluctus ejus.*

26. *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.*

16. q. 2. c. Visis.

27. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum devorata est.* G

28. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.*

2. eodem. 25. d. ca. Ecce, & 13. q. 1. His ita.

29. *Et statuit procellam ejus in auram; & siluerunt fluctus ejus.*

30. *Et lætati sunt quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* H

31. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.*

15. q. 1. c. Revertimini.

32. *Et*

32. *Et exaltent eum in Eccleſia plebis : & in cathedra ſeniorum laudent eum.*

HIC memorat alia tria beneficia, quæ recepit Eccleſia jam redempta poſt aſcenſionem, quæ liberata eſt à tribus periculis & perſecutionibus. Nam primò paſſa eſt perſecutionem Tyrannorum. Secundò, Hæreticorum, à quibus liberavit eam Chriſtus. Tertiò, quia bonum Synagogæ tranſtulit in populum Gentilem, qui ſuccedit in hæreditatem, Synagogâ reprobatâ; & peccatum & malum populi Gentilis Chriſtus tranſtulit in Synagogam. Ideo primò invitat Fideles & Eccleſiam : quia liberata eſt à naufragio & tempeſtate tyrannorum Imperatorum : ſecundò, quia populus Gentilis ſucceſſit in fructum & hæreditatem Synagogæ, ipſâ manente aridâ, & reprobatâ : tertiò, quia liberata eſt Eccleſia à tribulatione, & contentione Hæreticorum. Secunda ibi : *Poſuit flumina.* Tertia ibi : *Et pauci facti ſunt.*

Quantum ad primum dicit : Fideles jam à Domino redempti, *qui deſcendunt mare* hujus mundi, navigantes *in navibus* hujus Eccleſiæ, *facientes operationes* ſuas, obſervando Legem Euangelicam; *in aquis multis*, ſcilicet, inter perſecutiones Infidelium: *ipſi* Fideles, ſcilicet Apoſtoli, & Martyres, & cæteri Chriſtiani, *viderunt opera Domini, & mirabilia*, quæ fecit Chriſtus *in profundo* hujus maris & perſecutionis fluctuantis. Nam Deus *dixit*, & permiſit, *& ſtetit*, & duravit *ſpiritus procellæ* hujus perſecutionis trecentis annis uſque ad *Conſtantinum*, & per omnia illa tempora *exaltati ſunt fluctus* perſecutionum per decem Imperatores, inferentes decem perſecutiones Eccleſiæ.


Quomodo Eccleſia Dei agitata fuit.

Unde ſicut naves agitatæ à fluctibus quandoque videntur *aſcendere uſque ad cœlum*, & poſtea *deſcendere uſque ad abyſſos*, & iterum aſcendere: in tantum quod nautæ turbantur & perdunt arbitrium & ſcientiam navigandi : ita pariter *Nero*, & *Domitianus*, & *Decius*, & *Severus*, & *Diocletianus*, & *Maximianus*, & cæteri tyranni conati ſunt ſubmergere navem Eccleſiæ *uſque ad abyſſos :* ſed Deus, ſive gubernator ejus, elevavit eam *uſque ad cœlum* per potentiam & fortitudinem. Et in tantum conatus eſt *Diocletianus* ſubmergere ipſam, quòd multi nautæ & Fideles deficiebant jam: & in tantum turbata eſt Eccleſia, quòd Fideles non audebant publicè ſe Chriſtianos nominare, immò fugiebant per ſpeluncas & antra; adeo ut *Marcellinus* Papa timore mortis perculſus idolis publicè thurificabat: & ſic *ſapientia* nautarum Eccleſiæ quaſi *devorata eſt.* Ideo dicit: *Aſcendunt*, id eſt, aſcenderunt nautæ Eccleſiæ *uſque ad cœlos* per fortitudinem & ſapientiam : quia quotidie per omnes partes martyrio coronabantur ultra centum millia : & poſtea *deſcenderunt uſque ad abyſſos* & mortem, quando ad ſpeluncas fugerunt : & *omnis ſapientia eorum devorata eſt* cum metu mortis : licèt non corde idolis multi eorum thurificabant.

Sed tunc Beatus *Silveſter*, & cæteri Prælati Eccleſiæ, & Fideles, *cùm* taliter in hac tempeſtate & naufragio *tribularentur, clamaverunt ad Dominum, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos* iſto modo. Nam miſit Beatum *Silveſtrum*, & ſanavit *Conſtantinum* Imperatorem de lepra : qui poſtquam fuit baptizatus, fecit ceſſare perſecutionem, & exaltavit, & ditavit Eccleſiam, & ſic Fideles *lætati ſunt, quia ſiluerunt* perſecutiones Eccleſiæ : *& deduxit eos* Dominus *in portum* & quietem *voluntatis eorum*, id eſt, in civitatem deſideratam.

Ergo Fideles Eccleſiæ jam à perſecutionibus per Chriſtum liberati, *confiteantur* Chriſto *& filiis hominum mirabilia miſericordiæ ejus.* Et qui antè non audebant publicè Chriſtum nominare, nec Eccleſias erigere, jam ex præcepto Imperatoris *Conſtantini*, *exaltent* Chriſtum *in Eccleſia plebis* totius mundi, & ædificent publicè Eccleſias in honorem Chriſti, & Virginis Mariæ, *& exaltent eum*, & Papam Vicarium ſuum, & Epiſcopos, & Archiepiſcopos *in cathedra ſeniorum*, putà, Summorum Pontificum & Sacerdotum: & in eadem cathedra *laudent* Chriſtum. Hoc dicit, quia *Conſtantinus* exaltavit Papam in ſede Imperiali, & relictâ & conceſſâ ei Româ cum tota Italiâ, ipſe ad *Conſtantinopolim* ſe tranſtulit. Nam Chriſtus in ſuo Vicario Papa, & cæteris Prælatis Eccleſiæ veneratur : & ſic laudatur Chriſtus in Prælatis Eccleſiæ per honorem : & laudatur jugiter in Eccleſia in Officio Canonico diurno, pariterque nocturno, poſt converſionem *Conſtantini* ; cùm antè nullus eum publicè auderet nominare. Ecce quomodo liberavit Chriſtus Eccleſiam ſuam à naufragio & fluctuatione Tyrannorum. Ideo *confiteantur Domino &c.*

* * *
* *



15. q. 1. c. Firmissime. §. Ex eo. & 23. q. 4. c. Displicet, ut patet 110. 4. Reg. 2.

33. *Posuit flumina in desertum:* A *& exitus aquarum in sitim;*

34. *Terram fructiferam in salsuginem : à malitia inhabitantium in ea.*

35. *Posuit desertum in stagna aquarum : & terram sine aqua in exitus aquarum.*

36. *Et collocavit illic esurientes:* B *& constituerunt civitatem habitationis.*

37. *Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas : & fecerunt fructum nativitatis.*

Num. 20. & c. seq. 38. *Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis: & jumenta eorum non minoravit.*

Quomodo lex vetus erat fructifera.

HIC memorat secundum mirabile beneficium. Unde notandum, sicut dictum est supra *Psalm.* 1. quòd Lex vetus erat sicut arbor, quæ faciebat folia, quæ erant sacramenta veteris Legis, scilicet, *Circumcisio &c.* quæ licèt removerent peccatum, tamen non aperiebant cœlum. Ideo expectabant verum fructum, & Ecclesiastica sacramenta per adventum Christi. Ex quo patet, quòd Lex vetus erat fructifera in spe Christi futuri: sed adveniente Christo, qui confecit Ecclesiastica sacramenta, quæ non solùm sanant & justificant à peccato; sed etiam conferunt gratiam aperientem cœlum in virtute Passionis Christi: ideo sacramenta veteris Legis deinceps facta sunt mortifera: quia jam arbor Synagogæ securi præcisa est per Christum, & ficulnea ejus jam facta est arida per Christum, & maledicta: Et per consequens non amplius expectatur fructus ab ea, postquam facta est arida per Christum, & maledicta: & per consequens non amplius expectatur fructus ab ea, postquam facta est translatio Legis & Sacerdotii à Synagoga in Ecclesiam Christi. Cùm ergo Gentilis populus susceperit Legem Christi, & ejus Sacramenta, sequitur quòd susceperit fructum & hæreditatem Synagogæ. C D E

Ex quo patet, quòd Synagoga, quæ erat fructifera & irrigua, facta est sterilis & arida; & populus Gentilis, qui erat sterilis & aridus sine lege, factus est irriguus & fructifer, & fructus Synagogæ translatus est in populum Gentilem: & sterilitas & peccatum populi Gentilis translatum est in Synagogam: quod longè ante Propheta *Isai.* 35. prædixit: *Quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine: & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus dracones prius habitabant, orietur viror calami & junci. Et erit ibi semita, & via sancta vocabitur.* Hoc idem confirmat Christus, *Matth.* 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine,* F *vadit per loca arida & inaquosa, quærens requiem, & non invenit: & assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi &c.* & subdit: *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus &c.*

De hac translatione fructus & hæreditatis, quæ per aquas significatur, ait David, quòd Christus in suo adventu & in conversione Magni Constantini, *posuit flumina*, id est, Synagogam, quæ erat aqua Legis divinæ, in sacramentis: quia tunc sacramenta veteris Legis refrigerabant animam, & faciebant eam fructificare: sed adveniente Lege ejus Euangelica, & Sacramentis ejus, per Passionem Christi fuerunt siccata *flumina* gratiæ Dei, quibus illa Synagoga irrigabatur, & expectabat fructum. Unde Christus *posuit*, id est, con- G vertit *flumina* Synagogæ *in desertum* aridum & infructuosum, & convertit *exitum aquarum* ejus *in sitim.* Et convertit *terram fructiferam*, scilicet Synagogam, quæ ante erat fructifera, *in salsuginem*, id est, in sterilitatem, & amaritudinem: & hoc factum est *à malitia*, & invidia, & cœcitate Scribarum, & Sacerdotum, & Pharisæorum *habitantium in ea:* quia obcœcavit eos malitia eorum, ne intelligerent sacramenta Dei, & ne Christum reciperent: ideo translatum est ab eis regnum, & lex, & sacerdotium ad Gentiles, qui Christum receperunt.

Ideo subdit: *Posuit desertum in stagna aquarum*, id est, populum Gentilem, H qui ante erat desertus & aridus, non habens Legem, nec Prophetas; *& terram sine aqua* posuit *in fontes* & exitus *aquarum:* quia de populo Gentili conversi sunt multi, qui postea fuerunt Doctores in Ecclesia, sicut *Ambrosius*, *& Augustinus*, *& Eusebius*, à quibus exierunt *fontes aquarum* divinæ Sapientiæ. Et in toto populo Gentili ad Christum converso exierunt *fontes aquarum* divinorum Sacramentorum. *Et illic*, scilicet, in illo deserto facto irriguo *collocavit* Christus

Gen-

Gentiles *eſurientes*, qui erant ſine lege: & illi Gentiles *conſtituerunt civitatem habitationis*: quia pro majori parte Eccleſia congregata eſt de Gentilibus. Et non ſolùm illi ædificarunt Eccleſiam ſpiritualem, ſed etiam multas Eccleſias materiales ædificarunt per civitates, & oppida, & villas: & Reges, & Principes ſolvebant ſumptus, ut patet de Conſtantino: & *ſeminaverunt agros* fertiles in Eccleſia: & *plantaverunt vineas*: quia *Auguſtinus*, & *Euſebius*, & cæteri Doctores de illo populo converſi, quot libros ediderunt ad elucidandam Legem divinam, tot agros, & vineas plantaverunt in Eccleſia. & *fecerunt fructum nativitatis*, id eſt, fructus naturales & veros, & non fictos, nec falſos, ſicut eſt doctrina Judæorum, & Hæreticorum: & ſic Deus *benedixit eis*, ſcilicet Gentilibus ad fidem converſis: & *multiplicati ſunt nimis*, quia per omnes fines terræ diffuſa eſt fides Chriſti in Gentibus. *Et* tamen *jumenta eorum non minoravit*, ſcilicet, bona temporalia, quæ ſunt quaſi *jumenta* ad vitam hominis ſuſtentandam: immò manſerunt in dominio eorum Reges, & Imperatores, & poſſederunt bona temporalia: per oppoſitum Judæi; immò perdiderunt regnum, & ſacerdotium, & fuerunt trucidati, & exules, & diſperſi & captivi per *Titum & Romanos*.

11. diſ. c. Eccleſia.

39. *Et pauci facti ſunt: & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore.*

Et 16. q. 2. c. Et hoc.

40. *Effuſa eſt contemptio ſuper principes: & errare fecit eos in invio, & non in via.*

Job. 22. c.

41. *Et adjuvit pauperem de inopia: & poſuit ſicut oves familias.*

42. *Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.*

43. *Quis ſapiens & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias Domini?*

HIC ponit ultimum beneficium & preſuram, à qua liberavit Dominus Eccleſiam poſt converſionem Gentilium, ſcilicet, perſecutionem, & tribulationem Hæreticorum.

Unde nota: quòd poſtquam Eccleſia jam fuit in quiete, & pace, & proſperitate, liberata à vexatione Tyrannorum: diabolus machinatus eſt eam infeſtare aliâ viâ, ſcilicet, contentione Hæreticorum. Unde ſurrexerunt Hæretici in Eccleſia, contendentes de Lege Chriſti inter ſe: non ex zelo legis, ſed ambitione honoris, & ſeminaverunt diverſas hæreſes, & confinxerunt ſectas enormes & execrabiles.

Eccleſia infeſtatur ab Hæreticis.

Nam *Sabellius* dicebat, quòd Pater & Filius & Spiritus ſanctus erant indifferenter nomina ſinonyma: quia idem erant Pater & Filius & Spiritus ſanctus; ſed ſecundùm diſtinctos reſpectus ſortiebantur diverſa nomina: & ſic confundebat perſonas; immò dicebat, quòd Deus dictus eſt Pater ante incarnationem: ſed per incarnationem idem Deus dictus eſt Filius &c. Poſtea tempore *Conſtantini* ſurrexit *Arius* Presbyter Alexandrinus, vir callidus & verſutus: & dixit, quòd ſicut in Divinis erant tres perſonæ; ita tres ſubſtantiæ: & quòd Filius non erat Deus, ſed perfectiſſima creaturarum ab æterno à Patre creata, ſimilis Patri in largitate gratiæ, ſed non æqualis in ſubſtantia: & ſic turbavit totam Eccleſiam Orientalem cum ſua execrabili Secta, quæ maximos & innumeros habuit fautores. Nam quidam diſcipulus ipſius *Arii* ſub veſte vulpina decepit *Conſtantiam* filiam *Conſtantini*, & ſuo veneno fauciavit: quæ etiam fratrem ſuum *Conſtantium* Imperatorem ad præfatam Sectam deduxit: & tunc *Conſtantius* incepit Catholicos perſequi per omnes partes mundi. Unde *Athanaſius* Epiſcopus Alexandrinus compulſus eſt fugere ab Eccleſia uſque ad *Gallias* & iterum apud *Ariminum* contra Catholicos concilio congregato, *Hilarius*, & *Martinus*, & cæteri Catholici in exilium relegantur. Et ſic facies Eccleſiæ incepit hæreticâ pravitate deturpari: in tantùm quod multi Pſeudo Epiſcopi raptim & procaciter Eccleſias regebant, omnes hæretica fictione maculati: & adeò perſecuti ſunt Catholicos, ut hæc perſecutio omnes præteritas perſecutiones Tyrannorum ſuperare videretur: & omnes fautores principum erant eodem veneno fauciati. Nam *Reges Gothorum & Vvandalorum* ceperunt illam ſectam: & ſic ſimul *Theodoricus* in *Italia*, & Reges *Gothorum* in *Gallia & Hiſpania*, & *Vvandali* in *Africa* omnes perſequebantur Eccleſiam Catholicam. Unde in *Africa* plures effecti ſunt Martyres, quàm tempore *Diocletiani*, in tantum quòd Catholici pauci in numero effecti ſunt, & vexati & relegati per mundum. Unde Eccleſia paſſa eſt hanc perſecutionem uſque ad tempora *Mauritii* Imperatoris, & *Gregorij* Papæ. Nam *Theodoricus* in Italia extinctus eſt ſimul cum Secta Ariana. Et *Belliſarius* Magiſter militiæ *Juſtiniani* omnes

Vvandalos in Africa simul cum sua secta delevit : & in *Hispania* suadentibus *Isidoro & Leandro*, *Recaredus* Rex *Gothorum* cum suis Catholicus effectus est. Et sic iniqua secta *Ariana oppilavit os suum*, & prævaluit Fides Catholica. A

Prævidens ergo Propheta hanc persecutionem, de qua Ecclesia erat per Christum liberanda, dixit: *Et* Catholici, supple, qui in tantum fuerant prosperati & multiplicati favore magni *Constantini*, postea ob persecutionem Arianæ pravitatis, minorati & *pauci facti sunt:* quia fuerunt *vexati* & afflicti *tribulatione*, & persecutione, *& dolore*, id est, tormento *malorum* Hæreticorum, scilicet Arianorum, & Manichæorum, & Donatistarum, & Pelagianorum. Nam *effusa* est *contemptio super Principes* & Hæresiarchas hinc & inde sustentantes diversas & contrarias opiniones, ut B dictum est. Et quia hoc non fecerunt ex zelo Ecclesiæ, sed ambitione honoris & gloriæ: ideo Deus *fecit*, id est, permisit, *eos errare in invio*, *& non in via* : quia non processerunt per viam veritatis, nec intellexerunt veritatem Sacræ Scripturæ; immò erraverunt per invium, & extra viam veritatis, Domino permittente.

Nota.

Nam *Sabellius* posuit confusionem in Personis : & *Arius* distinxit substantias; immò in eadem secta Ariana surrexit triplex opinio contraria inter Sectatores *Arii*, *& Macedonium*, *& Eunomium* : & sic omnes, licèt contrarii, ambulabant per *invium*. Item surrexit *Pelagius*, & dixit: quod omnes poterant operari meritoriè absque gratia per solum liberum arbitrium. C Et postea *Nestorius* posuit duas personas in Christo, sicut sunt duæ naturæ : & è contra *Eutychius* dixit, in Christo esse tantùm unam naturam, sicut est una persona.

Verumtamen contra hos suscitavit Christus complures Doctores, qui defenderunt Ecclesiam scripturis, & disputationibus. Unde Augustinus contra *Manichæos* viginti duo volumina scripsit. Et contra *Maximinum* Episcopum eorum luculentissimè eorum rationes refutavit. Demum contra omnes Hæreses scripsit : In tantum quòd hæretica pravitas & *iniquitas* undique convicta & confusa *oppilavit os suum*, & deleta est ab Ecclesia. Et D tunc Catholici & recti quieverunt & *lætati sunt*, & factum est *unum ovile*, *& unus pastor* in Ecclesia ; & omnes oves per hæreticos deceptæ, reversæ sunt ad suum ovile.

Ideo subdit: *Et adjuvit*, id est, relevavit *pauperem* Ecclesiam *de inopia*, & persecutione Principum & Regum Hæreticorum; *& posuit familias* suas, scilicet, Catholicos obedientes *sicut oves* in ovili Ecclesiæ: congregavit & reconciliavit Reges & Principes, qui antè erant lupi, & persecutores. Et subdit Propheta : Tunc *recti*, id est Catholici, qui per magna tempora re- E trò fuerant vexati, tunc facta conversione & reconciliatione *lætabuntur*, reddentes gratias Deo. *Et omnis iniquitas*, & hæretica pravitas confusa, & convicta per *Augustinum* & cæteros Doctores obmutescet, & *oppilabit* & obstruet *os suum*, ne ampliùs loquatur. Et concludit Propheta propter ea quæ dicta sunt, & dicit: quis homo *sapiens custodiet* & considerabit *hæc*, quæ dicta sunt ? *& intelliget*, id est, intelligere & comprehendere poterit *misericordias Domini* ? Quasi dicat: Nullus poterit comprehendere altitudinem & profunditatem misericordiæ Dei : cùm ejus miserationes sint super omnia opera ejus : nec valebit agere, aut re- F ferre gratias pro tantis & tot beneficiis receptis. Vel forsan sententia hujus ultimi versiculi potest referri ad profunditatem prophetiæ, & intelligentiæ hujus Psalmi. Nam David memoravit in hoc Psalmo sex pressuras, à quibus multi sunt liberati ex Dei misericordia, cùm clamarent ad Dominum.

Unde Judæi ad litteram primam intelligunt, qualiter Deus liberavit filios Israel per desertum in quadraginta annis, & introduxit eos in terram promissionis. Per secundam intelligunt, qualiter Deus liberavit *Joseph & Manassem*, & multos alios tempore *Judicum* de carceribus. Per tertiam, qualiter Deus sanavit filios Israel morsos à serpentibus, *Numer.* 21. Per quartam qualiter Deus liberavit *Jonam*, & G alios de naufragio. Per quintam, qualiter Deus per *Eliseum* fecit fructiferam terram sterilem, ponendo salem in aquis. Per sextam, qualiter Deus liberavit multas civitates à seditionibus civium, & persecutionibus Tyrannorum. Verumtamen licèt ista fuerunt literaliter impleta & facta : tamen quia David istum Psalmum fecit in prophetiam, & non ad historiam ; ideo non est sistendum in littera. Nam cum majori extorsione deducitur ista littera ad illas historias, quàm ad veram prophetiam, ut patet manifestè. Nam ultima particula, ubi dicit, *Pauci facti*, non bene potest applicari ad historiam, & seditionem antiquarum civitatum, cùm manifestè loquatur H de Hæreticis, cùm dicit : *Omnis iniquitas oppilabit os suum* lætantibus Catholicis & rectis &c. Et ideo contra Judæos hunc Psalmum ad solam litteram intelligentes ait Propheta: *Quis sapiens intelliget*, *& custodiet hæc* supradicta? id est, considerabit, & ad tempus Ecclesiæ applicabit? *Et intelliget misericordias Domini* factas & impletas per Christum in Ecclesia ? id est, omnia ista referet ad adventum Christi : & intelliget esse dicta de Christo? Quasi dicat: Nullus intelliget, nisi soli Catholici & fideles Christiani : Nam tàm Judæi, quàm

Hæ-

Hæretici & infideles erant *in invio*, *& non in via.*

Ex supradictis patet, quàm vehementer peccant Catholici, qui judaizantes cum Judæis, nolunt intelligere supradictos tres Psalmos, nisi ad historiam & litteram veteris Testamenti; cùm sit probatum in Prologo, & per omnia supradicta, quòd omnia gesta veteris Testamenti non erant gratiâ sui, sed figura Christi futuri. Et dictum est, qualiter omnes majores veteris Testamenti ad minus crediderunt tribus articulis de Christo futuro. Crediderunt enim incarnandum Christum, & passurum, & resurrecturum: in cujus fide salvabantur, & sciebant, per nullum posse salvari, nisi per Christum futurum: ergo illum invocabant ad salvandum. Ex quibus patet, quod omnia hæc prævidens David, omnes exhortatur ad confitendum Christum, & laudandum eum de mirabilibus, quæ tunc facturus erat, & postea fecit in nostra redemptione. Et sic postquam nox præcessit, & jam ambulamus in die, non debemus quærere umbram litteræ, sed veritatem latentem in littera, ad quam propheticè locutus est David.

Psalmus CVII.

1. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea.*

Ps. 55. b. de Consec. d. 5. c. Non mediocriter.

2. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara: exurgam diluculo.*

Titulus: *Canticum Psalmi ipsi David:* eò quòd Psalmus iste cantabatur voce & instrumento, ut dicitur infra. Unde est advertendum, quòd iste Psalmus est compositus ex duobus. Nam quinque primi versus sunt excerpti à *Psalm.* 56. & octo versus ultimi sunt excerpti à *Psalm.* 59. scilicet, ab illa particula: *Ut liberentur dilecti &c.* Et sic ex tredecim versibus compositus est iste Psalmus. Et causa fuit. Nam David fecit Psalmos de omnibus victoriis suis, & liberationibus & periculis, in quantum in eis in spiritu prævidebat aliud mysterium futurum de Christo & Ecclesia, ut dictum est: sed postea illos Psalmos applicabat, ut cantarentur in aliquibus festivitatibus, secundùm prophetiam: & sic in hoc loco de Psalmis jam factis accepit duas particulas, & confecit hunc Psalmum appropriatum ad cantandum in Tabernaculo, & Templo Domini: sicut nos ex duobus facimus unum, & cantamus in Laudibus: putà: *Deus Deus meus*, &, *Deus misereatur nostri.* Item, ex tribus unum: ut *Laudate Dominum de cœlis*, &, *Cantate, & Laudate Dominum in sanctis ejus.*

Iste Psalmus sicut componitur ex illis duobus; ita convenit in sententia cum illis: sed differt. Nam *Psalmus* 56. incipit à persecutione & clamore, & finit in gratiarum actione pro liberatione: & 59. incipit à persecutione; & finit in victoria, ut ibidem dictum fuit: sed iste Psalmus totus est lætus. Nam in prima parte continet gratiarum actiones *Psalmi* 56. In secundo continet victoriam *Psalmi* 59. & sic iste Psalmus jam per particulas ibi est expositus. Sed ne videatur manere sine forma Expositionis, oportet quod spiritualiter & breviter hîc exponatur.

David præeminentia super omnes Prophetas.

Ad cujus intelligentiam est notandum: quòd dicit *Rab. Hacados*, quòd hanc præeminentiam habet David super omnes Prophetas: Nam cum cæteros Prophetas excitaret à somno ipsa claritas diei; tamen ipse David excitabat Auroram & diem, eò quòd Spiritus sanctus excitabat ipsum David ante diluculum ad prophetandum. Unde dicit: quòd ventus Aquilonaris intrabat per fenestram cameræ David in qua dormiebat, & movebat chordas citharæ & Psalterii, quod pendebat in capite lecti: & sic David excitatus incipiebat pulsare citharam, & tunc Spiritus sanctus impiebat mentem David, & sic prophetabat, & condebat Psalmos: & sic Spiritus sanctus incipiebat in eo, & perficiebat prophetiam. Nam ita dulciter sonabat, quòd Deus descendebat de cœlo ad audiendum eum, & sic augebat in eo prophetiam & dabat ei spiritum propheticum. Et ideo David cum contemplaretur aliquod mysterium, & aliquam partem Scripturæ Sacræ ex parte noctis, quam non intelligebat, invocabat Spiritum sanctum, ut excitaret eum ante auroram, & illuminaret eum, ut posset intelligere Sacram Scripturam, & divina mysteria in ea contenta, ut ex eis posset condere Psalmos. Et ideo semper quando ex parte noctis se reponebat in lecto, dicebat principium hujus Psalmi, scilicet, *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.* Quasi diceret: Veni Sancte spiritus, & excita citharam, & psalterium meum, & pulsa & illumina mentem meam, & exurgam diluculo ad laudandum te, & prophetandum, & ad condendum Psalmos, quia cor meum paratum est ad cantandum & psallendum, si tu excitaveris me. Et ista est sententia hujus *Rabbini.* Quæ licet sit vera, & tribuat maximam dignitatem prophetiæ ipsius David præ cæteris Prophetis: tamen non aperit, neque explicat totum mysterium & sacramentum contentum in hoc Psalmo.

Ad cujus majorem intelligentiam est prænotandum secundùm Apostolum *ad Roman.* 5. & 6. & 1. *ad Corinth.* 15. quòd

Resurrectio Christi causa nostræ victoriæ & vitæ.

quòd licèt passio Christi fuerit causa nostræ salutis & redemptionis; tamen ejus resurrectio fuit causa nostræ victoriæ, & vitæ, & nostræ fidei firmitatis: quia si Christus non resurrexisset, inanis fuisset tota fides nostra. Et ideo nunquam fuit firma nostra redemptio, & perfectus noster triumphus, usquequò Christus resurrexit. Nam tunc firmavit omnia quæ dixerat, & liberavit sanctos Patres de inferno, & ligavit diabolum, & adeptus est resurrectionem pro nobis futuram, & secum suscitavit Legem Euangelicam, quæ erat in veteri Testamento sepulta: etiam cùm surrexit Christus, secum surrexit tota Lex Euangelica: & per consequens tunc surrexit & fuit firma fides nostra. Et hæc est una causa, quare ita frequenter Prophetæ desiderabant Christi resurrectionem.

Nota.

Secundò est notandum secundùm *Hieronym.* in *Epistola de Mansionibus*: quòd causa quare *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, & omnes Patriarchæ & Prophetæ vehementer desiderarunt sepeliri in terra promissionis, fuit ista: quia noverunt in spiritu, quòd Christus Redemptor in Lege promissus debebat in Hierusalem sepeliri, & exinde resurgere, & omnes cum eo resuscitare. Et hæc est secunda causa, quare tantum desiderabant Christi resurrectionem.

Lex Euangelica arma Apostolorum.

Tertiò est notandum, sicut dictum est superiùs, quòd arma quibus Apostoli subjecerunt totum mundum jugo Christi, fuit Lex Euangelica: quæ quidem Lex Euangelica fuit suscitata cum Christo, ut dictum est. Et ideo hæc est tertia causa quare Patriarchæ & Prophetæ tantum desiderabant & petebant Christi resurrectionem.

Hoc ergo prævidens David in spiritu fecit hunc Psalmum, quem *Canticum Psalmi* intitulavit: eò quòd dedit ipsum Cantoribus cantandum, ut cantaretur in Tabernaculo & Templo Domini simul cum voce humana & instrumentis musicis, scilicet, cum psalterio & cithara, propter mysterium resurrectionis in eo contentum: nam sicut fingunt Poëtæ, quòd *Orpheus* dulciter personando citharam, revocavit *Euridicen* suam, & liberavit ab inferno: ita David & omnes Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, & Levitæ veteris Testamenti cantando istum Psalmum cum psalterio & cithara, vocabant Christum, ut surgeret à mortuis, & liberaret totum genus humanum à morte peccati, & per *citharam & psalterium* Euangelicum suscitaret populum Gentilem de tenebris ignorantiæ, & servitute idolorum. Duo ergo facit in hoc Psalmo. Nam primò excitat Christum, ut surgat à mortuis, & suscitet omnes alios. Secundò petit victoriam contra diabolum & populum Gentilem. Ibi: *Salvum fac dextera tua.*

Materia Psalmi.

Quantum ad primum est advertendum, sicut dictum est, quòd illud psalterium materiale, cum quo cantabat David Psalmos, uno modo significabat & figurabat ipsammet personam Christi, in qua fuerunt completa illa decem mysteria, scilicet, Incarnatio, Nativitas, Baptismus, Prædicatio, Miraculorum operatio, Mors, sive Passio, Resurrectio, Spiritus sancti missio, in cœlos ascensio, & Nominis Jesu per universum orbem manifestatio. Istæ sunt decem chordæ psalterii personæ Christi: quod psalterium, & quas chordas in semetipso pulsavit. Secundo modo illud psalterium David significabat Legem Euangelicam, quæ nihil aliud continet nisi istas decem chordas. Et hoc psalterium Legis Euangelicæ personarunt Apostoli per universum orbem, & personando hoc psalterium ejecerunt principem hujus mundi foras, & deleverunt idololatriam de mundo, & subjecerunt omnes reges & populos Gentium jugo Christi. Quod quidem psalterium simul surrexit cum Christo, ut dictum est. De utroque ergo psalterio, scilicet, tàm de persona Christi, quàm de Lege Euangelica, dicit Propheta David in persona totius corporis mystici: *Exurge psalterium & cithara.*

Christus dicitur Psalterium.

David ergo positus in contemplatione, desiderans Christi resurrectionem, cum quo putabat ipse resuscitari simul cum aliis sanctis Patribus, dicit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Quasi dicat: non solummodo voluntas intellectiva, & tota pars rationalis, sed etiam appetitus sensitivus cum omnibus sensibus, & tota anima mea, & caro mea est præparata & prompta ad cantandum & psallendum *in gloria mea*, qui est Christus. Sed quia non potero cantare, nisi tu priùs Christe resurgas; ideo *exurge* tu Christe, qui es *psalterium* meum *& cithara* mea, & *exurgam diluculo*, id est, summo mane in die resurrectionis. Nam si tu non surrexeris, nemo poterit resurgere: quia tu es primitiæ dormientium & resurgentium: ideo cùm tu surrexeris summo diluculo, omnes resurgemus tecum.

David cũ Christo resurrexit.

Et nota secundùm communem opinionem, quòd David, & multi Patriarchæ & Prophetæ resurrexerunt cum Christo, de quibus ait Euangelista: *Multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo &c.* & nos omnes surreximus cum eo, sicut dicit *Apostolus*: quia pro nobis adeptus est resurrectionem glorioſam, quam possidebimus in novissimo die. Et ideo cum fiducia ait David in persona omnium nostrûm: *Exurge psalterium & cithara*, & ego cum toto cœtu Fidelium *exurgam diluculo* tecum, supple. Et per *citharam* intelligit etiam Legem Euangelicam, quæ surrexit simul cum Christo. Nam *cithara* est instrumentum triangulare: ita pariter Lex Euangelica dicitur *triangularis*, in quantum clauditur fide, spe, & charitate; vel in quantum

tum ſignificat Trinitatem Perſonarum Divinarum: vel in quantum Lex Euangelica ſignificata per *citharam* continet obſervantiam decem Præceptorum, & Fidem Articulorum, & gratiam ſeptem Sacramentorum. Item, *cithara* etiam ſignificat ipſum Chriſtum, in quo ſunt tria, ſcilicet, divinitas, & anima rationalis, & corpus. Et ſic patet, quòd tàm *pſalterium*, quàm *cithara* ſignificabant tàm Chriſtum, quàm Legem Euangelicam: & ſic David in hoc Pſalmo cum pſalterio & cithara pſallendo excitat Chriſtum, ut reſurgat à mortuis cum Lege Euangelica, poſtquam Lex vetus fuit mortua & ſepulta cum eo, ut frequenter dictum eſt. Ordinatur ergo ſic iſta littera: *Exurge pſalterium*, id eſt Chriſte, qui es pſalterium meum, & *exurge* tu *cithara*, ſcilicet, Lex Euangelica; & ego *exurgam diluculo* tecum: quia cor meum ſimul cum carne mea eſt præparatum & promptum ad laudandum, & cantandum, & pſallendum *in gloria mea*, qui eſt Chriſtus.

Et nota, quòd communiter Doctores ponunt differentiam inter *cantare & pſallere*. Nam *cantare* pertinet ad vitam contemplativam; & *pſallere* ad activam. Quaſi dicat: non ſolummodo cantabo & prædicabo Legem Euangelicam, ſed etiam pſallam, id eſt, operabor ſecundùm eam. Item, non ſolùm cantabo pſalterium decem Articulorum humanitatis Chriſti, ſed etiam pſalterium decem Præceptorum. Item, pſallam citharam Euangelicam, quæ continet myſterium Trinitatis, ſive fidem Articulorum, & obſervantiam Præceptorum, & gratiam Sacramentorum.

3. *Confitebor tibi in populis Domine: & pſallam tibi in nationibus.*

15. q. 1. c. Revertimini. Et de Pœ. d. 3. Divinitatis natura.

4. *Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua: & uſque ad nubes veritas tua.*

5. *Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua: ut liberentur dilecti tui.*

HIC promittit iſte *homo myſticus* agere gratias, & prædicare Legem Euangelicam poſt reſurrectionem Chriſti, ſicut fuit impletum in Apoſtolis. Unde dicit: O Chriſte, poſtquam tu reſurrexeris à mortuis, & ſuſcitaveris me à peccato, & à tenebris ignorantiæ, & ſuſcitaveris Legem Euangelicam; tunc ego *confitebor tibi*: primò, *in populis* Judæorum Legem tuam prædicando: ſecundò, *pſallam*, & perſonabo, & promulgabo eamdem Legem *tibi in nationibus*, id eſt, in populo Gentili: & prædicabo, qualiter *miſericordia tua eſt magna ſuper cœlos*, id eſt, ſuper omnes Angelos; quia etiam redemptio tua uſque ad cœlos ſe extendit, ut dictum eſt *Pſal.* 102. *& veritas tua* etiam eſt facta *magna* ſuper *nubes*, id eſt, ſuper Apoſtolos. Nam Lex Euangelica, quæ dicitur *veritas tua*, fuit facta *magna* ſuper Apoſtolos, qui tanquam nubes pluerunt verba Euangelica ſuper omnem terram. Et etiam *veritas tua*, aſcendit *uſque ad nubes*: quia omnia dicta de te per Patriarchas, & Prophetas, ſcilicet, de reſurrectione & aſcenſione, fuerunt verificata & manifeſtata, non ſolùm in terra, ſed etiam in nubibus cœli: quando nubes ſuſcepit te ab oculis Apoſtolorum in die aſcenſionis, ut patet *Act.* 1.

Et ideo ſubdit: O Chriſte *Deus exaltare ſuper cœlos*, id eſt, aſcende poſt reſurrectionem, & ſede ad dexteram Patris, & exaltetur *gloria tua ſuper omnem terram*, id eſt, manifeſtetur nomen tuum, & exaltetur ſuper omnes reges, & principes, & populos terræ, & manifeſtetur Lex tua Euangelica, *ut liberentur dilecti tui* de populo Gentili, quos ab æterno dilexiſti, & prædeſtinaſti: nam aliter non poſſunt liberari, niſi tu reſurgas, & aſcendas in cœlum, & Lex prædicetur per totum orbem, & convertantur ad Fidem Catholicam.

Item, ly *exaltetur ſuper omnem terram gloria tua*, poteſt referri ad exaltationem in cruce: nam non fuiſſent liberati *dilecti* Chriſti, niſi ipſe prius fuiſſet exaltatus in cruce, ſicut ipſe ait, *Joann.* 3. *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipſum &c.* Quatuor ergo petit hìc David, ad hoc ut omnes liberaremur. Primò, ut Chriſtus exaltaretur in cruce. Secundò, ut reſurgeret à mortuis. Tertiò, ut aſcenderet in cœlum ad parandum nobis manſiones. Quartò, ut veritas ſua Euangelica *ſuper omnem terram* diffunderetur, & omnes ad fidem converterentur. Quaſi dicat: O Chriſte, *exaltare* in cruce pro nobis moriendo; & exurge à mortuis, & aſcende in cœlum, & mitte imbrem Euangelicum per univerſum mundum, *ut liberentur dilecti tui*: quia aliter non poſſent liberari.



Supr. 59. b.

6. *Salvum fac dextera tua, & exaudi me: Deus locutus est in sancto suo:* A

22. q. 1. cap. Noli.

7. *Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.*

Ibidem.

8. *Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei.*

9. *Juda rex meus: Moab lebes spei meæ.* B

10. *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.*

POSTQUAM superiùs petiit nostram redemptionem, & liberationem per passionem, & resurrectionem, & ascensionem Christi; hîc petit ampliationem & dilatationem Ecclesiæ, & victoriam contra diabolum & infideles, à quibus passa est magnas persecutiones post ascensionem Christi usque ad Magnum *Constantinum*: ubi duo facit: nam primò adducit figuram, & visionem. Secundò, petit victoriam. Ibi: *Quis deducet me?* C

Quantum ad primum est advertendum, quòd non solummodo *Abrahæ*, & *Jacob*, & *Moysi* fuit revelata & promissa dilatatio & multiplicatio Ecclesiæ Christi per totum orbem, sed etiam ipsi David fuit revelata speciali revelatione de Tabernaculo: & eamdem dilatationem prævidit in spiritu per dilatationem sui regni. Nam sicut ipse subjecit sibi omnes duodecim Tribus Israel post mortem *Saul*, & postea fecit sibi tributarios omnes Idumæos, & Moabitas, & Ammonitas, & Philisthæos: ita prænovit in spiritu, quòd Christus debebat producere & dilatare regnum suum super omnes reges terræ, & super omnes populos Gentilium usque ad terminos D mundi. Et sic Ecclesia debebat sibi omnes infideles subjugare per conversionem Magni *Constantini*, & à persecutionibus Tyrannorum liberari.

Dicit ergo: O Domine Jesu-Christe, postquam liberasti me per mortem, passionem, resurrectionem, & ascensionem, salva me nunc *dexterâ* tuæ potentiæ de persecutionibus Tyrannorum, *& exaudi me*, sicut Deus Pater tuus *locutus est*, & promisit *sancto suo* Abraham, & Jacob, & Moysi: & etiam *locutus est* mihi *in sancto* E *suo*, id est, de sanctuario, & de Templo sancto suo mihi revelavit & promisit per dilatationem regni mei. Nam ego jam *exultabo*, *& dividam Sichimam*, id est, civitatem *Sichem* cepi, & spolia ejus divisi; *& dimetiar convallem tabernaculorum*: quia divisi, & mensuravi possessiones ejus meis armigeris: etiam *est meus Galaad*, *& Manasses*, quæ est ultra Jordanem, & omnia infrascripta acquisivi &c. sicut exposita sunt *Psalmo* 59. Quasi dicat David: Sicut ego subjeci omnia ista mihi, fac ut tu Christe subjicias Ecclesiæ omnia regna terræ &c.

9. q. 3. c. Ad mensam.

11. *Quis deducet me in civitatem* F *munitam? Quis deducet me usque in Idumæam?*

Et 95. d. cap. Eccc.

12. *Nonne tu Deus, qui repulisti nos, & non exibis Deus in virtutibus nostris?*

23. q. 3. cap. Sex.

13. *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.*

13. q. 2. cap. Hia ita.

14. *In Deo faciemus virtutem: &* G *ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

HIC Propheta in persona totius Ecclesiæ petit liberari à persecutionibus Tyrannorum, & dilatari, & subjici sibi omnia regna terræ in virtute nominis Christi, & prædicationis Legis Euangelicæ. Unde dicit: *Quis deducet me in civitatem munitam?* id est, ad subjugandum omnes civitates munitas mundi: & *quis deducet me usque in Idumæam?* id est, ad subjugandum omnia regna populi Gentilis? Quasi dicat: *Nonne tu* solus *Deus?*

Patet Expositio *Psal.* 59.



PSAL-

Psalmus CVIII.

1. *Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.*
2. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me: & expugnaverunt me gratis.*
3. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.*
4. *Et posuerunt adversum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.*

Actu. 1. 1. Re. 17. Et si de Christus dixeris habes in Euangeliis. Luc. 22. Mat. 26. Mar. 14. Joan. 11.

Titulus: *In finem Psalmus David.* Ex Titulo apparet, quod David fecit istum Psalmum dirigens nos in Christum, qui est finis Legis.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd communiter Hebræi moderni exponunt istum Psalmum de destructione domus *Saul* propter peccatum ingratitudinis commissum contra David: quæ quidem Expositio licèt possit litteraliter applicari ad illam historiam: tamen talis Expositio esset inanis & vacua, inferens injuriam ipsi Prophetæ David, qui non minus fuit Propheta in hoc Psalmo, quàm in reliquis. Item, talis Expositio potest esse falsa: quia David nunquam maledixit *Sauli*; immò flevit mortem suam. Et ideo magis est credendum auctoritati Beati *Petri*, qui allegat scripturam hujus Psalmi, *Act.* 1. esse dictam de prævaricatione Apostolatus *Judæ*; & per consequens de reprobatione Synagogæ, & substitutione *Mathiæ* Apostoli, & electione populi Gentilis.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Propheta per ingratitudinem & malitiam ipsius *Saulis*, & suorum sequacium perpetratam contra ipsum, prænovit in spiritu ingratitudinem Judæ proditoris, & populi Judæorum contra Christum. Nam sicut multotiens dictum est, ipse *Saul* reddidit ipsi David malum pro bono. Nam ipse David liberaverat totum Israel de manu *Goliæ*, & *abstulit opprobrium ejus*, ut patet 1. *Reg.* 17. Ipse autem *Saul* conceptâ iniquitate & invidiâ, persecutus est David per septem annos, & semper machinatus est in mortem ejus: ex quo peccato & ingratitudine Deus permisit, quòd *Saul* & *Doëg* ejus consiliarius perierint in montibus *Gelboe*: & exinde periit tota domus ejus, & translatum est regnum ad David, propter humilitatem suam. In quo mysterio prævidit David in spiritu, qualiter *Judas*, & totus populus Judæorum debebant esse ingrati Christo, & machinari mortem ejus: & quomodo Judas debebat tradere ipsum Judæis, & Judæi debebant tradere ipsum flagellandum & crucifigendum Pilato. Prævidit etiam in spiritu, qualiter Judas proditor debebat se suspendere post resurrectionem Christi, & perdere Apostolatum; & alterum, scilicet Beatum *Mathiam*, eligi & substitui loco ejus. Per eamdem rationem prænovit in spiritu, qualiter Synagoga, & populus Judæorum erat reprobandus, & debebat perdere sacrificium, & templum, & sacerdotium; & quomodo populus Gentilis debebat succedere, substitui, & accipere sacerdotium & veram Legem Euangelicam, Synagogâ manente cœcâ, & reprobatâ: & qualiter ille populus Judæorum debebat manere in captivitate perpetua, & incurrere vigintiquatuor maledictiones in hoc Psalmo memoratas.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum in persona Christi: in quo quatuor facit. Nam primò, Christus exponit querelam suam, explicando ingratitudinem ipsius *Judæ* proditoris, & totius populi Judæorum. Secundò, petit ultionem de eis, prædicendo vigintiquatuor maledictiones, quas ille populus hodie patitur. Tertiò, petit à Patre liberari. Quartò, promittit gratias acturum. Secunda ibi: *Constitue super eum.* Tertia: *Et tu Domine fac.* Quarta: *Confitebor Domino.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd sicut Christus est Caput & principium omnium Christianorum, & totius Ecclesiæ in quantum homo, à quo omnes nominantur *Christiani:* ita *Judas* proditor est caput & principium omnium Judæorum obstinatorum, qui fuerunt & sunt post passionem Christi: & ideo Judæi moderni jam non dicuntur *Judæi* à *Juda* filio *Jacob*; sed à *Juda proditore*, cujus obstinationem & vestigia sequuntur. Unde sicut omnes perfectiones & virtutes primò sunt fontaliter in Christo tanquam in Capite, & inde derivantur ad omnia membra sua: ita pariter proditio & obstinatio, & omnes maledictiones primò fuerunt in Juda, & exinde derivata sunt in totam Synagogam, & omnes Judæos. Nam ipse primò tradidit, & vendidit Christum Judæis, & Judæi tradiderunt ipsum Christum crucifigendum Pilato. Et ideo sicut *Judas* suspendit seipsum, manens obstinatus, & sic abstulit sibi locum pœnitentiæ, & intulit sibi sententiam damnationis & obstinationis: ita pariter Judæi suspenderunt se ipsos, & intulerunt sibi sententiam obstinationis & damnationis, quando dixerunt: *Sanguis*

Christus Caput Christianorum.

guis ejus super nos, & super filios nostros &c. &, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Sic ergo *Judas* facit unum corpus simul cum Synagoga. Et ideo Propheta in hoc Psalmo primò conqueritur de populo Judæorum obstinatorum ipsum Judam imitantium & sequentium : & ita est dicendum de maledictionibus. Nam primò verificantur de ipso *Juda proditore*, & ex consequenti de tota Synagoga & populo Judæorum obstinato & obcœcato. Et ideo licèt Beatus *Petrus* allegaverit scripturam hujus Psalmi pro *Juda proditore*, cùm dixit: *Scriptum est in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, & episcopatum ejus accipiat alter* : tamen intelligendum est ex consequenti de Synagoga, à qua est translatum sacerdotium in populum Gentilem, ipsâ manente cœcâ, & obstinata, & reprobata, & privata hostiâ & sacrificio.

Quadrupliciter Deum laudamus.

Et etiam est advertendum, quòd quadrupliciter Deum laudamus. Primò, narrando veritatem, cum ipse Deus sit veritas. Secundò, memorando judicia Dei. Tertiò, narrando ejus misericordiam. Quartò, agendo gratias de beneficiis receptis. Sed quia ista quatuor memorantur in hoc Psalmo : nam primò, narratur veritas passionis Christi : secundò, sententia & judicium datum contra Judæos iniquos crucifixores Christi : tertiò, absolutio & liberatio justi & innocentis à morte : quartò, promittuntur gratiarum actiones : Ergo recte Propheta hunc Psalmum vocat *laudem.*

Dicit ergo David in persona Christi ad Patrem ; immò dicit Christus per os David : O Deus Pater, *ne tacueris*, id est, ne contemnas acceptare *laudem*, & petitionem *meam*, id est, ne desistas fulminare sententiam contra Judæos in hoc Psalmo prænuntiatam; eò quòd est justa : *quia os* Judæ *peccatoris*, *& os* populi Judæorum *dolosi super me*, & contrà me *apertum est.* Quod probatur. Nam tàm Judas, quàm populus Judæorum *locuti sunt adversum me lingua dolosa & fraudulenta.* Nam Judas dixit: *Numquid ego sum Domine?* Et populus Judæorum dixit: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces &c.* & tamen omnes isti *circumdederunt me sermonibus odii* & malitiæ. Nam Judas dixit: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum, & ducite cautè.* Et Judæi dixerunt : *Qui se Regem facit contradicit Cæsari &c. Et* etiam *expugnaverunt me gratis*: quia non compulsi aliqua necessitate, nec causa præcedente, sed ex pura invidia me morti tradiderunt, immò reddiderunt mihi malum pro bono. Nam cùm multa bona fecerim eis, pro quibus me debebant diligere; ipsi tamen *detrahebant mihi*, vocando me blasphemum & destructorem Templi & Legis. *Ego autem orabam* pro eis, & ipsi *posuerunt adversum me mala pro bonis*: quia ego resuscitavi filios suos, & sanavi infirmos eorum, & ipsi occiderunt me; & sic reddiderunt mihi *odium pro dilectione mea.* Nam ego ostendi eis signa dilectionis, & ipsi rependerunt mihi signa & effectum odii ; quia loco dilectionis dixerunt : *Crucifige, crucifige.* Hoc idem fecit *Judas* proditor. Nam ego remisi ei peccata sua, & acceptavi ipsum in Apostolatum, & exaltavi ipsum: ipse autem in præmium tantorum beneficiorum, & tantæ dilectionis, morti tradidit me, & vendidit me triginta argenteis. Ex quibus patet nefanda & detestabilis ingratitudo, tàm populi Judæorum, quàm ipsius Judæ proditoris.

Hîc in secunda parte Christus petit ultionem de suis persecutoribus : immò per modum petitionis eorum sententiam & condemnationem & punitionem firmiter prænunciat prophetando. Unde est advertendum quod Deus dixit Moysi, *Deut.* 18. *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum similem tibi : ponamque verba mea in ore ejus, & annuntiabit vobis quæcumque dixero illi : & qui verba quæ dixerit non audierit, ultor illius existam.* Ubi manifestè comminatur Deus ultionem Judæis non recipientibus Messiam. Sed ulterius, *Capitulo* 28. explicat sententiam & maledictiones venturas illi populo, qui Deum & Messiam erat negaturus, quæ quidem maledictiones reducuntur ad vigintiquatuor. In quo mysterio prævidit David maledictiones & punitiones populi Judaici negaturi & occisuri Christum Messiam. Sed magis explicitè hoc vidit in spiritu per reprobationem regni *Saulis* & mortem ejus, & destructionem totius domus suæ, & translationem regni ejus. Unde motus fuit ad faciendum hunc Psalmum in persona Christi. In quo, postquam in prima parte explicavit querelam suam & ingratitudinem illius populi : in hac secunda parte petit ultionem de illo populo, & sub modo orationis prædicit vigintiquatuor maledictiones, quas incurrit ille populus, & patitur ad præsens in punitionem homicidii, & rebellionis, & ingratitudinis de tantis receptis beneficiis ab ipso Christo. Quæ quidem sententia & maledictiones priùs comprehenderunt ipsum *Judam proditorem*, & exinde totum populum Judaicum, & fuerunt in eo impletæ, quando per Titum & populum Romanum totum Templum & Civitas fuit incensa, & ipsi trucidati & captivi, & per totum orbem dispersi. In quibus maledictionibus & sententia succedunt omnes Judæi, qui manent in eadem obstinatione.

Christus quærit ultionem de Judæis.

Ad cujus majorem intellectum est advertendum, sicut dictum est *Psalmo* 13. & 68. & 81. quòd duo peccata fuerunt generalia, quæ infecerunt totam naturam

suo-

Duo peccata infecerunt totâ naturam.

suorum auctorum, & transierunt in omnes posteros cum onere suo & damno tanquam morbus hæreditarius. Primum fuit peccatum inobedientiæ & rebellionis ipsius *Adam*. Secundum fuit peccatum crucifixorum Christi. Unde sicut *Adam* in peccando perdidit originalem justitiam & gratiam cum præmiis suis, & incidit in contrarias miserias in pœnam peccati sui: quia perdidit futuram felicitatem promissam in cœlo, & fuit exul & ejectus ab illo terrestri paradiso in hanc vallem lacrymarum inter bestias, & mundanas miserias, & condemnatus in futuro ad pœnam æternam: ita pariter populus Judaicus in crucifigendo & negando Christum, perdiderunt beneficium redemptionis, manentes in eodem peccato & sententia data in *Adam*: & ultra hoc fuerunt exules & ejecti à sua civitate & regno, incurrentes viginti quatuor maledictiones, quæ memorantur in hoc Psalmo. Et sicut peccatum Adæ transivit in omnes posteros cum onere suo: ita pariter peccatum crucifixorum Christi transivit in omnes posteros cum onere suo, scilicet, cum istis viginti quatuor maledictionibus in hoc Psalmo memoratis. Et sic populus Judaicus manet obnoxius & subjectus duplici peccato & sententiæ & maledictioni.

7. q. 1. c. Ex meritis.

5. *Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris ejus.*

PRIMA ergo *maledictio* sententiæ est, quòd Judæi semper sunt subjecti hominibus peccatoribus: & ratio est: nam postquam noluerunt esse subjecti Christo sancto & justo Messiæ in Lege promisso; immò dixerunt, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*: ideo justè sunt condemnati ad perpetuam servitutem corporis & animæ. Nam quoad animam subjiciuntur diabolo: & quoad corpus, principibus peccatoribus, qui eos vituperaliter tractant. Nam primò fuerunt subjecti Gentilibus; nunc vero *Saracenis*, & Christianis; & subjiciuntur etiam Rabbinis suis, qui sunt magis peccatores & ficti.

Contra sustinentes Judæos.

Et si dicas: quòd Christiani Principes, qui eos sustinent in terris, non sunt peccatores: Ad hoc respondetur: immò sunt magis peccatores, quoad hoc, quam Saraceni & Gentiles. Nam ut exigant tributa quotidie, & munera à Judæis, defendunt eos, & permittunt in terris Christianorum multa enormia fieri, quæ sine magno peccato, & scelere Principum Christianorum permitti non possunt. Et sic Judæi semper habent pro majori parte *peccatorem* constitutum in dominum. Item, etiam in Synagoga habent peccatorem Sacerdotem & Prælatum. Nam omnes Rabbini sunt deceptores, & mendaces, qui fovent & sustinent eos in perfidia, & cœcitate. Et ideò dicit hîc Christus: O Pater, postquam iste populus noluit me recipere in Dominum per te missum: ideo *constitue super eum* dominum *peccatorem*. Et ista est prima maledictio eorum.

Secunda est, quòd *diabolus* est semper dux eorum in omnibus actibus eorum. Unde nota secundùm *Aristotel. lib. de Motibus animalium*, quòd in omni animali est dare unum principium à quo incipit, & procedit motus principaliter, & omnes vires: & sic datur pars dextera in quolibet animali, in qua incipit motus, ut patet. Ideo dextrum communiter sumitur pro principio. Et ideo figurativè dicitur de viro justo, qui habet Christum *à dextris*, quia ab eo incipiunt omnes actus & operationes. Ideo sunt bonæ & meritoriæ, quia procedunt à bono principio in bonum finem: quia justus operatur secundùm Fidem & Legem Christi. Per oppositum dicitur de malo, & pravo, & infideli, qui habet *diabolum à dextris ejus*. Nam operatur secundum vitium, & infidelitatem, & cœcitatem: ideo non potest nisi male operari. Et ita Judæi cùm habeant diabolum ducem, ideo non operantur nisi secundum avaritiam, & odium, & infidelitatem: & sic habent *diabolum à dextris*. Ideo ait Christus: *Et diabolus stet à dextris ejus* tanquam dux, cujus nutu incipiant suas operationes: quæ est secunda maledictio. Hoc idem verificatur, & dictum est de *Juda proditore*: quia semper diabolus fuit à dextris ejus, quando Satanas ingressus est in eum, & misit in cor ejus, ut traderet Christum, & cum suspendit seipsum.

Act. 2. & de Pœ. d. 3. c. Nihil & d. 66. c. Porro.

6. *Cum judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum.*

TERTIA est, quòd non solùm condemnati sunt à Christo ad servitutem perpetuam, sed etiam à seipsis: quam condemnationem semper incurrunt. Unde Christus condemnavit eos, cùm dixit: *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*. Item, cùm dixit: *Malos male perdet &c.* Item, cùm dixit: *Relinquetur domus vestra deserta*: & non relinquetur lapis super lapidem. Et cùm dixit eis *Væ* octies, *Matth.* 22. Sed etiam ipsi se judicarunt ad perpetuam servitutem corporis & animæ, in qua sunt hodie, cùm dixerunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. Ideo subditur: *Cum judicatur, exeat condemnatus*, id est, judicium & maledictio, & condemnatio quam ipse populus intulit sibi, veniat super eum: quæ est tertia maledictio, cùm dicit: *Cum judicatur*.

Quarta eſt, quia oratio eorum ſemper vertitur eis in peccatum : & hoc duobus modis. Primò, quia ſemper petunt Meſſiam venturum : ſed hoc eſt peccatum petere, cùm jam venit. Item, cum omnia ſacramenta veteris Legis & cæremoniæ ſint mortiferæ, ut dictum eſt : Ergo ſemper vertitur eis in peccatum. Item ſecundò, quod pejus eſt : Nam quando orant, & Pſalmos recitant in feſtivitatibus & ſingulis feriis, ſemper maledicunt ſeipſos. Nam in *Pſalm.* 21. 24. 68. & in *hoc* 108. continentur maledictiones prænuntiatæ à David contra crucifixores & rebelles Chriſti : ſed ipſi Judæi ſunt rebelles & crucifixores : ergo oratio eorum vertitur eis in peccatum & maledictionem. Ipſi ergo judicant & condemnant & maledicunt ſeipſos : ideo ait : *Cum judicatur, exeat condemnatus* à ſeipſo : *& oratio ejus fiat* & vertatur *in peccatum* contra ſeipſum : ideo ſubdit : *Et oratio ejus fiat in peccatum.*

7. *Fiant dies ejus pauci : & Epiſcopatum ejus accipiat alter.*

De Pœ. d. 3. c. Mihi inde. 23. d. c. In nomine Domini in fin.

QUINTA fuit, quia parum duravit dominium eorum poſtquam occiderunt Chriſtum. Nam poſt quadraginta annos fuerunt deleti & trucidati per Romanos : & ſic dies eorum fuerunt pauci : quæ fuit quinta maledictio. Ideo ſubdit : *Fiant dies ejus pauci.*

Sexta fuit, quia translatum eſt ſacerdotium ad Chriſtianos : & ideo ait : *Epiſcopatum ejus accipiat alter*, ſcilicet, Eccleſia Chriſti. Unde notandum, quòd *Beatus Petrus*, *Act.* 1. adducit partem hujus verſiculi pro ſuſpenſione *Judæ*, & ſubſtitutione *Mathiæ* : unde eſt advertendum : quòd ſicut *Saul* & translatio Regni ejus fuit figura deſtructionis Regni Judæorum, & translationis ejus ad Gentiles & Chriſtianos : ita *Judas proditor* quaſi per omnia fuit typus & figura deſtructionis & reprobationis Synagogæ, & translationis Legis & ſacerdotii ad Eccleſiam Chriſti. Nam ſicut *Judas*, qui tot bona receperat à Chriſto, tradidit eum & vendidit eum ſub oſculo pacis : ita Judæi tradiderunt ipſum *Pilato* ad crucifigendum. Et ſicut *Judas* ſe ſuſpendit cognitâ veritate, & abſtulit ſibi locum pœnitentiæ : ita pariter Judæi auferunt ſibi locum pœnitentiæ, & negant cognitam veritatem, & condemnant ſeipſos. Et ſicut *Judas* contempſit ſalutem, & elegit avaritiam, & homicidium, & latrocinium : ita Judæi contempſerunt Chriſtum, qui eſt vera ſalus, & regnum cœlorum, et elegerunt *Barabbam* latronem, & Cæſarem in dominum : & hoc, propter avaritiam & ambitionem, ne perderent ſacerdotium, & locum, & gentem. Et ſicut Judas fuit ſuſpenſus, & perdidit Apoſtolatum, & ſubſtitutus eſt *Mathias* in locum ejus : ita Synagoga fuit deſtructa, & amiſit ſacerdotium & legem, & populus chriſtianus ſucceſſit & accepit *Epiſcopatum* & ſacerdotium ejus.

Et ſic licèt prædicti tres verſiculi verè poſſint exponi de *Juda proditore* & doloſo, qui oſculo tradidit Chriſtum, ſuper quem Deus conſtituit diabolum, qui eum ad ſuſpendendum deduxit, qui ſeipſum condemnavit & ſuſpendit, & oratio ejus facta eſt in peccatum, cùm dixit : *Peccavi tradens ſanguinem juſti* : quia pœnitentia fuit infructuoſa, immò magis damnabilis : quia cognovit peccatum, & tamen non quæſivit veniam à Chriſto & Apoſtolis, ſed abſtulit ſibi locum veniæ : & dies ejus fuerunt pauci, quia tertia die ſe ſuſpendit, cum audivit Chriſtum reſurrexiſſe : & Apoſtolatum ejus accepit *Mathias*. Sed tamen quia omnia iſta adhuc gerebant typum & figuram deſtructionis Synagogæ & ſucceſſionis Eccleſiæ ; ideo principaliter Pſalmus iſte eſt exponendus de damnatione & maledictione populi Judaici : quia jam non dicuntur *Judæi* à *Juda* filio *Jacob*, quod interpretatur *confitens* : ſed dicuntur *Judæi* à *Juda proditore*, quem per omnia ſequuntur.

8. *Fiant filii ejus orphani : & uxor ejus vidua.*

23. q. 4. Ipſa pietas.

SEPTIMA maledictio eſt, quòd filii Synagogæ ſunt orphani : quia non ampliùs habent Deum in Patrem, cùm ſint reprobati : immò non adorant Deum, quia ipſi negant Deum trinum & unum, & incarnatum. Sed non eſt alius Deus, niſi ille qui eſt trinus & unus, nec eſt alius Deus, niſi ille qui eſt incarnatus, ſcilicet Filius : nam licèt Pater ſit alia Perſona, tamen non eſt alius Deus : ergo nullum Deum adorant. Et ſic ſunt *orphani* : quæ eſt ſeptima maledictio, ideo ait : *Fiant filii ejus orphani.*

Octava maledictio eſt, quòd ille populus, ſive illud ſacerdotium non habet uxorem : Nam *uxor* ejus manet *vidua*, ſcilicet Synagoga, quæ antè erat ſponſa Chriſti, ut patet in *Canticis*, ſed jam repudiata à Chriſto, ut patet *Iſai.* 50. ideo manet *vidua* ſine viro & ſponſo : quæ eſt octava maledictio. Ideo ait :

Fiant filii ejus orphani,
& uxor ejus vidua.



9. *Nu-*

9. *Nutantes transferantur filii ejus,* A *& mendicent: & ejiciantur de habitationibus suis.*

16. q. 7. Et hoc circa mediũ.

NONA *maledictio* est, quia sunt exules, & expulsi à sedibus suis.

Decima maledictio, quia vadunt per mundum incerti: quia frequenter pelluntur à civitatibus, & expoliantur bonis temporalibus, & occiduntur in civitatibus.

Undecima maledictio, quia vadunt mendici, quando sunt expoliati. Sed istæ tres maledictiones melius intelliguntur spiritualiter. Nam ipsi ejecti sunt à lege & sacerdotio, & privati sacrificio & sacramentis: & vadunt *nutantes*, & incerti, & am- B bigui, & dubii in Lege & Scriptura: quia vident se positos in hac captivitate: ideo jam perdiderunt æstimationem in Sacra Scriptura, nescientes defendere cœcitatem & malitiam suam. Ideo ait: *Nutantes*, id est, dubii & incerti, *transferantur filii ejus, & mendicent* verum sensum & intelligentiam Sacræ Scripturæ: quæ est alia maledictio.

28. q. 1. Omnis. §. Hæc quæ.

10. *Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus & diripiant alieni labores ejus.*

DUodecima est, quia tota substantia eorum consumitur in usuris, ideo ait: *Scrutetur fœnerator.* In Translatione *Hieronymi* habetur, *Exactor*: & tunc lit- C tera est magis plana: & est sensus. Nam ubicumque sunt, solvunt tributa & magnos redditus Principibus & Dominis. Sequitur *Decimatertia maledictio: Et diripiant alieni labores ejus:* quia per *Titum* & Romanos fuerunt expoliati.

24. q. 1. Alienatio. & de Pœ. d. 6. §. ..

11. *Non sit illi adjutor: nec sit qui misereatur pupillis ejus.*

DEcimaquarta, quia sine misericordia fuerunt tractati, sicut sine misericordia Christum afflixerunt. Ideo sequitur: *Non sit illi adjutor;* quia omnes adversantur illi generationi, tàm Sarace- D ni, quàm Christiani, & Gentiles: Nam tunc sine misericordia trucidarunt patres, & filios vendiderunt. Ideo sequitur

Decimaquinta, Nec sit qui misereatur pupillis ejus: unde etiam Judæi, qui nunc sunt dispersi, vocantur & dicuntur *pupilli*, quia non habent patrem, ut dictum est; & habent matrem *viduam*; scilicet Synagogam: & nullus miseretur eis. Immò sunt in abominationem omnium, & derisum.

E 12. *Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus.*

De Pœ. d. 4 in prin. & cap. Si Judas.

DEcimasexta sequitur, quia in strage regni Judæorum non solùm sunt trucidati patres, sed etiam fili pro majori parte. Ideo ait: *Fiant nati ejus in interitum: in generatione una deleatur nomen ejus.* Unde nota: quòd licèt hoc realiter sit impletum, quia generationes Judæorum sunt deletæ: nam nullus scit ex qua tribu descendat, & jam sunt confusæ generationes; verius intelligitur hoc spiritualiter: nam incurrerunt interitum mor- F tis æternæ: & etiam sunt *deleti* à sacrificio & sacerdotio, & sunt *deleti* de libro viventium.

13. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: & peccatum matris ejus non deleatur.*

De Pœ. d 4. Quia vero. §. Quod autem.

DEcimaseptima, quia filii puniuntur & vituperantur pro peccato patrum, et quotidie improperatur eis, et pariter cum patribus vocantur Crucifixores Christi: eò quòd eos imitantur. Ideo ait: *In memoriam redeat iniquitas patrum eorum;* & *peccatum matris ejus*, scilicet Synagogæ, *non deleatur*, quæ est *decima- G octava maledictio*: Nam peccatum Synagogæ non solùm est, quia non recepit Christum sponsum sibi promissum, et crucifixit eum: sed etiam semper peccat expectando alium, et facit mendaces omnes Prophetas. Item, non solùm occisio Christi, sed etiam omnis sanguis justorum, qui effusus est à sanguine *Abel* justi &c. venit super eos, et vertitur eis in peccatum; et *iniquitas patrum eorum redit in memoriam in conspectu Domini.*

14. *Fiant contra Dominum semper,* 8. d. c. Consuedudo, & 24. q. 2. Legatur, & c. Damnationis. *& dispereat de terra memoria eo-* H *rum: pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.*

15. *Et persecutus est hominem inopem, & mendicum: & compunctum corde mortificare.*

DEcimanona est, quia semper sunt contra Deum inimici formati, quia contra Christum, qui est verus Deus &

Ho-

Homo. Unde ille populus, qui solus dicebatur populus Dei & peculiaris, nunc est manifestus inimicus & contrarius, ut dictum est. Ideo ait: *Fiant contra Dominum semper*: quia semper murmurant contra Christum, & maledicunt & blasphemant in Synagogis eorum: & vitiant, & corrumpunt, & negant Sacram Scripturam, malè & falsò glossando. Et sequitur vigesima, *Dispereat de terra memoria eorum*, quoad dominium temporale, & etiam quoad sacerdotium, & hostiam, & sacrificium, quia nullibi offerunt: & ratio est: *pro eo quod* ille populus *non est recordatus facere misericordiam* cum Christo: immò injustè & crudeliter ipsum crucifixerunt. Ideo sicut sine misericordia ipsum delere de terra cupierunt: ita ipsi & memoria eorum de terra deleta est, quoad potestatem temporalem & spiritualem. Et declarans subdit causam, dicens: Pro eo quod *persecutus est* Christum *hominem inopem*, & sine ope & auxilio: quia in triduo fuit derelictus in posse eorum, ut dictum est *Psalm.* 21. *& persecutus est hominem mendicum*: quia cum petiit potum, dederunt ipsi in escam fel, & in siti sua potaverunt eum aceto. *Et persecutus est* Christum *hominem compunctum*, id est, afflictum *corde*: quia non solùm fuit afflictus Christus in carne, sed etiam in corde, videns damnationem & infidelitatem Judæorum. Et *persecutus est hominem compunctum corde, & afflictum mortificare*, id est, ad mortificandum, id est, persecutus est usque ad mortem crucis. Et ponit infinitivum pro gerundio: quia Hebræi & Græci carent gerundiis & supinis: ideo ponunt infinitivum pro gerundio &c.

8.d.c.Consuetudo.

16. *Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem & elongabitur ab eo.*

Vigesimaprima maledictio hujus populi est: quia dilexit, & elegit maledictionem, & renuit & contempsit benedictionem. Unde *Deut.* 28. Deus comminatus est maledictiones populo Israel Deum negaturo, & promisit benedictiones: sed illas maledictiones incurrit & dilexit populus Judaicus, cum Christum negavit, & illas benedictiones contempsit, quando Christum negavit. Item, Deus promisit *Abrahæ*, quòd *in semine suo*, qui est Christus, *benedicerentur omnes gentes.* Ergo quando negarunt Christum, pariter negarunt, & noluerunt *benedictionem* promissam *Abrahæ*, & semini ejus. Item, Christus dixit eis: *Pœnitentiam agite* & appropinquabit in vos regnum cœlorum. Et dixit: *Venite ad me: & ego reficiam vos.* Item, fecit cœnam magnam, & vocavit eos, & noluerunt venire. Ergo *noluerunt benedictionem*, quam Christus afferebat: immò magis dilexerunt maledictionem, quam Christus comminatus est, cum dixit & flevit super civitatem: *Circumdabunt te inimici &c.* Item cùm dixit: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, quotiens volui congregare filios tuos & noluisti &c. Ideo relinquetur domus vestra deserta &c.* Item dixit eis octies: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi*, in damnatione perpetua! Ergo *dilexit* ille populus *maledictionem*, *& noluit benedictionem*, quam Christus promittebat. Et ideo ait: *Et dilexit maledictionem, & veniet ei*: quod impletum est, & impletur quotidie: *& noluit benedictionem* Christi: ideo *elongabitur ab eo* illa Christi benedictio: quia *nunquam intrabunt in requiem meam.*

17. *Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.*

82. d.c. Quia in fine.

Vigesimasecunda est, quia ista maledictio & vexatio Judæorum non solùm est ad extra corporaliter, sed etiam ad intra & spiritualiter: quia non solùm patiuntur tormenta & opprobria à Christianis & Saracenis, sed etiam patiuntur ad intra pessimas & enormes ægritudines. Nam quidam patiuntur menstruum sanguinis sicut mulieres, & quidam non valent suspicere cœlum, nec numerare stellas, nec spuere in altum: sicut sunt illi qui spuerunt in faciem Christi, & qui improperarunt ei in cruce. Et isti non solùm contemnuntur à nostris, sed etiam à cæteris Judæis, ut compertum est à fide dignis. Item, non solùm patiuntur has vexationes, sed etiam continuum remorsum conscientiæ: quia cognoscunt vera esse quæ dicuntur de Christo, & esse impletas Scripturas: & tamen contra conscientiam conantur negare ex malitia: & sic semper accusat eos conscientia, & cor rodit vermiculus. Item, semper sunt in continuo dolore: cum videant cæteros sibi dominari, & se semper cæteris inservire: quæ potest esse *vigesima tertia maledictio.* Ideo ait: *Et induit maledictionem sicut vestimentum*, quia extrinsecus torquentur ab extraneis: *& intravit* maledictio *sicut aqua in interiora ejus*, quoad remorsum conscientiæ, *& sicut oleum in ossibus ejus*, quoad secretas infirmitates & dolores &c.



18. *Fiat*

18. *Fiat ei ſicut veſtimentum, quo* A *operitur; & ſicut zona qua ſemper præcingitur.*

HÆC eſt *vigeſima quarta maledictio.* Nam multi patiuntur aliquod malum ad tempus: ſed Judæi patiuntur prædictas maledictiones jugiter & ſemper, ſicut non poſſunt eſſe ſine cooperimento. Sunt ergo omnia prædicta damna eis ſemper in cooperimentum: *& ſicut zona qua ſemper præcingentur*: & non ſolùm corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter, & intrinſecùs, & extrinſecùs, & hic, & in futurum, quâ ſemper circumdantur.

23. q. 4. *Diſplicet.* 19. *Hoc opus eorum, qui detrahunt* B *mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala adverſus animam meam.*

HIC concludit, quòd ex juſto Dei judicio hoc patiuntur Judæi, & dicit: *Hoc opus*, id eſt, hoc pretium, & præmium, & punitio, & ſententia, id eſt, pro opere *eorum* Judæorum, *qui detrahunt mihi*: quia multipliciter detraxerunt ei ante Pilatum, & in Cruce locuti ſunt mala, & falſa teſtimonia, & crimina imponendo contra animam & vitam Chriſti: quia mortem ei procurarunt. Quaſi di- C cat: quòd omnia prædicta mala paſſi ſunt Judæi in pretium & præmium pro criminibus, quæ Chriſto impoſuerunt, & opprobriis, quæ illi improperarunt, & pro morte, quam ipſi procurarunt. Item, hoc idem patiuntur Judæi moderni: quia ſunt imitatores patrum ſuorum, quia aſſiduè *detrahunt* Chriſto, & maledicunt in Synagogis eorum. Et loquuntur contra ipſum, & contra membra ejus, deſiderantes deſtructionem Chriſtianorum. Ergo juſtè hanc pœnam patiuntur.

11. q. 3. *Ad men. ſam.* De Pœ. d. 2. c. 1. 40. d. ca. *Adam*, & c. *Illud.* 20. *Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia* D *ſuavis eſt miſericordia tua.*

21. *Libera me, quia egenus & pauper ego ſum: & cor meum conturbatum eſt intra me.*

22. *Sicut umbra cùm declinat, ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.*

E 23. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.*

24. *Et ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita ſua.*

HÆC eſt tertia pars, in qua petit liberari per reſurrectionem. Sed eſt advertendum, quòd quando Chriſtus petit liberari in omnibus Pſalmis per reſurrectionem, non ſolùm rogat pro ſe, ut reſurgat à morte corporali: ſed etiam pro membris, ut reſurgant ab utraque morte. F Et ideo talis ſimul eſt petitio pro nobis, & prophetia pro ſe. Nam per ſuam mortem corporalem vicit & occidit noſtram mortem ſpiritualem, & per ſuam reſurrectionem renovavit, & adeptus eſt nobis immortalitatem. Ideo in hac petitione allegat ſuam mortem, & paſſiones, & labores, quos pro nobis ſuſtinuit, quibus nos liberavit: & hoc facit in omnibus Pſalmis, qui loquuntur de ſua paſſione.

Dicit ergo Chriſtus: *Et* pro *ideo*, ſive pro *ſed*. Sed *tu Domine* Pater *fac mecum miſericordiam tuam*, id eſt, reſuſcita me propter miſericordiam tuam. Vel fac mecum miſericordiam tuam, id eſt, tu & ego faciamus ſimul miſericordiam Eccleſiæ, & membris meis: quoniam *ſuavis*, & benigna, & ſalubris G *eſt miſericordia tua*, *libera me* reſuſcitando à morte corporali, & membra mea ab utraque morte juſtificando à peccato, & glorificando: *quia pauper*, id eſt, inops, *& egenus ego ſum* derelictus ſine auxilio in toto triduo. *Et cor meum*, ſcilicet, caro mea *conturbata*, & afflicta, & infirma facta eſt in me; ſcilicet, ut patet per omnes Euangeliſtas, quando Chriſtus oravit, ut calix ab eo tranſiret: & hoc principaliter intelligitur de membris: & ſic totus Chriſtus loquitur pro membris, dicens: *Quoniam egenus & pauper*, & expoliatus omnibus bonis gratuitis *ſum* in Adam: *& cor meum*, id eſt, tota pars ſenſitiva fuit turbata & percuſſa fomite concupiſcentiæ, & fauciata, & infirmata, ut H ſemper repugnet legi mentis: quia intra me invenio iſtam legem, & in membris meis &c. Itaque *ſicut cum declinat umbra* ſequitur nox, & aufertur lux & dies: ita ego & vita mea *ablata eſt* per mortem: quia realiter fui mortuus, & tradidi ſpiritum in manus Patris. Et ſicut homines excutiunt & pellunt locuſtam à termino & finibus ſuis: ita ego *excuſſus* & expulſus ſum à vita per Judæos, *ſicut* excutitur *locuſta*. Et ſicut quilibet homo per nimiam abſtinentiam debilitatur & infirmatur: ita ego per nimium jejunium non ſolùm in illis qua-

dra-

draginta diebus, & quadraginta noctibus, sed etiam per omnes tres annos cum dimidio fui in continua abstinentia, & laboribus, & itineribus propter salutem hominum : & sic *genua mea infirmata sunt à jejunio*, id est, propter jejunium, *& caro mea immutata est* in maciem, & debilitatem *propter oleum* & pinguedinem, id est, propter defectum pinguedinis & substantiæ, & sedi lassus & fessus juxta puteum *Sichar*, ut patet *Joann.* 4. quia defecit in me omnis pinguedo & fortitudo, & omnes corporales vires, non solùm propter labores, sed etiam propter nimias afflictiones in toto triduo. Et etiam *ego factus sum opprobrium* multis Gentilibus, scilicet, & Judæis. Unde *viderunt me* in Cruce, putantes me purum hominem, & totaliter derelictum, & indefensum : *moverunt capita sua* irridendo, dicentes : *Ave Rex Judæorum*: &, *Vah, qui destruis Templum Dei &c.* Item dixerunt : *Si Filius Dei est, liberet eum.*

25. *Adjuva me Domine Deus meus: salvum me fac propter misericordiam tuam.*

26. *Et sciant quia manus tua hæc: & tu Domine fecisti eam.*

27. *Maledicent illi, & tu benedices : qui insurgunt in me, confundantur : servus autem tuus lætabitur.*

28. *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore : & operiantur sicut diploide confusione sua.*

ADJUVA ergo *me Domine Deus*, & Pater *meus*, & *salvum me fac propter misericordiam tuam*, me à mortuis suscitando : *& sciant*, id est, scient, & cognoscent, *quia manus tua* & potestas est *hæc*, id est, potestate tua talis resurrectio facta est : quia hoc ad solum Deum pertinet, scilicet, mortuos suscitare. Ideo sequitur, ut *sciant*, quia *tu fecisti eam*, scilicet, talem potestatem & resurrectionem: etiam dum illi, & licèt illi maledicant improperando & deridendo ; tamen *tu benedices*, me resuscitando : ut factâ resurrectione Judæi & Gentiles crucifixores, *qui insurgunt*, & insurrexerunt in me, & insultarunt, ad mortem condemnando, *confundantur*, non valendo assequi intentum suum : *servus autem tuus* Christus & Ecclesia *lætabitur* ex gloria resurrectionis. Et sic Judæi, *qui detrahunt* & detraxerunt mihi, *induantur*, id est, induentur *pudore* & verecundiâ, & induentur *confusione sua*, sicut induuntur *diploide*. Unde advertendum, quòd *diplois* Græcè, idem est, quòd *duplex pallium* & vestimentum : & ita Judæi duplici *confusione* & *contritione* perculsi, & induti sunt ; scilicet, exteriùs pudore & verecundiâ, cùm relinquantur mendaces, & videant Christum coli tanquam Messiam per totum orbem: secundò interiùs, cum videant se afflictos & captivos, & sic *duplici contritione* sunt contriti, & duplici *confusione* confusi. Et ideo ut evaderent hanc confusionem post resurrectionem, corruperunt custodes pecuniâ, ut dicerent, quòd Discipuli fuissent furati corpus Christi.

29. *Confitebor Domino nimis in ore meo : & in medio multorum laudabo eum.* 15. q. 1. c. Revertimini.

30. *Quia astitit à dextris pauperis, ut salvam faceret à persequentibas animam meam.*

HÆC est quarta pars, in qua Christus in persona sui, & membrorum promittit gratiarum actiones se acturum Patri pro beneficio resurrectionis ; & dicit: Ego postquam resurrexero, & assumptus fuero in cœlum ad dexteram Patris, *confitebor Domino* Deo Patri *in ore meo*, & in membris meis. Nam Discipuli mei ab *ore meo* habuerunt doctrinam Euangelicam, quam prædicaverunt, & misericordiam & potentiam Dei annuntiaverunt. Et sequitur: *In medio multorum*, scilicet, tàm Gentilium, quàm Judæorum, *laudabo eum*, & in medio Ecclesiæ, Divina Officia celebrando & festivitates : secundò, benedicendo & laudando. Et sequitur : ideo *laudabo eum, quia astitit à dextris pauperis* & indefensi, id est, in favorem & auxilium meum: *ut salvam faceret animam* & vitam *meam à* Judæis me *persequentibus* : & hoc, me resuscitando, & membra mea justificando, & Ecclesiam à Tyrannis liberando, & eam ampliando, & per totum orbem dilatando.

Ex supradicta Expositione patet error Hebræorum modernorum, qui dicunt, quòd David fecit hunc Psalmum, petendo vindictam de *Saul* persecutore suo : quia manifestè dicunt falsum. Nam *David* nunquam maledixit ipsi *Saul*, nec petiit vindictam de eo ; immò semper rogavit pro eo in toto tempore suæ persecutionis, nec voluit ipsum occidere : nec permisit quòd alius occideret eum, cùm potuisset ipsum interficere in spelunca, quando abstulit illi

[25. d. ca. Sanctæ Romana.

[26. d. ca. Nasci.

3. q. 1. c. Nulli dubium.

illi particulam chlamydis, & quando dormienti abstulit scyphum & hastam : immò deflevit casum & interitum suum, & interfecit nuntium, qui nunciavit ei mortem *Saulis* ; & composuit Canticum lugubre de morte *Saulis* & *Jonathæ*, ut patet 2. *Regum* 1. *cap.* Ex quo patet, quòd *David* non dirigit supradictas maledictiones ipsi *Sauli*, sed populo Judaico crucifixori Christi obstinato, sicut supra expositum est: & patet manifestè impletum per experientiam. A

Nota benè. Ex his etiam patet major error, & deterior quorumdam Christianorum ignorantium, tàm Clericorum, quàm Laicorum, qui dicunt hunc Psalmum contra persecutores suos Christianos, à quibus patiuntur aliquam injuriam, vel oppressionem, petendo à Deo vindictam de eis, desiderando supradictas maledictiones evenire eis: quod non solummodò est detestabile, sed irrisorium. Nam primò est contra doctrinam Euangelicam, qua dicitur *Matt.* 5. *Orate pro his qui vos persequuntur, & benefacite his qui oderunt vos.* Item, *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei aliam.* Item, *Dimittite, & dimittetur vobis.* Item, hoc idem est contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ non solùm rogat pro malis Christianis, sed etiam pro Hæreticis, & Schismaticis : ut depositâ perfidiâ, & hæreticâ pravitate, resipiscant ad Fidem Catholicam. Item, rogat pro perfidis Judæis, *ut Deus auferat velamen de cordibus eorum, & videant lumen veritatis, & convertantur ad unum verum Deum Jesum Christum.* Et sic tenemur rogare pro omnibus inimicis, ut depositio odio diligant nos. Et rogamus contra Paganos, non ut moriantur, sed ut potentia eorum conteratur, ne noceant nobis. B C

Item, hoc videtur irrisoriè dictum: nam causa exauditionis orationis apud Deum est puritas mentis, & charitas : sed qui petit talem vindictam, & infert tales maledictiones proximo, non potest esse in charitate, sed in execrabili & detestabili odio: Ergo non potest exaudiri apud Deum: quia in hoc Psalmo non solummodò memorantur punitiones temporales, sed etiam spirituales & æternæ, cùm dicit: *Diabolus stet à dextris ejus*: &, *Cum judicatur exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum &c.* Ex quibus patet, opinionem talium esse detestabilem, & irrisoriam, & falsam. Nam David non locutus est ad hanc intentionem, sed prædicit, & vaticinatur punitionem crucifixorum Christi, ut dictum est. D

Objectio. Sed contra totam supradictam Expositionem arguunt, immò murmurant Judæi, dicentes : Quòd indebitè sit inflicta pœna supradictarum maledictionum populo Judaico, sive Synagogæ propter necem Christi : quod probant sic. Nam peccatum idololatriæ est maximum omnium peccatorum ; & per consequens est majus, quàm homicidium : nam illud est contra primum præceptum, & immediatè est crimen divinæ læsæ majestatis ; & istud est contra quintum præceptum, & contra proximum: sed propter peccatum idololatriæ solùm fuerunt Judæi puniti ad captivitatem septuaginta annorum in Babylone ; in ista autem jam perseverant usque ad hoc tempus per mille quadringentos & decem annos cum omnibus supradictis maledictionibus : ergo indebitè patiuntur majorem pœnam pro minori peccato. E

In oppositum est Propheta in hoc Psalmo: qui postquam prænuntiavit omnes supradictas maledictiones venturas illi populo propter mortem Christi, concludit dicens : *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi*, id est, hæc est justa Dei sententia & pœna omnibus his qui detrahendo machinati sunt in necem meam. F

Responsio. Respondetur, quòd pro solutione hujus difficultatis primò est videndum, an peccatum idololatriæ commissum ab antiquis Judæis sit majus, aut minus, quàm peccatum mortis Christi? Et ex consequenti faciliter concludetur intentum ratione, & auctoritatibus.

Peccatum unum esse altero majus. Quantum ad primum est advertendum, quòd unum peccatum esse majus altero, contingit quadrupliciter. Primò, ratione inobedientiæ : secundò, ratione voluntatis: tertiò, ratione circunstantiarum : quartò, ratione obstinationis. Unde propter omnia ista quatuor simul, majus fuit peccatum necis Christi, quàm peccatum idololatriæ. Quod primò ratione inobedientiæ probatur. G Nam antiqui per idololatriam solùm peccabant contra Deum recedendo ab eo, & convertendo se ad idola : sed crucifixores Christi non solùm recesserunt à Deo voluntariè occidendo Christum, sed etiam occiderunt proximum innocentem : & sic fecerunt contra primum & quintum præceptum : quia simul occiderunt Deum & hominem, quod non fecerunt idololatræ. Secundò, hoc peccatum fuit majus illo ratione malæ voluntatis : nam cum deteriori voluntate, & malitia, & odio Judæi crucifixerunt, & persecuti sunt Christum, quàm patres eorum commiserunt idololatriam: quia ex odio, & invidia, & malitia, & sine H causa injustè occiderunt innocentem, & cum majori & clariori notitia. Tertiò, hoc peccatum fuit gravius & deterius illo ratione circunstantiarum : nam Judæi in occidendo Christum non solùm occiderunt Deum & hominem innocentem & sanctum, sed etiam benefactorem & Redemptorem, & sic peccaverunt per summam ingratitudinem. Item, fecerunt Deum, & Legem, & Prophetas mendaces in negando Christum : & sic commiserunt sacrilegium & blasphemiam. Item, obligaverunt

se, & filios suos, & omnes posteros illi peccato: & sic multipliciter fuerunt homicidæ. Et sic per omnia fuit pejus & deterius, quàm peccatum *Adæ*, ut dictum est *Psal.* 13. & 81. Quartò autem hoc peccatum fuit pejus, quàm idololatria antiquorum ratione obstinationis, in qua manserunt, & manent successores eorum: quia continuè occidunt Christum, postquam placet eis quòd patres eorum crucifixerunt eum, & retinent eamdem malitiam & odium contra Christum: & non solùm sunt hæredes illius homicidii, sed omnium aliarum circunstantiarum: nam pariter faciunt Deum mendacem, & Legem, & Prophetas; & per hoc negant Deum esse, pejus quàm idololatræ; quia nullum Deum adorant. Quia adorant unum Deum, qui non est trinus & unus, nec incarnatus; sed talis Deus nusquam est: ergo nullum Deum adorant.

Peccatum Christi necis est majus quàm peccatum idololatriæ.

Et sic per omnia peccatum necis Christi, in quo nunc manent Judæi, est pejus quàm peccatum idololatriæ patrum eorum: quod multis auctoritatibus probatur. Nam *Hierem.*6. introducit istum populum conquerentem de captivitate, in qua modo sunt, & dicentem: *Quare Dominus locutus est super nos omne malum grande istud? Quæ nostra iniquitas, aut quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro?* dicens ad eos: *Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, & abierunt post Deos alienos, & servierunt eis, & adoraverunt eos, & dereliquerunt me, & legem meam non custodierunt. Sed & vos pejus operati estis quàm patres vestri. Ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat: & ejiciam vos de terra hac &c.* Ex supradictis patet, quòd peccatum posteriorum Judæorum, qui noluerunt audire Deum incarnatum, & manent in pravitate & obstinatione cordis sui, & in malitia & odio inveterato, est, & fuit pejus, quàm peccatum idololatriæ patrum suorum. Et per consequens aliud peccatum potest esse pejus quàm idololatria. Quod non potuit esse aliud, nisi conjuratio in mortem Christi, & odium & obstinatio in eum, ut magis patebit. Unde in isto eodem capitulo sequitur destructio & dissipatio illius populi, & reprobatio ejusdem: & prædicitur mutatio legis & festivitatum: & prædicitur conversio populi Gentilis.

Sed quod ista pœna & perpetua punitio sit inflicta populo Judæorum propter mortem Christi, patet *Isai.* 50. Ubi dicit Dominus ad populum Judaicum conquerentem, quare per tot tempora permisit eos in hac captivitate? Unde ait: *Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni & non erat vir. Vocavi, & non erat qui audiret.* Et ita *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me. Domine Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus &c.* Ex dictis, & cæteris quæ dicuntur in toto isto capitulo patet, qualiter Deus qui loquitur in hoc capitulo erat percutiendus, & pilandus, & passurus cum magna patientia & obedientia, ut obediret Deo Patri: & quomodo propter iniquitatem & peccata sua debebat repudiare Synagogam rebellem & inobedientem, nec audire volentem sponsum in suo adventu: & quomodo reprobat populum Judaicum, & relinquit ipsum dormientem in doloribus suis, & maledictionibus suis. Et patet, qualiter propter mortem Christi puniuntur hac pœnâ diuturnâ. Sed quod hæc captivitas & punitio sit usque in finem sæculi duratura, patet *Psal.* 27. *Destrues illos, & non reædificabis eos.* Item *Psal.*58. *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.* Item *Daniel.* 9. *Usque ad consummationem, & in finem perseverabit statuta desolatio.*

Ex supradictis patet responsio ad dubium & admirationem Judæorum, quia turbantur, quare pro minori peccato infligitur eis major pœna, quàm patribus suis idololatris? Ad quos respondetur, quòd peccatum commissum contra Christum, in quo nunc perseverant, est multò gravius, quàm idololatria patrum suorum: nam ipsi sunt pejores quàm idololatræ, quia nullum Deum adorant, nisi Deum fictitium sine Verbo, & Spiritu sancto, qui nusquam est. Item, negando Christum, negant Deum, & faciunt ipsum mendacem, & Legem, & Prophetas; & sic sunt sacrilegi, & blasphemi: quia blasphemando & maledicendo continuè Christum, blasphemant & eum, & Legem, & Prophetas; & sunt homicidæ, & deicidæ: quia hominem Deum percusserunt, & flagellarunt, & occiderunt, ut dictum est; & hoc, gratis & sine causa, ut dicitur in hoc Psalmo: quia ostenderunt odium pro dilectione, & oderunt ipsum gratis.

Ultimò, peccant in obstinatione, quod est gravissimum peccatorum, & contra Spiritum sanctum: quia manent obstinati semper in odio inveterato contra Christum, & membra ejus. Ideo consentaneum est, quòd postquam culpa eorum est perpetua, etiam pœna eorum sit perpetua, dum manent in eadem obstinatione: & ideo dicit *Salvator*, *Matth.* 12. quòd *fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Et ideo David in hoc Psalmo prædixit causas, & qualitates peccati Judæorum, & ma-

maledictiones & pœnas eorum perpetuas, uſquequò in finem convertantur. A

PSALMUS CIX.

Mat. 22. d. Ad Hebr. 10. c. & 1. Cor. 15 ca. & ad Heb. 7. c. 20. q. 5. §. His ita.

1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.*

2. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

HUIC Pſalmo præponitur talis Titulus: *Pſalmus David.* Ex Titulo apparet, quod David fecit iſtum Pſalmum.

Sed de materia hujus Pſalmi, & etiam B de auctore, variæ ſunt poſitiones & ſententiæ inter Hebræos modernos, volentes occultare veritatem adventus Meſſiæ. Nam quidam dicunt, quòd *Eliezer* procurator ipſius *Abrahæ* fecit hunc Pſalmum pro victoria *Abrahæ* de quatuor Regibus, qui expoliaverunt Sodomam. Quaſi diceret: *Dixit Dominus* Deus, qui eſt Dominus omnium, *Domino meo* Abrahæ: *Sede à dextris meis*, id eſt, eſto ſecurus: *Donec ponam inimicos* tibi ſubjectos. *Cambi* verò dicit, quòd Cantores David fecerunt iſtum Pſalmum poſt mortem *Saulis*, poſtquam David fuit unctus in Regem ſuper C totum Iſrael. Quaſi dicat: *Dixit Dominus Domino meo* David, poſtquam jam mortuus eſt Saul: Tu *ſede à dextris meis*, id eſt, ſis Rex ſuper totum Iſrael. Et ego *ponam omnes inimicos tuos* ſub pedibus & poteſtate tua: quod impletum fuit. Nam obtinuit totum regnum Iſrael, & etiam Moabitas, & Idumæos, & Philiſthæos fecit ſibi tributarios.

Sed tàm prima, quàm ſecunda Expoſitio eſt falſa. Nam ea quæ memorantur in hoc Pſalmo, nec conveniunt ipſi Abrahæ, nec ipſi David: quia nullus eorum fuit *Sacerdos in æternum*, nec genitus *ante Luciferum*, ut patebit. Et ideo ora impudentium omnium iſtorum Salvator noſter Jeſus Chriſtus obturavit, cùm dixit *Matthæi* 22. *Quomodò ergo David vocat ipſum* D *Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis*? Item *Petrus, Act.* 2. quando dixit: *Non enim David aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis*; item *Paulus, ad Hebræos* 1. *Cui aliquando Angelorum dixit: Sede à dextris meis*? Item *Paulus*, 1. *ad Corinthios* 15. *Oportet autem illum regnare, donec ponam omnes inimicos ſub pedibus ejus:* cum quibus concordat *Jonathan Abenuziel*, vir magnæ auctoritatis inter Hebræos, cui nullus auſus eſt contradicere: qui in Translatione Chaldaica interpretatus eſt E iſtum Pſalmum de Chriſto Filio Dei Meſſia in Lege promiſſo, dicens: *Dixit Dominus Verbo ſuo.* Item *Rabbi Barachias* adducit ſcripturam hujus Pſalmi, & gloſſat ipſum de Chriſto Meſſia in Lege promiſſo.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd poſtquam David in Pſalmo præcedenti memoravit, & prænuntiavit ſententiam, & damnationem, & maledictiones quas incurrit populus Judaicus propter mortem Chriſti: in hoc Pſalmo prædicit & prænuntiat dignitates quas Chriſtus adeptus eſt in præmium & ſtipendium ſuorum laborum, & ſuæ mortis, & paſſionis.

Nam tres dignitates acquiſivit & adeptus eſt Chriſtus, etiam in quantum F homo, non ſolummodò ſuper omnes homines, ſed etiam ſuper omnes creaturas, tàm ſpirituales, quàm corporales. Nam primò adeptus eſt dominium, & regnum, & imperium univerſale ſuper omnes creaturas in cœlo, & in terra, & in inferno, ut ipſe ait *Matthæi ultimo: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Secundò, adeptus eſt ſacerdotium æternum, ſeu ſacerdotalem poteſtatem conſtituendi Sacramenta, & conferendi eis virtutem: quæ poteſtas nulli eſt data, niſi ſoli Chriſto, tanquam Summo Sacerdoti & æterno. Tertiò, adeptus eſt, & tradita eſt ſibi uni- G verſalis judiciaria poteſtas diſcernendi, & judicandi, & tribuendi præmium ſecundùm merita, non ſolùm hominibus, ſed etiam diabolo, & Angelis ejus. Principalis ergo concluſio in toto Pſalmo intenta eſt, quòd Chriſtus ex merito ſuæ paſſionis meruit ſupradictas tres ſummas dignitates, ſive poteſtates.

Chriſtus adeptus eſt tres dignitates ſuper omnes creaturas, in quantum homo.

Quatuor ergo facit David in hoc Pſalmo. Nam primò oſtendit, qualiter Deus Pater tradidit homini Chriſto Filio ſuo univerſale regnum & imperium totius mundi. Secundò, qualiter tradidit ipſi ſummam poteſtatem ſacerdotalem, ſive ſacerdotium æternum. Tertiò, qualiter tradidit ipſi judiciariam poteſtatem univerſaliter ſuper omnem creaturam. Quartò H oſtendit, qualiter has tres prædictas dignitates meruit Chriſtus propter ſuam paſſionem, & mortem, & obedientiam. Secunda erit ibi: *Juravit Dominus.* Tertia ibi: *Dominus à dextris tuis.* Quarta ibi: *De torrente in via bibet.*

Diviſio Pſalmi.

Quantum ergo ad primum dicit Prophe-ta David: Sicut ego prævidi in ſpiritu punitionem & damnationem, quam incurrit populus Judaicus propter mortem & paſſionem Chriſti, & ingratitudinem, & invidiam quam commiſerunt contra ipſum: ita pariter prævidi tres dignitates, & ſummas poteſtates, quas Chriſtus adeptus eſt à Patre in præmium & ſtipen-

dium suæ mortis & passionis, & humilitatis, & obedientiæ. Nam primò prævidi in spiritu, qualiter Dominus Deus Pater Omnipotens *Dixit Domino meo* Jesu-Christo filio suo : *sede à dextris meis* : *Donec ponam inimicos tuos*, & subjiciam tanquam *scabellum pedum tuorum.*

In hac autem prima particula sunt tria videnda. Nam primò videndum est, quid est *sedere*? Sive quomodò sedet Filius ad dexteram Patris? Et quando Pater dixit hoc Filio? Secundò, quomodò & quando Pater posuit & subjecit Filio inimicos suos sub pedibus ejus? Tertiò est videndum, quomodò sumatur ly *donec*. Nam si Christus sedet ad dexteram Patris donec subjiciantur sibi inimici sui ; videtur quod post Judicium, postquam subjecti fuerint omnes inimici Christo, non amplius sedebit Filius ad dexteram Patris. Quod est erroneum.

Dicere Dei, seu loqui, est facere.

Ad primum est dicendum secundùm *Augustinum*, quòd dicere Dei, idem est quod facere, vel præcipere. Nam Deus dicendo fecit omnia. Sed est advertendum, quòd Deus Pater dupliciter locutus est. Uno modo *ab æterno* : & sic produxit Filium suum & Verbum sibi coæquale & consubstantiale. Et sic Patrem loqui ad Filium, nihil aliud est, nisi producere Verbum sibi coæquale, & communicare ipsi totam suam substantiam & essentiam, ut dictum est *Psalm.* 2. Alio modo Deus Pater locutus est *ex tempore*. Et sic produxit universitatem creaturæ, quando dixit : *Fiat lux*, & facta est lux. *Genes.* 1. *Joann.* 1. *Omnia per ipsum* Verbum *facta sunt*. Et istud dicere est *ad extra*, & temporaliter. Tertio modo multipliciter locutus est ad Filium, scilicet, quando univit ipsum personaliter Verbo suo in die Incarnationis. Nam licèt talis unio terminetur ad solam Personam Filii : tamen tota Trinitas operata est efficienter totum illud mysterium Incarnationis. Et sic locutus est Pater Filio in Baptismo, & in Transfiguratione, cùm dixit : *Hic est Filius meus dilectus*. Et ita locutus est etiam in die Ascensionis, quando assumpsit eum, & fecit ipsum sedere ad dexteram suam, & tradidit ipsi regnum & imperium super omnes creaturas. Et sic dicere Dei est idem quod facere.

Sedere tripliciter capitur.

Secundò est notandum, quòd *sedere* tripliciter dicitur in Sacra Scriptura. Uno modo dicit positionem, sive situm in loco : & sic convenit soli animali. Secundo modo, idem est quod à labore quiescere. Tertio modo, idem est quòd residere, sive possidere : ut cùm dicimus, quòd Rex residet, sive sedet in regno, id est, quòd possidet ipsum, & potitur, & dominatur ei. Secundo ergo & tertio modo Christus sedit à dextris Patris in die Ascensionis, sive Resurrectionis, scilicet, quando quievit ab omni labore passionis, & ampliùs non passus est, nec mortuus, *nec mors illi ultra dominabitur*. Secundò, quia residet & potitur potioribus bonis Patris, & possidet illa potiora bona.

Dextrum quatuor nominibus sumitur.

Tertiò est notandum : quòd *dextrum* quatuor modis sumitur in Sacra Scriptura. Uno modo dicit positionem in loco sive differentiam positionis, cujus oppositum est sinistrum : & sic solis rebus corporeis convenit. Secundo modo, dicit æqualitatem in essentia & potentia. Tertio modo, dicit principium, unde motus, sive mediante quo quis immediatè operatur. Et sic dicit *Aristoteles primo cœli*, quòd oriens est dextrum mundi : eò quòd inde incipit omnis primus motus. Et sic dicit etiam in libro *de Motu animalium*: quòd quodlibet animal habet dexteram unde incipit operari, & cum qua immediatè operatur. Quarto modo, dicitur *dextrum* omnis prosperitas ; & adversitas dicitur *sinistrum*. Et sic potiora bona dicuntur etiam *dextera Patris*. Primo modo Filius non sedet *à dextris* Patris. Quia Deus Pater cùm sit simplicissima substantia & incorporea, nec habet dexterum, nec sinistrum. Secundo modo, Filius *sedet à dextris Patris* secundùm Deitatem : quia est ipsi coæqualis in essentia & potentia : & sic non convenit humanitati. Tertio modo Filius *sedet à dextris Patris* : primò secundùm Deitatem, quia Christus est Verbum Patris, per quod fecit omnia : quia Pater dixit omnia Verbo suo. Et sic omnia facta sunt per ipsum Verbum, ut dictum est *Psalm.* 32. Secundò, sedet in quantum homo. Nam sicut per ipsum in quantum Deus creavit : & regeneravit nos per gratiam, *ad Corinth.* 1. quia nulla gratia potest homini conferri nisi per Christum mediatorem Dei & hominum, in cujus fide & gratia salvati sunt omnes fideles utriusque Testamenti : ideo ratione utriusque naturæ Christus dicitur *dextera Dei Patris*, & virtus. Sed in quantum homo dicitur mediator, & *dextera Patris*, per quam Pater operatur. Ex quo patet, quòd ut sic non solùm *sedet à dextris Patris*, sed etiam est *dextera Patris*. Quarto modo, Christus *sedet à dextris Patris* in quantum homo : quia residet in potioribus bonis Patris, & potitur eis, & possidet ea in summo gradu post Patrem. Et notanter dicit : *Sede à dextris meis*, & non *ad dexteram meam* : quia potiora bona Patris, in quibus residet Filius, dicuntur multa, scilicet summum regnum, & imperium, sive summa & Imperialis potestas super omnes creaturas : secundò, summum & æternum Sacerdotium : tertiò, universalis judiciaria potestas, & distributio præmiorum : quartò, eadem adoratio & veneratio simùl cum Verbo. Hæc quatuor sunt illa *dextera*, & prospera, & po-

potiora bona Dei Patris, in quibus ſedet & reſidet Filius, etiam in quantum homo: quæ quidem bona Pater ſoli homini Chriſto tradidit. A

Deridenda eſt ergo cavillatio *Porphyrii*, qui dicebat: quòd ſi Filius ſedet à dextris Patris: ergo ſequitur quòd Pater ſedet ad ſiniſtram. Ad quem reſpondetur: quòd *dextera* Patris, in qua ſedet Chriſtus, non dicit differentiam poſitionis in loco: ſed dicit *potiora bona*, quæ Pater poteſt communicare creaturæ alicui. Nota.

Per hoc etiam reſpondetur ad *Arium*, qui dixit: quod ſi Filius eſt ſubjectus Patri per omnia, ut ait *Apoſtolus*: Ergo quomodo ſedet à dextris ejus? Reſpondetur: quòd quilibet Filius primogenitus, ſive unigenitus patrisfamilias eſt ſubjectus Patri: tamen cum hoc ſedet in potioribus bonis, in ſumma poteſtate gubernativa & honore poſt Patrem, reſpectu omnium famulorum & ſervorum domus. Et iſto modo primogenitus cujuſcumque regis ſedet à dextris patris ipſo vivente. Sic ergo Chriſtus, licèt in quantum homo ſit Patri ſubjectus; tamen dicitur *ſedere à dextris*, reſpectu omnium creaturarum in quatuor ſupradictis potioribus bonis. Sed propter hoc Chriſtus ut homo non dicitur æqualis Patri per omnia: quia ut ſic non eſt ſibi tradita poteſtas creativa in quantum homo, qua poteſtate Deus poteſt creare multos mundos: quia alia eſt poteſtas creativa, alia gubernativa. Nam poteſtas gubernativa & Imperialis poteſt communicari alicui naturæ Verbo unitæ: ſed forſan hoc repugnat poteſtati creativæ: ſed hoc relinquatur determinationi Eccleſiæ. Sed hoc eſt certum, quòd Chriſtus in quantum homo habet poteſtatem gubernativam, & regnum, & imperium ſuper omnes Angelos, homines, & dœmones. Et per hoc dicitur ſedere *ad dexteram Patris*. B C

Habet etiam hoc humanitas Chriſti: quod ſimul adoratur & veneratur cum Verbo ab Angelis & Beatis: cum quo Verbo facit unam perſonam, ut patet *Apocal.* 5. & 7. ubi *Joannes* vidit viginti quatuor ſeniores & turbam magnam, & omnes Angelos procidentes & adorantes Chriſtum ad dexteram Patris, & dicentes: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem, & honorem & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari.* Ex quibus patet, quòd humanitas Chriſti, ſive Chriſtus in quantum homo ſimul cum Patre & Spiritu ſancto adoratur & glorificatur, & regit & gubernat omnem creaturam, licèt quantum ad humanitatem ſemper ſit minor Patre. Sed reſpectu omnium aliarum creaturarum, ſimul cum Patre & Spiritu ſancto dicitur Rex, & Dominus gubernator, & ſuper omnes & ab omnibus habet gloriam & honorem, & cultum, & Latriam adorationem. Et hoc eſt *ſedere ad dexteram Patris*. D E

Sed ſi quæritur, quando homo Chriſtus hoc habuit à Patre? Dicendum: quod habuit realiter in die incarnationis ex perſonali unione. Nam ſemper ſedit in potioribus bonis gloriæ & fruitionis. Et ſemper fuit adoratus ab Angelis ſimul cum Verbo. Sed effectivè & oſtenſive hoc adeptus eſt in die Aſcenſionis: & ideo cùm aſcendit in cœlum, dixit diſcipulis ſuis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Ergo non ſolummodo de die Aſcenſionis, ſed etiam de die incarnationis poteſt intelligi de Chriſto homine hoc quod dicit Propheta David: *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis*, id eſt, accipe poteſtatem gubernativam, & regnum, & imperium ſuper omnes creaturas, & gloriam & honorem, & Latriam, & ſummam fruitionem & gloriam. Sed hoc non fuit manifeſtum niſi poſt reſurrectionem in die Aſcenſionis, ut magis patebit. Nam dupliciter debetur Chriſto homini talis ſeſſio. Uno modo in quantum Filius naturalis ratione unionis Verbi. Alio modo ex merito ſuæ paſſionis. Primo modo accepit talem poteſtatem, & incepit ſedere à dextris Patris in die Incarnationis. Secundo modo in die Aſcenſionis, ut magis patebit. F *Quæſtio.*

Ad ſecundum eſt dicendum: quòd multipliciter Pater *poſuit* & ſubjecit *inimicos* Chriſti ſub pedibus ejus. Et hoc à principio ſuæ incarnationis & nativitatis. Nam illico in nativitate ſua corruerunt multa idola in Ægypto, & ululârunt idola apud Getas, & Maſſagetas. Et dederunt reſponſa dicentia, univerſalem Dominum & Regem eſſe natum. Immò Nilus Ægypti diviſus eſt per quatuordecim alveos, quorum ſeptem diffuſi ſunt per totam Ægyptum, & intraverunt per ſeptem ora in mare mediterraneum; & alij ſeptem intraverunt mare Rubrum uſque in hodiernum diem. Et hoc accidit tempore *Octaviani*, quando Chriſtus natus eſt: ut ait *Strabo* in libro *de Situ Orbis*. Hoc idem dicit *Virgilius in* 6. cùm dicit: G *Chriſti inimici ſub pedibus &c.*

Hujus in adventu jam nunc & Caſpia regna
Reſponſis horrent Divum & Mæotica tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili. H

Hoc idem patet per totum diſcurſum Euangelicum. Ubi demonſtratur, quod non ſolùm venti & mare obedierunt Chriſto, ſed etiam dœmones fuerunt ipſi ſubjecti: quos ejecit de corporibus obſeſſis. & multos eorum miſit in porcos, qui ſe in mare præcipitaverunt. Similiter Chriſtus

tus subjecit dæmones inimicos suos, quando descendit ad inferos, & ibi sedit tanquam Judex circitèr quadraginta horas, & A condemnavit & ligavit diabolum usque ad Judicium: & expoliavit Limbum & Purgatorium, & inde traxit sanctos Patres, & omnes, qui vixerant in fide Christi sub veteri Testamento usque ad illam diem. Item postea subjecit inimicos suos dæmones, cùm penitùs ejecit eos ab idolis de mundo, & destruxit omnia nomina idolorum, nec nominantur ultra. Item, subjecit sub pedibus ejus omnes inimicos suos Judæos, quando abstulit eis hostiam, & sacrificium, & sacerdotium: & eos per *Titum* & Romanos destruxit, & captivavit, & dispersit, & in servitutem sub Christianis & Saracenis redegit. Item, subjeci t sibi omnes inimicos Gentiles, quosdam puniendo, & quosdam ad fidem suam convertendo. Nam B totus populus Christianus pro majori parte qui hodie est sub jugo Christi, descendit de populo Gentili, super quem populum Christus sedet tanquam supra scabellum, cæteros autem conculcat sub pedibus suis puniendo pœna temporali, & æterna. Sed hoc magis apparebit in die Judicii, quando destinabit omnes damnatos cum diabolo & Angelis ejus ad pœnam æternam; justos autem secum assumet ad felicitatem perpetuam. Tunc ergo perfectè erit completa ista prophetia: scilicet, *Donec ponam inimicos tuos*, ut ait *Apostolus*, 1. *ad Cor.* 15. qui dicit: *Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare do-* C *nec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors.*

Nota. Sed est advertendum, quòd quando dicimus, quòd Christus in quantum homo *sedet à dextris Patris* in illis quatuor potioribus bonis; non est dicendum, quòd ly *in quantum* reduplicet rationem formalem humanitatis: quia hoc non convenit Christo ex principiis formalibus humanitatis; quia sic cuilibet homini conveniret. Sed ly *in quantum*, reduplicat materialiter ipsam humanitatem Christi ratione unionis Verbi, & filiationis naturalis, quam accepit in incarnatione, & ratione passionis, quam ex obedientia Patris accepit, & ex charitate suorum membrorum. Quasi dicat, quòd D Christus secundumquod homo, qui est unitus Verbo, & Filius naturalis Dei Patris, sedet à dextris ejus.

Donec & usque tripliciter sumuntur. Ad tertium dicitur, quòd istud adverbium *donec*, & istud adverbium *usque*, tripliciter sumuntur in Sacra Scriptura. Primo modo determinativè: & sic sumitur *Genesis* 49. cùm dicitur: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est.* Quasi dicat, quòd post adventum Christi non erit rex temporalis de Tribu Juda. Item eodem modo dicimus, quòd mulier est alligata conjugio donec E vir moriatur. Et sancti Patres fuerunt in Limbo donec Christus venit. Et eodem modo sumitur illud *Apostoli*, *ad Galat.* 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à Patre*, id est, donec emancipetur, & donec sit finitum tempus, quo Pater submisit ipsum tutoribus. Quasi dicat, quòd post tale tempus statutum non amplius est sub tutoribus.

Secundo modo sumitur *donec*, & tenetur absolutè, & indeterminatè. Et sic sumitur *Psal.* 124. cùm dicitur: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*: quia non sequitur, quòd postquam Deus misertus fuerit nostri, non amplius habeamus oculos ad Deum. Item F eodem modo indeterminatè & absolutè sumitur hoc adverbium *donec*, *Matth.* 1. cùm dicitur: Joseph non cognoscebat Virginem *donec peperit Filium suum primogenitum.* Et eodem modo sumitur hîc *donec* in hoc Psalmo indeterminatè & absolutè: quia non sequitur, quòd postquàm Pater subjecerit Filio omnes inimicos suos, Filius non sedeat à dextris Patris.

Tertio modo sumitur *donec* infinitè & æternaliter: & sic sumitur *Psalmo* 71. cùm dicitur: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Sed quia Luna nunquam auferetur, nec annihilabitur: ideo pax Christi nun- G quam cessabit, sed erit in æternum. Item, eodem modo sumitur ly *donec*, *Matth.* 18. cùm dicitur, quòd iratus Dominus tradidit illum servum nequam, & ingratum tortoribus, *donec redderet debitum.* Sed quia nullus potest reddere debitum in inferno: ergo in æternum cruciabitur. Eodem ergo etiam modo potest sumi hîc ly *donec*, cùm dicitur: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et ponitur pro *quamdiu*, id est, quamdiu ponam inimicos tuos. Quasi dicat, quòd in æternum subjiciam tibi inimicos tuos: quia in æternum erunt tibi subjecti in inferno damnati. Ergo in æternum sedebis à dextris meis. Et sic patet veritas sententiæ hujus versiculi.

H 3. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

Extra de Verb. sig. cap. Quid dicitur; & ad Heb. 12 cap.

HIC ostendit Propheta, ubi, & quando incepit manifestari executio, & potestas regni Christi. Et demonstrat, quòd hæc potestas incepit in *Hierusalem* in monte *Sion*, quando misit Spiritum sanctum in Discipulos. Nam tunc dedit eis septem dona: putà, *donum sapientiæ*, & *intellectus*

ad

ad intelligendas ſcripturas: & ſpiritum *conſilii & fortitudinis*, ad perſecutiones tolerandas: & *ſcientiæ & pietatis*, & aliarum gratiarum ad miracula facienda, & vices Chriſti exercendas. Item, in die Aſcenſionis dedit eis poteſtatem calcandi ſuper ſcorpiones. Sed in die Pentecoſtes habuerunt executionem. Ideo dicit David: *Dominus* Pater mittet ſimul tecum *virgam virtutis*, id eſt, poteſtatem, & dona gratiarum, quibus Apoſtoli fecerunt virtutes: & hoc mittet *ex Sion* in die Pentecoſtes. Et ideo poſtquam habes poteſtatem, & commiſiſti eam Apoſtolis, *dominare in medio inimicorum tuorum*, & ſubjuga inimicos, id eſt, ſubjugabis omnes inimicos, & eis dominaberis, quoſdam ad fidem convertendo; & quoſdam, ſcilicet Judæos principibus mundi temporaliter ſubjiciendo: & quoſdam, ſcilicet omnes fideles obſtinatos, ad æternam mortem condemnando.

Poteſtas quadruplex, ſeu virga poteſtativa.

Unde eſt advertendum, quòd notanter Propheta ponit in hoc loco *virgam* pro poteſtate. Unde quadruplex memoratur poteſtas in Sacra Scriptura, ſcilicet, regia, & ſacerdotalis, & doctrinalis, & virtutis, ſcilicet, miracula faciendi. Sed unaquæque iſtarum poteſtatum denotatur & figuratur per virgam. Nam de poteſtate regia dicitur *Geneſ.* 44. *Non auferetur ſceptrum*, ſive virga *de Juda.* Ideo reges, & regii officiales ſemper portant virgam in manu. Et ita pinguntur cum virga, in ſignum dominii & regiminis. De *virga* ergo *ſacerdotali* habetur *Numer.* 17. quando data eſt virga ipſi *Aaron.* Et ideo Epiſcopus portat virgam paſtoralem in manu, in ſignum regiminis ſpiritualis. Tertio modo Magiſter Scholarum qui docet, tenet virgam, ſive ferulam in manu, in ſignum doctrinæ. De quarta autem *virga virtutis* habetur *Exodi* 3. quam Deus dedit *Moyſi*, cum qua fecit omnia miracula, ut patet per totum diſcurſum *Exodi.* Eſt ergo quadruplex *virga poteſtativa*, ſcilicet, regia, ſacerdotalis, & doctrinæ, & virtutis faciendi miracula.

Hanc ergo quadruplicem virgam tradidit Deus Pater ipſi Chriſto Filio ſuo in quantum homo: & ipſe Chriſtus tradidit eam Diſcipulis ſuis in die Pentecoſtes, & etiam in die Aſcenſionis, quando miſit eos per totum orbem: cum qua *virga* Apoſtoli ſubjecerunt Chriſto omnes inimicos ſuos. Nam ſicut *virga Moyſi* fuit dicta *virga virtutis*, eò quòd cum ea faciebat miracula, ſecundùm virtutem à Domino illi *virgæ* collatam: ita etiam Lex Euangelica dicitur *virga virtutis*, continens illas quatuor poteſtates ſupradictas, cum qua Apoſtoli miracula faciebant. Quam virgam *emiſit Dominus ex Sion.* Nam quaſi illas quatuor poteſtates dedit Chriſtus Apoſtolis ſuis in monte *Sion.* Nam in illa & eadem domo, in qua David fecit iſtum Pſalmum, & omnes alios, quæ erat ſita in *monte Sion*, fuit poſtea Cœnaculum, in quo Chriſtus fecit cœnam cum Diſcipulis ſuis in die Jovis ſancta, & ibidem inſtituit Sacramentum Altaris, & dedit poteſtatem Apoſtolis conficiendi hoc Sacramentum, cùm dixit: *Sumite, & dividite inter vos. Hæc quotieſcumque feceritis &c.* Item, in eodem loco in die Paſchæ in ſero ſtetit in medio Apoſtolorum poſt reſurrectionem, & aperuit eis ſenſum, & ſcripturas, ut patet *Lucæ ultimo.* Item, in eodem loco in die octavo poſt Paſcha dedit poteſtatem Apoſtolis remittendi & retinendi peccata, ut patet *Joann.* 20. quando inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Item, in eodem loco in die Pentecoſtes miſit Spiritum ſanctum in Diſcipulos, ubi receperunt omnia dona gratiarum, & intelligentiam ſcripturarum, & genera linguarum, ut patet *Actuum primo.* Ideo illicò Beatus *Petrus* cœpit facere miracula ſimul cum cæteris Apoſtolis: in tantum quòd illa die converſa ſunt quatuor millia hominum. Et ſic Apoſtoli diſperſi ſunt per univerſum mundum, & converterunt totum populum Gentilem. Ex quo patet, quòd *virga virtutis* Chriſti & poteſtas incepit, & egreſſa eſt de *Sion.* Et ſic dilatata eſt per univerſum mundum, ſicut dictum eſt *Pſalmo* 48. & 50. Quia *de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Hieruſalem, Iſaiæ* 2. Ideo dicit hic Propheta: O Chriſte, Dominus Pater ſimul tecum *emittet virgam virtutis*, ſcilicet, Legis Euangelicæ, *ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

4. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te.*

SED ne quis putaret, Chriſtum ex tempore totaliter incepiſſe; & velut filium adoptivum, & non naturalem, regnum à Patre accepiſſe: ideo hoc removet David, oſtendens Chriſtum eſſe verum Filium Dei Patris naturalem & æternum; & per conſequens jure hæreditario regnum æternum, & ſupradictam poteſtatem à Patre accepiſſe. Nam licèt ſit temporalis ſecundùm humanitatem; tamen eſt æternus ſecundùm divinitatem. Et etiam licèt ſit verus homo ex Matre ſecundùm carnem: tamen eſt verus Deus ſecundùm divinitatem. Et quia Verbum accepit illam humanitatem in unitatem perſonæ, ideo Chriſtus Deus & homo eſt una perſona, & non plures. Et ſic eſt unus Filius naturalis Dei Patris. Nec etiam in quantum homo habet

alium Patrem, nisi Deum. Et sic jure hæreditario debetur sibi regnum mundi. Nam sicut simul cum Verbo adoratur & glorifi- A catur & veneratur: ita simul cum Verbo omnia regit & gubernat, eo modo quo supra dictum est. Et hoc habuit humanitas Christi à principio suæ unionis, ut dictum fuit. Sed magis ostensum est, & demonstratum, & manifestatum in die Ascensionis, ut supra dictum fuit. Et hoc est quod intendit dicere, cùm ait: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Unde per *principium* intelligit Verbum, quod est principium formale omnium creaturarum, ad cujus exemplar facta sunt omnia, & per quod Verbum Deus dixit omnia creata ad extra, ut ait *Augustinus.* Hoc *principium* semper fuit unitum cum humanitate Christi à primo instanti suæ incarnationis, à quo incepit *dies virtutis*: maximè tempus pere- B grinationis Christi in hac vita, dum fuit viator, quasi dies militiæ, & certaminis, & triumphi, & laboris.

Nam Christus à primo instanti suæ incarnationis illico incœpit operari nostram redemptionem. Nam statim movit *Virginem Mariam* matrem suam, ut iret ad visitandum *Elisabeth.* Et jam ex utero virgineo sanctificavit *Joannem Baptistam*, ut esset præcursor. Et etiam in die Nativitatis suæ operatus est ineffabiles virtutes: quia apparuit nova stella in Oriente, quæ duxit *Magos* ad præsepe: & multitudo cœlestis exercitus cantavit, *Gloria in excelsis Deo.* Et illa die fuerunt facta miracula per diversas partes orbis terrarum: quia C omnes creaturæ dederunt signum suæ nativitatis. Et multas alias virtutes operatus est Christus usque ad trigesimum annum, quas Scriptura tacet: sed omnes Euangelistæ incœperunt narrare virtutes & miracula Christi à suo baptismo. Et sic in illis tribus annis operatus est tot virtutes & miracula, quæ *si omnia scriberentur, mundus non posset capere qui scribendi sunt libros*, ut patet *Joann. ultim.* Sed maximè fuit *dies virtutis* Christi, dies passionis & resurrectionis suæ, quando triumphavit de diabolo, & expoliavit infernum. Sed *dies splendoris sui & sanctorum*, fuit totum tempus post resurrectionem.

Dicit ergo Pater ad Filium: O Chris- te, non sine causa debetur tibi regnum D mundi, etiam secundum humanitatem ratione unionis personalis Verbi: Nam *principium* exemplare omnium creaturarum, scilicet Verbum æternum, per quod facta sunt omnia, fuit semper tecum personaliter unitum *in die*, immò à die *tuæ virtutis*, id est, tuæ incarnationis, & *in* toto *die* tui certaminis & militiæ; & *in die* tui triumphi, in quo die operatus es virtutes, & miracula, & vicisti diabolum, & abstulisti ab eo prædam. Et non solummodò fuit *tecum principium in die virtutis* & laboris mortalis, sed etiam fuit semper *tecum in splendoribus sanctorum*, id est, in E toto tempore post resurrectionem, cùm accepisti gloriam & splendorem pro te & sanctis tuis. Nam humanitas tua splendet in cœlo omnibus Sanctis & Beatis plusquam sol. Cujus splendor nunquam cognoscet occasum, *Apocal. ult.*

Divinitas nunquam dimisit humanitatem.

Ex quo patet, quòd Verbum postquam semel assumpsit humanitatem, numquam dimisit. Nam semper fuit unitum *in* toto *die virtutis* ante resurrectionem, licèt anima fuerit separata à corpore: & semper fuit unitum post resurrectionem sicut ante: & semper fuit una Persona cum Verbo, & per consequens Filius Dei.

Utrum autem Christus in triduo fuerit homo, vel non, alibi disputabitur: quia F non est præsentis speculationis. Sufficit quòd Christus semper fuit Filius naturalis Dei. Et sic jure hæreditario meruit regnum super omnes creaturas tamquam Filius naturalis. Et ideo ut probaret hanc naturalitatem, subdit: *Ante luciferum genui te.* Quasi dicat: O Christe, licèt sis homo, tamen es Deus à principio tuæ incarnationis. Nam Verbum semper fuit tecum personaliter unitum antè & post resurrectionem: & sic es Filius meus naturalis, & æternus ratione Verbi consubstantialis secundum divinitatem: quia *ex utero*, id est, ex substantia mea, *genui te; ante luciferum*, id est, ante omnem creaturam, & ante solem, & lunam, & stellas. Nam nihil præcedit luciferum, scilicet solem, nisi sola æternitas.

G Unde est advertendum, quòd secundùm communem opinionem Doctorum, qui ponunt successionem temporalem in diebus creationis, non valeret ista consequentia: Christus fuit genitus ante luciferum, sive ante solem: Ergo Christus est æternus, eò quòd sol fuit creatus in quarto die. Sed bene valet consequentia apud *Augustinum*, qui ponit, omnia esse simul creata, & distincta secundum suas species & formas, referendo illos dies ad successionem naturæ, & cognitionem Angelorum. Et sic *ante luciferum* nihil fuit nisi æternitas. Etiam per ly *ante luciferum* potest intelligi natura Angelica, quæ in prima die ponitur creata sub nomine lu- H cis. De qua dixit Deus: *Fiat lux*, & facta est lux, & tunc bene valet consequentia: quia si Verbum Æternum, sive filius Dei est genitus *ante luciferum*, id est, ante naturam Angelicam, quæ primò fuit creata; est æternus, & genitus de utero, id est, de tota substantia Patris: quia Pater se totum dixit, id est, de tota sua substantia dixit Verbum. Et sic de tota substantia Filium sibi æqualem genuit: quia totam & eamdem essentiam communicavit, ut ait *Augustinus* 15. *de Trinit.*

Et nota, quòd notanter ait Propheta:

Ex

Per uterum memoria Patris intelligitur.

Ex utero ante &c. Nam per *uterum* intelligit memoriam fecundam Patris, ex qua Verbum generatur substantialiter: quæ quidem memoria paterna similitudinariè & metaphoricè dicitur *uterus*, sive *matrix*. Nam sicut ex matrice fœcunda mulieris, sive ex fecunditate matricis generatur fœtus: ita per quandam similitudinem ex memoria fœcunda Patris dicentis generatur Verbum. Et sic dicit *Augustinus:* quòd *Pater dicit Verbum de tota sua memoria fœcunda, sive facunda.*

Hoc est ergo quod dicit hîc, *Ex utero:* id est, ex memoria fœcunda, & de tota substantia mea *ante luciferum*, id est, ab æterno *genui te*. Et ideo ubi nos habemus, *Ex utero ante Luciferum genui te*, quædam littera Hebraica habet *: de matrice auroræ tibi ros nativitatis tuæ.* Quæ littera ad eandem sententiam deducitur. Tota ergo sententia, sive conjunctio hujus versus stat in hoc: quia dicit Pater ad Filium: O Christe, *dominare in medio inimicorum tuorum*: quia tibi debetur summa regia potestas jure hæreditario: eò quòd tu es Filius meus naturalis, non solùm in quantum Deus, sed etiam in quantum homo. Nam in quantum homo, *principium*, id est Verbum, est personaliter unitum *in die virtutis*, id est, peregrinationis, & laboris, & certaminis, & militiæ, & triumphi, scilicet, à die incarnationis usque ad diem Passionis inclusive. Et etiam *tecum* est *principium in splendoribus sanctorum*, id est, in die tuæ gloriæ splendoris sanctorum, quæ incepit à tua Resurrectione, & durabit in æternum. Et sic etiam in quantum homo tu es Filius meus naturalis ratione Verbi uniti. Secundò, tu es Filius meus naturalis in quantum Deus: quia *ex utero*, id est, de tota memoriâ fœcundâ & substantiâ *ante Luciferum*, id est, ab æterno, *genui te*. Ex quo patet quòd jure hæreditario tibi debetur sedere ad dexteram meam, & dominari in medio inimicorum tuorum, & possidere regnum & imperium super omnes creaturas, ut dictum est.

Quasi dicat Pater: O Christe, *sede à dextris meis*, & *dominare in medio inimicorum tuorum:* quia tu es Filius meus naturalis. Nam in quantum Deus ego *te genui ante Luciferum ex utero*, id est, ex memoriâ mea fœcundâ, id est, de tota substantiâ meâ. Sed in quantum homo ego *te genui* post *Luciferum ex utero* virginali opere Spiritus sancti.

Sed contra hoc arguitur: & videtur, quòd Christus in quantum homo non sit Filius naturalis Dei Patris. Nam dicit *Galenus*, quòd solus ille est pater naturalis, qui generat filium de substantia sua, cujus semen concurrit etiam naturaliter ad fœtum: sed Deus Pater non genuit Christum secundum quod homo, de sua substantia: Ergo non est ejus Pater naturalis. Item *Augustinus* dicit *super Joannem*, quòd *duas legimus Christi nativitates. Unam in cœlo sine matre, & aliam in terris sine Patre.* Ergo Christus ut homo nullum habet Patrem naturalem.

Ad hoc respondetur: quòd si volumus sequi viam *Aristot.* 16. *de Animalibus*, & aliorum Philosophorum, qui dicunt, quòd pater naturalis non concurrit nisi active ad generationem fœtus, in quantum spiritus prolificus, sive virtus generativa conservata in semine tantùm format fœtum in matrice mulieris ex menstruo. Et sic nullam substantiam communicat pater filio, nisi in quantum se habet activè ad formationem fœtus mediante spiritu prolifico, sive generativo. Tunc absque præjudicio fidei possumus dicere, quòd Deus est Pater naturalis Christi, & quo ad humanitatem: quia ille est pater naturalis cujus virtus format fœtum in matrice: Sed Spiritus sanctus, qui est virtus Patris, ex puris sanguinibus formavit corpus Christi in utero virginali: Ergo Christus est Filius naturalis Dei Patris. Major jam patet ex sententia Philosophi. Minor etiam patet ex articulo Fdei. Et etiam patet *Lucæ* 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Sed quia ex hoc modo dicendi possent fieri complures cavillationes; quia per eamdem rationem Christus ut homo posset dici Filius Verbi, eò quòd Spiritus sanctus, qui formavit corpus Christi in utero Virginis procedit tàm à Verbo, quàm à Patre, & est virtus utriusque; item, quia tota Trinitas creavit animam Christi: ideo secundum creationem Christus posset etiam dici Filius Trinitatis, sicut *Adam* dicitur Filius Dei, *Lucæ* 3. *&c.* Ideo ad removendum omnem cavillationem arguendi, & ad vitandum omne scandalum, melius est quòd recurramus ad personam.

Objectio.

Nam Christus in quantum homo nullam habet propriam personalitatem, nisi solam personalitatem Verbi, in qua subsistit. Nam sicut Pater communicat Verbo Essentiam, non communicando Personam; ita per oppositum, Verbum communicat illi humanitati eamdem personalitatem, non communicando naturam: quia utraque natura manet integra in sua essentia sub una & eadem personalitate. Et sic manet una sola Persona, quæ dicitur *Christus*, habens duas naturas essentialiter distinctas. Et sic Verbum communicando humanitati personalitatem, communicat etiam filiationem. Et sic Christus homo, dicitur Filius naturalis Dei Patris. Quia in Christo sicut non est nisi una Persona & unum esse, ita non est nisi una filiatio. Et sic non est nisi unus solus Filius naturalis Deus homo, cui propter filiationem naturalem debetur regnum

Christus in quantum homo non habet propriam personalitatem &c.

mundi jure hæreditario, ut dictum est.

Responsio Tunc ad argumentum *Galeni* negatur ejus propositum: quia non tenetur ejus opinio apud Philosophos. Ad secundum dicitur, quòd *Augustinus* non negat, quod Christus non habeat Patrem naturalem in cœlis, etiam quoad secundam generationem: sed dicit, quòd non habet Patrem carnalem in terris. Et sic concluditur sine hæsitatione, cæteris dimissis, quòd homo Christus est Filius naturalis Dei Patris *genitus ante Luciferum* secundùm divinitatem, & *genitus post Luciferum* secundùm humanitatem. Et ly *in die virtutis tuæ*, refertur ad totum tempus peregrinationis Christi ab incarnatione usque ad passionem inclusivè: & ly *in splendoribus Sanctorum*, refertur ad totam durationem post resurrectionem Christi. Sed ly *ante Luciferum genui te*, refertur ad æternitatem, in qua Christus genitus est quoad divinitatem. Est ergo Christus genitus *ante Luciferum ex utero* Patris, & post *Luciferum ex utero* matris opere Spiritus sancti, qui est *virtus Altissimi.*

Et nota, quòd istum supradictum versum multi multipliciter exponunt. Nam quidam illud *principium* referunt ad Patrem: ut dicat Pater ad Filium: Ego sum tecum unum & idem *principium* producendi Spiritum sanctum *in die virtutis tuæ*, id est, in tota æternitate, cujus splendorem sancti participant. Et etiam, sum *principium tecum*, quia produxi te. Et sic sum *tecum* sicut *principium* dicens in Verbo dicto & producto: & tu es mecum tanquam Verbum in dicente, & hoc ab æterno: quia *ante Luciferum genui te.* Item etiam alii dicunt: Ego Pater sum tecum, ò Fili, simul cum Spiritu sancto unum *principium* producendi creaturas in die *virtutis tuæ*, id est, in die creationis, in qua virtute tua facta sunt omnia. Sed aliter terminatur & continuatur littera secundùm *Cassiodorum*, qui continuat unam sententiam ab illo loco, *Virgam virtutis tuæ*, usque ad ly *in splendoribus sanctorum* inclusivè. Unde dicit David: O Christe, ipse Dominus Pater *emittet virgam virtutis tuæ*, scilicet, Legem, & potestatem Euangelicam *ex Sion*: & ideo *dominare*: unde ipse Pater est *tecum* unum *principium* mittendi Spiritum sanctum *in die virtutis tuæ*, scilicet, in die Pentecostes, scilicet *in splendoribus sanctorum*, quando splendor igneus venit super sanctos Apostolos. Nam illa die simul cum Patre misisti virtutem super eos: quæ dies dicitur *splendor sanctorum*, eò quòd fuerunt illuminati, & omnibus virtutibus & donis refecti. Et ideo ut Pater ostendat Filium esse æternum secundùm divinitatem, subdit: *Ex utero ante Luciferum genui te.*

Unde est advertendum, quòd Hebræus & Translatio *Hieronymi* aliter habent litteram hujus versiculi. Nam ubi *Septuaginta* habent: *Tecum principium &c.* Hebræi habent: *Populi tui principes in die virtutis tuæ: in decore sancto de matrice auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ.* Et tunc secundùm hanc litteram mutaretur sententia: nam prima pars hujus versiculi videtur esse sequela ad versum & sententiam præcedentem. Nam dictum est supra: *Virgam virtutis tuæ*, id est, potestatem *emittet* tibi *Dominus ex Sion*, scilicet, Spiritum sanctum in Discipulos mittendo in die Pentecostes: ideo *dominare in medio &c.* Et sequitur secundùm hanc litteram: *Populi tui Principes*, id est, Apostoli facti sunt Principes super omnem terram, & hoc *in die virtutis tuæ*, scilicet, in die Pentecostes, quando misisti eis dona gratiarum & virtutum in decore sancto: quando omnes Apostoli & Discipuli sunt sanctificati, & decorati, & ornati lumine Spiritus sancti, & omnis generis gratiarum &c.

Quod autem sequitur, *de matrice auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ*, videtur pertinere ad generationem Christi temporalem de Virgine Maria sine Patre, ex solo opere Spiritus sancti. Quasi dicat: O Christe, generatio tua est mirabilis: nam *ros adolescentiæ tuæ*, & formatio tuæ infantiæ, id est, corporis tui, & infantia fuit *de matrice auroræ*, id est, Virginis Mariæ sine semine viri. Nam sicut ros matutinus generatur ex aurora, sive in aurora ex summo cœlo; ita tu processisti ex utero Virginis, tanquam Sol ex aurora, & tanquam ros in aurora ex summo cœlo, & per consequens es genitus de Matre sine Patre carnali, solo opere Spiritus sancti. Et huic sententiæ concordat *Rabbi Barachias* super illud *Threnor. ult. Pupilli facti sumus absque Patre.* Unde dicit: *Deus sanctus & benedictus ait: Vos dixistis: Pupilli facti sumus absque Patre. Et ego dico vobis quod Redemptor quem ego suscitabo vobis, sine Patre erit, sicut scriptum est Psalmo* 109. *de matrice auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ.*

Sed secundùm hanc litteram & sententiam, versus iste non videtur pertinere ad æternam generationem, nec ad æqualitatem Patris ad Filium; sed ad generationem temporalem & humanam Christi ex Matre sine Patre. Est verum, quòd utrobique memoratur miraculum in generatione Christi; sed majora sacramenta videtur continere Translatio nostra, id est, ipsorum *Septuaginta*, cui magis credendum est; eò quòd est sine suspicione: ideo Ecclesia non vult cantare Translationem Psalterii, quam *Hieronymus* transtulit immediatè ex Hebræo: eò quòd littera jam erat punctuata, & ad eorum intentum interpretata per appositionem punctorum, ut dictum fuit in principio. Et ideo in talibus passibus est cavenda calumnia Hebræorum,

nec

nec est eis danda fides, ut dictum est. Et ideo ex supradictis duabus primis Expositionibus possumus eligere quam voluerimus. Sed prima videtur magis profunda A & conveniens: quia nihil aliud vult ostendere Propheta in hoc versiculo, nisi quod regnum mundi debetur Christo jure hæreditario, eò quòd est Filius naturalis Dei Patris, qui secundùm divinitatem est *genitus ante Luciferum*, & secundùm humanitatem est *genitus post Luciferum* ex tempore.

Extra de Jurejura. cap. Et si Christus, & ad Hebræ. 7. c.

5. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* B

HÆC est secunda pars principalis, in qua Propheta prædicit Christum fore Sacerdotem æternum: quæ est secunda dignitas, quam Christus acquisivit in præmium suæ passionis.

Christo ut esset verus Messias erant hæc necessaria.

Unde est advertendum, quòd ad hoc quod Christus esset verus & perfectus Messias in Lege promissus, oportebat ut esset Deus & Homo, Rex, & Sacerdos. *Homo*, ut posset pro nobis pati ad justitiam complendam: *Deus*, ut prævaleret adversus diabolum, & pretium esset valorosum & infinitum: *Rex*, ut haberet universale dominium. Et sic oportuit ut esset Filius Dei na- C turalis, & per consequens Deus.

Item: *Rex*, ut esset universalis Judex: *Sacerdos*, ut posset seipsum pro nobis in ara crucis offerre, & sacerdotium novum instituere, & cæteris potestatem conferre. Et ideo verè fuit Christus figuratus per *Melchisedech*. Nam ille fuit figura Christi tripliciter.

Primò, in persona; quia sine patre, & sine matre, & genealogia, nec legitur ejus principium, nec finis: ita Christus est sine patre carnali in terris, & sine matre in cœlis, sicut dictum est. Item, sine principio temporis quoad divinitatem, & sine fine quoad humanitatem. Secundò, fuit figura in officio & dignitate. Nam fuit *Melchisedech* Rex & Sacerdos: quia *Rex Salem*, *& Sacerdos Dei Altissimi*, ut patet *Genes.* 14. & *ad* D *Hebræos* 7. ita Christus Rex & Sacerdos. Item, *Melchisedech* interpretatur *Rex Justitiæ*; Christus autem est verus Rex Justitiæ. Primò, quia in se omnes nos justificavit per mortem & passionem, & pro omnibus solvit pretium. Secundò, quia à Patre accepit omnem potestatem judicandi: & sic est verus Rex Justitiæ. Item, sicut Melchisedech fuit *Rex Salem*: ita Christus fuit verus *Rex pacis*, qui in suo sanguine omnia pacificavit; & nos Patri reconciliavit. Tertiò, fuit figura in actu & oblatione, sive in ordine oblationis. Nam sicut ille obtulit panem & vinum pro *Abraham* Deo Altissimo: ita Christus insti- E tuit sacrificium Eucharistiæ, in quo obtulit seipsum sub forma panis & vini in memoriam suæ passionis: in qua passione obtulit seipsum in forma & carne humana in cruce. Instituit ergo hoc sacrificium & Sacramentum, ut offeramus ipsum sub forma panis & vini in memoriam suæ passionis, in qua obtulit seipsum in forma & carne humana in cruce. Sacerdotium ergo Christi non est secundùm ordinem *Aaron*, qui offerebat oves, & boves, & vitulos, & arietes, & hircos &c.

Dicit ergo David ad Christum Filium: Non tolùm eris Rex, & Deus, & Homo; sed etiam eris Sacerdos æternus. Nam ego F vidi in spiritu, qualiter *Dominus* Deus Pater *juravit*, id est, firmiter statuit, *& non pœnitebit eum*, id est, nunquam retractabit, nec revocabit promissum, & decretum suum. Statuit ergo sine retractatione & revocatione, dicens tibi: Tu Christe es Sacerdos in æternum, non secundùm ordinem *Aaron*, sed secundùm ordinem *Melchisedech*, offerens seipsum sacrificium sub forma panis & vini.

In quibus verbis notantur quatuor conclusiones. Nota

Prima: quòd hæc promissio facta est cum jurejurando: per quod denotatur certitudo prophetiæ, & promissionis.

Secunda: quòd Lex Moysi, & sacer- G dotium ipsius *Aaron*, & per consequens sacramenta & sacrificia veteris Legis, debebant cessare; & aliud sacrificium & sacerdotium, & per consequens alia Lex, debebat succedere. Nam translato sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat, *ad Hebræos* 7.

Tertia conclusio: quòd sacrificium panis & vini in Lege nova erat offerendum: per hoc quod ait: *Secundùm ordinem Melchisedech.*

Quarta conclusio: quòd Lex & sacerdotium Christi est æternum: id est, quòd nulla alia Lex, nec aliud sacrificium subsequetur; per hoc quod dicit: *Tu es Sacerdos in æternum.*

Æternum tripliciter sumitur.

Unde notandum, quòd *æternum* tri- H pliciter sumitur in Scriptura. Primò, in quantum est sine termino, & sine fine & successione: quia est tota simul & perfecta possessio vitæ interminabilis: & sic soli Deo convenit, quia nihil est æternum nisi Deus. Secundò, *æternum*, idem est quod coævum, dicens totam ætatem alicujus. Et sic dicimus, quòd vir est *æternus* uxori: quia quamdiu vixerit est alligatus uxori per totam ætatem & vitam, & è converso. Et sic circumcisio fuit *æterna* Legi & pacto *Abrahæ*: quia quamdiu duravit Lex, & pactum, & illa ætas, tamdiù perseveravit circumcisio, scilicet, usque ad Chris-

tum, in quo terminavit illud pactum, & illa ætas. Tertio modo dicitur *æternum*, A cui nullum aliud tale succedit. Et isto modo Lex *Moysi*, aut circuncisio non fuit æterna: quia alia Lex successit, & aliud Sacramentum. Sed isto modo Lex Euangelica & Sacerdotium Christi est *æternum*, quia nulla alia Lex, nec sacrificium succedet. Ideo ait Christus, *Matth. 26. Hic est calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti.* Si novum, quomodò æternum dicitur? Novum dicitur, in quantum successit veteri. Dicitur autem *æternum*, in quantum nullum aliud ipsi succedet, sed solùm præmium, & vera beatitudo. Et ideo Pater promittit Filio suo Christo Sacerdotium æternum sub jurejurando, & sine revocatione: quasi promittens, nullum aliud Sacerdotium successurum. Ideo quando dedit Sacerdotium *Moysaicum* ipsi *Aaron*, non B dedit sub jurejurando. Nam licèt filii Israel juraſſent servare Legem, ut patet *Deuter. 27.* tamen Deus non juravit eis æternitatem Legis & Sacerdotii, sicut hîc promittit Sacerdotium æternum, & Legem sub jurejurando.

Nota. Et nota, quòd *Origenes* putavit hunc *Melchisedech* fuisse Angelum Dei, qui occurrit *Abrahæ*. Sed *Didymus* & *Eusebius* dicunt, ipsum fuisse verum hominem Chananæum & Gentilem, Regem *Salem*, qui obtulit panem & vinum pro *Abraham*, & benedixit ei: quasi benedixisset Christum in lumbis *Abrahæ*, licèt non descenderet ab eo per naturalem generationem immediatè. Et per hoc datur intelligi, quòd ordo C sacerdotalis non incepit à Judæis, aut Levitis, sed à Gentilibus, scilicet, ab *Abel*, & *Henoch*, à *Noe*, & *Melchisedech:* ut per hoc denotaretur, quòd omnes Gentes erant venturæ ad Christum. Hoc idem dicit *Hieronymus in Epistola ad Evagrium, de Melchisedech.* Item, Templum Salomonis ædificatum est *in area Areuna Jebusæi*, quam emit David, ut patet 2. *Regum ultimo:* & Gentiles fuerunt latomi, & fabri, qui ædificaverunt Templum: ut per hoc denotaretur, quòd Ecclesia erat fundanda & amplianda in Gentilibus, & per Gentiles, qui erant possessuri terram viventium. Item, *Job* fuit Rex & Sacerdos: quia quotidie sacrificium offerebat pro filiis. Ex quo patet, quòd Sacerdotium non incepit ab *Aaron*, sed ex Gentilibus. Et D ita per Gentiles ad Fidem conversos erat exercendum & continuandum, ut patet manifestè in effectu.

Sacerdotiũ Christi. Nota, quòd Sacerdotium Christi dicitur *æternum* & summum. Dicitur enim *æternum*, propter causas jam dictas. Dicitur autem *summum*, propter triplicem summam potestatem, quam Christus accepit à Patre in Sacerdotio. Nam primò habuit summam potestatem instituendi sacramenta novæ Legis. Secundò, habuit potestatem conferendi eis virtutem ex meE rito suæ passionis. Tertiò, habuit potestatem committendi ministerium & exercitium Sacramentorum suis successoribus. *Christus Sacerdos Summus.* Et sic dicitur *Summus Sacerdos*: uno modo, quia primus obtulit sacrificium: secundò, quòd habuit triplicem supradictam potestatem, quam nullus habuit, præter ipsum. Nam licèt Papa & Episcopus habeant potestatem à Christo conferendi Ordines; & cæteri Sacerdotes habeant potestatem ministrandi Sacramenta: tamen nec Papa, nec tota Ecclesia habent potestatem instituendi Sacramenta, nec conferendi eis gratiam & virtutem, nisi solus Christus, qui est Caput Ecclesiæ. Et ideo propriè dicitur *Summus Sacerdos*, & *æternus*, qui talem potestatem recepit à Patre, ut F dictum est. Tertiò dicitur *Summus Sacerdos*: quia solus ipse est mediator Dei & hominum.

Objectio. Sed contra prædicta arguitur: quia videtur, quòd nusquam in tota Sacra Scriptura veteris Testamenti reperiatur, quod Deus Pater juraverit, nec sub jurejurando promiserit Messiæ in Lege promisso, quod esset futurus *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, prout supra expositum est.

Responsio. Ad hoc respondetur, quòd talis petitio est superflua, cùm manifestè probatum fuerit in principio, David fuisse verum & eximium Prophetarum, cui Deus locutus est, & factæ fuerunt ipsi multæ revelationes de Regno & Sacerdotio Chris- G ti, ut ipsemet David dicit, 2. *Regum* 23. ubi dicit: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob egregius psaltes Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam, Deus Israel mihi locutus est: sicut lux Auroræ oriente Sole mane absque nubibus rutilat. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum firmum in omnibus atque munitum.* Ex tota ista Scriptura patet, qualiter Deus cum pacto æterno locutus est clarè & manifestè de Christo in Lege promisso, & de regno ejus, & potestate, ipsi David. Et sic non oportet, quòd quæramus ubi reperiatur tale juramentum: nisi quod dicamus, quòd David hoc prævidit in spiritu per spiritualem revelationem. Sed licèt hoc sufficiat ad res- H pondendum cuique quærenti: tamen adhuc possumus assignare locum in Sacra Scriptura, ubi Deus fecit supradictum jusjurandum de æterno Sacerdotio Christi.

Quid sit jusjurandum Dei? Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd *jusjurandum* Dei in Sacra Scriptura sumitur pro immobilitate & certitudine propositi Dei. Sed quidquid Deus proposuit in veteri Testamento sub aliqua figura, proposuit immobiliter & irrefragabiliter. Cum ergo *Melchisedech Sacerdos Dei Al-*

Altiſsimi, & Rex juſtitiæ, & pacis, ſine generatione & principio offerens panem & vinum, fuerit figura ipſius Chriſti, ut ſupra dictum eſt; quia Deus acceptavit oblationem ipſius *Melchiſedech* ſub tali figura Sacerdotii æterni Chriſti: & ſub tali figura voluit Deus, quod *Melchiſedech* benediceret *Abraham*, de quo Chriſtus erat deſcenſurus ſecundùm carnem: Ergo ſequitur, quòd tunc Deus immobiliter, & irrefragabiliter, & firmiter ſtatuit Chriſtum in Lege promiſſum fore *Sacerdotem æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu contemplando illud myſterium, dixit: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Hoc idem myſterium prævidit David, *Exod.* 29. ubi Dominus præcepit ſervari panes propoſitionis ante Altare per totam ſeptimanam, & quod Sacerdos elevaret cruſtulam panis ante totum populum ſupra caput ſuum, ubi manifeſtè figurabatur ſacrificium panis, ſive Euchariſtiæ. Sed ſupradictum jusjurandum de æterno Sacerdotio Chriſti magis manifeſtè exprimitur *Geneſ.* 22. Ubi legitur, quòd *Abraham* ex præcepto Dei voluit ſacrificare filium ſuum *Iſaac*, cui Deus ſub jurejurando promiſit, dicens: *Per memetipſum juravi, quia feciſti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Et benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes: quia obediſti voci meæ.* Qui locus in quo factum fuit hoc ſacrificium vocatus eſt, *Dominus videbit*, immò ſecundùm Hebræos, *Dominus videbitur.* In quo myſterio prævidit David in ſpiritu prophetico, qualiter Chriſtus Filius Dei in eodem monte & loco debebat ſe ſponte offerre Deo Patri hoſtiam acceptabilem in pretium pro omnibus nobis: quia in eodem loco fuit crucifixus. Et ideo vocatus eſt ille locus, *Dominus videbit.* Quaſi dicat: in hoc loco, ubi factum eſt ſacrificium de *Iſaac*, in hoc eodem loco *videbitur* Chriſtus offerri Patri in ſacrificium in cruce pro omni populo. Et ſic ibi Chriſtus fuit verè Sacerdos, & vera Hoſtia: quia ipſe ſponte ſe Patri obtulit in ſacrificium. Ex quo patet, quòd tunc Deus Pater *juravit* ſub jurejurando, & promiſit Sacerdotium æternum ipſi in Chriſto: quia ſub jurejurando promiſit, quod in eo benedicerentur omnes Gentes.

Sed non aliter benedictæ ſunt omnes Gentes in Chriſto, niſi per ejus Sacerdotium. Primò, in quantum ſeipſum obtulit pro nobis in cruce. Secundò, in quantum per Baptiſmum nos regeneravit, & à maledicto abſolvit & liberavit. Ergo ſequitur, quòd illa promiſſio facta ipſi *Abrahæ* in ſemine ſuo, id eſt, in Chriſto, fuit de æterno Sacerdotio; quia per Sacerdotium Chriſti ſumus benedicti, & à maledicto liberati. Et per hoc patet reſponſio ad frivolum argumentum modernorum Hebræorum, per quod putant pervertere litteram hujus verſus, non eſſe dictam de Sacerdotio æterno Chriſti, ut magis patebit.

Dicitur ergo Chriſtus *Sacerdos*, in quantum ſeipſum obtulit in ara crucis, & Sacramenta inſtituit. Dicitur autem *Sacerdos in æternum* dupliciter. Primò, quia ipſe perſonaliter eſt *æternus, ante Luciferum genitus.* Secundò, quia Sacerdotium eſt æternum. Et hoc tripliciter: primò, quia perpetuatur in ſuis ſucceſſoribus: ſecundò, quia nullum aliud Sacerdotium ipſi ſuccedet: tertiò, quia effectus Sacerdotii Chriſti eſt æternus. Nam ſanctificatio facta per Sacerdotium Chriſti, in æternum durabit. Quia juſtificati & regenerati per Sacramenta, in æternum erunt ſancti & beati, *Apocal.* 5. Dicitur autem Chriſtus *Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech*: eò quòd per omnia fuit figuratus per ipſum *Melchiſedech*; & hoc quadrupliciter: primò, quia fuit Rex & Sacerdos, ſicut Melchiſedech: ſecundò, quia *Rex pacis & juſtitiæ*: tertiò, quia ſine generatione: quartò, quia ſub forma panis & vini inſtituit ſacrificium novi Teſtamenti: quintò, quia in eadem civitate, & forſan in eodemmet loco, inſtituit Euchariſtiam, ubi *Melchiſedech* obtulit panem & vinum. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, dicit: *Juravit Dominus &c.*

Sacerdos in æternum Chriſtus.

7. *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges.*

7. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.*

De Conſe. d. 2. c. Sacerdos. Extraqui fi. ſunt legi. c. Per venerabilem.

HIC ponit tertiam dignitatem, quam Chriſtus adeptus eſt merito ſuæ paſſionis, quæ fuit *judiciaria poteſtas*, ut ſit judex vivorum & mortuorum, tàm in judicio occulto, quàm in judicio manifeſto univerſali, quod fiet in noviſſimo die: quam judiciariam poteſtatem habet etiam Chriſtus in quantum homo ex merito ſuæ paſſionis, ut ipſemet Salvator ait, *Joann.* 5. *Et poteſtatem dedit ei judicium facere: quia filius hominis eſt.* Unde poſtquam ſuperiùs demonſtravit Propheta, qualiter Pater tradidit regnum & ſacerdotium Chriſto Filio ſuo in quantum homo, demonſtrat, qualiter ex conſequenti tradidit ipſi judiciariam poteſtatem: quia ad ſolum Regem

gem & Sacerdotem pertinet judicare.

Deus judicat dupliciter post Ascensionem

Unde est advertendum, quòd dupliciter judicat Deus post Ascensionem : uno modo, occulto judicio. Nam existens in cœlo ad dexteram Prtris, judicat in terris puniendo Tyrannos,& persecutores justorum temporaliter in hac vita: & post mortem destinat ad pœnam æternam , si moriuntur sine fide & pœnitentiâ. Et isto modo punivit *Neronem* , *& Domitianum* , *& Diocletianum* , *& Julianum* , & plures alios Reges.

Et de hoc primo judicio dicit Propheta in hoc versiculo , dirigendo verba ad Patrem : O Pater , Deus meus Jesus-Christus Filius tuus *confregit Reges in die iræ* , & sententiæ , & correctionis *suæ*. Nam punivit & prostravit *Neronem* , *& Diocletianum &c.* Et etiam *confregit* multos *Reges* , eos corrigendo , & temporaliter puniendo , & à superbia dejiciendo, qui relictâ idololatriâ , se jugo fidei subjecerunt. Et sic correxit Magnum *Constantinum* per lepram , causâ cujus venit ad Baptismum, exemplo cujus omnes alii Reges terræ , confractâ eorum superbiâ, venerunt ad Baptismum.

Secundò , Christus judicabit judicio manifesto & universali : & hoc in die Judicii : de quo subdit , Propheta , quòd tunc *judicabit in nationibus* , id est, judicabit omnes nationes generaliter , & manifestè, & tunc *implebit ruinas.*

Christus reparabit triplicem ruinam in die judicii.

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd triplicem ruinam reparabit , & reficiet , & restaurabit Christus in die Judicii. Nam primò , reparabit, & *implebit* ruinam corporum & cadaverum mortuorum: quia mittet Angelos suos , & vocabit omnes mortuos à quatuor ventis terræ , & congregabit omnes in vallem *Josaphat* , id est in locum Judicii : & sic erit impleta & reparata ruina corporum mortuorum. Secundò , Christus *implebit* , & reparabit, & rectificabit ruinam falsam judiciorum. Nam tria debet judicare Christus in judicio : Primò , non judicata , scilicet , facta Principum hujus mundi , quæ non fuerunt judicata : eò quòd nullus potuit eos judicare , nec facta eorum corrigere. Secundò, quia Christus *judicabit* malè judicata: putà, ea quæ judices hujus mundi propter odium , vel metum , vel lucrum malè judicarunt. Ideo omnia ista talia Christus rectificabit in judicio generali. Tertiò, judicabit Christus facinora occulta : putà, homicidia , & adulteria , & multa alia peccata , quæ in hoc mundo non fuerunt manifesta , nec per pœnitentiam deleta. Ideo talia manifestabuntur & publicabuntur in judicio.Ista ergo tria supradicta, scilicet *non judicata, & malè judicata , & occulta* , dicuntur *ruinæ judiciorum* ; & tales ruinas *implebit* & reparabit Christus in judicio.

Tertiò , Christus *implebit* & reparabit ruinam Angelorum : quia tunc erit completus numerus electorum , & implebuntur sedes vacuæ , de quibus Angeli mali ruerunt. Ex quibus patet, quòd triplicem ruinam reparabit Christus in judicio, scilicet , ruinam mortuorum , & ruinam judiciorum , & ruinam Angelorum. Et ideo de his tribus ruinis dicit Propheta , quòd Christus in novissimo die *judicabit in nationibus* , *& implebit ruinas* , scilicet, quia restaurabit & reparabit ruinam mortuorum, quia omnes resurgent : & ruinam judiciorum , & ruinam Angelorum. Sed quia in ruina judiciorum judicabit Reges , & Principes , & Prælatos hujus mundi , qui non fuerunt judicati & puniti ; & rectificabit falsa judicia eorum , & manifestabit & puniet occulta , per pœnitentiam non deleta & confessa : Ideo omnes tales tàm Reges, & Principes , & Prælatos , quàm falsos Judices , & impœnitentes destinabit ad pœnam perpetuam in inferioribus terræ.

Et ideo subdit Propheta , quòd Christus postquam judicaverit *in nationibus* discernendo gesta & facta ; postquam *impleverit* supradictas tres *ruinas :* tunc *conquassabit* & confringet *capita multorum* , scilicet, Principum , & Regum , & aliorum damnatorum *in terra* , scilicet , in inferno, qui est in inferioribus terræ : quia tales non ascendent in cœlum; sed *capita* eorum *conquassabuntur* in terra , id est , pœnâ capitali punientur. In Hebræo , & in Translatione *Hieronymi* habetur : *Judicabitur in gentibus plenitudo personarum : plagabit caput in terra multa* : quod idem sonare videtur.

Tunc ergo Christus *confregit Reges* in ira sua , quando *Neronem* , *& Domitianum* , *& Diocletianum* , & cæteros Reges Tyrannos pœnâ temporali & æternâ punivit. Et etiam *Constantinum* Imperatorem , & cæteros Reges & Principes Gentium confractâ superbiâ jugo fidei subjecit.

Item , tunc Christus *implebit ruinas*: Primò , quando ruinam ipsius *Adam* per mortem & passionem & resurrectionem reparavit. Secundò , quando omnes mortuos in judicio suscitabit. Tertiò , quando omnia judicia injusta facta per falsos judices in generali judicio rectificabit. Quartò, quando ruinam Angelorum reparabit , cum dicet justis : *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi.* Item , tunc *conquassabit capita multorum in terra* , quando dicet damnatis : *Ite maledicti in ignem æternum , qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.*

Ps. 9. & 3. c. 37. Et. 14. d. c. Finali.

8. *De torrente in via bibet: propterea* A *exaltabit caput.*

POSTQUAM superiùs Propheta prædixit tres dignitates, sive potestates quas Pater tradidit Christo Filio suo, etiam in quantum homo, scilicet, potestatem regiam, & sacerdotalem, & judiciariam; in hac tertia parte assignat causam unde meruit Christus adipisci tales dignitates & potestates. Et dicit, quòd hoc meruit Christus ex laboribus, & tribulationibus, & morte & passione, quam ex obedientia & compatientia & charitate pro nobis sustinuit.

Not. bene. Unde est advertendum, quòd omnes labores, & itinera, & peregrinationes, & fames, & sitis, & injuriæ, & opprobria, & verbera, quæ pro nobis Christus sustinuit, computantur in ejus passione: quia tota vita Christi fuit continuus labor, & quædam passio, & unus actus meritorius respectu Christi, ut dictum est *Psalm.* 29. Et ideo vita hujus mundi dicitur quasi *torrens* & fluvius tribulationum. Nam sicut torrens, in quo congregantur omnes aquæ pluviales, trahit secum omnes arbores, & omnia quæ sunt in ripa: ita contra Christum congregatæ sunt omnes aquæ persecutionum & laborum. Et sic vita Christi fuit quidam *torrens* plenus persecutionum, & laborum, & afflictionum, per quem Christus transivit, & de quo bibit in hac vita corporali: per quos labores meruit exaltari, & obtinere regnum, & sacerdotium, & judiciariam potestatem. B

Et ideo si quis quæreret, quibus meritis, & quibus laboribus & triumphis meruit Christus obtinere regnum super omnem creaturam, & æternum sacerdotium, & judiciariam potestatem super omnes homines & Angelos, cum ipse sit homo? C

Quomodo Christus nobis meruit. Respondet Propheta David dicens, quòd *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* Quasi dicat: quòd quia Christus bibit calicem passionis de torrente tantarum persecutionum, & laborum, & opprobriorum, & mortis, & crucis *in via* hujus mundi, in quantum fuit viator: & ideo in præmium tantorum laborum, & tantæ humilitatis & charitatis, quia *humiliavit semetipsum usque ad mortem crucis: ideo exaltavit caput*, & honorem, & regnum suum, & potestatem super omnes creaturas, ut dictum est, & Pater *dedit illi nomen quod est super omne nomen*, scilicet, *Jesus*, quod interpretatur *Salvator*. Et sic est Deus & Homo, Rex & Sacerdos. Et ideo habet *nomen super omne nomen*, & super omnes creaturas: *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*; in tantum, quòd in gloria est Dei Patris, sedens ad D dexteram ejus in potioribus bonis, eo modo quo dictum est.

E Christus ergo ex merito sui laboris & passionis *exaltavit caput*, id est, sublimatus fuit ad sedendum à dextris Patris in quatuor, vel quinque potioribus bonis, videlicet possidendo summam, regiam, & imperialem potestatem, & summum & æternum sacerdotium, & summam judiciariam potestatem, & summum honorem & Latriam simul cum Verbo, & quintò summam felicitatem & beatitudinem. In quibus quinque potioribus bonis sedet Christus à dextris Patris super omnes creaturas, prout vidit Beatus *Joannes*, *Apoc.* 5. quando vidit *Agnum* sedentem à dextris Patris in throno. Et vidit viginti quatuor seniores, qui ceciderunt coram Agno, mittentes coronas suas, dicentes: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni Tribu,* F *& lingua, & populo, & natione; & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes: & regnabimus super terram.* Ultra hoc vidit Beatus *Joannes*, *& audivit vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium, voce magna dicentium: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem & sapientiam, & honorem, & fortitudinem, & gloriam, & benedictionem: & omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & in mari &c.*

Ex supradicta visione designantur omnia hæc potiora bona, quæ possidet *Agnus*, qui est Christus, sedens ad dexteram Patris, etiam in quantum homo. Nam primò dicitur habere regnum, & imperium, G cùm dicit: quòd *dignus est accipere omnem creaturam* sub ditione sua, quæ est *in cœlo, & super terram, & sub terra &c.* Secundò, designatur possidere summum Sacerdotium, cùm dicitur: *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.* Tertiò, videtur quod Christus possidet eamdem Latriam cum Verbo, cùm dicit: *Dignus est accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem*, id est, Latriam adorationem & cultum. Quartò, designatur Christus habere summam felicitatem & beatitudinem, cùm subditur: *Gloriam & benedictionem.* Item ostenditur habere judiciariam potestatem, cùm subdit: *Vidi thronum magnum* H *& sedentem super eum &c.* Ultimò designatur, quòd Christus meruit sedere in his quinque potioribus bonis ex merito suæ passionis, per hoc quod dicit: *Dignus est Agnus qui occisus est.* Et ex hoc sequitur, quod Christus possidet hoc in quantum homo: quoniam in quantum homo occisus est, & in quantum homo *exaltavit caput*, & fuit sublimatus ad sedendum à dextris Dei in supradictis quinque potio-

Nota bonaque Christus possidet.

ri-

ribus bonis : Primò, quia est Filius Dei naturalis, ut supra dictum est : secundò, quia hoc adeptus est ex merito suæ passionis. A

Psalmi Epilogatio.

Ex isto ergo Psalmo recolliguntur quatuordecim conclusiones. Quarum *prima* est : quòd Christus licèt in quantum Deus sedeat ad æqualitatem Patris ; tamen in quantum homo sedet à dextris Dei Patris, id est, in potioribus bonis, quia possidet potiora bona post Patrem, scilicet regnum, & imperium super omnes creaturas : & possidet altiorem gradum felicitatis, & fruitionis, & honoris post Patrem, ut dictum est.

Secunda conclusio : quòd Pater subjecit omnes inimicos Christo Filio suo, non solummodo usque ad diem judicii, sed B etiam in æternum.

Tertia conclusio : quòd sceptrum regni Christi realiter incœpit ab Incarnatione: sed ostensivè incœpit & exivit à Hierusalem in die Pentecostes.

Quarta conclusio: quòd Verbum Æternum semper à parte post fuit unitum humanitati Christi: Non solummodo *in die virtutis*, ab Incarnatione usque ad resurrectionem ; sed etiam *in splendoribus sanctorum*, id est, in die gloriæ Christi post resurrectionem ; per hoc quod ait : *Tecum principium.*

Quinta conclusio : quòd licèt Christus in quantum homo fuerit genitus post Luciferum : tamen in quantum Deus fuit *genitus ante Luciferum*, id est, in æternitate.

Sexta conclusio : quòd Christus fuit C verè Sacerdos : quia seipsum obtulit in sacrificium Deo Patri pro nobis in ara crucis.

Septima conclusio : quòd Sacerdotium Christi est æternum : quia perpetuatur in suis filiis regeneratis, & post ipsum nullum aliud Sacerdotium succedet.

Octava conclusio : quòd Sacerdotium Christi est *secundum ordinem Melchisedech:* & non secundum ordinem *Aaron.* Ex quo patet, quod Sacerdotium Aaron debuit cessare.

Nona conclusio : quòd licèt lex Moysi cessaverit quoad cæremonialia & figuralia : tamen remanet quoad veritatem figuratam. D

Decima conclusio : quòd Christo tradita est judiciaria potestas, in qua confregit, & punivit, & subjecit sibi omnes Reges terræ occulto judicio.

Undecima conclusio : quòd per eamdem judiciariam potestatem Christus judicabit generaliter & manifestè omnes nationes in novissimo die.

Duodecima conclusio : quòd Christus in novissimo die *implebit* & reparabit tres *ruinas*, scilicet, ruinam mortuorum, & judiciorum, & Angelorum.

Decimatertia conclusio : quòd Chris- E tus in judicio *conquassabit capita multorum*, id est, dœmoniorum, & omnium damnatorum in die judicii, cùm dicet : *Ite maledicti in ignem æternum.*

Decimaquarta conclusio : quòd Christus *exaltavit caput*, id est, meruit sublimari in summum Regem & Sacerdotem æternum, & Judicem universalem : eò quòd *de torrente in via bibit* calicem passionis in hac via, & in hoc mundo. Quasi dicat : quòd ex merito passionis & humilitatis, & obedientiæ meruit, & obtinuit omnia, quæ de ipso scripta sunt in hoc Psalmo.

Contra prædictam autem Expositionem & catholicam intelligentiam hujus *Objectio.* F Psalmi, probando, quòd non possit exponi de Christo, arguit quidam Hebræus, vocatus *Cambi* ; & hoc multipliciter. Et primo contra Expositionem duorum primorum versuum, in quo nos diximus, quòd ibi Pater loquitur Christo Filio suo Messiæ in lege promisso. Unde dicit sic : *Per hunc versum probant Christiani, quòd est Trinitas in divinis. Nam ibi est Pater qui loquitur, & est Filius cui loquitur, qui est Deus sicut Pater : & sic cum Spiritu sancto faciunt Trinitatem in divinis.* Tunc arguitur sic : quòd *si iste Filius, cui Pater loquitur, est Deus, ut Christiani dicunt : Tunc sequitur quòd unus Deus est major altero, & fortior, & alter debilior.* Nam si Pater habet ponere & subjicere inimicos Filio, sequitur quòd Fi- G lius non est sufficiens, nec fortis ad subjiciendum sibi inimicos, cùm indigeat auxilio alterius, quod est contra Omnipotentiam Dei. Ex quo sequitur, quòd iste Filius non est Deus.

Secundò arguit contra hoc quod nos diximus, quòd Christus est *genitus ante Luciferum* à Patre, per hoc quod dicitur in littera : *Tecum principium &c.* Unde dicit quòd nostra Translatio est falsa: quia non ponitur sic in Hebræo ; immò dicitur sic, scilicet : *Populi tui voluntarii erunt in die virtutis tuæ : in decore sancto orietur tibi ros nativitatis tuæ.*

Tertiò arguit contra id quod diximus, quòd Christus est *Sacerdos :* Ergo offert sacrificium ; sed Deus non potest offerre H sacrificium, immò sibi offertur sacrificium: & sic sequeretur quod unus Deus offerret sacrificium alteri Deo.

Quartò arguit : quòd Christus non sit Sacerdos æternus. Nam Christo successerunt quotidie multi Sacerdotes, qui non sunt de generatione ejus : Ergo sacerdotium suum non fuit perpetuatum in eo, nec in suis successoribus de sua generatione.

Quintò arguit contra id quod diximus quòd Deus juravit, quòd Sacerdotium Christi esset *secundum ordinem Melchisedech*

&

& non secundum ordinem *Aaron*. Tunc arguit sic : Si Deus mutavit sacerdotium ipsius *Aaron* in ordinem *Melchisedech*, sequitur quod cessavit sacerdotium *Aaron*, & per consequens tota lex Moysi. Sequitur ergo, quòd pœnituit Deum constituisse sacerdotium *Aaron*, & legem Moysi. Nam qui destruit quod constituit, videtur pœnitere : sed hoc est impossibile, quòd Deus pœniteat : immò dicit in littera : *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum.* Ergo sequitur, quòd Deus nunquam mutavit, nec mutabit sacerdotium *Aaron*, nec legem Moysi. Hoc confirmatur. Nam Deus dicit per *Malachiam* Prophetam, qui est sigillum omnium Prophetarum : *Mementote legis Moysi servi mei quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel præcepta & judicia.* Ex quo sequitur, quòd de intentione & firmo proposito Dei est, quòd semper servetur lex Moysi, & nunquam deficiat, eò quòd in fine omnium Prophetarum hoc confirmat. Item, subdit Prophetа *Malachias*: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Ergo sequitur, quòd iste *Jesus Nazarenus* quem nos dicimus fuisse Messiam, non fuit Messias in lege promissus : quia antequam Messias veniat dicitur venire *Elias* Propheta.

Sextò arguitur contra id quod nos dicimus, quòd Christus confregit multos reges, & plagavit & subjecit in suo adventu. Nam Christus nulla bella, nec prælia gessit, nec aliquos reges vicit, nec subjecit : nec aliquos populos obtinuit, immò fuit pauper & egenus, & in fine crucifixus. Et sic dicit iste *Rabbi*, quòd nos Christiani falso modo glossamus ipsum *Psalmum* de Christo : sed exponendus est de ipso David, & ejus regno, qui confregit & plagavit multos reges Gentilium, scilicet *regem Moab*, *& Ammon &c.* ut *habetur* 2. *Reg.* 6. *c.*

Responsio Respondere autem ad argumenta hujus cœci & obstinati & ignorantis, facilè est docto : Nec enim est mirum quòd iste obstinatus & cœcus talia dicat : eò quòd ignorat mysterium Incarnationis, & caret lumine Fidei. Nec est mirum, quia caput tam impurum, & immundum, & maledictum non sit dignum, nec mereatur attingere tam grande & ineffabile Mysterium & sacramentum ; eò quòd comprehenderunt istum obstinatum omnes maledictiones vigintiquatuor, quæ memoratæ sunt in Psalmo præcedenti contra omnes crucifixores Christi, & sequaces eorum : de quibus prædixit etiam David *Psalm.* 78. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Et *Isai.* 6. *cap. Excœca cor populi &c.* Item, *Sapientiæ* 2. *Excœcavit eos malitia eorum, ne intelligerent sacramenta Dei* : Immò tota Scriptura veteris Testamenti, Legis & Prophetarum est plena de cœcitate istorum obstinatorum. Et ideo superfluum est eis respondere, cùm non capiant, nec intelligant. Sed ne argumenta eorum maneant insoluta, respondebimus propter consolationem simplicium Christianorum.

In Christo duæ sunt naturæ. Ad cujus intelligentiam est notandum, sicut prædictum est, quòd in Christo sunt duæ naturæ integræ & perfectæ, divina, scilicet & humana sub una personalitate Verbi. Nam Verbum assumpsit naturam humanam, sine aliqua personalitate creatâ ; immò personavit & suppositavit illam per personalitatem suam. Et sic manet unum solum suppositum, & una sola Persona habens duas perfectas naturas : & ratione istarum duarum naturarum communicantur idiomata in Christo. Et sic dicitur Christus verus Deus, & verus Homo : dicitur Creator & creatura, & mortuus & passus, secundum distinctas naturas, ut dictum est supra. Iste Christus est consubstantialis, & coæternus, & coæqualis Patri, secundum divinitatem ; sed est minor Patre secundum humanitatem. Et secundum hanc humanitatem accepit regnum mundi à Patre ex tempore, & potestatem sacerdotalem summam, & judiciariam potestatem. Et sic respectu hujus humanitatis dicit Pater Filio : *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et sub jurejurando dedit illi sacerdotium æternum, & judiciariam potestatem.

Ad primum ergo *argumentum*, quando dicit iste cœcus & obstinatus, quod sequeretur, quòd Pater esset major Filio, & per consequens unus Deus major altero : Respondetur, quòd ex hoc non sequitur, quòd unus Deus sit major altero : quia Filius non est alter Deus à Patre in quantum Deus : Sed est altera Persona Divina : nec Filius est minor Patre secundum divinitatem ; immò æqualis : sed est minor Patre secundum humanitatem. Et secundum hanc humanitatem, quia est minor, accepit regnum à Patre, & Pater subjecit illi omnes inimicos suos. Et sic non est inconveniens, quòd indiguerit favore Patris in quantum homo est : per hoc tamen non restat quin sit Deus perfectus, & Omnipotens æqualis Patri secundum divinitatem, idem substantialiter & essentialiter, & distinctus personaliter.

Ad secundum respondetur, quòd major fides est adhibenda nostræ Translationi, quam suæ, eò quòd fuit facta per septuaginta *Interpretes*, per ducentos annos ante adventum Christi, quando nulla erat suspicio, ut ait *Eusebius* 9. *de Præparatione Euangelica.* Nam litteræ Judaicæ sicut hodie jacet punctuata, non est adhibenda omnimoda fides, sicut dictum est in principio & *Prologo* hujus operis; eò quòd *Thalmudistæ* punctuarunt ipsam ad suum li-

libitum & intentionem. Sed ſi removerentur puncta, poſſemus dare ei eumdem intellectum, & facere ſonare eadem verba, ſicut habemus in Translatione noſtra. Sed adhuc ſicut jacet littera Hebraica hodie punctuata, ſonat idem ſacramentum, & æternam generationem, cùm dicitur: *In decore ſancto orietur tibi ros nativitatis tuæ*; oſtendit enim nativitatem Chriſti eſſe ex decore ſancto, id eſt, ex ſubſtantia Patris; & ideo non eſt curandum de ſua perfidia.

Ad tertium reſpondetur: Per jam dicta patet, quòd ſicut Chriſtus in quantum homo accepit regnum à Patre ex tempore: ita in quantum homo fuit verus Sacerdos, & obtulit ſeipſum Deo Patri in ara crucis pro omnibus nobis.

Ad quartum eſt dicendum, quòd Chriſtus dicitur *Sacerdos in æternum*, in quantum ſuum Sacerdotium eſt æternum, cui nullum aliud Sacerdotium ſuccedet, ut dictum eſt ſupra: & in quantum perpetuatur in Sacerdotibus & ſucceſſoribus ſuis: quia ab eo immediatè acceperunt ſacerdotalem poteſtatem in monte Sion, ut dictum eſt ſupra: & ab illis Apoſtolis derivatur in ſucceſſores. Sed cum poſtea arguit, quòd cum iſti Sacerdotes qui ſunt hodie, non deſcendant à Chriſto per carnalem generationem: ergo Sacerdotium Chriſti non perpetuatur in eis, ſicut fuit perpetuatum in filiis *Aaron*: Ad hoc reſpondetur iſti cœco, quòd nos magis ſumus filii Chriſti per regenerationem ſpiritualem, quàm ſucceſſores *Aaron* per generationem carnalem. Nam cùm Sacerdotium ſit res ſpiritualis, magis reſpicit generationem ſpiritualem, quàm carnalem. Et ideo verè Sacerdotium Chriſti fuit figuratum per ſacerdotium *Melchiſedech*, de quo non legitur in Scriptura pater carnalis, nec mater, nec generatio: ad denotandum, quòd Sacerdotes novi Teſtamenti non debent habere reſpectum ad generationem carnalem, ſed ad ſpiritualem. Et ſic patet, quòd Sacerdotium Chriſti eſt æternum, perpetuatum & continuatum in filiis ſuis ſpiritualibus. Item eſt æternum, in quantum nullum aliud ſuccedet.

Ad quintum reſpondetur, quòd ex argumento ejus poteſt argui contra ſeipſum. Nam manifeſtum eſt hodie, quòd poſt adventum Chriſti, & poſt deſtructionem ſecundi Templi factam per Romanos ceſſavit hoſtia, & ſacrificium, & ſacerdotium *Aaron*: quia nuſquam offeruntur talia ſacrificia, ſicut Deus præcepit offerri in *Exodo* & *Levitico*. Item, quia non poſſunt aſſignare ipſi filios *Aaron* inter eos, cùm generationes ſint deſtructæ, & perturbatæ, & oblivioni traditæ, licèt quidam eorum falsò appellentur *Coen*, id eſt, *Sacerdotes*. Et tamen licèt ceſſaverit ſacerdotium *Aaron*, & per conſequens Lex *Moyſi* quantum ad talia cærimonialia; tamen Deus non manet mendax, immò verax: quia ita prævidit per *Danielem in cap.* 9. quòd ceſſaret hoſtia & ſacrificium poſt adventum Chriſti. Et tamen non eſt dicendum, quòd propter hoc pœnituit Deum inſtituiſſe Legem *Moyſi*: quia ita inſtituit, ut omnia illa cærimonialia & legalia eſſent figura Sacerdotii Chriſti, & ſacrificii novi Teſtamenti. Ideo debebant ceſſare in adventu Chriſti, ſicut prædixit per omnes Prophetas. Ad illud quod dicit, quòd Deus ait per *Malachiam*: *Mementote Legis Moyſi &c.* ex quo arguit, quòd Lex *Moyſi* & ſacerdotium *Aaron* nunquam debebat ceſſare: Reſpondetur, quòd meliùs recordamur, & meminimus nos Legis *Moyſi*, quàm ipſi cœci; quia meliùs intelligimus veritatem ipſius Legis: immò dixit Chriſtus eis, *Joann.* 5. *Scrutamini Scripturas, in quibus vitam vos putatis habere: quia illæ teſtimonium perhibent de me. Et ſi Moyſi credieretis, credieretis forſan & mihi: quia Moyſes de me ſcripſit.* Ex quo patet, quòd nos verè ſervamus Legem Moyſi: quia recepimus illum, de quo Moyſes ſcripſit, *Deuteron.* 8. quando dixit Deus: *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum tuorum ſimilem tui. Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos quæcumque dixero ei. Et qui verba ejus quæ loquetur audire noluerit, ultor exiſtam.*

Ex quo patet, quòd nos magis ſervamus Legem Moyſi. Nam venit iſte Propheta Chriſtus, & declaravit nobis omnia quæ locutus eſt Deus *Moyſi* in Lege, & credidimus ipſi, & recepimus eum: Judæi autem cœci, quia eum non receperunt, nec audire voluerunt, ſequitur, quòd non ſervant Legem *Moyſi*, nec recordantur ejus Legis. Et ideo Deus ulciſcens punivit eos viginti quatuor maledictionibus dictis in Pſalmo præterito. Unde dictum eſt pluries, quòd in Lege Moyſi ſunt duo conſideranda, ſcilicet, litteralis figura, & veritas clauſa in illa figura. Quæ quidem veritas fuit impleta in Chriſto: *quia unum jota non præteribit à Lege*, quod in Chriſto non fuerit completum. Et ideo dicitur *Joan.* 1. quòd *Lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Chriſtum facta eſt.* Ex quo patet, quòd tota Lex Euangelica nil aliud eſt, niſi veritas Legis Moyſi in Chriſto. Nam ſicut dicit *Ariſtotel. in Prædicamentis*, & 6. *Meta.* quòd ex eò quòd res eſt, vel non eſt, oratiò dicitur eſſe vera, vel falſa. Et ideo tota Lex Moyſi dicitur quædam oratio accipiens veritatem à Chriſto, & Lege Euangelica, ubi fuit verificata. Et hæc eſt cauſa quare Lex Moyſi tradita eſt in ſcriptis; ſed Lex Euangelica tradita eſt per Chriſtum in re, & ſcripta in ſolis cordibus hominum, ut prædixit Deus per *Hiere. cap.* 31.

Lex Euangelica eſt veritas Legis Moyſi.

Ex quo patet, ſicut pluries dictum eſt, quòd

quòd Lex vetus non eſt totaliter altera à Lege Euangelica : quia una Lex fuit , & erit ab *Adam* uſque ad Judicium , eſſentialiter loquendo : quia una fuit fides in eis , & in nobis : quia Chriſtum , quem ipſi credebant futurum Salvatorem , nos credimus jam veniſſe , & omnia quæ erant figurata in Lege impleviſſe. Lex ergo Moyſi eſt una cum Lege Euangelica , & eſt altera. Eſt enim una eſſentialiter, quia eadem eſt Fides Chriſti in utraque. Eſt autem altera accidentaliter , ratione cærimonialium, quæ non ponebantur ad rem , ſed ad figuram. Sed differt ſolummodò illa Lex ab iſta , ſicut figuratum & figura , quantum ad cærimonialia. Nam illi exercebant figuram, nos autem figuratum : & illi colligebant paleas & folia , & nos colligimus grana. Et ideo dicit *Gregorius* , quòd una fuit vinea ab *Abel* uſque ad ultimum juſtum : ſed in Chriſto fuerunt uvæ maturæ. Et ideo dixit Chriſtus , *Joann.* 4. quòd una fuit meſſis ab Adam uſque ad ipſum : ſed Apoſtoli collegerunt grana. Nam illi antiqui Patres ſeminaverunt , & Apoſtoli meſſes eorum introierunt: ergo nos non facimus injuriam Legi Moyſi ; immò recordamur, ſi in tempore debito colligimus uvas & grana , & ſervamus ejus veritatem. Ex quo patet , quòd iſte obſtinatus neſcit quid dicat , nec poteſt capere hanc veritatem : immò videtur , quod ipſe non recordatur Legis Moyſi.

Ad illud autem quod dicit , quòd *Elias* erat venturus ante Chriſtum : reſpondetur , quòd iſte cœcus neſcit diſtinguere inter primum & ſecundum adventum Chriſti. Nam *Elias* non fuit promiſſus in primo adventu , ſed in ſecundo. Ideo dicitur : *Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, qui erit dies ultimi Judicii. Nam dies primi adventus non fuit horribilis, immò lætus & jucundus : quia Angeli cantarunt , *Gloria in excelſis Deo* : & nova ſtella apparuit in Oriente , & multa ſigna lætitiæ per totum mundum , ut dictum fuit ſupra. De quo primo adventu dicitur *Malachiæ* 3. *Ecce ego mittam Angelum meum*, id eſt , *Joannem Baptiſtam* : *& præparabit viam ante faciem meam* : *& ſtatim veniet ad Templum ſanctum ſuum dominator quem vos quæritis &c.* De ſecundo autem adventu dicitur in eodem *Malachia* : *Ego mittam vobis Eliam Prophetam.* Ex quo patet , quòd ſicut *Joann. Baptiſt.* fuit præcurſor Chriſti in primo adventu : ita *Elias* erit præcurſor ejuſdem in ſecundo. Sed hoc non capit iſte cœcus ; quia Malachias per illa verba nos inducit ad Fidem Chriſti , dicens : *Mementote Legis Moyſi.* Quaſi dicat : quòd ille de Chriſto ſcripſit , & omnia ſcripſit in figura Chriſti &c. Quaſi dicat : Recipite veritatem , & figuratum cùm venerit.

Ad ſextum jàm reſponſum eſt iſti cœco in *Pſalmo* 71. ubi demonſtratum eſt, quòd Chriſtus non geſſit bella corporalia, ſed ſpiritualia : quia miſit illos duodecim Duces & Capitaneos , quibus dixit , *Matt. ult. Ite per univerſum mundum , & prædicate Euangelium* : qui in nomine Jeſu dœmonia ejecerunt de mundo , & deſtruxerunt omnia idola , & ſignis , & miraculis obtinuerunt totum orbem , & ſubjeceruntomnes reges & populos terræ jugo Chriſti : & miſit Chriſtus Capitaneum ſuum cum exercitu Romanorum , & incendit & evertit à fundamentis totam Civitatem Hieruſalem cum Templo , & partem Judæorum fame punivit , & partem gladio trucidavit , & partem in captivitatem redegit, & per totum mundum diſperſit in vindictam & ultionem ſuæ mortis. Unde omnes Judæi in ſua perfidia obſtinati ſunt in captivitate ſub Chriſto. Nam non ſolummodò apud Chriſtianos , ſed etiam apud Saracenos affliguntur , & male tractantur propter Chriſtum , ut ibi dictum eſt. Et per hoc patet reſponſio ad iſtum cœcum obſtinatum. Nam quia iſte cœcus habet velamen poſitum ante oculos , quando legit Moyſen & Prophetas , ideo non poteſt videre veritatem : ſed deponat velamen per Baptiſmum & Fidem , & illicò videbit veritatem Euangelicam clauſam in littera veteris Teſtamenti. Nam vetus Teſtamentum nil aliud eſt niſi figura , & occultatio novi, & novum Teſtamentum , nil aliud eſt , niſi veritas & manifeſtatio veteris , ut ait *Auguſtinus in libro de Catechizandis rudibus* : de quo jam dictum eſt in Prologo hujus libri.

Psalmus CX.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo ; in conſilio juſtorum, & congregatione.* *De Confeſſi. 2. Acceſſerunt.*

2. *Magna opera Domini : exquiſita in omnes voluntates ejus.*

3. *Confeſſio & magnificentia opus ejus : & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.*

Titulus : *Alleluja.* Ex titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum ad laudandum Deum in Templo. Sed quia *Alleluja* non præponitur niſi in Pſalmis , in quibus narrantur beneficia à Deo nobis collata , eò quòd *Alleluja* dicit laudem cum commemoratione beneficiorum recep-

torum, ut dictum est in *Prologo*: est videnda materia hujus Psalmi, scilicet, de quibus beneficiis laudat Deum Propheta in A hoc Psalmo. Ad quod dicunt Hebræi moderni, quòd Propheta laudat Deum, & agit gratias pro beneficiis, quæ receperunt filii Israel in deserto, maximè de Manna, quod dedit Deus Patribus in deserto. Et sic litteraliter exponunt istum Psalmum.

Sed talis Expositio est inutilis, tollens dignitatem propheticam ipsi David: quia absque spiritu prophetico poterat commemorare talia beneficia. Sed ipse non fuit minus Propheta in hoc Psalmo, quàm in cæteris: ideo est in eo quærenda intelligentia prophetica.

Ad cujus evidentiam est advertendum, quòd cum tota sollicitudo ipsius David esset meditari in Lege Domini die ac B nocte, & considerare mirabilia de Lege ejus, & perscrutari profunda mysteria Sacræ Scripturæ, contemplando frequenter mysterium de Agno Paschali immolando & comedendo, de quo præcepit *Exo.* 12. raptus in extasim prævidit in spiritu prophetico, qualiter Christus in Lege promissus pro nobis erat immolandus in ara crucis, & per ejus sanguinem omnes Fideles de captivitate diaboli redimendi, & de morte perpetua liberandi. Et etiam sic prævidit totum mysterium futuræ redemptionis. Et etiam contemplando præceptum de pane azymo comedendo, prævidit in spiritu, qualiter Christus debebat instituere Sacramentum Eucharistiæ in memoriam suæ passionis: in quo Sacramento passio C Christi erat jugiter repræsentanda. Et sicut Deus præceperat *Agnum* semel in principio immolari, & per omnes septem dies sequentes usque ad vesperam septimi diei absque omni fermento panem azymum comedi & reservari: ita prævidit, quòd Christus semel erat in cruce immolandus; sed postea usque in finem septimæ ætatis debebat Sacramentum Eucharistiæ in Ecclesia perseverare, scilicet, usque in finem mundi.

David prævidit Christum immolandū.

Item, contemplando mysterium de *Manna* dato Patribus in deserto, *Exo.* 16. prævidit etiam totum mysterium Sacramenti Eucharistiæ. Nam sicut ille ros cœlestis convertebatur in illum panem: ita prævidit, quòd Deus debebat fieri homo: non D per conversionem, sed per assumptionem humanitatis in Deum. Item, sicut illud *Manna* fuit eis viaticum usque ad ingressum terræ promissionis, ut patet ibidem: ita pariter prævidit, qualiter hoc Sacramentum debebat nobis esse viaticum, & durare in tota peregrinatione hujus Ecclesiæ usque ad ingressum terræ viventium post Judicium.

Item, per mysterium reservationis panis propositionis, & per elevationem panis ante Dominum in conspectu populi, de quo habetur *Exod.* 29. prævidit, qualiE ter corpus Christi in forma panis erat elevandum super capita Sacerdotum in conspectu populi, & offerendum ante Deum, & reservandum in tabernaculo Altaris, sicut fit in nostris Ecclesiis. Hoc idem prævidit per oblationem panis & vini, quod obtulit Melchisedech pro *Abraham*, & suis, *Gen.* 14.

Hoc Sacramentum prævidens David per supradicta mysteria fecit hunc Psalmum, in quo tria facit. Nam primò excitat seipsum ad laudem Dei: secundò, explicat hoc Sacramentum, per supradicta mysteria in Testamento veteri figuratum, de quo principaliter intendit laudare Deum. Tertiò, exhortatur Fideles, ut cum puritate & timore accedant ad tantum Sacra- F mentum. Secunda ibi: *Memoriam fecit.* Tertia ibi: *Sanctum & terribile.*

Divisio Psalmi.

Quantum ad primum, prævidens David in spiritu per supradicta mysteria tantum Sacramentum, & magnum beneficium generi humano per Christum conferendum in suo adventu, excitat se ad laudandum Deum hîc in persona corporis mystici. Ego confessione fidei & laudis *confitebor tibi Domine*, non solùm linguâ & voce, sed *in toto corde* & affectu, referendo gratiarum actiones pro beneficiis. Et hoc faciam *in consilio & congregatione justorum*, id est Fidelium. Quasi dicat: licèt confessio mea non sit credenda & acceptanda in congregatione Judæorum reproborum, & Saracenorum, & Hæreticorum: tamen re- G cipietur apud Fideles: quia hoc Sacramentum Eucharistiæ, de quo intendo prædicare & cantare, recipietur in tota Ecclesia Fidelium, & celebrabitur.

Et nota, quòd tota Religio Christiana dicitur *congregatio justorum*, in quantum est adunatio omnium Fidelium. Sed dicitur *consilium justorum*, in quantum omnes in ea congregati conveniunt, & consentiunt in unam Fidem, & unum Baptisma, & omnes venerantur hoc Sacramentum, & cætera Sacramenta Ecclesiastica, & credunt omnibus duodecim Articulis Fidei. Ideo ait Propheta David in persona totius corporis mystici: quòd licèt non confiteatur hoc Sacramentum in Synagoga Judæorum, nec in Mesquita Saraceno- H rum, nec in conventiculis Hæreticorum, & cæterorum Infidelium, & Paganorum: tamen hoc confitebitur *in consilio justorum, & congregatione* eorum: quia in sola Ecclesia laudatur Deus, & acceptantur orationes & laudes, & fit vera confessio fidei.

Ecclesia dicitur congregatio justorum.

Sed quia Sacramentum Eucharistiæ, & mysterium nostræ redemptionis, de quibus intendit cantare in hoc Psalmo, sunt *magna & exquisita* inter omnia opera, in quibus Deus nobis maximè ostendit suam mi-

miſericordiam & amorem : ideo ſubdit: *Magna opera*, id eſt, Ego *confitebor tibi*, A & prædicabo, & prædicam in ſpiritu *magna opera*, quæ faciet Deus, & magis *exquiſita* & electa, & magis nobis utilia inter *omnes voluntates ejus.*

Et ponitur hîc cauſa pro effectu. Nam effectus divinæ voluntatis, eſt amor & miſericordia, quam maximè oſtendit nobis in ſua paſſione, & in largitione hujus Sacramenti relicti in memoriam ſuæ paſſionis. Et ſic iſta duo opera ſunt *exquiſita* inter omnia beneficia nobis collata. Sunt etiam præcipua, ut patebit. Et notanter dicit: *Exquiſita in omnes voluntates* : quia non ſunt nobis collata ex debito, ſed ex mera liberalitate & bonitate divinæ voluntatis talia beneficia.

Sed quia pro tantis beneficiis collatis de jure & juſtitia debetur Deo laus & magnificentia, quæ eſt pars Latriæ ; quæ B quidem Latria eſt pars juſtitiæ : ideo ſubdit : Non mireris (ſupple) quòd ego cum tanto affectu prorumpam in confeſſionem laudis : quia hoc teneor facere de jure. Nam *confeſsio & magnificentia* eſt *opus*, id eſt, jus *ejus*, ſcilicet Dei. Et ideo talis *juſtitia manet* & durabit *in ſæculum ſæculi*, id eſt, in æternum. Nam hæc una pars Latriæ, id eſt, confeſſio laudis & adoratio durabit, & *manebit in ſæculum ſæculi*, ſcilicet, in hoc ſæculo, & in alio, ut patet *Apocalypſis* 7. quia non ſolùm viginti quatuor ſeniores, ſed etiam centum quadraginta quatuor millia, & turba magna, quam dinumerare nemo poterat, non ceſſabant clamare : *Benedictio & claritas, & gratiarum actio.* Et ſic patet, quòd *confeſsio*, C id eſt, gratiarum actio, *& magnificentia* eſt *opus*, id eſt, jus debitum Deo : quia de jure tenemur Deum laudare, & magnificare, & gratias agere pro beneficiis receptis. Et hoc non ſolùm aliquando, ſed etiam ſemper : & non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in alio, & *in ſæculum ſæculi.*

Aliter autem poteſt exponi iſte verſus, ſcilicet, quòd *opus* Dei, id eſt, opera Dei ſunt *confeſsio & magnificentia*, id eſt, cogunt nos Deum laudare & magnificare: quod idem eſt. Item, *opus ejus* eſt confitendum & laudandum & magnificandum: ſed prima Expoſitio magis explicat veri- D tatem & intelligentiam litteræ; & ſententiam in littera contentam.

* * *
* *
* * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * *
* * * * * * \

tionem, *fecit memoriam* suorum operum, quando *dedit* seipsum in *escam* & cibum Apostolis *timentibus se*, scilicet, quando in die Cœnæ, scilicet, in nocte & vespere Paschæ instituit Sacramentum Eucharistiæ, & dedit seipsum Apostolis ad vescendum sub forma panis & vini. Quod mysterium fecit in memoriam suorum operum mirabilium. A

In Sacramento Eucharistiæ quatuor opera misericordiæ continentur.

Ad cujus intellectum est primò notandum, quòd in Sacramento Eucharistiæ continentur, & repræsentantur, & memorantur quatuor principalia & maxima opera divinæ misericordiæ, quæ Christus operatus est in nobis ad nostram salutem. Nam primò, in eo repræsentatur mysterium Incarnationis. Nam sicut Deus factus est homo, ita substantia illius panis fit corpus Christi verum, licèt non eodem modo. Nam substantia panis convertitur, sive transubstantiatur in veram carnem Christi desinente pane, & manentibus solis accidentibus sine subjecto. Sed in mysterio Incarnationis nulla fuit facta conversio: nam Filius Dei manens perfectus Deus, factus est verus homo; non per conversionem, sed per assumptionem humanitatis in Deum. Item etiam in hoc Sacramento repræsentatur mysterium Incarnationis: quia sicut ibi facta fuit unio personalis humanitatis ad Verbum; ita in esu hujus Sacramenti fit unio mystica inter Fideles & Christum, ut patet *Joann.* 6. Quia *qui manducat me, ipse vivet propter me, & in me manet, & ego in eo.* Secundò, memoratur & repræsentatur in eo mysterium Passionis: quia quod semel factum est, anniversaria, & etiam quotidiana recordatione repræsentatur, ut inquit *Augustinus* in *Sententiis Prosperi*, & *de Conse. dist.* 2. *Semel Christus.* Tertiò, repræsentatur mysterium Resurrectionis. Quartò, mysterium Ascensionis, ut patet in *Canone Missæ*, ubi dicitur: *Memores Beatæ Passionis, nec non ab inferis Resurrectionis, & in cœlos gloriosæ Ascensionis, offerimus hostiam puram.* B C D

Ex quibus patet, quòd Propheta memorando hoc Sacramentum Eucharistiæ, intendit memorare omnia supradicta tria mysteria, quæ in hoc Sacramento continentur, & in quorum memoriam celebratur, & fuit à Christo institutum, ut ipse ait *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc idem 1. *ad Corinth.* 11. Ideo dicit Propheta: *Memoriam fecit mirabilium suorum.*

Sed quia Christus in institutione hujus Sacramenti implevit figuram veteris Testamenti, scilicet, de Agno immolato, & azymorum præcepto, & mysterio Mannæ; & de pane propositionis elevato coram Domino, ut supra dictum est. Ideo subdit Propheta: quòd Christus, quando instituet hoc Sacramentum, tunc *memor erit in æternum Testamenti sui*, scilicet, præceptorum & mysteriorum, quæ operatus est in Testamento veteri. Nam illa quæ fecit, & præcepit ibi in figura, tunc adimplebit per hoc Sacramentum in re & veritate: quia *Lex per Moysen data est, sed gratia & veritas per Christum facta est, Joann.* 1. Et ideo dicit, quòd Christus instituendo hoc Sacramentum *erit memor Testamenti sui*, id est, eorum quæ fecit in Testamento veteri: quia ipsa verificabit, & adimplebit. Item, *erit* etiam *memor Testamenti sui* novi in æternum: quia usque ad finem sæculi durabit, & perseverabit, & celebrabitur hoc Sacramentum in Ecclesia. E

Et ideo sequitur, quòd Christus faciet ista, & dabit istam *escam* panis *timentibus se: ut det illis hæreditatem gentium*, id est, gratiam & gloriam gentibus promissam. Nam sicut post exitum de Ægypto Deus dedit illi populo *hæreditatem gentium*, scilicet terram Chanaam, quam Gentiles possidebant: ita pariter Christus post suam Passionem & Ascensionem, & postquam liberaverat sanctos Patres de Limbo, & captivitate diaboli, dedit populo suo, scilicet cœtui Apostolorum, & Ecclesiæ Fidelium *hæreditatem gentium*, scilicet, totum populum & regna Gentilium à Solis ortu usque ad occasum: quia totum mundum subjecerunt Apostoli jugo Christi, in quo celebratur Sacramentum Eucharistiæ, & colitur Christus & adoratur. Et sic patet, quòd Christus in institutione & prosecutione hujus Sacramenti fuit, & *erit memor Testamenti sui* in æternum usque ad consummationem sæculi: in quo Sacramento *annuntiavit virtutem operum suorum*, quæ fecit figuraliter in Testamento veteri. Et *annuntiavit* & repræsentavit etiam *virtutem operum*, quæ fecit in novo Testamento, scilicet, mysterium Incarnationis, & Redemptionis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis, quæ in hoc Sacramento memorantur & repræsentantur, & in quorum memoriam hoc Sacramentum celebratur. Ex supradictis patet, quòd *Sacramentum Eucharistiæ* est unum de quatuor principalibus mirabilibus mysteriis, quæ Deus operatus est in nobis super omnem capacitatem naturæ: quorum primum est *Creatio*, secundum *Incarnatio*, tertium *nostra Redemptio*, quartum *Eucharistiæ consecratio.* F G H

Opera manuum ejus, veritas & judicium. David in hac particula laudat Deum de veritate & justitia. Ad cujus intellectum est notandum, ut frequenter dictum est: quòd omnia mysteria gesta in Testamento veteri non erant gratiâ sui, nisi in quantum fuerunt verificata & impleta in novo Testamento: quia omnia gerebantur, & præcipiebantur in figura. Et ideo illa gesta & præcepta facta in Lege, nihil aliud

erant,

erant, quàm quædam promiſſiones de Chriſto & Eccleſia. Et ideo Deus in tantùm dicitur *verus*, & illa præcepta & myſteria in tantùm dicuntur *vera*, in quantùm fuerunt impleta & verificata per Chriſtum in novo Teſtamento. Et ſic Deus eſt laudandus & magnificandus, eò quòd implevit in novo Teſtamento, ea quæ per figuras & præcepta promiſit in veteri Teſtamento. Et ideo Propheta volens Deum laudare de veritate, quam implevit in hoc Sacramento, quia in eo verificavit myſterium de Agno Paſchali, & de pane azymo, & de Manna, & pane propoſitionis: dicit, quòd omnia opera manuum Dei quæ fecit in veteri Teſtamento, *ſunt veritas & judicium* in novo. Nam quidquid Deus fecit, juſtè & verè fecit.

Triplex Dei judicium.

Vel ponitur hîc *judicium* pro ſecreto myſterio. Nam triplex eſt *judicium Dei*, ſcilicet examinationis, & diſcretionis, & ſecretionis, id eſt myſteriorum ſecretorum. Et ideo quandoque per *judicia* in Sacra Scriptura intelliguntur ſecreta judicia Dei, *ad Romanos* 10. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia*, id eſt, ſecreta *ejus*! Item, *Pſalmo* 35. *Judicia Dei abyſſus multa.*

Unde ad majorem evidentiam eſt notandum, quòd ſacrificia, & ſacramenta, & præcepta, & mandata cærimonialia veteris Legis in tantùm dicuntur judicia, in quantùm figurabant aliquam juſtitiam in novo Teſtamento. Unde immolatio, ſive ſacrificium Agni Paſchalis figurabat ſacrificium Chriſti futurum in ara crucis: quod quidem ſacrificium Chriſti dicitur vera juſtitia, & verum judicium, per quod genus humanum fuit à peccato juſtificatum: nam Chriſtus fuit punitus pro noſtro peccato. Nam pœnam & mortem, quam nos merebamur, Chriſtus voluit pro nobis pati, & ad ſe transferre: & ſic omnes ſumus in eo crucifixi & puniti, & per ſanguinem ejus Patri reconciliati & pacificati.

Et ſic eſt dicendum, quòd in ara crucis factum eſt judicium, & juſtitia, & punitio, non ſolùm de peccato primorum parentum, ſed etiam de peccatis noſtris. Et ſic eſt dicendum de cæteris ſacrificiis, & præceptis cœrimonialibus; quæ omnia dicuntur juſtitiæ quædam & judicia; non à juſtitia quæ erat in ipſis, ſed à juſtitia quam figurabant implendam in Chriſto. Nam ſicut oratio dicitur vera, vel falſa, non à veritate quæ eſt in ipſa, ſed ex eo quod res eſt, vel non eſt, 6. *Meta.* & in *Prædicamentis*: ita tota Lex Moyſi, & omnia illa ſacramenta & mandata, non dicuntur vera à veritate quæ erat in ipſis, ſed à veritate quam figurabant in Chriſto futuro: & ſic dicebantur vera in Chriſto, in quo fuerunt verificata, & impleta, & terminata, & in quo finierunt curſum & terminum ſuum. Nam Paſſio Chriſti, & Sacramentum Euchariſtiæ, & Aſcenſio, & Reſurrectio dederunt & impoſuerunt terminum omnibus figuris, & mandatis legalibus, & cærimonialibus veteris Teſtamenti. Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, dicit: quòd bene laudandus & magnificandus eſt Deus: nam *opera* omnia *manuum ejus*, quæ fecit Deus in figura veteris Teſtamenti, non ſunt niſi *veritas & judicium*: quia omnia fuerunt verificata in novo Teſtamento.

7. *Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate & æquitate.* *Joan. 28.*

ETIAM *omnia mandata* legalia quæ dedit illi populo in figura, fuerunt fidelia, & non deceptoria. Probatur: quia fuerunt *confirmata in ſæculum ſæculi*, & *facta*, & impleta *in veritate & æquitate.* Nam liberatio filiorum Iſrael de Ægypto, & mandatum de Agno Paſchali immolando, & de pane azymo veſcendo, omnia iſta myſteria & mandata fuerunt *fidelia*: quia per Chriſtum fuerunt *facta in veritate & æquitate*, quando pro nobis in ara crucis fuit immolatus, & nos de captivitate diaboli, & de morte perpetua liberavit. Item, illa mandata fuerunt *confirmata in ſæculum ſæculi*, quando inſtituit *Euchariſtiam*, & dixit: *Accipite, & comedite &c.* Et, *Hic eſt calix novi & æterni Teſtamenti &c.* Et ſic patet, quòd myſteria quæ fecit Chriſtus, fuerunt verificatio & confirmatio veteris Teſtamenti. Quia omnia illa legalia receperunt veritatem, & terminum, & confirmationem in Chriſto: quia per mortem teſtatoris fuerunt confirmata quoad eorum veritatem: quia Lex Euangelica nil aliud eſt, niſi veritas & manifeſtatio Legis veteris, ut ait *Auguſtinus de Catechizandis rudibus.* Item, fuerunt *facta in veritate*, id eſt, verificata per Chriſtum. Et fuerunt etiam *facta in æquitate* & juſtitia: quia per Paſſionem Chriſti, figuratam per illa myſteria & mandata cærimonialia, fuit facta juſtitia & punitio pro peccato primorum parentum, & omnium aliorum: quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt & punitus.



8. *Re-*

De Conf. d. 2. c. In Calice. In Glo.

8. *Redemptionem misit Dominus populo suo : mandavit in æternum Testamentum suum.*

QUOD omnia illa mysteria & mandata veteris Testamenti fuerint fidelia, id est, fideliter adimpleta, & *confirmata, & facta in veritate & æquitate*, probatur : Nam quando venit plenitudo temporis *Dominus* Deus Pater *misit redemptionem populo suo*, quando *misit Filium suum natum ex muliere & factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ad Galat.* 3. qui per suam mortem, & passionem, & resurrectionem omnes redemit. Et tunc *mandavit in æternum Testamentum suum*, quando antequam pateretur, instituit Sacramentum *Eucharistiæ*, figuratum per supradicta mysteria.

Et ideo dixit : *Hic calix novum & æternum Testamentum est in meo sanguine.* Quod quidem Testamentum dicitur *novum*, in quantum est declaratio veteris, & verificatio, quia in illo effundebatur sanguis agnorum & vitulorum ; sed in isto effusus est verus sanguis Christi, per supradicta figuratus. Sed dicitur *Testamentum æternum*, in quantum nullum aliud debet succedere. Et dicitur *Testamentum confirmatum :* quia per mortem Christi Legislatoris & Testatoris, fuit confirmatum. Et ideo dicitur *ultima voluntas* Dei, quæ ampliùs in hoc sæculo mutari non potest, nec aliud Testamentum succedere. Et ideo Christus, quando hoc Testamentum, sive sacrificium instituit, *mandavit in æternum Testamentum suum*, quod per mortem & passionem in æternum confirmavit. Unde lex *Moysi*, sive Testamentum vetus non fuit confirmatum in se & in figura, sed fuit *confirmatum* in figurato. Et isto modo ratione figurati potest dici confirmatum in æternum. Et ad hunc intellectum circumcisio potest dici æterna, & occisio agni paschalis. Nam sicut illa omnia legalia non fuerunt verificata in se, sed in Christo : ita omnia dicuntur æterna, non in se, sed in Christo, in quo receperunt terminum, & veritatem, & justitiam.

Potest etiam tota illa particula referri ad sola *opera*, & *mandata* Christi facta in novo Testamento, scilicet, quod *opera manuum* Christi nil aliud fuerunt, nisi *veritas & judicium* : eò quòd *ejus mandata fuerunt fidelia*, & *confirmata in sæculum sæculi*, & *facta in veritate*, & *æquitate*, & *justitia*, omnia quæ præcepit in Lege Euangelica. Sed tunc intelligentia est quasi eadem : quia Lex Euangelica dicitur veritas Legis veteris, in quantum verificavit omnia mysteria & mandata Legis veteris: & ea confirmavit & justificavit: quia in Christo facta est vera justitia. Nam in Lege veteri homines peccabant, & pro peccato eorum effundebatur sanguis animalium brutorum. Et ideo sanguis alienus non poterat justificare peccata hominum: sed in novo Testamento pro hominibus peccatoribus sanguis humanus Christi effusus est. Ideo in Christo verè facta est justitia, & illa mors benè & justè homines potuit justificare, quod minime potuit facere sanguis, aut mors hircorum aut vitulorum. Quia ille sanguis non dabatur, nec effundebatur in pretium, sed in signum fœderis & pretii per Christum in cruce solvendi, ut dictum est *Psalm.* 49.

9. *Sanctum, & terribile nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini.*

23. Displi cet. 16. q. 2. Post me

IN hac tertia parte exhortatur fideles, ut cum puritate & timore accedant ad hoc Sacramentum. Nam sicut bonis & justis hoc Sacramentum *Eucharistiæ* est salutiferum & utile : ita indignè sumentibus est nocivum. Nam *qui indigne manducat & bibit, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, 1. *ad Corinth.* 9.

Nomen Christi sanctum & terribile.

Unde *nomen* Christi est *sanctum & terribile.* Nam in quantum sanctum sanctificat, & salvat fideles, & dignè sumentes hoc Sacramentum : sed in quantum terribile, judicat & condemnat immundè & indignè sumentes. Unde sicut justis prodest ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam recipiendam : ita indignis & immundis provenit ad judicium, & ad condemnationem. Ideo dicit Propheta, quòd caveant sumentes Christum consecratum: Nam *sanctum* est *nomen ejus*, quia digne sumentes sanctificat & salvat : Sed est *terribile*, & timendum ; quia indignos condemnat. Unde si est terribile, ergo timendum : & si timendum, ergo cum maximo timore & devotione ad ipsum est accedendum : quia *initium sapientiæ* est *timor Domini.* Nam omnia mysteria Dei sunt tractanda cum sapientia. Sed *initium* omnis *sapientiæ* est *timor Domini* : ergo cum magno timore hoc Sacramentum est sumendum, & pertractandum. Et sic patet quomodo hoc *nomen Jesus* est *sanctum:* quia bonos sanctificat, & malos condemnat. Ideo est valde timendum, & cum magno timore ejus Ecclesiastica Sacramenta sunt tractanda & ministranda: quia *initium* omnis *sapientiæ*, & omnis bonæ operationis, est *timor Domini*, præcipuè filialis, ut latius videbitur in *Psalmo* sequenti.

10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi.* A

Eccles. 1. b. 11. q. 3. c Quatuor.

ISTA ultima particula potest habere triplicem intellectum. Uno modo, quòd continuetur cum littera præcedenti : & sic est probatio comparativa illius particulæ, *sanctum & terribile nomen ejus* : ut sit sensus : quòd sicut intelligentia, sive intellectus Sacræ Scripturæ, & divini mandati, est bonus omnibus facientibus & observantibus eum ; & inutilis & nocivus transgressoribus : quia servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis *vapulabit multis*, *Luc.* 12. ita pari ratione mandu- B catio hujus Sacramenti est bona justis, & puris, & dignis : & inutilis, immò nociva indignè sumentibus : quia *sanctum & terribile* est *nomen ejus* : ideo timendum: quia *initium sapientiæ timor Domini.* Secundo modo potest habere alium intellectum.

Ad cujus evidentiam est primò notandum, quod differentia est inter scientiam purè speculativam, & scientiam moralem: Nam finis scientiæ speculativæ est tantum scire : sed finis practicæ & moralis, est operatio. Ideo scientia moralis est inutilis non operantibus secundùm virtutem : quia non addiscimus scientiam moralem, ut sciamus tantùm, sed ut boni efficiamur : Ideo scientia moralis *est inutilis pueris incontinentibus*, 1. *Æthic.* Ita pariter scientia & notitia Sacræ Scripturæ est non solùm in- C utilis, immò nociva malis, & non observantibus divina mandata: quia non damus studium & operam Sacræ Scripturæ, ut sciamus tantùm, sed ut secundùm divina mandata & præcepta bene operemur, & sic justi efficiamur : quia non justificamur in sciendo, sed in operanbo secundùm Legem divinam, ut dictum est *Psalm.* 1. Sic ergo intelligentia, sive *intellectus* Sacræ Scripturæ est *bonus*, & utilis, & meritorius, non omnibus indifferenter, sed solum *omnibus facientibus*, & implentibus, & servantibus *eum*, scilicet, divinum mandatum.

Secundo est notandum, quòd differentia est inter *sapere*, & *scire* ; & inter D *scientiam*, & *sapientiam.* Nam *scire* idem est, quod discernere inter rem & rem. *Sapere* autem idem est, quod rem scitam gustare per experientiam : & sic omne *sapere* est aliquo modo scire, sed non è conversò. Nam ille qui habet tantùm notitiam de Sacra Scriptura, & scit distinguere inter divina mandata, & scit dare rationem de divinis mandatis, & non operatur secundùm Legem & divina mandata : ille talis habet tantùm scientiam, sed non sapientiam : quia non gustat, nec sapit per operationem ea de quibus dat rationem; E sed sicut quis habet odorem de pomo, & non saporem, quia non gustat: ideo solus ille dicitur habere sapientiam, qui intelligit Sacram Scripturam, & operatur secundum ipsam. Et sic ille talis dicitur habere *bonum* & perfectum *intellectum* de divina Lege, quia scit divinam Legem cum sapientia, & operatione, & sapore. Et sic patet, quòd non potest haberi *bonus intellectus* de divina Lege sine sapientia. Sed quia vera sapientia non potest haberi sine timore filiali Domini : ideo dicit Propheta, quòd *intellectus* divini mandati est *bonus omnibus facientibus eum*, & operantibus secundùm eum : quia talis *intellectus* dicitur sapientia, & talis *bonus intellectus* fit F cum timore filiali : quia *initium* omnis *sapientiæ* est *timor Domini* : nam omnis bona operatio incipit à timore Domini filiali : quia aliter talis operatio non est perfectè meritoria. Vult ergo innuere Propheta: quòd sicut ad studium Sacræ Scripturæ non est accedendum sine timore Domini, ut ait *Augustinus* in principio *primi de Trinitate* : ita ad hoc Sacramentum non est accedendum nisi cum devotione & timore : quia *initium sapientiæ timor Domini.*

Item tertiò, iste ultimus versiculus potest habere alium intellectum. Nam in principio hujus Psalmi dicit Propheta, quòd intendebat canere hunc Psalmum, & confiteri hoc Sacramentum *Eucharistiæ*, non in conventiculis Hæreticorum, nec in cœca Synagoga Judæorum, sed in consilio, G & congregatione, & Ecclesia Justorum & Fidelium Christianorum. Tunc posset quis arguere contrà, & dicere: quod iste Psalmus, non solùm cantatur in Ecclesia Christianorum, sed etiam in Synagoga modernorum Judæorum, qui in suis festivitatibus cantant hunc Psalmum. Ad hoc respondet Propheta in hoc ultimo versiculo hujus Psalmi, dicens, quòd licèt Judæi cantent hunc Psalmum in Synagoga ; tamen inutiliter cantant : quia non habent *bonum intellectum*, nec intelligentiam veram de hoc Psalmo, cùm sint cœci : quia non percipiunt Sacramentum *Eucharistiæ*, de quo David propheticè loquitur in hoc Psalmo ; & ideo non intelligunt, nec H cantant ipsum cum vera intelligentia. Quia verus, & *bonus intellectus* hujus Psalmi, & hujus Sacramenti, non datur nisi *facientibus* & colentibus *eum* : scilicet, venerantibus hoc Sacramentum *Eucharistiæ.* Et ideo quomodocumque intelligatur iste versiculus, semper sequitur, quòd *laudatio ejus manet in sæculum sæculi.* Nam *laudatio*, & præmium dignè sumentibus hoc Sacramentum *manet*, & perseverabit *in sæculum sæculi* : & *laudatio* intelligentis Sacram Scripturam cum timore & sapien-

tia : & *laudatio* hujus Sacramenti , sive *laudatio* intelligentis , propheticè hoc Sacramentum *Eucharistiæ* esse prophetatum in hoc Psalmo , semper manebit in æternum , & *in sæculum sæculi.*

Differentia inter sapientiã, & scientiam.

Unde est iterum advertendum : quòd hæc est differentia inter *scientiam* & *sapientiam* Legis. Nam *scientia* Legis dicit solam cognitionem & intelligentiam : sed *sapientia* dicit intellectum cum operatione. Et ideò cognitio & *intellectus* Legis sine operatione , nec prodest , nec est utilis scientibus. Sed *intellectus* Legis cum operatione , & est *bonus* & utilis *facientibus* & operantibus *eum* , id est , operantibus secundùm intellectum. Et ideo concludit , quod *laudatio ejus* , id est , habentis intellectum cum timore Dei , & operatione , *manet in sæculum sæculi :* quia scientes Legem , & facientes semper laudabuntur à Deo & hominibus. Per oppositum autem scientes , sive intelligentes Legem , & non facientes , nec operantes, semper vituperabuntur & patientur , & accusabuntur. Nam *servus sciens voluntatem Domini sui , & non faciens , plagis vapulabit multis* , *Lucæ* 12. Ex quo sequitur, quod talis cognitio *&* *intellectus* sine operatione , potiùs erit nocivus , quàm utilis.

Ex toto isto Psalmo possunt recolligi decem conclusiones.

Prima conclusio : quòd David in hoc Psalmo intendit cantare opera magis mirabilia , & electa , & exquisita quæ fecit Deus erga genus humanum.

Secunda conclusio : quòd quatuor sunt mirabilia mysteria , quæ Deus operatus est erga nos : scilicet , opus creationis , & incarnationis , & redemptionis , & Eucharistiæ consecrationis.

Tertia conclusio : quòd Christus instituit nobis Sacramentum *Eucharistiæ* ad refectionem & escam spiritualem , & sacrificium quotidianum in memoriam suorum operum mirabilium , scilicet , in memoriam passionis , & nostræ redemptionis , & etiam incarnationis : quia in hoc Sacramento repræsentatur incarnatio & passio Christi , & nostra redemptio , & fit nostra reconciliatio , & spiritualis refectio : & implentur & memorantur sacrificia veteris Testamenti , & refectio *Mannæ.*

Quarta conclusio : quòd in hoc Sacramento complentur omnia sacrificia figurativa & oblationes veteris Testamenti.

Quinta conclusio : quòd per hoc Sacramentum datur reconciliatio , & redemptio , & sanitas spiritualis devotè & ritè sumentibus , & timentibus Deum.

Sexta conclusio : quòd hoc sacrificium & sacramentum durabit in æternum per totam istam ætatem : quia nullum aliud sacrificium succedet acceptabile apud Deum.

Septima conclusio : quòd sicut hoc Sacramentum est salutiferum ritè & devotè sumentibus : ita est nocivum indignè sumentibus : ideo cum magno timore & puritate est ad ipsum accedendum ; eò quòd in ipso Deus realiter continetur. Nam *nomen* Dei quod est ipse Christus , est *sanctum* justis , & *terribile* peccatoribus & indignis. Ideo sanctificat justè sumentes, & terrificat & damnat injustè sumentes.

Octava conclusio : quòd sicut *intellectus* Sacræ Scripturæ est bonus , & utilis, & salubris omnibus operantibus & facientibus secundùm præcepta Legis : ita per oppositum *intellectus* & intelligentia Legis est nociva & inutilis prævaricatoribus Legis. Ex quo patet , quòd *initium omnis sapientiæ* est *timor Domini* : nam scire sine operatione & timore , non est sapere: nam ille sapit , qui operatur secundùm scientiam & notitiam. Ideo omnis sapientia incipit à timore Domini.

Nona conclusio : quòd scientia cum operatione dicitur justitia , & vera sapientia : quia homo justificatur , quando operatur secundùm Legem cognitam : & ideo *ejus justitia manet in sæculum sæculi* , quoad præmium. Quia præmium talis justitiæ est æternum , quod nemo tollet à justo.

Decima conclusio : quòd hoc Sacramentum multipliciter dicitur *mirabile* inter omnia opera Dei.

Eucharistiæ Sacramentum dicitur mirabile.

Primò , quia in eo implentur omnia mirabilia opera , & sacrificia , & oblationes veteris Testamenti.

Secundò , dicitur *mirabile* ratione transsubstantiationis , quia mirabiliter panis transubstantiatur in verum corpus Christi.

Tertiò , ratione repræsentationis : quia in eo repræsentatur passio Christi , & nostra redemptio , & incarnatio.

Quartò , ratione mirabilis continentiæ & inexistentiæ , & coexistentiæ , & concomitantiæ : Nam in eo realiter continetur corpus Christi ex vi consecrationis, & ex consequenti inest anima per naturalem unionem , & Verbum per personalem ad humanitatem : & ex consequenti inexistit Pater , & Spiritus sanctus per consubstantialem unitatem ad Verbum : & sic per talem concomitantiam inexistit tota Tainitas huic Sacramento. Et sic in hoc Sacramento adoratur Deus in Trinitate perfecta : quia Filius nullibi adoratur sine Patre , & Spiritu sancto : quia *Fides Catholica hæc est , ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.*

Quintò , dicitur hoc Sacramentum *mirabile* ratione modi existendi : quia est in pluribus locis totus Christus ex vi consecrationis sub parva quantitate : & in eo accidentia existunt sine subjecto.

Sextò , dicitur *mirabile* ratione mi

ra-

rabilium effectuum, quos efficit in devotè & dignè ſumentibus, ut alibi latiùs explicatur.

Sed ad pleniorem ſufficientiam, & clariorem intelligentiam eorum quæ dicta ſunt, quinque ſunt videnda. A

Poſſibilitas converſionis hujus ſacramenti.

Primò eſt videndum de poſſibilitate converſionis hujus Sacramenti. Secundò, de ejus exiſtentiæ veritate. Tertiò, de ejus officio & utilitate. Quartò, de ejus formæ viſibilis congruitate. Quintò, de recipientium munditia & puritate.

Quantum autem *ad primum* eſt ſciendum: quòd tota poſſibilitas hujus Sacramenti conſiſtit in præſupponendo, quòd Chriſtus Inſtitutor hujus Sacramenti ſit verus Deus: quia ut ſic clarum eſt, quod ſicut à principio temporis ſolo verbo potuit ex nihilo cuncta creare; ita potuit in die Cœnæ ſubſtantiam panis convertere in B corpus, quod ex Maria Virgine perſonaliter ſibi univit. Et ratio hujus eſt: nam quia omnis creatura dependet à Verbo divino, quoad totum ſuum eſſe, in genere cauſæ efficientis, & formalis, & finalis: ideo Chriſtus ſolo verbo abſque motu, & tempore, & labore poteſt res producere quoad totum ſuum eſſe. Unde cauſa quare domificator ſolo verbo & præcepto abſque labore & tempore non facit domum, accidit, quia licèt domus dependeat ab arte domificatoris quoad formam artificialem; tamen non quoad materiam, ſcilicet, quoad lapides & ligna &c. Et ideo oportet, quòd priùs incîdat lapides de monte, & ligna de ſilva, & ducat ad locum, & præparet, C & compaginet ſecundùm ordinem artis: quæ omnia facere non poteſt ſine motu, & tempore, & labore. Et ideo licèt domificator millies dicat: *Fiat domus*, numquam fiet, niſi apponat laborem, & conatum, & tempus. Sed quia totum cœlum & natura dependet à Deo, ut patet 12. *Metaphyſicæ*: hinc eſt, quòd Deus ſolo verbo poteſt ex nihilo condere univerſum: quia dicendo, *Fiat lux*, facta eſt lux &c. ut patet *Geneſ.* 1. A fortiori ergo idem Deus incarnatus dicendo: *Hoc eſt Corpus meum*, potuit convertere ſubſtantiam panis in corpus ſuum. Et hoc nullus verus Methaphyſicus & Philoſophus bene diſpoſitus poterit negare, prout latiùs patebit *Pſalmo* 148. & *in Tractatu finali*. Et D ſic patet poſſibilitas converſionis hujus Sacramenti. Sed quia Judæi & Saraceni negant Chriſtum eſſe Deum, propter cœcitatem & contrariam indiſpoſitionem: ideò non eſt cùm eis diſputandum de hoc Sacramento, niſi cum authoritatibus veteris Teſtamenti, ut patebit *in Tractatu finali*.

Nota. Quomodo operatur Sacerdos.

Sed dicet aliquis: quòd licèt Chriſtus tamquam Deus potuerit tunc convertere ſubſtantiam panis in corpus à ſe aſſumptum: tamen hoc non poterit facere Sacerdos, cum ſit creatura.

Ad hoc reſpondetur: quod Sacerdos non facit in proprio verbo tamquam Author principalis, ſed tamquam Miniſter E in verbo Chriſti, qui operatur in hoc Sacramento ad prolationem verborum factam per Sacerdotem: ſicut Moyſes, non faciebat miracula per illam virgam tamquam Author, ſed tamquam miniſter. Nam dum Moyſes movebat & elevabat virgam ex præcepto Dei, Deus tamquam Author principalis operabatur miracula in Ægypto, & in toto deſerto. Ita pariter quando Sacerdos profert verba conſecrationis ex divina inſtitutione, Chriſtus operatur in Sacramento convertendo ſubſtantiam panis in Corpus ſuum: & hoc de primo.

Quantum autem *ad ſecundum* eſt dicendum: quòd tota veritas eſſentiæ hujus Sacramenti conſiſtit in his. Nam primò per F ſola verba conſecrationis ſubſtantia panis convertitur in illud Corpus Chriſti, quod Spiritus ſanctus formavit ex puris ſanguibus Virginis, prout tale Corpus habet eſſe ſubſtantiale ab anima: & ideo iſta converſio propriè dicitur *Tranſubſtantiatio*. Sed quia tale Corpus Chriſti, in quod convertitur ſubſtantia panis, actuatur & informatur ab anima Chriſti ideo neceſſariò eſt ibi anima Chriſti per quandam concomitantiam: ſecùs autem fuiſſet, ſi aliquis Apoſtolus conſecraſſet in triduo, de quo alibi diſputatur.

De veritate exiſtentiæ Corporis Chriſti.

Item, illud corpus Chriſti in Sacramento non eſt ſine ſanguine: ſed eſt ibi Sanguis per quandam concomitantiam. Item, G quia tota humanitas Chriſti perſonatur, & ſuppoſitatur per Verbum; ideo eſt ibi Verbum per unionem perſonalem. Item, quia Verbum eſt Patri & Spiritui ſancto conſubſtantiale; ideo per unitatem eſſentialem & conſubſtantialem eſt ibi Pater & Spiritus ſanctus: eò quòd Filius procedit inſeparabiliter & naturaliter à Patre, & Spiritus ſanctus per voluntatem ab utroque. Et ſic patet, qualiter ſolum Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento ex vi conſecrationis: ſed anima Chriſti & tota Trinitas eſt ibi per quandam concomitantiam, ſecundùm ordinem prædictum. Et ſic etiam Sanguis eſt per concomitantiam in corpore conſecrato, & è converſo.

Ex quibus omnibus ſequitur, quòd H omnia accidentia panis præteriti manent ſine ſubjecto in hoc Sacramento ſupra naturam. Item ſequitur, quòd Corpus & Sanguis Chriſti non ſunt in hoc Sacramento localiter, ſed realiter & ſacramentaliter, & per modum ſubſtantiæ. Item ſequitur, quòd poſtquam in hoc Sacramento eſt verus Deus incarnatus, & per conſequens coexiſtit tota Trinitas; ſequitur, quod verus Deus Trinus & unus adoratur in hoc Sacramento adoratione Latriæ. Et ſic patet veritas eſſentiæ hujus Sacramenti.

Quantum ad tertium eſt notandum,

De officio & utilitate Euchariſtiæ.

quòd triplex officium exercetur in hoc Sacramento: nam primò offertur in Altari: A
ſecundò, ſumitur & recipitur à Sacerdote, & Fidelibus : tertiò, reſervatur in Sacrario. Primo autem modo offertur in oblationem & ſacrificium pro delictis & peccatis populi. Secundò, recipitur in Sacramentum, in quantum ſignificat manducationem & refectionem ſpiritualem animæ. Tertiò, reſervatur in monumentum & memoriam ipſius Chriſti.

Quantum autem ad primum, fuit hoc Sacramentum figuratum per panem & vinum, ſive per oblationem panis & vini, quam obtulit Melchiſedech pro Abraham, *Geneſ.*14. Item, fuit figuratum per cruſtulam panis, quam Deus præcepit elevari coram Domino in Tabernaculo, *Exod.*29. Item, per ſacrificium Agni matutini & veſ- B
pertini, ibidem. Item, per ſacrificia omnium animalium mundorum, ut patet per totum *Leviticum.*

Quoad ſecundum, fuit figuratum per Manna quod Dominus Deus pluit de cœlo, quo ille populus fuit refectus in tota peregrinatione uſque ad terram promiſſionis, *Exod.*16. Et per panem ſubcinericium *Eliæ*, in cujus fortitudine ambulavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus *uſque ad montem Dei Horeb*, 3.*Reg.* 19.

Quoad tertium, fuit figuratum per *Urnam Mannæ*, quam Deus præcepit reſervari in Arca Domini; & per panes propoſitionis, qui reſervabantur ante Altare, C
*Exod.*25.

Iterum autem eſt advertendum, quòd Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum ad ſupradicta tria officia, propter multas utilitates, quæ conſequimur ex tribus officiis hujus Sacramenti. Nam primò, in quantum offertur in Altari pro delictis populi, conſequimur remiſſionem peccatorum, & pœnarum eorum. Sed in quantum recipimus Euchariſtiam ad Sacramentum, efficit in nobis inviſibilem gratiam, quam ſignificat ſub illa viſibili manducatione : nam vivificat animam noſtram, præbendo ipſi vitam ſpiritualem, & reſtaurat bona deperdita; & transformat nos in Chriſtum, quem ſacramentaliter manducamus, & reconciliat nos Deo Patri. In quantum autem reſervatur in Sacrario, confert nobis D
duplicem utilitatem : nam primò nos ibi adoramus Deum & Dominum noſtrum, in quantum ibi reſidet Chriſtus tanquam Deus & Dominus; & per conſequens adoramus ipſum Verbum cum Patre & Spiritu ſancto, quibus eſt conſubſtantialis Filius : & ſic adoratur Deus & homo adoratione Latriæ, per quem cultum continuè merentur Fideles adorantes & orantes in Eccleſia. Secundò, quia ibi in Sacrario reſidet Chriſtus tanquam Caput & Summus Pontifex noſter : ideo ſimul nobiſcum orat pro nobis, & interpellat apud Patrem in toto
E Officio Canonico, & in omnibus orationibus privatis Fidelium. Et ſic quod noſtris meritis obtinere non poſſumus, adipiſcimur meritis & interceſſione Chriſti capitis noſtri. Et hæc eſt cauſa, quare reſervamus Chriſtum in Sacrario Eccleſiæ ſub forma hujus Sacramenti : & patet, quare Chriſtus reliquit nobis ſeipſum ad ſupradictum triplex officium in hoc Sacramento.

De ejus formæ viſibilis conſtitutione.

Quantum ad quartum eſt advertendum, ſicut ſæpiùs dictum eſt : quòd cibus prohibitus, quem comedit *Adam*, multa damna attulit generi humano : nam primò propter ipſum perdidimus lignum vitæ paradiſi, per cujus eſum poteramus non mo-
F ri; ſed poſt longam vitam fuiſſemus tranſlati in vitam meliorem cœleſtem : & ex conſequenti incidimus in mortem corporis & animæ, & fuimus ſubjecti innumeris infirmitatibus & miſeriis, & fuimus ſauciati morbo concupiſcentiæ; unde proveniunt nobis omnia mala, & ſumus proni ad omne nefas. Et ideo Chriſtus tanquam verus Redemptor & Reſtaurator, reliquit nobis ſeipſum in cibum in hoc Sacramento : primò, in ſupplementum ligni vitæ perditi, ut per eſum hujus Sacramenti vivamus ſpiritualiter. Secundò, in medelam & antidotum contra venenum cibi prohibiti, & ad ſanandas noſtras infirmitates. Unde ille cibus prohibitus nos mortificavit : ſed iſte nos vivificavit. Item, ille nos
G ſauciavit, & vulneravit : ſed iſte nos ſanavit. Item, ille nos debilitavit & interfecit: ſed iſte nos roboravit & refecit. Item, ille nos à Deo ſeparavit : ſed iſte reconciliavit. Et ut per eſum hujus cibi recuperemus vitam & bona quæ ibi perdidimus; ideo non ſub forma cujuslibet cibi, ſed ſacramentaliter ſub forma panis & vini ſeipſum ſumendum nobis reliquit. Et ideo dixit Jeſus Phariſæis, *Joann.6. Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Unde Deus tunc dixit primis parentibus de illo cibo vetito: *Quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Sed per oppoſitum de iſto ſacro pane dixit: *Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non mo-*
H *riatur, ſed vivet in æternum &c.* Congruenter ergo Chriſtus reliquit nobis Corpus ſuum ſumendum ſub forma panis, & Sanguinem ſuum bibendum ſub forma vini : ut ſicut per eſum & potum panis & vini materialis continuamus vitam temporalem, & nutrimur corporaliter; ita ſub forma panis & vini ſacramentaliter abſque horrore manducemus Corpus Chriſti, & bibamus ejus Sanguinem ad refectionem ſpiritualem. *Auguſtinus* autem *ſuper Joannem* addit : quòd totum hoc factum eſt ad ſignificandam gratiam & unitatem corporis myſtici, quam conſequimur ex eſu hujus

jus Sacramenti : nam ſicut ex multis granis frumenti bene purgatis â paleis in area, & trituratis in molari, & mixtis cum aqua, A & coctis in furno ; unus panis conficitur: qui manducatus in noſtram carnem convertitur : & ſicut ex multis racemis & granis unum vinum confluit : Ita pariter per eſum hujus Sacramenti ex multis Fidelibus unum corpus myſticum conficitur in Eccleſia , & ſuo Capiti Chriſto unitur , & Patri reconciliatur , & jungitur. Et ideo iſta manducatio facit effectum contrarium reſpectu corporalis : nam manducando cibum materialem, convertimus ipſum in noſtram ſubſtantiam : ſed manducando hunc ſacrum cibum , & bibendo hunc ſacrum potum, nos transformamur & mutamur in ipſum. Et ſic patet congruentia formæ hujus Sacramenti.

De munditia recipientium Corpus Chriſti.

Quantum ad quintum autem eſt dicendum: quòd ſi per receptionem & eſum hujus Sacramenti debemus in Chriſtum B transformari , & Patri reconciliari , & vivere per gratiam , & ab omni morbo ſpirituali ſanari ; oportet de neceſſitate , ut mundi ad ipſum accedamus , ut hoc Sacramentum efficiat quod ſignificat : quia aliter nullus bonus intentus ſequeretur effectus; eò quòd *actus activorum ſunt in patiente diſpoſito.* Nam ſi per peccatum à Deo ſeparamur : ergo nullo modo cum peccato poſſumus Deo per gratiam conjungi , niſi priùs purgemur à peccato. Et ideo ſicut dignè accedens ad hoc Sacramentum conſequitur vitam ſpiritualem & æternam , & omnes ſupradictos effectus : ità immundus & indignus accedens , *judicium ſibi manducat & bibit.* Et ideo David , ut oſtendat , quomodo cum timore eſt accedendum ad hoc Sacramentum , concludit in C hoc Pſalmo , dicens: *Sanctum & terribile* eſt *nomen ejus* : *initium ſapientiæ timor Domini &c.*

Eſt autem advertendum , quòd omnia iſta ſupradicta ſubtiliùs & latiùs diſputantur per Doctores *in* 4. *Sententiar.* Sed ſola iſta dicta ſufficiant ad inſtructionem & conſolationem ſimplicium Sacerdotum & Chriſtianorum : quia iſta gloſſa non patitur longam , aut ſubtilem diſputationem , ſed ſolam ſanam Pſalmorum litteralem & propheticam declarationem.

* * *
* *



D PSALMUS CXI.

23. q. 6. Schiſmatici.

1. *Beatus vir , qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.*

TITULUS: *Alleluja.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit iſtum Pſalmum ad laudandum Deum ; maximè in feſtivitate Paſchæ. Nam ſicut fecit Pſalmum præcedentem ; in quo commendat ſummam Dei miſericordiam , quam oſtendit in Teſtamento veteri figuraliter liberando filios Iſrael de Ægypto , & realiter liberando genus humanum in Teſtamento novo de captivitate & morte æterna per ſuam mortem & paſſionem , & Euchariſtiæ inſtitutionem; & voluit , quod ille Pſalmus cantaretur in E die Paſchæ : ita pariter fecit iſtum Pſalmum , in quo commendat miſericordiam hominis erga proximum ſuum. Nam ſicut miſeratio Dei eſt maximum opus inter omnia opera Dei ; ita opera miſericordiæ ſunt majora inter omnia opera hominis,& majoris meriti , exceptâ Latriâ , quæ debetur Deo. Et ideo voluit , quòd iſte Pſalmus cantaretur in feſtivitatibus Paſchæ , ut moneret populum ad eleemoſynas faciendas: & cantabatur cum *Alleluja* : ad denotandum , quòd maximè laudatur Deus in operibus miſericordiæ exercendis : quia Deus magis laudatur opere , quàm ore. Et ideo duo facit in hoc Pſalmo: nam primò , promittit præmium temporale facientibus miſericordiam & eleemoſynam: ſecundò, pro- F mittit præmium æternum. Ibi : *Jucundus homo.*

Timor filialis.

Quantum ad primum eſt advertendum, quòd *timor Domini* filialis eſt principium omnium bonorum , ſicut dictum eſt *Pſalm.* 18. Nam ille qui timet Deum amore filiali , cavet omne malum , & cavet tranſgredi præcepta , & timet offendere Deum , ne diſpliceat ipſi , & ſic perdat eum : & ſic conatur ad poſſe adimplere mandata Dei, ut complaceat illi. Et ſtudet inhærere amori Dei propter ſe , ut poſſideat eum ; & ſic toto conatu fertur in Deum : & ideo *timor filialis* nihil aliud eſt , quàm ſumma charitas. Et quia amans ſemper laborat, & conatur transformari in amatum ; ideo om- G nis ille qui timet , & verè amat Deum & Chriſtum Filium ejus , ſemper laborat toto conatu , & ſtudet imitari Chriſtum. Sed quia Deus in toto Teſtamento veteri , & & in novo ſemper operatus eſt miſericordiam nobiſcum , ut patuit *Pſalmo præcedenti* ; & ſemper præcepit in utroque Teſtamento miſericordiam fieri : ideo ille qui verè *timet Dominum* volens imitari Chriſtum , & adimplere ejus voluntatem , & mandata , ſemper erit miſericors proximo ſuo.

ſuo. Ex quo patet, quòd principium & cauſa miſericordiæ in omnibus eſt *timor Domini.* A

Et ideo Propheta David volens commendare miſericordiam in hominibus, incipit à *timore Domini.* Unde dicit, quòd *Beatus vir qui timet Dominum*, timore filiali, quia talis de neceſſitate diligit Dominum. Et cum ſic timet & diligit Dominum, tunc *in mandatis ejus* cupit, & *volet nimis* ambulare, id eſt, quòd toto conatu & ſtudio laborat adimplere mandata Dei. Unde ly *nimis* non dicit exceſſum vituperabilem; ſed dicit totum conatum. Quaſi dicat, quòd *qui timet Deum* amore filiali, ex toto corde, & tota anima, & ex omnibus viribus ſuis ſtudet, & laborat, & conatur, & deſiderat adimplere ejus mandata. Sed quia inter omnia mandata Dei, de charitate ejus eſt majus mandatum, ut B patet *Matth.* 22. & per totum diſcurſum Euangelicum: & quia maximè Chriſtus in judicio exiget à nobis opera charitatis & miſericordiæ, ut patet *Matth.*25. ideo omnis *vir qui timet Dominum*, maximè cupit adimplere opera, & mandata charitatis & miſericordiæ. Unde licèt in hoc verſiculo non explicetur miſericordia, ſed timor Dei, & obſervantia mandatorum ejus: tamen per ea quæ ſequuntur, videtur manifeſtè, quòd Propheta miſericordiam hominis intendit commendare, & miſericordes beatificare.

Ex. q. 2. c. Firmiſſimè.

2. *Potens in terra erit ſemen* C *ejus: generatio rectorum benedicetur.*

3. *Gloria & divitiæ in domo ejus: & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.*

4. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors, & miſerator, & juſtus.*

QUIA ſuperiùs dixit, quòd *Beatus* eſt *vir qui timet Dominum*, & facit D miſericordiam cum proximo ſuo; hîc explicat ejus beatitudinem. Unde eſt advertendum, quòd homines miſericordes & eleemoſynarii non ſolùm habent beatitudinem & præmium æternum in cœlo, ſed etiam habent præmium temporale in hac vita pro majori parte. Et ſic beatitudo hominis miſericordis non ſolùm eſt æterna, ſed temporalis. Et etiam miſericordia non ſolùm beatificat hominem æternaliter in cœlo, ſed etiam temporaliter in hac vita.

Duo ergo facit. Nam primò explicat præmia temporalia, quæ conſequuntur mi- E ſericordes in hac vita. Secundò, explicat præmia æterna, quæ conſequentur poſt hanc vitam. Tertiò, explicat damnationem æternam, quam patientur impij & crudeles poſt hanc vitam. Secunda ibi: *Jucundus homo.* Tertia ibi: *Peccator videbit.*

Quantum ergo ad primum dicit Propheta, quòd tria bona conſequitur homo miſericors in hac vita. Primò, præmiatur in filiis: quia *ſemen ejus* eſt *potens*, & abundans, & copioſum. Quaſi dicat, quòd præmiatur in copia filiorum. Et tales filii ſunt boni, & virtuoſi, & pacifici. Quia *generatio rectorum benedicetur*, id eſt, qui filii hominum juſtorum & miſericordium erunt boni, & virtuoſi; & ſic à Deo & F hominibus benedicentur. Nam ſicut juſti abundant in benedictione filiorum, ita in benedictione virtutum. Unde nota, quòd *benedictio* in Scriptura frequenter ſumitur pro abundantia & multiplicatione. Ideo cùm dicitur hîc: *Generatio rectorum benedicetur*, idem eſt ac dicere, quòd generatio juſtorum abundabit & multiplicabitur. Secundò, ſicut vir miſericors eſt largus ad porrigendum & erogandum eleemoſynas pauperibus: ita Deus augmentat bona ejus temporalia & honores. Ideo ſubdit Propheta, quòd *gloria*, id eſt, honor, *& divitiæ* temporales erunt ſemper *in domo ejus.*

Homo miſericors tria conſequitur bona.

Tertium præmium erit abſolutio à pec- catis: nam *eleemoſyna extinguit pecca-* G *tum*, & juſtificat hominem, & præſervat ipſum à peccato: & ſi eſt in peccato, illuſtrat ipſum, & movet ipſum ad pœnitentiam agendam. Et ideo ſubdit, quòd *juſtitia* & meritum hominis miſericordis, & eleemoſynarii *manet in ſæculum ſæculi*, in quantum juſtificat ipſum, & illuſtrat ipſum ne cadat in peccatum, & ut egrediatur etiam à peccato. Et ideo ſubdit, quòd *lumen* gratiæ *exortum eſt in tenebris* peccatorum ipſis *rectis* & miſericordibus: quod quidem *lumen* eſt ipſe Deus *miſericors, miſerator, & juſtus.* Quaſi dicat, quòd Chriſtus Deus, qui eſt *miſericors, & miſerator, & juſtus*, illuſtrat & juſtificat homines eleemoſynarios propter miſericordiam & charitatem. H

Sed eſt notandum, quòd totum hoc quod dictum eſt de præmio temporali, poteſt etiam intelligi de ſpirituali. Et ſic ſupradicta præmia poſſunt ſpiritualiter intelligi. Nam multi ſunt, & fuerunt miſericordes, & eleemoſynarii in hac vita, qui non habuerunt ſupradicta bona temporalia: quia non habuerunt filios, nec divitias, nec honores: immò poſtquam erogaverunt omnia bona ſua pauperibus, compulſi ſunt mendicare. Sed tales non caruerunt bonis ſpiritualibus, nec ſunt alieni à ſupradictis benedictionibus, intelligendo

eas

eas ſpiritualiter. Nam *ſemina* hominis eleemoſynarii ſunt eleemoſynæ, & opera miſericordiæ, quæ dicuntur *ſemina* in Sacra Scriptura, ut ait *Apoſtolus*, 2. *ad Corinthios* 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet &c.* Et de hoc ſemine eleemoſynarum dicit hîc Propheta: quòd *ſemen* viri eleemoſynarii *erit potens in terra*, quoad potentiam meritorum: & quòd *generatio rectorum*; id eſt bona opera, *benedicentur*: & quòd *gloria & divitiæ* ſpirituales, quæ germinantur ex eleemoſynis, ſemper erunt *in domo ejus*; & ideo *juſtitia ejus*, ſcilicet, præmium & fructus illorum operum, *manebit in ſæculum ſæculi.* Et Dominus Jeſus Chriſtus, qui eſt *miſericors, & miſerator, & juſtus, & lumen æternum, eſt exortum*, id eſt, *orietur in tenebris* peccatorum ipſis *rectis*, illuſtrando eos, & fugando tenebras eorum. Nam hoc eſt præmium eorum, qui faciunt eleemoſynam: quia illuſtrantur, ne cadant in peccatum, & egrediantur à tenebris peccatorum. Unde viro miſericordi & eleemoſynario dicit Deus per *Iſai. cap.* 58. *Frange eſurienti panem tuum &c.* &, *Orietur in tenebris lux tua*: & *tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.* Ex quo patet, quòd eleemoſynæ maximè fugant tenebras peccatorum, & præſervant hominem à peccato.

Et nota, quòd ly *exortum eſt in tenebris lumen rectis*, poteſt intelligi etiam de adventu Chriſti. Nam Chriſtus *exortus eſt* velut lumen omnibus *rectis* corde & miſericordibus. Nam ejus adventus & redemptio ſolis rectis & miſericordibus eſt utilis. Nam impii & crudeles repellentur à facie Chriſti in ignem æternum in die judicii. Et nota, quòd bene merito *exortum eſt lumen* gratiæ facientibus miſericordiam. Nam congruum eſt, ut qui agit miſericordiam, miſericordiam conſequatur: ſicut eſt congruum, ut *judicium ſine miſericordia fiat illi, qui non facit miſericordiam*, *Jacob.* 2. Ex quo patet, quòd hoc præmium eſt computandum inter bona ſpiritualia.

Quoad efficatiam id intelligendum.

Diſti. 50. Ponderet.

5. *Jucundus homo, qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio: quia in æternum non commovebitur.*

Miſericors conſequetur hæc bona.

HÆC eſt ſecunda pars, in qua narrat, & explicat præmia ſpiritualia quæ conſequentur viri miſericordes ex eleemoſynis elargitis, & operibus miſericordiæ. Quorum primum eſt *jucunditas & ſecuritas* comparendi ante Chriſtum in die Judicii. Nam viri miſericordes cum confidentia & ſecuritate apparebunt coram Chriſto Judice in noviſſimo die: quia cum ſecuritate poterunt reddere rationem de talentis ſibi commiſſis. Quia apparebunt ante Judicem afferentes oleum miſericordiæ in lampadibus ſuis: ideo non timebunt, quòd ſponſus dicat eis, clauſis januis: *Neſcio vos*; immò recipiet eos, & intrabunt cum eo ad nuptias. Et ſimiliter ſecurè, & cum jucunditate accedent cum talentis duplicatis: & ideo dicet eis Dominus: *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis &c.*

Avari incurrent hoc malũ.

Per oppoſitum avari & crudeles trepidabunt ire ante faciem Judicis: eò quòd non afferent oleum miſericordiæ & eleemoſynæ in lampadibus: ideo claudetur eis janua regni cœlorum, & dicetur eis: *Neſcio vos.* Item, quia talis avarus & crudelis abſcondit talentum in terra; ideo ejicietur *in tenebras exteriores*, ut patet *Matthæi* 25.

Et hoc eſt quod dicit hîc David, quòd *homo* miſericors, *qui miſeretur* proximo ſuo, & *commodat* dando eleemoſynam, ille talis erit *jucundus* & ſecurus: quia cum fiducia *diſponet ſermones ſuos in judicio.* Ideo reſpondebit Chriſto interroganti de talentis commiſſis; quia poterit dicere: *Domine quinque talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.* Et dicet etiam: Domine unum talentum bonorum temporalium tradidiſti mihi: *Ecce aliud ſuperlucratus ſum*; quia illud diſtribui pauperibus. Et ideo ſubdit Propheta, quòd iſte talis vir eleemoſynarius *non commovebitur in æternum*, nec ſeparabitur à præmio æterno, & gloria cœleſti: quia *gaudium ſuum nemo tollet ab eo.* Et ideo memoria hujus juſti erit æterna: quia eleemoſynæ ejus vivent in præmium æternum; & *eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Ideo ſubdit:

6. *In memoria æterna erit juſtus: ab auditione mala non timebit.*

45. d. 2. Vera juſtitia. Et d. 86. §. In ipſa, cap. Fratrem.

7. *Paratum cor ejus ſperare in Domino, confirmatum eſt cor ejus: non commovebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.*

8. *Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.*

TRIPLEX ergo præmium ſpirituale narratur in his duobus verſibus. Primum, quia vir qui *miſeretur & commodat*,

dat, *jucundus*, & securus reddet rationem in novissimo die de bonis temporalibus sibi traditis. Secundum, quòd præmium ejus in æternum non tolletur ab eo. Tertium erit, quòd justus & misericors memorabitur, & vivet in æternum in hac Ecclesia per gratiam, & in superna per gloriam. Quartum præmium subdit Propheta, cùm dicitur: *Ab auditione mala non timebit.* Nam quando Christus dicet virginibus fatuis, *Nescio vos*, & quando dicet abscondenti talentum in terra: *Serve male & piger &c.* & quando dicet omnibus crudelibus & avaris: *Ite maledicti in ignem æternum*: tunc iste vir misericors *non timebit* à tali sententia & *mala auditione*; immò erit securus de suo præmio. Ideo talis auditio latæ sententiæ erit mala ipsis avaris, & impiis, & crudelibus: quam sententiam auditam non timebunt misericordes.

Et ideo sequitur, quòd *cor* talis viri misericordis erit *paratum* & firmum *sperare in Domino*, & *confirmatum* in bono; & *non commovebitur* à firmo proposito, nec à præmio sibi promisso, & dato: & in hoc *despiciet inimicos suos.* Quasi dicat: Quòd in tantùm erit firmus in judicio, quòd *despiciet inimicos suos* accusando eos, & instando contra eos: sicut legitur *Sapientiæ* 5. quòd *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.* Et etiam *despiciet inimicos* dœmones accusatores suos.

Et subdit ultimum præmium, & summum & optimum ipsius viri misericordis, quod erit, habere regnum, & summam felicitatem & gloriam in patria cœlesti. Unde dicit, quòd iste misericors, quia *commodavit & dispersit* bona sua pauperibus, ideo *justitia* & præmium *ejus manebit in sæculum sæculi*, quia erit æternum, & *cornu*, id est, honor *ejus* & felicitas *exaltabitur in gloria* cœlesti. Unde notanter dictum est supra: *Jucundus homo, qui miseretur & commodat.* Nam dare eleemosynam nihil aliud est, quam commodare & mutuò tradere, sive seminare. Nam *commodat* temporalia, & recipit æterna: & seminat temporalia, & colligit spiritualia, & æterna. Unde *commodare* nil aliud est, nisi mutuò aliquid tradere, scilicet, sub spe recuperandi & retribuendi sibi aliquid, mutuare. Et ideo largiens eleemosynam, dicitur *commodare*, aut mutuare dupliciter. Primò, quia à Deo præmium promissum misericordibus expectat. Secundò, quia pauperem recipientem, ad rogandum pro eo obligat. Sed est advertendum, quòd ly *Exortum est in tenebris lumen rectis*, potest referri ad bona spiritualia. Nam gratia, quæ declinat hominem à malo, & facit bonum, potest computari inter bona spiritualia: & sic erit primus fructus spiritualis.

Commodat misericors.

9. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit.*

De Pœ. d. 3. §. Ex hoc sensu.

IN hac tertia parte memorat, & annuntiat, & comminatur pœnam virorum crudelium & malorum: quæ quidem pœna erit quadruplex. Primò, quia cùm peccator superbus videbit ibi in judicio misericordes & pauperes ad gloriam destinari, quos ipse persecutus est in hac vita & contempsit, tunc *irascetur* præ invidia & uretur in corde. Secundò, quia *fremet* ex pœna sensus, ad quam destinabitur ex sententia Christi. Tertiò, *tabescet*, & putrefiet in anima ex pœnâ vermis, cùm cognoscet, se talem felicitatem perdidisse ex sua culpa. Quartò, quia votum & desiderium suum erit frustratum: quia tunc perdet gloriam mundi, in qua confidebat, & illecebras & delectationes illius: & sic torquebitur in animo. Patietur ergo pœnam invidiæ, & fremitum doloris sensus, & tabem vermis propter culpam, & amaritudinem, cùm bonis mundanis & delectationibus privatum se viderit. Quas pœnas describit *Sapiens* 5. dicens: *Et qui abstulerunt labores illorum, turbabuntur timore horribili &c.* per totum capitulum.

Pœna crudelium

Nota: quòd diversum est *desiderium* & spes *peccatorum*, à desiderio & spe justorum. Nam peccatores ponunt spem & desiderium in delitiis, & divitiis, & dominio temporali hujus mundi: Justi autem omnia ista contemnunt, ponentes spem in vita futurâ æternâ: & propter illam distribuunt divitias in eleemosynas pauperibus. Et ideo desiderium & spes istorum *non commovebitur* ab eis: immò *justitia* & præmium eorum *manet in sæculum sæculi:* Sed *desiderium* & spes *peccatorum peribit* simul cum eis: quia nihil invenient divitiarum suarum: quod maximè apparebit, & cognoscetur in judicio. Et hoc concludit David in hoc Psalmo, in quo enumerat fructus & præmia justorum & misericordium, & damna & pœnas peccatorum & crudelium impiorum.

Ex toto ergo isto Psalmo inferuntur *tres conclusiones*: quarum *prima* est: quòd omnis timens Deum est misericors: quod probatur: quia omnis timens Deum toto conatu cupit & laborat adimplere divina mandata: Sed omne mandatum est de charitate Dei & proximi, & per consequens de misericordia erga proximum: Ergo omnis timens Deum est misericors.

Secunda conclusio: quòd omnis misericors est Beatus tàm beatitudine temporali, quàm æternâ. Probatur: Nam ex mi-

se-

Miſericors recipit decem præmia.

ſericordia, & ejus operibus colligit & reſcipit decem præmia, ſive fructus, tres temporales, & ſeptem ſpirituales. Quiquidem decem fructus reddunt hominem Beatum in hac vita in ſpe, & in alia in re. A

Primus fructus temporalis eſt, copia & benedictio filiorum bonorum, per hoc quod ait: *Potens in terra erit ſemen &c. Secundus fructus* eſt, copia bonorum temporalium, & honor in hac vita, per hoc quod ſubdit: *Gloria & divitiæ in domo ejus &c. Tertius* eſt, bona fama in hac vita, per hoc quod ſubdit: *Et juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.*

Primus fructus ſpiritualis eſt, illuſtratio animæ, ut declinet à malo, & faciat bonum, per hoc quod ait: *Exortum eſt &c. Secundus fructus* eſt, jucunditas & ſecuritas ad reſpondendum in judicio, per hoc quod ait: *Jucundus homo, qui miſeretur &c. Tertius* erit, memoria æterna, B & præmium immobile, per hoc quod ait: *Quia in æternum non commovebitur*: &, *In memoria &c. Quartus* erit, quia non timebit ſententiam datam contra malos in judicio, per hoc quod ait: *Ab auditione &c. Quintus* erit, quia gaudebit cùm audiet Chriſtum dicentem: *Venite benedicti Patris mei*, per hoc quod ait: *Paratum* eſt *cor ejus &c. Sextus* erit, quia videbit vindictam de inimicis ſuis, per hoc quod ait: *Donec deſpiciat inimicos ſuos. Septimus fructus* erit, beatitudo æterna, per hoc quod ait: *Cornu ejus exaltabitur in gloria.*

Pœna avarorum & crudelium quadruplex.

Tertia concluſio: quòd avarorum & crudelium erit quadruplex pœna: primò, ineffabilis invidia ex proſperitate juſtorum: C ſecundò, quia *frement* pœnâ ſensûs: tertiò, quia *tabeſcent* pœnâ vermis: quartò, quia fruſtrabuntur in deſiderio ſuo hujus mundi.

Sed contra prædicta arguunt avari, dicentes: quòd Chriſtus injuſtè condemnabit in judicio eos qui non egerunt eleemoſynas: nam ſi quis cuſtodiens bona ſua, quæ juſtè acquiſivit, negat eleemoſynam pauperi; nulli facit injuriam, nec furatur aliquid, nec agit contra aliquod decem præceptorum: ergo non debet puniri.

In oppoſitum eſt David in hoc Pſalmo, & Salvator, *Matth.* 25. qui dicet eis: *Ite maledicti in ignem æternum &c.* D

Reſpondetur: quòd ſubvenire miſeris pauperibus, & indigentibus in neceſſitate, non ſolùm eſt de Lege Euangelica, ſed de jure & lege naturæ, & de lege Moyſi, & doctrinâ propheticâ.

Sed ultra hoc ponitur pro concluſione, quod Chriſtianus negans eleemoſynam & auxilium Chriſtiano indigenti, committit furtum, & agit contra illud præceptum: *Non furtum facies.* Pro cujus probatione præſupponuntur tres propoſitiones.

Prima: quòd negans, aut retinens debitum creditori, committit furtum. Iſta E eſt clara in foro conſcientiæ. *Nota.*

Secunda: quòd Chriſtus veniens in carne, & paſſus labores & miſerias pro nobis, conſtituit ſeipſum creditorem, & nos omnes ſibi debitores. Probatur: Nam cùm eſſet Dei Filius in gloria Patris, *ſeipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, cum ſeptem miſeriis noſtris, ſcilicet, cum ſiti, & fame &c. ut iſtæ miſeriæ eſſent inſtrumentum ad patiendum & merendum pro nobis: quia voluit eſurire, & ſitire, & mendicare, & infirmari, & peregrinari, & capi, & vendi, & mori, & in alieno ſepulchro tamquam pauper pro nobis ſepeliri. Ergo unuſquiſque obligatur Chriſto reddere vicem, ſcilicet, ipſum cibare, & potare, & veſtire, & hoſpitari, & redimere, & ſepelire &c.

Pauperes ſunt Chriſti hæredes.

F *Tertia propoſitio*: quòd omnes pauperes Chriſtiani, & indigentes petentes amore Chriſti, ſunt hæredes, & ſucceſſores Chriſti. Probatur: quia hos reliquit Chriſtus ſucceſſores ad recipiendum pro ſe debitum & auxilium miſericordiæ loco ſui: ut patet *Matth.* 25. quod *uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis &c.* Item, *cap.* 26. *Semper pauperes habetis vobiſcum*, quibus poteſtis benefacere, *me autem non ſemper habebitis.* Quaſi dicat: dum vivo, tenemini mihi ſubvenire; quia poſt mortem & reſurrectionem jam relinquo vobis pauperes, quibus poteritis ſubvenire loco mei.

His ergo habitis, arguitur ſic: Omnis negans auxilium & miſericordiam Chriſto, G committit furtum: ſed negans miſericordiam pauperibus indigentibus, negat auxilium Chriſto; cùm omnes pauperes ſint Chriſti ſucceſſores, cui nos omnes ſumus debitores: ergo omnis dives negans auxilia & miſericordiam pauperibus in neceſſitate poſitis, committit furtum contra Chriſtum: & per conſequens juſtè poteſt ipſum condemnare in judicio, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum &c.* Et per hoc patet reſponſio ad argumentum avarorum: Quia ſub pœnâ furti unuſquiſque Chriſtianus de jure obligatur ſubvenire pauperibus in effectu, vel in affectu, ut magis patebit *Pſalm.* 108.



Psalmus CXII.

1. 134. Joan. 1 d. 26. q. 6. c. Ministrare.

1. *Laudate pueri Dominum : laudate nomen Domini.*

2. *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & usque in sæculum.*

3. *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.*

De Conse. d. 2. c. Accesserunt.

4. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus.*

Titulus, *Alleluia*. Ex Titulo apparet, quod iste est de illis Psalmis, quos David fecit ad laudandum nomen Domini in templo, ut sæpè dictum est. Unde est notandum, quod Judæi moderni in Tribus magnis festivitatibus, & in omni *Neomenia* cantant istum Psalmum cum quinque sequentibus. Et appellant ipsum, *Alleluia* magnum, sive *Hymnum magnum*: quia ex sex Psalmis faciunt unum; & etiam in nocte Paschæ postquam comederunt panem azymum loco Agni paschalis, dicunt istum Psalmum cum magna solemnitate: & dicunt, quod ita faciebant primi Patres in primo, & secnndo Templo.

Sed hoc isti Judæi moderni nullâ authoritate, nec ratione possunt probare: immò hunc ritum, & multas alias cærimonias, quas hodie servant, ordinarunt *Thalmudistæ* in Babylonia Ægypti, tempore *magni Constantini*. Nam à destructione secundi Templi usque ad *magnum Constantinum*, tanquam bestiæ vivebant Judæi dispersi, & captivi per mundum sine aliqua cæremonia, & ritu. Sed videntes majores eorum, quod major pars Judaismi convertebatur ad fidem Christi simùl cum populo Gentili : tunc congregati in *Babylonia* Ægypti punctuaverunt Scripturam veteris Testamenti, quasi ad suum intentum : & ordinaverunt quosdam ritus & cærimonias, quas hodie servant. Immò est dicendum quòd de Titulis Psalmorum, & cærimoniis, & ritibus, qui servabantur in primo, & secundo Templo, meliùs scimus nos dare rationem, quam ipsi: & hoc per *Josephum*, & *Philonem*, & alios antiquos, quos ipsi penitus ignorant. Et ideo in similibus nulla fides est eis addhibenda: Et propterea non est multum curandum de quibusdam ad fidem noviter conversis, qui volunt successivè incipiendo ab *Abel* per tempora discurrendo hos sex Psalmos exponere : cùm manifestè iste Psalmus primus loquatur de conversione populi Gentilis factâ post Christum. Nam manifestè Propheta invitat populum Gentilem ad Fidem conversum *à solis ortu usque ad occasum* ad laudandum Deum, & agendum gratias, eò quòd ipsum *de stercore* idololatriæ suscitavit, & inter principes populi sui collocavit, ut patebit.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd David legens & contemplans mysterium *Annæ* matris *Samuelis*, quæ antè erat sterilis, & dejecta, & opprobriis afflicta, & contempta à *Phenenna* pellice sua : & quomodo propter humilitatem suam Deus aperuit vulvam ejus, & peperit *Samuelem*, qui fuit sanctus & Judex in Israel : Et reprobatis, & interfectis filiis *Heli*, translatum est sacerdotium ad *Samuelem* : Unde *Anna* mater ejus repleta Spiritu sancto cecinit illud Canticum: *Exultavit cor meum*, ut patet 1. *Reg. cap.* 3. in quo manifestè prædicit reprobationem & abdicationem Synagogæ, & electionem populi Gentilis : Per quod mysterium prævidit David in spiritu, qualiter Synagoga, quæ antè erat fœcunda in copia filiorum, erat repudianda à viro suo Christo, quem per longa tempora expectaverat, propter superbiam. Et prævidit, qualiter Gentilitas, quæ per magna tempora fuerat sterilis, quia non generabat filios ad cultum divinum, debebat effici fœcunda in adventu Christi, eò quòd ipsum in virum erat acceptura, & ex eo plurimos filios regeneratura. Itaque ipsa, quæ antè erat abiecta in domo Dei, erat recipienda & ex filiis suis erat Ecclesia congreganda: & filii sui, qui antè erant Pagani, debebant effici cives, & habitare in civitate & domo Dei. Et sic domus Dei, quæ antè stringebatur intra fines Palæstinæ, erat dilatanda à solis ortu usque ad occasum : & Deus, qui solùm in Judæa erat notus, erat adorandus & colendus *à solis ortu usque ad occasum* per universum orbem, à populo Gentili ad Christum converso. Et de hoc fecit David hunc Psalmum : in quo duo facit. Nam primò, invitat totum populum Gentilem ad laudandum Dominum venientem in carne. Secundò, ostendit ejus opulentiam, & largitatem, & beneficia, quare est laudandus. Ibi : *Quis sicut Dominus?*

Quantum ergo ad primum dicit David : *O pueri*, id est, Gentiles ad Christum noviter conversi, simplices, & teneri in fide, *laudate Dominum* nostrum Jesum-Christum : & *laudate nomen Domini*, quod est *Salvator*, qui salvavit vos : Et sic, est Deus & homo. Et *nomen* ejus quod est *Jesus*, sit benedictum à vobis & inter vos, confitentes ipsum verum Deum, & hominem Redemptorem. Et colite eum, & non solùm colatis, & benedicatis ipsum ad tempus, sicut Judæi qui coluerunt

Deum

Deum usque ad adventum Messiæ, & postea maledicunt ei, & negant eum in Christo: sed colite, & sit benedictum nomen A ejus à vobis, *ex hoc nunc*, id est ex hoc instanti in quo accepistis Fidem, usque in sæculum, in æternum, & in omni tempore: Et non solùm in omni tempore, sed in omni loco *à solis ortu usque ad occasum*, id est, ab *India* usque in *Hispaniam* & *Mauritaniam*, quæ sunt ad occasum: & ab *Æthiopia* in *Scythiam* sit *laudabile nomen Domini* à vobis. Hæc autem prophetia jam fuit impleta. Nam omnes isti acceperunt Fidem, ut ostensum est *Psalmo* 71. Et reddit causam: quia *excelsus super omnes gentes Dominus*. Nam sicut in gloria est super omnes Angelos: ita ergo debet esse, & erit *excelsus super omnes gentes*. Quasi dicat, quòd sicut omnes B Angeli obediunt & laudant Deum, ita omnes gentes venient ad Fidem, & laudabunt Deum *à solis ortu &c.*

Jacob. 4. & 1. Pe. 5. In Reg. 2. b.

5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?*

6. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem:*

7. *Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* C

Omnipotentia Regis in hoc demonstratur.

HIC ostendit Dei Omnipotentiam, quare est laudandus: & quomodo est excelsus super cœlos, & super omnes gentes.

Unde est notandum, quod potentia unius regis maximè in hoc demonstratur, scilicet ex magnis facere parvos, & ex parvis magnos: & dejicere superbos, & exaltare humiles: & *Parcere subjectis, & debellare superbos*. Et ideo *Virgo Maria* in *Cantico* suo, maximè in hoc ostendit Deum esse Omnipotentem: quia *deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*: &, *Dispersit superbos mente cordis sui.*

Dicit ergo David: *Quis* omnipotens, supple, *sicut* est *Dominus Deus noster*, D *qui in* cœlis *altis habitat*? id est, summitatem & imperium super omnia tenet. Et tamen *humilia respicit*, & diligit, & favet, tàm *in cœlo*, quàm *in terra*. Nam in principio dejecit *Luciferum* cum sequacibus suis superbis de cœlo, & exaltavit *Michaelem*, & alios humiles; & fecit *Michaelem* Principem militiæ cœlestis, cùm esset minor *Lucifero* in natura.

Deus hominem exaltavit

Et ostendit etiam Deus magis suam omnipotentiam, cùm ex omnibus, qui tenent ultimum gradum in genere intelectivorum, suscitavit & elevavit quosdam E per gratiam in tam sublimem gradum, ut possideant loca & sedes per humilitatem, quas illi Angeli perdiderunt per superbiam, & collocentur inter Principes populi, & cœlestis exercitus. Unde Deus primò respexit *humilia in cœlo*, quando Angelos humiles & obedientes elegit, superbos in infernum dejecit.

Secundò, respexit *humilia in terra*, quando *seipsum exinanivit, formam servi accipiens*. Et tunc *erexit de terra inopem, & pauperem*, quando hominem sauciatum & expoliatum redemit, & per gratiam elegit. Et tunc inter *principes populi sui* collocavit, quando inter *Hierarchias* Angelorum collocavit.

F Item, tunc *suscitavit* Christus *à terra inopem*, quando hominem sauciatum relictum in terra, & jacentem, supra humeros suos posuit, & à morte peccati per mortem & passionem suam redemit, & in cœlo inter Angelos collocavit. Ideo subdit: *Suscitans à terra*, id est, de hominibus de terra formatis, *inopem*, scilicet *Adam*, & *Petrum*, & *Paulum*, & *Latronem*, & *Magdalenam*, & cæteros pœnitentes & terrenos: *& erigens pauperem de stercore* terrenorum. Vocat hominem *pauperem*, in quantum per peccatum fuit expoliatus bonis gratuitis, & originali justitiâ cum suo præmio fuit privatus. Et vocat ipsum *inopem*, in quantum fuit sauciatus in omnibus potentiis, & fomite concupiscentiæ debilitatus; & sic fuit sine auG xilio: Et istum collocavit *inter principes populi sui*, id est, inter *Hierarchias* Angelorum, & inter *Principatus*, *& Potestates*, unumquemque secundùm mensuram gratiæ sibi collatæ, & secundùm merita & opera bona collocavit. Item, etiam exaltavit Apostolos, & Euangelistas, & Martyres, & omnes pœnitentes & fideles, hîc per gratiam, & in cœlo per gloriam, & inter *Hierarchias*, quæ sunt Principatus cœlestes, collocavit.

Item, exaltavit *Petrum*, & *Joannem*, & *Jacobum*, & cæteros Apostolos & Discipulos *de stercore*, & simo artis piscatoriæ, & ignorantia, & simplicitate, & per dona Spiritus sancti eos ex piscatoribus Apostolos & Euangelistas & Doctores feH cit, & Principes terræ constituit: & sic inter *principes populi sui*, scilicet Ecclesiæ suæ, collocavit. Nam Principes Ecclesiæ sunt Patriarchæ, & Prophetæ, & Apostoli. Sed principaliores sunt Apostoli, qui *nati sunt* Ecclesiæ *pro patribus suis* & substituti. Nam Ecclesia Christi ex pauperibus & simplicibus congregata est & elevata & suscitata. Et in hoc magis ostensa est Christi potentia.

Item, etiam *per inopem suscitatum à terra* intelligit populum Gentilem, liberatum à terrenis per Fidem. Et per *pau-*

perem erectum de stercore, intelligit quemlibet peccatorem, à sordibus peccatorum per pœnitentiam mundatum & elevatum. A Nam ille erat mortuus in terra, & iste jacebat involutus in stercore peccatorum.

Tres conditiones personarũ Christus suscitavit seu elevavit.

Tres ergo conditiones personarum Christus elevavit & *suscitavit à terra*. Nam primò suscitavit *Adam* & totam suam posteritatem Fidelium, & collocavit inter *Hierarchias* Angelorum. Secundò, *suscitavit Apostolos*, & cæteros Discipulos à terrenis, & *de stercore* cærimonialium, & constituit eos Principes Ecclesiæ, & collocavit eos cum Principibus cœlestis exercitus. Tertiò, *suscitavit* & *erexit populum Gentilem* à terrenis voluptatibus, & *stercore* & spurcitia idolorum, & nefandorum rituum, & *collocavit eos cum Principibus populi sui* in cœlo per gloriam, & in hac Ecclesia per gratiam & honorem. Nam successores Apostolorum eos fecit, & ex eis Episcopos & Sacerdotes constituit, ut magis patebit in sequenti versu. B

1 Reg. 2. 2. 44.

8. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.*

HIC concludit principalem intentum. Nam postquam ostendit dispositionem Dei: eò quòd de cœlo ejecit Angelos superbos & rebelles in abyssum inferni, & suscitavit de terra hominem *pauperem* & *inopem*, & collocavit eum inter principatus Angelorum, ut possideret loca & sedes, quas Angeli superbi perdiderant: ita pari ratione Christus venit in hunc mundum missus à Patre tamquam Messias in Lege promissus ad Synagogam fœcundam copia filiorum, quam Deus antè per magna tempora desponsaverat, & in sublimem gradum erexerat, & in proprium populum & hæreditatem elegerat, cui tot beneficia contulerat, & ipsi Ducem, & Salvatorem, & Messiam promiserat, qui eam de hoc mundo in cœlum transferret. Sed ipsa velut rebellis & ingrata, non solùm ipsum negavit & repudiavit, sed etiam crucifixit. Ideo Christus post resurrectionem & ascensionem ipsam repudiavit, & abdicavit, & reprobavit, & maledixit, & *sterilem* reddidit. Quia Sanctuario & Lege privavit, & regno, & sacerdotio, & hostiâ, & sacrificio, & Synagogâ repudiatâ, Ecclesiam ex Gentibus congregavit, & sibi eam desponsavit, & fœcundam reddidit, cùm ipsi Legem Euangelicam & Sacramenta donavit; ex qua copiam filiorum per Sacramenta quotidie regenerat. Itaque Gentilitas, quæ antè erat sterilis & Pagana, & exul extra domum, & hæreditatem Dei; nunc facta est sponsa Christi, & mater multorum filiorum, & fœcunda, & *habitat* in hæreditate Dei, & *domo*, quæ est Ecclesia, hîc per C gratiam, & in futuro per gloriam. D

E Ideo dicit David: Bene Deus est omnipotens, & laudandus in cœlo, & in terra, & excelsus: nam Gentilitatem quondam *sterilem*, per conversionem ad fidem factam fœcundam matrem multorum filiorum, *facit habitare in domo* sua *lætantem*, quæ est Ecclesia, abdicando & repudiando Synagogam, quæ ante erat sponsa & fœcunda: & hoc factum est ex ejus superbia & ingratitudine.

Nota: quòd David ex duobus concludit repudiationem Synagogæ, & electionem Ecclesiæ ex Gentibus congregatæ. Primò, exemplo ejectionis Angeli superbi, & sublimatione hominis humilis, succedentis in dignitatem. Secundò, per figuram *Annæ*, quæ antè fuerat sterilis, &

F postea facta est fœcunda: cujus proles, scilicet *Samuel*, successit in sacerdotium, filiis *Heli* reprobatis. Et hoc adducit David in similitudine verborum. Primò cùm dicit: *Suscitans à terra inopem.* Et secundò cùm subdit: *Qui habitare facit sterilem in domo*: de quo mysterio Canticum cecinit *Anna*, 1. *Reg.* 2. Item, hoc idem vaticinatus est *Isai.* 44. dicens: *Lauda sterilis, quæ non parturis &c.* Quam prophetiam adduxit *Apostolus ad Galat.* 4. ad probandum, Gentilitatem venturam ad gaudium & laudem Dei. Et ideo David prævidens hoc antequam Isaias, in hoc Psalmo excitat Gentiles noviter conversos ad laudem Dei, dicens: *Laudate pueri Dominum*, pro gratiarum actionibus.

G Ex supradictis in hoc Psalmo possunt recolligi sex conclusiones.

Prima conclusio: quòd nomen Domini Jesu fuit dilatatum inter omnes Gentiles, & cultus Dei *à Solis ortu usque ad occasum.*

Secunda conclusio: quòd cùm Deus sit excelsus, tamen superbos despicit, & humiles respicit & eligit.

Tertia conclusio: quòd tunc Deus in cœlo respexit humilia, quando Angelos superbos de cœlo dejecit, & obedientes elegit, & in gratia confirmavit.

Quarta conclusio: quòd tunc Deus in terram respexit, & inopem de terra suscitavit, quando carnem suscepit, & hominem de morte peccati liberavit.

H *Quinta conclusio*: quòd tunc pauperem de stercore erexit & inter principes populi sui collocavit, quando reprobatis Judæis, Gentiles *de stercore* & spurcitia idolorum retraxit, & inter Apostolos & Angelos in cœlo collocavit.

Sexta conclusio: quòd Christus tunc *sterilem in domo* tamquam matrem filiorum fecit habitare, quando reprobatâ Synagogâ, ex Gentibus conversis suam Ecclesiam congregavit: & sic Gentilitas, quæ antè *sterilis* erat sine fructu, facta est fœcunda & mater multorum filiorum per Christum.

Sed

Objectio. Sed dubitaret forte aliquis: Quare David dicit : *Laudate pueri Dominum* : & poſtea ſubdit : *Laudate nomen Domini*? A quia videtur facere differentiam inter *Dominum* , & *nomen Domini* ; & inter *laudate Dominum* , & *laudate nomen Domini.* Ad quod reſpondetur, quòd David hoc non fecit abſque grandi & profundo myſterio. Nam dictum eſt in *Prologo*, *Tractatu quarto*, quòd in Sacra Scriptura frequenter memoratur *Deus* , ſive *Dominus*, & *Verbum Dei* , ſive *Verbum Domini* , & *Nomen Dei* , ſive *Nomen Domini.* Et dictum eſt ibi, quomodo *Deus*, ſive *Dominus* quandoque ſumitur *eſſentialiter* , quod idem eſt , quod *Deus trinus & unus* : ut ibi : *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Et quandoque ſumitur *perſonaliter* pro perſona Patris : ut ibi : *Dominus dixit ad me* : *Filius meus es tu.* Et quan- B doque ſumitur pro *perſona Filii :* ut *Iſai.* 15. Pater dicit ad Filium *: Tu es Deus abſconditus.*

Reſponſio.

Deus quomo. poteſt ſumi pro perſona, &c.

Verbum ſemper ſumitur pro perſona Filii.

Sed *Verbum Dei* , ſive *Verbum Domini* , ſemper ſumitur pro perſona Filii: quod quidem Verbum Pater ab æterno dicendo produxit , per quod ex tempore facta ſunt omnia. Sed *Nomen Domini* idem eſt quod *Verbum Incarnatum* , ſcilicet , Dominus noſter Jeſus Chriſtus , Deus & homo, Meſſias in Lege promiſſus. Nam in quantum Verbum , ab æterno explicat totam eſſentiam Patris , tamquam ejus propria diffinitio , ut ibi dictum eſt. Sed in quantum *Verbum Incarnatum* dicitur *Nomen Dei:* eò quòd explicavit & notificavit mundo C quatuor ineffabiles effectus Dei , ſcilicet, Omnipotentiam per miracula , & ſummam Dei Sapientiam per dationem Legis , & in ſua prædicatione , & Spiritus ſancti miſſione , & ſummam miſericordiam in peccatorum remiſſione : & ſummam Juſtitiam in Judæorum , & Tyrannorum punitione. Sed magis illam notificabit in generali Judicio, ut frequenter dictum eſt. Propter iſta ergo quatuor , quæ Chriſtus mundo de Patre notificavit , Jeſus Chriſtus dicitur *Nomen Domini.* Et ideo dixit ante ſuam Paſſionem , *Joann.*17. *Pater , manifeſtavi nomen tuum hominibus* , ut oſtenderet , quod propter hoc venerat in mundum. Et hoc eſt *Nomen Domini Tetragrammaton*, quod D in Lege veteri quatuor litteris ſcribebatur, ſcilicet *Jod*, *he*, *vau*, *he :* quæ quidem quatuor litteræ hoc nomen *Johesuah* in Hebræo ſonant & reddunt , quod Latinè *Jeſus* declinatur , quod Hebræi præter naturam litterarum *Adonaï* pronuntiabant. Et ſic hoc nomen *Jeſus* , eſt illud *Nomen Dei* , quod omnes Patriarchæ & Prophetæ Fideles veteris Teſtamenti ſcire deſiderabant , & hoc nomen *Jeſus* omnes invocabant , & in hoc omnes ſalvari expectabant.

Ex quibus patet , quòd differentia eſt maxima inter iſtud *Nomen Domini* , & nomina rerum creatarum. Nam omnia nomi- E na rerum creatarum , vel ſunt mentalia, vel vocalia , vel ſcripta: & ſic omnia ſunt accidentia tranſitoria : & ita ſunt ſigna rerum, quæ non ſunt res quas ſignificant & notificant. Nam hoc nomen *homo* diſsyllabum, non eſt homo , ſed ſignificat hominem. Sed ipſe Dominus *Jeſus Chriſtus* eſt ſubſtantia, & res realis , & eſt ipſe Deus , quem in mundo realiter per ſua opera & effectus notificavit mundo : non quòd Chriſtus ſit Pater , ſed eſt eadem ſubſtantia Divina cum Patre , & Deus ſicut Pater , & unus Deus cum Patre & Spiritu ſancto. Et ideo quando in Sacra Scriptura memoratur *Nomen Dei* , ſive *Nomen Domini* , non intelligitur hoc nomen *Deus* habens duas ſyllaF bas breves : quia ut ſic non eſt Deus , ſed quoddam accidens : ſed intelligitur *Jeſus Chriſtus* Salvator noſter , Deus & homo, qui notificavit mundo ſummam Dei Omnipotentiam , & Sapientiam , & Miſericordiam , & Juſtitiam , & voluntatem Patris. Nam ſicut verbum materiale induit vocem, vel litteram , ut notificet intentionem : ita Verbum Divinum induit carnem , ut nobis notificaret divina myſteria , ut inquit *Auguſtinus.* Et ſic patet , quòd omnia creata notificantur per nomina primæ intentionis, vel impoſitionis : ſed ſolus *Deus* notificatur per nomen reale , qui eſt *Jeſus* Salvator noſter , Verbum Incarnatum , qui non conſtituitur ex litteris , ſed ex Verbo in humanitate. Unde dictum eſt *Pſal.*8. quòd Verbum Incarnatum eſt *nomen* , quo Deus Pa- G ter nominat ſe.

Nomen Domini dicit Verbum Incarnatum &c.

Iſte ergo *Jeſus* Salvator eſt illud *Nomen Domini* , quod omnes ſancti Patres expectabant & invocabant in veteri Teſtamento , in quo expectabant ſalvari. Unde hoc eſt *Nomen Domini*, quod incœpit invocare *Enos*, *Geneſ.*4. Item , hoc eſt *Nomen Domini* , quod invocavit *Abraham* , quando ædificavit Altare Domini , *Geneſ.* 12. & 13. Item , hoc eſt *Nomen Domini* , quod invocavit *Iſaac* in Altari ædificato , *Geneſ.* 26. Item , hoc *Nomen* invocavit *Jacob* ſuper lapidem , quem erexit in titulum , *Geneſ.*28. Item , hoc eſt *Nomen Domini*, quod Deus non revelavit viſibiliter Patribus veteris Teſtamenti uſque ad Incarnationem. H Item , hoc eſt *Nomen Domini* , quod *venit de longinquo*, *Iſai.* 30. Item , hoc eſt *Nomen Domini* , de quo dicit *Iſai.* 12. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. Et dicetis in illa die* : *Confitemini Domino* , *& invocate nomen ejus.*

Item , hoc eſt *Nomen Domini* , & *Nomen Dei Jacob* , quod David in toto iſto libro Pſalmorum exhortatur invocandum & laudandum ſæpe , de quo præcipuè dicit in hoc Pſalmo : *Laudate pueri Dominum* , *laudate nomen Domini.* Unde ly *laudate Dominum*, dicit Deum in Trinita-

te,

te, & ly *nomen Domini*, dicit Verbum Incarnatum, id est, Jesum Christum Salvatorem. Quasi dicat: O Gentiles conversi A ad Fidem, *Laudate Dominum* Deum in Trinitate perfecta, & *laudate nomen Domini*, scilicet, Jesum Christum Deum & hominem, Verbum Incarnatum. Sit etiam hoc *nomen Domini* Jesus *laudabile* per totum populum Gentilem *à Solis ortu usque ad occasum*, postquam Judæi non receperunt Jesum. Quasi dicat, quòd non sufficit ad veram & perfectam Latriam, solùm adorare Deum Trinum & Unum: sed oportet Jesum Christum Verbum Incarnatum Salvatorem colere, & laudare, & cum cæteris articulis ad humanitatem pertinentibus credere.

Ex supradictis patet, quòd Judæi non adorant, nec laudant, nec colunt Deum. Probatur: nam non intendunt, immò de- B testantur adorare Deum *Trinum* & *Unum:* sed ille qui est verus Deus, creator omnium, est *Trinus* & *Unus*; & nullus alius est verus Deus, ut frequenter probatum est per Scripturam: Ergo nullum Deum adorant, nec colunt.

Item secundò sequitur, quòd Judæi non laudant, immò semper blasphemant *Nomen Domini*, in Scriptura frequenter memoratum. Probatur: nam jugiter blasphemant Christum, & nomen ejus in suis Synagogis & domibus, in publico & in secreto: sed *Jesus Christus* est illud *Nomen Dei* in Scriptura frequenter memoratum: Ergo continuè blasphemant Deum, C & nomen ejus. Ideo sunt reprobati & maledicti; de quibus dicit *Isai.* 1. *Blasphemarunt sanctum Israel, & alienati sunt retrorsum.* Item, *Blasphemaverunt nomen meum quotidie.* Et quia hoc *Nomen Domini* contempserunt Judæi, ideo fuit dilatatum & veneratum per omnes Gentes *à Solis ortu usque ad occasum.* Ideo dicitur *Malachiæ* 1. *A Solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Quia magnum est nomen meum in Gentibus, & vos polluistis illud &c.*

Prævidens ergo David in spiritu reprobationem Judæorum, eò quòd contempserunt hoc *Nomen Domini*, & blas- D phemant quotidie; & prævidens conversionem populi Gentilis, in quibus debebat hoc *Nomen Jesus* coli & laudari: dicit: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini &c.* Quasi dicat: Postquam Judæi reprobati contempserunt Deum *Trinum & Unum*, & *Jesum Christum*, qui est *Nomen Domini*: ergo vos Gentiles tamquam *pueri* noviter conversi, *laudate* Deum in *Trinitate*, & *Unitate*, & *Verbum Incarnatum*, quod est *Nomen Domini*, scilicet, Jesum Christum Filium Dei, & Deum, & hominem.

Ex quibus patet, quòd semper in Sacra Scriptura per *nomen Domini* intelligi- E tur *Jesus Christus* Dominus noster, Deus & homo, Messias in Lege promissus. Sed miseri & cæci Judæi hoc mysterium & sacramentum capere non possunt, ex maledictione & cæcitate eis inflictâ: quia non sunt digni tanto beneficio, nec lumine illustrari.

Psalmus CXIII.

1. *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro:* *Exod.* 13.

2. *Facta est Judæa sanctificatio ejus,* *De Conse. d.* 3. *cap. Revera.*
F *Israel potestas ejus.*

3. *Mare vidit, & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.* *De Conse. d.* 2. *cap. Revera.*

4. *Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium.*

HUIC Psalmo in Hebræo nullus Titulus præponitur. Propter quod Judæi dicunt, quòd non est Psalmus distinctus à præcedenti. Sed hoc videtur falsum: primò, quia videtur materia specialis & distincta. Secundò, quia iste computatur G *Psalmus* 113. secundùm *Hieronymum*, & omnes Catholicos. Unde licèt non explicetur Titulus, tamen manifestè videtur, quod sit *Allelujaticus*, & quod David fecit ipsum ad laudandum Deum appropriatum in festo dedicationis Tabernaculi & Templi. In quo David intendit agere gratias: quia *Deus memor fuit nostri, & benedixit nobis*, & liberavit nos de captivitate diabolica, & de jugo idolorum, & de persecutione Tyrannorum per Christum Filium suum, sicut quondam liberavit Israel de Ægypto. Et sic principaliter intendit agere gratias, quia Christus redemit nos, & elegit nos in populum suum & hæreditatem. Et hoc probat per tria mysteria tamquam per tres propositiones.

H Quarum prima est, quòd solus populus Israel fuit electus ad laudandum Deum. Secunda, quòd sola Judæa & terra promissionis fuit dedicata & sanctificata tamquam proprius locus, ubi Deus colitur. Tertia, quòd solus Deus Israel, & nullus alius est venerandus & colendus.

Ideo Psalmus iste dividitur in tres partes. Nam in prima probat simul primas duas propositiones. In secunda probat tertiam, scilicet, quòd solus Deus Israel est colendus. In tertia resumit probationem secundæ propositionis, scilicet, quòd à so- *Divisio Psalmi.*

lis

lis filiis Iſrael eſt Deus colendus. Secunda ibi: *Deus autem noſter in cælo.* Tertia ibi: *Non mortui laudabunt.*

Quantum ergo ad primum proponit A primas duas propoſitiones, ſcilicet, quòd ſola terra Judææ, ſive terra promiſſionis eſt locus dedicatus ad cultum divinum, & ſolus populus Iſrael eſt dedicatus ad colendum Deum. Et dicit, quòd *in exitu Iſrael*, id eſt, cùm populus Iſrael exiret *de Ægypto*, ſcilicet, de illo *populo barbaro*, & extraneo, & rudi, & inhumano; tunc *facta eſt Judæa ſanctificatio ejus*, id eſt, locus ſanctificatus, & dedicatus, & deputatus ad Dei cultum & ſanctificationem. Et hæc eſt prima propoſitio.

Secunda verò, quòd factus eſt *Iſrael poteſtas*, & poſſeſſio *ejus*, & populus electus ad colendum Deum. Et ideo dixit B Moyſes Pharaoni ex parte Dei: *Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi &c. Exod.* 4. Item, *Pſalmo* 13. *Dedit eis regiones Gentium, ut cuſtodiant juſtificationes ejus &c.* Et has propoſitiones probat David, ſcilicet, quòd Deus elegit hunc populum: quod apparet: nam cum miraculis deduxit eum per deſertum, & cum miraculis introduxit in terram promiſſionis. Nam *mare* Rubrum *fugit* in tranſitu eorum, & diviſum eſt in duas partes. Ergo ſignum eſt, quod Deus elegit illum populum & dilexit ad cultum ſuum. Item, *Jordanis converſus eſt retrorſum* in introitu terræ promiſſionis, & filii Iſrael tranſierunt pede ſicco. Ergo ſignum eſt, quòd C Deus elegit illam terram & locum ad cultum ſuum. Item, quando ingreſſi ſunt, invenerunt bona paſcua in terra pingui & fœcunda: *& ſicut agni ovium* exultant ſequentes matres per loca & montes pingues & uberes; ita filii Iſrael *exultaverunt* per montes terræ promiſſionis, occupantes montes pingues, & civitates, & oppida, & campos coagulatos & uberes, & trucidarunt, & ejecerunt *Chananæos* à ſedibus ſuis.

5. *Quid eſt tibi mare quòd fugiſti: & tu Jordanis, qnia converſus es retrorſum?* D

Exod. 12. 6. *Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ovium.*

7. *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Jacob.*

E 8. *Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Exod. 17. Num. 20.

HIC probat, quòd hoc factum eſt ex magno miraculo. Unde quærit David, ut probet propoſitiones: O *mare, quid eſt tibi quod fugiſti?* id eſt, unde evenit tibi, cum ſis res inanimata, & ſine ſenſu & cognitione, quod ita *fugiſti*; & fuiſti diviſum in duas diviſiones & partes, & dediſti locum, ut tranſiret ille populus; cùm hoc ſit contra naturam tui? Et ſimiliter, ò *Jordanis*, quid evenit tibi, quod in tranſitu eorum, & introitu *converſus es* F *retrorſum* contra naturam tuam? Et, ò vos montes, quare *exultaſtis ut arietes?* Et vos colles, quare *exultaſtis ſicut agni ovium*, recipientes illum populum, & abjicientes *Chananæos*, *& Pherezæos* &c. cùm in vobis eſſent civitates inexpugnabiles & oppida? Quaſi dicat: quomodò, & qua poteſtate hoc potuit fieri?

Reſpondet, & ſolvit quæſtionem, dicens: Quia (ſupple) *à facie Domini mota eſt terra*: non à facie deorum Gentilium; ſed *à facie Dei Jacob*, qui eſt verus Deus, qui in nube præcedebat illum, & in Arca ſedebat ſuper Cherubim; & ſic omnia obediebant ei, & cedebant. Nam in virtute Dei *Moyſes* percuſſit mare cum G virga, & aquæ diviſerunt ſe, obedientes & parentes Creatori ſuo. Et ſic factum eſt de converſione Jordanis retrorſum, & de ruina murorum *Jericho*, & in victoria *Joſue* contra omnes reges Chanaam. Nam omnia proſternebantur, & cedebant, & parebant præſentiæ & poteſtati, & voci Dei exiſtentis in Arca. Qui etiam *convertit petram* Horeb *in ſtagna aquarum*, *Exod.* 17. *Et* poſtea *rupem* & ſilicem *in fontes aquarum*, *Numer.* 20. Ex quo patet, quòd omnia iſta facta non ſunt in poteſtate hominum, ſed in ſola Dei poteſtate, qui elegerat illum populum & terram ad ſuum cultum; ſicut promiſerat *Abraham*, & *Iſaac*, & *Jacob*: nec fecit Deus hoc propter merita illius populi, qui multotiens H eum provocaverat ad iram in deſerto; ſed Deus hoc fecit, ſcilicet, introduxit illum in terram promiſſionis cum tot ſignis & miraculis, propter ſolam miſericordiam ſuam & veritatem, ſcilicet, ut impleret promiſſum, quod pollicitus fuerat Abraham, & Iſaac, & Jacob, ſcilicet, quòd daret illam terram filiis ſuis &c.

Ideo ſequitur:

* * * \

Id. 137.

9. *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* A

10. *Super misericordia tua, & veritate tua: ne quando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum?*

NON *nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam*, id est, ista potestas & gloria non est tribuenda nobis, sed nomini tuo. Nec dedisti nobis istam gloriam & possessionem propter nostra merita; sed hoc fecisti in *misericordiâ tuâ, & veritate tuâ*; id est, propter solam misericordiam tuam, & propter veritatem tuam, scilicet, ut impleres quod promisisti patribus nostris, & sic maneres verus, & non fallax: *ne quando*, id est, ne aliquando *dicant*, nec dicerent *Gentes: Ubi est Deus eorum?* Nam si non implevisses promissa, irridendo dixissent Gentes: *Ubi est Deus* istorum Hebræorum, qui promisit eis terram, & non dedit? Quasi dicant: mendax & fallax est, quia sic eos decepit: vel, Nullus est. Item, si non dedisses nobis victoriam, tunc Gentiles dixissent: *Ubi est Deus eorum*, qui non juvat eos? Quasi dicerent: Forsan dormit Deus Israel, quia non juvat eos. B

Infr. cap. 34. c. Sap. 15. d. 26. q. 4. c. Sciendum.

11. *Deus autem noster in cœlo: omnia quæcumque voluit, fecit.* C

12. *Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.*

13. *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.*

14. *Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.* D

Inf. 134.

15. *Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.*

IN secunda parte probat tertiam propositionem, scilicet, quòd solus Deus Israel est colendus, & nullus alius. Quam sic probat. Nam solus ille Deus est colendus, & adoratione Latriæ venerandus, qui E fecit quæcumque voluit in cœlo & in terra: sed solus Deus Israel est hujusmodi, & nullus alius; quia dii Gentium nihil possunt facere, cùm non sint res vivæ, sed inanimatæ: Igitur sequitur hæc sententia adversum superiorem, scilicet, *ne quando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum?* Ideo dicit David: *Deus noster* est colendus, & non dii Gentium: quia Deus noster est verus Deus: quia *quæcumque voluit, fecit*, tàm *in cœlo*, quàm *in terra*. Sed dii eorum nihil possunt facere, cùm sint statuæ & *simulachra* inanimata. Et primò probat primam partem, scilicet, quòd dii Gentium non sunt colendi, cùm non sint veri dii, nec possint juvare suos cultores. Dicit ergo primò, quòd dii Gentium non sunt F veri dii, nec colendi, nec possunt juvare cultores suos. Probatur: quia dii *Gentium* sunt *simulachra* inanimata; vel illa simulachra, quæ Gentes colunt ut deos, nil aliud sunt, nisi *aurum, & argentum*, & *opera manuum hominum* viventium. Ergo, quomodò possunt esse dii, cùm non vivant? Nam licèt sint facta & fabricata ad similitudinem hominum viventium; tamen non vivunt. Nam licèt habeant *os*, & *aures*, id est, videantur habere *os*, & *oculos*; tamen *non loquentur*, *neque videbunt* unquam. Et eodem modo *habent aures*, & *nares*; tamen *numquam audient*, *nec odorabunt*. Et sic eodem modo *habent manus*, & *non palpabunt*. Et *habent pedes*, & *non ambulabunt*: & videntur habere *guttur*, & tamen *numquam clamabunt*: quia in istis simulachris prædicta organa non sunt vera, sed æquivocè dicta; quia homo sculptus, vel depictus non est homo, nisi æquivocè, ut ait *Aristot. 2. de Anima*, & in *Topicis*. Et ideo sequitur: G

16. *Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.* 32. q. 4. Sicut sanctius.

H SImiles, inquit, *fiant*. Nam sicut illa simulachra sunt mortua, & muta, & sine sensu, & motu, & cognitione; ita omnes Gentiles, qui ea faciunt & colunt, & in eis confidunt, sunt facti muti, & sine sensu & intellectu, & cœci, & mortui, quia nullum bonum agere possunt. Et sicut illa simulachra sunt mortua & inanimata, & per consequens non possunt juvare cultores suos: ita non possunt coli ab aliquo: nec qui colunt talia simulachra sunt digni, & apti ad colendum Deum; quia nil colunt, cùm sint similes simulachris.

17. *Do-*

11. q. 3. c. Ad mensam. Ad Rom. 8. & de Pœ. d. 2. Talibus. Et d. 4. Si ex bono.

17. *Domus Israel speravit in Domino : adjutor eorum & protector eorum est.*

18. *Domus Aaron speravit in Domino : adjutor eorum & protector eorum est.*

19. *Qui timent Dominum speraverunt in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.*

HIC probat secundam partem propositionis, scilicet, quod Deus Israel est verus Deus, & per consequens colendus: nam juvat cultores suos sperantes in se. Probatur : Nam primò liberavit Israel ab omnibus periculis ; eò quòd *speravit* in eo. Secundò, eum benedixit & multiplicavit. Primum probatur: Nam tota *domus Israel speravit in Domino*, quando exivit de Ægypto, & clamavit ad eum : & tamen ipse *adjutor eorum* factus est in exitu Ægypti, & protector eorum factus est per totum desertum, & in terra promissionis, ut patet per singula. Item, *domus Aaron speravit in Domino* : cùm *Datham*, & *Abiron*, & *Core* fecerunt conjurationem contra eum : tamen Dominus *adjutor eorum* factus est, cum combusti sunt ducenti quinquaginta, & aperta est terra, & deglutivit alios seditiosos, ut patet *Numer.* 16.

Sed diceret aliquis : Quare Dominus non adjuvit omnes filios Israel ? Quia multi mortui sunt, & trucidati in deserto, ut illi, qui adorarunt vitulum, & illi, qui *initiati sunt Beelphegor*, & omnes qui egressi sunt de Ægypto à viginti annis & supra, quorum cadavera jacuerunt in deserto, quorum nullus intravit terram promissionis, nisi *Caleb*, & *Josue* : Et tamen omnes isti speraverunt in Domino, quia cum fiducia intrandi terram promissionis exierunt de Ægypto ; & tamen Deus non juvit eos.

Ad hoc respondet David : quòd isti non timuerunt Deum, quia rebelles fuerunt : ideo non verè speraverunt in eo. Ideo sequitur : *Qui timent Dominum*, id est, Deus factus est adjutor omnium eorum, qui timent Deum, & speraverunt in eo : quia tales liberavit.



20. *Dominus memor fuit nostri ; & benedixit nobis.*

21. *Benedixit domui Israel : benedixit domui Aaron.*

22. *Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.*

Num. 33. & 34. 15. q. 1. ap. Firmissime.

SECUNDO probat, quod non solùm liberavit eos à periculis, sed etiam *benedixit*, & multiplicavit in possessionibus, & bonis temporalibus, & copiâ filiorum : ideo ait: *Dominus memor fuit nostri*, adimplendo quod promisit patribus nostris, & *benedixit nobis*, dando nobis terram Chanaam in possessionem, & multiplicando nos in magnum populum, sicut promisit patri nostro *Abraham*, & *Jacob*, dicens : *Benedicam semen tuum &c.* Et sic *benedixit domui Aaron*, dando sacerdotium, & jura Levitica, scilicet decimas &c. Et *benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus* : non autem rebellibus: & sic non solùm benedixit vos in copia bonorum temporalium, sed in copia filiorum. Ideo sequitur.

23. *Adjiciat Dominus super vos : super vos, & super filios vestros.*

22. q. 2. c. Si quæ libet. Isai. 63. 32. q. 3. Recurrat.

24. *Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram.*

25. *Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum.*

ADJICIAT *Dominus*, & adjecit numerum *super vos* & fœcunditatem prolis. Et non solùm *super vos*, sed *super filios vestros*, & super copiam generationis & fœcunditatis prolis. Et unde hoc ? quia *benedicti* estis *vos à Domino*, *qui fecit cœlum & terram* : quia colitis eum, & non simulacra, nec Deos Gentium. Ideo illi, qui colunt eos, sunt mortui, & inepti ad laudandum Deum. Nam ipsum *cœlum cœli*, scilicet Empyreum, datum & factum est ipsi Domino Deo, ut ibi à Beatis videatur. *Terram autem dedit filiis hominum*, id est, hominibus filiis Adam, ad habitandum & laborandum tamquam viatoribus. Et ideo resumit & concludit probationem & propositum primæ propositionis : quòd solus populus Israel est electus & dedicatus ad colendum & laudandum Deum, & non Gentiles ; eò quòd sunt mortui sicut dii eo-

eorum, & facti bestiales, sive inepti, & mortui in peccato. Ideo sequitur: A

28. q. 1. Omnes. §. Ex hist &c

25. *Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum.*

De Pœ. d. 1. Infirmum fundamentũ.

26. *Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.*

NON ergo Gentiles & peccatores, qui sunt *mortui* & inepti ad bene agendum, *laudabunt te Domine*, *neque omnes qui descendunt in infernum:* Cùm potiùs blasphement præ dolore tormentorum. *Sed nos qui vivimus* in Lege tua per gratiam, B *benedicimus* tibi *Domino*, & laudamus & colimus, *ex hoc nunc & usque in sæculum*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, Amen.

Sed quia iste Psalmus non est inanis, nec sine sacramentis sicut & cæteri; ideo videamus quid sibi vult sensus spiritualis ipsius, & quid in eo intellexit David de Christo & Ecclesia? Unde advertendum est, quod David contemplando in exitu Israel de Ægypto, & in transitu maris Rubri, & in miraculis factis in deserto, & in conversione Jordanis retrorsum, quando ingressi sunt filii Israel terram promissionis; & in victoriis *Josue*, quando occupavit terram, & divisit eam filiis Israel per Tribus in possessionem, ejectis gentibus &c. Tunc prævidit in spiritu mysterium ad- C ventus Christi in carne, & quomodo post passionem eduxit Patres de Limbo inferni, & nos omnes de tenebris peccatorum: & quomodo infernus *fugit* à facie ejus, & *mare*, id est, persecutio Tyrannorum *fugit*, & Ecclesia Fidelium, qui est populus Dei, introivit per totum mundum, propulsâ idololatriâ; & quomodo solus populus Christianus colit verum Deum, & nullus alius. Et sic de hac materia prophetando fecit hunc Psalmum, ut cantaretur in die Sabbati, & in festo Dedicationis Tabernaculi & Templi.

Ex quo patet, quod David non memoravit supradictas historias & mysteria tamquam principalem materiam hujus Psal- D mi, sed tamquam propositiones & parabolas, ex quibus intendit elicere tres conclusiones Euangelicas.

Nota. Quarum *prima* est: quòd solus populus Christianus est electus, & receptus ad colendum divina.

Secunda: quòd sola Ecclesia est dedicata ad cultum Dei.

Tertia: quòd illemet Deus, qui liberavit Israel de Ægypto ante Incarnationem, ille idem incarnatus liberavit Patres de Limbo, & Ecclesiam suam de captivi- E tate diaboli, & per consequens Christus Deus & homo est Dominus in cœlo & in terra. Ideo est verè colendus cultu Latriæ. Probatur: quia sola Ecclesia Christi successit illi populo, & dicta est *Judæa*, & *Israel*, & fuit figurata per omnia illa mysteria, in cujus figura facta sunt omnia illa, ut frequenter probatum est.

Dicit ergo David: Ego, supple, vidi in spiritu, quòd sicut *in exitu Israel de Ægypto*, scilicet *domus Jacob*, id est, cum Israel, & domus Jacob exiret de Ægypto, scilicet *de* illo *populo barbaro;* tunc *facta est Judæa sanctificatio ejus &c.* Ita Christus, qui figuratus est per *Moysen*, eduxit sanctos Patres de Limbo inferni, & omnes nos de tenebris peccatorum: tunc *Judæa*, scilicet Ecclesia, quæ F verè Deum confitetur, *facta est sanctificatio ejus*, id est, electa est à Christo in sanctificationem, & cultum verum Dei. *Et Israel*, scilicet, populus Christianus, qui est verus *Israel* (quia verè & solus videt Deum per fidem) factus est *potestas*, & possessio, & hæreditas *ejus*, ad possidendum terram viventium, quæ est regnum cœlorum. Et tunc in adventu ejus *mare*, & furia diaboli, & Tyrannorum *fugit*: quia potestas eorum obtusa & comprehensa est; & populus Dei transivit, & per aquas baptismales *Jordanis* ingressus est Ecclesiam per duodecim lapides, qui sunt duodecim articuli fidei: & sic lætanter possidet eam hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.

Jordanis figurat defluxum generis humani.

Unde nota, quòd per *Jordanem*, qui G interpretatur *descensus*, rectè figuratur defluxus generis humani. Nam *Jordanis* oritur, & emanat, & descendit à *monte Libano*, qui inter omnes montes *Syriæ* est felicior, & amænior, & fructuosior; & congregatur ex duobus fontibus. Et factus magnus tendit & fluit inter *Palæstinam* & *Arabiam Petream* versus Meridiem: & per *vallem illustrem*, quasi semper inter montes, & facit *mare Tiberiadis*: & postea in angustum alveum reductus, discurrit per *vallem illustrem*, & tendit usque ad *mare mortuum* in regione *Sodomorum*, & ibi submergitur in illo mari amarissimo, & infructuoso, & horribili.

Per hoc figuratur genus humanum, H sive defluxus generis humani descendentis à primo homine *Adam*, qui in illo amæniss̃imo & felicissimo monte paradisi creatus est, & in eo constitutus: quiquidem homo componitur ex duobus fontibus, scilicet ex corpore, & anima: tamen quia Deo inobediens fuit, ideo à monte paradisi dejectus est; & descendens de monte per vallem lacrymarum hujus mundi, discurrebat cum tota sua posteritate: qui licèt per loca amæna flueret, id est, per delitias hujus mundi, quæ non sunt compa-

parandæ delitiis paradisi, à quo ejecti sunt: tamen in fine omnes submergebantur in *mare mortuum* inferni amarissimum, multiplicibus pœnis, & tormentis. Sed veniens Dominus noster *Jesus* in virtute sua, non solùm mare, sed *Jordanis conversus est retrorsum*, cùm in eo posuit duodecim articulos Fidei; & non intravit *mare mortuum*; immò per ipsum transivit populus Christianus in istam Ecclesiam per gratiam, & in superiorem per gloriam. Et *Mare Rubrum* hujus mundi, quod omnes submergebat, & *Jordanis*, qui omnes ad mare mortuum deferebat, secti sunt per calles, permittentes nos transire in patriam nobis promissam; in qua sicut *agni ovium*, & *arietes* lætemur, pascentes in montibus & collibus Ecclesiasticis pascua uberrima & saluberrima Sacramentorum, hìc per gratiam, & in futuro per gloriam.

Ideo David contemplans hujusmodi mysteria, interrogat *mare Rubrum & Jordanem, & montes, & colles*, dicens: *Quid est tibi mare quod fugisti? & tu Jordanis &c?* Quasi dicat: Quomodo, & in qua virtute permisisti transire illum populum, id est, quid significabant ista mysteria? Et respondet Spiritus sanctus per os David prophetando adventum Christi, dicens: Vis scire quid hoc significat? Quia à facie Domini nostri Jesu Christi, qui est *Deus Jacob*, Messiæ in Lege promissi, *mota est*, & movebitur tota *terra*. Nam in ejus nativitate omnia regna mundi fuerunt mota, quia *flumen Nili* divisum est in septem ostia, & inundavit ultra solitum: & omnes dii, & idola Gentium clamarunt apud *Meotidas paludes*, & *Caspia regna*, Regem pacis esse natum: & *templum Pacis* Romæ prostratum est: & stella præter solitum in Oriente apparuit, quæ Magos ad Christum perduxit: & postea *à facie ejus mota est terra* centralis inferni, cùm inde Patres abstraxit. Et magis *mota est*, quando Apostolos per mundum misit, & *mare* Tyrannorum *fugit* & cessit, & idololatriâ rejectâ, Fides & Ecclesia mundum occupavit in virtute Christi. Nam sicut tunc tota *terra mota est à facie Domini*, qui portabatur in *Arca*: ita tota terra Gentilium mota est à facie nominis *Jesu*, quod Apostoli portabant in arca Euangelica: qui *convertit petram in stagna aquarum*, cùm corpus suum lanceâ est percussum, & *exivit sanguis & aqua* in remissionem peccatorum, unde Sacramenta Ecclesiastica virtutem sumpserunt.

Item, *convertit rupem in fontes aquarum*, cùm misit Spiritum in discipulos, & dedit eis septem dona Spiritus sancti &c. Unde illi qui erant grossi & duri sicut rupes, proruperunt *in fontes aquarum* sapientiæ Dei, & effuderunt per totum mundum, unde hausimus aquas sapientiæ Legis Euangelicæ. Et ideo Propheta apostrophat ad Christum, petens & rogans, ut ista citò impleantur: ut veniat sicuti promisit sanctis Patriarchis, & deleat idola Gentium, & omnes veniant ad terram promissam veræ fidei, & in ipso benedicantur omnes Gentes: quia hoc non cedit principaliter ad gloriam nostram, sed suam.

Ideo subdit: O *Domine* Jesu-Christe *non nobis*, id est, non dicimus, quod venias ex meritis nostris, quia non meremur. *Sed da gloriam nomini tuo*, id est, ut omnes Gentes serviant tibi, id est, adorent & colant nomen tuum, quod est *Jesus*, id est, colant Jesum-Christum, qui est *Nomen* tuum. Et hoc fac *super misericordia tua*, id est, propter misericordiam tuam & *veritatem tuam*, ut impleas quod promisisti *Abrahæ*, scilicet, *in semine tuo benedicentur omnes gentes*. Ergo fac quòd hoc sit verum: *Ne* aliquando *dicant gentes, ubi est Deus eorum* Judæorum, qui expectant Messiam eis promissum? Quia cum iis Dominus, hoc potes facere. Nam tu es *Deus in cœlo*, qui *omnia quæcumque voluisti, fecisti* usque ad præsens tempus. Nam tu de nihilo creasti cœlum & terram, & liberasti patres nostros, & ejecisti gentes, & punisti, & introduxisti eos in terram promissam: quæ quidem mysteria significabant adventum tuum, & ruinam idololatriæ, & electionem Ecclesiæ, & hæreditatem, & possessionem &c.

Ergo non permittas regnare idola *Gentium*, & *simulacra*, cùm non sint nisi *argentum & aurum*, & *opera manuum hominum &c.* ergo *omnes qui faciunt ea, & qui confidunt in eis*, & nolunt converti, *fiant similes illis*, scilicet muti, & sine sensu &c. Haud sic de nobis, qui sumus *domus Israel*, & vera Ecclesia. Nam *domus Israel*, scilicet Ecclesia fidelium *speravit in Domino*. Quia sicut ille populus speravit in Domino, & *Dominus adjutor eorum fuit*, eos à periculis temporalibus liberando; ita populus Christianus & Ecclesia, quæ speravit in Domino, liberabitur, & est liberata per Christum à morte peccati, & periculis spiritualibus per adventum suum: & sicut tunc Dominus *memor fuit* illius populi, & *benedixit ei*, in terram promissam introducendo, & possessiones, & bona temporalia conferendo; & *benedixit domui Aaron*, sacerdotium & cætera jura Levitica largiendo; ita dedit Christus *Petro*, & successoribus suis Episcopis, & Presbyteris, & toti cætui Apostolorum tradidit claves regni cœlorum, & Ecclesiasticam potestatem; & tàm jura temporalia, quàm spiritualia: & sic *benedixit domui* & cætui ministrorum Ecclesiæ. Et ut breviter omnes Fideles comprehendantur, dicit, quod *benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus*, scilicet, parvis & magnis, divitibus & pauperibus, & simplicibus,

Nota.

Nota signa in Christi nativitate.

Græcis, & Barbaris, & Latinis, postquam venerunt ad Fidem, & Deum timent.

Et quia ex paucis Judæis, scilicet Apostolis & discipulis, incœpit Ecclesia, sed postea crevit in magnum numerum ex Gentibus per totum Orbem; ideo ait Propheta: *Adjiciat Dominus super vos*, ò Apostoli, & discipuli, id est, crescere vos faciat, & addat magnum numerum *super vos, & super filios vestros*, ex Gentibus ad Fidem regeneratos.

Et subdit: O Fideles, *benedicti* estis *à Domino, qui fecit cœlum & terram*, ex quo cepistis baptismum, & non curatis habere regnum in terris, nec congregare bona mundana & temporalia, nec scandalizamini, si homines pravi & mundani abundant bonis temporalibus, & conculcant & persequuntur justos, & vos estis inopes, & pauperes, & afflicti ab impiis: nam in hoc mundo tantùm habent felicitatem; *vestra autem merces in cœlo est*. Nam Deus Pater dedit *Domino* nostro Jesu-Christo *cœlum cœli*, id est, cœlum Empyreum in possessionem & habitationem æternam, ubi est summa, & æterna, & secura felicitas. Et hoc cœlum dedit Pater Filio pro se & suis Fidelibus; *terram autem* istam inferiorem *dedit filiis hominum*, scilicet, terrenis & mundanis, cujus felicitas erit brevis, & pœna erit æterna: Nam licèt videantur vivere, tamen *mortui* sunt Deo, & privati illa superiori vitâ æternâ. Nam hîc sunt *mortui* in suo peccato, & in futuro erunt per pœnam in inferno. Et ideo subdit Propheta: *Non* isti homines terreni, qui sunt *mortui* in peccato, *laudabunt te* ò *Domine* hîc in mundo, *neque omnes qui descendunt in infernum* laudabunt te; immò blasphemant hîc peccando, & ibi pœnas patiendo. *Sed nos qui vivimus* hîc per gratiam, servando Legem Euangelicam, *benedicimus Domino* ore & opere. Benedicimus, dico, *ex hoc nunc*, id est, jam incœpimus *ex hoc* instanti, & ex hoc sæculo, vivendo per gratiam: *Et usque in sæculum* aliud, fruendo per gloriam.

Ex isto Textu, scilicet, *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, dogmatizant magistri moderni Judæorum in Synagogis suis, quod homines post hanc vitam non ascendunt in cœlum, nec ascendent post resurrectionem, sed manebunt in terrestri paradiso cum *Abraham, Isaac, & Jacob*, & ibi erunt in perpetuum: Nam *cœlum* non est datum hominibus, sed Domino Deo, *terram autem dedit filiis hominum* ad habitandum & manendum. Unde Judæi moderni non expectant gloriam in cœlo, sed in terra cum *Abraham, Isaac, & Jacob*, scilicet, in illa terra unde fuit ejectus *Adam*: habent enim pro inconvenienti, quod homines possint ascendere in cœlum, nec ibi manere, cùm sit contra naturam hominis.

Contra Hæreticos qui dicũt homines non ascendere in cœlum.

Sed quàm sit detestabilis ista doctrina, & contra Sacram Scripturam, de seipso manifestum est: nam sicut non est inconveniens, nec impossibile, quòd Angeli Deo rebelles à principio fuerint ejecti de cœlo, non solùm in faciem terræ, sed usque in profundum inferni, ubi perpetuò cruciantur pœnis æternis: ita non est inconveniens, quod homines justi & sanct, qui non secundùm carnem vixerunt, & pœnitentiam de suis peccatis egerunt, ascendant in cœlum, & inter *Hierarchias* Angelorum collocati sempiterno ævo fruantur, ut dictum est Psalmo præcedenti. Nam licèt hoc non conveniat, nec debeatur hominibus per naturam; tamen datur eis per gratiam, & & merita passionis Christi, cujus membra sunt per Baptismum & Fidem effecti. Unde quando Christus ascendit in altum cœlum in die Ascensionis, secum duxit captivitatem sanctorum Patrum, scilicet *Adam, Abraham, Isaac, & Jacob*, ut dictum est *Psalm.* 67. Et sic Abraham, Isaac, & Jacob non sunt in hac terra, ut isti moderni Judæi mentiuntur; sed regnant in cœlo cum Christo, & cum filiis promissionis. Et ideo isti Judæi carnales numquam ascendent cum eis in cœlum, sed in infernum perpetuò cruciandi descendent. Ideo dixit Christus, *Matth.* 8. Quod *multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum, Filii autem regni mittentur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.* Et ideo David notanter dixit: *Cœlum cœli Domino*, id est, quod Deus Pater dedit cœlum Christo *Domino* pro se & suis membris: quia omnes ascendemus cum Capite nostro Christo: sed *terram dedit filiis hominum*, id est, carnaliter, & secundùm hominem viventibus: nam Fideles jam non dicuntur filii hominum. Sed hoc non possunt capere obcœcati & obstinati Judæi. Nam qui vult accipere repromissionem in cœlo cùm *Abraham, Isaac, & Jacob*, oportet, quòd ascendat cum Christo capite nostro, cum quo illi ascenderunt: aliter nemo poterit ascendere, nisi efficiatur membrum Christi. Quia *nemò ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Qui *cum fuit exaltatus* in cœlum & in crucem, *omnia* sua membra *traxit ad seipsum*, *Joannis* 3.



PSAL-

PSALMUS CXIV.

1. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.*

2. *Quia inclinavit aurem ſuam mihi: & in diebus meis invocabo.*

3. *Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.*

4. *Tribulationem & dolorem inveni; & nomen Domini invocavi.*

15. d. ca. Sanctæ Romana.

Pſ. 17. a. 7. q. 1. Adverſitas. Et 23. q. 4. c. ult.

TITULUS: *Alleluja.* Ex Titulo apparet, quòd David fecit hunc Pſalmum ad laudandum Deum in feſtivitatibus determinatis, maximè in die Paſchæ; eò quòd agit gratias pro toto genere humano, quia fuit liberatum de captivitate diaboli, & vivificatum à morte æterna, & conſtitutum *in regione vivorum*, id eſt, in Eccleſia Chriſti, vivendo per gratiam.

Tria ergo facit: nam primò proponit quod intendit, narrando afflictiones, in quibus erat poſitus iſte *homo myſticus.* Secundò, invocat Chriſtum, ut veniat in carne ad liberandum ipſum. Tertiò, excitat animam ſuam ad pœnitentiam & fidem, & ad agendum gratias. Secunda ibi: O *Domine libera animam meam.* Tertia ibi: *Convertere anima mea.*

Diviſio Pſalmi.

Quantum ad primum eſt notandum ſecundùm *Apoſtolum ad Epheſ.* 1. & ſecundùm *Auguſtinum* in *Sermone de Apoſtolis*, quòd Deus priùs dilexit nos affectu & effectu, quàm nos diligeremus ipſum: nam ipſe ab æterno dilexit nos, & elegit, & prædeſtinavit, antequam eſſemus: & poſtea gratificavit nos in Chriſto Filio ſuo, & vocavit nos per ipſum ad fidem, & redemit nos, antequam aliquid boni faceremus. Et ſic patet, quòd nos ex debito tenemur ipſum diligere & amare: quia per priùs dilexit nos, non ſolùm in affectu, ſed etiam in effectu, conferendo talia beneficia.

Deus prior dilexit nos.

Et ideo *Adam myſticus*, qui introducitur ad loquendum in hoc Pſalmo cum ſua poſteritate Fidelium, dicit: Ego *dilexi*, id eſt, teneor diligere Dominum. Et ponitur præteritum pro futuro, ratione certitudinis prophetiæ, ut dictum eſt pluries, & patet per litteram ſequentem, id eſt, diligam Dominum, *quoniam* ipſe *Dominus exaudiet vocem orationis meæ* factam per Patriarchas & Prophetas. Et diligam etiam ipſum, & teneor ipſum ſemper diligere; eò quòd invoco ipſum: primò, ut veniat ad liberandum me: & poſtquam liberavit me, invoco eum, agendo gratias.

Et bene cogor invocare ipſum ut veniat: nam poſtquam fui ejectus à paradiſo per peccatum, *circumdederunt me dolores mortis.* Quia fui afflictus in corpore multis infirmitatibus & miſeriis, & in anima fui ſauciatus, & vulneratus fomite concupiſcentiæ, propter quod ſum pronus ſemper ad male agendum, & cadendum, & fragilis ad bene operandum. Et ſic *pericula inferni invenerunt me*, propter peccatum originale & actuale. Et ſic *pericula inferni invenerunt me*, *quia cecidi* in mortem perpetuam & æternam, à qua non poſſum liberari niſi per Chriſtum. Et ideo *nomen Domini invocavi* per Patriarchas & Prophetas, exiſtens in tali tribulatione & dolore à principio caſus mei uſque ad Chriſtum. Et ideo *invocavi nomen ejus*, quod eſt *Jeſus* & *Salvator*; quia *nullum aliud nomen eſt ſub cœlo, in quo nos oporteat ſalvari*, niſi in Chriſto Jeſu, quod eſt nomen *Tetragrammaton*, continens in ſe quatuor virtutes, ſcilicet, omnipotentiam, ſapientiam, miſericordiam, & juſtitiam, ut dictum eſt in *Prologo*, & *Pſalmo* 8. & 112.

5. *O Domine libera animam meam: miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.*

De Conſe. d. 2. Iteratur. 24. q. 1. Quæ dignior.

6. *Cuſtodiens parvulos Dominus: humiliatus ſum, & liberavit me.*

IN hac ſecunda parte Propheta in perſona totius corporis myſtici convertitur ad Chriſtum, ut veniat ad liberandum ipſum à ſupradictis pœnis & miſeriis, in quas incidit per peccatum, & dicit: O *Domine* Jeſu-Chriſte *libera animam meam* à ſupradictis pœnis: quia tu es Dominus quantum ad omnipotentiam; & es miſericors & juſtus: quia hoc continet nomen tuum *Jeſus*, quod eſt nomen *Tetragrammaton.* Et ideo tu ſolus potes me liberare, quia Deus & homo. Et Propheta mutat perſonam per ſemetipſum, dicens: *Deus noſter* Jeſus Chriſtus *miſeretur* nobis; eò quòd eſt *miſericors*, & *juſtus*: & eſt *Dominus cuſtodiens parvulos*, id eſt humiles, & ſimplices. Quaſi dicat, volendo ſeipſum & nos conſolari: *Jeſus Chriſtus* Dominus Deus noſter miſerebitur noſtri: quia ipſe eſt *Pater*, & *Advocatus*, & *Tutor* pauperum,

rum, & simplicium, & miserorum: ideo efficiamur parvuli per humilitatem & fidem, & miserebitur nostri, quia ego *humiliatus sum* per fidem, ideo *liberavit me* per passionem suam, & Ecclesiastica sacramenta. Item, *humiliatus sum*, id est, dejectus, & punitus in hac valle miseriæ propter peccatum; tamen Dominus *Jesus* liberavit & redemit me in adventu suo. A

Ps.55. d. 2. q.7. c. Testes, §. Christus. De Consec. d. 2. Fucare.

7. *Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.*

8. *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis,* B *pedes meos à lapsu.*

9. *Placebo Domino in regione vivorum.*

IN hac tertia parte excitat animam suam ad Fidem Christi, & ad agendum gratias, & ad contemplationem pro beneficio redemptionis perfectæ per Christum. Unde dicit: *O anima mea convertere in requiem tuam*, id est, ad statum gratiæ, à quo cecidisti per peccatum: *quia Dominus* Jesus Christus *benefecit tibi*, te redimendo per mortem & passionem. *Quia eripuit animam meam de morte*, ad quam eras condemnata per peccatum. Et *eripuit oculos meos à lacrymis*, & pœnis, in quibus eram: quia semper flebam casum meum, & felicitatem quam perdideram. Et *eripuit* etiam *pedes meos à lapsu*, & dedit mihi gratiam ad resistendum tentationibus, ne cadam in peccatum: & sic sanavit vulnera mea, & vivificavit animam meam *à morte*. Unde quia antè eram mortuus per peccatum, nunc vivo per gratiam. Ideo humiliatus *in regione vivorum*, quæ est Ecclesia, *placebo Domino*, id est, orationes meæ, & bona opera erunt Deo grata, & accepta: quia extra Ecclesiam nullus exauditur. Quia *non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, ut dictum est *Psalmo* C *præcedenti: sed nos qui vivimus in hac regione vivorum* per gratiam, & in futuro per gloriam, placebimus Domino: quia laudes nostræ & orationes erunt Deo gratæ, & acceptæ. D

Nota, quòd istum Psalmum cantat Ecclesia in persona cujuslibet defuncti existentis in Purgatorio, in quantum desiderat liberari per suffragia Ecclesiæ, ut requiescat, & *placeat* Deo *in regione vivorum* per gloriam. Et sic etiam tota Ecclesia cantat hunc Psalmum anagogicè in diebus ferialibus, in quantum petit liberari à vinculis, & morte corporis hujus, & quiescere cum Christo in superna regione vivorum. E

Psalmus CXV.

1. *Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.*

2. Cor.4. De Pœ.d. 3. cap. Si enim. Roma. 3. Et de Consec. d.2.c. Iteratur.

2. *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.*

F

HUIC Psalmo nullus Titulus ponitur in Hebræo. Sed de se ostendit, quòd est *Allelujaticus*, eò quòd agit gratias de beneficiis receptis.

Ad cujus intellectum est præadvertendum, quòd David primò fuit homo simplex, & pastor, & ignarus, sicut dictum fuit *Psal.*22. & 88. Et sic absque litteris & scientia *credebat* per solam fidem, & vivebat in fide Ecclesiæ secundùm illum statum, & confitebatur Christum futurum in sola fide parentum: sed quando spiritus *Saulis* transivit in ipsum, jam fuit magis illustratus: sed quando dedit totum seipsum divinæ contemplationi, & rapiebatur G in extasim & excessum mentis, tunc in spiritu & lumine prophetico prævidit omnia futura mysteria de Christo & Ecclesia, prout erant figurata in Lege Moysi, & in gestis Patriarcharum, & Prophetarum, qui ipsum præcesserant, & in gestis *Josue*, & *Judicum*, & in omnibus adversitatibus, & prosperitatibus suis. Et sic in illa contemplatione, & mentis excessu, & extasi, in quam frequenter rapiebatur, vidit manifestè, qualiter sola Sacra Scriptura, & Lex Divina erat vera; eò quòd erat à solo Deo ipsi *Moysi*, & Patriarchis, & Prophetis tradita. Et vidit quomodo superstitio Gentilium erat falsa: eò quòd erat à diabolo & hominibus conficta: quia sicut nullum est ens, nisi procedat à prima entitate; ita Nota. nullum potest esse verum, nisi procedat à H prima veritate, quæ est Deus, scilicet Verbum æternum, Filius Patris, qui illuminavit mentes Patriarcharum & Prophetarum, & revelavit eis veritatem suam in Sacra Scriptura. Et sic superstitio Gentilium nullo modo potuit esse vera, postquam non fuit à prima veritate revelata, sed à diabolo & hominibus conficta.

Et sic vidit, qualiter est *omnis homo mendax* in verbis suis, in quantum loquitur ex propriis de rebus divinis, nisi illustretur à Spiritu sancto. Et ideo Sacerdotes, & Poëtæ, & Nigromantici, & Magi Gentilium, fuerunt mendaces in verbis, &

tra-

traditionibus ſuis ; eò quòd non fuerunt illuſtrati à prima veritate, ſed deluſi à diabolo, qui *ab initio in veritate non ſtetit, ſed ſemper fuit mendax & pater mendacii.* A

In eadem, & multiplici extaſi, prævidit David in ſpiritu, qualiter Filius Dei, qui eſt prima veritas, qui locutus fuit *Moyſi*, & Patriarchis, & Prophetis veteris Teſtamenti, erat venturus in carne, & locuturus Apoſtolis ſimplicibus & illitteratis : qui quidem Apoſtoli primò debebant ſimpliciter credere Chriſto & ſequi ipſum ; ſed poſt reſurrectionem debebat mittere eis Spiritum ſanctum, & rapere eos in altiorem extaſim, & illuſtrare eorum mentes altiori lumine ſupra omnes Patriarchas & Prophetas, ut intelligerent claro lumine omnia illa, quæ ſub figuris & ænigmatibus B præviderunt Prophetæ.

Et prævidit etiam David, qualiter Apoſtoli & Diſcipuli ſic illuſtrati debebant diſpergi per totum mundum ad prædicandum veritatem Euangelicam, quam à Chriſto acceperant, & debebant eliminare & exterminare mendacium, & falſam ſuperſtitionem, quam diabolus ſeminaverat in populo Gentili : & ſic Apoſtoli & Martyres debebant ædificare Eccleſiam in populo Gentili, toto orbe diffuſam, & ſanguine ſuo eam irrigare, & confirmare, & in ea ſeipſos in hoſtiam & ſacrificium Deo offerre. Et ſic patet, qualiter Apoſtoli ſimplices & idiotæ primò ſimpliciter Chriſto crediderunt, ſed poſtea per receptionem Spiritus ſancti in illam extaſim rapti, totam Sacram Scripturam in lumine Euangelico C intellexerunt. Et ſic locuti ſunt & prædicaverunt Euangelium per univerſum orbem : per quam prædicationem totum mundum jugo Chriſti ſubjecerunt, propter quam fidem ſeipſos morti & martyrio in eadem Eccleſia obtulerunt.

Omnia ergo iſta prævidens David in ſpiritu & extaſi ſua, fecit hunc Pſalmum : *Diviſio Pſalmi.* in quo introducit Eccleſiam Apoſtolorum, & omnium Martyrum, & Doctorum, & omnium Fidelium loquentem & agentem Chriſto gratias pro beneficio Fidei, & luminis Euangelii recepti. In quo Pſalmo duo facit : nam primò explicat beneficium receptum. Secundò, promittit ſe gratias D acturum, & ſacrificium oblaturum pro tanto beneficio recepto. Ibi : *Quid retribuam Domino?*

Quantum ergo ad primum dicit cœtus Apoſtolorum, & Diſcipulorum, & totus homo myſticus : Ego quoque *credidi* Jeſu-Chriſto, qui eſt prima veritas, & ſecutus ſum ipſum, & inſtruxit me primò in monte, *Matth.* 5. & ex conſequenti in ſua prædicatione : *propter quod*, & propter quam ſimplicem veritatem *locutus ſum*, & prædicavi Legem Euangelicam primò in ſola terra promiſſionis, quando miſit me ad prædicandum & baptizandum *in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus*, ut patet *Lucæ* 9. & 10. Unde debet E ſic ordinari iſta littera : Ego nolui aſſentire mendacio Scribarum & Phariſæorum, nec falſæ ſuperſtitioni Gentilium. *Autem* pro *ſed*, *humiliatus ſum nimis* : & captivavi intellectum meum, & credidi Chriſtum, qui eſt prima veritas, *propter quod*, & propter quam credulitatem & veritatem *locutus ſum*, & prædicavi Euangelium omni creaturæ.

Et poſtea *ego dixi in exceſſu* & extaſi : id eſt, cognovi in illa receptione Spiritus ſancti, qualiter ſola Lex Divina à Spiritu ſancto illuſtrata & revelata, erat vera, & omnis alia doctrina erat falſa, quia *omnis homo* carnalis, in quantum homo, eſt *men-* F *dax* : & ſic omnis doctrina ejus eſt mendacium, niſi à Spiritu ſancto homini reveletur : quia tunc ille homo ſic illuſtratus, non eſt homo, ſed Deus per participationem, ut dictum eſt *Pſal.* 81.

Iſta etiam intelligentia & ſententia poteſt incipere in ſecundo verſu ; ut ſit ſenſus : *Ego in* illo *exceſſu meo* & extaſi illuſtratus in die Pentecoſtes, *dixi* & cognovi, qualiter *omnis homo*, in quantum homo, eſt *mendax* in propria ſcientia & doctrina, niſi fuerit à Deo, qui eſt prima veritas, illuſtratus : & ſic novi, qualiter doctrina Scribarum & Phariſæorum erat mendax & falſa ; eò quòd non erat à Deo, ſed ab eis propter lucrum ſuum confiſta. Et *dixi* & novi, deteſtabilem ſuperſtitionem Gentilium eſſe falſam ; quia non erat à G Deo, ſed à diabolo, & Sacerdotibus, & Poëtis eorum injecta & perſuaſa. Et ideo nolui credere, nec aſſentiri falſo fermento Scribarum & Phariſæorum, nec nefandæ ſuperſtitioni Gentilium. *Autem* pro *ſed* : ſed *humiliatus ſum nimis*, & captivavi intellectum meum, & *credidi* Chriſto, qui eſt prima veritas, & ſecutus ſum ipſum, *propter quod* ego *locutus* & confeſſus *ſum*, ipſum eſſe verum Deum & Meſſiam in Lege promiſſum : *& locutus ſum*, & prædicavi Euangelium omni creaturæ.

Si ergo Chriſtus fecit mihi tantam gratiam præ cæteris, *quid* ergo *retribuam Domino pro omnibus* & tantis beneficiis, H *quæ* Chriſtus *retribuit mihi?*

Iſta etiam ſunt verba populi Gentilis ad Chriſtum converſi : qui humiliavit ſeipſum, & credidit Chriſto ; & tandem illuſtratus cognoſcens ſeipſum, & falſam ſuperſtitionem, in qua priùs erat, dixit in ſua contemplatione veritatis, quòd *omnis homo* carnalis eſt *mendax* in ſua doctrina, niſi fuerit à Deo illuſtratus, ut patet *Hieremiæ* 16. ubi dicitur : *Gentes ad te venient ab extremis terræ, & dicent : Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit &c.* Quæ omnia fuerunt impleta in *Auguſtino*, & *Ambroſio*,

& cæteris Doctoribus, & Martyribus conversis ex populo Gentili, qui non solùm in prædicationibus, sed etiam in disputationibus & scriptis detexerunt deceptionem, & mendacium, in quo laborabat totus ille populus ante suam conversionem, ut ostendit *Augustinus* in decem primis libris *de Civitate Dei*, & *Eusebius* in libris *de Præparatione & veritate Euangelica*, & in triginta libris *contra Porphyrium*: & hoc idem *Lactantius* in octo libris *Divinarum Institutionum*: & sic de multis; qui omnes dixerunt in suo mentis excessu & contemplatione, & confessi sunt, illam detestabilem superstitionem esse falsam & mendacem, à diabolo & hominibus carnalibus confictam: de quo quidem populo Gentili post conversionem, & agnitionem veritatis, fuerunt multi Martyres, & Doctores, & Religiosi, & Eremitæ: & sic obtulerunt seipsos in hostiam Deo placentem pro Christo & Fide Euangelica, quam antè impugnaverant.

Doctrina non est vera, nisi à Spiritu Sancto detur.

Ex his patet, quòd nulla doctrina de rebus divinis est vera, nisi illa, quæ tradita est à Spiritu sancto per Patriarchas, & Prophetas, & Apostolos, & Doctores, in quibus locutus est Spiritus sanctus: quia non erant illi qui loquebantur, sed spiritus Patris, qui loquebatur in eis. Ergo *omnis homo* de se semper est *mendax*. Quia *omne verum, à quocumque dicatur, à Spiritu sancto est*, secundùm *Ambrosium*. Et ideo nullus de se debet præsumere, nec affirmare aliquid, sine authoritate Sacræ Scripturæ, secundùm *Dionysium*, & *Augustinum* in *Sermone de Martyribus*, ubi declarat hunc versum. Et etiam ad hunc sermonem allegat *Apostolus* hos versiculos *in* 2. *ad Corinthios* 4.

15. q. 1. c. Revertimini.

3. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?*

4. *Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.*

In eodem, & Sap. 9. a.

5. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus.*

IN hac secunda parte intendit agere gratias pro beneficiis receptis: putà, pro beneficio redemptionis & electionis, quia elegit ipsum per fidem. Sed quia est difficile pro his Deo satisfacere, & gratias sufficienter reddere; ideo ait: *Quid retribuam Domino*, & quam satisfactionem faciam *pro* his *omnibus quæ retribuit mihi?* Quia primò me de nihilo creavit, & in tanto honore in paradiso præfecit: & post lapsum me proprio sanguine redemit: & demum per gratiam & fidem vocavit & elegit, & Judæis manentibus cæcis, in Ecclesia sua congregavit, & veram, & sanam doctrinam docuit, & fidem inspiravit, per quam cum audacia prædicavi, & *locutus sum*. Non sum ergo sufficiens pro tantis beneficiis satisfacere. Sed scio quid faciam. Nam cùm bona temporalia non sufficiant, dabo ipsi, quod pretiosius habeo, scilicet meipsum, & vitam meam. Nam sicut ipse obtulit se pro me in ara crucis ad mortem, & bibit pro me calicem passionis: ita ego offeram meipsum, & exponam me ad mortem pro ipso, & defensione sui nominis, & Legis Euangelicæ: & sic *calicem salutaris*, scilicet passionis, & mortis, & martyrii accipiam. *Et nomen Domini invocabo*, & confitebor coram hominibus. Nam quia video, quòd nil est pretiosius apud Deum, & in conspectu Domini, quàm *mors Sanctorum ejus* per martyrium: ideo *vota mea Domino reddam*, scilicet, meipsum offeram, & ad mortem & martyrium libenter exponam, & nomen Jesu-Christi confitebor, non absconditè, sed *coram omni populo ejus*, sicut ipse confessus est me in cruce coram hominibus, & mortuus & passus est. Ita ego volo pro eo mori: quia scio quod *pretiosa* & magni pretii est *in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus* per martyrium voluntarium propter nomen ejus.

Quod quidem votum factum à David in persona totius Ecclesiæ, fuit impletum in omnibus Apostolis & Martyribus, qui passi sunt pro Christo, & calicem martyrii acceperunt: & etiam impletum est per *Magdalenam*, *& Athanasium*, *& Ambrosium*, *& Hilarium*, *& Hieronymum*, *& Augustinum*, qui pro Christo persecutiones & labores sustinuerunt, & seipsos ad labores & pœnitentiam exposuerunt, & totam vitam obtulerunt. Quia omnes isti ad mortem civilem seipsos pro Christo obtulerunt; quia vita Christiani, si secundùm Ecclesiam vivat, martyrium est, ut inquit *Augustinus*: nam nullus potest retribuere, nec satisfacere Christo pro tantis beneficiis receptis, nisi per martyrium.

* *
* ** *

22. q. 2. *Cum redemptor.*

6. *O Domine, quia ego servus tuus:* A *ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.*

Supra eodem.

7. *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.*

8. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus; in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.* B

SED conversus in se David in persona Ecclesiæ, considerat, & contemplatur magnitudinem, & immensitatem beneficiorum Christi; & considerat parvitatem muneris nostri, videns, quòd non est conveniens retributio, nec recompensatio nostra, nec æqua commutatio. Et sic non satisfacimus, licèt offeramus nosmetipsos ad mortem: nam ipse Dominus & innocens obtulit se pro nobis peccatoribus, & sic obtulit infinitum & mundum pro finito et immundo, et nos offerimus finitum et parvum. Item, nos sumus servi, et ipse Dominus: ergo non est æqua commutatio. Item, ipse nos liberavit à captivitate et morte æternâ; et nos per martyrium C solùm reddimus vitam temporalem: Ergo major fuit donatio, quàm sit retributio, et majus donum, quàm munus. Item, si nos damus nosmetipsos, facimus quod debemus et tenemur. Nam ex debito servus tenetur mori pro domino, et defendere nomen suum. Ideo faciens hoc, inutilis servus est; quia facit quod debet, et nihil erogat de suo, *Lucæ* 12. Item, magis est servus ille qui est redemptus, quàm ille qui solum est jure belli captivus et captus: et magis tenetur redemptori, quàm emptori, vel piratæ, qui ipsum rapuit, sive bellatori, qui ipsum jure belli acquisivit; quia isti violenter possident, et ille libenter et gratanter. Ex quo sequitur, quòd licèt pro Christo nosmetipsos martyrio exponamus, non æquè satisfacimus, nec D æquale munus retribuimus; quia nihil nostri offerimus: quia jam *servi ejus sumus*, et facimus quod tenemur.

Nota quomodo sumus Christi servi.

Ideo subdit: O Domine, licèt accipiam *calicem* martyrii pro te, non satisfacio, nec retribuo æquale munus dono recepto: quia nihil offero de meo. Nam *ego* sum jam *servus tuus* in persona creatus et redemptus; et quod fortius est, *filius ancillæ tuæ*, scilicet naturæ humanæ, primò captivæ, et posteà redemptæ. Ergo non solùm sum *servus* in persona; sed etiam in natura. Nam magis captivus est E ille qui est captivus, et filius ancillæ et captivæ, quàm ille qui solum est captivus, et filius liberæ, sicut est ille qui est raptus à pirata, cujus mater est libera in civitate sua, licèt iste serviat in domo domini sui qui rapuit eum. Nos autem non sumus servi à fortuna, sicut est raptus à pirata, vel captus in bello: sed eramus servi naturâ, et filii iræ et vindictæ, à qua servitute tu Christe nos liberasti. Et sic sum nunc *filius* Ecclesiæ, quæ est *ancilla tua* à captivitate redempta. Ex quibus patet, quòd in exponendo me morti, nihil do de meo, immò non retribuo æquum munus: nam tu me à captivitate liberasti, et *dirupisti vincula mea* per mortem, et passionem, F et resurrectionem; quibus vinculis tenebar vinctus, et captivus in potestate peccati. Ergo jam sum servus tuus.

Si ergo non possum retribuere æquale munus, eò quòd sum servus, et tu *dirupisti vincula* captivitatis et peccati mei; scio quid faciam: offeram enim majus munus et sacrificium, quod non est meum, sed tuum, quod est bonum de opere operato. Et ideo *tibi sacrificabo hostiam laudis*, et de se laudabilem et bonam, quod est Sacramentum *Eucharistiæ*, in quo offertur Christus Filius tuus, ô Pater, quod sacrificium non potes refutare, cùm sit pretii infiniti tibi acceptabile, *Agnus sine macula*. Secundò, verè *nomen Domini invocabo*, petendo salutem redemptionis: nam offerendo illud sacrificium et hostiam, G participamus Christi passionem, et redemptionem, et salutem: quia in memoriam ejus passionis celebramus.

Istam ergo *hostiam* sacrificabo tibi quotidie: et sic *reddam* ista *vota mea Domino in conspectu* totius *populi* christiani. Et hoc sacrificium non offeram in plateis sicut sacrificium martyrii, quod fiebat in plateis; sed hoc sacrificium *Eucharistiæ* offeram *in atriis domus Domini*, id est, in Ecclesiis, sicut sacrificium dedicatum: et *in medio tui*, ô *Hierusalem*, id est, ô Ecclesia Christi. Quasi dicat: in Ecclesia et Templo offeram, et frequentabo quotidie hoc Sacramentum, et hoc sacrificium de se laudabile et acceptabile *retribuam* Deo pro beneficiis acceptis, postquam meum H non est sufficiens.

Sed est advertendum, quòd etiam totus iste Psalmus potest esse vox Christi, qui postquam vidit omnes esse peccatores, præter seipsum; ideo solus ipse fuit sufficiens sacrificium ad satisfaciendum pro toto genere humano. Et ideo obediens Patri usque ad mortem, obtulit seipsum pro nobis, sicut dictum est *Psal.* 39. Ideo dicit hîc: Ego *credidi*, id est, obedivi Patri meo. Nam *credere*, idem est quod *obedire*. Nam quia Pater meus voluit, ut ego pa-

Alia expositio.

terer pro omnibus ; ideo *propter* hoc *locutus sum* , manifestando suam voluntatem hominibus , & dando Legem Euangelicam. Et exinde *humiliatus sum nimis* , id est valde : quia usque ad mortem crucis fui obediens , & passus sum pro omnibus. Et hoc feci , quia nullus alius erat sufficiens ad liberandum genus humanum , cùm omnes essent peccatores : quia *ego dixi* , id est cognovi , quòd *omnis homo* erat *mendax*, & peccator. Quia *omnes in Adam peccaverunt* , & declinaverunt à via veritatis. Et ideo quando ego vidi , quòd nullum aliud sacrificium erat acceptabile apud Deum ; tunc dixi : *Ecce venio* ad offerendum meipsum pro sacrificio.

Quid ergo *retribuam Domino* ? Quasi Christus dicat in quantum homo : Si Pater tantum exaltavit me , ut Verbo suo me personaliter uniret , & Agnum sine macula, & caput Ecclesiæ me constitueret , & ab æterno me , ut facerem voluntatem suam, prædestinaverit , & in capite libri me scripserit : *quid* ergo faciam *pro* his *omnibus quæ retribuit mihi* ? Scio quid faciam : quia obediens Patri accipiam calicem salutaris passionis. *Et nomen Domini invocabo* , & intercessor ero , & mediator inter Patrem meum & genus humanum. Et *reddam vota mea Domino* Patri meo ; quia in ara crucis me offeram in sacrificium *coram omni populo ejus* in civitate Hierusalem. Et hoc faciam , quia *pretiosa* est , & sacrificium valde acceptabile *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Quia mors cujuscumque justi est valde acceptabilis apud Deum : quanto magis mors Christi , *Agni sine macula* , qui est justus justificans omnes, & sufficiens ad satisfaciendum pro omnibus Sanctis Sanctorum?

O Domine Pater , ego istud sacrificium offeram ; primò , quia sum *servus tuus*, & obediens , in quantum me creasti & prædestinasti. Sum etiam *servus tuus* verè, & obediens , & humilis , in quantum sum *filius* Virginis Mariæ *ancillæ tuæ* , ex qua formam servi accepi , cujus humilitatem super omnes mulieres respexisti. Et sic omnibus modis sum tibi *servus* , & obediens : & sic teneor tuam voluntatem adimplere & mortem subire.

Secundò : quia *dirupisti vincula mea*, scilicet , membrorum meorum peccata remisisti , & me , & Matrem meam ab omni peccato præservasti : quia non fui captus in retiaculo peccatorum , in quo omnes ceciderunt. Ideo *tibi sacrificabo hostiam laudis* , id est , meipsum hostiam acceptabilem in ara crucis. *Et nomen Domini* pro omnibus *invocabo*. Et iterum *vota mea* ad Dominum *reddam* , id est , Sacramentum *Eucharistiæ* quotidie offerendum instituam *in conspectu Domini* ; & hoc non in platea, sed in templo , & *in atriis* tuis , ô *Hierusalem* , scilicet in locis dedicatis , & consecratis. Et hoc dicit Christus , quia primum sacrificium , scilicet mors & passio, fuit facta coram omni populo : sed secundum sacrificium , scilicet *Eucharistiæ* , non offertur nisi in Ecclesiis ad ministranda sacramenta dedicatis.

Et sic patet , quomodo totus iste Psalmus potest esse vox Ecclesiæ , ut patet secundùm primam Expositionem ; & etiam potest esse vox Christi , ut patet per secundam Expositionem : quia potest exponi in persona Ecclesiæ , & in persona Christi.

Psalmus CXVI.

1. *Laudate Dominum omnes Gentes : laudate eum omnes populi.*

92 d. ca. 1. in Glos. Rom. 15. c. 39. d. c. Diaconi

2. *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : & veritas Domini manet in æternum.*

Titulus : *Alleluja.* Notandum , quòd David contemplans in promissione facta ipsi *Abrahæ* , *Genes.* 22. scilicet , *In semine tuo benedicentur omnes Gentes* , & in benedictione *Judæ* facta à *Jacob* , *Gen.* 48. ubi dixit : *Non auferetur sceptrum de Juda , donec veniat qui mittendus est* , scilicet , Messias Christus. *Et ipse erit expectatio Gentium &c.* Per hoc prævidit David in spiritu , qualiter Ecclesia erat congreganda ex Gentilibus ad Fidem Christi conversis ; & quòd Gentiles , qui antè idola colebant , relictâ idololatria , debebant Christum colere , & laudare : ideo fecit hunc Psalmum : qui licèt sit parvus in verbis ; tamen comprehendit totam Sacram Scripturam , & præsupponit eam in sententia. In quo prophetando invitat totum populum Gentilem ad laudandum Deum , & ad cultum unius Dei ; et ad agendum gratias pro beneficiis receptis, et pro promissione completa per adventum Christi.

Et dicit : *O omnes Gentes* à Solis ortu usque ad occasum , *laudate Dominum* Deum Trinum et Unum relictâ omni idolatriâ. Et vos *omnes populi*, tàm Gentilium , quàm Judæorum , *laudate* et colite eum , et agite Deo gratias : *quoniam* per adventum Christi Filij ejus *confirmata est super nos misericordia ejus* : quia venit ad miserendum nobis per mortem & passionem : et sic *misericordia* nobis promissa de redemptione universali *confirmata est* et com-

completa per Chriſtum. Nam quod Deus promiſit *Abrahæ*, dicens: *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes*: & illud quod prædixit *Jacob*: *Ipſe erit expectatio Gentium*: & quod promiſit *Moyſi*, *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum tuorum*: omnia iſta promiſſa, *confirmata* & impleta ſunt in adventu Chriſti *ſuper nos*: & ſic *veritas Domini manet in æternum* immobilis. Nam quod promiſit & figuravit in veteri Teſtamento, totum eſt verificatum in Chriſto: & Deus manet verus *in æternum*, & non fallax. *Laudate* ergo eum pro tanto beneficio recepto &c. *Veritas* ergo ejus *manet in æternum*, poſtquam adimplevit quod promiſit. Et ſic Lex ejus manet vera in æternum. Item, Chriſtus, qui eſt Veritas Patris, & eſt veritas & finis totius Legis, in quo eſt completa Lex, ipſe *manet in æternum &c.*

Pater in miſione Filii duo fecit.

Unde nota: quòd duo fecit Pater mittendo Filium. Nam primò, *confirmavit miſericordiam* Patribus veteris Teſtamenti promiſſam: ſecundò, verificavit omnes Scripturas, ſcilicet, Legem & Prophetas: quia *unum jota non fuit prætermiſſum, quin per Chriſtum fuerit impletum.* Quia ad hoc venit Chriſtus, ut teſtimonium periberet veritati Scripturarum: & ſic *veritas* Euangelica, quam Chriſtus docuit & implevit, *manet in æternum*; quia poſt Legem Euangelicam non ſuccedet alia. Ideo Propheta invitat omnes Gentes & populos, ut laudent Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre; eò quòd *confirmavit* & implevit *miſericordiam* mundo promiſſam; & verificavit omnes Scripturas in adventu Filii ſui. Tunc enim pactum eſt confirmatum, quando eſt completum, & ad effectum deductum: & quis dicitur verax, quando implet quod promiſit. Et ideo *miſericordia* Domini promiſſa Patriarchis & Prophetis, fuit *ſuper nos confirmata* in Paſſione Domini Jeſu-Chriſti. Et *veritas Domini manet* inconcuſſa & inviolata *in æternum*, in quantum tota Scriptura veteris Teſtamenti fuit in Chriſto, & per Chriſtum verificata. Ideo dicitur *Joan.* 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Chriſtum facta eſt.*



PSALMUS CXVII.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* *Sup. 104. & 105. & 107. & in 135*

TITULUS: *Alleluja.* Ex hoc apparet, quod David fecit hunc Pſalmum ad laudandum Dominum. Sed de materia hujus Pſalmi dicunt Hebræi moderni, quod David fecit hunc Pſalmum pro gratiarum actione, quia ipſe fuit liberatus de perſecutione *Saulis*, & quia ipſe liberavit populum de manu Gentilium circunſtantium. Et ſic exponunt uſque ad illam partem: *Aperite mihi portas juſtitiæ.* Et ab illo loco uſque ad finem dicunt, quod David inducit populum ad laudem Dei, & gratiarum actiones pro ædificatione Templi. Et ſic dicunt, quod David fecit ipſum, ut cantaretur in dedicatione Templi. Et ſic applicant primam partem ad liberationem David, & ſecundam ad ædificationem Templi.

Sed omnes iſti manifeſtè ſe fallunt: quia nec liberatio David, nec ædificatio Templi Salomonis materialis poteſt adæquari huic Pſalmo, in quo dicitur: *Quoniam in æternum miſericordia ejus*: quia nec liberatio David fuit æterna, nec Templum Salomonis fuit æternum, ut patet. Ergo loquitur hic de aliqua liberatione & redemptione æterna, & de aliqua ædificatione Templi ſpiritualis & æterni.

Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, ſicut ſæpius dictum eſt, quòd omnia myſteria David à principio quo fuit unctus per *Samuelem* dum cuſtodiebat oves, uſque ad finem vitæ ſuæ, fuerunt figura Chriſti, vel Eccleſiæ. In quibus tamquam in ſpeculo prævidit omnia myſteria Chriſti & Eccleſiæ, ut dictum eſt. Et idem prævidit in exemplari, ſeu deſcriptione ſibi tradita à Spiritu ſancto, 1. *Paral.* 29. Et ideo licèt litteraliter aliquo modo iſte Pſalmus poſſit applicari ipſi David, in quantum in prædictis perſecutionibus prævidit myſteria futura: tamen talis intelligentia non eſſet propria & adæquata, nec eſſet ſiſtendum in ea; ſed eſt ſequenda et continuanda intelligentia primaria et prophetica, ad quam, et de qua David principaliter et litteraliter fecit hunc Pſalmum, ſcilicet, de redemptione univerſali facta per Chriſtum, et de ædificatione, et proſperitate Eccleſiæ ejus.

Eſt ergo dicendum, quòd Propheta David in hoc Pſalmo loquitur propheticè de Chriſto Redemptore generis humani, et ædificatore Eccleſiæ Militantis: qui in-

intelligitur per *lapidem quem reprobaverunt ædificantes.* Et hanc sententiam et A intelligentiam confirmat Salvator, *Matth.* 21. cùm dixit Pharisæis de seipso: *Numquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes? &c.* Hoc idem confirmat Beatus *Petrus*, *Actuum* 4. allegando hanc scripturam esse dictam de Christo. Cum his etiam concordat *Rab. Salomon*, qui glossans illud *Michææ* 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel &c.* quod exponens dicit: *Ex te mihi egredietur Messias filius David, sicut ipse dicit Psalm.* 117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Ex quibus verbis patet, quod tria concedit iste Hebræus. Primò, quòd David fecit istum Psalmum. Secundò, quòd fecit ipsum de Christo. Tertiò, concedit, quòd Christus antè erat reprobandus per Sacerdotes, B quàm regnaturus et glorificandus, quemadmodum scripserunt Euangelistæ, prout magis patebit suo loco.

Divisio Psalmi. Duo ergo facit David in hoc Psalmo in persona corporis mystici. Nam primò, invitat omnes status Fidelium ad laudandum Deum, qui receperunt Christum in suo adventu, et ad agendum gratias pro beneficio redemptionis factæ per Christum. In secunda parte introducit populum Gentilem petentem simul incorporari et recipi in Ecclesia cum conversis de Judaismo, ut ex utroque populo fiat unus, uno lapide angulari connexus, ibi: *Aperite mihi portas justitiæ.* Nam primò, invitat omnes fideles ad laudandum Deum de sua infinita misericordia. Secundò, enumerat beneficia collata ex Dei misericordia, ibi: *De* C *tribulatione mea.*

Quantum ergo ad primum, dicit: O vos omnes Fideles, *confitemini Domino*, confessione laudis, dantes laudes Deo, *quoniam bonus* est, id est, quomodo est bonus, et quomodo *misericordia ejus* est stabilis, et firma, et *in æternum* magnificanda. Quasi dicat: Confitendo et laudando, annunciate omnia beneficia, quæ suâ misericordiâ et bonitate contulit nobis.

* * * * * * *

D 2. *Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.* *Judic.* 13. c.

3. *Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.* 93. d. cap. Legimus

4. *Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia ejus.* & 1. q. 1. Multe.

AD cujus intelligentiam est notandum, sicut frequenter dictum est, quòd Propheta David qui fecit istum Psalmum, ut cantaretur in festivitatibus, maximè in dedicatione Templi; primò invitat omnes E status Fidelium illius temporis, ut cantarent istum Psalmum in Templo. Sed quia primo & principaliter intendit tempus & statum nostræ redemptionis, & gratiæ: ideo maximè invitat ad laudandum Deum Fideles novi Testamenti, qui receperunt beneficium redemptionis in tempore suo. Et ideo per tres status hîc nominatos, non solùm intelligit illos tres status veteris Testamenti, qui expectabant Christum; sed etiam intendit tres status novi Testamenti, qui successerunt illis tribus statibus, & receperunt Christum in suo tempore. Unde sicut totus populus Christianus dicitur *domus Israel*, secundùm spiritum & promissionem; ita similiter status Sacerdotum novi Testamenti dicitur *domus Aaron*, eò F quòd ad eos est translatum Sacerdotium *Aaron* secundùm veritatem. Nam Sacramenta quæ illi ministrabant in figura, nos ministramus in re. Et ideo per *domum Aaron* intelligit cætum, & statum Ecclesiasticum novi Testamenti: & per *domum Israel* intelligit omnes Fideles Christum recipientes, & videntes Deum: & per eos *qui timen Dominum*, intelligit justos, qui servant præcepta & mandata Dei.

Ecclesia est domus Israel. Tota ergo Ecclesia Christi dicitur *domus Israel*, in quantum videt Deum per Fidem; & totus status Ecclesiasticorum dicitur *domus Aaron*, in quantum successerunt in Sacerdotium, & ministrant Sacramenta Ecclesiastica: sed soli justi di- G cuntur *qui timent Dominum*, eò quòd servant præcepta Dei & mandata. Nam multi vident Deum per Fidem, & multi ministrant Ecclesiastica Sacramenta, & vivunt in statu Ecclesiastico, qui non timent Dominum, eò quòd non servant ejus mandata & præcepta; & ideo non sunt justi. Nam *qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis*, ut dictum est *Psalmo* 111. Item, multi *confitentur se nosse Deum, factis autem negant;* eò quòd sunt repro-

bi

bi ad omne opus bonum, *ad Titum* 1. *c.* Item, per eos *qui timent Dominum*, poſſunt intelligi converſi de Gentilitate.

Hos ergo ſupradictos ſtatus invitat Propheta ad confitendum Domino. Et primò invitat omnes Fideles, tàm novi, quàm veteris Teſtamenti, dicens: *Dicat nunc Iſrael*, id eſt, confiteantur omnes Fideles, per Fidem Chriſtum videntes, tàm novi, quàm veteris Teſtamenti, *Quoniam Dominus* eſt *bonus*, & in æternum magnificanda *miſericordia ejus*. Et *dicat nunc* etiam *domus Aaron*, id eſt, ſtatus Sacerdotalis, tàm novi, quàm veteris Teſtamenti, *quoniam* Dominus eſt *bonus*: *& miſericordia ejus* durabit & eſt magnificanda *in æternum*; eò quòd ejus effectus noſtræ redemptionis eſt magnificus & æternus. Item, *dicant nunc qui timent Dominum*, id eſt, omnes juſti, qui ex timore Domini filiali & caſto ſervant ejus mandata, *quoniam in æternum miſericordia ejus*, id eſt, quoniam beneficia nobis collata ex ſua miſericordia ſunt magnifica, & æterna, ſcilicet myſterium Incarnationis, & Redemptionis, & Reſurrectionis, & noſtræ glorificationis: quia omnia iſta myſteria ſunt in æternum duratura, & magnificanda.

Ex ſupradictis patet, quod ſicut una eſt Eccleſia veteris & novi Teſtamenti quantum ad fundamentum Fidei Chriſti, eò quod una eſt Fides omnium: ita eſt una *domus Iſrael*, & una *domus Aaron* novi, ac veteris Teſtamenti, ratione Fidei Chriſti ſecundùm iſtum modum loquendi. Nam quod illi tractabant in figura, nos tractamus in re & veritate, ut dictum eſt. Sed eſt differentia, quòd nos ſumus Filii Iſrael ſecundùm promiſſionem & veritatem promiſſam; juſti autem, & fideles illius temporis erant filii ſecundùm carnem, & etiam ſecundùm promiſſionem, in quantum expectabant ſalvari per Chriſtum futurum. Et ſic eſt dicendum de *domo Aaron*, & de *timentibus Deum*. Et etiam eſt dicendum, quod per ly *qui timent Dominum*, David intelligit populum Gentilem, quem invitat, ut veniat ad confitendum Chriſto in ſuo adventu. Quia Chriſtus eſt *lapis angularis* conjungens duos parietes, id eſt, utrumque populum, ſcilicet Judaicum & Gentilem, ut infra patebit.

1. p. 2 Judic. 6.

5. *De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.*

HIC enumerat iſte homo myſticus tribulationes, de quibus liberavit ipſum Chriſtus in nomine ſuo, quod eſt *Jeſus*. Unde David in hac parte intendit commendare hoc nomen *Jeſus*, in cujus virtute ſemper iſte homo myſticus fuit liberatus: quod quidem nomen *Jeſus* ſonant illæ quatuor litteræ poſitæ in illo nomine *Adonai*, ut dictum eſt *Pſalmo* 8. Et ideo iſte homo enumerat tribulationes, de quibus fuit liberatus in virtute nominis *Jeſu*. Unde Fideles veteris Teſtamenti invocabant eumdem Chriſtum, quem nos invocamus. Sed illi invocabant ipſum ſub nomine *Adonai*: Nos vero ſub nomine *Jeſu*, quod per illas quatuor litteras importatur.

Ad cujus intelligeutiam eſt notandum, ſicut ſæpiùs dictum eſt, quòd iſte homo multipliciter fuit afflictus. Uno modo in anima per peccatum & culpam: alio modo in corpore. Et etiam dupliciter fuit in corpore afflictus: uno modo interiùs per concupiſcentiam, & infirmitatem: alio modo exteriùs per inimicos & infideles. Et ſic fuit afflictus per diabolum interiùs in anima & corpore: & per membra diaboli exteriùs. A quibus fuit afflictus ſemper ille populus uſque ad Chriſtum: & exinde uſque ad judicium. Unde ipſe Chriſtus multotiens liberavit iſtum populum à tribulationibus exterioribus: & hoc in utroque Teſtamento, ut patet per totum diſcurſum Sacræ Scripturæ. Sed principaliter Chriſtus liberavit Fideles in anima de poteſtate diaboli per ſuam mortem, & paſſionem, & reſurrectionem. Et ideo Propheta in hoc loco de omnibus his tribulationibus, tàm interioribus, quàm exterioribus in perſona totius hominis myſtici confitetur ſe eſſe liberatum per Chriſtum.

Nemo de felicit afflictus.

Unde dicit, *de tribulatione*, tàm corporis, quàm animæ *invocavi Dominum*: & tamen *Dominus exaudivit me in latitudine*, id eſt, largè & copiosè, & abundanter. Primò poteſt hoc dicere *Adam*, qui primò fuit poſitus in tribulatione cum toto cætu Patriarcharum & Prophetarum, ſcilicet in carcere inferni: & tamen *Dominus exaudivit eum*, quando abſtraxit omnes de Limbo & arcto carcere Inferni, & eduxit eos in latitudinem & requiem gloriæ.

Item, populus Iſrael invocavit Dominum de tribulatione Ægypti: *& Dominus exaudivit eum*, *& eduxit* ipſum *in latitudinem*: & libertatem per *Moyſen* famulum ſuum; & collocavit ipſum in terra promiſſionis per *Joſue*.

Item, multotiens invocavit Dominum ille populus ſub *Judicibus*: & ſemper fuit exauditus, & liberatus ex inimicis. Item, fuit ille populus liberatus per ipſum David de ſervitute *Philiſthinorum*, quando occidit *Goliam*. Item, ipſe David, qui fuit figura Chriſti, & Eccleſiæ, multotiens *de tribulatione invocavit Dominum* in perſecutione *Saulis & Abſalonis*: & quando numeravit populum, de tribulatione peſtilentiæ. Et etiam ſemper fuit exauditus & li-

liberatus. Et eodem modo *invocavit* Dominum *Ezechias* contra *Sennacherib*, dum esset in obsidione ; & exaudivit eum Dominus, & liberavit : quia in una nocte Angelus Domini occidit centum & octoginta quinque millia. Et sic etiam populus fuit liberatus de captivitate *Babylonis*, dum clamarent ad Dominum *Ezechiel*, *& Aggæus*, *& Zacharias*, *& Esdras*. Item, fuit liberatus etiam ille populus, & exauditus tempore *Machabæorum*. Sed primò & principaliter fuit exauditus *Zacharias*, *& Simeon*, & cæteri justi : quia assiduè invocabant Dominum, ut veniret ad redimendum genus humanum de tribulatione peccati & captivitate diabolí. Unde *Simeon*, qui expectabat redemptionem Israel, *accepit responsum à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Et eodem modo fuit exauditus *Zacharias*, *& Anna* prophetissa, ut patet *Lucæ* 1. Et sic de quolibet istorum, & in persona cujuslibet justi veteris Testamenti dicit Propheta : *De tribulatione invocavi Dominum*, *& exaudivit me in latitudine Dominus*, id est, latè & abundanter exaudivit me. Et subdit:

Ad Hebr. 13. a. 95. d. c. Ecce. Et 23. q. 1. §. His ita.

6. *Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.*

7. *Dominus mihi adjutor : & ego despiciam inimicos meos.*

IN persona totius Ecclesiæ Christi dicit etiam eadem verba : quia fuit liberata de tribulatione & persecutione Tyrannorum, & de spurcitia Idolorum tempore *Constantini :* & de pravitate multorum Hæreticorum tempore *Augustini*, & aliorum Doctorum. Et ideo dicit : *Dominus* Deus meus Jesus Christus fuit *mihi adjutor* in omnibus his tribulationibus ; & ideo *non timebo quid faciat mihi homo* Infidelis, aut Hæreticus. Et etiam, *mihi Dominus adjutor ; & ego despiciam inimicos meos*, tàm Judæos, quàm Gentiles, & Hæreticos. Nam Judæos vidi destructos per *Titum & Romanos* ; & Gentiles subjectos jugo Christi : Hæreticos superavi & convici.

Ideo cognosco, & confitebor, quòd

8. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.*

Eccl. 34. De Pœ. d. 4. Si ex bono.

9. *Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.*

10. *Omnes Gentes circuierunt me : & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*

Et 11. q. 3. Ad mensam.

11. *Circumdantes circumdederunt me : & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*

23. q. 1. c. Noli.

12. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis : & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*

De Consec. d. 4. Post. quam ascendit, in gloss.

13. *Impulsus eversus sum ut caderem : & Dominus suscepit me.*

BOnum, id est, melius *est confidere in Domino, quàm confidere in homine*, id est, in viribus hominis alicujus. Et *bonum*, id est, melius *est sperare*, id est, ponere spem suam in Domino, *quàm sperare in principibus.* Quod probo. Nam *omnes Gentes circumdederunt me*, & afflixerunt, volentes me totaliter delere, tàm in primo, quàm in secundo Testamento. Sed *in nomine Domini* Jesu *ultus sum in eos*, id est, vindicavi me de ipsis. Quasi dicat : *Et in nomine Domini* invocavi, *quia ultus sum in eos* : quia eos mihi subjeci jugo Christi. Et semper per *nomen Domini* intelligit hoc nomen *Jesus*, in cujus virtute semper fuit liberatus, & victor. Nam in ly *Domini*, ponitur nomen quatuor litterarum, quod sonat hoc nomen *Jesus*, ut dictum est *Psal.* 8. & *in Prologo :* quia *Jesus* est nomen salutis, & omnipotentiæ.

Item, diaboli *circumdantes circumdederunt me* persequentes Apostolos, & Discipulos : *& in nomine Domini* invocavi (supple) *quia ultus sum in eos*, superando & vincendo.

Item, Hæretici *circumdederunt me sicut apes*, figentes spicula venenosæ hæresis suæ, *& exarserunt in spinis* : & tamen *in nomine Domini* invocavi, *quia ultus sum in eos*, id est, vindicavi me de ipsis, occidendo in eis errorem, & suscitando fidem, & quosdam etiam totaliter confunden-

dendo, & ab Eccleſia exterminando. Unde ab ipſis *impulſus ſum*, & vexatus *ut* totaliter *caderem*. Nam Tyranni perſequebantur me per civitates & montes: *ſed Dominus ſuſcepit me* tempore *Conſtantini*, & non permiſit me totaliter deleri. A

Impulſus ſum à diabolo, *ut caderem*, & peccarem in *Adam*; ſed Dominus Jeſus Chriſtus *ſuſcepit me* in cruce, & ipſe fuit *fortitudo mea*, *& laus mea*, & ſemper laudabo eum, quia *factus eſt mihi in ſalutem*. Nam *Jeſus* idem eſt quod *Salvator*. Ideo *factus eſt mihi in ſalutem*, quia ſalvavit me per ſuam mortem & paſſionem.

Unde nota, quòd iſte homo fuit impulſus à diabolo in paradiſo terreſtri, & luctatus eſt cum eo, & ejecit ipſum in terram: quia *deſcendens iſte homo ab Hieruſalem in Jericho incidit in latrones, qui expoliaverunt eum* omnibus bonis gratuitis, & inſuper vulneraverunt & ſauciaverunt eum in anima & corpore, *& ſemivivo relicto, abierunt*, ut habetur *Lucæ* 10. Sed venit ille *Samaritanus* Chriſtus, qui motus miſericordia, *alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum, & impoſuit illum ſuper humerum ejus*; & ſic ſanavit eum, & liberavit à miſeria, ut patet *Lucæ* 1. Et hoc eſt quod dicit hîc in hoc verſiculo: *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.* B

Exo. 15. 2. *Iſaiæ* 12. 2. *De Pœ. d.* 1. §. *E cõtrario.*

14. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.* C

15. *Vox exultationis & ſalutis, in tabernaculis juſtorum.*

16. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.*

QUASI dicat: *Dominus* Jeſus Chriſtus *ſuſcepit me* in humeris ſuis; & ipſe fuit tota *fortitudo mea*, diabolum ſuperando. Et ſic erit *laus mea*: quia teneor ipſum laudare, quia *factus eſt mihi in ſalutem*, id eſt, factus eſt Salvator, & Redemptor meus. Et ideo erit ſemper *vox exultationis & ſalutis in tabernaculis*, id eſt, in Eccleſiis *juſtorum* & fidelium, agendo gratias pro beneficio redemptionis, & confitendo, quomodo *dextera Domini*, qui eſt Chriſtus, *fecit virtutem*, debellando & ſuperando diabolum: & quomodo *dextera Domini*, qui eſt Chriſtus, *exaltavit me* de morte ad vitam, & de captivitate in libertatem: *& exaltavit me* per gratiam in hoc ſæculo, & per gloriam in altero. D E

Item, *dextera Domini fecit virtutem*, Judæos confundendo & deſtruendo, & Gentiles ſubjiciendo, & idola delendo, & diabolum foras ejiciendo. Unde dictum eſt in Prologo, quòd ſicut *Jeſus* dicitur *nomen Domini*, ita etiam dicitur *dextera Domini*: quia per Chriſtum exercet Deus ſuam virtutem. Et ideo propter omnia iſta tria quæ fecit Chriſtus, qui eſt *dextera Domini*, ipſe erit laus mea; & erit ſemper *vox exultationis in* Eccleſia *juſtorum*.

Tripliciter ergo, immò multipliciter *dextera Domini*, qui eſt Chriſtus, *fecit virtutem*, & oſtendit ſuam omnipotentiam, & divinitatem. Nam primò, fecit virtutem in ſua nativitate per multa ſigna & prodigia, ut dictum eſt ſuperiùs. Item, *fecit virtutem*, infirmos ſanando, mortuos ſuſcitando, & mari, & ventis imperando, & diabolum in cruce debellando, & in infernum detrudendo, & infernum expoliando. Secundò, fecit virtutem, quando hominem dejectum & ſauciatum ſanavit, & relevavit, & per gratiam & gloriam exaltavit. Tertiò, *fecit virtutem* poſt ſuam aſcenſionem, quando omnes inimicos, tàm Judæos, quàm Gentiles ſub pedibus ſubjecit, & diabolum extra mundum ejecit, prout dictum eſt *Pſalm.* 109. & ideo iſte homo à morte æterna per *dexteram* Chriſti liberatus, agendo gratias dicit: F

17. *Non moriar, ſed vivam: & narrabo opera Domini.* G

ii. q. i. His ita.

NON *moriar* morte æternâ, *ſed vivam* per gratiam: quia Chriſtus per mortem ſuam temporalem liberavit me à morte æterna. Et ideo vivam per gratiam, *& narrabo opera Domini.*

18. *Caſtigans caſtigavit me Dominus: & morti non tradidit me.*

5 q. 5. Nõ omnis, & 7. q. 1. Sa. geſtum.

H DOminus miſericors *caſtigans* multotiens *caſtigavit me* per perſecutiones temporales in utroque Teſtamento: ſed *morti non tradidit me*: quia nec me voluit totaliter delere, neque in morte peccati relinquere, ſed per ſuam paſſionem redimere à peccato, & per ſuam miſericordiam de perſecutionibus temporalibus liberare. Ex ſupradictis patet, quòd in tota parte ſupradicta maximè commendatur virtus *nominis Jeſu*, qui eſt *nomen Dei*, & *virtus*, & *dextera Dei*.

18. *Ape-*

24. q. 1. *Alienus, & c Qui cumque.*

19. *Aperite mihi portas justitiæ,* A *ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.*

Mat. 22. d.

20. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.*

De Consec. dist. 2. c. Quid sit sanguis.

21. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* B

22. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

HÆC est secunda pars principalis, & est vox populi Gentilis directa ad Apostolos, & cæteros de Judaismo, qui acceperant Fidem Christi. Et ideo tria facit in hac parte: nam primò, introducit populum Gentilem petentem recipi ad Fidem Christi. Secundò, ponit responsionem Apostolorum recipientium populum Gentilem. Tertiò, ponitur confessio veræ Fidei ipsius populi Gentilis jam conversi. Secunda ibi: *Benediximus vobis.* Tertia ibi: C *Deus meus es tu.*

Quantum ad primum est notandum, quòd Christus per se vocavit primò populum Judæorum ad Fidem: sed ex Judæis pauci conversi sunt: & tamen Fides fuit prædicanda Judæis. Sed quia major pars Judæorum se fecit indignam, ideo Christus misit Apostolos suos per universum mundum, ut vocarent Gentiles ad Fidem, postquam Judæi se fecerant indignos. Et sic patet, quòd Gentiles recepti sunt ad Fidem loco Judæorum, ut patet per totum discursum *Epistolæ ad Romanos.*

Hoc ergo prævidens Propheta in spiritu, introducit populum Gentilem petentem recipi ad Fidem, & sociari cum Apostolis, & Fidelibus. Ideo in persona Gen- D tilium dicit: O vos Apostoli, qui primò recepistis Fidem, & facti estis successores Christi. *Aperite mihi portas justitiæ*, id est, conferte mihi sacramenta Ecclesiæ, & date mihi Baptismum, qui tollit peccatum, & aperit portas cœli, & Ecclesiæ. Nam *Christus porta est.* Sacramenta dicuntur *portæ justitiæ*, eò quòd per ipsa intramus Ecclesiam, & justificamur à peccato, & gratificamur ad gloriam. *Aperite* ergo *mihi* istas *portas justitiæ*, ut intremus Ecclesiam, & *confitebor Domino* simul vobiscum, profitendo Christum esse verum Deum & Hominem, & E Messiam in Lege promissum. Quia *hæc*, scilicet Lex Euangelica, sive etiam Ecclesiastica Sacramenta, sunt *porta Domini*, & soli *justi intrabunt in eam*: quia nullus potest justificari, nisi introierit Ecclesiam per portam Baptismalem: & sic *ingressus confitebor Domino.* Item, *hæc porta*, scilicet Christus, est *porta Domini*: quia ipse *est ostium*, per quod intratur in ovile ovium Ecclesiæ, ut ipse ait, *Joan.* 10. & per ipsum itur ad Patrem.

Et cum *ingressus* fuero per istam portam, *Confitebor tibi quoniam exaudisti me*, mihi aperiendo, & quoniam *factus es mihi in salutem*, me redimendo, & per tua Ecclesiastica sacramenta sanando. Et F sic *confitebor*, te esse verum Redemptorem & Messiam. Et vos Apostoli *aperite mihi* istas *portas justitiæ*, & efficiamur simul unus populus, in uno Christo Jesu conjunctus. Quoniam hic est ille *lapis quem reprobaverunt ædificantes*, & ideo *factus est in caput anguli*, conjungens duos parietes, id est, duos populos, scilicet, Gentilem, & Judaicum sub una Fide, & uno Baptismo in eadem Ecclesia intra easdem portas, & eadem Sacramenta. Quia *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Item cum hoc concordat illud *Isaiæ* 54. *Ecce accola veniet, qui non erat mecum: advena quondam tuus adjungetur tibi.* Item *Zachariæ* 8. *Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis comprehendent decem homines ex omnibus* G *linguis Gentium fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum: Audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* Sed hîc possunt esse quinque dubia.

Primùm: Quare Propheta appellat Christum, & Ecclesiastica Sacramenta *portas justitiæ*, sive *portam Domini*? *Secundò:* Quare vocat Christum lapidem? *Tertiò*: Qui sunt illi ædificantes, à quibus reprobatus est iste lapis? *Quartò*: Quomodò iste lapis factus est in caput anguli? *Quintò*: Quomodò hoc fuit mirabile in oculis nostris, & à solo Domino factum est? *Dubium.*

Quantum ad primum est dicendum, quòd Propheta David in hoc loco recurrit ad visionem, quam vidit *Jacob*, *Genes.* 28. H quando fugiebat in *Mesopotamiam.* Nam cùm fuit in illo loco, ubi modò est *Hierusalem*, post Solis occasum tulit unum de lapidibus, & supposuit capiti suo, & dormivit in eodem loco: & vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, & Angelos ascendentes, & descendentes per eam: & vidit Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus Abraham, & dabo tibi terram in qua dormis, & semini tuo. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem. Et* be- *Quare Christus, & Sacramenta dicuntur porta.*

benedicentur in te, & ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Cumque evigilaſſet Jacob de ſomno, ait: Verè Dominus eſt in loco iſto: & non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. Surgens ergo Jacob mane, *tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.* Et vocavit nomen urbis *Bethel.* In iſta viſione prævidit ipſe Jacob, & jam magis clarè & diſtinctè ipſe David prævidit totum myſterium Incarnationis, & noſtræ redemptionis, & Eccleſiæ ædificationis, & dilatationis.

Nam per hoc quod dormivit ſupra lapidem, ſive per illum lapidem, ſupra quem dormivit, prævidit in ſpiritu, qualiter Chriſtus Deus & Homo debebat eſſe ille *lapis* firmiſſimus, ſuper quem tota Eccleſia erat ædificanda. Et ideo *erexit eum in titulum*, prævidens, qualiter debebat in cruce levari, & ab omnibus venerari. Et *effudit oleum deſuper*, figurando, quòd ab eo debebant ſumere virtutem omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, & in eo debebant fundari. Et per hoc quod *vidit ſcalam in terra, & tangentem cœlum, & Deum innixum ſcalæ*, prævidit, qualiter Chriſtus debebat nos in cœlum introducere. Et ideo vocavit illam ſcalam Sacramentorum *portam cœli.* Et ſic tàm Chriſtus, quàm Eccleſiaſtica Sacramenta, & Lex Euangelica dicuntur *portæ*, ſive *porta cœli*, in quantum per illam introducimur in cœlum, & in iſtam Eccleſiam Militantem per gratiam. Et dicuntur *portæ juſtitiæ*, in quantum per illas juſtificamur. Et per hoc prævidit, quòd ſicut *Jacob* dormivit ſupra illum lapidem, ita omnes filii Jacob ſecundùm promiſſionem debebant dormire, & fundari ſupra petram, qui eſt Chriſtus. Et per hoc quod dicit: *In ſemine tuo benedicentur cunctæ tribus*, id eſt, generationes terræ, prævidit in ſpiritu, qualiter totus populus Gentilis erat in Chriſto per Baptiſmum & cætera Sacramenta benedicendus. Et per hoc quod dicit: *Dilataberis ad Orientem, & Occidentem &c.* prævidit, qualiter totus populus Gentilis debebat effici ſemen Jacob & Iſrael per ſpiritualem generationem & promiſſionem: & ſic debebat poſſidere hæreditatem, & terram viventium ſimul cum *Abraham, Iſaac, & Jacob*, & cum Apoſtolis.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu in perſona populi Gentilis, dicit ad Apoſtolos, & Diſcipulos ſucceſſores Chriſti: *Aperite mihi portas juſtitiæ*, & introducite me in Eccleſiam per Eccleſiaſtica Sacramenta, & facite me ſemen *Jacob* per ſpiritualem regenerationem: quia ita eſt mihi promiſſa hæreditas Chriſti, ſicut & vobis. Quoniam *hæc* eſt *porta Domini*, quam vidit *Jacob*, & appellavit *portam cœli*, & fundate me ſupra illam petram, & ſuper illum lapidem, ſuper quem dormivit *Jacob.* Quia ita dormivit ſuper eum pro me, ſicut pro vobis. Et ille lapis ita debet eſſe *caput* meum, ſicut *caput* veſtrum, ut omnes ſimus unum corpus in uno capite.

Chriſtus quare dicitur lapis.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Chriſtus multipliciter dicitur *lapis*, & figuratur per lapidem in Sacra Scriptura veteris Teſtamenti. Nam primò dicitur *lapis capitalis, & fundamentalis.* Et ſic prævidit ipſum *Jacob* in viſione ſupradicta. Nam in quantum dormivit ſuper eum, & impoſuit caput ſuper eum, prævidit, qualiter Chriſtus debebat eſſe Caput totius Eccleſiæ. Et ſic dicitur *lapis capitalis.* Secundò, in quantum *erexit eum in titulum*, dicitur *lapis refugii*, ut dictum eſt *Pſal.* 90. Tertiò, dicitur *lapis offenſionis, & petra ſcandali*, ratione Judæorum, & Hæreticorum, in quantum Judæi, & Hæretici offenderunt in eum, & ſcandalizati ſunt, non credentes, nec recipientes eum: & ſic ceciderunt in cœcitatem & obſtinationem. Et ſic Iſaias vocat ipſum *lapidem offenſionis, & petram ſcandali* in 8. *cap.* Item quartò, *Daniel. in* 2. *cap.* vocat ipſum *lapidem contritionis, & comminutionis*, in quantum contrivit omnia regna mundi, & comminuit omnia idola Gentilium. Moyſes autem quintò, vocat ipſum *lapidem reprobationis, & contradictionis*, *Numer.* 20. eò quòd filii Iſrael non crediderunt, quòd Moyſes ex illo lapide poſſet aquam deducere; & tamen Moyſes in virtute divina percuſſione virgæ deduxit aquam de petra, unde bibit totus populus, per quam petram figuratus fuit Chriſtus, ex cujus latere percuſſo exivit ſanguis & aqua copioſiſsima in remiſſionem omnium peccatorum. Sextò autem David vocat ipſum in hoc loco *lapidem angularem*, in quantum in eo conjuncti fuerunt duo populi. Et ſic Chriſtus propriè & verè dicitur lapis propter ſex myſteria ſupradicta, ut magis patebit.

Prælati Doctores dicuntur ædificatores.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Doctores & Prælati Eccleſiæ dicuntur *ædificatores.* Nam ſicut ædificator adaptat lapides & ordinat, & ex his conſtruit parietes; ita Doctores & Prælati Eccleſiæ ex authoritatibus Sacræ Scripturæ conficiunt ſermones ad populum, ut *ædificent* eum ſupra *petram*, qui eſt Chriſtus. Et ita Euangeliſtæ & Apoſtoli ædificarunt Eccleſiam ex dictis Sacræ Scripturæ, tamquam ex lapidibus. Et ita videmus, quòd Euangeliſtæ in conſtructione & ædificatione Euangelii, adducebant & allegabant dicta Prophetarum, & myſteria Sacræ Scripturæ, quæ fuerant facta in figura Chriſti. Et ita *Beatus Petrus* per dicta Prophetarum probavit, Chriſtum eſſe verum Meſſiam in Lege promiſſum: & ſic fuit verus ædificator. Sed oppoſitum fecerunt Sacerdotes, & Scribæ, & Phariſæi, qui debebant inſtrue-

re populum, & ædificare in Fide Chriſti, & recipere eum, & oſtendere populo ipſum verum eſſe Meſſiam, poſtquam videbant in eo impleri omnia quæ de Meſſia ſcripta erant in veteri Teſtamento. Et tamen ipſi primo negaverunt ipſum ante Pilatum, dicentes: *Non habemus Regem niſi Cæſarem*, & reprobaverunt ipſum ante populum aſſerentes, Sacras Scripturas non eſſe de eo dictas. Et ideo hæc prævidens David dicit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, id eſt, Scribæ & Phariſæi. Et ſic dicendum, quòd Scribæ & Phariſæi *ſedentes in Cathedra Moyſi*, qui erant poſiti ad ædificandum & inſtruendum populum in vita & doctrina, *reprobaverunt iſtum lapidem*, quando Chriſtum negaverunt, & ad mortem deſtinaverunt, & Scripturas quæ de eo erant, perverterunt.

Chriſtus lapis factus in caput anguli.

Ad quartum eſt dicendum, quòd Chriſtus tripliciter dicitur *lapis factus in caput anguli*. Primò, in quantum in Chriſto conjunguntur duæ naturæ, humana, ſcilicet & divina ſub una perſona. Secundò, in quantum in eo conjunguntur duæ Leges, nova, ſcilicet & vetus. Tertiò, in quantum in eo fuerunt conjuncti duo populi, Judaicus ſcilicet & Gentilis. Unde Chriſtus per quamdam ſimilitudinem dicitur *lapis angularis*: nam ſicut lapis unus & idem exiſtens in angulo conjungit duos parietes; ita una perſona Chriſti exiſtens una, conjungit duas naturas in unitate ſuppoſiti. Et ita unus Chriſtus conjungit duos populos, ex duobus faciens unum ſub uno capite.

Item, ſicut *lapis angularis* exiſtens unus, eſt finis unius parietis, & principium alterius: ita Chriſtus fuit finis totius Legis veteris; quia omnia quæ ſcripta, vel dicta ſunt in Lege veteri, figurabant, & prænuntiabant Chriſtum: & omnia impleta ſunt in Chriſto. Et ſic Chriſtus tamquam finis illius Legis accepit circumciſionem, comedit agnum paſchalem, ut daret finem illi Legi: & fuit principium Legis novæ; quia ut principium Legis Euangelicæ accepit Baptiſmum, & inſtituit Sacramentum *Euchariſtiæ*, ut daret principium Legi novæ. Et ſic, ut impleret omnia quæ ſcripta ſunt in Lege veteri, & ut morerentur ſimùl, & extinguerentur omnes figuræ, & omnia cærimonialia & figurativa, voluit mori, & voluit reſurgere, ut veritas figurarum omnium cum eo reſurgeret. Et ſic fuit *lapis angularis*, conjungens & continuans iſtas duas leges, ut dictum eſt: & ſic ex duabus legibus fecit unam: quia præteriit umbra, & manſit veritas.

Item, tertiò, ſicut *lapis angularis* manens unus conjungit duos parietes, & eſt caput utriuſque: ita Chriſtus manens unus, conjungit duos populos, Judaicum, ſcilicet & Gentilem, & factus eſt unum tantum *caput* utriuſque populi, & per conſequens ex duobus populis factus eſt unus populus ratione unius capitis.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, ut dictum eſt *Pſalmo* 101. quòd Eccleſia Dei toto Orbe diffuſa non eſt conſtructa ex lapidibus mortuis, aut inanimatis, ſed ex lapidibus vivis, ex utroque populo exciſis. Nam Chriſtus, qui eſt lapis angularis, primò excîdit, & quadravit, & polivit lapides de Judaiſmo, ſcilicet Apoſtolos & Diſcipulos, & hos ſibi in parietem conjunxit. Et ſic factus eſt lapis capitalis unius parietis tantùm; ſed poſtea excîdit alios lapides de populo Gentili, & junxit ſibi, & conſtruxit alium parietem ex alio latere. Et ſic ex lapide capitali factus eſt lapis angularis, & caput duorum parietum. Et ſic Chriſtus dicitur *lapis factus in caput anguli* duorum populorum, ſive parietum conſtructorum ex lapidibus vivis. De quibus lapidibus dicitur *Pſalmo* 111. *Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus &c.* Item, *Zachar.* 9. *Et ſalvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi ſui. Quia lapides ſancti elevabuntur ſuper terram ejus.*

Ex ſupradictis patet, quòd omnis lapis angularis eſt capitalis, ſed non è converſo. Chriſtus ergo ſimùl eſt *lapis capitalis & angularis* totius Eccleſiæ ex duobus populis congregatæ: & omnes Fideles ſunt lapides vivi ex duobus populis exciſi per Fidem Euangelicam, & quadrati, & politi per Baptiſmum & pœnitentiam, & tuſi, & malleati per martyrium: & hoc modo ſunt coaptati & juncti *lapidi angulari Chriſto Jeſu.* Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, dicit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

Ad quintum eſt dicendum, quòd ſi conſideramus iſtas tres conjunctiones in iſto lapide angulari factas, de neceſſitate habemus confiteri, quòd non potuerunt fieri, niſi à Deo: quia tales conjunctiones ſunt ſupra naturam. Nam conjunctio duarum naturam in Chriſto ſub una perſona, *à ſolo Domino facta eſt.* Et non ſolummodo eſt mirabilis ſupra humanam naturam, ſed eſt incomprehenſibilis ab omni intellectu creato.

Quomodo hoc fuit mirabile in oculis noſtris.

Item, quòd Chriſtus impleverit in ſe totam Legem veterem, & abſtulerit peccatum de mundo, & vicerit diabolum, & liberaverit genus humanum, & inſtituerit Eccleſiaſtica Sacramenta, & reſurrexerit, & verificaverit in ſe omnia quæ erant ſcripta in veteri Teſtamento, *à ſolo Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Item, quòd totus populus Gentilis, & omnes Reges terræ, qui antè propter idola perſequebantur populum Dei, & perſequebantur Chriſtianos; poſtea propter

ter Chriſtum comminuerent omnia idola, & ſubjugarentur jugo Chriſti, & adorarent Chriſtum, quem antè blaſphemabant; & A venerarentur Prælatos & Chriſtianos, quos antè perſequebantur: & quòd duodecim pauperes ſubjugaverint totum Orbem jugo Chriſti, & quòd ex Gentibus & Judæis converſis fieret unus populus Chriſtianus: Hoc totum non potuit fieri ab aliquo homine, ſed *à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Tota ergo intelligentia iſtorum quatuor verſuum ſtat in hoc, quod populus Gentilis introductus ad loquendum, dicit ad Apoſtolos: *Aperite mihi portas juſtitiæ*, & recipite me ad ſocietatem & Fidem veſtram, ut efficiar unus populus ſimilis vobiſcum: *& confitebor* ſimul vobiſcum unum Redemptorem & Salvatorem B Chriſtum. Nam poſtquam Judæi obſtinati reprobaverunt eum, ipſe *factus eſt in caput anguli* conjungens duos populos in unum ex nobis & vobis: quod myſterium *à Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Et ad hunc intellectum allegavit hanc litteram Salvator, *Matth.* 21. Nam poſtquam vidit Judæos obſtinatos contra eum, & obcœcatos, & quod negabant eum: ideo per parabolam de agricultoribus qui occiderunt filium patrisfamilias, prædixit damnationem & reprobationem eorum. Et ſubdit: *Numquam legiſtis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli &c?* Quaſi dicat: Vos reprobatis me, cùm manifeſtè cognoſcatis me eſſe Meſſiam, propter malitiam veſ- C tram: ſed ego reprobabo vos, & hæreditatem, quæ vobis debebatur, dabo populo Gentili, & conjungam ipſum cum paucis converſis de Judaiſmo. Et ſic efficiar *lapis angularis* conjungens iſtos duos populos, vobis manentibus reprobatis & obſtinatis. Et ideo ſubdit Chriſtus ad majorem damnationem Judæorum: *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Et ſic in illo loco Chriſtus non ſolùm ſe dicit *lapidem angularem*, ſed etiam *lapidem offenſionis, & ſcandali, Iſai.* 8. Et etiam ſe dicit *lapidem contritionis, Dan.* 1. ut D dictum eſt ſupra. De hoc etiam lapide angulari dicit *Apoſtolus ad Epheſ.* 2. *Ipſo ſummo lapide angulari Chriſto Jeſu, in quo creſcit omnis ædificatio conſtructa, in quo vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.*

Sed de hoc lapide angulari dicit *Magiſter in hiſtoriis*, quòd ædificatores *Templi Salomonis* multotiens ceperunt unum lapidem, qui numquam potuit adaptari, nec ordinari in parietibus Templi: & ſic projecerunt eum & reprobaverunt. Sed poſtea ille lapis fuit reſumptus, & poſitus in caput cujuſdam anguli Templi: & fuit ita aptatus illi loco, ac ſi pro illo loco eſſet ad propoſitum factus: quod *fuit mirabile* E *in oculis* ædificatorum. Et de illo lapide dicunt quidam Judæi, quod dicit David: *Lapidem quem reprobaverunt &c. Magiſter hiſtoriarum* dicit, quod ille lapis fuit figura Chriſti, qui primò reprobatus eſt à Phariſæis & Sacerdotibus; ſed poſteà receptus à Gentilibus, *Factus eſt in caput anguli* duorum populorum, ut dictum eſt. Quam figuram prævidens David in illo lapide, prædixit de Chriſto in hoc Pſalmo: *Lapidem quem reprobaverunt.*

Sed de illo lapide poſſet eſſe dubium: Nam *Templum Salomonis* fuit ædificatum poſt mortem David: ergo David non potuit videre illum lapidem, quem ædificatores reprobarunt. *Dubium.*

F Sed ad hoc poſſet reſponderi: quòd David ante mortem ſuam fecit incîdi lapides & ligna, & conduxit latomos ad poliendos, & quadrandos lapides: & ſic dimiſit lapides jam quadratos, & politos, ut habetur 1. *Paralipomenon* 22. Et ita potuit videre illum *lapidem* primo reprobatum, & poſtea ad angulum adaptatum: in quo potuit prævidere figuram de ipſo Chriſto. Et ideo dicit in hoc Pſalmo: *Lapidem quem reprobaverunt &c.* Quomodocumque ergo ſit, David in hoc Pſalmo, per iſtum *lapidem angularem* intelligit Chriſtum, & loquitur ad litteram de Chriſto. *Nam à Domino factum eſt iſtud*, ſcilicet quòd iſte *lapis*, qui eſt Chriſtus, primò ſit *exciſus de monte ſine manibus*, id eſt, natus de *Maria Virgine* ſine patre carna- G li; & ſit Rex, & Sacerdos, Deus & homo incarnatus, & mortuus, & reſurrexerit; & iſte *lapis* ſit *fundamentalis*, in quo fundatur tota Eccleſia; & ſit *capitalis, & titularis*, in quem omnes tendunt, & *unctus* tamquam Rex, & Sacerdos: & ſit *lapis tentationis & contradictionis* cui multi contradixerunt. Et ſit *lapis offenſionis, & petra ſcandali:* quòd ſit *reprobatus* à Judæis, & poſtea *factus in caput anguli*, conjungens utramque legem, & conjungens duos populos, ut dictum eſt: & quòd iſte *lapis creverit in montem magnum*, & contriverit, & ſubjecerit omnia regna mundi: Totum hoc *à* ſolo *Domino* H *factum eſt* ſuper omnem naturam & facultatem, *& eſt mirabile in oculis noſtris.* *Reſponſio*

Et hæc eſt intentio Prophetæ: dicit enim David iſtum *lapidem* Chriſtum reprobatum per infidelitatem Judæorum, ſed recipiendum & collocandum *in caput anguli* per Fidem Apoſtolorum & Gentilium. Et hoc potuit prævidere David in ſpiritu in deſcriptione Tabernaculi ſibi à Deo tradita, aut per illum lapidem artificialem & naturalem, de quo dictum eſt.

* *
*

75. d. Quod dic.

23. *Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* A

AD cujus intelligentiam est notandum: quòd sicut absentia Solis materialis causat noctem, & præsentia ejusdem causat diem; quia dies materialis nihil aliud est nisi illuminatio Solis super terram: Ita pariter totum tempus ab *Adam* usque ad Christum dictum est *nox* per absentiam Christi. Et etiam tota lex vetus dicta est *nox*, quia omnia contingebant illis in umbra & figura. Sed cum ortus est Christus Sol justitiæ, factus est *dies* super universam terram: & quæ omnino erant occulta sub umbra & figurâ, apparuerunt manifesta, in quantum fuerunt impleta in Christo. Et maxime apparuerunt in luce manifesta post resurrectionem. B

Triplicem noctem Christus fugavit.

Triplicem ergo noctem fugavit Christus Sol justitiæ in suo ortu & resurrectione. Nam primò, fugavit umbram omnium cærimonialium legis veteris. Secundò, fugavit tenebras omnium peccatorum. Tertiò, ignorantiam & superstitionem idolorum de populo Gentili.

Ex quo patet, quòd sicut fuit *nox* ab Adam usque ad Christum: ita est nunc una *dies* gratiæ à Christo usque ad judicium, cui succedet *dies* gloriæ. De hac ergo die gratiæ & etiam gloriæ dicit Propheta in persona populi conversi: *hæc dies quam fecit Dominus.* Quasi dicat: *Aperite mihi portas justitiæ, & confitebor Domino*: quia jam Christus *lapis factus est in caput anguli*, sicut dictum est, & jam recessit *nox* legis veteris, & *nox* peccati; & C jam fugatæ sunt tenebræ idolorum: quia jam ortus est Christus Sol justitiæ, & jam facta est dies gratiæ, quando resurrexit Dominus, & *cessavit ab omni opere* redemptionis *quod patrarat.* Et ideo *hæc est dies* gratiæ *quam fecit Dominus* Jesus Christus per suum adventum & resurrectionem: *Exultemus & lætemur in ea* omnes simùl, & non ambulemus ampliùs in umbra legis, nec in *nocte* peccati, nec in tenebris & superstitione idolorum; sed *sicut in die ambulemus*, & exultemus in hymnis & canticis, profitendo & prædicando Legem Euangelicam, & operando secundùm eam, & constituamus dies D festos in memoriam beneficiorum receptorum à Christo. Et maximè constituamus diem Dominicam, & dedicemus ipsam ad quietem & contemplationem, in memoriam resurrectionis Christi: quia *hæc est dies quam fecit Dominus.* Et constituamus alias festivitates in memoriam aliorum beneficiorum, & mysteriorum Christi, & sanctorum suorum. Dicit ergo David in persona populi Gentilis: *Aperite mihi portas justitiæ &c.* quia *hæc est dies quam fecit Dominus.*

E 24. *O Domine salvum me fac, ò Domine beneprosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.*

Matt. 21. a. 23. q. 7. cap. 2.

POSTQUAM superiùs populus Gentilis petivit introduci in Ecclesiam Dei, ut fieret unus populus simul cum Apostolis & cæteris de Judaismo conversis; in hoc versiculo conversus ad Christum petit salvari, & redemptionis & passionis participem fieri. Et confitetur Christum venisse *in nomine Domini*, & Messiam fuisse tamquam verum Redemptorem & Messiam.

Professio prima est credere in Christum.

Ad cujus intelligentiam est notan- F dum, quòd tota confessio & professio Fidei Christianæ consistit in hoc versiculo, scilicet, credere Christum esse verum Salvatorem in lege promissum, & jam venisse: & in hoc differt quilibet Christianus à non Christiano. Et sic populus Gentilis in sua conversione fecit illam confessionem, quam totus populus Judaicus debebat facere. Nam Christus ipsi populo Judaico, sive populo Israel primò fuit in lege promissus: & ideo omnes Patriarchæ & Prophetæ & Fideles veteris Testamenti expectabant Christum tamquam Redemptorem & Salvatorem. Sed quando venit, licèt aliqua pars receperit eum, sicut Apostoli & Discipuli; tamen major pars negavit eum. Et ideo illa pars quæ recepit eum, fecit hanc G confessionem, scilicet, *Benedictus qui venit in nomine Domini*: sed alia pars quæ negavit, dixerunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem &c.* Et ideo populus Gentilis, qui recepit eum, & confessus est ipsum venisse *in nomine Domini*, successit in hæreditatem regni cœlorum simul cum Apostolis, & cæteris de Judaismo Christum recipientibus, Judæis manentibus obstinatis & reprobatis.

Unde ad majorem evidentiam est notandum: quòd hanc confessionem fecerunt Apostoli Christi, & pauci Hebræorum in die *Palmarum*, quando Christus intravit Hierusalem sedens super asinam, ut patet per omnes Euangelistas. Nam tàm Apostoli qui H veniebant post Christum, quàm pueri qui ibant ante ipsum sternentes ramos olivarum in via; cantabant totum hunc versum, scilicet *Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Unde *Hosanna* Hebraicè, idem est quod *salva obsecro*; sive *ò Domine, salvum me fac*, Latinè. Ex quo patet, quod tunc ad litteram fuit impleta ista prophetia. Nam Apostoli, & cæteri, qui ibant post Christum retrò, confitebantur ipsum esse verum Messiam loco sui, & omnium antiquorum.

Pueri Hebræorum sunt Gentiles &c.

Per *pueros* autem *Hebræorum* significabatur populus Gentilis, qui Christum erat

erat recepturus. Et ſic utrique tàm præcedentes, quàm ſubſequentes, clamabant *Hoſanna filio David : Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et ſic profitebantur ipſum eſſe verum Meſſiam, & ſalvarorem in mundum jam veniſſe. Et ſic pueri confitebantur quòd Scribæ & Phariſæi non ſolùm non recipiebant, nec confitebantur Chriſtum, ſed etiam negabant; & zelo invidiæ moti increpabant pueros, & Apoſtolos, ne clamarent, *Benedictus qui venit.* Quibus Chriſtus reſpondit: *Numquam legiſtis quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*? Quaſi dicat : Non cognoſcitis, quia hoc prophetatum eſt per Davit *Pſal.*8?Nam idem ſpiritus qui movit David ad proferendam illam prophetiam, *Ex ore infantium & lactentium*, & iſtam, ſcilicet : *O Domine, ſalvum me fac &c.* ipſe idem ſpiritus movet nunc iſtos infantes & Apoſtolos ad clamandum, *Hoſanna filio David : Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Ex quo patet, quòd multæ prophetiæ fuerunt impletæ in illa die, ſcilicet: *Ex ore infantium*, & iſta : *O Domine, ſalvum me fac*, & etiam illa: *Lapidem quem reprobaberunt ædificantes &c.* Item, fuit impleta illa grandis figura, & myſterium quod præcepit Deus fieri, *Exod.* 12. quando dixit ad *Moyſen : Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Unde erat mos apud Judæos, quod luna decima ante Paſcha tollebant agnum de grege, & introducebant ipſum in civitatem ramis & floribus obſitum & fulcitum, & redimitum, & ornatum : & ſic cum magno gaudio reponebant ipſum in domo uſque ad decimam quartam lunam in qua immolabant eum. Nota. Sed ita eſt, quòd Chriſtus decima luna ante Paſcha, ſcilicet in die Dominica, introivit Hieruſalem ſedens ſuper aſinam cum ſupradicto honore, pueris ſternentibus ramos olivarum in via. Ex quo patet, quod illo mane multa millia agnorum introierunt cum Chriſto cum ramis & floribus ; & ſic Chriſtus intravit inter eos. Unde per totam illam diem de mane omnes cives civitatis *Hieruſalem* introduxerunt agnos ſuos, ramis & floribus ornatos. Et ſic Chriſtus verus *Agnus* per illos figuratus, introivit cum eis in die *Palmarum* ad immolandum. Et ſic ſimul intravit *figuratus Agnus* cum figura, & econverſo. Itaque illa die fuit impleta illa figura. Ideo non temere, ſed à Spiritu ſancto factum eſt, quod Chriſtus reciperetur cum tanto honore, & pueri ſternerent ramos & frondes in via, & omnes ſimul clamarent: *Hoſanna filio David.*

Dicit ergo David in perſona totius populi fidelis Chriſtum recipientis: *O Domine* Jeſu, *ſalvum me fac* ex tua morte & paſſione, poſtquam tu es Salvator & Redemptor: quia ego confiteor, quod tu es ille *benedictus* Meſſias, *qui venit in nomine Domini*, id eſt, à Deo promiſſus & miſſus. Ideo poſtquam *tamquam agnus ad occiſionem* venis ad patiendum pro me, *ſalvum me fac*, ut tua paſſio ſit mihi ad ſalutem animæ, quia tu es verus Salvator, ideo nominaris *Jeſus.*

25. *Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.*

16.q.6.c. Miniſtrare & de Conſe.d.1 c.Cum ad celebrandas.

26. *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris.*

HIC ponitur reſponſio Apoſtolorum recipientium populum Gentilem ad Fidem. Quaſi dicat: Vos Gentiles dicitis; *Aperite mihi portas juſtitiæ &c*: & creditis, quòd Chriſtus eſt *lapis factus in caput anguli*, & dicitis: *O Domine, ſalvum me fac*: & dicitis, quòd eſt Chriſtus verus Meſſias, & quod *benedictus qui venit in nomine Domini* : Ideo nos *benedicimus vobis de domo Domini*, baptizantes vos, & conferentes alia Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ abſolvunt vos ab omni maledicto : & ſic incorporamus vos in una Eccleſia nobiſcum ſub uno capite Chriſto, quia ipſe eſt *Dominus Deus, & illuxit nobis*, tamquam verus Sol juſtitiæ, & adduxit diem gratiæ, & fugavit tenebras legis: & noctem peccati, & idololatriæ. Et ideo *conſtituite diem ſolemnem in condenſis*, id eſt, celebrate diem Dominicam, & dedicate eam ad cultum divinum, in memoriam reſurrectionis, & alios feſtos *in condenſis*, id eſt, in magna frequentia populorum : ut Eccleſia ſit plena & *condenſa*, *uſque ad cornu Altis.* Quaſi dicat : nullus maneat in domo ſua, ſed omnes veniant ad Eccleſiam ad audienda divina Officia, & impleant Templum *uſque ad cornu altaris.*

Item, *benediximus vobis de domo Domini*, id eſt, de theſauro domus Domini, ſcilicet Eccleſiæ, *bedixinus vobis*, divina Sacramenta conferendo. Nam Chriſtus Deus noſter *illuxit nobis* linguis igneis in die Pentecoſtes, ubi recepimus Spiritum ſanctum, & omnia dona gratiarum, ut poſſemus vobis, & omnibus Fidelibus ea communicare, & vobis *portas juſtitiæ* aperire, & in Eccleſiam introducere.

Nota quod ubi nos habemus : *Conſtituite diem ſolemnem &c.* Hebræus habet : *Signate feſtivitatem in funibus uſque ad cornu Altaris.* Quaſi dicat : ligate ramos in funibus per Eccleſiam, ſolemnizando hanc feſtivitatem. Sed Judæi aliter exponunt, id eſt, ligate vitulos ad ſacrificia.

27. *Deus*

8. q. 1. c. Reverti-mini. 96. d. c. Ecce. De Pœ. d. 3. Quia divinitatis natura

27. *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.* A

28. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.*

29. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.*

HIC populus Gentilis jam conversus B & receptus in Ecclesia simul cum cæteris Fidelibus, agens gratias, dicit ad Christum: O Domine Jesu-Christe, ego confiteor, quod *Deus meus es tu, & confitebor tibi* narrando mirabilia tua, & ego *exaltabo te*, & magnificabo te, & prædicabo, quoniam *Deus meus es tu;* primò, *Deus* per creationem: secundò, *Deus* & *Homo* per redemptionem, & glorificationem, quia redemisti, & glorificasti me: & ideo *confitebor tibi quoniam exaudisti me*, desiderio meo satisfaciendo in carne veniendo: *& factus es mihi in salutem*, pro me moriendo, & resurgendo.

Ultimò, Propheta concludit conjungens finem Psalmi cum principio, invitando omnes Fideles Christianos ex utroque populo conversos; & dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.* Quasi dicat: Magnificate ejus bonitatem, quam ostendit nobis in creatione; & misericordiam, quam ostendit in nostra redemptione. C

Nota quo modo Christus venit in nomine Domini.

Quæritur autem: Utrum Jesus Christus, quem nos redemptorem confitemur, venerit *in nomine Domini*, prout supradicta Expositio confitetur?

Ad cujus intelligentiam est advertendum, prout legitur *Deuter.* 18. Quòd Messias sub *nomine Domini quatuor litterarum* fuit in Lege promissus. Unde ait Dominus *Moysi*: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui. Et ponam verba mea in ore ejus: loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ultor existam.* Ex supradictis verbis patet, quòd Messias in Lege promissus debebat mitti à Deo, & venire *in nomine Dei*, & loqui verba Dei, & *in nomine Dei.* D

Et ideo in hoc concordant Judæi cum Christianis: quia dicunt, quòd ille qui mittetur à Deo, & loquetur verba Dei, & loquetur & veniet in nomine Dei; ille talis erit Messias in Lege promissus: sed differunt in hoc: nam Christiani confitentur E Christum venisse *in nomine Domini*, & per consequens fuisse Messiam: Judæi verò negant Jesum Christum venisse *in nomine Domini*, eò quòd non liberavit eos de captivitate, in qua modò manent. Et quia multum fecit contra Legem, scilicet, quia violavit Sabbatum &c. Et sic manentes in sua cœcitate, expectant futurum Messiam, qui veniat *in nomine Domini.*

Ad cujus evidentiam est notandum, quòd Christum venisse *in nomine Domini*, stat quatuor modis: scilicet, quia nominatus *in nomine Domini Tetragrammaton*: aut quia ipse habuit illas proprietates, per illud nomen, & quatuor litteras illius nominis significatas: aut quia fuit missus à Deo & locutus est *in nomine Dei*: aut quia omnia scripta in Lege veteri de Messia, fuerunt in Christo Jesu completa. Sed omnia quatuor supradicta fuerunt reperta in Christo: Ergo ipse venit *in nomine Domini*; & per consequens fuit verus Messias. F

Primum probatur: nam Christus vocatus est *Jobesua* in Hebræo, quod significat Jesus in Latino. Sed istæ quatuor litteræ, scilicet *Jod*, *he*, *vau*, *he*, quibus scribitur *nomen Dei*, reddunt hoc nomen *Jobesua*, si rectè punctuentur: Ergo sequitur, quòd Christus vocatus est nomine Domini *Tetragrammaton*: & per consequens venit *in nomine Domini.* Secundum probatur: nam per *nomen Dei quatuor litterarum* importantur & significantur quatuor principales proprietates Dei; scilicet, summa omnipotentia, & sapientia, & justitia, & misericordia. Sed ista maximè fue- G runt in Christo, ut probatum est *Psalmo* 8. Igitur &c. Et sic concluditur, quòd Christus *venit in nomine Domini*: quia venit cum omnipotentia, mortuos suscitando, & cætera miracula operando: & venit cum summa sapientia, Legem declarando, & nova præcepta, & consilia promulgando; & cum summa justitia omnes justificando, & cuncta discernendo; & cum summa misericordia pro omnibus moriendo, & patiendo. Et sic patet, quòd *venit in nomine Domini*: quia ista quatuor importantur per nomen Domini.

Per nomen Dei significantur quatuor Dei proprietates.

Item, istæ quatuor litteræ sonant etiam hoc nomen *Hiehu*, quod idem est quod *esse*, quod est proprium nomen Dei, H ut dixit *Moysi*: *Qui est, misit me ad vos, Exod.* 3. Et sic dixit Christus, *Joann.* 8. *Antequam Abraham fieret ego sum.* Et sic patet, quòd Christus habuit *nomen Domini* quatuor litterarum simul cum proprietatibus ejus.

Tertiò, Christus venit in nomine Domini, eò quòd fuit *missus à Deo*, ut patet per opera quæ fecit, quæ à nullo alio poterant fieri, nisi ab aliquo à Deo misso.

Quartò, Christus venit *in nomine Domini*, eò quòd venit cum omnibus condi-

tio-

tionibus aſſignatis in Scriptura de Meſſia promiſſo. Quod probatur : quia omnia in eo fuerunt impleta, ut patet per diſcurſum Euangelicum.

Item, Chriſtus non ſolùm *venit in nomine Domini*, ſed etiam ipſe ſubſtantialiter fuit *nomen Domini*, ut dictum eſt *Pſal.* 112.

Ex ſupradictis patet, quòd bene merito in die Palmarum pueri, & turba præcedens & ſubſequens cantavit ipſi *Benedictus qui venit in nomine Domini*: quod canticum jugiter cantat Eccleſia, Chriſtum verum Salvatorem & Meſſiam à Deo miſſum confitendo.

PSALMUS CXVIII.

ALEPH.

De Pœn. d. 3. c. Prima conſolatio.

1. *Beati immaculati in via : qui ambulant in Lege Domini.*

2. *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus : in toto corde exquirunt eum.*

HUIC Pſalmo præponitur Titulus *Alleluja*. Ex Titulo patet cauſa finalis hujus Pſalmi : quia factus eſt ad laudandum Deum. De cauſa autem efficiente non ſolùm ſecundùm *Origenem*, *& Auguſtinum*, *& Ambroſium*, ſed etiam ſecundùm *Hieronymum* eſt affirmandum, quòd David fecit hunc Pſalmum. Unde in *Epiſtola ad Marcellam* dicit : *Dicit ergo David : Priuſquam humiliarer ego deliqui.* Item *ad amicum ægrotum : David illuſtris Propheta hujuſmodi carmen expreſsit : &, Bonum, inquit, Domine mihi, quia humiliaſti me, ut cognoſcam juſtificationes tuas.* Item in *Epiſtola ad Nepotianum*, *& ad Fabiolam : Et David verba cantatis : Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de Lege tua.* Abſque dubio ergo affirmatur, David hunc Pſalmum condidiſſe.

Sed quantum ad formam & materiam eſt notandum, quòd quinque habet iſte Pſalmus ſuper omnes alios. Primò, quia ſemper loquitur cum Deo. Secundò, quia ſemper petit ſpiritualia. Tertiò, quia deſcribitur per ordinem Alphabeti Hebraici, per viginti duos octonarios verſuum, juxta numerum litterarum Hebraicarum. Et verſus cujuslibet octonarii incipit ab una littera Hebraica : & ſic ſunt tot octonarii, quot ſunt litteræ Hebraicæ. Et ſic iſte Pſalmus eſt major quocumque alio. Quartò, quia non eſt aliquis verſus, quin in eo memoretur Lex Divina, ſed per diverſa vocabula, ſcilicet, *verbum Dei*, *judicia Dei*, *eloquium Dei &c.* Quintò, quia ſæpius eadem petitio repetitur & iteratur : propter quæ iſte Pſalmus redditur difficilis ad dividendum per materiam, & ad exponendum, & intelligendum.

Et ideo antequam deveniamus ad Expoſitionem, tria ſunt videnda, per quæ apparebit materia hujus Pſalmi. Primò videndum, & quærendum : quis eſt ille qui loquitur in hoc Pſalmo, & quid petit à Deo? Secundò, quare iſte Pſalmus deſcribitur per litteras Hebraicas in principio cujuslibet verſus, & per viginti duos octonarios ſecundùm ordinem Hebraicarum litterarum, per quod videtur forma ſcribendi? & quare *Lex* tam frequenter memoratur? Tertiò videbitur, quare totiens iterat & repetit eamdem petitionem?

Quid in hoc Pſalmo petatur.

Quantum ad primum eſt advertendum, prout dictum eſt *in Prologo*, *Tractatu* 3. *in quinto principio*, & etiam *Regula* 6. dictum eſt enim ibi, qualiter ille homo qui deſcendit ab Hieruſalem in Jericho, qui incidit in latrones qui expoliaverunt eum, & vulneraverunt, & plagis affecerunt, & ſemivivo relicto abierunt, de quo Salvator ait, *Lucæ* 10. fuit ipſe *Adam* primus homo, quem Dominus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creaverat, & Monarcham mundi, & illius felicis civitatis conſtituerat &c. Hunc enim hominem creavit Deus, ut inquit *Auguſtinus*, *ut Deum cognoſceret*, *& cognoſcendo amaret*, & per conſequens Deo placeret, & obediret: ex qua obedientia mereretur quamdam felicitatem corporis & animæ per longum tempus in præſenti in illo paradiſo deliciarum; ſed poſtea abſque morte commutaret illam vitam in aliam meliorem & æternam in cœlo, ubi Deum per eſſentiam clarâ viſione videret, & videndo amaret, & amando in æternum frueretur. Et hæc fuit primaria intentio, qua Deus ad imaginem ſuam hominem creavit, ut inquit *Auguſtinus ſuper Geneſim* : quem creavit cum „ quadam originali juſtitiâ, per quam, voluntatem ſuam divinæ voluntati conformaret, & in nullo ab illa deviaret, prout „ decens eſt omni creaturæ : & commiſit ipſi illam civitatem, & paradiſum „ deliciarum cuſtodiendam, ſub tali præcepto, ne comederet de fructu ligni „ prohibiti &c. Opus ergo juſtitiæ, & juſtificatio ipſius *Adæ* conſiſtebant in ſervando obedientiam hujus præcepti, juxta voluntatem Dei, in qua obedientia & obſervantia juſtificabatur; & ſic merebatur felicitatem in præſenti, & gloriam in futuro pro præmio illius juſtitiæ & obedientiæ.

Felicitas autem, & præmium temporale quod merebatur & poſſidebat in præſenti ex tali juſtitia & obedientia, conſiſtebat in ſex. Primò, quia habuit ſcientiam & cognitionem perfectam de omnibus rebus

Adæ obedientia, seu justitia in sex consistebat.

bus creatis, tàm superioribus, quàm inferioribus. Et non solùm in naturalibus, sed etiam in Mathematicis, & Metaphysicis. Et etiam habebat colloquium familiare cum Angelis; quod augebat ejus scientiam & felicitatem. Secundò, habebat dominium rationis supra sensualitatem & obedientiam partium inferiorum ad rationem. Nam sicut voluntas sua parebat, & conformabatur divinæ voluntati; ita caro parebat rationi, & corpus animæ. Tertiò, quia erat liber ab omni miseria corporali; & sic poterat non mori, & non peccare. Quartò, quia omnia animalia obediebant ipsi ad nutum tamquam domino. Quintò, quia possidebat totum illum paradisum deliciarum ad facultatem sui; & nullam poterat pati indigentiam ad vitam tuendam, & feliciter gerendam. Ista autem quinque supradicta possidebat in præmium pro obedientiâ & justitiâ servandâ: sed in futurum promissa erat ei vita & fruitio æterna in cœlo: ad quam fuisset translatus absque morte cum tota posteritate, si stetisset cum illa justitia, & non peccasset.

Adæ mala.

Sed quia deviavit à divina voluntate & præcepto, consentiendo persuasioni mulieris, & diaboli; ideo illicò perdidit illam originalem justitiam cum omnibus illis sex præmiis, quæ ex observantia justitiæ possidebat. Et fuit condemnatus, & incidit in sex mala contraria. Nam perdidit scientiam omnium, quia non habuit in tanta perfectione. Et illicò fuit vulneratus & sauciatus in carne, & sensualitate, & in omnibus potentiis animæ. Et illicò caro surrexit adversus spiritum: & illicò apparuit nudus, & expoliatus omnibus bonis gratuitis, tàm corporalibus, quàm spiritualibus; & factus est passibilis & mortalis de necessitate: & fuit condemnatus ad mortem, & omnem miseriam corporalem in præsenti, & ad mortem animæ æternam in futuro. Et fuit expulsus ab illo felici loco in hanc vallem lacrymarum, & miseriæ. Et sic ille qui erat creatus, ut Deum cognosceret, & amaret in præsenti, & Deo frueretur in futuro, condemnatus est ad omnem miseriam in præsenti, & ad exilium & peregrinationem in hac valle miseriæ, & ad pœnam æternam cum diabolo in futuro.

Sed Deus omnipotens, & misericors, & justus, humanæ fragilitati & creaturæ quam ad imaginem suam creaverat, misertus, illi promisit, ut Verbum suum per successionem temporis in mundum mitteret, & de quadam Virgine sui generis & posteritatis carnem assumeret: in qua quidem carne pro peccato *Adæ*, & omnium posterorum mortem & passionem libenter susciperet, ut eos à morte, & captivitate, & omni miseria liberaret & redimeret, & pro omnibus debitum solveret, & per Legem Euangelicam, & medelam Sacramentorum ab omni ægritudine spirituali sanaret.

Adam homo mysticus cui Deus dedit Legem

Et sic Deus misit *Adam* cum tota posteritate tamquam peregrinum & infirmum per hanc vallem lacrymarum peregrinando, & remisit ipsum ad Christum, ut sanaretur & redimeretur ab eo. Unde iste Adam cum tota sua posteritate Fidelium dicitur *homo mysticus & peregrinus* usque ad Christum: cui Deus in principio dedit Legem naturalem; primò, quoad cultum divinum de sacrificio & oblatione, ut patet *Genes.*4. Quia *Abel* offerebat de frugibus, & *Cain* de animalibus. Item, dedit Legem naturalem de conversatione & charitate erga proximum, scilicet, *Quod tibi non vis, alteri non facies*, & è contra: &, *Nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum.* Unde dixit Dominus ipsi *Cain*: *Cur iratus es, & cur concidit facies tua. Nonne si bene egeris, recipies? si autem malè, statim peccatum in foribus aderit?* Item, laudare Dominum, est de Lege naturæ: nam *Enos incœpit invocare nomen Domini*, *Genes.*5.

Per istam ergo Legem naturalem, & viam Legis naturæ misit Deus hominem peregrinando usque ad *Noe*, non declinando ad dexteram neque sinistram à via hujus Legis. Sed in *Noe* jam accepit alia præcepta magis expressa, confirmando supradicta, ut patet *Gen.*8. Item, iste *homo* peregrinatus est usque ad *Abraham*, in quo accepit à Deo præceptum de *Circumcisione*. Et exinde peregrinatus est usque ad *Moysen*, in quo accepit *Legem scriptam* præceptorum Moralium, & Judicialium, & Cærimonialium, ut patet per totum discursum *quinque librorum Legis Moysi.* Exinde iste *homo* peregrinatus est usque ad *David*, in quo accepit ampliationem divini cultûs, & magnum donum prophetiæ de Christo & Ecclesia. Et exinde peregrinatus est per omnes Prophetas in primo & secundo Templo usque ad *Christum.* Et exinde sanatus est, & redemptus, & accepit promissionem, ut patet *ad Hebr.*11. Et accepit veritatem Legis veteris, & perfectionem per Legem Euangelicam.

Ex quibus patet, quòd iste *homo mysticus* semper peregrinatus est quærendo Christum, tamquam finem suum, & Medicum, & Salvatorem: & sub tali fide, & spe Christi futuri salvatus est, & evasit pœnam æternam in Testamento veteri. Sed non accepit repromissionem & præmium, nisi in Christo, *ad Hebr.*11. Quia omnes Patres veteris Testamenti, & Fideles liberati de Limbo ascenderunt cum Christo in cœlum, ut dictum est *Psal.*57. Sed exinde iste *homo mysticus* postquam accepit Legem Euangelicam à Christo, adhuc peregrinatur per Legem Euangelicam usque ad secundum adventum, ut accipiat ultimam perfectionem per resurrectionem ad vitam glorioſam.

Ex

Homo myſticus dicitur Eccleſia peregrina

Ex quibus omnibus patet, quòd iſte *homo myſticus* eſt *Eccleſia Fidelium*; qui A per quatuor millia annorum peregrinatus eſt ab *Adam* uſque ad *Chriſtum* per Legem veterem, ut rédimeretur, & ſanaretur quoad animam, & reciperet Legem juſtificantem. Sed poſtquam redemptus eſt, recepit Legem Euangelicam juſtificantem in præſenti: & nunc peregrinatur per eam uſque ad ſecundum adventum Chriſti ad Judicium, ubi recipiet præmium corporis per reſurrectionem, & præmium animæ per fruitionem: & ſic erit in ſuo ultimo termino & perfectione.

Hunc ergo *hominem myſticum* & *peregrinum* introducit David loquentem in hoc Pſalmo; qui peregrinando quærit Chriſtum in veteri Teſtamento, ut redimatur & liberetur & ſanetur à peccato, & liberetur de captivitate, & etiam de jugo Legis per Legem libertatis. Sed poſtquam B venit ad Chriſtum in novo Teſtamento, peregrinando ad ſecundum adventum, ſemper petit ſervari à vitio concupiſcentiæ, & petit gratiam, ne cadat iterum in latrones; ſed confirmerur in ea. Et ſic patet, non ſolùm cauſa efficiens, ſed etiam materia totius Pſalmi. Et hoc quoad primum dubium.

Ad ſecundum dubium eſt dicendum: quòd cauſa quare David ſcripſit hunc Pſalmum per litteras Alphabeti Hebraici ſecundùm ordinem, fuit, quia in hoc Pſalmo deſcribit totum diſcurſum Legis, per quam peregrinatur iſte *homo myſticus* ab *Adam* uſque ad ultimum Judicium, ut dictum eſt. Quæ quidem lex & peregrinatio, figuratur per diſcurſum & ordinem litterarum Hebraicarum, ſive Alphabeti Hebraici. Unde dictum eſt in *Prologo*, *tractatu ſexto*, qualiter quælibet littera Hebraica habet ſuam ſignificationem à prima uſque ad ultimam. Unde quia Lex vetus non fuit data gratiâ ſui, niſi ut figurabat Chriſtum & Eccleſiam: & omnia geſta & myſteria facta in veteri Teſtamento, & omnis Lex & Prophetia non erant gratiâ ſui, niſi prout figurabant, aut prænuntiabant Chriſtum, & Legem Euangelicam: Ideò voluit Deus, ut totum vetus Teſtamentum litteris Hebraicis ſcriberetur, ut Lex ſignificativa per litteras ſignificativas ſcriberetur; ad denotandum, quòd omnia illa D erant in figura.

Nota de litteris Hebraicis

Unde dictum eſt ibi ſecundùm mentem *Euſebii*, *& Hieronymi*, quod *Aleph* prima littera, ſignificat *diſciplinam*. Et *Beth* ſecunda littera, ſignificat *domum*, & *Gimel*, idem ac *plenitudo*: *Daleth*, id eſt *librorum*. Quaſi dicat: quod Lex divina eſt doctrina, ſive diſciplina domus Eccleſiæ, & plenitudo librorum: quia omnes libri ſacri ſunt in Lege. Rurſus quinta littera ſcilicet *He*, idem eſt, quod *vita*, aut *eſſe*: & *Vau*, id eſt, *ipſa*: & *Zain*, id eſt *vivit*, ſive *vivens*. Quaſi dicat: Quòd Lex divina eſt ipſa, in qua E vivens vivit, & habet, & acquirit eſſe divinum. Rurſus *Heth*, id eſt *bonum*; *Jod*, id eſt *principium*: *Caph*, id eſt *tu*. *Lamech*, id eſt *diſce*. Quaſi dicat: In iſta Lege tu bonum principium diſce. Rurſus *Mem*, id eſt *ex ipſis*. *Nun*, id eſt, *ſempiternum*. *Samech*, id eſt, adjutorium: *Ain*, id eſt, oculus: *Phe*, id eſt *os*: *Sade*, id eſt, *juſtitia*. Quaſi dicat, quod ex præceptis divinis habetur divinum adjutorium ſempiternum, & oculus, & os juſtitiæ ad videndum, & operandum, & loquendum. Rurſus *Coph*, id eſt *vocatio*: *Res*, id eſt, *capitis*: *Sin*, id eſt, *medicamentum*: *Tau*, id eſt, *ſignum*, ſive *terminus*. Tota ergo convinatio iſtarum ſignificationum harum viginti duarum litterarum ſecundùm *Euſebium de Præparatione Euangelica* red- F dunt hanc ſententiam, id eſt, quod *Lex divina eſt diſciplina & doctrina domus*, *& plenitudo librorum*; *in ipſa vivit vivens*: *bonum principium in ipſa tu diſce*. *Ex ipſis præceptis ſempiternum auxilium*, *fons*, *os*, *oculus juſtitiæ*, *vocatio capitis*, *medicamentum ſuper vulnus*, *ſignum*. Hoc quaſi idem dicit *Hieronymus ad Marcellam*.

Ex ſupradictis patet, quòd litteræ Hæbraicæ, quibus lex fuit ſcripta, denotabant ſecundùm ſuas ſignificationes, quòd illa Lex erat quædam doctrina, quæ tenebat ſignum, qui eſt Chriſtus & vocabat caput & medicamentum humanæ naturæ: quia nihil aliud erat, niſi vocatio Chriſti capitis noſtri, & peregrinatio ad ſignum & finem qui eſt Chriſtus, & dirigens omnes in Chriſtum G tamquam in finem Legis. Et ideo pro majori parte omnes Pſalmi intitulantur, *In finem*, ut frequenter dictum eſt. Et ideo cantabantur cum omni conatu ad victoriam vocum, eò quòd vocabant Chriſtum, ut veniret ad ſanandum omnes, ut frequenter dictum eſt.

Ex ſupradictis patet, quod benè meritò David ſcripſit iſtum Pſalmum per viginti duos octonarios verſuum, juxta numerum litterarum Alphabeti Hæbraici. Et verſus cujuslibet octonarii incipiunt ab una littera Hæbraica: Nam omnes verſus primi octonarii incipiunt ab *Aleph*, & verſus ſecundi incipiunt à *Beth*. Et ſic procedit uſque ad *Tau*: ut oſtenderet, quod omnes debemus ſcire Legem Dei ſicut Al- H phabetum, quæ quidem Lex in hoc Pſalmo explicatur & diſcutitur, ut patebit.

Item ſecundò: ſicut ſine ſcientia litterarum eſt impoſſibile pervenire ad alias ſcientias, cùm ſit principium omnium ſcientiarum; ita vult oſtendere David in hoc Pſalmo, quòd Lex divina eſt doctrina, & via, & principium perveniendi ad veram beatitudinem. Item, ſicut omnes litteræ tendunt ab *Aleph* uſque ad *Tau*: ita tota Lex tendit in Chriſtum, tamquam in ſignum,

& finem, & terminum Legis. Item, sicut puer in addiscendo incipit à prima littera, scilicet *Aleph*, & procedit, & discurrit secundùm ordinem per omnes alias usque ad *Tau*, quæ est finis & terminus omnium litterarum: ita Patres & omnes Fideles incœperunt peregrinari ab *Adam* primo homine. Et sic iste homo mysticus peregrinatus est per istam Legem per omnes Patriarchas & Prophetas, semper aliquid addiscendo, & aliquam perfectionem recipiendo, usque ad Christum, tamquam in finem & terminum illius Legis, in quo recepit redemptionem, & salutem, & medicamentum. Sed nunc peregrinatur usque ad eumdem Christum, tamquam in finem & terminum nostræ glorificationis. A

Propter omnes ergo supradictas causas David scripsit hunc Psalmum secundùm ordinem Alphabeti Hebraïci, eò quòd in hoc Psalmo describit discursum divinæ Legis per omnes suas ætates. Item, quia tota peregrinatio Ecclesiæ, & cujuslibet peregrini Fidelis, consistit in quodam octonario ætatum: nam nos peregrinamur per septem ætates in hoc mundo, & expectamus octavam ætatem, & octavum diem in cœlo: ideo David posuit unum octonarium in qualibet littera. Item, quia totus iste Psalmus nihil aliud est, nisi quoddam itinerarium & peregrinatio divinæ Legis, per quam peregrinamur; ideo non est versus, quin in eo memoretur & nominetur divina Lex, præterquàm in duobus, ut patebit. Et hoc de secundo dubio. B

Quantum autem ad tertium est dicendum, quòd causa quare eadem petitio totiens iteratur & repetitur in hoc Psalmo, est ista. Nam dictum est, qualiter iste *homo mysticus*, qui fuit expoliatus, & sauciatus à latronibus in *Adam*, loquitur in hoc Psalmo, & peregrinatur per Legem Divinam usque ad Christum. Et quia recordatur qualiter tunc quia deviavit à divino præcepto, incidit in latrones, & qualiter ipsum expoliarunt, & graviter vulneraverunt; & videt, quòd tres latrones, scilicet *caro*, *mundus*, & *diabolus* semper & jugiter conantur ipsum retrahere à via, & à rectitudine Legis, & iterum ipsum graviùs vulnerare: item videt tot præcipitia à dextris & sinistris, & videt & considerat, quot millia laqueorum tendant isti inimici, ut capiant eum, si deviaverit à viâ Legis: & considerat etiam, quòd ex propriis viribus non potest evadere tot inimicos vigilantes super eum circumquaque, nisi per gratiam Dei fuerit adjutus & directus in hac via, ne limites Legis transgrediatur: ideo omnibus his consideratis, tamquam amaricatus, & expertus insidias istorum inimicorum, timens ne iterum incidat in latrones; semper petit dirigi, & adjuvari per gratiam in hac via, ne deviet à Lege, & incidat in latrones. Ideo pro majori parte in quolibet versu, & in quolibet passu hujus itineris, petit auxilium & gratiam, dicens: *Doce me justificationes tuas*; aut, *Non abscondas à me mandata tua*: aut, *Confirma me in verbis tuis*: aut, *De Lege tua miserere mei &c.* C D E

Nota de illo, qui incidit in latrones.

His habitis, deveniendum est ad Expositionem & divisionem hujus Psalmi: in quo David duo principaliter facit. Nam primò, introducit Deum, sive Angelum, Legem ipsi *Adæ* proponentem. Secundò, introducit ipsum *Adam mysticum & peregrinum*, Legem acceptantem, & peregrinantem. Ibi: *Tu mandasti*, *mandata tua custodiri nimis.* F

Divisio Psalmi.

Quantum ad primum, jam dictum est, qualiter iste homo recedens à divino præcepto incidit in latrones, qui ipsum expoliaverunt à præsenti & futura beatitudine; & ultra hoc, ipsum vulneraverunt, & sauciarunt plagis multis, in tantùm quòd ex propriis viribus nullum potest agere bonum, nec vitare malum: & qualiter Deus misertus hujus hominis, remisit ipsum ad Christum, qui sanaret eum, & reduceret ad beatitudinem, quam perdiderat; ad quem Christum iste homo pervenire non poterat, nisi per viam Legis & observantiam ejus. Et ideo Deus per Angelum suum, qui ipsum ejecit à paradiso, dedit ipsi supradictam Legem Divinam, in qua ambularet in hoc mundo, per quam ad Christum perveniret, non declinando à dextris, nec à sinistris, nec declinando à divina voluntate, quæ continetur in divinis præceptis Legis. Et ideo dicitur *Lex justitiæ*, & *veritas justificans* hominem, & reddens ipsum immaculatum. G

Hanc ergo Legem tradidit Deus ipsi *Adæ* cum tota sua posteritate, cùm ejecit ipsum de paradiso, & remisit ipsum ad Christum. Quasi dicat Deus: Tu *Adam* desideras recuperare beatitudinem quam perdidisti; & ego dico tibi, quòd non poteris ipsam recuperare, nisi per Christum mediatorem Dei & hominum. Ideo oportet, quòd peregrinando tendas in ipsum cum tota posteritate. Ad quem non poteris pervenire, nisi ambulando per istam Legem, quam tibi trado. Sed cum ista sit Lex justitiæ, per ipsam non poteris rectè ambulare, nisi te immaculatum servando, declinando ab omni malo, & faciendo bonum: quia aliud non docet, nec præcipit ista Lex, quæ ducit ad Christum, & ad beatitudinem recuperandam. Et ideo dico tibi, quòd soli illi erunt *beati*, *qui ambulant immaculati in Lege Domini* in hac via mortali. Quasi dicat: Nemo potest esse *beatus*, nisi se servet *immaculatum* sine peccato *in* hac *via*, & vita mortali. Et nemo se potest servare sine peccato, nisi ambulando in Lege Domini, & secundùm ipsam vivendo & operando, declinando ab omni malo, & faciendo bonum, quod in Lege præcipitur. H

Sed

Sed quia nemo potest incedere per viam quam ignorat, nec dirigere gressus suos & actus, nisi noverit terminum & A finem: sicut sagittarius non potest recte trahere sagittam, nisi noverit signum, ut 1. *Ethicorum.* Ideo dico tibi *Adam*, quod necesse est ut scias istam viam, & Legem, per quam debes ambulare. Quare dico tibi, quod *Beati* erunt, & sunt omnes qui *scrutantur testimonia* & præcepta *ejus*, meditando in Lege Domini die ac nocte, & contemplando in ea, sicut dictum est *Psalmo* 1. Sed quia non sufficit scire Legem, nisi homo operetur secundùm ipsam; ideo dico tibi, quod illi sunt *Beati*, qui non solùm *scrutantur* & contemplantur *testimonia* & præcepta *ejus*, sed qui *in toto corde exquirunt eum*, operando corde, B & opere: quia non qui auditor est tantùm, sed qui *factor*, *hic beatus in facto suo erit*, *Jacobi* 1. Quasi dicat: oportet quod diligas Deum in *toto corde & voluntate tua*, quantum ad charitatem, & *ex tota mente*, *& scientia tua*, quantum ad Fidem: & *ex omnibus viribus tuis*, quoad effectum charitatis: & *ex tota anima tua*, quantum ad spem futuræ beatitudinis: ita quod omnia opera tua dirigas in illum finem, Christum expectando: & quod *diligas proximum tuum sicut te ipsum*, sicut præcipit divina Lex. Et hoc est *scrutari testimonia Dei*, *in toto corde exquirere eum.* Et hoc est *immaculatum* & sine peccato *ambulare in via & Lege Domini.* Et hoc est declinare à malo, & facere bonum. Et hoc est ambulare per viam rectam, non declinando à dextris, nec à sinistris. C

Jacobi 1. & 15. q. 6. c. Si à Sacerdotibus.

3. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.*

QUasi dicat: quòd Lex & via Domini est ita justa & recta, & quòd nemo potest simul operari iniquitatem, & ambulare in ea Lege.

Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est *Psalmo* 14. quod Lex divina nihil aliud est nisi effectus, & signum, & imago divinæ voluntatis: quia in ea lucet & manifestatur divina voluntas erga actus humanos. Et ideo ista Lex divina dicitur recta & justa, quia est lata & con- D dita juxta divinam voluntatem, quæ dicitur metrum & mensura omnium actuum humanorum. Et ideo actus humani in tantum dicuntur, & sunt justi & recti, in quantum sunt facti juxta divinam Legem, & sunt ipsi conformes. Ex quo patet, quod qui ambulat secundùm istam Legem, aut intra limites hujus Legis, non potest operari iniquitatem, nec injustitiam, sed solam æquitatem & justitiam. Nec econverso, illi *qui operantur iniquitatem*, non possunt ambulare in hac Lege ut sic; eò

Lex est signum divinæ voluntatis.

quòd æquitas & iniquitas sunt contraria, & sic non possunt compati in eodem. Et E ideo nemo potest operari iniquitatem, nec injustitiam, nisi in quantum deviat ab æquitate ad iniquitatem. Et in hoc apparet maxima difficultas observantiæ divinæ Legis, & maxima facilitas transgressionis ejus: quia est difficillima ad observandum, & facillima ad prævaricandum.

Secundò est notandum, quòd tota Lex divina consistit in dilectione Dei & proximi, ut ait Salvator. *Matth.* 22. & *Lucæ* 10. Sed in tali dilectione oportet, quòd servetur species, & modus, & ordo secundùm *Augustinum*, id est, quod diligat illud quod diligendum est, & modo & ordine quo diligendum est. Et ideo si- F cut res se habet ad esse; ita oportet ipsam diligi. Sed quia solus Deus est primum, & summum bonum, & per se & propter se, à nullo dependens, nec ad aliquid aliud referibile, nec ordinabile: ideo Deus est solum summe diligibilis, & per se, sive in se, & propter se. Sed quia omnia alia sunt à Deo creata, & sunt in Deo conservata, & ordinantur in Deum tamquam in finem: ideo sunt diligendi homines tamquam imago Dei, & in Deo, & propter Deum. Et ideo homo & Angelus tenetur diligere Deum ex toto corde, sive voluntate, & ex tota mente, & ex omnibus viribus, & operationibus: & tenetur diligere proximum suum, sicut seipsum. Sed quia propter hoc homo non debet se diligere propter seipsum, sed propter Deum, ad quem ordinatur: ideo non debet diligere pro G ximum, nisi propter Deum; & sic omnia alia debet diligere propter Deum: aliter enim perverteret modum & ordinem diligendi. Et si sic homo diligit Deum & proximum, verè servabit omnia divina præcepta, quæ explicantur in Lege erga Deum & proximum, & in nullo prævaricabitur eam, nec deviabit à divina Lege & justitiâ, nec ab æquitate in iniquitatem. Sed hoc est difficillimum, scilicet, quod servetur iste ordo, & modus dilectionis Dei & proximi, quin aliquando quis deficiat declinando à tali æquitate. Ideo observantia Legis est difficillima pro statu isto homini de se, ut patebit. Sed *Beati qui scrutantur testimonia ejus*, *in toto corde exqui-* H *runt eum. Non enim*, *qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.*

Lex consistit in Dei dilectione.



7ć. d. c. Fratrem. Et 7. q. 1. Sciendum Et 23. q. 1. Summa.

4. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* A

IN hac secunda parte David introducit *Adam mysticum* acceptantem hanc Legem positam à Deo, & incipientem peregrinari in ea. Sed duo facit iste *homo mysticus*. Nam primò petit dirigi per auxilium Dei usque ad Christum, ambulando per Legem veterem. Secundò, petit dirigi per Legem Euangelicam usque in finem suæ peregrinationis, in qua, peractâ peregrinatione & decursò toto itinere, cupit dissolvi, & esse cum Christo, & accipere peroptatam beatitudinem, dicens: *Erravi* B *sicut ovis quæ periit: quære servum tuum* Domine: *quia mandata tua non sum oblitus.* Secunda pars incipit ibi: *Legem pone mihi Domine*, in principio quinti octonarii.

Quantum ad primum duo facit: nam primò, petit dirigi generaliter in hac peregrinatione. Secundò, petit specialiter dirigi in sua adolescentia & juventute. Ibi: *In quo corrigit.*

Quantum ergo ad primum est dicendum, quòd postquam iste homo audivit à Deo Legem sibi propositam sub talibus conditionibus supradictis, primò consideravit difficultatem Legis in se: secundò, C consideravit difficultatem, & ingentia, & innumera pericula itineris: tertiò, consideravit impedimentum, & fragilitatem, & inhabilitatem ex parte sui; eò quòd erat sauciatus & vulneratus in carne, & in omnibus potentiis, & vinctus, & ligatus morbo & vinculo concupiscentiæ in carne. Tunc arbitratus est, se non fore aptum, nec sufficientem ad tam arduum opus aggrediendum, nec tam duram & periculosam peregrinationem assumendam, nisi speciali auxilio & gratia Dei muniretur, & adjuvaretur, & in tam inextricabili via dirigeretur. Tunc ergo cum tali protestatione acceptans peregrinationem, conversus ad Deum, dicit: O! ego bene accepto hanc peregrinationem & legem custodiendam: sed D *tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est valde, & absque defectu: quia ponis ardua præcepta. Dicis enim, quòd *Beati immaculati in via*, id est, quod nemo potest pervenire ad hanc beatitudinem, nisi immaculatus sine peccato per hanc viam. Dicis præterea, quòd *beati qui scrutantur testimonia ejus*, & *in toto corde exquirunt ea*, id est, nemo potest esse beatus, nisi perscrutetur profunda testimonia, & mysteria Legis, & *meditetur in ea die ac nocte*, & *exquirat* & servet præcepta tua ex toto corde & mente, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & dictis, & factis. Dicis tandem, quòd nemo potest deviare à mandatis tuis sine peccato & iniquitate.

E Sed omnia ista præcepta tua non solùm sunt mihi difficilia & ardua, sed etiam impossibilia viribus meis ad implendum. Et hoc triplici ratione. Nam primò ista sunt ardua ex parte sui: quia arduum & difficile est, quod diligam Deum ex toto corde, & mente, & anima, & ex omnibus viribus meis; & proximum meum sicut meipsum, in quibus duobus præceptis continetur, & pendet tota Lex & Prophetæ. Ad quorum præceptorum observantiam multa requiruntur, & ad eorum prævaricationem sufficit unum: quia *qui deliquerit in uno, factus est omnium reus*; & sic multipliciter contingit errare.

Quomodo præcepta non possumus implere sine gratia.

F Secunda difficultas accidit ex parte extraneorum inimicorum, & latronum impedientium hanc peregrinationem. Nam video ad sinistram Satan cum septem spiritibus nequissimis, qui in itinere isto innumerabiles mihi laqueos tendunt. Et video ad dexteram mundum cum inevitabilibus affectibus, & adversitatibus suis: qui modò cum delectationibus, modò cum adversitatibus, & persecutionibus me à rectitudine hujus viæ abducere sine intervallo conatur. Tertiò, video familiarem inimicum, scilicet, morbum & concupiscentiam in carne infligtam, quæ continuè luctatur adversus animam. Et video omnes potentias G & vires sauciatas & vulneratas non valentes resistere. Et *video Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis*, in tantum quòd *quod nollem, hoc ago, & quod vellem, non facio.* Et sic, quocumque me verto, semper video mihi aliquid supereſſe quod timeam, ne incidam iterum in latrones, & iterum expolient me bonis ex hac Lege collatis, postquam tunc me expoliaverunt bonis gratuitis originalis justitiæ.

Et sic patet, quòd ex viribus meis peccatum vitare non possum, nec tot inimicis resistere valeo, nec possum à mandatis tuis deviare sine peccato; cùm dicas, quòd *non ambulant in viis tuis, qui operantur iniquitatem.* Ergo nullo modo ex propriis viribus possum rectè per hanc H viam incedere, nec vitare peccatum. Quid ergo faciam, nescio, nisi quòd recurram ad auxilium gratiæ & misericordiæ tuæ: ut tu qui dedisti mihi Legem & præcepta, per auxilium gratiæ tuæ dirigas etiam me in hac difficili via; hoc est, ut des mihi gratiam *prævenientem*, ut velim; & *incipientem*, ut incipiam; & *cooperantem*, ut prosequar; & *perficientem*, ut perficiam, & consummem hanc peregrinationem, & viam, & cursum: & des mihi Fidem, ut credam; & Charitatem, ut diligam, & operer; & Spem veram, ut spretis rebus hujus mundi, non intendam nisi verum finem, & dirigam omnia opera mea in te, qui es finis itineris & peregrinationis meæ.

Et

Et sic cum tali fide *scrutabor Legem tuam*: & cum tali charitate *in toto corde exquiram eam*: & cum tali spe ambulabo in Lege tua recto tramite inspiciendo finem, non declinando ad dexteram, nec ad sinistram; & sic incedam *immaculatus* usque ad veram beatitudinem. Quia ergo *tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est valde, & sine defectu cum omnibus conditionibus supradictis; & cùm hoc sit mihi, non solùm difficile, sed etiam impossibile viribus meis propter tria supradicta impedimenta, scilicet, propter diabolum, mundum, & carnem, nisi sim adjutus & directus per gratiam tuam: ideo A

De Conse. d.4.c.Nec quemquã.

5. *Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas!* B

PER gratiam tuam, & fidem, & spem, & charitatem: quia aliter operationes meæ non possent esse justæ; nec ego possem rectè per tam difficilem viam incedere: ideo rogo ut des mihi gratiam, ut dirigam gressus meos *ad custodiendas justificationes tuas.*

40.d. ca. Illud. Id.c.Quëlibet. 1.q.1.ca. 1.

6. *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.*

7. *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.* C

8. *Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.*

CUM adjutus & munitus tali gratiâ, & fide, & spe, & charitate *perspexero in mandatis tuis*, numquam confundar, nec deficiam à via tua; *nec confundar*, nec superabor à prædictis tribus inimicis: immò *confitebor in directione cordis*, id est, recto corde & opere *confitebor tibi*, tua præcepta servando, scilicet, eò quòd *didici judicia justitiæ tuæ.* Quasi dicat: Sicut didici præcepta tua *scrutando ea* per studium & meditationem; ita complebo opere & effectu, & operabor secundùm Legem tuam & præcepta: quia non auditor tantùm, sed etiam factor existam. Et ideo *non me derelinquas usquequaque*, id est deinceps, nec in aliquo momento; & *custodiam justificationes tuas.* Quasi dicat: Non auferas à me hanc gratiam & auxilium, & custodiam præcepta tua. Quia nemo potest præcepta tua adimplere sine gratia, nec prævaricari sine peccato, ut dictum est, propter impedimenta supradicta: nec potest quis vinci à concupiscentia, & mundo, & diabolo sine peccato, & deviatione à divinis præceptis. D E

Sed contra prædictam Expositionem sunt tres Sectæ detestabiles & execrabiles. *Quarum prima fuit Pelagii* cum sequacibus suis; qui dicebat, quòd tanta est vis liberi arbitrii, quòd unusquisque ex propriis viribus absque aliqua gratiâ spirituali potest rectè velle & operari, si vult, & potest implere divina præcepta, & vitare omne peccatum. *Contra Pelagium sine gratia non potest homo ex viribus &c.*

Ad quod probandum arguebat dupliciter: primò sic. Potentia hominis sequitur liberum arbitrium. Sed homo habet liberum arbitrium ad utrumlibet. Ergo potest liberè operari bonum & malum, ut libuerit; quia si non posset velle bonum, aut nolle; & operari, quando vult bonum aut malum: tunc non haberet liberum arbitrium ad utrumlibet. F

Secundò arguebat sic: Si homo ex propriis viribus non posset adimplere præcepta; sequeretur, quòd non obligaretur ad Legem servandam: quia ad impossibile nemo obligatur: quia aliter Deus esset injustus, imponendo homini Legem quam servare non posset; & sic puniret eum injustè.

Secundus error fuit Manetis, qui asserebat, nullo modo hominem peccatum posse vitare, etiam cum gratia. Sed iste movebatur ex falso & detestabili principio: ponebat enim in homine duas animas; unam scilicet corpoream & carnalem, creatam à principe tenebrarum de substantia sua mixta cum elementis: & alteram animam ponebat spiritualem creatam à principe lucis. Et ideo dicebat, quòd prima anima ita erat mala, quòd numquam posset agere bonum: & sic per nullam gratiam & auxilium homo poterat subjicere concupiscentiam rationi, nec vincere eam. Et sic non poterat vitare peccatum; sed per animam spiritualem homo poterat facere aliqua bona. *Contra Manichæum.* G

Tertia opinio est Judæorum & Saracenorum, & quorumdam malorum Christianorum, qui dicunt, quòd non omnis actus carnalis concupiscentiæ est peccatum, nec est prohibitus in Lege. Et sic dicunt, quòd simplex fornicatio non est peccatum. Unde dicunt, quòd Deus non prohibuit in Lege fornicationem, nec omnem carnalem concupiscentiam, sed solum adulterium, dicens: *Non adulterabis cum uxore proximi tui.* Item, ut magis astruant suam detestabilem vitam, dicunt, quòd Deus non prohibet ea quæ sunt naturalia & de necessitate naturæ: sed carna- *Contra Judæos.* H

nalis concupiscentia est de necessitate naturæ, sicut comedere & bibere : Igitur A non est semper peccatum.

Responsio. Has tres detestabiles & contagiosas bestias conatus est *Augustinus* simul cum tota Ecclesia extinguere, & extirpare, & eliminare extra limites Ecclesiæ Catholicæ : demonstrans, quòd nemo potest adimplere divina præcepta, nec vitare peccatum sine gratia Dei, contra Pelagianos : Et quod quilibet potest implere divina præcepta, & vitare peccatum adjutus gratiâ Dei, contra Manichæos : Et quòd nullus potest esse actus carnalis, & concupiscentiæ, & libidinis, sine peccato, nisi per matrimonium excusetur. Unde venena istarum trium bestiarum extinguit *Beatus Augustinus* uno solo Catholico jaculo : eò quòd omnes illi movebantur ex B uno falso principio, dicentes : quòd concupiscentia & libido est bonum naturæ datum ad generationem, sicut datum est bestiis, & cæteris animalibus. Et dicebant, quòd libido nec est peccatum, nec effectus, nec pœna alicujus peccati : immò dicunt, quòd sive *Adam* peccasset, aut non peccasset, semper habuisset hanc concupiscentiam & libidinem, & fuisset mortuus, postquam erat compositus ex quatuor humoribus & elementis. Et sic concupiscentia, & mors, & cæteræ passiones & defectus sunt naturales cuilibet homini.

Arg. contra Pelagianos.

Sed ad destruendum hoc falsum fundamentum *Augustinus* ponit plures conclusiones & doctrinas *contra Julianum*, & *contra Pelagianos Hypognosticon*, *responsione prima*, *& quarta.*

Quarum prima est : quòd ista concu- C piscentia, & libido, & mors, & cæteræ passiones non sunt homini à naturâ, sed pœna peccati, & in peccati pœnam inflictæ. Probatur : Primò de libidine & concupiscentia : nam *Adam* & *Eva* ante peccatum erant ambo nudi, & non erubescebant, nec confundebantur, *Genes.* 3. Sed illicò post peccatum erubescentes fugerunt à facie Domini, cooperientes partes pudendas, & genitalia : ergo signum est, quòd ibi fuerunt sauciati vitio, & fœditate libidis ex peccato. Secundò probatur à morte, & cæteris infirmitatibus. Nam si *Adam* & *Eva* ante peccatum habuissent naturaliter necessitatem moriendi, non fuisset eis factum præceptum de ligno prohibito D sub comminatione mortis. Item, Deus non dixisset, nec annuntiasset eis mortem post peccatum, cùm dixit : *Maledicta terra in opere tuo, donec revertaris in terram.* Ex quo patet, quòd mors, & infirmitas, & labor &c. data sunt eis in pœnam peccati. Sed cum postea arguit *Julianus.* Unde inest libido & mors bestiis, quæ numquam peccaverunt ? Ad hoc respondet *Augustinus* : quòd si libido & mors comparentur ad mixtionem elementorum, & com-

Mors &c. non sunt homini à natura.

plexionem humorum, sunt communes ho- E minibus, & brutis, & quasi passiones naturales : sed si comparentur ad statum innocentiæ hominis, tunc nec sunt, nec debent dici naturales, sed pœnæ peccati. Nam homo creatus est liber, & immunis ab hujusmodi : & hanc libertatem possedit ante peccatum, in præmium originalis justitiæ per gratiam. Sed quia propter peccatum perdidit hanc libertatem, quia sine libidine poterat coire & generare, & poterat non mori ; & inflicta est ipsi fœditas libidinis, & concupiscentiæ in carne, & necessitas moriendi : ideo omnia hæc dicuntur pœna peccati, & non naturalia.

Secunda conclusio : quòd libido & concupiscentia non solùm est pœna peccati in quolibet homine ; sed etiam obligat F hominem ad debitum peccati ipsius *Adam*, non ad debitum pœnæ sensûs, sed ad culpam & pœnam damni, quod dicitur peccatum, sive culpa originalis in homine, quam trahit anima ex contubernio corporis & carnis sic vitiatæ & corruptæ : quod peccatum transit à genitoribus parentibus in omnes filios per libidinem genitos. Quam conclusionem probat *Augustinus* per plures authoritates Sacræ Scripturæ, præcipuè per illam *Psalmi* 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ex quo patet, quòd solus habitus hujus fomitis & concupiscentiæ obligat habentem ad debitum originalis justitiæ amissæ, cum omnibus gratuitis, & præmiis perditis.

Libido, seu concupiscentia, &c.

Tertia conclusio : quòd sola gratia Christi absolvit hominem à tali debito per G Baptismum in novo Testamento : & per circumcisionem & oblationem in veteri, sicut dictum & probatum est *Psalmo* 29.

Quarta conclusio : quòd Baptismus non tollit concupiscentiam & fomitem, ut non sit in baptizato, sed ut non imputetur ipsi ad supradictum debitum. Ex quo patet, quòd Baptismus solvit debitum originalis justitiæ, & omnium præmiorum ejus. Hanc conclusionem probat *Augustinus* in libro *de Nuptiis*, & *de Baptismo Parvulorum.*

Baptismus non tollit concupiscentiam.

Quinta conclusio : quòd licèt concupiscentia, quæ manet in carne post Baptismum, non imputetur homini quoad de- H bitum originalis justitiæ, nec imputetur ad peccatum ; tamen effectus, & actus ejus causat peccatum actuale per consensum in voluntate, quod imputatur homini ad culpam, & pœnam æternam. Probatur. Nam Baptismus non absolvit baptizatum ab actu, & effectu inordinatæ concupiscentiæ, ne imputetur ipsi ad peccatum : sed tantùm absolvit, ne habitus talis concupiscentiæ imputetur ipsi ad peccatum : eò quòd habitus talis corruptionis & concupiscentiæ non est voluntarius, nec per hominem com-

Concupiscentia non imputatur homini &c.

commiſſus, ſed à parentibus contractus, & inflictus. Sed quia actus carnalis, ſive quilibet effectus concupiſcentiæ inordinatæ in Lege prohibitus, committitur & perpetratur voluntariè ab homine: ideo obligat & imputatur ad culpam & pœnam ſenſus. Hoc idem probatur: Nam ſicut peccatum actuale ipſius *Adam* obligavit ipſum ad debitum culpæ & pœnæ æternæ, eò quòd fuit voluntarium, & ex inordinato appetitu commiſſum: ita pariter omnis actus in Lege prohibitus, & per talem concupiſcentiam perpetratus obligat hominem ad peccatum, debitum culpæ, & pœnæ æternæ. Itaque habitus hujus concupiſcentiæ non obligat hominem ad peccatum actuale, & pœnam æternam ipſius Adam, ſed ad damnum.* Sed effectus & actus hujus concupiſcentiæ obligat hominem ad pœnam æternam ſenſûs.

* *Nota de obligatione ad pœnam damni, niſi ad hibeatur baptiſmus*

Sexta concluſio: quod nulla alia cauſa poteſt tollere, quin actus concupiſcentiæ carnalis imputetur ad peccatum mortale, niſi ſola gratia Sacramenti *Matrimonii*. Iſta concluſio pro una parte ſui eſt approbata per Eccleſiam.

Nota de Sacramento Matrimonii contra concupiſcentiã &c.

Quia propter quatuor bona fuit Matrimonium à Deo inſtitutum. Primò, propter bonum mutui obſequii. Secundò, propter bonum Fidei & Sacramenti. Tertiò, propter bonum prolis, ut patet *Geneſ.* 2. Sed quartò; fuit inſtitutum in remedium libidinis, & ne concupiſcentia imputaretur, poſtquam natura & univerſa caro fuit corrupta, & prona ad malum, ut patet *Geneſ.* 8. Altera pars hujus probatur. Nam *Baptiſmus* datur ad delendum peccatum originale jam habitum. Et *Confirmatio* datur ad robur, & ad reſiſtendum tentationibus à peccato, antequam perpetretur. *Pœnitentia* autem datur ad delendum peccatum actuale jam perpetratum. *Extrema* autem *Unctio* datur decedentibus, & pœnitentibus, ad delendum venialia, & oblita, ad pleniorem remiſſionem pœnarum debitatum ex peccatis confeſſis & oblitis. Ergo ſolum Sacramentum *Matrimonii* datur ad remedium, ne actus venereus & libidinoſus debitè habitus inter conjuges, imputetur ad peccatum mortale.

Simplex fornicatio eſt peccatum mortale.

Septima concluſio: quòd ſimplex fornicatio, & omnis actus venereus, extra matrimonium commiſſus, eſt peccatum mortale, & obligat ad culpam & penam æternam. Probatur: Quia nullum aliud Sacramentum excuſat peccatum carnis ante factum, nec in facto præter *Sacramentum Matrimonii*, ut dictum eſt. Hoc idem probatur: Nam concupiſcentia carnis ideo dicitur *pœna peccati*, eò quòd non *poteſt venire in actum niſi inordinatè*, ut ait *Auguſtinus*, & per conſequens non ſine peccato. Iſta autem concluſio non oportet, quod probetur apud Catholicos, & rectos Chriſtianos: quia expreſſè præceptum eſt in Lege, *Exod.* 20. *Non mechaberis.* Item *Deuteron.* 23. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator &c.* Item, quia jam probata eſt per *Apoſtolum ad Rom.* 1. ubi poſuit damnandos fornicatores inter adulteros & mundanos. Item, 1. *ad Corinth.* 6. ubi dicit: quòd *fornicarii & idolis ſervientes, adulteri, & molles, & maſculorum concubitores, & ebrioſi & maledici regnum Dei non poſſidebunt*: hoc idem docet Apoſtolus per totam doctrinam ſuam. Hoc idem *Jacobus, & Petrus, & Joannes, & Judas* in *Canonicis* ſuis. Et nihil aliud clamat tota doctrina Euangelica, & Apoſtolica, & Catholica. Ideo tàm Judæi, quàm Saraceni, & mali Chriſtiani, qui ut deteſtabilem vitam ſuam excuſent & defendant, aſſerunt, ſimplicem fornicationem eſſe licitam; maledicti & Hæretici ſunt cenſendi, & Satanæ tradendi.

Octava concluſio: quòd poſt lapſum impoſſibile eſt cuique homini ſervare divina præcepta, nec vitare peccatum, nec reſiſtere tentationibus abſque gratia Chriſti. Prima pars hujus concluſionis, & tota concluſio probatur ab Apoſtolo *ad Rom.* 7. & per totum diſcurſum illius Epiſtolæ; & ab *Auguſtino, de Perfectione juſtitiæ hominis*, & in omnibus libris, quos fecit contra *Pelagianos*: ubi dicit, quod tota natura noſtra fuit corrupta in *Adam*, & omnes potentiæ vulneratæ, & debilitatæ; & noſtrum liberum arbitrium claudicatum. Unde ſicut impoſſibile eſt claudum rectè ambulare, niſi juvetur ab altero: ita eſt impoſſibile hominem poſt lapſum, ex concupiſcentia & fomite ſauciatum & claudicatum, rectè incedere in Lege Domini, & divina præcepta adimplere, nec aliquod *bonum agere, niſi juvetur gratia Chriſti. Quia *non eſt currentis, neque volentis, ſed Dei miſerentis, ad Rom.* 7. & 8. & 9. *per totum.*

Sine gratia Dei non ſervantur præcepta.

* *Nota de bono Salutari, & meritorio vitæ æternæ.*

Sed contra hoc arguebat *Julianus*, dicens: Quòd nos videmus, quod unus homo exiſtens in uno peccato, vitat aliud. Nam quandoque Adulter vitat homicidium, & facit eleemoſynas, & alia opera miſericordiæ: & tamen talis nullam habet gratiam, cùm ſit in peccato mortali: Ergo quis poteſt implere præcepta, & agere multa bona ſine gratia.

Ad hoc reſpondet *Auguſtinus* cum diſtinctione: quod licet Adulter dum vitat homicidium, & agit illa bona opera miſericordiæ, non habeat gratiam gratum facientem, tamen non operatur ſine gratia diſponente, & præveniente. Nam licet gratia gratifica non compatiatur ſecum peccatum; tamen gratia perveniens & diſponens hominem ad benè agendum, & malum vitandum, poteſt eſſe in aliquo peccatore, per quam diſponitur ad gratiam gratum facientem. Ex quo patet, quòd nec juſtus, nec peccator poteſt vitare aliquod peccatum,

neç

nec bene agere sine gratia Christi adjuvante, aut disponente, aut cooperante, aut gratificante, aut perficiente. A

Deus non denegat gratiam.

Nona conclusio: quòd hæc gratia nulli petenti, & conanti, & se præparanti, negatur à Deo. Hæc probatur: Primò, doctrinâ Euangelicâ, *Luc.* 11. *Petite, & accipietis; pulsate, & aperietur, & omni petenti dabitur*: & *Joann.* 14. & 15. *Quodcumque petieritis in nomine meo, fiet vobis.* Item, ibidem ait Salvator, quòd *oportet semper orare*, ne intremus in tentationem, *Matth.* 26. Hoc idem *Jacobi* 1. *Qui vult sapientiam, postulet à Deo.* Quia *humilibus dat gratiam, & superbis resistit.* Quia *omne datum optimum desursum est.*

Decima conclusio: quòd licèt absque B gratia Christi nemo possit implere divina præcepta, nec vitare peccatum: tamen omnes obligamur ad servandum divina præcepta, & vitare peccatum, & agere opera misericordiæ: nec est inconveniens, quòd quis obligetur ad sibi impossibile in casu.

* *Nota de Impossibilitate viribus naturæ inspectis postquàm corrupta est in Adam.*

* Prima pars probatur: Nam in utroque testamento obligamur ad servandum mandata, ut patet *Matth.* 19. & *Luc.* 10. Et etiam obligamur ad opera misericordiæ, *Matth.* 25. Secunda pars probatur: Nam impedimentum perpetratum licèt tollat possibilitatem, tamen non tollit obligationem debiti: exempli gratia: Nam homicida semper obligatur ad restituendum hominem vivum. Sed hoc est impossibile. Item, latro qui dextruxit omnia quæ furatus fuerat, semper obligatur ad restitutionem totius, & damni: tamen hoc est ipsi impossi- C bile. Item, ebrius tenetur servare Leges, & vitare omne malum, dum est ebrius: & tamen hoc est ei impossibile. Et tamen non excusatur, quin puniatur de quocumque crimine commisso durante ebrietate; immò duplici pœnâ est plectendus, 3. *Ethicor.* Ita ergo pari ratione: quia ista corruptio & concupiscentia mala fuit in *Adam* nobis contracta, per quam sumus inepti ad malum vitandum, & bene agendum: ideo non excusat nos, quin obligemur ad servanda mandata, & vitandum omne peccatum, & ad recuperandam libertatem quam perdidimus in Adam. *

* *Nota de libertate ab impedimentis contractis ex peccato Ada.*

Unde est advertendum, quòd ad tria nobis impedita per peccatum sumus obli- D gati. Primò, ad credendum quæ non videmus, nec possumus naturali ratione comprehendere. Secundò, ad agendum & operandum quod non possumus facere. Item, ad sperandum quæ non tenemus, nec ex nostris viribus possumus acquirere sine gratia Dei. Et ideo manifestè patet, quòd virtutes Theologales collatæ sunt in supplementum justitiæ originalis, & præmiorum ejus. Nam istæ virtutes justificant nos in supplementum illius originalis justitiæ. Non ergo miretur Pelagius, & quicumque alius, si obligamur ad ea quæ sunt no- E bis impossibilia, postquam impedimentum fuit in primis parentibus à nobis contractum: nec hoc est inconveniens.

Undecima conclusio: quòd licèt observantia divinorum præceptorum sit impossibilis quoad nos ex propriis viribus post lapsum; tamen non est impossibilis simpliter. * Prima vero pars est probata per jam dicta. Secunda probatur, quia talis observantia est nobis possibilis per auxilium gratiæ Christi: quod quidem auxilium nobis non negatur, si cum perseverantia petimus, sicut dictum est. Ergo non est impossibilis *simpliciter*, licèt sit impossibilis *secundumquid*, & *quoad nos.** Ideo non est inconveniens, quod obligemur ad ali- F quod impossibile quoad nos, postquam non sit simpliciter impossibile. * Item, licèt sit observantia impossibilis quoad nos sine gratia; tamen est nobis possibilis petitio hujus gratiæ, quæ nobis non negatur, si instanter & perseveranter petimus, ut ait Salvator: *Petite & accipietis*: & *pulsanti aperietur, & omni petenti dabitur.* Ideo ait *Augustinus contra Donatistas, quòd Christus non damnat peccatorem, quia peccavit; sed quia non ad medicum currit.* Quod autem sit impossibile aliquem salvari absque auxilio Dei, patet *Matth.* 19. quando dixit *Petrus* & Discipuli: Quis poterit salvus esse? Respondit Jesus: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Ex quo patet, quòd licèt sit impossibile hominem bene operari sine gratia: tamen possibile est ut pe- G tat gratiam, per quam potest bene operari, & malum vitare.* Et ideo peccatum semper imputatur homini, postquam potest facere quod in se est, gratiam petendo, & gratiæ oblatæ non resistendo. Ex quo patet, quòd ex tali impossibilitate nullus habet jus querelæ.

Differt ergo positio *Augustini* Catholica ab impietate *Manichæorum*: quia illi ponebant essentiam & substantiam hominis naturaliter & substantialiter malam, à principe tenebrarum de sua mala substantia creatam: & ideo nullo modo poterat vitare peccatum. Sed *Augustinus* dicit, omnem naturam & substantiam à Deo naturaliter & substantialiter bonam creatam; H sed in carne hominis propter peccatum primorum parentum, malam concupiscentiam, & morbum inflictum: Cujus morbo & concupiscentiâ caro hominis taliter fuit corrupta, & liberum arbitrium taliter claudicatum, quòd ex propriis viribus non potest vitare peccatum: * sed adjutus per gratiam, non solùm potest vitare peccatum, sed etiam implere divina præcepta, & agere omne bonum.

Differt etiam positio *Augustini* à prava hæresi Pelagianorum. Nam illi dicebant, mortem, & libidinem esse homini naturalem:

* *De impossibilitate loquitur modo suprà ad notato, inspecta nimirùm corruptione naturæ.*

* *Non est impossibile simpliciter præcepta servare. Et ea genuinam Auctoris sententiam, tā probè, quàm alibi dictis, vel dicendis super eadem re.*

* *Si igitur nōpetimus nos ipsi in causa sumus, ut nobis gratia non donetur; proindeque non observantia præcepti ob defectum gratiæ sit nobis imputabilis.*

* *Et jure merito, quia tunc casus impossibilitas implēdi præceptum oritur ex suppositione liberā, nempe ex omissione petendi gratiam aliàs necessariam ad impletionem præcepti.*

Vide Div. Auguſtin. de Gratia Chriſti, & alibi ſæpiſſime.

lem : & voluntatem hominis eſſe ita liberam, ut poſſit vitare omne malum, & implere divina præcepta de ſe, ſi velit, & A agere bonum. *Auguſtinus* autem dicit, mortem, & concupiſcentiam, ſive libidinem, non eſſe naturalem, nec creatam cum homine ; ſed inflictam naturæ in pœnam peccati : quam concupiſcentiam inimicus diabolus in bona natura, quaſi zizaniam inter bonum triticum ſeminavit : & ideo naturam noſtram corruptam tali concupiſcentia ex propriis viribus non poſſe vitare peccatum, nec implere præcepta abſque divina gratia præveniente, & adjuvante, eo modo quo dictum eſt.

Tertio modo poſitio *Auguſtini* Catholica differt à deteſtabili excuſatione & ſpurcitia Judæorum, Saracenorum, & quo- B rumdam malorum Chriſtianorum, qui dicunt, ſimplicem fornicationem & omnem actum venereum non eſſe peccatum, eò quòd ad eam inducitur homo à natura, poſtquam non ſit cum adulterio. *Auguſt.* autem dicit, concupiſcentiam, & libidinem non eſſe à natura, ſed inflictam ex peccato ; & ideo non inducitur homo ad actum venereum à natura, ſed ex corruptione, & quia inflicta in pœnam peccati. Ideo non poteſt ordinatè exercere actum venereum, niſi cum fœditate & peccato. Unde ſicut ſola gratia baptiſmalis excuſat, ut habitus concupiſcentiæ * non imputetur ad peccatum originale : ita ſola gratia Sacramenti Matrimonii excuſat, ut actus concupiſcen- C tiæ libidinoſus non imputetur ad mortale. Nam ideo illa concupiſcentia dicitur *ſemen & fomes peccati*, eò quòd per conſenſum deliberatum cauſat peccatum mortale in voluntate. Item, quia actus venereus non fuit à Deo ordinatus, nec conceſſus, niſi ſolis in matrimonio conjugatis; ideo ſine peccato, non poteſt aliter exerceri : quia jam deviat à divina ordinatione & mandato. Ex ſupradictis ergo patet, quòd licèt homo fuerit creatus à Deo naturaliter bonus ; tamen quia in pœnam peccati natura ejus fuit ex concupiſcentia corrupta ; ideo ſine gratia Dei nec poteſt de ſe vitare peccatum, nec agere bonum. Sed hoc magis etiam patebit *Pſalmo* 148. Et per hoc patet reſponſio ad argumenta Hæreticorum.

**Concupiſcentia habitus dicitur quia ad inſtar illius permanenter ſe habet.*

Ex omnibus ſupradictis patet veritas D dictorum *Auguſtini*, ſcilicet, quòd abſque peccato non eſt præceptorum tranſgreſſio: nec ſine gratia Chriſti eſt eorum adimpletio. Item, quòd ſine gratia nemo poteſt vitare peccatum, nec reſiſtere concupiſcentiæ & pugnæ, nec agere bonum: quod accidit ex corruptione naturæ, & pœnali illius primi condemnatione peccati. Et hoc patet manifeſtè ex ſententia Salvatoris, *Lucæ* 10. Nam *ille homo*, qui deſcendebat ab *Hieruſalem* in *Jericho incidit in latrones*, *qui* non ſolùm *expoliaverunt eum* bonis gratuitis & illa originali juſtitiâ, E ſed etiam *vulneraverunt eum*, *& plagis impoſitis ſemivivo relicto abierunt:* qui jacens in via, nec ex propriis viribus poterat ſurgere ; nec ambulare, nec potuit ipſum elevare *Sacerdos*, nec *Levita*, ſed ſolus Chriſtus *Samaritanus* : qui elevans eum, *impoſuit ſupra humeros ſuos*, & commiſit ipſum *ſtabulario*, cui tradidit *duos denarios* pro cura hujus infirmi : ſcilicet, *denarium gratiæ* Sacramentorum ad ſananda vulnera, & *denarium doctrinæ* Sacræ Scripturæ, & Legis Euangelicæ, ad nutritionem & refectionem ſpiritualem. Ex quibus patet, quòd homo in *Adam* ſauciatus, nec poteſt ſurgere à peccato, nec ambulare, nec peregrinari per obſervan- F tiam Legis, niſi per gratiam Chriſti elevetur & adjuvetur.

Iſte ergo *homo* ſic *ſauciatus*, *& vulneratus*, *& paralyticus*, & in libero arbitro *claudicatus*, loquitur in hoc Pſalmo peregrinando ad Chriſtum per viam Legis divinæ; qui ſemper petit juvari per gratiam Chriſti, & dirigi in hac peregrinatione, ne deviet à rectitudine Legis, nec declinet ad dexteram, nec ad ſiniſtram. Unde aliquando petit elevari ad credendum per fidem articulorum: aliquando petit adjuvari per charitatem ad obſervantiam præceptorum: aliquando petit dirigi per ſpem promiſſorum bonorum: & aliquando petit ſanari per medicinam Sacramentorum: ali- G quando roborari per gratiam donorum Spiritus ſancti contra hoſtes impugnatores. Unde ſi iſte homo cognoſceret, quòd ex propriis viribus abſque alio auxilio poſſet recto tramite hanc viam incedere & peragere, & juſtificationem Legis adimplere; non diceret: *Juſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas uſquequaque*, & non in omni paſſu auxilium & gratiam peteret.

Item, ſi iſte homo cognoſceret, ſe eſſe liberum & ſanum, & non ſauciatum veneno concupiſcentiæ, non diceret totiens : *Domine vivifica me ſecundùm verbum tuum ;* & , *Auſer à me opprobrium & contemptum.* Item, ſi iſte homo non crederet, nec ſperaret poſſe conſequi gratiam ad reſiſtendum carni, & hoſtibus vi- H ſibilibus & inviſibilibus, ſicut dicebat *Manichæus*, non perſeveraret inſtanter gratiam petendo. Item, ſi iſte homo non crederet, omnem fornicationem eſſe damnabilem, non diceret in hoc Pſalmo : *Confige timore tuo carnes meas*, *à judiciis enim tuis timui.* Item, ſi non crederet concupiſcentiam, & ambitionem bonorum, & omnem ſuperbiam eſſe peccatum ; non diceret : *Averte oculos meos*, *ne videant vanitatem.*

Ex quibus patet, quòd ſolus iſte Pſalmus eliminat & extinguit ſupradictos tres errores, & tres hæreſes, & omne peccatum:

tum : immò eliminat & hæresim *Donatistarum* dicentium, pœnitentiam & remissionem esse impossibilem post lapsum : eò quòd charitas semel amissa non poterat recuperari : quorum impietatem exterminat tota Sacra Scriptura, & maximè *Psalmus* 50. A

Nota. Nam sicut charitas semel acquisita & adepta potest perdi per peccatum ; ita eadem charitas semel deperdita potest per gratiam recuperari. Unde licèt talis gratia & charitas non possit in nobis recuperari per motum agentis naturalis : tamen acquiritur per inspirationem & illustrationem Spiritus sancti. Et sic licèt non recuperetur eadem charitas & gratia numero; tamen recuperatur eadem in specie. Item, licèt talis gratia & charitas non possit à B nobis dari, & creari ; tamen potest à nobis desiderari, & peti, & postulari ; & possumus adhibere conatum, & nos ad talem gratiam à Deo recipiendam præparare. Unde dicitur *Jacobi* 1. quòd *si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & dabitur ei &c.*

Unde si gratia & charitas semel habita non posset perdi per peccatum, sicut dicebat *Jovinianus* ; non diceret David in hoc Psalmo : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Item, si charitas & gratia semel perdita non posset recuperari petendo & orando, sicut dicebant *Donatistæ :* non pe- C teret David à peccato per gratiam vivificari, dicens : *Vivifica me secundùm verbum tuum.* Unde iste homo mysticus semper petit à Deo in hac via per gratiam dirigi ; & si aliquando deviaverit per peccatum, semper petit per gratiam vivificari, & in viam salutis reduci, ut patet per totum discursum hujus Psalmi, & multorum aliorum.

Et ideo rogo omnes fratres meos Catholicos Christianos, & maximè Ecclesiasticos & Religiosos, qui quotidie recitant hunc Psalmum in Ecclesia, ut attendant & contemplentur cum affectu sententiam, & veram intelligentiam hujus Psalmi : quoniam docet fugere omne peccatum, & omnem hæresim eliminat & confundit, & D docet sequi & amplecti omnem virtutem, & contemnere omnia ista temporalia, & appetere vera bona spiritualia gratiæ & gloriæ. Et ideo Ecclesia Spiritu sancto illustrata & directa benè meritò ordinavit, ut quotidie per *octonarios* recitetur in Horis Canonicis diurnis : eò quòd cum hoc Psalmo continuè pugnamus contra diabolum, & mundum, & carnem, ut magis patebit. Redeamus ergo ad continuandam Expositionem hujus Psalmi simpliciter & litteraliter. Nam qui cupit ad altiorem intelligentiam hujus Psalmi conscendere, pergat ad Beatum *Ambrosium*, & *Augustinum* : quia ibi videbit, & colliget copiosum & immensum thesaurum exhaustum & effosum ab isto Psalmo : tantùm hîc videat E litteralem & superficialem Expositionem, ut facilius capiat intelligentiam illorum, qui Spiritu sancto fuerunt illustrati.

BETH.

9. In quo corrigit adolescentior viam suam ? in custodiendo sermones tuos.

De Consec. d. 4. cap. Gratia in Glor. & c. Placuit.

IN hoc secundo *octonario* præponitur littera *Beth*, quæ interpretatur *domus;* eò quòd iste peregrinus loquitur de doctrina domestica ipsius adolescentis.

F Ad cujus intelligentiam est notandum secundùm *Apostolum, primo ad Corint.* 13. & *ad Galatas* 3. & 4. quòd iste *peregrinus*, sive *homo mysticus* discurrens per omnes ætates, quasi per vigintiduas diætas ab *Adam* usque ad secundum adventum Christi, in qualibet ætate cepit aliquam perfectionem : sed maximè in sua pueritia, aut adolescentia, & juventute, quæ fuit ab *Adam* usque ad *Christum*, semper abjecit & evacuavit imperfectiones. Nam indiguit Lege ad reprimendas passiones ejus, & ad reprimendum aliquomodo peccatum. Et sic in *Adam*, & *Noe* cepit *Legem naturæ*, quasi in sua infantia & pueritia. Sed in sua G adolescentia accepit *Circumcisionem* in *Abraham*, ad amputandam concupiscentiam carnis, & in remedium originalis peccati. Sed postea in sua juventute accepit sexcenta tredecim præcepta, partim negativa, & partim affirmativa in *Moyse*, ad compellendas passiones, & comprimendos motus illicitos, & ad ordinandam vitam erga Deum & proximum : ut occupatus circa talia legalia, non declinaret ad idololatriam. Et sic per Legem iste peregrinatus est usque ad *Christum*, ab imperfecto ad perfectum : in quo accepit Legem Euangelicam justificantem ad vitam æternam, & per se sanantem ab omni vulnere peccati ; & sic incœpit proficere : nam in Lege veteri non propriè proficiebat, sed H incipiebat, in quantum retrahebat à malo, & prohibebat actum.

Sed iste homo postquam fuit in statu Euangelico, successivè recepit multas perfectiones, usquequò pervenit ad statum perfectorum post tempora *Constantini:* quia tunc in Ecclesia habuit multitudinem Doctorum, qui declararunt utrumque Testamentum. Et sic dum in Ecclesia fuit in perfecto esse, habuit copiam virorum perfectorum Religiosorum & Anachoritarum in *Ægypto*, & *Mesopotamia*, & *Armenia*, & per omnes partes mundi. Ex quibus patet, quòd iste homo semper processit ad magis perfectum in isto itinere & peregrinatione.

Se-

Tres gradus viatorum in Eccleſia.

Secundò eſt notandum, quòd tres gradus ſunt viatorum in hac Eccleſia Militante: nam quidam dicuntur *incipientes*: A putà, illi qui continuè certant & pugnant contra vitia in principio ſuæ converſionis & pœnitentiæ. Secundus gradus eſt *proficiêntium*, qui peractâ pœnitentiâ jam proficiunt in bonis operibus erga Deum & proximum. Tertius eſt gradus *perfectorum*, putà, illorum qui totaliter mundum reliquerunt, & ſeparati à populis vivunt in ſola vita contemplativa: ſicut Anachoritæ, & viri religioſi in eremo viventes.

Tertiò eſt notandum, quòd in Eccleſia Dei tres ſunt ſtatus vitæ fidelium. Nam quidam vivunt *in vita activa*, putà, viri uxorati viventes in honeſto conjugio, & cæteri artifices viventes ſecundùm Legem Dei. Alii autem vivunt in *vita miniſtrativa*, ſicut ſunt Miniſtri & Prælati Eccleſiæ, B qui partim vivunt in vita contemplativa, & partim in activa; eò quòd habent miniſtrare ſacramenta, & docere, & regere populum Dei in ſpiritualibus. Tertius ſtatus eſt *purè contemplativorum*, *& perfectorum*, de quibus ſupra dictum eſt.

Et ideo iſte Pſalmus quadrupliciter conſuevit exponi per Sacros Doctores Eccleſiæ. Uno modo principaliter pro ipſo *homine myſtico*, qui peregrinatur ab *Adam* uſque ad finem mundi, ut dictum eſt. Secundo modo, de quolibet homine particulari, qui peregrinatur ab adoleſcentia uſque ad finem vitæ ſuæ, prout petit dirigi C per Legem Domini in ſua peregrinatione. Tertio modo poteſt exponi pro tribus gradibus viatorum, ſcilicet *incipientium*, *proficientium*, & *perfectorum*. Quarto modo poteſt exponi de tribus ſtatibus fidelium Eccleſiæ, ſcilicet, de *activis*, & *miniſtris*, & *contemplativis*. Ideo melius eſt, quòd primò & principaliter exponatur iſte Pſalmus de ipſo *peregrino & homine myſtico*, qui fuit incipiens, & proficiens, & perfectus, & activus, & miniſter, & contemplativus, & diſcurrit per omnes ſtatus, & ætates: quia omnia continet in ſe, cùm ſit totum corpus Eccleſiaſticum. Et ideo iſte *peregrinus* ſicut in ſe continet omnes iſtos ſtatus, & gradus, & ætates: ita pro omnibus loquitur in iſto Pſalmo, & ſem- D per petit dirigi in hac peregrinatione. Nam quandoque petit dirigi & adjuvari in ſua adoleſcentia, quandoque in ſua juventute, & quandoque in ſua virilitate, & quandoque in ſenectute; & quandoque petit dirigi in incipientibus, quandoque in proficientibus, & quandoque in perfectis; & quandoque petit dirigi in rebus agibilibus, ut cùm dicit: *Ne repellas me à mandatis tuis*: & quandoque in credibilibus, & rebus ſpeculativis, quando dicit: *Revela oculos meos*, *& conſiderabo mirabilia de Lege tua.* Quandoque petit cœleſtia, & eſſe cum Chriſto, ut quando dicit: *Quære ſervum tuum Domine &c.* E Et ſic Pſalmus iſte eſt *propheticus*, *& moralis*, *& anagogicus.* Et ideo oportet, quòd per omnem ſenſum exponatur ſimul.

Duo ergo facit David in perſona hujus peregrini in hoc Pſalmo. Nam primò petit dirigi in ſua adoleſcentia & juventute per Legem veterem. Secundò, petit dirigi, & juſtificari, & proficere in ſua virilitate per Legem Euangelicam. Ibi: *Legem pone mihi Domine.*

Quantum ergo ad primum iſte *peregrinus* in perſona ſui, & omnium incipientium, petit, ut reprimantur ſuæ paſſiones, & motus illiciti per Legem Dei in ſua adoleſcentia: & ſic converſus ad Deum dicit: *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam*? F id eſt, juvenis quomodo corriget, & reprimet paſſiones impellentes ipſum ad malum in adoleſcentia & juventute ſua? Et reſpondet, dicens ipſemet: *In cuſtodiendo ſermones tuos*, & obſervando Legem tuam. Quaſi dicat: *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam*, niſi (ſupple) cuſtodiendo ſermones tuos, & ſervando Legem tuam? Et poteſt etiam talis reſponſio eſſe ipſius Spiritus ſancti. Unde interrogat iſte homo: *In quo corrigit adoleſcentior? &c.* Et reſpondet Spiritus ſanctus: *In cuſtodiendo &c.* Et ideo ipſe *homo myſticus* ſubdit, dicens:


G

10. *In toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me à mandatis tuis.*

De Conſec. d. 4. cap. Placuit.

UNDE eſt advertendum, quòd quatuor ſunt neceſſaria, ſi quis vult obſervare & cuſtodire ſermones Domini. Primò, perſcrutari & exquirere Legem ejus. Secundò, reponere eam in alta memoria. Tertiò, delectari in ejus ſtudio. Quartò, exerceri in operationibus ejus. Dicit ergo: quia juvenis corrigit vitam ſuam *in cuſtodiendo ſermones tuos*: ideo *in toto corde meo exquiſivi te*, ut cognoſcerem. Et *exquiſivi* Legem tuam, quæ docet cognoſcere te H per beneficia nobis collata. Ideo rogo, *ut non repellas me à mandatis tuis*, quia in eis volo inhærere & obedire.

**
*



De Cons. d.4.c.ult.

11. *In corde meo abscondi eloquia tua:* A *ut non peccem tibi.*

IN *corde meo* & voluntate abscondi, & alta mente reposui, & celavi, & impressi eloquia, & mandata, & præcepta tua, *ut non peccem tibi.*

Nota, quòd in tantum timet iterum cadere, quia impressit eloquia & præcepta Dei in corde, ne iterum peccet. Ideo subdit:

57.d.cap. Dominus.

12. *Benedictus es Domine: doce me justificationes tuas.* B

ET ideo tu, qui *es benedictus* & benignus, *doce me justificationes tuas*; & ostende mihi per Legem, quomodo possim meritoriè operari, & à malis, & peccatis deviare: quia ad hoc indigeo auxilio & gratiâ tuâ. Nam ex parte mei adhibeo conatum.

8. q.1.

13. *In labiis mei pronuntiavi omnia judicia oris tui.*

ERgo postquam aliis prædicavi Legem, da mihi gratiam, ut faciam opera Legis, ne *cùm cæteris prædicavero, reprobus efficiar.* Vel hîc forsan ponitur præteritum pro futuro. Quasi dicat: Si tu do- C docueris me justificationes tuas, ego *pronuntiabo* cæteris, & prædicabo *omnia judicia oris tui*: id est, totam Legem tuam. Et sequitur:

38.d.cap. Omnes.

14. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.*

De Pœ.d. 2. §. Opponitur.

15. *In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.* D

IN *via testimoniorum*, id est, in studio & observantia Legis tuæ habituatus & *delectatus sum*, & delector, *sicut* delectatur, supple, avarus *in omnibus divitiis* suis multo labore congregatis: Nam *omnes divitias temporales in comparatione Legis tuæ nil esse duxi*, *Sapient.* 7. Et ideo ut acquiram habitus virtutis ad reprimendas passiones adolescentiæ & juventutis, *considerabo vias tuas.* Considerabo opera *Abraham*, & *Isaac*, & *Jacob*, & cæterorum Sanctorum, & imitando eos *exercebor in mandatis tuis*: quia ex frequentatione & exercitio operationum generatur habitus, qui facit hominem operari cum delectatione. Et talis operatio est E virtuosa & laudabilis & meritoria. Et sic sequitur:

16. *In justificationibus tuis meditabor: non oblivisear sermones tuos.*

QUIA non solùm faciam habitum moralem in appetitu sensitivo; sed etiam habitum cognoscitivum in intellectu, & memoriâ.

Est autem valdè advertendum, quòd David in hoc Psalmo quindecim nominibus appellat Legem Dei, & hoc secundùm diversos modos significandi. Nam in quantum est à Deo, dicitur *Lex Domini*, F & in quantum per Angelos, & multos testes multoties testificata & examinata, dicitur *testimonium Domini*, maximè in quantum data est in testimonium & fœdus. Item, in quantum est prolata ab ore Dei, dicitur *verbum*, & *eloquium*, & *sermo Dei*, quod maximè competit Legi Euangelicæ, quæ immediate à Christo est prolata. Item, in quantum ducit ad Christum, & vitam æternam, dicitur *via*, & *semita*, & *iter*: & in quantum prohibet omne vitium, dicitur *præceptum*; sed in quantum mandat & jubet fieri omnem virtutem, quæ est mensura omnium humanarum operationum, dicitur *justitia*, & ejus operatio dicitur *judicium*, & *justificatio*, in quantum non deviat à divina voluntate; G & per eamdem rationem, dicitur *æquitas*, in quantum adæquatur divinæ voluntati. Item, dicitur *veritas*, in quantum est verificata tota in Christo & Ecclesia, ut sæpiùs dictum est. Dicitur etiam Lex divina, *veritas*, in quantum conformis, & adæquata divinæ voluntati. Nam sicut in speculabilibus intellectus, sive oratio, dicitur *vera*, vel *falsa*, in quantum adæquatur rebus: quia *ex eo* quod *res est*, vel *non est*, *oratio dicitur vera*, *vel falsa*: ita per oppositum in agibilibus & factibilibus res dicuntur *veræ*, in quantum assimilantur & adæquantur rectæ rationi, & arti. Cum ergo divina voluntas sit recta ratio & men- H sura omninm actuum humanorum: ideo divina Lex dicitur communiter *veritas* in Sacra Scriptura, & sic idem est quod justitia. Et ideo in hoc Psalmo, & in cæteris sæpe *veritas* sumitur pro justitia.

Lex Dei dicitur multis nominibus.



GIMEL.

De Conſ. d. 4. c. ult.

17. *Retribue ſervo tuo vivifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.*

IN hoc tertio *octonario* præponitur littera *Gimel*, quæ interprætatur *plenitudo*, ſive *retributio*, eò quòd iſte peregrinus in hoc octonario petit ſibi retribui omnia bona quæ perdiderat per peccatum. Ad cujus intelligentiam eſt notandum, ut ait Salvator, *Lucæ* 10. quòd iſte peregrinus cum deſcendit ab *Hieruſalem* in *Jericho*, non ſolùm fuit ſpoliatus bonis gratuitis, ſed etiam plagis impoſitis fuit multipliciter vulneratus, & mortificatus, & quaſi *ſemivivus relictus*. Unde fuit ſpoliatus juſtitiâ originali, & omnibus præmiis ejus: quia perdidit immortalitatem, & locum, & ſcientiam, & obedientiam animalium: & ſic fuit factus ignorans, & exul, & miſer. Et ultra hoc fuit taliter vulneratus & ſauciatus in appetitu ſenſitivo, quòd non poteſt reſiſtere carni, nec mundo, nec diabolo, nec poteſt implere præcepta Dei, niſi fuerit adjutus & vivificatus per gratiam. Unde licèt videatur vivus quoad operationem naturalium: tamen eſt mortuus quoad operationem virtutum, & rerum ſpiritualium: & ſic non poteſt implere præcepta, nec Legem Dei: & ideo non poteſt bene operari, niſi reſtituatur ipſi originalis juſtitia, quam perdidit, vel aliquid loco ejus, putà juſtitia Fidei per gratiam. Et hoc petit in hoc *octonario*. Dicit ergo iſte homo afflictus & mortificatus & mulctatus: O Domine, *retribue* mihi *ſervo tuo* per gratiam omnia illa bona, quæ abſtuliſti mihi propter culpam & ingratitudinem meam: quia taliter maneo mortificatus, & debilitatus in carne & appetitu, quod non poſſum vitare malum, nec agere bonum, nec implere divina præcepta. Ergo *vivifica me* per gratiam prævenientem & cooperantem, ut *cuſtodiam ſermones tuos*; id eſt, ut Legem & præcepta tua poſsim ſervare & adimplere. Item, quia etiam fui vulneratus, & obcœcatus in intellectu per ignorantiam: Ideo

De Conſ. d. 4. cap. Placuit.

18. *Revela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.*

Revela oculos meos, id eſt, remove velum ignorantiæ ab oculis meis; & tunc *conſiderabo mirabilia de lege tua*, ponendo differentiam inter bonum & malum, remoto perverſo judicio: & tunc verè judicabo, non ſolùm de agendis, ſed etiam de credendis, & ſperandis: quia hucuſque ex vitio ignorantiæ judicabam bonum malum, & malum bonum. Remove ergo à me hanc perverſitatem judicii, illuminando partem rationalem, ne paſſiones impediant rationem: quæ infirmitas rationis fuit mihi data in pœnam peccati, quando fui expulſus à paradiſo, & factus ſum peregrinus in hac lacrymarum valle: Ideo ſequitur:

19. *Incola ego ſum in terra: non abſcondas à me mandata tua.*

2. Corint. 5.

ID eſt; peregrinus & exul factus *ſum in terra*: ideo *non abſcondas à me mandata tua* per ignorantiam, ſed fac ea mihi nota per gratiam. Littera *Hieronymi* habet: *Peregrinus ego in terra*. Ex hoc demonſtrat, quod omnia mala, quæ habet iſte peregrinus, ſunt ſibi inflicta ex pœna peccati, vel in pœnam peccati, quando fuit expulſus. Sed quia in ſupradicto exilio iſte homo non ſolùm fuit punitus in intellectu & ratione per ignorantiam, ſed etiam in voluntate & appetitu; quia perditâ juſtitiâ originali, fuit voluntas perverſa in ſuo actu, & quaſi ligata ad nutum ſenſualitatis, in tantum quòd licèt per Legem Dei cognoſcat bonum, tamen ſtimulata lege membrorum ſequitur malum; & ſic iſte homo invenit *legem carnis in membris ſuis repugnantem legi mentis, & captivantem ipſum in lege peccati*: Ideo iſte pauper homo inſpiciens ad Legem Dei, cupit liberari; ſed ſtimulatus lege membrorum ſequitur paſſiones: & ſic dolet. Unde ſimul cupit liberari, & obtinere finem bonum; ſed ſequitur deſiderium paſſionum.

Unde differentia eſt inter *cupere*, & *deſiderare*: Nam *cupere*, eſt finem appetere: ſed *deſiderare*, eſt conatum apponere per ea quæ ſunt ad finem. Unde *attritus* cupit felicitatem, & non pervenire ad penas debitas ex peccato: ſed non vult dimittere illud quod inducit peccatum, ut rem ablatam, aut mulierem, aut vindictam: & ſic non facit pœnitentiam, per quam deberet conſequi finem primo cupitum. Et ſic talis *cupit deſiderare*; ſed impeditur conatus ejus per paſſionem. Et ideo iſte peregrinus ſic ligatus lege membrorum dicit:



20. *Con-*

8. quæ. 1. Olim, ca. In Scripturis.

20. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.* A

ID est, facere opera justa secundùm Legem *in omni tempore*: quod non fit sine colluctatione carnis adversus spiritum.

Est autem advertendum, quòd in hoc versiculo implicantur & latent duæ magnæ difficultates. Et hoc apparet in diversitate Translationum: nam ubi nostra Translatio dicit: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore*, Translatio *Hieronymi* habet: *Frangit se anima mea desiderare &c.* Item alia Translatio B habet: *Conteritur anima mea desiderando justificationes tuas.* Item alia Translatio habet: *Tabescit anima mea desiderando justificationes tuas &c.* Et ideo *Augustinus* secundùm primam Translationem dicit: quòd iste non dixit: *Anima mea desideravit*; sed *concupivit anima mea desiderare*: quia quandoque videmus, quòd utiles sunt justificationes Dei, id est, opera justitiæ: sed ex infirmitate aliquando non desideramus. Et ideo iste concupiscebat desiderare justificationes Dei, ostendens, quibus quasi gradibus ad eas perveniatur. Primus enim est, ut videatur, quæ sunt utiles & honestæ: deinde, ut earum desiderium concupiscatur: postremò, ut perficiente lumine atque sanitate delectet earum operatio &c. Ista autem verba *Augustini* licèt sint C subtilissima & bene ad propositum litteræ: tamen non explicant totam sententiam, nec explent omnes difficultates implicatas in hoc versiculo. Nam aliæ Translationes non solùm videntur explicare infirmitatem nostram ad desiderandas justificationes Dei, sed etiam explicant conatum, & diligentiam, quam debemus apponere, & adhibere in desiderando, sive cum desiderio, ad consequendas justificationes Dei, id est, ad operandum secundùm justitiam, & ut justificemur in operando: quia non sufficit desiderare justificari, sed apponere totum conatum & diligentiam ad justificandum, ut homo justificetur.

Ad cujus intellectum est advertendum, D quòd licèt *Augustinus* in hoc loco totaliter non explicet, nec solvat totam difficultatem, & intelligentiam hujus versiculi; tamen ex dictis ejus in aliis locis potest haberi ejus declaratio, ut patebit.

Declinare à malo, & facere bonum est hominis justitia.

Unde est primò notandum, quòd cum tota justitia hominis consistat in declinando à malo, & faciendo bonum, & operando secundùm Legem Dei, & vivendo sine macula, ut dictum est *Psalmo* 14. quia non omne desiderium declinandi à malo, & faciendi bonum justificat hominem: nam quis potest quandoque desiderare justificari, putà, exire à peccato; sed non quærit E medium, nec conatur agere pœnitentiam, nec confiteri, sine quo non potest exire à peccato: ergo non justificatur in tali simplici desiderio: ergo oportet, ut quærat medium, & agat pœnitentiam ad hoc quod consequatur veniam, & justificetur: quia voluntas & desiderium est finis; sed consilium & consultatio est de his quæ sunt ad finem, 3. *Ethicor.* Et ideo ad hoc quod quis justificetur, non sufficit desiderare justitiam, sed oportet apponere & adhibere totum conatum & diligentiam ad consequendam justitiam, declinando à malo, & faciendo bonum. Et ideo in Sacra Scriptura ubicumque geminatur aliquod voca- F bulum, semper denotatur aliquis conatus, ut *Psal.* 39. dicitur: *Expectans expectavi*: quasi cum toto affectu & conatu expectavi, non solùm desiderando finem, sed quærendo medium ad consequendam rem expectatam. Item *Matth.* 26. dicit Salvator: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*, id est, cum toto conatu & affectu desideravi viam perveniendi quærendo: quia voluntariè pervenit Christus ad passionem, & præparavit omnia necessaria &c.

Ita ergo pariter David in hoc loco, sciens quòd per solum simplex desiderium declinandi à malo, & faciendi bonum non poterat justificari, nisi apponeret totum conatum & affectum cum tali desiderio, denotando affectum & conatum dicit: G *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Ostendit enim, & notificat, desiderium suum esse cum toto conatu, per duo verba quasi idem significantia, scilicet, *concupiscere*, & *desiderare.* Quasi dicat: Cum toto conatu & affectu desideravi *justificationes tuas.* Item, non dixit, feci justificationes tuas; sed, *anima mea concupivit desiderare*, id est, totum conatum adhibuit: quia ex infirmitate non semper est in nostra potestate implere divina præcepta sine gratia, ut supra dictum est. Et ideo multotiens quis non valens adimplere divina præcepta in effectu, maximè affirmativa, propter aliquem defectum; justificatur tamen per solum desiderium & affectum, postquam ad- H hibuit totum conatum. Nam peccator non habens copiam Sacerdotis, nec locum, nec tempus confitendi, ex solo desiderio cum Contritione fit dignus veniâ, & justificatur; ut inquit *Augustinus* in *lib. de Pœnitentia*, ut magis patebit.

Ergo per hoc solvitur instantia, quam faciebat *Porphyrius* contra Legem Euangelicam, dicens, ipsam esse injustam, & cassam, & vanam; eò quòd præcipit impossibilia: & per consequens dixit, quòd non omnes poterant, nec possunt in ea justificari. Nam Lex Euangelica præcipit

reddi

reddi omne debitum uſque ad ultimum quadrantem : hoc autem quandoque eſt impoſſibile , propter defectum rei , ſi fur A deſtruxit omnia quæ furatus fuerat , aut ſi quis non habet unde reddat quæ mutuo accepit: igitur ſemper manet injuſtus. Item, Lex Euangelica præcipit adimplere omnia opera miſericordiæ : & hoc ſub comminatione ignis æterni , *Matth.* 25. Sed hoc quandoque eſt impoſſibile : quia infirmus non poteſt viſitare , nec ſervire alteri infirmo , nec pauper ſubvenire alteri pauperi , propter defectum &c. Et ſic patet, quòd impoſſibile eſt omnem hominem ſemper , & in omni loco , & tempore , & in omni ſtatu implere Euangelica præcepta.

Sed in oppoſitum eſt Salvator, *Matth.* 11. dicens: *Venite ad me omnes qui labo-* B *ratis : jugum enim meum ſuave eſt , & onus meum leve &c.*

Et ideo ad reſponſionem hujus eſt dicendum , quòd iſte *Apoſtata* non bene contemplatus eſt Legem Euangelicam , & juſtitiam ejus : nam licèt præcepta negativa ſemper , & ubique obligent hominem quoad *effectum* ; tamen præcepta affirmativa , licèt ſemper obligent quoad *affectum*, non tamen ſemper obligant quoad *effectum* , propter ſupradictos defectus. Et ſic in tali caſu juſtificatur homo per ſolum deſiderium & affectum , poſtquam adhibitus eſt totus conatus , ut dictum eſt. Et hoc C oſtendit Salvator , *Matth.* 18. de illo qui debebat decem millia talentorum , qui non habens unde redderet , procidens in terram dicebat : *Patientiam habe in me , & omnia reddam tibi* : cui Dominus dimiſit omne debitum , videns ſolum ejus affectum. Item , *Lucæ* 7. ille fœnerator dimiſit debitum duobus debitoribus , non habentibus unde redderent. Ex quo patet , quòd Deus non ſemper reſpicit , nec quærit *effectum* , ſed aliquando acceptat ſolum *affectum* cum toto conatu : & ſic juſtificatur homo per ſolum affectum in tali caſu. Et ideo Salvator , *Matth.* 5. non dixit: Beati qui faciunt juſtitiam ; ſed *Beati qui eſu-* D *riunt & ſitiunt juſtitiam ; quoniam ipſi ſaturabuntur &c.*

Nota de eſurire &c.

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd iſta ſe habent per ordinem , ſcilicet, *deſiderare* , *& eſurire* , ſive *ſitire* , *& facere*. Unde *deſiderare* , idem eſt quod aliquid cupere , vel appetere : ſed *eſurire*, vel *ſitire* , idem eſt , quod cum toto affectu & conatu talem rem deſiderare , id eſt, cum tali deſiderio conſequendi rem deſideratam , totum conatum apponere: *Facere* autem , eſt rem deſideratam per effectum adimplere. Et ſic quis poteſt deſiderare aliquam rem , qui tamen non eſurit eam : quia non apponit vires , nec conatum , nec quærit medium ad conſequendum eam : ut aliquis deſiderat comedere pavonem , aut caponem , & habet facultatem emendi ; ſed ex avaritia non emit : & E ſic deſiderat bibere nectar; ſed ex avaritia non emit. Ex quo patet , quòd talis nec *eſurit* pavonem , nec *ſitit* nectar : quia ſi eſuriret , & ſitiret , totum conatum apponeret ad emendum : ſicut quando quis eſurit cibum , vel ſitit potum ſimpliciter , totum conatum apponit ad quærendum cibum & potum , nec patitur moras quin comedat & bibat , ſi habet cibum & potum præſentem.

Ita ergo pariter , multi deſiderant reſtituere rem ablatam , & habent unde reddant ; ſed propter avaritiam non reddunt. Et multi deſiderant facere eleemoſynam, & habent unde faciant ; ſed ex avaritia non F faciunt , ne eis deficiat in futurum. Item, multi peccatores deſiderant facere pœnitentiam , & juſtificari formidine pœnæ futuræ ; ſed non faciunt , ne dimittant rem turpitèr amatam , aut ne remittant injuriam. Et ideo eſt ſignum , quòd licèt tales deſiderent juſtitiam , tamen non *eſuriunt*, nec *ſitiunt juſtitiam* : quia non apponunt totum conatum , nec quærunt medium per quod juſtificentur , nec faciunt quod in eis eſt , poſtquam habent tempus , & locum, & copiam rei ; & ideo ſolum deſiderium non poteſt eos juſtificare : ſed ſi tales apponerent totum conatum cum deſiderio; tunc dicerentur *eſurire & ſitire juſtitiam*. Et ſi in G tali deſiderio & eſurie deficeret locus , aut res familiaris , aut tempus adimplendi per effectum ; tunc ſolum deſiderium , & eſuries , & ſitis juſtitiæ juſtificaret eos. Et ideo non dixit Salvator : Beati qui faciunt juſtitiam; quia hoc quandoque eſt impoſſibile, propter defectum loci & temporis , aut rei familiaris , aut conditionis , & ſtatus , & fortunæ ; ſed dixit : *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam &c.* quia unicuique poſſibile eſt cum auxilio gratiæ : quia talis eleemoſyna non datur de cellario , ſed ex affectu & conatu voluntatis , ut inquit *Auguſtinus in ſermone de Martyribus.* Et ideo Chriſtus non ſemper quærit ab homi nibus *effectum juſtitiæ* ; ſed *affectum* , & H *eſuriem* , & *ſitim juſtitiæ* : quia talis affectus , & eſuries , & ſitis juſtificandi ſtat in poteſtate & actu voluntatis , licèt ſemper cum gratia præveniente & coadjuvante , ut dictum eſt ſupra.

Hoc ergo voluit dicere David , cùm dixit : *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas* , id eſt , eſurivit , & ſitivit *anima mea juſtificationes tuas* , id eſt, cum toto conatu deſideravit juſtificari &c. Unde videns David , quòd non ſemper poterat juſtificari , & complere præcepta omnia per effectum , ad minus per affectum, & eſuriem , & ſitim juſtitiæ petit juſtificari , eſuriendo & ſitiendo juſtitiam : & eſurit & ſitit adimplere divina præcepta , ut per talem eſuriem & ſitim juſtificetur. Et

ideo

Præcepta affirmativa quomodo obligant.

ideo addidit, *In omni tempore*: quia omnis homo potest esurire & sitire justitiam, & A adimplere divina præcepta, & facere pœnitentiam *in omni tempore*, & *loco*, & *statu*; & hoc in *affectu*, licèt non semper in *effectu*, ut dictum est.

Per supradicta patet responsio ad argumenta *Porphyrii*: quia præcepta affirmativa non obligant hominem *semper & pro semper* quoad effectum in casibus prædictis; sed *semper & pro semper* obligant hominem quoad affectum, & esuriem, & sitim justitiæ: quia in casu, per solum affectum, & esuriem, & sitim justificandi, justificatur homo. Et ideo videns, se non semper valere justificari in effectu propter infirmitatem & corruptionem naturæ, aut propter supradicta impedimenta, petit jus- B tificari in affectu, & esurit justificari *in omni tempore*. Ideo ait: *Concupivit*, sive *frangit se anima mea desiderare justificationes tuas*, id est, cum toto conatu desideravit, & esurivit *justificationes tuas*, non ad tempus, sed *in omni tempore*, & in omni loco, & statu. Quasi dicat: Esurivit & sitivit anima mea justificari, præcepta & mandata, scilicet, tua servando *in omni tempore*: quia in hoc consistit tota justitia hominis, scilicet, ut esuriat & sitiat justitiam, eo modo quo dictum est: quia ut sic, meretur saturari fruitione cœlesti, *Matth.*5. quia ex sola esurie & siti justitiæ meretur saturari præmio æterno; quia Deus non quærit nisi cor firmum, *Proverbiorum* 23. *Fili, da mihi cor tuum.* Et volens iste homo assignare causam, & tem- C pus, & locum suæ infirmitatis & infortunii, dicit:

22. q. 2. *Si quilibet & 44. d. §. Adam.*

21. *Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

O Domine, ego incurri istam maledictionem & infirmitatem justo tuo judicio, quando ejectus sum à paradiso ex peccato parentum meorum. Nam tunc *increpasti* parentes meos *superbos* & ingratos, quando dixisti ipsi *Adæ*: *Maledicta terra in opere tuo.* Et ideo *maledicti* sunt omnes *qui declinant à mandatis tuis.* Et D sic primò fuit *maledictus* diabolus: quia ex superbia, & ingratitudine, & rebellione *declinavit* in cœlo. Secundò, *declinavit à mandatis tuis Adam* cum uxore sua: & sic *increpasti* eos, & relegasti in vallem lacrymarum & miseriæ. Et sic *declinavit à mandatis tuis Cain*: & ideo *increpasti* eum, & projecisti à facie tua, ut ambularet per terram profugus, & stupidus, & tremulus in maledictionem homicidii. Et sic omnes qui declinaverunt *à mandatis tuis*, & *declinant*, sunt *maledicti*, propter superbiam & rebellionem, & condemnati ad pœnam æternam, nisi per obedien- E tiam & humilitatem redeant ad observanda mandata tua.

Dicit ergo iste *peregrinus*: O Domine, quia tu *increpasti* & punisti superbos parentes meos, eò quòd declinaverunt à mandatis tuis: ideo ego descendens ab illis primis parentibus superbis, & sic *maledictis*, id est, illam sententiam & maledictionem incurrentibus; ideo ego jure hæreditario traxi illam sententiam, & maledictionem, & *legem membrorum*, & corruptionem naturæ. Et sic datus sum in opprobrium, & contemptum, & servitutem carnis, & peccati. Igitur

F 22. *Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisivi.*

De Pœ. d. 5. c. Consideret.

AUFER *à me* per gratiam hoc *opprobrium & contemptum*, & maledictionem: quia *nullus potest me liberare ab hujusmodi lege, & miseria corporis hujus, nisi gratia Christi.* Et dum fuero liberatus, *testimonia tua exquiram*: & sic ponitur præteritum pro futuro. Explicat, quod est opprobrium, & quis contemptus ejus: & est triplex. Nam per talem sententiam & maledictionem fuit iste homo addictus triplici servituti, & factus servus tribus dominis, scilicet mundo, carni, & diabolo: nam homo qui constitutus fuerat dominus istorum, factus est servus eo- G rum. Nam per justitiam originalem, corpus & caro erat subjecta animæ, sensualitas rationi, & totus mundus, & omnes creaturæ elementares erant factæ ad servitutem hominis, sicut dictum est *Genes.*1. *Dominamini piscium & volatilium &c.* Et etiam erat data tanta libertas & fortitudo, quòd poterat non solùm resistere, sed etiam dominari diabolo, & fugare eum. Sed propter peccatum omnes isti, scilicet caro, mundus, & diabolus, qui erant servi ipsius hominis, facti sunt ejus domini, & principes ejus trahentes homines quo volunt, & homo factus est servus eorum. *A quo enim quis devictus est, illi servus addictus est*, 2. *Petri* 2. Et isti tres H principes sedent & loquuntur, & vexant istum pauperem hominem, & accusant, & exercent. Et ideo dicit:

Nota de tractu per allicientiâ & suggestionem: prout paulò infra se explicat.



23. Et-

10. q. 2. Visis. 3. quæs. 1. Nulli.

23. *Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.*

A

ETENIM, id est, certè *principes*, scilicet diabolus, & mundus *sederunt*, extra alliciendo: & concupiscentia, & lex fomitis intùs in membris stimulando: omnes isti *sederunt*, *& adversum me loquebantur*: quia semper me accusant, postquam vicerunt me. Et sic *servus tuus exercebatur in tuis justificationibus*, contra istos tres hostes & principes pugnando, ne B transgrediar justificationes, & præcepta tua. Sed in omnibus his nemo est adjutor, nisi frequens meditatio & observantia Legis tuæ, quæ docet resistere carni, & mundo, & diabolo. Ideo sequitur:

12. q. 2. Propheta-vit.

24. *Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tuæ.*

QUASI dicat: cum his armis victor existam. Nota, quòd illi principes C qui *sederunt* & *locuti sunt adversum* istum hominem mysticum, intelliguntur etiam principes Paganorum, sicut *Pharao*, *& Nabuchodonosor*, *& Antiochus*, & cæteri qui vexarunt, & afflixerunt, & exercitaverunt populum Dei. Item, isti principes primò intelliguntur diaboli, & ex consequenti membra ejus, putà, tyranni, & impii qui agunt ut moti & impulsi à diabolo, qui est caput eorum, ut dictum est in *Prologo*, *Tractatu tertio*, in *octava Regula de Intelligentia Sacræ Scripturæ*. Nam sicut Christus prius passus est in se à Judæis, & postea passus est in membris à Judæis, & Tyrannis, & Hæreticis: ita diabolus prius per se dat persecutiones fidelibus, tentando &c. & postea persequitur D eos per membra sua, impellendo malos, ut persequantur bonos, ut ait *Augustinus*.

DALETH.

De Pœn. d. 5. §. 1. circa princip.

25. *Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundùm verbum tuum.*

26. *Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: doce me justificationes tuas.*

E 27. *Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.*

IN hoc quarto *octonario* petit alleviari à gravitate & pondere, & defectibus, quos anima trahit à corpore in pœnam peccati: & petit recuperare bona quæ perdidit, scilicet agilitatem, & facilitatem ad bene operandum, & immortalitatem, & impassibilitatem. Nam licèt anima non moriatur, tamen dolet, & aggravatur propter societatem corporis; & sic debilitata, F dicitur *quasi mortificata*: ideo petit *vivificari* ab hujusmodi mortificatione & dormitione, & fortificari à tali debilitatione; & hoc per Legem Divinam & gratiam.

Dicit ergo: O Domine, *vivifica me secundùm verbum tuum*, & per Legem & sacramenta Legis tuæ: quoniam *anima mea adhæsit* isti gravi corpori, quod est quoddam *pavimentum* terrenum conculcatum, & subjectum tot passionibus & defectibus, à quo anima gravatur ex inhæsione, & conjunctione, & consortio ejus; quia communicat cum corpore in doloribus & passionibus. Et ideo *vivifica me secundùm verbum*, id est, secundùm promissum *tuum*, sicut promisisti *Abrahæ*, *Isaac*, G & *Jacob*: quorum semen promisisti benedicere, id est, ab hujusmodi maledictionibus absolvere non solùm filios secundùm carnem, sed etiam secundùm spiritum: id est, omnes gentes. Ego enim *annuntiavi* tibi *vias*, scilicet, operationes *meas*, & processum vitæ meæ, & peccata mea, & desideria: & tu *exaudisti*. Ideo *doce me justificationes tuas*: & *instrue me viam justificationum tuarum*, & *exercebor* in justificationibus *tuis*, Legem & mandata tua adimplendo.

Unde advertendum est, quòd iste *homo mysticus* quandoque loquitur de præterito, dicens, se exercitatum in Lege, imitatione *Abrahæ*, *Isaac*, *& Jacob*, & aliorum præteritorum patrum, qui observarunt præcepta Domini: & quandoque H rogat, & petit excitari à dormitione, & pigritia bene agendi, & fortificari à debilitate, quam anima trahit à corpore, ut sine difficultate possit implere mandata & Legem Dei. Et dicit:

45.d.cap. Hic enim.

28. *Dormitavit anima mea præ tædio:* A *confirma me in verbis tuis.*

2. q. 2. Quæritur

29. *Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei.*

30. *Viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus.*

O Domine, anima mea *dormitavit*, & debilis & pigra facta est ad bene agendum, & timida ad difficilia toleranda: & hoc *præ tædio* & gravitate corporis: Ideo *confirma* & fortifica *me in verbis tuis*, & in Lege quam verbis tuis tulisti. Et *amove à me viam* & inclinationem *iniquitatis*: quia semper inclinatio B mea est ire per viam iniquitatis, & semper tendit ad peccatum. Item, lex membrorum dicitur *via iniquitatis*: quia est vestigium peccati primi parentis nobis inflictum, & impressum. Ideo postquam lex membrorum ita vexat me, tu *de Lege tua*, & secundùm Legem tuam, *miserere mei*. Nam Lex tua destruit legem peccati, *ad Rom. 7.* Unde dimissa viâ iniquitatis & lege peccati, *elegi viam veritatis*: quia *judicia tua non sum oblitus*, immò

22.q.2.c. Si quælibet. & 23. q.4. c. Dis plicet.

31. *Adhæsi testimoniis tuis Domine:* *noli me confundere.*

32. *Viam mandatorum tuorum cucurri,* C *cùm dilatasti cor meum.*

IPSAM legem tuam in mente habui: & ego opere servavi in Patriarchis, & Prophetis, & justis viris, & *Adhæsi testimoniis tuis*, Legem servando: ideò *Noli me confundere*, id est, secundùm legem peccati & confusionis judicare & punire: quia *Viam mandatorum tuorum cucurri*, secundùm Legem vivendo & ambulando, *cùm dilatasti cor meum* tuâ gratiâ & auxilio: Nam aliter non potuissem percurrere, nec adimplere viam mandatorum, cùm via quæ ducit ad vitam sit *arcta*, & difficilis. Sed tu *dilatasti cor meum*, & fortificasti D per gratiam tuam. Et sic via, quæ erat difficilis & *arcta*, facta est mihi facilis & lata: Quia nihil est difficile amanti, quia vires quas pigritia denegat, charitas administrat, secundùm *Gregorium*, *Homilia* 12.

Duo faciunt opus facile.

Duo enim sunt quæ faciunt opus facile. Primò, affectus operantis. Secundò, pretium rei adipiscendæ. Cùm ergo in principio hujus Psalmi sit promissa beatitudo, quæ est bonum per se sufficiens, amE bulantibus sine macula in Lege Domini; ut possint consequi beatitudinem promissam: Item, quia iste peregrinus consideravit se ultra quatuor millia annorum peregrinatum fuisse per Legem veterem, quærendo Christum Salvatorem & Redemptorem, & novæ Legis latorem omnibus Patriarchis & Prophetis in Lege promissum: Ideo ait: O Domine, ego jam *adhæsi testimoniis tuis*, Legem tuam servando: ergo veni ad salvandum me, quia jam tempus est, & noli me confundere, nec frustrare in desideriis & spe mea. Nam si tu non veneris, ego manebo confusus, & irrisus, & subsannatus apud alias Nationes, quæ dicunt, & improperant mihi tarditatem tuam & dilationem tui adventus: immò dicunt, quia frustra expecto adventum tuum, ut liberes me de F manu eorum. Ergo veni: quia jam satis *cucurri* & peragravi *viam mandatorum tuorum* per quatuor millia annorum. *Cùm* tu *dilatasti*, id est, dilatando adventum tuum, confortasti *cor meum* sub spe veniendi.

Unde ista verba dicit Propheta in persona *Zachariæ*, & *Simeonis*, & aliorum Sanctorum Patrum, qui fuerunt prope adventum Christi, qui majori desiderio ipsum petebant: ut patet *Lucæ* 1. & 2. Et ideo iste *octonarius* potest eis applicari, scilicet, quòd *Simeon* fractus longa expectatione Christi, dicat cum cæteris Sanctis sui temporis: O Domine Jesu, *anima mea adhæsit pavimento*, quia continuè eram prostratus in faciem meam ad pavimentum terræ, rogando, ut accelerares G adventum tuum. Ergo *vivifica me* per *Verbum tuum* incarnatum; sive *secundùm verbum*, & promissionem tuam: quia à te expecto vivificari à morte &c. Quia *anima mea dormitavit* jam stupida & mortificata *præ tædio* tam longæ expectationis & dilationis tui adventus. Ergò *confirma me in verbis tuis*, id est, fac ut sim firmus in tuis promissis, & non habeam desperare, nec deficere: sed sis verax in promissis. Nam quando impleveris quod promisisti, tunc ero confirmatus in verbis tuis. Ergo veni, & *viam iniquitatis amove à me*, pro me patiendo, & me instruendo: *Et miserere mei de Lege tua*, id est, de mandatis, & documentis, & H sacramentis Legis tuæ.

Adam seu homo fecit quatuor cursus.

Nota, quod iste *peregrinus*, ab exilio & exitu paradisi usque ad Christum, complevit quatuor cursus, sive status, significatos per quatuor litteras peragratas, scilicet *Aleph*, *Beth*, *Gimel*, *Daleth*. Nam per *Aleph* significatus fuit cursus naturæ, & per *Beth* cursus circumcisionis, & per *Gimel* Lex Moysi, & per *Daleth* cursus Prophetarum. Et sic ambulavit ab *Adam* usque ad *Abraham* per cursum legis naturæ; & ab *Abraham* usque ad *Moysen*

ſen ambulavit per litteram *Beth*, id eſt, circumciſionem : & à *Moyſe* uſque ad *David* ambulavit per litteram *Gimel*, A id eſt, per Legem ſcriptam ; & à *David* uſque ad *Chriſtum* ambulavit per *Daleth*, id eſt, per ſtatum Prophetarum : à *Chriſto* autem uſque ad diem Judicii ambulat per decem & octo litteras, ſcilicet, ab ipſa littera *He* uſque ad *Tau*. Unde iſta littera *He* ſignificat *eſſe*, ſive *vitam*. Et *Tau* ſignificat *ſignum* ; ad denotandum, quod ſemper ambulat in Lege vitæ uſquequo perveniat ad ſignum, & ultimum terminum, quæ eſt vita æterna : ad quam dirigimus totum curſum noſtrum, & omnes operationes noſtras, ubi erit finis noſtri curſus & peregrinationis, & ubi erit quies, & beatitudo noſtra. Sex decim autem litteræ, quæ ſunt inter *He* B & *Tau*, per quas ambulat iſte peregrinus uſque ad Judicium, ſunt ſexdecim variæ perſecutiones & aſperitates, quas Eccleſia paſſura eſt uſque ad *Anti-Chriſtum*. Et ideo poſtquam iſte peregrinus peragravit ſupradictos quatuor ſtatus, ſcilicet legis naturæ, & circumciſionis, & legis ſcriptæ & Prophetarum, jam quærit, & petit ſtatum Legis Euangelicæ, & vivificantis ad vitam æternam per gratiam, in ſequentibus decem & octo *octonariis*.

H E.

d. 1. c. Omnes Leges, in gl. & 6. d. c. Teſtamentù.

33. Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum : & exquiram eam ſemper. C

34. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam : & cuſtodiam illam in toto corde meo.

IN hoc quinto *octonario* præponitur littera *He*. Unde poſtquam iſte peregrinus peregrinatus eſt ab *Adam* uſque ad *Chriſtum* per quatuormillia annorum, & peragravit totam Legem *Moyſi*, & vidit, quod in ea non potuit juſtificari, nec proficere, nec per eam recuperare beatitudinem quam perdiderat : ideo petit à Chriſto Legem Euangelicam, in qua credit juſ- D tificari, & recuperare felicitatem regni cœlorum, quam per peccatum perdiderat, & ideo duo facit. Nam primò, petit perfici per Legem in ſe. Secundò, petit dirigi, & adjuvari per eam contra perſecutores. Ibi : *Defecit in ſalutare.*

Lex Luangelica facit hominem dignum vita tripliciter

Ad primum notandum, quòd Lex Euangelica tripliciter juſtificat, & facit hominem dignum vitâ æternâ. Primò per Fidem, in quantum credit Jeſum-Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, & Re- E demptorem totius generis humani, & Meſſiam in Lege promiſſum. Secundò, juſtificat per charitatem perfectam erga Deum & proximum. Tertiò, per ſpem, in quantum contemptis rebus terrenis, ponit & conſtituit ſinem ſuum in cœleſtibus à Chriſto promiſſis. Et ſic non operatur propter aliquod præmium temporale, ſed propter vitam æternam promiſſam.

Tria ergo facit : Nam primò petit juſtificari per Fidem Euangelicam, & Eccleſiaſtica ſacramenta : Secundò, per ſpem & charitatem : Tertiò, agit gratias, ſe per Euangelicam Legem fuiſſe juſtificatum. Secunda ibi : *Memor eſto.* Tertia ibi : *Bonitatem feciſti.* In quibus tribus partibus continentur ſex *octonarii* : quorum primus ſcribitur per *He*, quod ſig- F nificat *vitam*. Secundus per *Vau*, quod ſignificat, *in ipſa*. In tertio *octonario* ponitur *Zain*, quod ſignificat, *vivit*. In quarto præponitur *Heth*, quod ſignificat *vivens* ; quaſi dicat : Quòd in iſta Lege Euangelica, & per iſtam vivit omnis vivens per gratiam : & quod iſta Lex Euangelica juſtificat ad vitam æternam, ut patet per totum diſcurſum *Epiſtolæ ad Romanos*, & *ad Galathas*, & *ad Hebræos*.

Quod videns iſte peregrinus, dicit ad Chriſtum : O Domine, poſtquam tantum laboravi in Teſtamento veteri & per ipſum non poſſum juſtificari, & pervenire ad veram beatitudinem, nec ita perfici, ut reddar ſine macula ; *pone*, & fer, & ſtatue, & promulga *mihi Legem* novam, ſcilicet Euangelicam, ſcilicet *viam juſtificationem tuarum* : quia ipſa eſt via ad G juſtificandum hominem, & reddendum ipſum dignum æternâ beatitudine. Et cum dederis mihi, ego *exquiram eam ſemper* corde & opere. Sed quia tali Legi non potero adhærere firmiter, niſi per *donum intellectus* : ideo *da mihi intellectum* per Fidem, *& ſcrutabor Legem tuam*, *& cuſtodiam illam in toto corde meo*. Quia ſi bene credidero, & bene intellexero Legem, bene ſervabo & cuſtodiam eam. Et notanter dicit : *Cuſtodiam illam in toto corde meo*, ad differentiam Legis veteris, quæ non prohibebat animum, ſed manum, & actum : ſed Lex Euangelica non ſolùm juſtificat actum, ſed & cor, & propoſitum, & voluntatem : H ut patet *Matth.* 5.

Et ideo ſequitur:

d. 56. c. Naſci, & 8. q. 1. c. Sciendum

35. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum : quia ipſam volui.* A

ID eſt, toto corde deſideravi. Quaſi dicat: Ego bene vellem ire in *ſemitam mandatorum* : ſed non poſſum meis viribus, niſi tu duxeris me : quia habeo appetitum perverſum ad malum : ut dictum eſt. Ideo

25. q. 1. § Ex voluntate.

36. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.*

23. d. Bis. 32. q. 5. Nec ſolo.

37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.* B

38. *Statue ſervo tuo eloquium tuum, in timore tuo.*

INclina *cor meum in teſtimonia tua, & non* inclines, id eſt, inclinare permittas *in avaritiam.* Item, quia non ſolùm appetitus meus eſt perverſus in avaritiam, ſed etiam in ſuperbiam, & vanitatem, & appetitum dominandi: Ideo *averte oculos meos, ne videant* hanc *vanitatem* ambitionis; ſed *vivifica* & rectifica *me in via* & Lege *tua.* Et *ſtatue* mihi *ſervo tuo*, & imprime *eloquium*, ſcilicet Legem tuam à te probatam *in timore tuo.* Quaſi dicat: Confirma me *in timore tuo* filiali per Legem C tuam, quæ dicit : *Dominum Deum tuum timebis &c.* Nam ſi fuero ſtatutus & confirmatus in tuo timore, tunc abjiciam omnem concupiſcentiam carnis, & omnem ſuperbiam, & avaritiam, quæ regnant in mundo, & impediunt hominem ad ſervandam & cuſtodiendam Legem. Et non ſolùm me cuſtodi à ſupradictis, ſed etiam

De Pœ. d. 1. c. Alii è contra.

39. *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia judicia tua jucunda.*

AMputa & auſer peccatum & *oppro* D *brium, quod ſuſpicatus ſum*, id eſt, per quod ſuſpicor, & vereor apparere ante homines, & ſuſpicor, & vereor pœnam æternam : per quod ſum mortuus, & privor vitâ æternâ. Ergo *amputa* & auſer hoc *opprobrium* per ſacramenta Legis tuæ, quæ purgant & delent peccatum: *quia judicia* Dei ſunt *jucunda.* Quaſi dicat : Ego per peccatum & culpam, quæ dicitur *opprobrium* & *maledictio*, ſuſpicabar, & verebar venire in triſtes & crudeles pœnas : ſed tu amputa hoc opprobrium per juſtitiam tuam, ſcilicet per tuam Legem juſtificantem, & per ſacramenta, quæ ſunt *jucunda* & ſalubria. Et ponuntur hîc E *judicia* pro Sacramentis Legis : nam per Sacramenta Chriſtus mutat Judicium : quia peccatorem, qui judicatus erat ad mortem, revocat ad vitam, ſatisfaciendo pro eo, & dando pretium ſanguinis : ideo vocat talia *judicia jucunda;* quia vivificant hominem, & de morte ad vitam revocant, & commutant. Ideo ſequitur:

22. q. 2. Si quilibet

40. *Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.*

ECCE, id eſt, propter hoc *concupivi mandata tua*, id eſt, Legem tuam Euangelicam : ideo *in æquitate tua vivi-* F *fica me* : non in mea æquitate, ſive juſtitia: ſed *in tua.* Et exaudi me in tua juſtitia, & non in mea, quæ nulla eſt. Ideo *non intres in judicium cum ſervo tuo*, ſed *vivica me* in tua juſtitia & Lege Sacramentorum, quæ habent vim vivificativam, & ſanativam, & amputativam peccatorum, & vitiorum, & opprobriorum. Petit ergo iſte bonus homo Legem Euangelicam, quæ habet vim vivificativam, & ſanativam: & inclinat cor ad largitatem, & deviat ab avaritia &c.

Eſt ergo Lex Euangelica vivificativa, intelligentiæ largitiva, in viam Dei deducitiva: ad bonum & miſericordiam, ab avaritiâ & vanitate ſuperbiæ averſiva : in timore Dei confirmativa, opprobrii amputativa, & in æquitate & juſtitia renovativa G & juſtificativa : quæ ſunt ſeptem fructus & proprietates Fidei, ſive Legis Euangelicæ per Fidem. Primò ergo iſte petit Legem Euangelicam in communi, ad juſtificandum ; & in ſpeciali petit intelligere eam per Fidem, ſive petit Fidem ad intelligendam Legem, & perſcrutandam. Ex cujus intellectu colliguntur ſupradicti ſeptem fructus Legis Euangelicæ.

Unde nota, quod Lex Euangelica non ſolùm abſtulit opprobrium peccati, ſed etiam opprobrium & jugum Legis veteris, & onus importabile. Cùm ergo David prævidiſſet in ſpiritum ab utroque opprobrio non aliter quàm per Legem Euange- H licam fore ſe abſolvendum ; ideo petit eam, & petit tale opprobrium à ſe auferri. Item, in Lege veteri multa tolerabantur & concedebantur, propter duritiam illius populi, quæ ſunt opprobrioſa, putà, uſura, avaritia, libellus repudii &c. Quæ omnia abjicit Lex Euangelica, quæ non continet, niſi præcepta ſuavia, & *jucunda*, & portabilia. Ideo hanc petit David.

Ex dictis in hoc *octonario* patet perfectio & ſupereminentia Legis Euangelicæ ſupra Legem veterem. Nam illa juſtificat totum hominem interius & exterius, & quoad voluntatem, & factum, & quoad

Deum,

Deum, & proximum; & prohibet omnem avaritiam, & uſuram, non ſolùm cum ſuis, ſed etiam cum extraneis: quod non faciebat Lex vetus. Ex ſupradictis etiam patet, quòd alia lex erat danda, & aliam legem petit hîc David præter legem *Moyſi*, per quam expectabat juſtificari: quia jam ipſe habebat legem Moyſi, quæ ſolùm dirigebat cultores ſuos in Chriſtum, per quem, & per cujus Legem novam expectabat juſtificari & dirigi in æternam beatitudinem cœleſtem, quam Adam perdiderat per peccatum: hanc ergo Legem Euangelicam petit à Chriſto David in hac parte.

V A U.

De Conſe. d. 4. cap. Placuit.

41. *Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine: ſalutare tuum ſecundùm eloquium tuum.*

IN hoc ſexto *octonario* deſiderat proficere in fide, & juſtificari per Eccleſiaſtica ſacramenta. Nam Lex Euangelica non ſolùm dat præcepta & mandata juſtitiæ, ſed etiam ſalutaria ſacramenta, quæ non ſolùm juſtificant à peccato, ſed etiam conferunt gratiam gratificantem ad vitam æternam, & conferunt dona Spiritus ſancti adjuvativa, & roborativa virtutum Theologalium. Unde in omnibus his petit perfici, & proficere in hoc *octonario* per adventum Chriſti. Ideo dicit: *O Domine* Pater, *veniat ſuper me miſericordia tua*, & *ſalutare tuum*, qui eſt Chriſtus; & hoc *ſecundùm eloquium*, id eſt, promiſſionem tuam, ſicut promiſiſti Patribus veteris Teſtamenti. Et etiam, *veniat ſuper me miſericordia tua*, id eſt, remiſſio peccatorum, quæ datur per Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ. Et *veniat ſuper me ſalutare tuum*, id eſt, ſanitas meorum languorum ſpiritualium: quia Eccleſiaſtica Sacramenta remittunt pœnam, & ſanant à culpa, & gratificant ad gloriam. Et ideo invocat Chriſtum, ut conferat ipſi Sacramenta ſalutaria remiſſiva per Legem Euangelicam, & conferat etiam ipſi omnes virtutes Theologales, per quas defendat veritatem Euangelicam, & confirmet eum in eis. Et ideo ſequitur:

De Pœ. d. 2. §. E contrario. 44. d. c. Pro reverentia. 23. q. 1. Summa.

42. *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum: quia ſperavi in ſermonibus tuis.*

43. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque: quia in judiciis tuis ſuperſperavi.*

44. *Et cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.*

SImiliter me confirma in Fide, & cæteris virtutibus Theologalibus: *Et ne auferas uſquequaque*, id eſt, in æternum, *verbum veritatis de ore meo: quia in judiciis tuis ſuperſperavi. Et* tunc *reſpondebo* cum audacia infidelibus *exprobrantibus mihi verbum*, & confeſſionem, & prædicationem meam. Ideo da mihi ſapientiam ad defendendam Legem coram exprobrantibus: *quia* ſemper *ſperavi in ſermonibus tuis*: quia dixiſti: *Dum fueritis ante reges & præſides &c. dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini &c.* Et ideo *ne auferas de ore meo verbum veritatis &c. Et* ſic *cuſtodiam Legem* Euangelicam, non ad tempus, ſicut cuſtodivi Legem veterem, ſed *ſemper*, *in ſæculum ſæculi.*

45. *Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſivi.*

7. q. 1. Sciendum in Gloſſa. Et 23. q. 1. c. Niſi.

AMbulabam, id eſt, ambulabo *in latitudine*, id eſt, in ſecuritate, ſine timore, ſicut ille qui vadit per campum planum & latum ſine metu & difficultate. Et hoc, *quia mandata tua exquiſivi.*

46. *Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.*

28. d. c. Sedulo; & 8. q. 1. Olim.

47. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.*

LOquebar cum audacia *in conſpectu regum*, manifeſtando Legem tuam, & confitendo te coram hominibus, *& non confundebar*, quia confirmatus eram in fide. Et unde hoc? Quia ſcilicet *meditabar in mandatis tuis*, *quæ dilexi*, in quibus dixiſti: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris qui loquitur &c.* Et ſic non ſolùm prædicavi Legem tuam *in conſpectu regum* & hominum ore, ſed etiam opere adimplendo. Nam,

*** *** ***

48. *Et*

23. q. 1. *Summa.*

48. *Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi : & exercebar in justificationibus tuis.* A

LEvavi *manus meas*, id est, operationes & opera manuum mearum, *ad mandata tua*, id est, secundùm *mandata tua, quæ dilexi.* Et sic opere adimplendo, *exercebor in justificationibus tuis* : quia *fides sine* exercitio & *operibus mortua est.* Quasi dicat in toto isto *octonario* : *Veniat misericordia tua & salutare tuum super me*, & confirmet me in fide : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis*, sed da mihi os ad loquendum. *Et* tunc *respondebo* infidelibus *exprobrantibus mihi verbum*, B *& custodiam Legem tuam semper, & ambulabo in latitudine* securitatis : *& loquar in conspectu regum* & principum sine confusione, & operabor, *& exercebor in justificationibus tuis.* Quasi dicat : Quod isti quinque fructus nascuntur & sequuntur ex fide confirmata. Vel fortè possumus dicere, quòd in hoc sexto *octonario* petit justificari per charitatem, quæ per fidem diligit Deum & proximum : quæ quidem charitas per *latitudinem* intelligitur : quia ad omnia se extendit, etiam ad diligendum inimicum. Unde dicit : *Et veniat misericordia tua super me*, charitatem infundendo &c. Et tunc armatus fide, & stimulatus C per charitatem, *respondebo exprobrantibus mihi verbum &c.* Quia *charitas foras mittit timorem &c.* Et sic *ambulabo in latitudine charitatis*, quæ nihil timet, & loquitur in conspectu regum sine confusione pro Lege Christi. *Et meditabor in mandatis tuis* ea quæ ex charitate dilexi, scilicet, Deum & proximum. *Et levavi manus meas* & opera *ad mandata tua, quæ* ex charitate *dilexi*, & sic *exercebor &c.*

ZAIN.

1. q. 1. c. *Inter Catholicam.*

49. *Memor esto verbi tui servo tuo:* D *in quo mihi spem dedisti.*

IN hoc septimo *octonario* petit perfici, & justificari per spem, quæ præcedit charitatem in operando, licèt sequatur eam in effectu, ut dictum est.

Unde *Spes est habitus, quo animus, sive voluntas sublevatur à terrenis ad constituendum finem suum in summo bono amato.* Et sic spes hæc habet quatuor effectus. Nam primò sublevat voluntatem à terrenis, mundana contemnendo. Secundò, facit eam constituere finem suum in summo bono amato. Tertiò, facit ipsam operari propter illum finem, & non propter alium, nec propter aliud. Quartò, exhibet ei pa- E tientiam in mora & tarditate, si in hac vitâ differtur possessio & acquisitio finis, qui est Deus, & vera beatitudo.

Ex quo sequitur, quòd latior, & majoris ambitus est fides, quàm charitas ; & charitas, quàm spes. Nam plura credimus, quàm diligimus. Nam nos credimus bona & mala in lege memorata, scilicet, Deum esse summum bonum, & omnipotentem, creatorem cœli & terræ : & diabolum cecidisse, in æternum puniendum : & infideles & legis transgressores impœnitentes in æternum cruciandos ; & tamen ex charitate non diligimus, nisi Deum & proximum. Item, diligimus Deum & proximum; & tamen non ponimus spem & finem nos- F trum nisi in solo Deo, & vera beatitudine.

Item sequitur, quòd diffinitio spei, quæ datur à Magistro, non est sufficiens, nec evacuat nostrum propositum spei, cùm dicit : Quòd *spes est expectatio futuræ beatitudinis, ex gratiâ & meritis præcedentibus.* Nam habitus infusus spei non sequitur meritum, immò præcedit ; immò est causa merendi : quia in tantùm meretur quis, in quantùm operatur per spem ratione summi boni : quia si spes non sublevaret ad operandum propter solum Deum, operator non mereretur. Nam sicut actus moralis non est dignus laude, nisi prove- G niat ex habitu morali : ita operatio non est meritoria beatitudinis, nisi proveniat ab habitu Theologico, scilicet, fide, spe, & charitate. Qui quidem habitus semper est junctus & inseparabilis à gratiâ gratificante. Ideo actus spei non est propriè *expectare*, sed *sperare* : quod idem est, quod ultimatum finem in Deo constituere. Et ex hoc sequitur meritum dignificans hominem ad beatitudinem æternam consequendam. Ideo David cupiens perfici & justificari, & sublevari per spem ad constituendum finem suum in solo Deo, petit Christum in lege promissum, qui erat Legem Euangelicam laturus, qui per spem cum fide & H charitate nos erat justificaturus. Item, *anagogicè* petit etiam beatitudinem promissam, quam per spem sumus assecuturi.

Nota de diffinitione spei.

Et ideo dicit in persona totius corporis mystici : O Domine, mitte Filium tuum, & *memor esto verbi tui*, scilicet, promissionis tuæ factæ *filio tuo* Abrahæ, cùm dixisti : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* ; & dixisti per os Jacob : *Non auferetur sceptrum de Juda &c.* Item, da mihi beatitudinem quam promisisti olim *Abrahæ*, & semini ejus, cùm dixisti, *Genes.* 15. *Suspice cœlum, & numera stellas &c.* sic erit semen tuum. Quasi dicat : Sicut stellæ sunt in magno numero fixæ in cœlo stellato, sic erit semen tuum, & filii promissionis in cœlo Empyreo collocati. *In quo verbo* & promisso *spem dedisti mihi ser-*

vo

vo tuo: qua ſpe ego ſtatui finem meum ultimatum in illa promiſſa beatitudine. Veniat ergo Meſſias, qui per fidem, & ſpem, & charitatem mihi eſt daturus hanc beatitudinem. Item, *eſto memor verbi tui*, quod dixiſti in principio, quando me de paradiſo ejeciſti, & in hanc peregrinationem miſiſti, ſcilicet, quòd mitteres Filium tuum in carne de mea progenie, ut redimeret me, & reduceret in beatitudinem amiſſam: *in quo verbo* & promiſſione *dediſti ſpem mihi ſervo tuo*: ſub qua ſpe peregrinor in hac via: ergo mitte ipſum primò in carne, & poſtea in gloria. A

1.q.1.ca. Interrogo, in glo.

50. *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.* B

HIC aſſignat effectus & fructus & profectus *Spei*. Nam primò conſolatur propter præmium promiſſum. Secundò, fortificat contra impedimenta. Tertiò, pellit timorem, & defectum. Quartò, lætatur in adverſis, & excitatur in eis. Quintò, cum patientia & æquanimitate tolerat moram finis conſequendi: ideo in hoc ſeptimo *octonario* memorat primos quinque fructus ipſius *Spei*. In ſequenti verò, ibi: *Portio mea*, memorat ſextum fructum.

Dicit ergo primò: *Hæc*, ſcilicet, virtus ſpei, *conſolata eſt me in humilitate*, & perſecutione mea: quia ſemper conſolatur in adverſitate; eò quòd offert pretium finis ante oculos, & ſic reddit laborem facilem. Ideo ſequitur: *Quia eloquium*, ſcilicet, promiſſum *tuum vivificavit me*, dando vires in adverſis. C

3.q.3.ca. ult.& 19 d. cap. In memoriã.

51. *Superbi iniquè agebant uſquequaque: à lege autem tua non declinavi.*

52. *Memor fui judiciorum tuorum à ſæculo Domine: & conſolatus ſum.* D

ITEM, dedit mihi ſpes fortitudinem contra ſuperbos perſequentes me. Nam cum *ſuperbi agebant iniquè uſquequaque*, id eſt, aliquando, vel ſemper, tunc in virtute ſpei *à lege tua non declinavi*, id eſt, licèt *ſuperbi* ſemper agerent *iniquè* contra me, tamen *non de lege tua declinavi*. Et quare non declinavi à lege tua? quia *memor fui judiciorum tuorum à ſæculo*, id eſt, quæ à principio uſque nunc feciſti. Nam licèt ad tempus promiſeris juſtos vexari à malis; tamen in fine liberaſti eos ſperantes in te, & puniſti perſequentes eos, ſicut patet de *Pharaone*, *Sennacherib*, *Nabuchodonoſore*, *& Antiocho*: & cum tali ſpe *conſolatus ſum*. E

53. *Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

21. q.ult. c.ult.

54. *Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.*

16. q.2. poſt me.

F 55. *Memor fui nocte nominis tui Domine: & cuſtodivi legem tuam.*

56. *Hæc facta eſt mihi: quia juſtificationes tuas exquiſivi.*

ITEM, ſpes dedit mihi tertium fructum, qui eſt gloriari in adverſis, & mittere foras timorem. Nam *defectio* & timor mortis *tenuit me* aliquando, *pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, qui mihi mortem comminabantur. Sed propter ſpem G *cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ*: id eſt, cum alacritate conſiderabam legem tuam, ubi præcipis, & dicis, quòd *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*: & *quòd merces eorum copioſa eſt in cœlis*. Et ideo iſta lex erat *mihi cantabilis*, & præſtabilis in hoc loco peregrinationis meæ: ſcilicet, in hac vita, & in hoc tempore perſecutionis. Et ſic *memor fui nominis tui* in *nocte* adverſitatis & perſecutionis infidelium & malorum: & cum ſpe *cuſtodivi legem tuam*. Et *hæc nox* & perſecutio, ſive adverſitas *facta*, & data eſt mihi à tyrannis & infidelibus, ſeu pravis hominibus: eò quòd *juſtificationes tuas exquiſivi*: id eſt, quia vivebam juſtè ſecundùm legem tuam, & eram diſſimilis vitæ H & moribus eorum. Etiam quia confitebar Chriſtum coram hominibus, & defendebam legem ejus, ideo inferebant mihi vexationes, & tormenta. Sed in virtute ſpei omnia tolerabam.

Unde *cantabiles erant juſtificationes* & præcepta Dei Apoſtolis, quando *ibant gaudentes à conſpectu concilii*, & ſe dignos reputabant *pro nomine Jeſu* à Judæis & cæteris *contumeliam pati*. Quia tunc cantabant & prædicabant legem & præcepta Chriſti, dicentes: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, *Actu.*4. Item, præcepta veteris Legis fuerunt oneroſa & flebilia uſque ad Chriſtum: ſed præcepta & *juſtificationes* Legis Euangelicæ ſunt *cantа-*

tabiles, id est, delectabiles, & faciles, & suaves Fidelibus Christianis.

HETH.

23. q. 1. c. Summa.

57. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.*

IN hoc octavo *octonario* ponit quartum effectum, sive fructum spei, qui est cum patientia tolerare longitudinem & moram beatitudinis promissæ. Nam *spes patientiam operatur*, ut ait *Jacobus*, *cap.* 1. Dicit ergo: *O Domine*, quia es *portio mea*, & hæreditas mihi promissa: ideo *dixi*, id est, statui cum patientia & longanimitate *custodire legem tuam.*

24. q. 1. c. Odi; & 14. q. 5. Scriptum.

58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum.*

59. *Cogitavi vias meas: & converti pedes meos in testimonia tua.*

ET sic non diffidens de promisso, licèt differatur, *deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo* sine intermissione, ut non auferas promissum. Ideo *miserere mei*, beatitudinem conferendo *secundùm eloquium* & promissum *tuum*: quia propter hoc *cogitavi* dirigere *vias meas* ad te, & *converti pedes meos*, id est, operationes meas, *in testimonia tua*: id est, direxi opera mea ad te, tamquam in finem ultimatum: qui est tertius effectus, & proprietas *Spei.*

45. d. c. Duæ, & 15. q. 6. cap. 1.

60. *Paratus sum, & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.*

ET ideo licèt differatur mihi præmium; tamen *paratus sum*, & *non sum turbatus*, nec desperavi, *ut custodiam mandata tua*: immò cum patientia spero & tolero moram, & non desisto laborare, & custodire, & observare legem tuam.

Dist. 91. c. Presbyter, extra de Cele. Missi, ca. 1.

61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.*

62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.*

ITEM, licèt *funes* & laquei *peccatorum*, & vitiorum, & tentationum, sive persecutiones hominum peccatorum *circumplexi sunt*, & circumdederunt *me*: tamen *legem tuam non sum oblitus*, postquam sum per spem sublevatus & radicatus, ore & opere observando ratione promissæ beatitudinis. Et sic in continua oratione perseverando *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, matutina officia celebrando: & ibi in officio nocturno recitabam *judicia justitiæ tuæ*, legendo gesta novi, & veteris Testamenti, ubi scribuntur & leguntur *judicia tuæ justitiæ*, scilicet, punitio malorum, & præmia bonorum; quæ sunt *judicia justitiæ tuæ* in utroque Testamento contenta.

15. q. 1. c. Firmissime, in glo.

63. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

ETIAM sic legendo, & imitando opera justorum, & vitando iniquitates pravorum, *factus sum particeps omnium timentium te, & custodientium* legem tuam. Tota enim lex tua consistit in duobus, scilicet, in declinando à malo propter timorem pœnæ, & in faciendo bonum, & custodiendo legem propter spem beatitudinis. Ideo per spem non *sum factus particeps* malorum, nec similis; sed *timentium & custodientium* legem tuam propter spem: nam *mandata tua* jubent bene agere propter spem; sed præcepta prohibent malum fieri, propter timorem pœnæ.

64. *Misericordia tua Domine plena est terra: justificationes tuas doce me.*

CONcludit ergo dicens: O *Domine* Jesu-Christe, quia per adventum tuum & dationem Legis Euangelicæ *plena est terra misericordiâ tuâ*: quia omni volenti & pulsanti facis misericordiam per Sacramenta Ecclesiastica, remittendo culpam, & largiendo gratiam in præsenti, & beatitudinem in futuro, in virtute spei, quæ præsupponit fidem & charitatem affectivam: ideo *justificationes tuas doce me*, ut possim consequi beatitudinem. Sunt ergo fructus *Spei*, consolatio, sive gaudium internum: vigor & audacia contra superbos: pul-

Fructus Spei Theologicæ.

pulſio timoris, & ſupplementum defectus: lætitia in perſecutionibus: aggreſſus terribilium: exercitium in adverſis: dirigere A opera in Deum: patienter tolerare moram: ſtatuere finem in Deo: continua deprecatio: participatio juſtorum. His fructibus acquiritur beatitudo, & hos petit iſte homo in duobus *octonariis* ſupradictis. Et hos fructus ſpei enumerat *Apoſtolus*, *ad Galat.* 5. licèt ſub alio ordine & vocabulis, & vocat eos *fructus ſpiritus &c.* Benè meritò ergo iſti *octonarii* ſupradicti inſcribuntur per ordinem in principio cujuslibet verſus his litteris Hebræis, ſcilicet *He*, quæ interpretatur *vita*: *Vau*, quæ interpretatur *in ipſa*: *Zain*, quæ interpretatur *vivit*: & *Heth*, quæ interpretatur *vivens*. Quaſi dicat, quòd *in ipſa*, ſcilicet fide, & *in ipſa*, ſcilicet ſpe, *vivit* omnis vivens in gratia, B id eſt, in vita ſpirituali.

TETH.

11.d. ca. Nolite. 8.q.1. In ſcripturis.

65. *Bonitatem feciſti cum ſervo tuo Domine, ſecundùm verbum tuum.*

66. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.*

67. *Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodivi.* C

HIC petit perfici, & juſtificari per Charitatem Euangelicam. Et ideo iſte nonus *octonarius* ſcribitur per litteram *Theth*, quæ ſignificat *bonum*. Et ſequens *octonarius* ſcribitur per litteram *Jod*, quæ ſignificat *principium*. Quaſi dicat: Charitas Euangelica, de qua agitur in his duobus *octonariis*, eſt bonum & optimum principium omnis meritoriæ operationis.

Charitas Euangelica differt à Legali.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd in hoc differt charitas Euangelica à charitate Legali. Nam iſta præcipiebat diligi amicum, & permittebat haberi odio inimicum; ſed ex charitate Euangelica præcipimur diligere amicum, & orare pro D inimicis, & benefacere eis qui oderunt nos: & per conſequens præcipit diligere utrumque, ſcilicet, amicum & inimicum, & utrumque propter Deum. Ex quo patet, quòd ſola charitas Euangelica reddit hominem bonum, eò quòd juſtificat voluntatem, & per conſequens totum hominem. Unde ſicut homo dicitur *verus* per fidem, & *rectus* per ſpem, in quantum intendit verum, & rectum, & bonum finem: ita dicitur *bonus* per charitatem, quæ perficit, & elevat voluntatem ad bene operandum. E Nam homo dicitur *bonus* moraliter, & *meritorius* à bonitate voluntatis. Et ideo iſte *peregrinus* in hoc *octonario* petit juſtificari per charitatem Euangelicam. Et in ſequenti *octonario* petit in ea confirmari. Ibi: *Manus tuæ.*

Quantum ergo ad primum dicit: *O Domine*, tu *feciſti bonitatem cum ſervo tuo*, conferendo ei Euangelicam Charitatem, & faciendo ipſum bonum per eam *ſecundùm verbum* & promiſſum *tuum*: quia promiſiſti per *Hieremiam*, & alios Prophetas dare *legem ſcriptam in cordibus hominum*, id eſt, juſtificantem & perficientem corda hominum. Et nota, quòd hîc ponitur præteritum indicativi pro imperativo, ſive optativo, id eſt, fac *bonitatem cum ſervo tuo*, F conferendo ei charitatem Euangelicam, quæ reddit, & facit hominem bonum totaliter, & perfectè. Et ideo ſequitur: *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me*, id eſt, ut ſciam in quo conſiſtit vera diſciplina, quæ eſt charitas & ſcientia diſciplinabilis, ad recipiendum & obſervandum præcepta charitatis: ideo ſequitur: *Quia mandatis tuis credidi.* Quaſi dicat: Da mihi charitatem & diſciplinam, ut ſervem mandata tua, quia eis credere intendo. Nam talia mandata & præcepta data ſunt mihi ad cohibendum peccatum. Nam *priuſquam humiliarer*, id eſt, *priuſquam* punirer, *ego deliqui*, mandata & præcepta tua tranſgrediendo, ſive prævaricando: *propterea eloquium tuum cuſtodivi*, id eſt, cuſtodire intendo, ne iterum incidam G in talem ſententiam.

De Pœ.d. 1. Serpens

68. *Bonus es tu: & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas.*

3. q. 1. Nulli dubium.

69. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum: ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.*

12. quæſt. 1. Omnis ætas.

70. *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus ſum.* H

ERGO poſtquam *bonus es tu* per amorem & dilectionem eſſentialiter: ideo *doce me juſtificationes tuas in bonitate tua*: & hoc, ad perferendos incurſus ſuperborum Judæorum, qui noluerunt venire ad Fidem Euangelicam, & Charitatem, ſed manſerunt in ſua obſtinatione. Unde, quia ego ſecutus ſum Fidem Euangelicam, *multi-*

tiplicata est super me iniquitas superborum obstinatorum Judæorum. *Ego* non timebo eos; immò *in toto corde meo scrutabor mandata tua*, in Lege Euangelica contenta, & servabo ea; & per consequens orabo pro eis, ut convertantur. Sed *coagulatum* & obduratum *est cor eorum sicut lac*, quod coagulatur in caseum; & sic manent obstinati, & cæci, & obdurati: *Ego verò legem tuam meditatus sum*, in ea die ac nocte contemplando.

7. q. 2. ca. Adversitas. 21. q. ult. c. ult.

71. *Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam justificationes tuas.*

72. *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.*

BOnum ergo fuit *mihi quia humiliasti me* ad credendum: *ut discam justificationes tuas*, & Euangelicas operationes. Item, *Lex* Euangelica *oris tui* fuit *mihi bonum*, id est, multò melius *super millia* talenta *auri & argenti*. Quasi dicat: Ad majus pretium reputo intelligere, & servare Legem Euangelicam, quæ data est ab ore tuo, quàm omnia pondera *auri & argenti*.

Unde nota, quòd Lex vetus continet legem *Moysi* & Prophetas. Unde tàm doctrina *Moysi*, quàm Prophetarum est revelata per Angelos; sed lex *Moysi* tradita est modo obscuro sub quibusdam velaminibus: doctrina verò Prophetarum revelata est magis clarè. Et ideo per *argentum* intelligit Propheta legem Moysi, & per *aurum* intelligit doctrinam Prophetarum. Sed quia Lex Euangelica tradita est nobis immediatè ab ore Christi, qui est verus Deus: ideo est melior absque comparatione, quàm lex Moysi, & doctrina Prophetarum.

Et ideo dicit David: O Christe, *bonum mihi lex oris tui*, id est, melior est *mihi Lex* Euangelica *oris tui*, *super millia auri & argenti;* id est, quàm mille leges Moysi & Prophetarum. Et hoc multiplici ratione: Primò, ratione dignitatis, quia tuo ore immediatè prolata & prædicata, & in cordibus hominum scripta. Secundò, quia liberat à jugo servitutis veteris Legis. Tertiò, quia justificat, & mundificat à peccato. Quartò, quia reddit hominem bonum: eò quòd non solùm justificat actum, sed etiam propositum & voluntatem. Quintò, quia gratificat ad vitam æternam. Ergo nulla alia doctrina, nec lex est ipsi comparanda: Ergo *melior est mihi lex oris tui* Euangelica *super millia auri & argenti* veteris Legis, postquam illa non poterat me justificare.

IOD.

73. *Manus tuæ fecerunt me, & psalmaverunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.*

Jo. 10. b. 47 d. ca. Omnes.

IN hoc decimo *octonario* petit confirmari in fide, spe, & charitate per gratiam; & in tantum perfici, ut reddatur immaculatus & aptus ad beatitudinem promissam.

Unde est notandum secundùm *Augustinum in libro de Libero arbitrio*, quòd duplex est *gratia*: una *præveniens bonam voluntatem*, & alia *subsequens*. Illa gratia præveniens præcedit humilitatem, quia humiliat hominem ad audiendam Legem Dei, ex cujus auditu sequitur fides, & credit homo. Ex fide sequitur charitas affectiva, & ex charitate affectiva sequitur spes; & ex hac sequitur charitas, quæ per fidem & spem incipit operari. Sed ista non potest operari, nisi per gratiam subsequentem: & ideo gratia subsequens est triplex secundùm eumdem *Augustinum*. Nam quædam dicitur *incipiens*, alia *proficiens*, alia *perficiens*. Nam licèt quis per gratiam præveniatur, si illa non subsequatur, numquam incipit. Et licèt incipiat per gratiam subsequentem, & illa gratia non prosequatur, sed deficiat post incœptum, numquam homo proficiet: & si in proficiendo deficiat, numquam perficiet. Est ergo necessaria homini ad consequendam beatitudinem gratia præveniens, & incipiens, & proficiens, & perficiens.

Duplex gratia.

Unde Augustinus *ubi supra*: *Cooperando Deus in nobis, perficit quod operando incipit.* Gratia autem incipiens & proficiens bene conceditur quod est eadem, & gratificat, nisi quòd habet suos gradus. Sed dubitant aliqui de *gratia præveniente*, & movente ad credendum, si est eadem cum operatione? Sed non est dubium, quin humilis sit comes cum omni gratia. Nam gratia præveniens primò movet ad humilitatem, ut audiat legem & disciplinam, ut dictum est. Ex qua sequitur fides. Et sic credit humilis simul cum gratia in incipiendo, & operando, & perficiendo. Et ideo quia iste homo petiit superiùs justificari per Legem Euangelicam, putà, per fidem, & charitatem, & spem, & humilitatem: ideo in hoc decimo *octonario* petit perfici, & continuari per gratiam, quæ est principium, & finis totius Legis Euangelicæ, & reddit hominem perfectè justum & immaculatum: quod principaliter petitur in hoc Psalmo.

Dicit ergo: O Domine, *da mihi intellectum, ut discam mandata tua*: quia *manus tuæ fecerunt me, & psalmaverunt me*

me ad imaginem tuam. Nam tu me feciſti ad imaginem tuam, dando intellectum, & memoriam, & voluntatem, ut omnia intelligerem & cognoſcerem: ſed ex peccato perverſus judicavi bonum malum, & malum bonum: & ſic perdidi viam eundi ad veram beatitudinem, ad quam me creaſti. A

74. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua ſuperſperavi.*

23. q. 4. Diſplicet.

DA ergo *mihi intellectum*, id eſt, veram intelligentiam, *ut diſcam mandata tua*, & vivam ſecundùm Legem tuam: & tunc *qui timent te, videbunt me* ambulantem in via juſtitiæ: & ex charitate *lætabuntur*. Quia *charitas* congaudet de bono proximi, & *non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati*, 2. *ad Corinth.* 12. & *Matth.* 5. *Sic luceat lux veſtra &c. ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Fac ergo hoc: quia in verbo & promiſſo tuo *ſuperſperavi*. Et *lætabuntur* etiam *timentes te*: eò quòd *ſuperſperavi*, id eſt, valde ſperavi *in verba* & promiſſa tua. B

11. diſ. c. Adam in gloſſa.


75. *Cognovi Domine quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliaſti me.* C

ET *da mihi intellectum*: quia non peto cum ſuperbia, ſed cum humilitate. Nam ego cognoſco, quod juſtè puniſti me in Adam. Quia *judicia tua æquitas*, id eſt, juſta & æqua ſunt; & nulli facies injuriam. Ideo *cognovi*, quòd *in veritate tua* & juſtitia *humiliaſti me*, & puniſti me, à paradiſo ejiciendo & pœnalitatibus & paſſionibus & infirmitatibus & ignorantiæ ſubjiciendo.

23. q. 8. c. Scire.

76. *Fiat miſericordia tua ut conſoletur me, ſecundùm eloquium tuum ſervo tuo.* D

FIAT ergo *miſericodia tua ut conſoletur me*, Salvatorem mittendo, & benedictionem & gratiam largiendo, quam ego ſpero, *ſecundùm eloquium* & promiſſionem factam *ſervo tuo Abrahæ, & Iſaac, & Jacob, & David.*



E 77. *Veniant mihi miſerationes tuæ & vivam: quia lex tua meditatio mea eſt.*

De Conſc. d. 4. Nec quemquã.

VEniant *mihi miſerationes tuæ*: ſcilicet Euangelica prædicatio, Sacramenta Eccleſiaſtica, & paſſio & reſurrectio, *& vivam* per iſtas miſerationes: quia præbebunt mihi vitam ſpiritualem per gratiam. *Quia* propter hoc *Lex tua meditatio mea eſt*: nam ſemper meditor, & contemplor in Lege tua, expectando hujuſmodi gratiam: & tunc in adventu tuo, per datione Legis Evangelicæ.

F 78. *Confundantur ſuperbi quia injuſtè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.*

3. q. 1. c. Nulli dubium.

79. *Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt teſtimonia tua.*

16. q. 2. c. Primo.

CONfundantur Judæi *ſuperbi* & obſtinati, & cæteri infideles: *quia injuſtè iniquitatem fecerunt in me*, perſequendo me, & affligendo. *Ego autem* cum tali perſecutione *exercebor in mandatis tuis*: quia *virtus in infirmitate perficitur*. Et licèt ſuperbi & obſtinati confun- G dantur; tamen aliqui ex judæis *timentes te, convertantur mihi, & omnes qui noverunt*, id eſt, cum humilitate audire voluerunt, & crediderunt Legi tuæ. Hoc dicit: quia multi ex Judæis credentes converſi ſunt ad fidem Chriſti prædicatione Apoſtolorum, ut patet *Actor.* 2. & 3. quia in una die converſi ſunt circiter quatuor millia. Et concludit iſte homo quod principaliter intendit, dicens:

80. *Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non con-* 11. q. 3. c. Sentí.
H *fundar.*

FIAT *cor meum immaculatum, ut non confundar* in morte æterna: ſed per obſervationem Legis conſequar vitam æternam. Nam tu dicis, quòd ſoli immaculati ſunt beati per obſervantiam Legis, & ambulando ſine macula in Lege Domini. Ergo *fiat cor meum immaculatum* per gratiam tuam.

Petit ergo in hoc *octonario*: Primò, intelligentiam Legis Euangelicæ ad perficiendum intellectum. Secundò, miſericordiam, & gratiam ad perfectionem voluntatis. Tertiò, ut ſuperbi, & obſtinati con-

fundantur. Quartò, ut humiles & timentes Deum convertantur ad Fidem Christi. Quintò, ut conscientia & tota anima sit sine macula, & justificetur per gratiam legis, ut iste *homo mysticus* sit aptus & habilis ad beatitudinem Capessendam. A

Quod autem gratia quam hîc petit, distinguatur à charitate, quam superiùs petierat in sexto *octonario*, forsan manifestum est. Nam charitas est virtus & habitus voluntatis, & principium operandi, quâ diligimus Deum & proximum. Sed gratia hîc quæsita, est perfectio totius essentiæ animæ, & principium vivendi spiritualiter, quo à Deo diligimur: sed tamen una non est sine alia. Tamen de hoc aliàs dictum est. Ex supradictis in his sex *octonariis* patet, qualiter iste *peregrinus* accepit à Christo Legem Euangelicam justificantem per Fidem, Spem, & Charitatem, & Ecclesiastica Sacramenta, in qua vivit & peregrinatur usque ad secundum adventum Christi. B

CAPH.

35. d. c. ab exordio.

81. *Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum superesperavi.*

82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaveris me?* C

IN hac tertia parte peregrinus petit proficere in Lege Euangelica, quam à Christo accepit, & per quam fut justificatus.

Adam seu homo profecit in Lege Euangelica.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd iste peregrinus quadrupliciter profecit in Lege Euangelica post Ascensionem Christi. Nam primò, profecit in prædicatione Legis Euangelicæ, per quam triumphavit de populo Gentili, multo sanguine Martyrum effuso. Secundò, profecit in doctrina & sapientia Legis; & hoc immediatè post conversionem *Constantini*, quo tempore floruerunt multi Doctores in Ecclesia in exponendis Sacris Scripturis. Tertiò, profecit in sanctitate vitæ in eodem tempore, in quo claruerunt multi Sancti Patres, Monachi, & Eremitæ in Ægypto, & in cæteris partibus mundi. Quartò, profecit in magna disputatione, per quam convicit, & confutavit pravitatem Hæreticorum. D

Quatuor ergo facit Propheta in hac tertia parte per sex *octonarios*. Nam primò, petit proficere in fortitudine & patientia contra Tyrannos. Secundò, petit proficere in scientia & doctrina Euangelica. Tertiò, petit proficere in sanctitate vitæ. Quartò, petit proficere contra Hæreticos. Secunda ibi: *Quomodo dilexi Legem tuam.* Tertia ibi: *Lucerna pedibus meis.* Quarta ibi: *Iniquos odio habui.* E

Quantum ergo ad primum est advertendum, ut legitur per totum discursum *Actuum*, & historiarum *Apostolorum*, quod illicò post Ascensionem & missionem Spiritus sancti Apostoli incœperunt prædicare Euangelium Christi. Et ideo incurrerunt iram & persecutionem Judæorum. Sed exinde dispersi per universum mundum prædicaverunt Euangelium in toto populo Gentili: & sic inciderunt in diram persecutionem Imperatorum, & Principum, & Tyrannorum, in qua occisa est infinita multitudo Martyrum usque ad magnum *Constantinum*. Sed per conversionem illius finaliter Ecclesia de toto populo Gentili triumphavit, & ipsum jugo Christi subjecit. Quod prævidens David in spiritu in persona istius peregrini petit proficere & adjuvari. F

Dicit ergo: Domine Jesu-Christe *anima mea defecit*, id est, lassata & fatigata est *in salutare tuum*, id est, expectando tuum auxilium & salutem ad liberandum me: *& superesperavi*, id est, valde speravi cum magna confidentia *in verbum tuum*, id est, in promissionem quà promisisti in tua Ascensione, quando misisti nos ad prædicandum per universum mundum, quod totus mundus subjiceretur nobis in nomine tuo. Et sic prædicavimus Euangelium, & portavimus nomen tuum. G Propter quam prædicationem passi fumus intolerabiles persecutiones, expectando ut liberes nos à feroci persecutione Tyrannorum. Et ideo *oculi mei defecerunt*, id est, lassati sunt & fatigati, *dicentes:* O Domine Jesu-Christe, *Quando consolaberis me*, & liberabis me ab ista persecutione? Unde hoc in loco *deficere* sumitur pro *infirmari & stupefieri*. Nam Christiani tempore persecutionum in tantum fuerunt afflicti, quòd incœperunt deficere, & in Fide infirmari: immò fugiebant ad montes, nec Christianos coram populis se audebant nominare: & in tantum sunt infrigidati & stupefacti, quod *Marcellinus Papa* ex timore, contra conscientiam compulsus est idolis sacrificare, sive incensum adolere. Ideo sequitur: H

83. *Quia factus sum sicut uter in pruina: justificationes tuas non sum oblitus.* 47. d. c. Omnes in glos.

IN tantum *defecit anima mea*, & *oculi mei* expectando auxilium, quod sum frigidus & rigidus, & humore Fidei siccus & evacuatus, & stupefactus, & immobilis *sicut uter in pruina*, id est in tempore pruinæ & hiemali constringitur, dum est

est vacuus, in tantum quod vix potest aperiri, & tractari: ita ego fui infrigidatus ex timore persecutionum. Hoc faciebam ad A extra coram gentibus, non audens Christum confiteri: tamen ad intra *justificationes tuas non sum oblitus*. Quia non perdidi Fidem, quia bene credebam, te esse verum Deum & Messiam. Sed ex timore rigidus & frigidus factus, non te audebam confiteri coram hominibus, videns tantam stragem Martyrum.

De Pœ. d. 1. §. econtrario.

84. *Quot sunt dies servi tui: quando facies de persequentibus me judicium?*

B

De Pœ. d. 2. §. Opponitur.

85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

O Domine, quantum durabit ista persecutio? Quem das finem Rex magne laborum? Revela mihi, *quot sunt dies servi tui*, id est, quando finietur ista persecutio? Et *quando facies judicium* de Tyrannis & Paganis *persequentibus me*: putà, de *Nerone*, & *Domitiano*, & *Decio*, & *Diocletiano &c*? Nam Gentiles & Tyranni *iniqui narraverunt mihi fabulationes*, scilicet superstitiones fabulosas Deorum, & ritus nefandos *Osiris*, & *Cereris*, & *Bacchi*, & *Priapi &c.* Et compellebant me servare ritus nefandos. *Sed* ista *non* erant *ut lex tua*, quæ docet unum solum Deum adorari, Trinum in personis, & C Unum in essentia; & quomodo Verbum est incarnatum, & quomodo nos redemit per passionem &c.

3. q. 1. *Nulli dubium.*

86. *Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adjuva me.*

7. q. 1. c. *Suggestū.*

87. *Paulo minùs consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.*

NAM sicut superstitio Gentilium est fabulosa, & falsa, & vana: ita per D oppositum *omnia mandata tua*, & tota Lex est *veritas*, & vera. Et quia Legem tuam esse veram prædicabam, & confitebar; ideo *iniquè* Tyranni *me persecuti sunt*. Quare *adjuva me*, ab eis liberando. Nam tanta fuit, tam grandis, & crudelis persecutio & strages Martyrum, quod *paulo minùs consummaverunt* & deleverunt *me in terra*: in tantum quòd vix reperiebatur Christianus in populis & civitatibus, nisi quidam absconditi in speluncis montium, ut patet de *Urbano Papa*, E & *Silvestro* qui latebat cum paucis in montibus *Serapinis* prope urbem Romam: qui quæsitus, ductus ante Constantinum, putavit cum sociis interire, & totaliter Ecclesiam esse extinctam, & deletam.

88. *Secundùm misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonia oris tui.*

40. d. c. *Quælibet.*

SED dicit iste homo: Ego autem in extremo periculo positus non dereliqui mandata tua. Nam socios, licèt paucos, exhortabar ad martyrium, & non desistebam ab oratione, dicendo: O Domine F Jesu-Christe, *secundùm misericordiam tuam vivifica me*. Nam licèt sim mortificatus, & frigidus, & evacuatus *sicut uter in pruina*; tamen tu me potes vivificare, & calefacere, & fortificare, & totam Ecclesiam restaurare per conversionem *Constantini*; & cæterorum Gentilium: & sic multiplicatus & vivificatus & restauratus, custodiam testimonia oris tui; scilicet Legem Euangelicam à te prolatam, & in cordibus hominum scriptam.

Et nota: quòd sicut totus homo mysticus tendit ad secundum adventum Christi per Legem Domini, ut recipiat ultimam perfectionem & beatitudinem per resurrectionem, & Judicii retributionem: ita quilibet Fidelis particulariter peregrinatur per Legem Christi usque ad finem vitæ suæ, G ut particulariter recipiat retributionem futuræ vitæ. Et ideo unusquisque in hac peregrinatione petit dirigi per Fidem, & adjuvari per gratiam & charitatem, ne incidat in latrones. Et sic semper petit auxilium in hoc Psalmo, dicens: *Defecit in salutare tuum anima mea.*

LAMED.

89. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo.*

7. d. c. *Testamentum*, & 19. q. 2. c. *Duę.*

90. *In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.*

H

HIC in hoc duodecimo *octonario* agit gratias de liberatione & restauratione Ecclesiæ facta per *Constantinum*. Unde dicit: O Domine, licèt in prædicta persecutione multi dubitaverint & timuerint, ne totaliter Ecclesia periret, multi jam desicerent & quasi de restauratione desperarent. Tamen *verbum tuum* & promissio facta *Abrahæ* de multitudine filiorum & benedictione Gentium in Christo, *manet* ve-

vera & rata & firma *in æternum*: quia per conversionem *Constantini* ex gentibus Ecclesia congregata est, & filii promissionis multiplicati sunt; sicut tu *fundasti terram* & mundum materialem, *& manet in generationem & generationem.* Quia licèt fiant multæ corruptiones; tamen succedunt generationes, & sic *permanet.* Ita Ecclesia quam fundasti, permanebit per multas generationes usque ad Judicium, sicut promisisti *Matth.* 24. *Non præteribit generatio hæc &c.*

De Consec. d. 2. cap. Accessit.

91. Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi.

NAM licèt fuerint factæ multæ strages Martyrum; tamen fiet nova regeneratio, & restauratio ex Gentibus ad fidem conversis: & sic Ecclesia durabit; & sic *dies perseverabit* usque ad Judicium ex *ordinatione tua.* Nam licèt aliquando per absentiam Solis fiat nox, tamen per vicissitudinem redit super terram: & sic *perseverat*, & perseverabit *dies* usque ad consummationem sæculi: ita pari modo licèt Christus, cujus præsentia causat diem gratiæ super terram in Ecclesia, quandoque abscondat & subtrahat auxilium temporale à suis, & permittat eos flagellari, & pati persecutiones, & sic videtur eis nox, & dies defeciisse: tamen post persecutionem Christus ostendit vultum auxilii super Ecclesiam suam, & sic fit dies & prosperitas in Ecclesia, sicut factum est tempore *Constantini*, & exinde *omnia serviunt tibi*, ò Christe. Nam omnes Nationes, scilicet *Indi*, *Æthiopes*, *Græci*, *Latini*, & *Barbari* venerunt ad fidem.

Dist. 1. c. Consuetudo.

92. Nisi quòd lex tua meditatio mea est: tunc fortè periissem in humilitate mea.

25. q. 1. c. Ideo, §. His itaque.

93. In æternum non oblivisear justificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me.

SED dum fui in illa persecutione, *nisi quod lex tua* fuit *meditatio mea*; *tunc fortè periissem in humilitate*, id est, persecutione, & dejectione, & adversitate *mea*: quia semper meditatus sum in ea, considerans persecutiones antiquorum, & quomodo in finem semper eos liberasti. In hoc ergo speravi, & numquam perdidi fidem, sciens, quod promissio Euangelica non poterat mentiri, nisi aliter defeciissem. Et ideo *in æternum non oblivisear justificationes tuas*, gratias agendo, cantando hymnos, & celebrando festa, & memorias Martyrum: *Quia in ipsis vivificasti* & restauraisti *me.* Nam Martyres tui sanguine suo vivificaverunt, & confirmaverunt Ecclesiam.

94. Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.

11. q. 3. c. Ad mensam. 3. q. 1. ca. Nulli dubium.

95. Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua intellexi.

ERGO *salvum me fac* deinceps, me à Tyrannis liberando: quia jam *tuus* servus & cultor *sum ego* cum toto populo Gentili ad fidem converso. Nam licèt antè essem involutus in superstitione multorum deorum; nunc tamen *justificationes tuas exquisivi*, & Legem Euangelicam colere, & servare decrevi. Nam olim *me expectaverunt*, & insidiati sunt *peccatores*, *ut perderent me* in sua superstitione; tamen *testimonia tua intellexi*, id est, per fidem Legis Euangelicæ cognovi illam esse falsam. Et sic liberatus sum à macula illius, & etiam à tormentis & persecutoribus sum liberatus virtute Legis Euangelicæ, & fidei, & charitatis.

96. Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

15. q. 1. c. Firmissime.

NAM ego intellexi & *vidi* oculis fidei Christum *finem* esse *omnis consummationis* Legis: quia fuit finis Legis & Prophetarum. *Vidi* etiam & intellexi in lege esse *latum mandatum tuum*, scilicet, mandatum dilectionis Dei & proximi: quod dicitur *latum*, eò quòd ex eo pendent Lex & Prophetæ, & continet omnia alia mandata & præcepta, quæ licèt sint multa; tamen omnia radicantur in uno mandato dilectionis. Hoc, inquam, mandatum *nimis latum* intellexi esse *finem omnis consummationis* & observantiæ legis: & ideo cum hac charitate omnes persecutiones superavi: ideo gratias ago &c.

Agit ergo gratias in prædictis duobus *octonariis* de victoria habita de Tyrannis & populo Gentili, quem jugo fidei subjecit per charitatem & donum fortitudinis. Ex supradictis patet in his duobus *octonariis*, qualiter iste peregrinus ab Ascensione Domini usque ad *Constantinum* fuit multipliciter per Tyrannos vexatus & afflictus in

Apos-

Apoſtolis & Martyribus; ſed tandem de omnibus triumphavit per converſionem magni *Conſtantini*, & totum orbem ſub- A jugavit.

Hoc etiam dicit unuſquiſque vir juſtus, qui triumphavit de peccato, reſiſtendo tentationibus per gratiam prævenientem: aut ſurrexit à peccato per pœnitentiam.

MEM.

97. *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt.*

16. q. 1. c. Revertimini.

98. *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi eſt.* B

IN hoc decimotertio *octonario* iſte peregrinus petit proficere in doctrina & ſapientia Euangelica: vel poteſt dici, quòd agit gratias; quod tantum profecerit in doctrina & ſcientia *Conſtantini*, quòd tota idololatria fuit deleta, & totus populus Gentilis venit ad fidem. Et ſic diabolus, qui ejecerat hominem de paradiſo, fuit ejectus ab iſto mundo: & ſic crevit Eccleſia in fide & doctrina Legis Euangelicæ. Ex cujus ſtudio & doctrina conſecuta eſt Eccleſia quindecim fructus, ut patebit in hoc decimotertio, & ſequenti *octonario*. Unde primò, Eccleſia profecit in doctrina. Secundò, in ſanctitate vitæ plurimorum Religioſorum & Eremitarum. C

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd finita perſecutione Tyrannorum tempore *Conſtantini*, Eccleſia habuit frequentiam & copiam Doctorum, tàm Græcorum, quàm Latinorum, qui declararunt, & interpretati ſunt totam ſcripturam novi & veteris Teſtamenti, ſicut fuit *Athanaſius*, *Euſebius*, *Gregorius Nazianzenus*, *Baſilius*, *Hilarius*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, & *Auguſtinus*. Et ſic Eccleſia tunc maximè viguit in ſapientia & doctrina Eccleſiaſtica. Et ideo illa ætas dicta eſt *ætas aurea* ſacrorum Doctorum.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, dicit in perſona hujus *peregrini* Eccleſiaſtici: *Quomodo dilexi legem tuam Domine?* D id eſt, in tantum dilexi legem tuam, quod *tota die* contemplor in ea. Et ſic propter aſſiduum ſtudium & contemplationem per dona ſapientiæ & intellectus mihi in lege gratiæ collata, *feciſti me prudentem ſuper* omnes Infideles & Hæreticos *inimicos meos*: & hoc, non ex meis viribus & laboribus, ſed quia *in æternum mihi* es propitius, dona hujuſmodi conferendo.

E 99. *Super omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.*

De Conſe. d. 4. cap. Gratia.

100. *Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſivi.*

ET cum tali gratia, & frequenti meditatione *intellexi* ſecreta, & myſteria, & ſacramenta legis *ſuper omnes*, id eſt, magis quam omnes Magiſtri *docentes me*. Nam plus intellexit *Paulus* de arcanis legis, quàm *Gamaliel* Magiſter ejus. Et hoc, F *quia* mandata *tua meditatio mea eſt*. Et non ſolùm *intellexi ſuper omnes docentes*; ſed etiam *ſuper* omnes *ſenes*, & antiquos Patres Patriarchas & Prophetas.

Nam plus intellexit cœtus Apoſtolorum, quàm *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*, & *David*, & cæteri Prophetæ, ut ait *Hieron. in Prologo ad Deſiderium*. Nam quod illi viderunt ſub ænigmate in figura, iſti viderunt oculis corporis & mentis, & per effectum & hiſtoriam. Unde Salvator, *Matthæi* 11. *Beati oculi &c. Quia multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Et ſequitur, *quia mandata tua quæſivi* frequenti ſtudio & meditatione cum auxilio donorum Spiritus ſancti.

Et nota, quòd ea quæ dicta ſunt, non G ſolùm intelliguntur, & verificantur de Eccleſia pro ſtatu Doctorum, ſed etiam de ipſomet *David* qui fecit hunc Pſalmum. Nam ipſe in ſtatu prophetico intellexit myſteria Eccleſiæ *ſuper omnes docentes*, & *ſenes*, qui ipſum præceſſerunt. Nam clariùs, & magis diſtinctè fuit ipſi revelatum myſterium Incarnationis, & Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, quàm *Moyſi*, & *Abrahæ*, & cæteris Patriarchis & Prophetis, ut dictum eſt *in Prologo*.

Et ideo licèt *Moyſes* ſcripſit legem; tamen intelligentia legis clarius fuit revelata ipſi *David*. Nam ut plurimum interpretatus eſt legem *Moyſi* in Pſalmis. Et ideo de ſeipſo poteſt dicere: *Super ſenes* H *intellexi &c.*

101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut cuſtodiam verba tua.*

1. q. 2. c. Sicut fertur: & c. Urgeri.

102. *A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem poſuiſti mihi.*

SED quia Lex Chriſti non ſolùm eſt data cauſâ ſciendi, ſed etiam cauſâ bene operandi, ut per ipſam efficiamur boni, & juſ-

justificemur in operibus nostris : ideo dicit: In tantum profeci, supple, in studio Sacræ Scripturæ, quòd *ab omni via mala*, & ab A omni vitio *prohibui pedes* ; id est, affectus *meos*, & appetitus, & operationes, *ut* custodirem *verba tua*, & præcepta, & mandata: & *à judiciis tuis* & statutis *non declinavi*, *quia tu legem posuisti mihi* prohibentem omne peccatum.

De Pœ.d. 2. c. Firmum fundamentũ.

103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*

O Ergo, *quàm dulcia* facta sunt *faucibus meis* spiritualibus *eloquia tua* ad vescendum spiritualiter ! In tantum quòd facta sunt *dulcia ori meo* & gustui spirituali *super*, id est, magis quàm *mel*. B

Unde nota, quòd intellectus fidelis habet duas fauces, quibus mandit, & ruminat Sacram Scripturam. *Faux* superior est *sensus mysticus* : *Faux* inferior est *sensus moralis*; *os* autem animæ est nobis *sensus anagogicus*. His enim faucibus ruminata, & hoc ore hausta Sacra Scriptura est *dulcis super mel*. Si autem solo sensu litterali deglutiatur, redditur insipida, & inutilis, & indigesta. Ideo ut sic *occidit* : sed illis faucibus digesta, & illo ore exhausta, *vivificat* & nutrit animam.

De Pœ.d. 2. §. Non est mirum

104. *A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.* C

ITEM, fecit mihi septimum fructum, & attulit meditatio jugis Legis Euangelicæ : quia *à mandatis*, id est, ex mandatis *tuis intellexi*, iniquitatem & injustitiam ducere hominem in interitum mortis. Ideo, id est, *propterea odivi omnem viam*, & processum, & operationem *iniquitatis*.

Ex supradictis patet, qualiter iste *peregrinus* multum profecit in ista ætate circa intelligentiam Sacræ Scripturæ, quam Spiritus sanctus ipsi declaravit per *Augustinum*, & alios Doctores : & digessit & ruminavit eam duabus faucibus, scilicet, sensu prophetico & morali : & sic reddidit eam dulciorem *super mel & favum*, & magis dulcem, quàm *aurum & argentum* veteris Legis : in tantum quòd iste *peregrinus* pro illo statu supradictorum Doctorum super omnes senes veteris Testamenti intellexit Legem Domini & Sacram Scripturam. Et hoc est quod intendit propheticè dicere David in persona hujus peregrini in hoc octonario. D

*** *** ***

NUN.

E 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* 24. q. 1. c. Nõ turbatur.

IN hoc octonario petit proficere in sanctitate vitæ, & bonis operibus secundùm Legem Euangelicam, cujusmodi fuerunt multi sancti viri Religiosi & Anachoritæ in Eremo tempore *Constantini*, ut dictum est. Et sic numerat sex alios fructus, quos adeptus est ex studio Legis Euangelicæ in societate sanctorum Religiosorum. Et ideo in persona eorum dicit : O Domine *verbum tuum*, id est, Lex Euangelica fuit *lucerna pedibus meis*, *& lumen* dirigens pedes & operationes meas, ne F ruerent in peccatum, demonstrans quid persequi, quidvè cavere deberem ; & fuit *lumen semitis* & progressibus meis. Et hoc dicit, quia Lex Euangelica docet prohibere pedes ab omni via iniquitatis, & dirigit nos per semitas mandatorum, & consiliorum. Et ideo sequitur:

106. *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* 24. q. 1. c. Noli.

CUM recepi baptismum, supple, *juravi*, id est, vovi, & promisi, & *statui*, id est, firmiter me obligavi custodire judi- G cia justitiæ tuæ, cum abrenuntiavi diabolo, & mundo, & pompis ejus. Hoc idem potest referri ad statum Monachorum & Religiosorum, qui renuntiantes mundo & pompis ejus, se à populo segregaverunt, & *juraverunt*, & *statuerunt* sequi consilia Christi : & sic voverunt tria vota, scilicet, obedientiam, castitatem, & paupertatem, & sic secuti sunt Christum. Et ideo sequitur:

107. *Humiliatus sum usquequaque Domine : vivifica me secundùm verbum tuum.* 22. q. 3. c. Præsens

H 108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine : & judicia tua doce me.*

109. *Anima mea in manibus meis semper : & legem tuam non sum oblitus.*

HUmiliatus sum usquequaque Domine, scilicet, per obedientiam & castitatem. Et ideo *vivifica me* per gratiam *secundùm verbum tuum*. Et ideo sequitur : *Beneplacita fac* tibi *Domine* & accepta *voluntaria* vota *oris mei* : quia scio, quòd peccatores non exaudis. Ideo *doce me judicia tua*, id est, fac me implere ex gratia, quia

quia *anima mea semper* est *in manibus meis*, id est, offero eam tibi, ut *facias voluntaria oris mei* tibi *beneplacita*: quia *legem tuam non sum oblitus*. Hoc autem dicit: quia Religiosi sæculo renuntiantes, posuerunt animam & voluntatem in manibus sui Prælati. Sed quia ut plurimum habetur: *Anima mea in manibus meis semper* secundùm nostram Translationem; ideo est alia sententia, id est, quia *anima mea est semper in manibus meis*, id est, in arbitrio meo, libera me ad utrumlibet: ideo *Legem tuam non sum oblitus*. Vel sic: *Fac* ergo vota mea *voluntaria*, *beneplacita* tibi: quia nihil aliud habeo meum proprium nisi operationes, & orationes voluntarias, eò quod procedunt ex libero arbitrio. Nam *anima* & voluntas est *in manibus meis*, id est, in potestate: *quia nihil, tàm in potestate nostra, quam voluntas*, ut inquit Augustinus.

3. q. 1. dubium.

110. *Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi.*

ET declarat quod dixit, *Anima mea in manibus me semper*: quia *posuerunt peccatores*, id est dœmones, *mihi laqueum*, id est, multiplices tentationes: quia sancti multas tentationes passi sunt in deserto, ut patet de Beato *Antonio*. Etiam non solùm diaboli *posuerunt mihi laqueos* interius, sed etiam *peccatores*, & pravi, & hæretici, qui sunt membra diaboli, *posuerunt mihi laqueum* Hæreseos in Sacra Scriptura, adducentes falsas opiniones, ut in aliquam Hæresim inciderem. Et cum auxilio gratiæ tuæ & diligenti studio Legis Euangelicæ, numquam *erravi de mandatis tuis*, nec à veritate Fidei Catholicæ, nec etiam erravi mortaliter transgrediendo mandata, immò ea opere complevi.

23. q. 10. c. Displiceat.

111. *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt.*

112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

15. q. 1. c. Firmissime.

ET sic ex jugi meditatione Sacræ Legis *acquisivi in æternum testimonia tua*, id est intelligentiam Sacræ Scripturæ *hæreditate* quadam, id est in hæreditatem & possessionem: quæ quidem mandata *sunt exultatio cordis mei*: quia exulto & lætor in possidendo intelligentiam Legis, ac si possiderem magnum thesaurum inventum in agro, *Matth.* 13. Quia non solùm lætor in possidendo istum thesaurum Sacræ Scripturæ in sciendo; sed opere adimplendo complevi quæ in ea præcipiuntur & jubentur: ideo *inclinavi cor meum*, & applicavi animum *ad faciendas justificationes tuas in æternum*. Et hoc non invacuum currendo, sed *propter retributionem*, & coronam incorruptibilem, & beatitudinem promissam &c. Quia propositum est in principio: *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini.*

Ex quo patet, quod quindecim fructus dicit iste homo se collegisse ex jugi studio Sacræ Legis Euangelicæ & Sacræ Scripturæ per gratiam & donum sapientiæ & intellectus. Primò, quia factus est *prudens* super inimicos suos. Secundò, quia *intellexit* super magistros suos. Tertiò, quia *intellexit* super omnes antiquos Patriarchas & Prophetas. Quartò, quia Lex Euangelica prohibuit pedes ejus ab omni via mala. Quintò, quia non declinavit à judiciis Dei. Sextò, quia per salem Euangelicum facta est dulcis scriptura veteris Testamenti, quæ erat insipida. Septimò, quia odivit omnem viam iniquitatis. Octavo, quia Lex Euangelica fuit lucerna ipsi & lumen. Nonò, quia propter ejus dulcedinem juravit eam servare, & in Religione tria vota promittere. Decimò, quia vivificavit eum à morte. Undecimò, quia sola Lex Euangelica est illa quæ offert Deo sacrificium de se gratum, & beneplacitum Deo. Duodecimò, quòd qui dirigitur à Lege, non potest errare. Tertiodecimò, quòd ejus possessio est lata. Quartodecimò, quòd inclinavit cor hominis ad faciendas justificationes. Quintodecimò, quia per solam ipsam habemus retributionem æternam & beatitudinem promissam.

Fructus 15. Exstudio scripturæ.

SAMECH.

23. q. 3. Duo. 75. d. Odio.

113. *Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi.*

IN isto quintodecimo *octonario*, & sequenti petit auxilium contra Hæreticos. Et agit etiam gratias de victoria habita de eis. Ibi: *Feci judicium.*

Quantum autem ad primum est advertendum: quòd postquam peregrinus evaserat & triumphaverat de Tyrannis, vidit novum genus belli quasi civilis & visceralis contra se concitari: quod fuit conventicula & pravitas Hæreticorum: quia tunc surrexit *Hæresis Ariana* quam amplexi sunt Imperatores Græcorum, & Reges Gothorum, & Vvandalorum, quæ visa est superare crudelitatem Tyrannorum. Ideo non cessat semper petere auxilium

contra eos debellandos per arma Sacræ Legis, & donum sapientiæ & intellectus. Dicit ergo: O Domine, ego vidi aciem hæreticorum iniquorum contra me præparatam, multa mihi comminantem, & falsas opiniones contra Legem tuam machinantem, sed nolui adhærere, immò *iniquos* Hæreticos *odio habui*; *& Legem tuam dilexi.* Quasi dicat: Malui sequi veritatem Legis tuæ, quàm eorum iniquitatem. Ego enim non odivi in eis natutam, sed iniquitatem: quia semper desideravi conversionem eorum. A

95. dist. Ecce.

114. *Adjutor, & susceptor meus es tu: & in verbum tuum superspe-ravi.* B

ET ideo ad debellandos Hæreticos sis *adjutor*, & ad defendendum me ab eis, ne capiant me in laqueo, & falsis opinionibus eorum: sed sis *susceptor*, dona gratiarum conferendo. Quia *in verbum tuum supersperavi*: cùm dixisti: *Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris, qui loquitur in vobis &c.* &, *Nolite cogitare &c.*

3. q. 1. c. His ita.

115. *Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.*

JAM conversus contra Hæreticos, dicit: *Declinate à me* Hæretici *maligni*, & simulati deceptores, machinantes, & C confingentes novas & falsas sectas cupiditate propriæ gloriæ, & pro *quia* ego *scrutabor mandata* Legis *Dei mei*, & doctrinam ejus, in quibus datur vera doctrina ad confundendos & debellandos vos omnes.

24. q. 1. c. Loquitur

116. *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab expectatione mea.*

15. d. Casancta.

117. *Adjuva me, & salvus ero: & meditabor in justificationibus tuis* D *semper.*

ET conversus ad Deum dicit: O Christe, *suscipe me*, mihi gratiam & auxilium conferendo, *secundùm verbum* & promissum tuum; quo dixisti: *Ego pro te Petre rogavi ne deficiat Fides tua.* Et iterum: *Ego autem vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et si hoc feceris, vivam per gratiam in Lege tua, & non moriar in Hæresi eorum: *& non confundas me ab expectatione mea:* quia semper speravi, & fiduciam habui in supradictis promissis. *Adjuva* ergo *me* contra iniE quos, *& ero salvus*, nec timebo eos. Et non solùm ero salvus, sed victor; *& meditabor in justificationibus tuis semper.* Quasi dicat: quod ideo salvus ero, quia meditabor &c.

23. q. 4. Ipsa pietas.

118. *Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis: quia injusta cogitatio eorum.*

119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.*

F

ET quare eris mihi adjutor, & ero salvus & victor? Quia, supple, tu *sprevisti* & confudisti *omnes* Hæreticos *discedentes* & separantes se *à judiciis tuis*, & doctrinis Legis Euangelicæ, novas sectas & falsas confingentes: & hoc fecisti, quia *cogitatio eorum* est *injusta* & iniqua: quia non zelo veritatis, sed ambitionis, & utilitatis, & propriæ gloriæ confingunt ipsi tales sectas, & falsas opiniones contra veritatem Legis, *discedentes* à veritate Catholica. Ideo *reputavi omnes* Hæreticos & *peccatores terræ*, scilicet, terrenos, & quærentes gloriam in mundo, esse *prævaricantes*, & transgressores Legis, & falG sificatores Sacrarum litterarum, contra verum sensum eas ad suas falsas opiniones extorquentes: vel ex eis falsas opiniones contra veritatem extorquentes: ideo ego *dilexi testimonia tua*, & doctrinam tuam veram, Legem secundùm veritatem & sensum spiritualem & verum intelligendo. Et etiam non solùm Hæreticos, sed *omnes peccatores* & Infideles *reputavi* prævaricatores Legis. Nam Judæi sunt prævaricatores Legis veteris, in quantum non recipiunt sensum mysticum, ad quem principaliter facta est, sed in littera volunt mori. Et Gentiles sunt etiam *prævaricatores*: nam licèt non haberent Legem *Moysi*; tamen habebant legem naturalem scriptam in corH dibus. Hæretici verò manifestè sunt *prævaricatores* Scripturæ, pervertentes verum sensum, & extorquentes falsum. Mali vero Christiani sunt *prævaricatores* mandatorum, & transgressores præceptorum.



120. *Con-*

23. q. 6. Schismatici.

120. *Confige timore tuo carnes meas:* A *à judiciis enim tuis timui.*

SED quia tales ideò sunt *prævaricatores* & transgressores Legis, quia contemnunt, & non timent Deum; ideo tu Domine *confige*, & penetra, & reprime *carnes meas*, & appetitus, & affectiones inordinatas *timore tuo* casto & filiali, ut fugiam talem pestem, & hæreticam pravitatem, & talem inanem gloriam & ambitionem, & omnem carnalem concupiscentiam: quia semper *timui* discedere *à judiciis tuis*, & mandatis tuis: eò quòd tu *sprevisti discedentes à judiciis tuis.*

AIN.

15. q. 6. Si à Sacerdotibus.

121. *Feci judicium & justitiam:* B *non tradas me calumniantibus me.*

Et 56. d. Si gens.

122. *Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.*

QUIA non discessi à judiciis tuis, immò timui discedere ab eis: ideo *feci judicium & justitiam*: quia operatus sum secundùm justitiam & præcepta Legis tuæ. Ideo *non tradas me* hæreticis *calumniantibus* & volentibus me decipere cum suis fictis & falsis opinionibus. Sed *suscipe* me *servum tuum in bonum*, id est, trahe me C ad bonam partem, & bonum sensum Sacræ Scripturæ, per dona Spiritus sancti conferendo mihi gratiam: ne *superbi* & ambitiosi hæretici *calumnientur me*, nec decipiant in suis pravis & falsis sectis.

24. q. 1. Non turbatur.

123 *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.*

NAM *oculi* spirituales mentis *defecerunt*, id est, lassati & fatigati sunt, sperando *in salutare tuum*: scilicet, in Christum, & *in eloquium justitiæ tuæ*: scilicet, D in Legem Euangelicam, quæ dicitur *eloquium justitiæ*: quia sola ipsa hominem justificat.



E 124. *Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam: & justificationes tuas doce me.*

11. q. 3. c. Ad mensam.

125. *Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.*

Et 57. d. c. Nasci.

126. *Tempus faciendi Domine: dissipaverunt Legem tuam.*

24. q. 3. c. Hæresis.

QUASI dicat: O Christe, te & Legem tuam diu expectavi, & postea in ea perscrutanda diu insudavi & laF boravi: *Fac* ergo *misericordiam tuam cum servo tuo: & justificationes tuas doce me*, id est, postquam dedisti Legem mihi, doce me in ea, ut intelligam ejus secreta. Sed quia hoc non potest esse sine gratia elevante intellectum; ergò *da mihi intellectum*; non potentiam intellectivam, quia jam eam dedisti mihi naturaliter cum anima in creatione: sed *da mihi* donum intellectus *ut sciam* & intelligam *testimonia tua*, id est, secreta & arcana Legis tuæ, quam signis, & miraculis, & testimonio Legis & Prophetarum confirmasti. *Fac* ergo *misericordiam* postquam *servus tuus sum ego*; & servire tibi intendo, Legem tuam servando, & defendendo ab Hæreticis & Infidelibus.

Qui quidem Hæretici *dissipaverunt* G *Legem tuam*, falsò modo glossando, & scripturas pervertendo à vero sensu. Quæ quidem Lex Euangelica est *tempus faciendi*: nam Lex vetus fuit *tempus prophetandi, & significandi*: quia *omnia contingebant illis in figura*, & fuit tempus significandi & figurandi. At Lex Euangelica fuit, & est *tempus faciendi*, & implendi ea quæ in Lege veteri sunt figurata & prophetata. Nam Christus fecit, & implevit ea quæ ibi dicta sunt & figurata. Similiter Lex Euangelica dicitur *tempus faciendi*, quia in ea est tempus meritoriè operandi.

H 127. *Ideo dilexi mandata tua: super aurum & topazion.*

23. q. 1. Summa.

128. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.*

Et 7. q. 1. Sciendum

IDEO ego *dilexi mandata* Legis Euangelicæ, *super aurum & topazion*, & super omnem lapidem pretiosum: quia nullum pretium temporale est ipsi comparandum

cùm per ejus observantiam ematur regnum cœlorum. *Ideo* ego *dilexi* Legem tuam, quæ est *tempus faciendi*, & meritoriè operandi: *propterea ad omnia mandata tua dirigebar*, id est, quia Lex tua direxit me ad omnia mandata tua intelligenda & facienda: ideo *omnem viam iniquam*, & falsam sectam Hæreticorum, & peccatorum, & vitiorum *odio habui*, fugi, & evitavi. A

Dissipantes Christi Legem &c.

Unde nota, quòd quatuor genera hominum conata sunt *dissipare* Legem Dei *in tempore faciendi*, scilicet, post adventum Christi. Nam primò, Judæi *dissiparunt* totam Legem veterem, negando Christum: quia totum tempus Legis veteris fuit *tempus significandi, & figurandi, & prænuntiandi*: sed in Christo incœpit *tempus faciendi*, & verificandi: quia verificavit Legem & Prophetas, & implevit & fecit omnia quæ in Lege erant significata & prophetata. Judæi ergo negando Christum, negarunt, & falsificarunt, & *dissiparunt Legem* & Prophetas *in tempore faciendi* & verificandi. Secundò, conati sunt dissipare Legem Dei Tyranni, ut patet in passionibus Martyrum: quia *Diocletianus* præcepit incendi omnes Scripturas Sacras utriusque Testamenti, ut patet in *Ecclesiastica Historia*. Tertiò, hæretici conati sunt *dissipare Legem Dei*, & totam Scripturam utriusque Testamenti, falso modo glossando & trahendo ad suos falsos errores, ut patet ibidem. Quartò, conabitur destruere & *dissipare* eamdem Legem *ipse filius perditionis Anti-Christus*, ut patet *Dan.* 10. B C

Collegit ergo iste homo ex contemplatione, & jugi studio Legis divinæ, simul cum dono intellectus, decem fructus, sive profectus. Primò, quia habuit iniquos odio. Secundò, quia habuit Deum susceptorem & adjutorem. Tertiò, quia declinavit à malignis. Quartò, quia numquam fuit confusus, nec fraudatus ab expectatione sua. Quintò, quia fuit adjutus & salvus. Sexto, quia sprevit omnes Hæreticos & prævaricantes. Septimò, quia semper in carne fuit confixus & refrænatus. Octavò, quia fecit semper judicium & justitiam, & sic non est traditus deceptoribus, nec calumniantibus. Nonò, quia habuit bonum & verum sensum Sacræ Scripturæ, & ipsum attigit. Decimò, quia totum suum affectum & conatum posuit in Sacra Scriptura, & eam super omnia dilexit. D



E PHE.

Interpretatur erravi, *vel* os aperui 23. q. 5. c. *Non vos.*

129. *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.*

130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

IN toto residuo hujus Psalmi iste *Peregrinus* petit consummare & perficere cursum suum in quiete, contemplatione, & vita perfecta. Et sic continuè petit auxi- F lium contra impedientes iter & cursum suum.

Ad cujus intelligentiam est notandum, ut pluries dictum est: quòd finita rabie Tyranorum surrexit pravitas Hæreticorum. Ideo sicut Christus dedit Martyribus charitatem, & donum fortitudinis ad propulsandos incursus Tyrannorum; ita dedit sapientiam Doctoribus, & intellectum, & cætera dona Spiritus sancti. Et sic perversitas Hæreticorum fuit causa, ut multi Doctores scrutarentur Sacram Scripturam, & glossarent, & declararent eam, ut defenderent ab Hæreticis: & sic *Origenes*, *Athanasius*, *Basilius*, *Epiphanius*, & *Chrysostomus*, apud Græcos multa & infinita volumina scripserunt. Apud Latinos *Augustinus* contra Gentiles *libros* G *de Civitate Dei* scripsit, in quibus defendit civitatem Dei, eò quòd Romani volebant repetere idololatriam; in quibus omnes Scripturas conatur elucidare. Et *contra Arianos*, *libros* scripsit *de Trinitate*, & plures alios. *Contra Pelagianos* verò viginti duo volumina. Et *contra Manichæos* totidem. *In Psalterium* autem copiosos edidit Commentarios. Et *super Joannem*, & omnes *Epistolas Pauli*: & *super Testamentum vetus & novum*, & infinita alia volumina, in quibus thesauros Sacræ Scripturæ quondam clausos, nobis aperuit. Hoc etiam fecit *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Hilarius*, *& Gregorius &c.* Et sic per istos Doctores hæreticis devictis, Sacra Scriptura fuit illucidata, & nobis manifestata: H in tantum quòd multi se dederunt studio divinæ Legis & contemplationis, & dimittentes vitam activam, se ad contemplativam transtulerunt: ut patet de frequentia Monachorum Ægypti, & Græciæ, Italiæ, & Britanniæ. Et sic ex illo tempore magis apparuerunt nobis *mirabilia* arcana Sacræ Legis; & ex tunc Ecclesia per aliqua tempora fuit in prospero statu.

Nota.

Sed quia numquam deerunt hæretici & hypocritæ usque ad *Antichristum* qui erit Judæus, & Tyrannus, & Hypocrita, & Hæ-

Hæreticus, ut pluries dictum eſt; non quòd erit Judæus naturâ, ſed finget ſe Judæum, & circumcidet ſe, ut attrahat ad ſe Judæos: ideo David prævidens in ſpiritu totum diſcurſum reſidui temporis à proſperitate Eccleſiæ uſque ad Antichriſtum; in ſequentibus ſex *octonariis* introducit iſtum *hominem myſticum*, qui agit gratias de donis gratiarum ipſi datis in ſcripturis elucidantis: & de quiete & otio ipſi dato in vita contemplativa: & petit auxilium contra impedientes otium, & contemplationem, & proſperitatem Eccleſiæ. A

Diviſio Pſalmi.

Ideo duo facit: nam primò agit gratias de prædictis. Secundò, invocat divinum auxilium contra perſecutionem *Antichriſti*, & cæterorum. Ibi: *Clamavi in toto.* B

Quantum ad primum duo facit: nam primò agit gratias de prædictis. Secundò, petit auxilium & ultionem contra hypocritas, & ſimulatos. Ibi: *Juſtus es Domine.*

Dicit ergo ad primum: O Domine, quia *mirabilia* ſunt *teſtimonia*, id eſt, ſecreta & arcana legis, teſtificata in veteri Teſtamento per Patriarchas & Prophetas, & in novo per os tuum, & per ſigna & miracula: *ideo ſcrutata eſt ea anima mea* per *Origenem*, *Auguſtinum*, *Euſebium*, & *Hieronymum*, & cæteros Doctores, qui ſcrutati ſunt arcana Sacræ Scripturæ. Unde *declaratio* & gloſſa *ſermonum tuorum* facta per iſtos Doctores *illuminat* omnes populos fideles, *& dat intellectum* & intelligentiam *parvulis* & ſimplicibus; quæ ſecreta tua antè erant abſconſa: nunc autem *abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus* hujus mundi, *& revelaſti ea parvulis* & ſimplicibus fidelibus. Et ideo C

De Conſe. d. 1. Quãdo etiam ſtamus.

131. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam.*

POſtquam vidi tantam copiam & abundantiam theſauri & luminis tuæ ſapientiæ, *aperui os* animæ, ſcilicet, intellectus & voluntatis; & *attraxi ſpiritum* ſapientiæ ad refrigerandam & nutriendam animam, quæ antè fuerat eſuriens: *quia mandata tua deſiderabam.* Nam iſtum cibum & potum ſpiritualem deſideravi à principio mundi uſque ad adventum tuum. D

*** *** ***

E **132.** *Aſpice in me & miſerere mei, ſecundùm judicium diligentium nomen tuum.* *6. q. 1. Vos autem.*

POſtquam adeptus eſt hanc copiam & abundantiam, petit in ejus otio & quiete diu & ſemper manere & confirmari. Ideo dicit: *Aſpice in me, & miſerere mei*: & permitte me quietari & frui hoc otio *ſecundùm judicium diligentium nomen tuum*: id eſt, ſicut permittis Angelos, qui *diligunt nomen tuum*, manere in perpetua quiete contemplationis. Nam à principio induiſti & confirmaſti eos in gratia & quiete, eò quòd tibi adhæſerunt; alios autem judicaſti ad pœnam æternam. F

133. *Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injuſtitia.* *De Pœ. d. 2. § Quærendum.*

ERGO *aſpice in me ſecundùm judicium* iſtorum bonorum Angelorum *diligentium nomen tuum*: & conſerva me in lege tua, & *dirige greſſus* & operationes *meas ſecundùm eloquium*, & legem, & mandata tua: ut nulla *injuſtitia*, & nullum peccatum *dominetur mei*: quia omne peccatum fit contra juſtitiam & præcepta Dei, quæ conſiſtunt in quadam juſtitia: quia væ illi cui cupiditas, & caro, & ſuperbia, & injuſtitia dominatur: quia ſecundùm *Ciceronem*, *Miſer eſt cui peccare licet*, *quia etſi dominetur*, *ſervus eſt*, & *quod deterius eſt*, *quot vitiorum*, *tot dominorum.* G

134. *Redime me a calumniis hominum: ut cuſtodiam mandata tua.* *23. q. 3. c. Lex.*

ET non ſolùm rogo, ut *non dominetur mei injuſtitia* peccati, ſed etiam non dominentur mei tyranni, & infideles, & homines injuſti. *Redime* & libera *me* ergo *à calumniis* & deceptionibus & fraudibus *hominum* hypocritarum, *qui veniunt in veſtimentis ovium* ad calumniandum: ne impediant me in contemplatione, ſed *cuſtodiam mandata tua.* H

*** *** ***

De Pœ. d. 2. §. Evidenter. De Pœ. d. 1. cap. Si cui.

135. *Faciem tuam illumina super servum tuum: & doce me justificationes tuas.* A

136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.*

FAcies enim Patris est Filius Christus, qui lumen suum super nos emisit. Et per tale lumen *doce me justificationes tuas.* Nam quia de præterito peccavi contra te, ideo jam feci pœnitentiam in lacrymis &c. Unde *oculi mei deduxerunt exitus aquarum*, id est, rivos lacrymarum præ dolore B & contritione: *quia non custodierunt legem tuam:* immò prævaricati, & transgressi sunt præcepta tua. Ideo postquam egi pœnitentiam ex gratia tua, & passus sum tot afflictiones, & persecutiones, & deduxisti me in hunc statum prosperum contemplationis; conserva me in eo, ne ulterius cadam.

Et nota, quòd iste *peregrinus* non solùm fecit pœnitentiam in se, sed perampliùs & perfectiùs fecit pœnitentiam in capite suo Christo. Ideo totus Christus caput & membra dicit: *Exitus aquarum &c.* Et etiam hoc dicit, referendo ad tempora C persecutionum Tyrannorum, quando Ecclesia erat afflicta, & Fideles latebant in montibus & antris deflendo jacturam & persecutionem Martyrum.

SADE.

137. *Justus es Domine: & rectum judicium tuum.*

138. *Mandasti justitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.*

IN hoc decimooctavo *octonario* continuè iste peregrinus non cessat petere con- D servari in statu gratiæ & contemplationis. Sed quia justus non solùm delectatur in contemplatione & justitia, sed etiam ex zelo legis dolet, cum viderit hypocritas fingentes justitiam exteriùs, & interiùs esse lupos, alios mordentes & impedientes; quia ut plurimum sunt invidi & mordaces & impedientes justos: ideo dicit: O Domine, tu non es simulatus, immò *justus, & judicium tuum rectum.* Et tu Domine *mandasti testimonia tua* esse *justitiam* omnibus, id est, justa: *& veritatem tuam nimis*; id est, tu dedisti mandata tua sub quadam magna justitia & veritate, & non cum injustitia & fictione. Nec fuerunt tua præ- E cepta injusta, nec ficta: quia lex tua est justa, & valde vera.

139. *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.* 23. q. 4. cap. Quid crudele.

140. *Ignitum eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit illud.*

ET ideo *zelus meus*, quem erga legem tuam habeo, *me fecit tabescere*, & liquefieri, & indignari: eò quòd *inimici mei* infideles, & hypocritæ, & peccatores F *obliti sunt verba tua*, & transgressi sunt legem tuam & doctrinam: quia *exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes*, & *faciunt justitiam suam coram hominibus, ut videantur ab eis &c.* Nam *eloquium tuum est ignitum vehementer*, & urens corda hominum, justificans interiùs, & non vult apparentiam exteriùs. Ideo ille qui est verè *servus tuus*, *dilexit illud*, & servat intrinsecùs & extrinsecùs.

141. *Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas* G *non sum oblitus.* De Consid. 4. cap. ulti.

142. *Justitia tua, justitia in æternum: & lex tua veritas.* 25. q. 2. cap. 1.

IDEO licèt ego sim *adolescentulus & contemptus* de me, & labilis: tamen *justificationes tuas non sum oblitus*: quia *justitia tua* est *justitia in æternum*, & non ad tempus, *& lex tua* non est ficta, sed *veritas:* quia *veritas, & gratia, & justitia per Christum* patefacta est. Et sic licèt ego sim fragilis, & mobilis, & variabilis, sicut *adolescentulus:* tamen *lex tua* est justa & vera *in æternum.*

H

143. *Tribulatio & angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.* 21. q. ult. cap. ult. 8. d. cap. Quæ contra. Et 11 q. 3. Si is qui.

144. *Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & vivam.*

ET ideo licèt *tribulatio* inimicorum exteriorum, & hypocritarum, & peccatorum, *& angustia* passionum interiorum

rum *invenerunt me*: tamen ſemper *mandata tua meditatio mea eſt*. Et ſic evado à tribulationibus & anguſtiis : quia *teſtimonia tua*, & Lex Euangelica eſt quædam *æquitas* & juſtitia. Ideo *da mihi intellectum*, id eſt, donum intelligentiæ, ut intelligendo obſervem ipſam, & ſic ſpiritualiter *vivam* per ejus obſervantiam. A

Vita contemplativa facit octo fructus.

Vita ergo contemplativa, & contemplatio Legis facit octo fructus. Nam primò, movet hominem ad perſcrutandum mirabilia Legis. Secundò, illuminat, & dat intellectum. Tertiò, ſatiat animam. Quartò, dirigit greſſus. Quintò, redimit à calumniis. Sextò, movet ad pœnitentiam de præteritis. Septimò, ex zelo Legis dolet de peccatoribus & hypocritis : liberat enim à tribulationibus interioribus, & exterioribus. Octavò, dat vitam ſpiritualem. B Quia *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de* ore Dei, *Deuteron.* 8.

Interpretatur vocatio, vel ruph quod interpretatur concluſio.

COPH.

145. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine: juſtificationes tuas requiram.*

146. *Clamavi ad te, ſalvum me fac: ut cuſtodiam mandata tua.*

POSTQUAM iſte *Peregrinus* duxit curſum ſuum in Lege Domini uſque ad quietem & pacem Eccleſiæ, devictis Judæis, & Tyrannis, & Hæreticis, & petiit perſeverantiam, & confirmari in pace, & contemplatione, & quiete; jam confractus longitudine itineris, & vexatus aſperitate & afflictione laborum, cupit diſſolvi & eſſe cum Chriſto, & aſſequi beatitudinem per obſervantiam Legis ſibi in principio promiſſam. Ideo in hoc decimonono *octonario*, & tribus ſequentibus, quaſi epilogando memorat totum diſcurſum ſuæ peregrinationis, & laborum : quaſi petens præmium promiſſum, & ſuis laboribus emptum. Unde quatuor facit: Nam primò epi- D logat diſcurſum ſuæ peregrinationis ab *Adam* uſque ad adventum *Chriſti*, omnes labores enumerando. Secundò, rememorat totam peregrinationem ab adventu Chriſti uſque ad ſtatum proſperitatis Eccleſiæ, enumerando omnes perſecutiones & labores pro defenſione Legis Euangelicæ. Tertiò, petit diſſolvi, & poſſidere præmium & beatitudinem cum Chriſto. Secunda ibi: *Vide humilitatem.* Tertia ibi: *Appropinquet deprecatio mea.* C

Quantum ergo ad primum dicit: O Domine, ſemper in hac peregrinatione *clamavi in toto corde meo*, ſcilicet, mente & affectu, ut *requiram juſtificationes tuas:* id eſt, requiſivi juſtificationes tuas. E *Clamavi ad te*: ergo *ſalvum me fac, ut cuſtodiam mandata tua:* id eſt, ſemper clamavi, ut me ſalvum faceres, ut cuſtodirem mandata tua.

147. *Præveni in maturitate, & clamavi: qui in verba tua ſuper ſperavi.* *22. q. 5. c. Humanæ, in gloſſa.*

ET exponit ſemetipſum, dicens: Ego *præveni in maturitate:* id eſt, ante maturitatem, & tempus Legis Euangelicæ, dum eſſem ſub Lege veteri. Ego *præveni* clamando, & petendo Legem gratiæ F juſtificantem, & adventum Meſſiæ in Lege Patribus promiſſi. Ideo ſequitur: & *in verba* & promiſſa *tua ſuperſperavi.*

148. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.* *De Conſ. d. 5. Non mediocriter.*

MAGIS exponit & declarat ſeipſum, dicens: *Prævenerunt oculi mei*, ſcilicet mentis & affectus, *diluculo*, id eſt, ante auroram, & prope auroram, quod fuit tempus *Zachariæ*, & *Simeonis* prope incarnationem, qui cum magno deſiderio rogabant, & orabant adventum Salvato- G ris accelerari: quibus revelatus eſt de propinquo adventus Chriſti. Nam *Simeoni* promiſſum fuit, non *viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.* Hoc idem *Zachariæ*, ut patet *Lucæ* 1. Et hoc eſt quod dicit: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia* & promiſſa *tua.*

149. *Vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam Domine: & ſecundùm judicium tuum vivifica me.* *15. d. c. Sancta Romana. 28. q. 1. Idololatria.*

H

150. *Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti ſunt.*

IDEO *vocem meam audi ſecundùm miſericordiam tuam* & juſtitiam tuam Domine. Quia per totum illud tempus ante adventum Chriſti, & poſt, *perſequentes me*, ſcilicet *Cain*, *Pharao*, *& Nabucodonoſor &c. appropinquaverunt iniquitati*, ſcilicet, infidelitati & ſuperſtitioni idololatriæ, & odio: ideo *à Lege tua* quæ præ-

præcipit unum Deum coli, & proximum diligi, *longè facti sunt*: Quia Legem tuam prævaricati & transgressi sunt. A

16.q.1. *Vos autem* 24.q.1.c. *Quia.*

151. *Prope es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.*

152. *Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea.*

SED licèt illi se elongaverint à te, & à Lege tua; tamen *tu Domine* semper *es*, & fuisti mihi *prope*: quia observavi Legem tuam, quia *omnes viæ tuæ* sunt *veritas*: superstitiones autem illorum sunt mendacia ficta & violenta, & non duratura. Sed ego *cognovi* in *initio*, id est, à principio, *de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea.* Quasi dicat: tu Domine in principio dedisti legem de obedientia ad Deum, & de dilectione proximi, & de cultu divino. Quæ quidem præcepta & mandata sunt æterna per totam Legem veterem & novam. Unde Christus, *Matth.* 7. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc Lex & Prophetæ.* Item, *Matth.* 19. Si *vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Item, *ibidem* 22. *Diliges Dominum Deum tuum &c.* Ex quo patet, quòd ista mandata jam à principio data sunt *Adam* & *Cain*, *Gen.* 4. & *Moysi*, *Deut.* 7. & Christus in Euangelio ea confirmavit: ergo sunt æterna in utroque Testamento. Ideo dicit: Ego *cognovi quia in æternum fundasti ea.* B C

Unde nota, quod *viæ Domini* sunt mandata & præcepta in Lege scripta; quæ omnia dicuntur *veritas*. Primò, quia à prima veritate procedunt, quæ est Deus. Secundò dicuntur *veritas*: quia omnia in Christum, & Euangelicam veritatem tendebant tamquam in finem, in quo omnia fuerunt verificata, tàm cærimonialia, quàm judicialia, & moralia. Tertiò, omnia præcepta dicuntur *veritas*, id est justitia, in quantum omnia erant conformia divinæ voluntati. Et sic omnia erant immobilis veritatis quantum ad finem, ut sæpiùs dictum est. Ideo dicit David, quòd *omnes viæ tuæ veritas.* D

Res. *Interpretatur caput.* 11.q.3. *Nemo.*

RES.

153. *Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.*

IN hoc vigesimo *octonario* memorat labores itineris Ecclesiæ Christi post ejus adventum, & persecutionem factam à Judæis. Ideo dicit: *Vide humilitatem meam*, quam habui in primitiva Ecclesia in persecutione Judæorum. *Et eripe me* ab eis: & eripe me à jugo Legis veteris: *quia Legem* E *tuam* Euangelicam, quæ verè justificat, *non sum oblitus*: immò quia cum humilitate eam suscepi, & observare promisi, quæ quidem Lex est fundata in humilitate, ut dictum est: ergo *vide humilitatem meam &c.*

154. *Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.*

9. q. 1. *Aliorum de Pœ. d. Alii econtra.*

155. *Longè à peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisierunt.* F

ET tu, ò Christe, qui venisti judex in mundum, nunc per discretionem, & in novissimo die per examinationem, *judica judicium meum*, discernendo causam meam, separando me à consortio Judæorum: & *redime me*, non solùm à peccato, sed etiam absolve à jugo Legis veteris per Legem Euangelicam: & etiam ab omni peccato, *propter eloquium tuum*, scilicet, propter Legem Euangelicam à te latam *vivifica me* à morte peccati per vitam gratiæ, ac Sacramentorum Ecclesiæ: quia talis *salus* & vita data per Legem Euangelicam, est G *longè* à Judæis, & Infidelibus, & cæteris *peccatoribus*: eò quòd *justificationes tuas non exquisieruut.*

156. *Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundùm judicium tuum vivifica me.*

De Pœ. d. 3. *quia divinitatis natura.*

ET quia Domine *misericordiæ tuæ* sunt *multæ* in Lege Euangelica; quia multa remedia dedisti ad salvandum nos, putà, per Baptismum, & Confirmationem, & Pœnitentiam, &c. Ideo *secundùm Judicium tuum vivifica me*, scilicet, H secundùm sententiam à te datam, *Marc.* 6. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit &c.*

157. *Multi*

3.q. 1.c. *Nulli dubium.*

157. *Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: à teſtimoniis tuis non declinavi.*

33. q. 4. *Quid crudele.*

158. *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.*

ITEM, licèt *multi* ſint Judæi & Gentiles perfidi, *qui tribulant* & tribulaverunt *me*; tamen *à teſtimoniis* & Lege tua *non declinavi*: immò cùm *vidi* Judæos, & Infideles, & Hæreticos *prævaricantes* Legem tuam, & contemnentes illam, ego *tabeſcebam*, & liqueſiebam ex zelo: *quia* mandata tua *non cuſtodierunt*.

16.q.1.c. *Vos autem*

159. *Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in miſericordia tua vivifica me.*

160. *Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia judicia juſtitiæ tuæ.*

VIDE ergo, & non neges mihi præmium Domine, quoniam ſemper in his perſecutionibus mandata tua quæſivi, quia ſunt vera, & non falſa, nec ficta: quia *principium verborum tuorum* eſt *veritas*: nam tu loqueris per Chriſtum, qui eſt Verbum tuum, per quod facta ſunt omnia: & ipſe eſt *via*, *veritas*, & *vita*. Ideo *principium verborum tuorum eſt veritas*. Et ideo dilexi Legem tuam, & ſic non poſſum falli. Ideo ſunt æterna in veritate *omnia judicia* & promiſſa *juſtitiæ tuæ*, & præmia quæ per juſtitiam adjudicaſti & promiſiſti. Et ſic *vivifica me in miſericordia tua*, ſicut promiſiſti obſervantibus Legem tuam, & non fallas me: quia *principium verborum tuorum veritas &c.* Ideo non dubito præmiari, nec timeo falli. Unde *principium verborum* Dei eſt *veritas*; quia verba Dei à prima veritate procedunt, & in veritatem, quæ eſt Chriſtus, tendunt. Et ſic omnia quæ ſcribuntur in Lege, ſunt vera, & juſta, in quantum juxta divinam voluntatem ſunt ordinata. Et ſic *veritas* idem eſt quod *juſtitia*.

*** *** ***
*** *** ***

SIN.

Interpretatur ſuper vulnus.

161. *Principes perſecuti ſunt me gratis: & à verbis tuis formidavit cor meum.*

26.q.7.c. *Affectum, & 91. d. c. Presbyter.*

162. *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.*

163. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.*

IN hoc vigeſimo primo *octonario* rememorans perſecutiones Tyrannorum petit præmium promiſſum, dicens: *Principes* & Imperatores, & Tyranni, & diaboli *perſecuti ſunt me*: non demeritis meis præcedentibus, ſed *gratis* & ſponte, & certâ malitiâ, propter nomen tuum; eò quòd defendebam Fidem tuam, in tantum quod *à verbis tuis formidavit cor meum*, fugiendo perſecutionem eorum per montes & ſpeluncas. Et tamen *lætabor ſuper eloquia tua*, id eſt, in contemplatione & confidentia Legis & promiſſionis tuæ: *ſicut qui invenit ſpolia multa*. Quaſi dicat: ita lætabitur in perſecutionibus & tormentis, *ſicut* victor in bello *qui invenit ſpolia multa*. Nam illi per bella temporalia inveniunt ſpolia terrena: ſed ego per martyrium inveni *ſpolia* ſpiritualia & divina: quia illi invenerunt coronam corruptibilem, ſed ego incorruptibilem: licèt ergo *Principes me fuerint perſecuti*, & timuerim in principio; tamen conſiderans eam beatitudinem, quæ mihi in Lege promittitur, contempſi Principes perſequentes, & *lætabar ſuper eloquia* & promiſſiones tuas, *ſicut qui invenit ſpolia multa*. Et *habui odio*, & *abominatus ſum omnem iniquitatem* eorum: *legem autem tuam dilexi* & contemplatus & ſecutus ſum.

16. q. 1. *Revertimini.*

164. *Septies in die laudem dixi tibi: ſuper judicia juſtitiæ tuæ.*

UNDE devictis Tyrannis, & Hæreticis, contemplationi totaliter me dedi. Et ſic ordinavi officia Eccleſiaſtica per ſeptem horas diei ad laudem Dei in hymnis & canticis: & ampliavi divinum cultum per Doctores meos. Et ſic *ſepties in die laudem dixi* & cantavi *tibi*, *ſuper judicia juſtitiæ tuæ*. Quaſi dicat: in illis ſeptem horis diurnis, pariterque nocturnis, cantantur geſta Patriarcharum & Prophetarum, & Apoſtolorum & Martyrum, & geſ-

gesta Euangelica, quæ sunt *judicia justitiæ tuæ*. Hoc dicit, quia in illa ætate *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, & *Gregorius* ordinarunt officia Ecclesiastica, & Horas septem Canonicas cantari in Ecclesia fecerunt per totum orbem: de quibus horis dicetur *Psalmo* 129. A

3. q. 6. Hoc quippe.

165. *Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.*

23. q. 4. cap. 1.

166. *Expectabam salutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.*

B

167. *Custodivit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.*

16. q. 1. Vos autem.

168. *Servavi mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

SEdatis persecutionibus, fuit *multa pax diligentibus legem tuam*, & omnibus Christianis in Ecclesia tua. *Et* jam *non est illis scandalum*: quia omnes hæreses, quibus multi scandalizabantur, sunt extinctæ & sedatæ. Et ideo jam *expectabam salutare tuum* in æterna felicitate, rejectis rebus terrenis. Nam *conversatio mea in cœlis est.* jam vivendo in hac vita contemplativa, sola *mandata tua dilexi*: quia in sola lege tua est voluntas mea die ac nocte. Et sic in contemplatione *custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.* Et *servavi mandata tua & testimonia tua*: *quia* deditus soli contemplationi *omnes viæ meæ*, scilicet, intellectus, & voluntas, & affectus est totus fixus *in conspectu tuo*, abstractus à terrenis. C

TAU.

Tau interpretatur *erravit*, vel *consummavit.*

169. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.* D

IN hoc ultimo *octonario* jam petit absolvi à membris corporis hujus, & esse cum Christo in beatitudine: & petit præmium pro laboribus & peregrinatione. Dicit ergo: *Domine, appropinquet* jam oratio mea *in conspectu tuo*: & *da mihi intellectum* & intelligentiam claræ visionis in patria *juxta eloquium*, id est, secundùm promissionem tuam. Nam in principio dixisti: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ego autem jam ambulavi in lege tua, & me servavi immaculatum ex gratiâ tuâ: ergo tribue mihi claram visionem, & *intellectum* beatitudinis. E

15. d. c. Sancta.

170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundùm eloquium tuum eripe me.*

95. d. c. Ecce.

171. *Eructabunt labia mea hymnum: cùm docueris me justificationes tuas.* F

ET *intret in conspectu tuo postulatio mea*, & *secundùm eloquium* & promissum *tuum eripe me.* Absolve me ab hoc mortali & ponderoso corpore & passibili; & absolutus ab eo, *eructabunt* & cantabunt *labia mea hymnum*, cum Beatis in patria. *Cum* pro *postquam*, *docueris me justificationes tuas*, id est, postquam impleverim justificationes, quas me docuisti: & etiam, *cùm docueris* & ostenderis mihi justificationes tuas, id est, præmia justificationum tuarum in patria.

13. q. 1. cap. Hii itaque. 22. q. 2. Si quilibet, d. 101 Omnes leges, in Gl. 16. q. 1. Revertimini.

172. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.* G

ET tunc *pronuntiabit lingua mea eloquium tuum*, agendo gratias cum cæteris Beatis: *quia omnia mandata tua* veritas, quia quicquid promisisti, adimplesti. Ideo omnes Beati in sæcula sæculorum laudabunt te, dicentes: *Benedictio, & claritas, & gratiarum actio &c. Apoc.* 7.

12. quæs. 2. Omnis ætas.

173. *Fiat manus tua ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.*

174. *Concupivi salutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea est.* H

175. *Vivet anima mea & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me.*

ERGO *fiat manus tua*, & misericordia tua super me, & *salvet me*, beatitudinem conferendo: quia *mandata tua* ele-

elegi, & implevi: ergo da mihi præmium: quia hoc præmium & *salutare tuum* semper *concupivi*, & propter ipsum semper laboravi: quia *lex tua meditatio mea est:* quia semper fuit in ea voluntas mea die ac nocte. Et sic cum dederis mihi hoc præmium, *vivet anima mea* beatâ & æternâ fruitione, & in sæcula sæculorum *laudabit te*: quia *judicia tua*, id est, observantia legis tuæ *adjuvit me* ad consequendam beatitudinem.

De Pœn. 1. Serpens

176 *Erravi, sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

HIC concludit totum intellectum hujus Psalmi. Unde est advertendum, sicut in principio dictum est, quòd *iste homo* fuit in principio creatus à Deo, & factus civis & dominus illius amœnæ & felicis civitatis paradisi terrestris, quem ornavit omnibus bonis gratuitis in corpore & anima, cum originali justitia: cui dedit legem obedientiæ, quam si servasset, absque labore post longum tempus fuisset translatus in cœlum cum tota sua posteritate ad meliorem & optimam vitam, & æternam felicitatem. Sed quia fuit rebellis, non solùm perdidit æternam felicitatem, sed etiam præsentem: quia fuit expulsus ab illa terrestri civitate paradisi. Et sic ex cive & domino felici, factus est exul, & miser peregrinus in hac lacrymarum valle.

Nota de Adam, seu homine mystico.

Tunc iste miser petiit, si esset aliqua remissio sui peccati, & modus recuperandi supernam felicitatem perditam, & beatitudinem. Tunc dixit ipsi Angelus ex parte Dei, quod aliter non posset recuperare, nisi per longa tempora peregrinaretur per hunc mundum, ambulando sine macula in lege Domini. Itaque sicut inobedientia & peccatum fuit via ad expellendum ipsum à beatitudine: ita lex divina erat via ad reducendum ipsum ad beatitudinem perditam. Et sic dixit ipsi Angelus: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et quia oportet viatorem scire legem à Deo datam, ideo sequitur: *Beati qui scrutantur testimonia ejus &c.* Et quia observantia hujus legis consistit in declinando à malo, & faciendo bonum: ideo sequitur: *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.*

Tunc iste *peregrinus* acceptavit peregrinationem & legem, & promisit ipsam observare. Et respondit, dicens: Postquam *tu Domine mandasti mandata tua custodiri nimis, utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Et sic petit auxilium & gratiam, ut in hac via, & lege, & peregrinatione dirigatur. Sed petit quomodo in sua adolescentia *corriget viam suam* & motus & passiones? Cui respondetur, quòd *custodiendo sermones Dei.* Et sic iste peregrinus est usque ad Christum in lege veteri. Et tunc dicit: Ecce Domine jam *viam mandatorum tuorum cucurri &c.* Sed jam deinceps, *legem pone mihi justificationum tuarum: quia ipsam volui*, & semper desideravi, postquam in lege veteri non potui justificari.

Postquam autem recepit legem Euangelicam justificantem, agit gratias, dicens: *Bonitatem fecisti &c.* Et cum hoc petit auxilium ad confundendum Judæos. Postea petit auxilium ad debellandos Tyrannos: postea contra Hæreticos: quibus omnibus devictis, ampliavit cultum divinum, & petit confirmari in otio & quiete vitæ contemplativæ.

Nunc autem in fine jam fractus asperis laboribus, & longa peregrinatione, & completo cursu per observantiam legis: & postquam ambulavit immaculatus in lege Domini, petit præmium beatitudinis in principio promissæ, & dicit: O Domine, jam *erravi* & peregrinatus sum exul extra patriam, *sicut ovis quæ periit.* Ergo jam *quære servum tuum*, & duc tecum in supernam beatitudinem: *quia mandata tua non sum oblitus*: immò implevi legem, quam mihi imposuisti, & peregrinationem.

Et respice bene, quòd ab isto Psalmo assumpsit ingenium & inventionem *Salomon* in *Canticis*, nisi quod mutavit stilum à peregrino in Sponsam; sed servavit eumdem discursum: & ideo eodem modo finiunt *Cantica.* Nam *Sponsa* post longam peregrinationem, devictis Tyrannis & Hæreticis, etiam quiescit in prosperitate: cupit dissolvi, & esse cum Christo. Ideo vocat eam Sponsus dicens: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Et tunc ipsa respondet dicens: *Euge dilecte mi, & duc me* tecum, supple, *in montes aromatum.* Ex quo patet, quòd eadem est sententia hîc & ibi, & idem discursus, & eadem conclusio.

Quatuor status, seu ætates Ecclesia considerat.

Est ergo advertendum, quòd Ecclesia considerat quatuor status, sive ætates in ea prosecutione temporis. Primus fuit ab *Adam* usque ad *Christum*, quæ dicitur *adolescentia.* Secundus fuit à prædicatione *Christi* usque ad prædicationem *Apostolorum*: in quo statu data est lex, & redemptum est genus humanum: quæ ætas dicta est *juventus*, & *renovatio.* Tertius fuit ab *Apostolis* usque ad *Constantinum*, & *Doctores*: quæ dicta est *virilitas*; quia tunc pugnavit & fuit in suo vigore. Quartus fuit à *Doctoribus* usque in *finem*, quæ dicitur *senectus.*

Quasi secundùm istum modum superiùs expositus est propheticè & mysticè iste Psalmus secundùm peregrinationem corporis mystici Ecclesiastici per ætates & sta-

ſtatus ſucceſſivè : quia in Eccleſia ſunt ſimul quatuor ſtatus, ſcilicet, *peccatorum*, & *converſorum*, *pœnitentium*, & *proficientium*, & *perfectorum*. Nam primi qui indigent corrigi, jam corriguntur: ſecundi jam proficiunt ſibi in vivendo : & tertii cæteris in docendo: quarti jam relictis terrenis, vivunt in contemplatione. Ideo Eccleſia cantat quatuor primos *octonarios* hujus Pſalmi ad *Primam* pro peccatoribus deſiderantibus corrigi : ad *Tertiam* verò cantat ſex *octonarios* ſequentes, pro converſis & pœnitentibus. Ad *Sextam* cantat alios ſex ſequentes, pro proficientibus, qui ſunt Martyres & Doctores, & qui jam fecerunt pœnitentiam : item pro perfectis cantat ſex ultimos, ſcilicet, pro contemplativis.

Item, quia Eccleſia conſiderat in quolibet fideli quatuor ſtatus, ſive ætates, ſcilicet, *adoleſcentiam*, in qua indiget corrigere, & reprimere affectiones & paſſiones: ſecunda eſt *juventus*, in qua jam operatur & laborat in vita terrena : ideo oportet comprimi ab avaritia & ſuperbia : tertia eſt *virilitas*, in qua jam ſibi proficit, & alios docet exemplo & doctrina : quarta eſt *ſenectus*, in qua totaliter debet relinquere terrena, & contemplari de vita futura. Ideo Eccleſia cantat primos quatuor *octonarios* ad *Primam* pro adoleſcentibus, & ſex ſequentes ad *Tertiam* pro juvenibus: & ſequentes ad *Sextam* pro viris : & ſex ultimos ad *Nonam* pro ſenibus.

Triplex ſtatus in Lege Euangelica.

Item, quia etiam Eccleſia conſiderat tres ſtatus ſimul in Lege Euangelica. Primus dicitur *ſtatus communis* omnibus Chriſtianis: quia vivunt in fide, & ſpe, & charitate juſtificati per Eccleſiaſtica ſacramenta. Secundus dicitur *ſtatus proficientium* ſibi & aliis: & iſte dicitur ſtatus *Doctorum* & *Prælatorum*, qui ſibi proficiunt in vita juſta, & alios docent vitâ & doctrinâ, & Eccleſiam Dei defendunt ab Hæreticis & Infidelibus. Tertius eſt *contemplativorum*, & *perfectiſsimorum* : ſicut ſunt Martyres, & Eremitæ &c. qui ſecluſi à mundo, cupiunt eſſe cum Chriſto. Ideo Eccleſia pro *ſtatu communi* cantat primos quatuor *octonarios* ad *Primam*: & ſex ſequentes ad *Tertiam* pro *ſtatu proficientium*: & cantat ſex ſequentes ad *Sextam* pro eiſdem : & pro *ſtatu perfectorum* ſex ultimos ad *Nonam*. Unde *Prima* correſpondet *adoleſcentiæ*: & *Tertia*, *juventuti*: & *Sexta*, *virilitati*: & *Nona*, *ſenectuti* : eò quòd jam declinet vita hominis.

Ex quo patet, quòd illi qui gloſſant iſtum Pſalmum pro vita contemplativa & activa, bene dicunt: & etiam qui gloſſant ipſum pro incipientibus & proficientibus, non minus bene dicunt: ſed non evacuant totam intelligentiam hujus Pſalmi, quia tales Expoſitiones ſunt quaſi merè Morales: ſed oportet, ut exponatur propheticè, ſicut ſupra dictum & factum eſt. Nam iſta fuit primaria intentio ipſius David, ut patet diligenter intuenti per diſcurſum hujus Pſalmi, & peregrinationem, & diverſos ſtatus hujus *peregrini*, & intentionem Eccleſiæ, quæ non ſolùm recitat hunc Pſalmum ad mores capeſſendos; ſed etiam principaliter petendo auxilium, & gratias agendo de beneficiis acceptis, per omnes ſtatus & ætates hujus peregrinationis. Ideo præponitur in ejus titulo *Alleluia*.

Ex ſupradictis etiam patet, quòd cum vita cujuslibet hominis non ſit niſi quædam peregrinatio inter præcipitia & laqueos carnis, & mundi, & diaboli : ideo iſte Pſalmus non ſolùm eſt intelligendus & exponendus *propheticè* de peregrinatione totius corporis & hominis myſtici ab *Adam* uſque ad *Judicium*, ſicut expoſitus eſt: ſed etiam *Moraliter* de peregrinatione vitæ cujuslibet hominis. Sed quia circa talem Moralem Expoſitionem maximè inſudarunt ſacri Doctores, ſcilicet *Ambroſius*, *Auguſtinus*, & *Caſſiodorus*, ut dictum eſt in principio: ideo quiſque cupiens ſatiari uberiori doctrinâ pergat ad eos: quia hîc principaliter intendimus propheticam intelligentiam Pſalmorum referare, ut per eam ad *Moralem* & *Anagogicam* unuſquiſque per ſe faciliter valeat pervenire: ſemper tamen auxilio divino invocato, ut docet David in hoc Pſalmo.

PSALMUS CXIX.

1. *Ad Dominum cum tribularer clamavi : & exaudivit me.*

De Pœ. d. 3. c. Prima conſſatio. Sup. 117. Jonæ 2. a.

2. *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.*

HUIC Pſalmo, & quatuordecim ſequentibus generaliter præponitur talis Titulus, ſcilicet, *Canticum graduum*, eò quòd iſti quindecim Pſalmi cantabantur per Sacerdotes & Levitas in *aſcenſu quindecim graduum* Templi Salomonis.

Ad cujus intelligentiam dicunt *Thalmudiſtæ*, ut refert *Cambi*: quòd quando *Salomon* fodit fundamenta Templi, tanta abundantia aquæ incœpit emanare, quòd voluit quaſi ſubmergere totam civitatem Hieruſalem. Sed tunc *Achitophel* vir prudens ſcripſit *Semiphoras*, id eſt, nomen *Tetragrammaton* in teſta ollæ, & miſit in aquam, adjurando eam, ut retrocederet. Et aqua deſcendit verſus centrum terræ per ſexdecim millia ſtadiorum. Sed tunc dixerunt Sapientes, quòd hoc cedebat in maximum damnum civitatis, quòd aqua eſſet

Nota.

eſſet ita profunda : putà , pro puteis fodiendis. Sed tunc *Achitophel* iterum ſcripſit nomen *Semiphoras* in alia teſta ollæ , & A miſit in illud profundum , adjurando aquam, ut aſcenderet per quindecim millia ſtadiorum : quod ſic factum fuit. Et tunc *Salomon* fecit fundamenta Templi , & fecit quindecim gradus in aſcenſu Templi in memoriam illorum quindecim ſtadiorum, quibus aqua aſcenderat de abyſſo. Et ſic dicunt *Thalmudiſtæ* , quòd *Salomon* præcepit cantari hos quindecim Pſalmos in aſcenſu illorum quindecim graduum , in memoriam illius magni miraculi.

Sed quantum iſta poſitio ſit ficta , & frivola , & irriſoria , & in ſe concludens mendacium , & contradictionem , cuilibet diſpoſito poteſt patêre.

B Et ideo eſt aliter dicendum ſecundùm *Auguſtinum*, & ſacros Doctores: quòd tota ædificatio & diſpoſitio *Hieruſalem* , & illius Templi fuit figura Chriſti , & Eccleſiæ Militantis , & ex conſequenti Eccleſiæ Triumphantis. Et ideo antequam ædificaretur , fuit tradita ipſi David à Spiritu ſancto deſcriptio & exemplar totius Templi, & Tabernaculi : in qua intellexit omnia quæ ibi erant deſcripta & figurata , ut patet 1. *Paral.* 18. Et ideo ſicut ordinavit *David* , ita *Salomon* ædificavit Templum in *monte Moria* cum aſcenſu quindecim graduum , ſecundùm exemplar ipſi traditum.

Adam duo damna per peccatum incurrit.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd *Adam* duo damna generalia incurrit per peccatum : nam primò cecidit à dignitate & felicitate , in qua erat de præſenti; C & à culmine gloriæ cœleſtis ſibi promiſſæ, ſi ſtetiſſet. Secundò , fuit exul & relegatus ab illo paradiſo terreſtri , & factus peregrinus cum tota ſua poſteritate per hunc mundum miſerabilem. Et ideo , ſicut dictum eſt in Pſalmo præcedente , non poteſt redire in patriam , à qua expulſus eſt , niſi peregrinando , & ambulando in Lege Domini, ab ea non deviando uſquequò perveniat per Chriſtum ad *Hieruſalem*, quam perdiderat , & ad Templum gloriæ , unde cecidit. Sed cùm pervenerit , & perductus fuerit ad terminum vitæ ſuæ obſervando legem , adhuc reſtat , ut aſcendat per quindecim gradus virtutum uſque ad Templum gloriæ , unde cecidit , & quod per pecca- D tum amiſit.

Et ideo ſicut David fecit Pſalmum præcedentem , in quo denotatur tota peregrinatio hujus mundi , in quo homo myſticus peregrinatur ab *Adam* uſque ad *Chriſtum* , & à *Chriſto* uſque ad ultimum *Judicium*, ſive ad finem vitæ cujuslibet hominis , ut dictum eſt in Pſalmo præcedenti: ita pariter David fecit hos quindecim Pſalmos pro aſcenſu quindecim graduum Templi , per quos denotantur & memorantur quindecim gradus virtutum , ſine quibus

E nemo poteſt in cœlum aſcendere, nec gloriam amiſſam recuperare. Nam per illam civitatem *Hieruſalem* intelligebatur præſens Eccleſia: & per Templum ædificatum figurabatur ſuperior patria : ad denotandum , quòd licèt ſimus in iſta *Hieruſalem* per fidem , & gratiam ; tamen adhuc reſtat ut aſcendamus in *Hieruſalem* ſupernam per gradus , & merita virtutum.

Et hoc figurabatur per peregrinationem Judæorum , qui erant in diſperſione: nam veniebant de *Græcia* , & de *Italia*, & de *Ægypto* , & de cæteris partibus mundi ad diem feſtum in Hieruſalem. Sed dum erant ibi , adhuc reſtabat , ut aſcenderent per quindecim gradus in Templum. Et ideo illi peregrini dum peregrinabantur F per itinera , dicebant Pſalmum præcedentem , ſcilicet , *Beati immaculati in via* , & hoc per totum iter. Sed poſtea in aſcenſu Templi , dicebant hos quindecim Pſalmos, unum in quolibet gradu , per ordinem procedendo. Sed *omnia illis contingebant in figura.*

Nota figuram.

Nam totum ſpatium itineris à domibus ſuis uſque ad portas *Hieruſalem* , ſignificabat totum diſcurſum Legis ab *Adam* uſque ad *Chriſtum* & *Eccleſiam*. Sed à portis *Hieruſalem* uſque ad *Templum*, ſignificabat diſcurſum Legis Euangelicæ , & Fidelium , qui peregrinantur in hac *Hieruſalem* , ſive Eccleſia Chriſti. Sed aſcenſus graduum Templi figurabat aſcenſum in gloriam cœleſtem. Et ideo David fecit hos quindecim Pſalmos appropriatos his quindecim gradibus Templi , ſecundùm ordi- G nem virtutum. Nam primus Pſalmus appropriatur primo gradui virtutum , qui eſt receſſus à mundanis : & ultimus Pſalmus memorat ultimum gradum virtutum , qui eſt in quiete laudare Deum. Et etiam dicit perfectionem gloriæ , quæ eſt jam in patria inceſſanter Deum glorificare & benedicere. Et ideo ultimus Pſalmus dicit: *Ecce nunc benedicite Dominum &c.* Et ſic ſecundùm ordinem virtutum prudens lector poteſt facere diviſionem iſtorum quindecim Pſalmorum. Dividantur ergo iſti quindecim Pſalmi in quindecim partes, ſecundùm quindecim gradus virtutum figuratarum per quindecim gradus Templi , in quorum quolibet principaliter memoratur H una virtus ſecundùm ordinem & proprietates illorum quindecim graduum.

Exponuntur tripliciter.

Eſt ergo iterum advertendum , quòd iſti quindecim Pſalmi tripliciter poſſunt exponi. Uno modo *myſticè* , ſive *propheticè*. Et hoc dupliciter : uno modo de quindecim gradibus , quibus homo myſticus aſcendit à Lege veteri in Legem Euangelicam , & à Synagoga in Eccleſiam Chriſti, ab imperfecto ad perfectum , relinquendo cærimonias & figuras. Alio modo , pro quindecim gradibus quibus iſte homo myſticus aſcendit in cœlum , relicto mundo

poſt

post peractam peregrinationem. Et sic totus iste sensus dicitur mysticus, & propheticus. Tertio modo possunt exponi *moraliter* de quindecim gradibus conversionis pœnitentis, quibus homo ascendit à peccato in statum gratiæ ; & in Deum, per speculationem & contemplationem : de quibus ait Propheta suprà *Psalmo* 83. *Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit. Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion.*

Ecclesia ergo omnibus istis tribus modis intendit cantare istos quindecim gradus, sive quindecim Psalmos: primò pro *Apostolis & Discipulis*, qui ascenderunt à Synagoga in Ecclesiam & Templum Christi, relictis legalibus: & etiam pro omnibus Fidelibus à peccato ascendentibus in statum gratiæ : tertiò, pro viris sanctis & contemplativis ascendentibus à terrenis curis ad contemplationem spiritualium. Et ideo in diebus ferialibus quadragesimæ Ecclesia facit tres quinarios ex his quindecim Psalmis ante Matutinas majores. Et primum quinarium dicit pro defunctis, qui sunt in Purgatorio, ut absoluti à pœnis citò ascendant in cœlum: & ideo dicit orationem, *Absolve.* Secundum quinarium dicit pro pœnitentibus, ut ascendant à peccato in gratiam per pœnitentiam : ideo dicit orationem, *Deus cui proprium.* Tertium quinarium dicit pro justis & contemplativis, ut conserventur in gratiâ, & proficiant in virtutibus, usquequo perveniant ad gloriam : ideo dicit orationem, *Prætende Domine famulis & famulabus tuis &c.*

Item etiam Ecclesia, sicut totum Psalmum præcedentem divisum per *octonarios*, sive per quatuor partes, dicit ad *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, pro peregrinantibus in hoc mundo, ut dictum est: Ita pariter ad omnes horas *Beatæ Mariæ Virginis* dicit hos quindecim Psalmos ; eò quòd *Beata Virgo* per hos quindecim gradus virtutum meruit ascendere super omnes choros Angelorum ad cœlestia regna. Et ideo quia Beatus *Augustinus*, & *Cassiodorus*, quos *Magister* sequitur in *Glossa Ordinaria*, satis lucidè & per excellentiam dixerunt de sensu & Expositione morali istorum Psalmorum : ideo primò & principaliter juxta consuetudinem sequar Expositionem & sensum *Propheticum*, sive *Mysticum*, non dimittendo *Moralem* & *Anagogicum.* Et hoc brevissimè, postquam per prædictos Doctores unusquisque lucidissimè potest informari.

Expositio prima.

Quantum ergo ad primum est dicendum, quòd David fecit hunc primum Psalmum pro ascensu primi gradus Templi. Unde sicut primum quod fit ab ascendente, est relinquere à tergo terrram inferiorem ; ita ergo Apostoli primò reliquerunt cærimonias, & relictis legalibus, ascenderunt cum Christo. Et ita primum quod fit à pœnitente, est, detestari, & relinquere à tergo peccatum, & conculcare terrena sub pedibus : & sic etiam viri contemplativi in primo gradu virtutum contemnunt curam istorum terrenorum. Ideo David fecit hunc Psalmum pro primo gradu, & introducit istum *hominem mysticum*, qui primò fuit tribulatus & deceptus à *lingua dolosa* diaboli, & postea fuit tribulatus per *linguam dolosam* aliorum Infidelium in itinere hujus vitæ. Ideo petit liberari ab hujusmodi ; & petit gratiam, ut contemnat omnia ista terrena, & absolvatur ab hujusmodi tribulationibus per ascensum primi gradus.

Unde dicit : O Domine Jesu-Chiste, *cum* ego *tribularer* à diabolo in principio mundi, & per membra ejus in toto itinere vitæ meæ, non solùm à Regibus Ægypti & Babyloniæ & cæteris nationibus ; sed etiam à Scribis & Pharisæis volentibus me detinere sub jugo Legis, ne ascenderem in Legem Euangelicam & Templum tuum : Et etiam cum tribularer ab Hæreticis & Saracenis ; & etiam ab Anti-Christo, & sequacibus ejus : Tunc *clamavi ad Dominum* Jesum-Christum, ut veniret ad liberandum me : & ipse *exaudivit me.* Unde in oratione mea dicebam : *O Domine* Jesu-Christe *libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa* serpentis, qui me decepit in paradiso, unde cecidi, & fui expulsus: & *libera me à labiis iniquis, & à lingua dolosa* membrorum diaboli, scilicet Infidelium, & Hæreticorum, qui me impediunt, ne ascendam istum primum gradum.

3. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?*

23. q. 4. *Displicet.*

4. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.*

Et 15. q. 1. c. *Firmissime.*

HIC Propheta prædicit punitionem Infidelium, qui prohibent Fideles in ascensu suo. Unde dicit iste *homo mysticus* quasi indignativè contra diabolum, & membra ejus : O maledicte diabole, & ò tu Infidelis, *quid* putas *detur tibi, aut apponatur tibi* in pœnam *ad linguam dolosam*? Id est, quæ pœna dabitur tibi pro lingua dolosa, & pro deceptione? Et respondet : Quid putas dabitur tibi ? Dabuntur enim tibi *sagittæ* iræ & vindictæ Dei omnipotentis *cum carbonibus* & ignibus *desolatoriis*, qui destruent omnes Infideles & persecutores Ecclesiæ, & vastabunt Hierusalem per *Titum & Vespasianum* : & punient *Diocletianum & Neronem*, & cæteros

ros perſecutores Eccleſiæ, & etiam interficient *Antichriſtum*: & poſt obitum eorum apponentur eis *carbones deſolatorii* A in inferno in pœnam æternam. Et iſta erit ultio omnium malignorum, qui conati ſunt impedire Fideles, ne aſcenderent in cœlum.

d.6. c.1.

5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.*

Et 32. q. 5. Si Paulus. Extra de Conſti. cap. Nam concupiſcentiam.

6. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.*

ISTE homo non ſolùm deteſtatur blaſ- B phemias Infidelium, & peccata, ſed dolet ex abſentia beatitudinis futuræ, ad quam cupit aſcendere; & tædet eum propter longam peregrinationem: & quia per magna tempora detinetur inter omnes Infideles, ſuſtinet opprobria contra Legem Chriſti inter eos.

Unde eſt advertendum: quòd inter omnes Hæreſes & Sectas plus duravit & perſeveravit ſecta *Mahometi*, quæ jam durat ultra octingentos annos, & occupavit totam *Arabiam*, *Africam*, *Syriam*, *Aſſyriam*, *Perſiam*, *Armenias*, *Aſiam minorem*, & *Græciam* noſtris temporibus, & majorem partem Mundi. Quæquidem ſecta incœpit à *Mahometo*, de genere *Cedar* filii *Iſmaelis*. Ideo *Saraceni* dicuntur populus *Cedar*, quod interpretatur *umbra*. Et ideo quia David prævidit populum Dei C multipliciter, & per longa tempora affligendum à ſecta *Saracenorum* quaſi uſque ad prope tempora Antichriſti; vel etiam à qua *Antichriſtus* forſan eſt egreſſurus: ideo ait, *Heu mihi*, *quia incolatus meus* & peregrinatio mea inter Infideles *prolongata eſt*: Nam diu *habitavi cum habitantibus Cedar*, id eſt, inter Saracenos filios *Cedar*: & cum eis *multum incola* & peregrina & cohabitans *fuit anima mea*, id eſt, duxi vitam meam in captivitate. Hoc dicit, quia multi Chriſtiani manent inter eos captivi: & quia licèt velimus quandoque pacem cum eis, tamen ſemper nos affligunt, terras noſtras occupando. D

Nota de Secta Mahometi.

Ideo ſubdit: *Cum his*, ſcilicet Saracenis, & Infidelibus, & tenebroſis peccatoribus, *qui* ſemper *oderunt pacem*, ego *eram pacificus*, non malum eis inferendo: tamen *cùm loquebar eis* pacificè ipſi *impugnabant*, & affligebant *me gratis*. Et forſan David memorat hîc fugam ſuam, quando fugit à facie *Saul* ad terram *Idumeæ*: quæ eſt *Cedar* trans Jordanem, ubi congregati ſunt populus ejus, & fratres, & alii quadringenti de ſtirpe ſua ad ſpeluncam *Odolam*, & habitarunt per aliqua tem- E pora in *Maſpha*: ubi vidit in ſpiritu qualiter Eccleſia debebat diu peregrinari, & habitare, & affligi inter Saracenos filios *Cedar*. Ideo dicit: *Heu mihi*, *quia incolatus meus prolongatus eſt*, *& habitavi cum habitantibus Cedar &c.* Item, *Cedar* interpretatur *tenebra*, vel *mœror*: Et tunc exponitur moraliter. Unde peccator veniens per pœnitentiam in gratiam, dolet tandiu habitaſſe in mœrore & tenebris peccati. Et contemplativi & ſancti dolent, ſe tandiu fuiſſe involutos in curis mundi, & mœrore. Et ſic aſcendunt primum gradum, dicendo iſtum primum Pſalmum, ſcilicet contemplativus, & pœnitens, & fidelis.

Ex quo patet, quòd primus gradus F aſcendentis in Templum ſpirituale, eſt deteſtatio peccati, & vitæ veteris, & dolor detentionis in hac vita; eò quòd diabolus & Infideles impediunt nos, ne aſcendamus iſtum primum gradum.

PSALMUS CXX.

1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* 95. d.c. Ecce.

2. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.*

SECUNDUS gradus hujus aſcenſus eſt ſublevatio à curis terrenis, & elevatio mentis in Deum. Nam quando quis G aſcendit ex infima & horribili valle, illico obliviſcitur infimum, & cum ſpe & gaudio ſuſpicit in altum, & deſiderat pervenire ad finem. Et ideo David fecit hunc Pſalmum pro ſecundo gradu: in quo docet aſcendentes, & inſtruit levare oculos ad Deum in aſcenſu ſecundi gradus, & ponere totaliter ſpem ad ſuperiora, & petere auxilium à Deo per cuſtodiam Angelorum.

Ad cujus intellectum eſt notandum, ſicut dictum eſt *Pſalmo* 64. & 67. quod tota illa terra promiſſionis, & etiam ipſa civitas *Hieruſalem* erat circumdata & munita montibus circumquaque: qui quidem H montes communiter ſunt utiles ad tria. Primò, ad tutelam & fortitudinem terræ: quia prohibent acceſſum inimicis. Secundò, ſunt utiles ad paſcua pro animalibus & pecoribus. Tertiò, ſunt utiles propter aquas quæ ex eis fluunt, & deſcendunt ad irrigandos campos: propter quam diſpoſitionem terræ, & propter quas tres proprietates & utilitates illa terra promiſſionis cum illis montibus ſic circumdata, figurabat Eccleſiam Chriſti, tàm *Militantem* quàm *Triumphantem*. Et illi montes,

tàm,

tàm circumdantes terram promissionis, quàm civitatem *Hierusalem*, figurabant montes spirituales Ecclesiæ Christi. Et A ideo in Sacra Scriptura semper per illos montes materiales intelliguntur montes Ecclesiæ Christi. Unde in quantum illi montes erant ad tutelam & defensionem patriæ & civitatis, prohibentes accessum inimicis, figurabant custodiam Angelorum qui custodiunt Ecclesiam, & omnes Fideles: sed in quantum erant berbosi, & fructuosi ad pascua pecorum, figurabant septem Ecclesiastica Sacramenta, quibus pascuntur Fideles. In quantum verò à montibus descendunt atque ad irrigandos campos, figurabant Apostolos & Doctores, à quibus derivata est Euangelica doctrina, & dona gratiarum in Ecclesia Christi. Et ideo in Sacra Scriptura per *montes*, aut intelliguntur *Angeli custodes*, aut *Ecclesiastica Sacramenta*, aut *Apostoli* & *Doctores* Ecclesiæ B Christi. Licèt ergo in hoc Psalmo per *montes* possint intelligi, tàm Angeli, quàm Ecclesiastica Sacramenta, & Apostoli: tamen ad litteram principaliter intelliguntur Angeli custodes.

David ergo hoc prævidens in spiritu, contemplando Ecclesiam Christi, ad quam tota lex ascendebat, & tendebat tamquam in finem, fecit hunc Psalmum: in quo commendat Ecclesiam Christi de securitate propter custodiam Angelorum à Christo ipsi datam. Nam sicut illa *Hierusalem materialis* erat circumdata montibus prohibentibus accessum inimicis; ita perampliùs & perfectius Ecclesia Christi est munita millibus Angelorum, qui die C ac nocte defendunt ipsam muro in expugnabili. Duo ergo facit. Nam primò ipse in persona sua, & etiam in persona corporis mystici, dicit se committere Angelorum custodiæ. Secundò, admonet omnes Fideles, ut ascendant ad hanc Ecclesiam Christi, promittens eis securitatem & tutelam propter custodiam Angelorum. Ibi: *Non det in commotionem.*

Quantum ad primum dicit: Ego ascendendo ad Templum & Ecclesiam Christi, *Levavi oculos meos in montes* circumdantes istam civitatem Ecclesiæ, qui quidem montes sunt Angeli dati ad custodiam hujus civitatis Dei: *unde*, id est, à quibus D montibus & Angelis *veniet auxilium mihi* contra inimicos visibiles, & invisibiles; à quibus Angelis spero tutari, & defendi, & protegi. *Veniet*, inquam, *auxilium mihi*: quam quidem potestatem & virtutem Angeli non habent à seipsis: sed à solo Deo, & Domino nostro Jesu-Christo, qui eos posuit custodes hujus civitatis. Item, totum *auxilium meum* est principaliter *à Domino, qui fecit cœlum & terram*, & non à diis Gentium, qui sunt dœmonia. Deinde cùm dicit:

E 3. *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.* 24. q. 1. c. Alienus.

4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Isai. 5. 2.

5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.* 11. q. 3. c. Ad mensam.

ADMONET omnes Fideles ut ascendant ad hanc civitatem, & hoc fortalitium Ecclesiæ, ut salventur in ea: eò quòd est munita & septa multorum Angelorum F custodiâ & tutelâ. Unde dicit: O Fidelis, ascende ad hoc fortalitium, & præsidium Ecclesiæ, ut diabolus, supple, *non det pedem tuum in commotionem*, id est, ut non faciat te à via rectitudinis & veritatis deviare. Quasi dicat: si tu fueris munitus in hoc præsidio, numquam diabolus movebit *pedem tuum*, nec operationes tuas, à semitis mandatorum Dei, nec nocebit tibi in corde, nec in anima. Et ratio est: nam Angelus custos & vigil, *qui custodit te* in hac civitate & præsidio, *numquam dormit*: quia *ecce*, id est, certè, manifestum est, quòd Deus, & exercitus Angelorum *qui custodit Israel*, *non dormitabit, neque dormiet* unquam. Et ratio est: nam *Dominus* noster Jesus-Christus est ille qui G *custodit te* per custodiam Angelorum, & Ecclesiastica Sacramenta, & per Sanctorum orationes: & ipse *Dominus* Jesus-Christus sicut est salus tua, ita est *protectio tua*: nam ejusdem est salvare & custodire. Ideo ipse est *protectio tua super manum dexteram tuam*, id est, magis, & per ampliùs custodiet te Dominus Jesus-Christus, quàm *dextera manus tua.*

Nota: quòd *dormitare* est à *dormio*. Hæc est differentia inter *dormitare* & *dormire*: Nam *dormire* dicit dormitionem successivam sine intervallo: sed *dormitare* dicit dormitionem cum multis intervallis: & sic vigiles oppidorum & exercitus dicuntur H quandoque dormitare: eò quòd vigilant, ne inimici intrent oppidum: sed quandoque opprimuntur somno; sed illico excitantur propter solicitudinem & metum: & iterum dormiunt, & iterum exercitantur &c. Et sic dicuntur dormitare, & excitari. Sed non facit sic Dominus qui est custos Israel, nec Angeli ejus, quia continuè vigilant super civitatem Dei. Ideo dicitur *Isai.* 62. *Super muros tuos Hierusalem posui custodes qui die ac nocte non cessabunt laudare nomen Domini &c.* Ideo subdit David: Nota.

6. Per

24. q. 1. c. Loqui. in fin. & c. Omnib.

6. *Per diem Sol non uret te, neque* A *Luna per noctem.*

7. *Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.*

8. *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum; ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.*

QUIA Dominus cuſtodit te, & Dominus eſt protectio tua; ideo *Sol non uret te per diem.* Littera *Hieron.* habet: *Per diem Sol non percutiet te, neque Luna per noctem.* B

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd ſicut æſtus Solis, nec frigiditas Lunæ poteſt nocere illis qui habitant in domibus bene muratis & tectis: ita diabolus nec æſtus tentationum, nec defectus alicujus rei, poteſt nocere juſtis & fidelibus habitantibus in hac Eccleſia & præſidio civitatis Dei per gratiam: eò quòd Eccleſia eſt ſepta muro fidei, & ſpei, & charitatis, & circumdata *montibus* Angelorum, & cooperta tecto Articulorum Fidei, & Donis Spiritus ſancti.

Diabolus non nocet in Eccleſia exiſtentibus.

Iterum eſt advertendum, quòd quædam ſunt peccata tentationis, quæ dicuntur fieri *in die*, id eſt, in manifeſto: ſicut eſt ſuperbia, & avaritia, & etiam luxuria: & quædam dicuntur fieri *in nocte* ad Lunam, id eſt, in abſcondito & occulto; ſicut peccatum invidiæ & odii inveterati, & omnia peccata quæ manent in ſolo propoſito, & nondum venerunt in actum. Sed nullum iſtorum poteſt nocere juſtis habitantibus in hac Eccleſia per gratiam, nec in ſuperiori per gloriam. C

Et hoc intendit dicere David, cùm ait: *Per diem Sol non uret te.* Quaſi dicat: O Fidelis, ſi tu aſcenderis in hanc civitatem & fortalitium Eccleſiæ, & fueris munitus ejus montibus, & Angelorum cuſtodia, & tectus virtute Eccleſiaſticorum Sacramentorum, & Donis Spiritus ſancti; ego dico tibi, quòd *Sol*, id eſt, æſtus peccatorum, & manifeſtarum tentationum ſuperbiæ, & avaritiæ &c. *non uret te per diem*, id eſt, in manifeſto, *neque Luna*, id eſt, peccatum odii, & invidiæ, *non percutiet te in nocte*, id eſt, in occulto. Quaſi dicat: quòd nec peccata manifeſta, nec occulta nocebunt tibi munito & protecto in hoc præſidio. Et ratio eſt: nam *Dominus* noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt ædificator & cuſtos hujus civitatis, *cuſtodit te ab omni malo* corporali: & *Dominus cuſtodiat animam tuam*: & *Dominus cuſtodiat introitum tuum*, id eſt, cuſtodiet te per Sacramentum Baptiſmi, quando ingreſſus fueris in hanc civitatem; & cuſtodiet *exitum tuum* per Sacramentum Extremæ Unctionis. Nam per Baptiſmum intrant Fideles in hanc civitatem, & per Extremam Unctionem exeunt: & per Confirmationem armantur, & roborantur; & per Euchariſtiam reficiuntur: & per Pœnitentiam reſurgunt, & vivificantur: & per Matrimonium legitimè procreantur: & per Sacramentum Ordinis reguntur, & diriguntur in hac civitate & Eccleſia Chriſti *ex hoc* tempore *uſque in ſæculum* gloriæ, id eſt, dum iſta Eccleſia durabit, hîc per gratiam uſquequò perveniant *in ſæculum* gloriæ. Ex quibus patet, quòd Dominus Jeſus Chriſtus eſt principalis Dominus & cuſtos hujus civitatis & præſidii: ſed cuſtodit eam per Angelos, tamquam per vigiles & miniſtros, & per Eccleſiaſtica Sacramenta, & per doctrinam, & orationes ſanctorum virorum. Nam tàm Angeli, quàm Eccleſiaſtica Sacramenta, quàm dona Spiritus ſancti, quàm ſancti viri, ſunt montes munientes iſtam civitatem & præſidium. Et ideo David nos admonet, ut levemus oculos noſtros, & recurramus, & refugiamus, & aſcendamus ad iſtos *montes*, *unde veniat auxilium nobis.* Ex quibus patet, quòd iſte Pſalmus eſt ſimilis in materia & ſententia *Pſalmo* 90. ſcilicet, *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi &c.* D E F

PSALMUS CXXI.

1. *Lætatus ſum in his quæ dicta* G *ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* 24. q. 1. c. Omnib. Gen. 17.

TItulus: *Canticum graduum.* Tertius gradus aſcendentium in cœlum eſt gaudium de bonis ſpiritualibus promiſſis. Nam primus gradus eſt, relinquere terrena, & deteſtari peccata. Secundus eſt elevatio mentis in Deum, ſcilicet, averſio à bono commutabili, & converſio ad bonum incommutabile. Et ideo ſequitur tertius gradus immediatè, quod quis gaudeat & delectetur in tali bono incommutabili promiſſo. Et ideo David fecit hunc tertium H Pſalmum pro aſcenſu tertii gradus Templi: qui quidem Pſalmus, licèt ſit parvus in verbis, tamen eſt profundus & difficilis, non ſolùm in ſententia, ſed etiam in conſtructione, & ordinatione litteræ.

Pro cujus intelligentia eſt notandum, ſicut pluries dictum eſt, quòd illa Hieruſalem terrena, & illud Templum materiale, quod ædificavit *Salomon* ex præcepto David patris ſui, omninò fuit figura utriuſque Eccleſiæ, ſcilicet, *Militantis*, &

Triumphantis, non solùm ratione interpretationis nominis, quia interpretatur *pacifica*; sed etiam quia tota Ecclesia A Christi ibi sumpsit exordium in Apostolis & Discipulis, & ibidem est ædificata per Christum sub nomine pacis, ut dictum est *Psal.* 47. & 50. & in plerisque aliis locis. Et ideo tota Ecclesia dicitur *Hierusalem*: eò quòd inde fuit derivata, & dilatata, & multiplicata per totum orbem. Et ideo Patriarchæ & Prophetæ multipliciter commendarunt illam civitatem terrenam, non ratione sui, sed quia in ea erant implenda mysteria Christi, & in ea Christus debebat incipere, & ædificare Ecclesiam suam. Quod multipliciter prævidens David in spiritu, fecit istum Psalmum, in quo commendat *Hierusalem* spiritualem sub nomi- B ne *Hierusalem terrenæ:* qui quidem Psalmus licèt videatur applicari illi civitati terrenæ & materiali; tamen in veritate factus est pro *Hierusalem spirituali*, quæ per illam, & Templum ejus fuit figurata.

Per Hierusalem intelligitur paradisus.

Et ideo est iterum notandum, sicut dicit *Rabbi Moyses de Ægypto*, quòd sicut duplex est *Hierusalem*, scilicet terrena, & superna: ita in Sacra Scriptura per *Hierusalem inferiorem intelligunt Prophetæ Hierusalem superiorem.* Unde super illud *Genes.* 28. quando vidit Jacob scalam &c. dicit *Glossa Hebraica in Berenit Raba*, quòd *Moyses antequam moreretur ductus est in cœlum, & vidit ibi Messiam ædificantem Hierusalem in cœlis ex margaritis, & lapidibus pretiosis. Et dixit Messias ipsi Moysi, quòd Jacob pater ejus utramque Hierusalem prævideret ædificandam: & quòd nihil erat illa quæ erat ædificanda in terris, respectu illius quæ erat per Messiam ædificanda in cœlis: quia illa erat temporaliter, & ista in æternum duratura pro filiis Israel. Quod audiens Moyses dixit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi &c.* C

Ex quibus sequitur primò, quòd præter illam Hierusalem temporalem, est dare aliam Hierusalem spiritualem & æternam. Secundò sequitur, quòd Messias debebat esse Deus: quia jam erat in cœlo tempore Moysi. Tertiò sequitur, quòd Messias non D erat ædificaturus Hierusalem terrenam, sed spiritualem & cœlestem; & per consequens non erat daturus suis felicitatem in hoc mundo, sed in cœlo. Quartò sequitur, quòd iste Psalmus non est intelligendus de Hierusalem terrena, sed de spirituali & cœlesti; & de hac David fecit hunc Psalmum.

Duo ergo facit David in hoc Psalmo. Nam primò commendat magnificentiam hujus civitatis. Secundò rogat pro ejus conservatione & perpetuitate. Ibi: *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem.*

Quantum ad primum, Propheta expectans possessionem & statum hujus civitatis, quæ est Ecclesia Militans per gratiam, & Triumphans per gloriam: propter E quatuor ejus magnificentias lætatur jam in spe, & commendat ipsam in quatuor magnificentiis. Primò, quia omnes justi habitant in ea, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Secundò, quia ista civitas Hierusalem Militans hîc per gratiam est imago superioris Triumphantis per gloriam. Tertiò, quia qui ascendunt in istam Ecclesiam ad laudandum Deum per gratiam, laudabunt ipsum in superiori per gloriam. Quartò, quia in hac Ecclesia lucrantur præmium omnes justi pro illa gloria. Pro his ergo quatuor lætatur Propheta expectando Ecclesiam Christi, in qua expectabat adipisci omnia quatuor supra F dicta. Et ideo iste Psalmus simul oportet quod exponatur *propheticè*, & *mysticè* de ista Ecclesia, & *anagogicè* de superiori: eò quòd nullus potest venire ad illam, nisi transeat per istam. Dicit ergo David: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.*

Ad cujus intelligentiam est advertendum, quòd multipliciter fuit revelata ipsi David prosperitas utriusque Ecclesiæ, & multipliciter prævidit eam in spiritu. Nam primò prævidit per promissionem factam ipsi *Abrahæ*, *Genes.* 15. Cui Dominus dixit: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Ubi prævidit, quòd semen suum secundùm promissionem G erat collocandum in cœlo, in æterna beatitudine.

Item, hoc potuit David prævidere per lapidem quem *Jacob erexit in titulum*, *Genes.* 28. prævidit enim novam Hierusalem, scilicet Ecclesiam ædificandam in Christo: & per *scalam*, *& Angelos ascendentes & descendentes* prævidit, qualiter veri filii Israel per fidem debebant ascendere usque ad Christum, & Ecclesiam suam, & exinde per gradus virtutum erant ascensuri in cœlum.

Item, per promissionem factam de ædificatione Templi & Civitatis, 2. *Reg.* 7. prævidit in spiritu, qualiter Christus erat nobis ædificaturus Hierusalem novam, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. H Propter ergo istas promissiones & revelationes ipsi factas de ista Hierusalem spirituali dicit David: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, scilicet, per Patriarchas & Prophetas, & revelationes mihi factas, quia omnes Fideles *ibimus in domum Domini*, id est, in Ecclesiam Christi. Et etiam *Lætatus sum in his*, non solùm per *Nathan* Prophetam de terreno Templo construendo, & perpetuitate regni, & de sede judiciali & regali, & æternitate domus David; sed etiam sum magis lætatus de revelatione mihi factâ à Spiritu sancto de supradictis mysteriis, & promissionibus: quia prævidi in spiritu, qualiter nos omnes filii promissionis *ibimus in domum Domini*,

quæ

quæ eſt Eccleſia. Nam in iſtam Eccleſiam aſcendimus per gratiam, & in ſuperiorem per gloriam. Et tunc Propheta converſus ad Hieruſalem dicit: A

De Conſe. d. 5. Non mediocriter.

2. *Stantes erant pedes noſtri, in atriis tuis Hieruſalem.*

3. *Hieruſalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum.*

O *Hieruſalem, pedes noſtri erant ſtantes in atriis tuis*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Vel poteſt dici, quòd hoc tempus refertur ad prophetiam; quaſi dicat: *O Hieruſalem, lætatus ſum* B *in his quæ dicta ſunt mihi* per revelationem: nam ego prævidi in ſpiritu, qualiter *pedes noſtri erant ſtantes in atriis tuis*, id eſt, qualiter omnes juſti & fideles debemus habitare in te, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Et hoc probat per hoc quod ſequitur: nam ne quis putaret, quòd hic lætatur de Hieruſalem terrena, hoc removet, dicens: *Hieruſalem quæ ædificatur ut civitas.* Ad cujus intelligentiam eſt notandum, ſicut pluries dictum eſt, &

Quid ſit civitas.

notat *Auguſtinus* 2. *de Civitate Dei*, quòd ſecundùm *Ciceronem*, *in tertio de Republica*, *Civitas*, *ſive populus*, *eſt concors* C *hominum multitudo juris conſenſu*, *& utilitatis communione ſociata*, *antiquis moribus conſiſtens.*

Ex qua diffinitione manifeſtè patet, quòd quatuor ſunt de ratione civitatis. Primò, concordia quoad pacem & bonum commune. Secundò, conſenſus legis & juris. Tertiò, communitas utilitatis ratione boni communis. Quartò, honeſtas morum & virtutum. Ex his quatuor arguit *Auguſtinus*, quòd *Roma numquam fuit vera civitas*, quia numquam fuit in ea vera pax, nec concordia, nec juris conſenſus &c. Ergo ex his poſſumus arguere, quòd *Hieruſalem* terrena numquam fuit vera civitas, maximè quando venit Chriſtus: quia in ea numquam fuit concordia, D ſed diſcordia · nec fuit in ea conſenſus legis, immò diſſenſio & ſchiſma: quia debuerunt recipere Chriſtum ſecundùm legem, & non receperunt. Et fuit diſcordia etiam in rebus civilibus: nam à paſſione Chriſti uſque ad deſtructionem factam per *Titum*, ſemper fuit continua ſeditio inter cives, & continuæ cædes, ut ait *Joſephus in libro de Bello Judaico.* Ex quo patet, quòd numquam fuit verè civitas, nec rectè fuit vocata *Hieruſalem*, id eſt, pacifica: cùm in ea ſemper fuerint continuæ diſcordiæ.

Ex quo patet, quòd non dicta fuit *Hieruſalem*, id eſt pacifica, ratione ſui, E ſed in quantum debebat in ea fieri pax inter Deum & homines per mortem & paſſionem Chriſti mediatoris, & in quantum in ea debebat Chriſtus ædificare *veram Hieruſalem*, ſcilicet, Eccleſiam ex congregatione illorum paucorum Apoſtolorum & Diſcipulorum; quam Eccleſiam in pace fundavit. Nam quotieſcumque Chriſtus veniebat ad Diſcipulos, ſemper dixit eis: *Pax vobis.* Et hanc pacem reliquit eis in Teſtamentum æternum. Et ideo Eccleſia Chriſti verè dicitur *Civitas*, & ædificata ut vera civitas per Chriſtum: quia in pace & concordia, & juris conſenſu, & utilitatis communione ſociata: quia *erat eis anima una*, *& cor unum in Deo*, ut patet *Act.* 3. Et ſic illa Hieruſalem ex parva, dilatata eſt per totum orbem, & multiplica- F ta.

Et de hac Hieruſalem dicit Propheta: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi &c. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem.* Quaſi dicat: Ego non lætor, quia habeo manſionem in Hieruſalem terrena; ſed *lætatus ſum*, quia *pedes noſtri* erunt *in atriis tuis*, ò Hieruſalem, non terrena, ſed *Hieruſalem quæ ædificatur ut* vera *civitas* per Chriſtum: in qua eſt ſumma pax & concordia, *cujus participatio ejus in idipſum.* Littera *Hieronymi* habet, *ſimul*, vel *pariter.* Unde ubi nos habemus in *Pſal.* 4. *In pace in idipſum dor-* G *miam & requieſcam*, littera *Hieronymi* habet: *In pace ſimul dormiam & requieſcam.* Et ideo ly *in idipſum*, ponitur pro *ſimul*, vel *pariter*, & ſic ponitur in hoc loco: *cujus participatio ejus ſimul*; quaſi dicat: quòd *participatio*, & converſatio civium illius ſupernæ civitatis eſt *ſimul*, id eſt, concors, unita, & non diviſa; ſed in ſumma pace & charitate conveniens. Ex quo patet, quòd hoc non poteſt intelligi de *Hieruſalem terrena*: quia numquam participatio illorum civium fuit *in idipſum*, nec *ſimul*, nec concors in charitate: quia hoc ſolùm convenit Eccleſiæ Militanti, & Triumphanti. Quia licèt quandoque ſit diſ- H cordia inter malos in Eccleſia; tamen inter juſtos ſemper eſt *participatio ſimul* & concordia in una fide.

Dicit ergo Propheta: *Hieruſalem quæ ædificatur ut* vera *civitas*, *cujus participatio* eſt tota *ſimul* & concors: quia omnes cives hujus civitatis ſunt unanimes, & unius moris habitantes in domo: quia una eſt fides omnium, & unum baptiſma. Poteſt etiam per ly *Hieruſalem* intelligi iſta Eccleſia Militans, in qua nunc habitamus per fidem, *quæ ædificata* eſt à Chriſto *ut civitas*, id eſt, ad modum & ſimilitudinem civitatis ſupernæ, quia imago ejus: quia cives ejus jam *ſunt cives Sanctorum*, *& domeſtici Dei*, *cujus participatio* eſt *ſimul* per fidem & charitatem. Vel per iſtam *Hie-*

ruſalem poteſt intelligi ſola *Hieruſalem ſuperna*, *cujus participatio* eſt in *idipſum*, id A eſt, tota ſimul & æterna.

Æternitas quid ſit?

Nam ſecundùm *Boetium* 3. *de Conſolatione. Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſsio*: & talis eſt duratio illius æternæ civitatis, quia non eſt ſucceſſiva, nec terminabilis, maximè à *parte poſt*, ſed tota ſimul & perfecta. Quaſi dicat Propheta: O Hieruſalem cœleſtis, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*: quia *pedes noſtri* erunt *ſtantes in atriis tuis. Stantes*, dico, non mobiles, ſed quieti in tua viſione; non negotiantes in mundana ſolicitudine, ſed quieti in contemplatione. *Hieruſalem*, dico, non iſta terrena, ſed ſuperna *quæ ædificatur ut* vera *civitas* & pacifica, in- B corruptibilis & perpetua. Probatur: quia *participatio*, & habitatio, & converſatio *ejus* eſt *in idipſum*, & tota ſimul, & æterna. Et notanter dicitur *participatio*: Nam Deus eſt ſua felicitas per eſſentiam: & ideo non dicitur *participatio* reſpectu ejus, ſed reſpectu noſtri, qui ipſam participamus. Ex quibus patet, quod iſti tres verſus prædicti non poſſunt intelligi de *Hieruſalem* terrena, nec de illa verificari: quia ejus participatio, nec eſt æterna, nec concors, nec tota ſimul: ſed intelliguntur de *Hieruſalem Militanti* per unam fidem & charitatem, & de Triumphanti, per gloriam. Item, iſta Eccleſia militans ædificata eſt à Chriſto *ut*, id eſt, tamquam *civitas* triumphans: id eſt, ad ſimilitudinem & imaginem illius: *ad Galathas* 4.

C

4. *Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.*

24. q. 1. Ubi. Exod. 24. 28. q. 1. Omnes

AD cujus intelligentiam eſt notandum, ut legitur *Exod.* 24. quòd Deus præcepit ipſi Moyſi, & toti Iſrael, *ut* aſcenderent omnes ter in anno ad adorandum Dominum in Tabernaculo, & ſacrificarent &c. Et hoc fiebat in *teſtimonium Iſrael*, id eſt, ut eſſet eis teſtimonium veræ Fidei, & Latriæ, & profiterentur ſe eſſe veros cultores veri Dei, & ut per hoc diſtinguerentur à cæteris D nationibus. Et ideo dum datum fuit exemplar & deſcriptio Templi ipſi David, pariter fuit ipſi præceptum à Spiritu ſancto, ut omnes Iſraelitæ ter in anno ex omnibus partibus mundi aſcenderent in *Hieruſalem ad confitendum*, & teſtificandum *nomen Domini*, in teſtimonium veri cultus. Patet hoc etiam per viſionem ſcalæ Jacob, per quam fuit revelatum ipſi David, qualiter Deus erat adorandus in Trinitate perfecta in Eccleſia Militante, & eodem modo erat videndus à nobis in cœlo per gloriam; & quomodo eramus aſcenſuri in Templum ſpirituale, hîc per Fi- E dem, Spem, & Charitatem, & ad *Hieruſalem* ſuperiorem per viſionem, & poſſeſſionem, & ſecuritatem: & quomodo ibi debebamus ſedere in æternum &c.

Hoc ergo prævidens David, fecit, & præcepit fieri quindecim gradus in Templo, & fecit hunc Pſalmum in tertio gradu, figurando Trinitatem Perſonarum in Divinis: & tres res in Chriſto, ſcilicet carnem, & animam, & divinitatem: quia *ſicut caro & anima unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Et ideo ait Propheta David: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi* in ſpiritu, ſupple, quomodo *in domum Domini ibimus &c.* F Hîc ergo demonſtrat, & probat, quòd illa ſuperna civitas Hieruſalem eſt nobis promiſſa in æternam manſionem, *quæ ædificatur ut* vera *civitas*, *cujus participatio* eſt tota ſimul, & æterna. Et ſimiliter iſta Hieruſalem militans eſt nobis promiſſa ad habitandum per gratiam: Nam ſicut ad illam terrenam *Hieruſalem Tribus Iſrael* carnales aſcendebant ter in anno *ad confitendum nomini Domini*, & ad offerendum ſacrificia: ita Tribus Domini ſpirituales, & filii Iſrael ſecundùm promiſſionem aſcendunt continuè ad iſtam *Hieruſalem Militantem ad confitendum nomini Domini* per Fidem & gratiam, & ad illam Hieruſalem ſupernam per viſionem & gloriam.

Fideles dicuntur Domini Tribus & aſcendunt Hieruſalē

Unde notanter dicitur, *Tribus Domini*: quia non omnes Tribus & genera- G tiones aſcendunt in Hieruſalem, ſed ſolùm *Tribus Domini.* Unde *Tribus Domini* dicuntur veri filii Iſrael, qui receperunt Meſſiam: quia ſoli illi vident Deum, & *confitentur nomini ejus*, *in teſtimonium* quod ſunt verii filii Iſrael, cui facta eſt promiſſio. Qui ergo non receperunt Chriſtum, non ſunt veri filii Iſrael, quia non receperunt teſtimonium ejus, nec prophetiam verificant, immò pervertunt ad terrena. Nam illa ſcala, quam vidit Jacob in ſomnis, ſignificat Chriſtum, & Eccleſiam: & Angeli aſcendentes &c. ſignificabant veros filios Iſrael, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum, qui per Chriſtum erant in cœlum aſcenſuri. Ideo Fideles qui H Chriſtum recipiunt, recipiunt verum *teſtimonium Iſrael*, & faciunt *teſtimonium* ipſi Iſrael de veritate: qui autem negant Chriſtum, negant *teſtimonium* & prophetiam Iſrael; & ipſum teſtantur eſſe mendacem. Ergo ſoli Fideles *aſcenderunt illuc in Hieruſalem* cœleſtem *ad confitendum nomini Domini*; in *teſtimonium Iſrael*, & ſecundum quod Iſrael vidit in illa viſione. Et ſoli iſti ſunt *Tribus Domini*: Nam ſicut in hac Eccleſia confitentur Chriſtum; ita in illa ſuperna felicitate *confitebuntur nomini Domini* confeſſione laudis; quia *beati*,

ti, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te &c. Quasi dicat Propheta : quòd sicut filii Israel secundùm carnem ascendebant in festivitatibus in Templum Salomonis ad confitendum nomini Domini ; ita soli veri filii Israel secundùm spiritum erunt ascensuri in cœlum &c.

2. Reg. 6. & Michææ 4.

5. *Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.*

NAM ibi erant *sedes* regales ad judicandum temporalia, & sæcularia, & erant *sedes* sacerdotales ad judicandum ea, quæ pertinebant ad cultum divinum: & istæ *sedes* erant *super domum David*, id est, promissæ ipsi David, & posteritati ejus in æternum, ut patet 2. *Reg.* 7. ubi dicitur. *Stabiliam solium ejus in æternum* : quod in solo Christo impletum est, ut patet *Luc.* 1. *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Intendit ergo David dicere, quod sicut in Templo Salomonis sederunt reges super domum David : ita *illic* in Hierusalem superiori sedebit Christus filius David, & *super domum David* in æternum ; & sedebunt Apostoli *super sedes duodecim judicantes duodecim Tribus Israel &c.* Et non solùm Apostoli, sed etiam omnes Beati : quia omnes regnant ibi, & sedent super sedes beatas, & semper ibi judicant Angelos malos, qui ceciderunt ex illis sedibus, & judicant filios Israel secundùm carnem obstinatos, & cæteros Infideles, qui ad illas sedes noluerunt pervenire propter duritiam & malitiam & scelera sua.

Ex quo patet, quòd in *Hierusalem supernam* non ascendent tribus carnales, sed tribus promissionis, & spirituales, in Christo ex Gentibus & Judæis regeneratæ. Unde *Isai.* 44. *Ab oriente adducam semen tuum : & ab occidente congregabo te &c. Omnem qui invocat nomen meum in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum : Educ foras populum tecum &c. Omnes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus &c.* Hoc totum etiam potest intelligi de Ecclesia Militanti, quæ dicitur *Hierusalem*, & *domus David* per promissionem, ad quam Hierusalem *ascenderunt Tribus Domini* per Fidem & regenerationem baptismalem, in qua laudant, & *confitentur nomini Domini*, & prædicant Legem Euangelicam: in qua domo David sedent Prælati Ecclesiæ, & habent sedes, scilicet *Summus Pontifex*, *Patriarchæ*, *Archiepiscopi*, & *Episcopi*, & judicant de rebus spiritualibus secundùm Ecclesiasticam potestatem. Nam sicut illa dicitur *Hierusalem*, & *domus David* per gloriam ; ita ista dicitur *Hierusalem* per Fidem & gratiam. Et ideo iste Psalmus primò glossandus est de ista Ecclesia allegoricè & mysticè : finaliter, & consequenter, & principaliter de *Hierusalem superna*, in qua consistit ultimum & perfectum gaudium & felicitas nostra.

Et nota : quod sicut illæ tribus carnales ascendebant in Hierusalem *ad confitendum nomini Domini*, in *testimonium Israel* & in signum observantiæ Legis : ita nos Christiani, qui sumus *tribus Domini* spirituales regenerati per Apostolos, continuè ascendimus in *Hierusalem Militantem ad confitendum*, & præbendum *testimonium*, id est, Fidem *in Hierusalem*, *nomini Domini*, qui est Jesus-Christus. Nam credendo in Christum, & exhibendo ipsi Latriam, *confitemur testimonium Israel*, id est, sequimur Fidem & testimonium, quod *Israel* præbuit, & prædixit, & prævidit de Christo, quando vidit scalam, *Genes.* 28. & quando luctatus est cum Angelo, *Genes.* 32. & maximè quando dixit: *Juda te laudabunt fratres tui &c. Gen.* 49. Ubi prædixit passionem, & resurrectionem, & regnum Christi. Et sic patet, quòd nos verè confitemur, & testificamur fidem *Israel*, profitendo Legem Euangelicam in hac Hierusalem per Fidem, & supernâ per gloriam.

6. *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem : & abundantia diligentibus te.*

11. d. 62 Ecclesiasticarum. & 38. d. Sedulo.

IN hac secunda parte orat pro conservatione & prosperitate hujus *Hierusalem.*

Civitati properitas consistit in duobus.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd in duobus consistit prosperitas & securitas cujuscumque civitatis terrenæ. Primò, in fortitudine murorum & turrium. Secundò in abundantia civium, & victualium : nam ut sic numquam expugnabitur ab inimicis, sed semper erit in pace & securitate : quia civitas non capitur ab inimicis, nisi propter defectum alicujus istorum duorum. Ita pariter duo sunt quæ prosperant civitatem Dei, & conservant in ea pacem & securitatem. Nam muri Ecclesiæ Christi quibus redditur inexpugnabilis & secura, sunt Fides, Spes, & Charitas, & Doctores, & Martyres militantes pro ea : victualia autem sunt copia Sacramentorum Ecclesiasticorum : quibus pascuntur, & aluntur Fideles, sive cives hujus civitatis. Et ideo dum perseverabunt hujusmodi turres, & copia & abundantia victualium supradictorum, numquam expugnabitur hæc civitas quæ peregrinatur in hoc mundo, & militat contra Infideles; & sic semper erit in pace & abundantia; & de tali pace & abundantia dicit Propheta ad om-

omnes Fideles : O *Hierusalem*, id est, congregatio Fidelium Ecclesiæ Militantis, *Rogate quæ ad pacem sunt*, id est, orate ut A Deus conservet in vobis Fidem, Spem, & Charitatem, & det vobis dona Spiritus sancti. Nam isti sunt muri vestri, & ista sunt ad pacem & securitatem vestram. Et similiter tu *Hierusalem* ora, & *roga*, ut sit *abundantia* & copia Sacramentorum civibus & Fidelibus *diligentibus te :* quia dum talis abundantia erit, numquam peribit civitas. Et ad majorem expressionem subdit, & declarat intentum suum, subdens:

13. d. c. *Legimus.*

7. *Fiat pax in virtute tua : & abundantia in turribus tuis.*

O Hierusalem *fiat pax* & securitas *in* B *virtute* & fortitudine *tua* : quæ fortitudo est Fides, Spes, & Charitas, & dona Spiritus sancti : Nam in istis consistit tota virtus & fortitudo hujus civitatis, quibus redditur inexpugnabilis. *Et fiat* etiam *abundantia in turribus tuis*, scilicet copia ciborum & victualium spiritualium : scilicet, Ecclesiasticorum Sacramentorum, & doctrinæ Euangelicæ. Nam sicut illa civitas dicitur esse bene munita, quæ habet turres bene munitas armis & victualibus : ita Ecclesia dicitur bene munita, quando ejus turres, scilicet Doctores, & Martyres fuerunt muniti armis doctrinæ Euangelicæ, & fuerunt muniti virtutibus, & sanctitate vitæ : & sic non solùm defen- C derunt Ecclesiam, sed etiam subjecerunt Infideles jugo Christi : & tunc fuit pax in Ecclesia, *& abundantia in turribus* suis: quod fuit impletum in conversione *Magni Constantini*, quia tunc fuit copia Doctorum in Ecclesia, & tota Gentilitas conversa est ad Fidem. Potest hoc etiam referri ad Christum mediatorem. Quasi dicat Propheta: O Christe mediator, *fiat pax* hujus Hierusalem *in virtute tua* & passione, *&* fiat *abundantia* & copia bonorum spiritualium *in turribus* tuæ civitatis Hierusalem Militantis.

11. q. 1. c. *Multæ.*

8. *Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.*

D

Et 24. q. 1. *Loquitur.*

9. *Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.*

HOC loco Propheta explicat, pro qua Hierusalem, & pro quibus civibus petit, & prædicit hanc *abundantiam* & *pacem*: quia non de Hierusalem terrena, nec de civibus ejus ; quia in illa nulla est pax, nec concordia: immò fuit incensa & destructa, & cives ejus fuerunt partim trucidati, & fame consumpti, & partim in dispersionem & captivitatem relegati. Sed loquitur de *Hierusalem spirituali*, quæ est Ecclesia, E tàm Militans, quàm Triumphans. Nam ista est vera *domus David* ipsi promissa, & isti sunt veri cives, & *proximi*, & filii David per repromissionem : quia receperunt Christum Messiam *filium David* ipsi promissum, 2. *Reg.* 7. Et ideo dicit : O Hierusalem, ego *loquebar pacem de te*, id est, prophetizabam & petebam prosperitatem supradictam, non propter Judæos obstinatos & cæcos ; sed *propter* Apostolos, & cæteros *fratres meos* de Judaismo ad Christum conversos, & *propter proximos meos* Gentiles per Baptismum regeneratos. Quasi dicat: pro istis, & de istis ego loquor, & propheizo, & prædico pacem & prosperitatem Ecclesiæ : quia istos prævidi in F spiritu ad istam Hierusalem venturos : & sic *propter domum Domini Dei nostri quæsivi*, & prædixi *tibi* supradicta *bona* spiritualia, & non *bona* temporalia propter mundum. Quasi dicat : quòd omnia ista, quæ ego dixi in isto Psalmo, refero ad Deum, & non ad mundum : quia non loquor de *Hierusalem terrena*, sed de spirituali, quæ hîc vivit per Fidem, & gratiam ; & de superna, quæ in æternum vivit per gloriam. Ex quo patet, quòd tota ista secunda pars est etiam referenda ad *Hierusalem cœlestem*, cujus muri sunt æternitas, securitas, & abundantia bonorum gloriæ : cujus cibi sunt perfecta fruitio, & æterna felicitas.

Ex quibus patet, quòd iste Psalmus G insufficienter glossatur à Judæis, & etiam à quibusdam Catholicis, de Hierusalem terrena, cùm ea quæ dicta sunt in Psalmo nullo pacto ipsi conveniant, immò totum oppositum videtur in ea, ut patet manifestè. Et ideo ratione sui non meretur dici *Hierusalem*, nec *civitas* ; immò *Babylon*, & *confusio*, & *desolatio*. Sed quidquid dixerunt de ea Prophetæ & Patriarchæ, dixerunt in figura ratione *Hierusalem spiritualis*, quæ in ea habuit exordium à Christo, & sic dilatata est per universum Orbem. Et ita pariter ista Hierusalem militans est imago & similitudo superioris : nam sicut ex illa Hierusalem terrena ista spiritualis est dilatata, & multiplicata ; ita ex ista *Hie-* H *rusalem Militanti*, superna est reparata, & restaurata, & multiplicata. Nam cives, qui sunt in hac per gratiam & Fidem, sunt postea in illa cives per visionem & gloriam. Et ideo quia omnia ista supradicta prævidit David in spiritu & revelatione de ista *Hierusalem Militanti* & *Triumphanti*; ideo fecit hunc Psalmum in commendationem hujus civitatis & propter lætitiam rei promissæ dicens: *Lætatus sum in his quæ dicta &c.*

* * * * * * *

PSAL-

Psalmus CXXII.

De Conse. d. 5. Non mediocriter, & 38 d. Sedulò.

1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.*

2. *Ecce sicut oculi servorum, in manibus dominorum suorum.*

3. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Quartus gradus contemplationis & ascensus in cœlum, est elevatio mentis in ipsum: & ideo David fecit hunc Psalmum pro ascensu quarti gradus, in quo postquam in secundo gradu docuit ascensorem levare *oculos in montes*, id est, ad sanctos, ut impetrent sibi gratiam; in hoc docet elevare oculos ad ipsummet Deum, & petit misericordiam ab eo, & liberari à superbis & petulantibus. Dicit ergo in persona totius *hominis mystici*: O Domine, *qui habitas in cœlis* per gloriam, quia ibi te ostendis beatis in gloria tua, jam antè *levavi oculos* ad sanctos, ut orent pro me: nunc autem *levavi oculos* mentales, & etiam corporales ad teipsum. Nam *sicut oculi servorum* sunt *in manibus dominorum suorum*: quia totum bonum, vel malum pendet à Domino; quia in manu Domini est benefacere, vel nocere servo: & *sicut ancillæ* sunt *in manibus dominæ suæ* propter eamdem causam: ita ergo propriè *oculi nostri* sunt elevati *ad Dominum Deum nostrum*, *donec misereatur nostri*: quia ab eo totaliter dependemus quoad corpus & animam. Ideo in manu ejus est misereri, vel flagellare: nam Christus est Dominus noster, & divina Sapientia *domina* nostra, & populus est *servus*, & Ecclesia *ancilla*. Ergo Domine, postquam tu es verè Dominus, oculi nostri sunt elevati ad te, & ab alio non expectant auxilium.

De Pœ. d. 3. Sunt plures. 3. q. 1. ca. Nulli dubium.

4. *Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione:*

5. *Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.*

Miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione & contemptus quantum ad corpus: & *anima nostra multùm est repleta despectione* & opprobrio: sumus enim semper *opprobrium abundantibus* & divitibus; & sumus quædam *despectio* ipsis *superbis*.

Unde nota, quòd homines contemplativi & justi, secundùm Deum viventes, quia contempserunt divitias, ideo sunt communiter pauperes: ideo sunt *opprobrium* & derisio ipsis divitibus, & vituperantur ab eis. Item, sunt etiam humiles & mites, non sequentes dignitates & honores: & sic sunt *despectio superbis*: quia superbus semper despicit & parvipendit humiles & mites; immò judicat eos impotentes & insensibiles; eò quòd nolunt vindicare injurias. Ideo justus iste, & contemplator, petit misericordiam & auxilium, ut possit patienter tolerare *opprobria* divitum, & *despectionem* & parvipensionem superborum. Nota, quòd ly *donec*, non stat terminativè, sed simpliciter & continuativè secundùm *Hieronymum* contra *Helvidium*.

Psalmus CXXIII.

95. d. c. Ecce. Et 13. q. 1. His ita.

1. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis,*

2. *Cum exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos.*

3. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.*

23. q. 4. Qui peccat.

4. *Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

In hoc quinto gradu iste ascensor, & justus, agit Deo gratias; quia eripuit eum à despectione facta in prædicto Psalmo, scilicet, quia est ereptus ex Dei auxilio ab opprobrio & furore superborum. Et potest referri ad omnes tribulationes, à quibus liberatus est populus Dei per ejus auxilium.

Dicit ergo: *Nisi quia Dominus erat in nobis* adjutor, & propitius *in nobis*, *dicat nunc Israel*: *Nisi quia Dominus erat in nobis*. Quasi dicat: totaliter defecissemus & deleti fuissemus, supple. Et declarat: *Cum exurgerent* infideles *homines in nos*, & inimici Ecclesiæ, tàm in Testamento veteri per Ægyptios, & Chaldæos, quàm in novo per Judæos, & Tyrannos, & Hæreticos, *fortè* tunc *deglutissent nos vivos*,

vos, nisi quia Dominus erat in nobis adjutor & protector. Item, *cum furor*, & rabies, & persecutio *eorum*, scilicet, Tyrannorum, Regum, & Principum Gentilium *irasceretur in nos: forsitan aqua*, id est persecutio, *absorbuisset nos*, ut patet tempore *Diocletiani*, & *Maximiani:* quia nisi Deus suscitasset *Constantinum*, Ecclesia defecisset, vel videbatur quasi deficere. Nam tunc, scilicet, à Christo usque ad *Constantinum anima nostra pertransivit torrentem* persecutionum per decem Imperatores, & *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem*, id est, nobis fuisset illa persecutio intolerabilis: quia vires humanæ non sufficiebant talia tormenta perpeti: & ideo jam deficiebat Ecclesia, in tantùm quod *Marcellinus Papa* ex timore adolevit incensum idolis contra conscientiam, & omnes Christiani latebant per montes & speluncas. Ideo agens gratias dicit:

5. q. 5. Si omnis.

5. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*

Per Joan. Andr. Ex. de Ele. c. In plerisque inclement.

6. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

BEnedictus Dominus, *qui non dedit nos dentibus*, & potestati *eorum in captionem*, quia totaliter non devoraverunt nos. Nam *anima* & vita nostra *erepta est de laqueo venantium* Tyrannorum, & Spiculatorum, & etiam Hæreticorum, *sicut passer*, quando eripitur à laqueo. Nam *laqueus* & potestas diaboli *contritus est*, quando *Constantinus* fuit conversus. Nam tunc diabolus perdidit potestatem, cùm *Constantinus* dedit licentiam Christianis publicè prædicandi, & Ecclesias construendi, & ampliavit divinum cultum; unde destructa est idololatria; & sic *nos liberati sumus*. Nam nos, qui eramus de populo Gentili sub jugo & laqueo diaboli, assumpto Baptismo, *contritus est laqueus* diaboli, scilicet, peccatum originale & actuale: & sic *liberati sumus* per Baptismum; & qui eramus servi per peccatum & falsam superstitionem, facti sumus liberi per gratiam.

* ** *
* *

** ** ** ** **
* ** ** ** ** *
** ** ** **
* ** ** *
** **
**

13. q. 1. c. His ita.

7. *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.*

IN omnibus his tribulationibus totum *adjutorium nostrum* fuit *in nomine Domini* veri Dei, *qui fecit cœlum & terram*, scilicet, Jesu-Christi, qui est Verbum Patris, Deus & Homo, qui fecit ex tempore cœlum & terram; & nunc factus homo, nos liberavit per passionem & resurrectionem suam: quia non fuit aliud nomen, sub quo possemus salvi fieri, nisi Jesus. *In nomine* ergo ejus fuit *adjutorium nostrum*. Nam sicut tunc fecit cœlum materiale & terram; ita in adventu suo fecit cœlum spirituale, & terram. *Terra* ejus est Ecclesia; *cœlum* verò, Ecclesiastica sacramenta, quæ influunt virtutem & gratiam in Ecclesiam: Christus verò est movens illud cœlum, & Sol lucens in eo, mittens lumen in Ecclesiam.

Terra Ecclesia & cœlum sacramenta.

Nota, quòd prædictum quinarium Psalmorum dicitur in Ecclesia in primis pro mortuis, qui præcesserunt, eò quòd sunt jam liberati *à laqueo* hujus mundi, sed manent adhuc in Purgatorio, quia nondum ascenderunt in cœlum. Ideo dicitur oratio pro eis, *Absolve &c.* Nam in quolibet Psalmorum præcedentium aguntur gratiæ pro liberatione à terrenis, & etiam petitur divinum auxilium. Ideo bene competit defunctis. Item, totus etiam iste Psalmus potest exponi de liberatione totius generis humani facta per Christum de captivitate peccati.

PSALMUS CXXIV.

De Consec. d. 4. cap. Ecclesia. De Pœn. d. 1. c. Omni.

1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.*

2. *Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.*

Templi situatio.

SExtus gradus ascensus in cœlum, est vera confidentia & securitas. Unde est notandum, quòd illud Templum *Salomonis* taliter erat situm in alto in illo monticulo dicto *Moria*, & ejus gradus erant dispositi taliter, quòd in primo, & secundo, & tertio gradu non poterat quis videre muros civitatis: eò quòd procedebat gradus ab infima valle in altum montem.

Et

Et ideo quantò plus quis ascendebat, tantò plus videbat: ideo quando quis erat in sexto gradu, jam poterat videre muros civitatis circumquaque, & omnes *montes* qui sunt *in circuitu* Hierusalem: & sic poterat videre fortitudinem illius civitatis, quæ magna erat. Nam sicut dictum est, *Judæa* est altior totâ terrâ promissionis, & *Hierusalem* est sita in monte *Sion*, qui est circuitus ab aliis montibus præruptis, & fragosis, & asperis: & sic ascensus in Hierusalem est difficilis inimicis, ut patet in *libro Judith*, & *Machabæorum*. Sic Hierusalem erat fortissima omnium civitatum *Syriæ*: tùm quia sita in præruptis montibus, tùm quia munita muris altissimis & fortibus, & putabant vivere in securitate & confidentia ejus habitatores. Et ideo alienigenæ venientes in Hierusalem, & ascendentes in Templum, cùm erant in sexto gradu, & circunspiciebant montes, & muros civitatis, dicebant, esse impossibile illam civitatem capi ab inimicis: sed in veritate seipsos multotiens fefellerunt; quia multotiens fuit capta, & diruta civitas à diversis propter peccata eorum. Unde ostenditur, non esse confidendum in viribus hominum, nec in fortitudine murorum, & montium hujus mundi, sed in solo Deo, qui solus potest protegere civitates, & homines.

Sed bene fuit illa civitas figura Ecclesiæ, quæ est fundata super montes, & fundamenta Apostolorum & Prophetarum, qui fundantur supra firmam petram, qui est Christus, in circuitu cujus sunt alii montes fortissimi ad custodiam ejus, qui sunt Angeli. Hanc civitatem principaliter custodit Christus, & ex consequenti Angeli: quæ est circumdata triplici muro, scilicet, fide, spe, & charitate &c. quæ quidem *Ecclesia Militans* est postea figura & exemplar civitatis supernæ.

Fecit ergo David hunc Psalmum pro ascensu sexti gradus Templi *Salomonis*, figurando sextum gradum ascendendi in cœlum, & Ecclesiam Triumphantem per confidentiam. Quasi dicat David: quòd illud Templum & Civitas erat ædificata secundùm exemplar sibi traditum à Spiritu sancto, in quantum significabat Ecclesiam *Militantem* per gratiam, & *Triumphantem* per gloriam. Et ideo sicut qui erat in sexto gradu circumspiciens oculis corporis, videbat muros, & montes, & fortitudinem illius civitatis, in qua confidebant habitatores; figurabat, quòd ita elevaret oculos mentis per fidem & contemplationem, & consideraret, & contemplaretur Ecclesiam Christi *Militantem*, in qua cives Dei habitant per fidem & gratiam; & *Triumphantem*, in qua habitant per gloriam, & ponunt ibi suam confidentiam, & spem: quia illa est inexpugnabilis, cùm sit vallata montibus & muris incorporalibus, scilicet, Apostolis, & Prophetis, & Angelis &c. Ergo in illa debemus habitare, & confidere, & cives fieri, & ad illud Templum per gradus virtutum bonorum operum ascendere.

Dicit ergo David: Multi confidunt in viribus hominum, & suis; & confidunt in civitatibus munitissimis & fortissimis: & tamen multotiens falluntur: ideo dico vobis, quòd *qui confidunt in Domino*, & non in idolis, & viribus suis, erunt immobiles, supple, *sicut mons Sion*. Et *qui habitat in* vera *Hierusalem*, scilicet Ecclesia, quæ est visio pacis, ille *numquam commovebitur*: quia licèt aliquando affligatur corporaliter; tamen non in æternum quoad animam: quia illa est fundata supra firmam petram, qui est Christus: & sic erit immobilis, & tutus, & firmus, & inexpugnabilis: quia ista *Hierusalem terrena* multotiens fuit expugnata, & incensa, & eversa: quare non est in ea confidendum, nec est etiam confidendum in diis Gentium; quia fefellerunt cultores suos, & in fine omnia idola sunt deleta & comminuta: ergo in solo Domino nostro Jesu est confidendum, & in sola *Hierusalem spirituali* est habitandum, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam: quia illa est verè fortis, & inexpugnabilis: quod probo. Nam *montes*, scilicet Angeli, sunt *in circuitu ejus* ad custodiam: ergo in ea est habitandum: & Dominus est *in circuitu populi sui ex hoc nunc & usque in sæculum*: quia nobiscum est usque ad consummationem sæculi. Ergo in Domino est confidendum, & non in hominibus, nec idolis Gentium: & sic inexpugnabilis manet hæc civitas. Sed quia diceret aliquis contra, quia multotiens devenit ista Ecclesia in diruptionem, maximè tempore *Diocletiani &c.* respondet hîc Propheta:

3. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* 23. q. 5. Quid ergo Et de Pœ. d. 3. Sunt plures.

Licèt Deus permiserit affligi Ecclesiam suam, & justos habitantes in ea temporaliter quoad corpora; tamen non quoad animam, nec æternaliter: quia si Deus permittit justos affligi à malis & pravis temporaliter, hoc facit in exercitium, ut mereantur, & ne elati in prosperitate cadant in peccatum, & *ne justi extendant manus suas ad iniquitatem* & peccata: sed non permittit eos diu affligi, quia semper ponit finem afflictioni eorum, ne desperent ipsi justi, & ne *extendant manus suas ad iniquitatem.*

Dicit ergo: Non miretur aliquis, nam li-

licèt aliquando affligantur justi; tamen *non relinquit Dominus* diu durare *virgam* & A potestatem *peccatorum* Tyrannorum *super sortem* & Ecclesiam & meritum *justorum*: ne *justi* desperati moveantur à merito, & *extendant manus suas ad iniquitatem* & peccatum: & sic afflictio eorum est ad majus meritum, & ad tutelam virtutis, & gratiæ: & ideo afflictio vertitur justis in meritum; & tyrannis & afflictoribus in damnationem æternam: quod per modum orationis declarat, dicens:

15. q. 1. c. Firmissimè. 23. q. 4. Displicet.

4. *Bene fac Domine bonis, & rectis corde.*

5. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.* B

O Domine, *benefac bonis, & rectis corde*, dando patientiam & fortitudinem hîc in suis afflictionibus, & in futuro per gloriam sempiternam in præmium: & *Dominus adducet*, & adducat tyrannos *declinantes* in pravitatem & *obligationes*, id est, in peccata, quæ obligant ad culpam & pœnam; Dominus deducet istos *cum* diabolis semper *operantibus iniquitatem*, post mortem eorum, in die judicii, cùm dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* C

Unde nota, quòd omnis peccator peccando declinat à via rectitudinis & libertatis *in obligationes*, id est, in culpas, quæ obligant ad pœnam æternam: hos ergo *declinantes in obligationes* deducet Dominus in infernum *cum* diabolis *operantibus iniquitatem.* Quasi dicat, quòd Dominus faciet bonum *rectis corde*, hîc dando gratiam, & in futuro gloriam; sed Dominus deducet peccatores *declinantes in obligationes* diversarum culparum *cum operantibus iniquitatem*, in infernum: & hoc dabitur in punitionem afflictoribus, & tortoribus, & persecutoribus justorum, & Martyrum. *Autem* pro *sed pax* & quies erit semper *super Israel*, id est, populum D fidelem, qui est verus Israel secundùm spiritum, & videns Deum hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.



E PSALMUS CXXV.

1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.*

3. *Tunc dicent inter Gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.* F

4. *Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.*

Esdræ 1. De Pœ. d. 3. circa princ. cap. Si Apostolus. De Pœ. d. 3. §. Sine. cap. Interhęc.

Septimus gradus, est gaudium de bonis factis post conversionem. Nam sicut justus gaudet, se esse ereptum à peccato, postea debet gaudere de bonis, & fructibus quos fecit per pœnitentiam, & post pœnitentiam.

Unde est notandum, ut legitur *Esdræ* 1. quòd *Cyrus* Rex *Persarum* & *Medorum*, G postquam adeptus est regnum *Babyloniæ*, relaxavit captivitatem Judæorum, & dedit licentiam, ut Templum & Civitatem *Hierusalem* ædificarent, & de suis redditibus pro restauratione & ædificatione præcepit dari: & de hoc fecit fieri universale præconium, & edictum publicum per universa regna sua, confitendo, Deum cœli esse super omnia, & ab eo recepisse victoriam, & omnia regna terræ: & sic non solùm magnificavit Judæos in se, sed etiam inter omnes Gentes honoravit: & sic Judæi qui cum fletu & tribulatione servierant, reversi sunt cum gaudio, & Templum & Civitatem ædificarunt.

Per hoc vidit David in spiritu relaxa- H tionem captivitatis humanæ futuram per *verum Cyrum* Christum, qui est hæres universalis Patris; & qualiter Gentiles qui antè destruxerant Ecclesias, & persequebantur Christianos, post ad fidem per Apostolos & Martyres conversi, debebant Ecclesias restaurare, & ædificare propriis sumptibus, & Christianam Religionem ampliare & magnificare, ut patet de *Constantino*, & cæteris regibus & principibus. Ideo David fecit hunc Psalmum pro ascensu septimi gradus Templi: in quo describit gaudium Ecclesiæ de conversione Gentium,

tium, & gaudium Apostolorum, & cæterorum fidelium, qui eos converterunt. In quo duo facit: nam primò prædicit hujusmodi gaudium conversionis, per figuram relaxationis captivitatis Judæorum. Secundò, memorat fructus Apostolorum, & Martyrum, & omnium justorum, unde habent causam gaudendi. Ibi: *Converte Domine.*

A

Quantum ergo ad primum, sicut *Zorobabel*, & cæteri Judæi lætati sunt in reversione & reditu de captivitate Babylonica; ita nos Fideles Christiani *facti sumus sicut consolati, in convertendo Dominus captivitatem Sion*, id est, cùm Dominus Jesus Christus converteret captivitatem totius Ecclesiæ; primò, à peccato per passionem & resurrectionem. Et ponitur *nominativus* pro *accusativo*, in quantum gerundium ponitur pro conjunctivo. Secundò, cùm converteret populum Gentilem ab idololatria: nam *tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra* repleta est *exultatione*, laudando & magnificando Deum in mirabilibus suis. Nam *tunc* in illa conversione *dicent Gentes*, & cognoscent, & prædicabunt, qualiter Dominus *magnificavit facere*, id est, quòd magnificè fecit *cum eis*, scilicet Christianis. Nam verè *Dominus magnificavit*, id est, magnificè fecit *nobiscum*, ita Ecclesiam ampliando, & exaltando, & Gentiles subjiciendo. Ideo *facti sumus lætantes.* Totum hoc potest referri ad peccatorem conversum à peccato, qui per pœnitentiam exit de servitute & captivitate peccati, qui gaudet, & laudat Deum, qui magnificavit cum eo misericordiam suam.

B

C

50. d. c. Purgabit. De Pœ. d. 2. In tantum; & 5. d. §. 1. In fine.

5. *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.*

6. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

7. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.*

D

8. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

HIC David precatur Christum, ut acceleret adventum suum. Unde notandum, quòd *ventus Auster* est calidus, ideo resolvit nubes in montibus, & sic defluunt aquæ, & torrentes implentur, & currunt ad mare. Ita propriè factum est in adventu Christi. Nam scriptura veteris Testamenti erat congelata & clausa: sed Christus misit Spiritum sanctum in Apostolos, & aperuit scripturas eis, & fluxerunt aquæ à crystallo & nive congelatâ. Nam scriptura, quæ erat dura, facta est eis mollis, & blanda, & potabilis, & intelligibilis calore Spiritus sancti, & aqua sapientiæ implevit torrentes, scilicet Apostolos, & Doctores: & sic aquæ defluxerunt in mare Ecclesiæ. Item, perflavit *Auster*, id est, lumen & calor Spiritus sancti, in corda dura Gentilium, & mollificarunt ea per prædicationem Apostolorum: & sic conversi Gentiles veniebant, & currebant ad Ecclesiam, & impleverunt eam, sicut decurrunt aquæ per torrentes flante Austro super nives.

E

Ideo ait Propheta: O Domine Jesu, accelera adventum tuum, & *converte captivitatem nostram* à peccato: & mitte Spiritum tuum in corda dura Gentilium, & currant ad Ecclesiam mollificati, *sicut torrens* impletur, & currit ad mare *in Austro* flante & resolvente nives in aquam. Et tunc Apostoli, quibus dixisti, *Lucæ* 10. *Messis quidem multa &c.* & misisti eos *metere quod non seminarunt*, *Joann.* 4. ipsi ergo Apostoli, quos misisti ad seminandum verbum tuum in corda hominum, *Euntes ibant & flebant*, id est, euntes, & flentes ibunt *mittentes semina sua*, & prædicantes cum tribulatione, & persecutione &c. Verumtamen seminatio eorum, & prædicatio multum fructum afferet: quia totum populum Gentilem convertet ad fidem, & animas lucrifaciet: & sic *venientes* & revertentes *venient cum exultatione*, *portantes* unusquisque *manipulos suos*, quos messuerunt. Nam *Matthæus* lucrifecit Æthiopiam, & *Simon* Ægyptum, *Bartholomæus*, & *Thomas* Indiam, & *Paulus* Græciam: & pariter *Augustinus*, & *Hieronymus*, & cæteri Doctores venerunt, & *venient cum exultatione* in die judicii *portantes manipulos*, & libros *suos*, quos ad elucidandas scripturas, & defendendam Ecclesiam ediderunt, & omnes Prælati *venient* gaudentes, & portantes talenta duplicata &c. & omnes pœnitentes cum fructu pœnitentiæ &c.

F

G

H

* * *
* *

Psalmus CXXVI.

De Consec. d. 4. cap. Gratia & c. Placuit. & 1. q. 1. Lex Catholica.

1. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*

2. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

3. *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.*

Titulus: *Canticum graduum Salomonis.* Nota: Quòd secundùm quosdam Hebræos David fecit hunc Psalmum, & direxit ipsum *Salomoni* qui in persona ipsius David erat Templum & civitatem ædificaturus: & ideo intitulatur *Canticum graduum Salomonis*, & sic glossant Psalmum de Ædificatione illius Hierusalem materialis. *Cambi* autem principaliter glossat hunc Psalmum de Messia per *Salomonem* intellecto. Dicit enim, quòd in Scriptura per *Salomonem* communiter intelligitur Messias, qui erit Deo dilectus, ut patet in *Canticis*. Et sic dicit, quòd multi voluerunt ædificare civitatem & Templum Hierusalem, sed *in vanum laboraverunt*, usquequo Dominus Messias veniet ad ædificandum eam. Nam primò *David* voluit ædificare domum Domini; sed *in vanum laboravit*, quia Dominus non permisit, eò quòd erat vir sanguinis. Item, *Salomon* postea ædificavit Templum, muravit civitatem; sed *in vanum laboravit*: quia tàm Templum, quàm civitas fuit destructa per Chaldæos. Item, *Esdras*, & *Zorobabel* iterum reædificaverunt eam; sed in vanum laboraverunt: quia fuit destructa per Romanos. Item, iidem, id est Romani, & Christiani, & Saraceni multotiens voluerunt reædificare illam civitatem: tamen pluries fuit destructa: sed quando veniet Rex Messias, reædificabit eam, & numquam amplius destruetur: ideo dicit David, quòd *nisi ædificaverit domum*, & Templum, & civitatem tempore Messiæ, *in vanum laborant* omnes alii qui volunt eam ædificare.

Ex his patet, quòd licèt iste obstinatus loquatur mala intentione; tamen partim dicit verum, & partim dicit falsum. Dicit verum, in quantum dicit, quòd Messias in adventu suo debebat ædificare Templum æternum, & Ecclesiam spiritualem, repudiato Templo & civitate materiali per alios ædificata: tamen dicit falsum, & errat circa tempus, & personam. Primò, errat circa tempus, quia quod est præteritum, frustra expectat adhuc futurum. Secundò, errat circa personam: nam Jesus-Christus Filius Dei, quem ipse repudiat, est ille verus Rex Messias, qui hanc Hierusalem spiritualem, id est, Ecclesiam ædificavit. Tertiò, errat circa ipsam civitatem & Templum: nam ipse expectat quòd Messias reædificabit illam Hierusalem materialem, & corporalem, & terrenam, in qua omnes Judæi debent temporaliter habitare: & tamen Messias erat ædificaturus civitatem spiritualem toto orbe diffusam, in qua omnes Fideles habitant per gratiam; & erat etiam ædificaturus supernam Hierusalem, & paraturus nobis felices in ea mansiones.

Et ideo est dicendum, quod David Propheta quia primò proposuerat ædificare Templum Domino, & præparavit omnia necessaria, & tradidit descriptionem Salomoni, & secundùm illud exemplar & descriptionem præcepit ædificare Templum; prævidit in spiritu, qualiter illud Templum materiale erat figura Templi spiritualis Ecclesiæ, quod Christus erat ædificaturus, in quo omnes Fideles erant salvandi & tuendi. Prævidit etiam in spiritu, qualiter Judæi debebant ponere totam suam spem & fiduciam in illa *Hierusalem* & *Templo materiali*, & circa ejus ædificium debebant apponere totam suam sollicitudinem, contemptâ salute spirituali.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum pro ascensu octavi gradus. Et ideo intitulatur *vero Salomoni*, qui est Christus. In quo Psalmo admonet Judæos, ne ponant totam suam spem & solicitudinem in illa civitate & Templo materiali: sed in illa Hierusalem spirituali, scilicet Ecclesia tàm Militanti, quàm Triumphanti, quam Christus erat ædificaturus: in qua omnes erant salvandi & tuendi, hìc per fidem & gratiam, & in futuro per gloriam. Quasi dicat in toto isto Psalmo, quòd non ponant suam spem & solicitudinem, nec laborent pro ista civitate materiali, quia multipliciter est destruenda; sed ponant suam solicitudinem & spem in Ecclesia, quam Christus erat ædificaturus: quia non poterunt salvari nisi in ea. Duo ergo facit: Nam primò admonet eos, ne ponant suam sollicitudinem & spem in Hierusalem materiali. Secundò, ut quærant civitatem per Christum ædificandam. Ibi: *Cum dederit dilectis suis somnum.*

Nota de Templi ædificatione.

Quantum ad primum est notandum, quòd tripliciter erant solliciti Judæi circa ædificium & civitatem Hierusalem. Primò, circa fortitudinem ejus: & sic *Salomon* ædificavit eam in alto monte *Sion* & in

in loco arduo : & circumdedit eam triplici muro, ſicut pluries dictum eſt. Secundò, fuit ſollicitus *Salomon* circa cuſtodiam civitatis, & ſic munivit eam copiâ armorum & vigilum. Tertiò, erant ſolliciti cives circa abundantiam, & divitias, ut eſſet abundans & potentiſſima; & ſic laborabant admodum, & conabantur congregare divitias in omni ſollicitudine, & corporali labore, & cum uſuris, & aliis negotiis illicitis, quaſi non ſperantes aliam vitam & felicitatem. A

Hæc ergo tria removet Propheta in tribus primis verſibus hujus Pſalmi, dicens: quòd non confidant in hoc Templo materiali, nec in fortitudine civitatis, quia non poterit eos ſalvare; nec confidant in cuſtodia & armis hujus civitatis, quia non poterunt eos tueri; nec laborent cum tota ſollicitudine circa divitias congregandas, & cibos corporales, quia non poterunt eos æternaliter ſatiare; ſed ponant ſpem ſuam in domo, quam Chriſtus erat ædificaturus, quia ibi debent ſalvari. Secundò, capiant arma, quæ daturus erat Chriſtus, quia in illis debent tueri. Tertiò, quòd laborent circa cibum, quem Chriſtus erat daturus, quia in ſolo illo debent ſatiari. B

Dicit ergo primò, quòd *niſi Dominus* noſter Jeſus-Chriſtus *ædificaverit domum*, & Templum ſpirituale, ſcilicet Eccleſiam, *in vanum laboraverunt* omnes *qui ædificant eam*. Quaſi dicat: quòd quodcumque Templum ſeu civitas per *Salomonem*, vel per alios ædificatum, eſt vanum ad ſalvandum, niſi ſolùm illud quod Chriſtus erat ædificaturus; in quo omnes Fideles ſunt ſalvandi, hîc per fidem & gratiam, & in futuro per gloriam. Item ſecundò ſubdit, quòd *niſi* Dominus Jeſus-Chriſtus cum ſuis armis ſpiritualibus, ſcilicet cum Fide, Spe, & Charitate, & cum donis Spiritus ſancti, & cum ſuis vigilibus, ſcilicet Angelis & Apoſtolis, & Martyribus, & Doctoribus *cuſtodierit* hanc *civitatem* Eccleſiæ, *fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*, id eſt, qui putat eam cum armis & viribus temporalibus cuſtodire. Tertiò ſubdit: O vos homines temporales & mundani, *qui manducatis panem doloris* & laboris, *Vanum eſt vobis ſurgere ante lucem* ad laborandum pro iſto cibo temporali, ad congregandas divitias pro vita temporali conſervanda: quia hîc non poteſtis manere in æternum: ſed *ſurgite* à peccato *poſtquam ſederitis* per magna tempora in eo, & ſurgite ad gratiam, & ad laborandum pro cibo ſpirituali per opera miſericordiæ, & alias pias operationes. Item, in adventu Chriſti *ſurgite* à jugo Legis, & à dormitione, poſtquam in tenebris ſediſtis per magna tempora, & recipite Chriſtum, qui affert diem gratiæ, & lucem, & fugat non ſolùm noctem Legis, ſed etiam noctem peccati: quia *jam nox præceſſit, dies autem appropinquit: abjicite ergo opera tenebrarum, & induimini arma lucis &c.* C D E

Unde notandum: quòd ubi Translatio communis habet: *qui manducatis panem doloris*, Littera *Hieronymi*, habet: *Panem idolorum*, ſive *panem idolothitum*: & Translatio alia habet, *panem avaritiæ*: & alia habet, *panem laborantium*, quod eadem ſententia eſt. Nam avaritia eſt *idolorum ſervitus*; & ideo qui laborant propter avaritiam, dicuntur laborare propter *panem idolothitum*, & propter *idolothitas divitias*: & ſic panis in hoc mundo acquiſitus, dicitur *panis laboris*, quia cum labore acquiritur; dicitur *panis doloris*, quia cum dolore habetur; dicitur etiam *panis idolothitus*, quia cum avaritia congeritur. F

Nota.

Unde eſt advertendum, quòd Propheta hîc non prohibet quatenùs debeamus acquirere panem cum *labore & ſudore vultus noſtri*, ſed prohibet nimiam ſollicitudinem, & abuſum circa res temporales, ne propter temporalia omittamus ſpiritualia: ſed intendit dicere & admonere, ut primum quæramus regnum Dei, & ponamus ſpem noſtram in Chriſto, & Eccleſiaſticis Sacramentis; ſed poſtea cum diſcretione poſſumus laborare pro victu ad vitam neceſſario.

4. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces fructus ventris.*

24. q. 1. *Quia ex ſola.*

G IN hac ſecunda parte declarat ſupradicta, ſcilicet, in quibus bonis debemus ponere ſpem noſtram: & dicit, quòd in bonis per Chriſtum nobis adeptis.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd tota *hæreditas* noſtra, & tota *merces* & præmium, etiam tota virtus Sacramentorum Eccleſiæ, ineſt nobis ex paſſione Chriſti: nam per ſuam mortem & paſſionem nos à peccato, & captivitate abſolvit, & per ſuum ſanguinem emit, nobis regnum cœlorum in hæreditatem, à quo quidem ſanguine Eccleſiaſtica Sacramenta traxerunt virtutem.

H Ex quo patet, quòd redemptio noſtra & *hæreditas* noſtra & felicitas non fuit manifeſta, niſi poſt paſſionem Chriſti: nec Patriarchæ & Prophetæ, nec Apoſtoli, & Martyres, & Sancti potuerunt poſſidere hæreditatem, niſi poſt paſſionem Chriſti; nec potuerunt eam poſſidere in hoc mundo quantum ad gloriam, niſi poſt mortem ſuam. Ex quibus patet, quòd vana erat ſpes Judæorum, qui expectabant fructum & *hæreditatem* ex illo Templo & civitate materiali in hac vita: & vanus erat labor eorum laborando pro iſto cibo tempo-

porali ; cùm talis *hæreditas* & quietes non possit possideri in hac vita, nec cibus spiritualis nobis promissus. A

Et ideo est dicendum : quòd *hæreditas* promissa *Abrahæ*, & *Isaac*, & *Jacob* non est illa terra *Chanaan*, nec illi fructus, qui in ea colliguntur ; cùm sint corruptibiles & transitorii : sed illa *hæreditas* est patria cœlestis, & ille fructus est perfecta fruitio divinæ Essentiæ, quam Apostoli, & omnes justi non potuerunt acquirere in hac vita, nec in hoc sæculo, sed post mortem eorum in cœlo.

Et ideo dicit David : Nolite, supple, quærere *hæreditatem* & mansionem, nec præmium, nec mercedem, nec *fructum ventris* corporalis in hoc mundo ; sed taliter laborate, ut in cœlo post mortem B hæc positis acquirere : quia ist in sola patria cœlesti patebunt. Nam *cum* Dominus *dederit somnum* & requiem *dilectis suis* Apostolis, & Martyribus, & justis post mortem temporalem, *ecce hæreditas Domini*, id est, tunc apparebit vera *hæreditas Domini*, Sanctis Patribus promissa, quod est regnum cœlorum, quod dabitur justis in hæreditatem. Et *ecce merces*, id est, tunc apparebit merces & præmium. Et *Ecce filii*, id est, tunc videbitur, qui sunt veri filii Dei. Littera *Hieronymi* habet : *filii mercedis*, id est, tunc apparebunt filii, qui adepti sunt mercedem & præmium, quia illi Deum videbunt : nam C visio est tota merces. Et sequitur. *Ecce fructus ventris*, id est, tunc apparebit, & dabitur *fructus ventris* spiritualis justis, quæ erit vera fruitio, pro qua in hac vita laboraverunt. In hoc ergo versiculo nihil aliud intendit dicere, nisi quòd veri filii Dei, & filii *Israel*, & *Abrahæ* per repromissionem, & per Fidem, & Baptismum regenerati, post istam mortem temporalem, in cœlo obtinebunt hæreditatem promissam, & mercedem, & fructum : quia ibi Deum videbunt, & possidebunt, & adamabunt, & fruentur : & sic admonet, quòd non est ponenda spes in civitate terrena, sed in cœlesti.

Littera autem *Hieronymi* habet : *Cum dederit dilecto suo somnum, sive ad dilec-* D *tum suum* : & tunc esset sententia manifestior ; quia hæreditas Domini & fructus ejus hic per gratiam, & in cœlo per gloriam, numquam fuit data justis, nisi post mortem Christi *dilecti Filii Dei*, ut supra dictum est.

Etiam ly *fructus ventris* potest referri ad Christum, qui est *fructus ventris virginalis Mariæ* : & illemet est fructus spiritualis ventris in patria : nam totus homo fruetur toto Christo : nam per animam fruetur divinitate, & per potentias corporales glorificatas fruetur Christi humanitate totus homo.

Et etiam *fructus ventris* Ecclesiæ sunt Fideles per Baptismum regenerati. Sed E prima Expositio est melior. Et etiam Christus, qui est *fructus ventris* Virginis *Mariæ*, erit fructus noster, quo fruemur in patria : quem fructum non poterimus acquirere, nec frui, nec gustare, nisi post *somnum* & mortem hujus vitæ.

5. *Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.*

93. d. c. *Legimus.* & 1. q. 1. *Multæ.*

IN hoc exprimit Propheta, qui sunt veri filii Ecclesiæ, qui pro illa hæreditate laborarunt, & quibus armis Ecclesiam defenderunt & ampliaverunt, & ideo post F *somnum* eorum, id est, post mortem meruerunt possidere in cœlo illam *hæreditatem*, & *mercedem*, & *fructum ventris*. Et dicit : quòd isti fuerunt Apostoli, & Martyres, & Doctores, qui non armis corporalibus, sed sagittis & armis Euangelicis defenderunt eam, & ampliaverunt, & eam *plantaverunt sanguine suo*.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Apostoli & Discipuli Christi frequenter dicuntur *sagittæ* in Sacra Scriptura. Nam sicut sagitta mittitur velociter à sagittario ; ita Apostoli missi sunt à Christo velociter per universum mundum, & cum eis Christus sagittavit corda homi- G num, & vulneravit eos in corde, & occidit in eis peccatum, & suscitavit Fidem : & sic Apostoli dicuntur, *velut sagittæ in manu* Christi *potentis*, qui eos misit. Sed frequentiùs, & magis propriè verba Christi Euangelica dicuntur *sagittæ:* nam Christus & Apostoli sagittarunt & penetrarunt corda hominum : & sic Apostoli dicuntur *sagittæ*, in quantum sunt *missi*; & sagittatores, in quantum traxerunt, & jecerunt *sagittas* verborum Dei in corda hominum per prædicationem. Et sic dicitur supra *Psalmo* 44. *Sagittæ tuæ acutæ cadent in corda inimicorum.* Item *Psalmo* 66. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Item *Isaiæ* 66. *Mittam ex eis qui salvati fuerint*, scilicet ex discipulis, H *ad Gentes, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam in Italiam*, id est, dirigentes verbum Euangelicum in Italiam.

Apostoli sunt sagittæ.

Ex quo patet, quòd Apostoli dicuntur *excussi*, id est, expediti ad bellum, sive præcincti, & parati ad pugnandum pro Christo. Dicuntur etiam *excussores*, id est, trituratores verbi Dei : nam sicut agricola triturat, & excutit messem, & separat granum à paleis ; ita Apostoli fuerunt messores verbi Dei, & trituraverunt, & excusserunt grana Euangelica à paleis & cærimoniis legalibus, unde granum reposuerunt in horreo Ecclesiæ, paleas autem cærimoniarum combusserunt igni inextinguibili, id est, reprobaverunt, & Nota.

& annullarunt ventilabro Chriſti, ut patet *Matth.* 3. & *Luc.* 3. & ſic Apoſtoli dicuntur *filii excuſſorum*, id eſt, excuſſi, ſive excuſſores, ut eſt mos loquendi conſuetus in Scriptura veteris Teſtamenti: ut, *Tu es filius mortis*, id eſt, moriturus: *Filius duorum annorum*, id eſt, vitæ brevis: &, *Filius peccati*, id eſt, peccator. A

Dicit ergo David: ideo dilecti, id eſt Apoſtoli, & juſti, merentur illam *hæreditatem*, & data eſt illis *merces*, & *fructus ventris* æternus: quia bene laborarunt in hoc mundo pro Chriſto, & in prædicatione verbi Euangelici: nam *ſicut ſagittæ* ſunt *in manu potentis* venatoris, vel pugilis; *ita* fuerunt & ſunt *filii excuſſorum*, ſcilicet Apoſtoli, & Doctores, & Diſcipuli: B qui relictis curis, & ſollicitudinibus, & divitiis hujus mundi, facti ſunt *excuſſi*, id eſt expediti ad pugnam contra Infideles, mittentes ſagittas, id eſt, verba Euangelica in corda hominum: & ſic converterunt mundum. Et facti ſunt etiam *excuſſores*, id eſt trituratores, digerendo ſcripturas veteris Teſtamenti, & declarando Euangelium Chriſti; & ſic contempſerunt domum materialem in hac vita, & ædificarunt Eccleſiam ſupra firmam petram, qui eſt Chriſtus, prædicatione, & vita, & exemplo, & ſanguine ſuo: & etiam fabricarunt domum non manufactam in cœlo, quam poſſident in æternum: & illa eſt *hæreditas* eorum, & *merces*, & in ea fruuntur *fructu ventris* Virginalis, ſcilicet Chriſto: & ibi eſt tota *merces* & felicitas. C

Ex quo patet, quòd iſti non ædificarunt domum vanam, nec civitatem frivolam, ſed firmam, & inexpugnabilem: nèc ſurrexerunt *in vanum* ad laborandum *ante lucem*, ſive ante diem: quia non laborarunt, nec lucrati ſunt mercedem temporalem & cibum, ſive fructum corruptibilem & inſufficientem, ſed æternum, & ſufficientem, qui ſatiat appetitum humanum & Angelicum, qui numquam peribit: immò dat vitam æternam. Item, iſti Apoſtoli ſurrexerunt à peccato, in quo per multa tempora ſederunt, & venerunt ad gratiam, ſequentes Chriſtum. Item, iſti Apoſtoli ſurrexerunt à jugo Legis poſt- D quam venit lux, & verus Sol, & dies, qui eſt Chriſtus; cæteri autem manſerunt in nocte Legis, & noluerunt ædificare domum in cœlo, nec laborare pro cibo cœleſti in Eccleſia Chriſti: ideo manent inanes, & vacui, & decepti.

Nota: quòd Littera *Hieronymi* habet: *Ita filii pueritiæ*. Alia Littera habet: *ſicut ſagittæ in manu potentis, ita filii juventutis*: quod idem eſt quod *filii excuſſorum*. Nam pueri, & juvenes ſunt expediti, excuſſi, & habiles ad pugnandum, ſicut fuerunt Apoſtoli & Martyres &c. Et etiam alia littera habet: *Filii bene laborantium*, id eſt, filii bene laborantes & laboratores, & non pigri in vita activa & contemplativa, ſicut fuerunt Apoſtoli, & Martyres, & Doctores. Omnes Apoſtoli, & Martyres, & Doctores, & Juſti fuerunt *excuſſores*, *& filii excuſſorum & laboratores* in fructu Euangelico, & ſagittarii mittentes ſagittas Euangelicas in corda hominum. E

6. *Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cùm loquitur inimicis ſuis in porta.*

De Conſe. d. 5. Non mediocriter & de Pœ. d. 2. §. Si ſermo meus.

F HIC concludit totum propoſitum. Nam dictum eſt ſuprà, quàm in vanum laborant amatores hujus mundi, ponendo ſolicitudinem ſuam & ſpem in rebus hujus mundi, & etiam in operibus Legis veteris: & dictum eſt etiam, quòd *hæreditas* in Lege promiſſa, non datur niſi poſt hanc vitam: & etiam dictum eſt, quòd Apoſtoli cum *ſagittis* & armis Euangelicis ædificarunt, & ampliarunt Eccleſiam. Ideo dicit hìc concludendo: quòd *Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum*, non ex divitiis temporalibus, nec cibis corporalibus, ſed *ex ipſis* verbis Euangelicis, & Eccleſiaſticis Sacramentis, & ex fructibus Sacræ Scripturæ: quia ille cibus verè ſatiat appetitum juſtorum: quia *non in ſolo pane vivit homo; ſed in omni* G *verbo quod procedit de ore Dei*, quia doctrina Legis eſt cibus animæ. Item, quia Apoſtoli fuerunt *excuſſores* meſſis Sacræ Scripturæ, colligentes grana &c. ideo *Beatus vir, qui implevit deſiderium ex ipſis* granis & panibus.

In Littera *Hieronymi* habetur: *Beatus vir, qui implevit pharetram ſuam ex ipſis*: & ſic refertur ad ſagittas. Quaſi dicat: Beatus, qui implet pharetram cordis & Spiritus ſui ex ſagittis miſſis ab Apoſtolis, ſcilicet, ex doctrina Apoſtolica & Euangelica. Nam qui talibus armis & ſagittis eſt refertus & armatus, non *confundetur* ante Reges & Judices & Præſides, *cùm loquetur inimicis* & adverſariis *ſuis in* H *porta* civitatis, vel theatri, ubi fiebant judicia: immò cum illis ſagittis, id eſt, cum auctoritatibus novi ac veteris Teſtamenti confundet inimicos Eccleſiæ, & Infideles. Unde dixit eis Chriſtus: *Dum ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quid loquimini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini &c.* Duo ergo bona facit, qui *implet deſiderium* & pharetram cordis ſui *ex ipſis* ſagittis. Nam primò, vulneratur in corde, & moritur peccato, & vivit Chriſto. Secundò, habet arma offenſiva & defenſiva contra inimicos Chriſti.

Tria

Lex seu Dei verbum hæc facit.

Tria ergo intendit principaliter dicere in hoc Psalmo. Primò, quòd non est ponenda spes, nec securitas in Hierusalem materiali, sed in Hierusalem spirituali ædificanda per Christum, non lapidibus materialibus & mortuis, sed lapidibus vivis: quæ est sepienda turribus & muris virtutum, & donorum Spiritus sancti. Secundò, quòd hæc civitas non erat defendenda, nec amplianda armis materialibus, sed sagittis Euangelicis per prædicationem Apostolorum, quibus erant superandi Gentiles, & Hæretici. Tertiò dicit: quòd *hæreditas* nobis promissa per adventum Messiæ non est quærenda in hac vita. Quartò concludit, quòd *beatus* est ille vir, *qui implevit desiderium suum* ex sagittis & fructibus Euangelicis. Quintò, quòd Christianus armatus talibus sagittis & armis *non confundetur*, cum accusabitur ab inimicis suis *in porta*, id est, in exitu hujus vitæ, nec in judicio, quod fit *in porta* hujus vitæ. Nam mors, sive hora mortis, dicitur *porta hujus vitæ* per quam exit homo de hoc mundo: in qua hora illico judicatur homo judicio particulari. Et etiam novissimus dies dicitur *porta* totius temporis hujus mundi, in quo fiet universale Judicium. Ex quo patet, quòd homo justus talibus armis munitus, in neutra porta, & in neutro judicio confundetur, cùm loquetur diabolis inimicis suis ipsum accusantibus: quia *ab auditione mala non timebit, nec à verbo aspero*, ut dictum est *Psalm.* 90. & 110.

Et nota, quòd licèt iste Psalmus sit parvus in quantitate, tamen est valdè difficilis in litterali sententia, propter verba methaphorica. Et ideo diversæ fuerunt de ipso interprætationes, & omnes ambiguæ, ut inquit *Hieronymus*: ideo cum magna difficultate potest extorqueri ex eo firma & vera sententia.

Psalmus CXXVII.

16. q. 2. Post me. & 16. q. 1. c. Vos autem.

1. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.*

Nonus gradus, est timor filialis, sive obedientia. Ideo David fecit hunc Psalmum pro ascensu noni gradus Templi: in quo describit præmium obedientiæ, & timoris filialis, sine quo ascendere in cœlum nemo potest: qui quidem timor & obedientia consistit in conformando voluntatem propriam soli voluntati Dei, & ejus Legi & præceptis. Nam timor castus nil aliud timet, nisi ne displiceat Deo, & ne lædat eum cogitatione & opere; & vera obedientia non est solicita, nisi quomodo placeat Deo, & ambulet in viis ejus. Ideo Apostoli, & omnes justi dicuntur *sicut sagittæ in manu potentis, Psalmo præcedenti.* Nam sicut sagitta non tendit nisi quò mittitur à sagittante & dirigente, & ad ejus nutum movetur, nec moratur in via: ita justus & timens Deum non movetur, nisi secundùm Legem & præcepta Dei, nec tardat implere ejus voluntatem: & talis est beatus, & non ædificat domum, nec civitatem æternam, nec laborat pro cibo mundano, sed cœlesti. Et ideo in hoc Psalmo promittitur ipsi præmium, & cibus in cœlo. Sed talis fuit solus Christus, qui perfectè habuit hunc timorem & obedientiam erga Patrem, ut ipse dicit per totum discursum Euangelicum. Unde dixit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Sed nos sumus ejus imitatores, in quantum possumus, si cum eo ascendere volumus.

Duo ergo facit David: Nam primò ostendit Christum ascendisse in illam hæreditatem & felicitatem per timorem filialem & obedientiam. Secundò, nos exhortatur ad imitandum eum, ut simus participes cum eo in illo præmio & benedictione. Ibi: *Ecce sic benedicetur homo.*

Quantum ad primum dicit: *Beatus vir est qui timet Dominum* timore casto & filiali, & *qui ambulat in viis ejus.* Et iste est solus Christus, qui per omnia implevit voluntatem Patris. Et quia prævidit Propheta, quòd solus Christus est hujusmodi perfectionis, & primus totaliter implevit voluntatem Patris, de quo *in capite Libri* ejus *scriptum est*, & ad hoc est prædestinatus: ideo conversus ad Christum dicit:

2. *Labores manum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.*

15. q. 1. Firmissime.

3. *Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.*

22. q. 2. Si quilibet.

4. *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.*

O Christe, ideo tu benedictus es, quia Patrem sic timuisti, & in viis ejus ambulasti: ideo *bene tibi erit*, & primus habebis præmium in cœlo, & in hac Ecclesia tua Militante.

Præmium in tribus consistit.

Nam præmium consistit in tribus: Primò, in copia bonorum, & ciborum. Secundò, in pulchritudine & bonitate uxoris. Tertiò, in fœcunditate prolis & filiorum; & hoc est bonum quod tibi erit in præmium: Primò, *quia labores manuum tuarum manducabis*, id est, pro labore manuum tuarum manducabis panem in cœlo: quia primò & perfectiùs sine comparatione fruitur anima Christi & Christus totus. Unde dixit *Joan.* 4. *Hic est cibus meus, ut faciam voluntatem Patris.* Item *Lucæ* 22. *Vado vobis parare reg-*

regnum &c. ut edatis & bibatis mecum in menſa mea in regno Patris mei. Manducat ergo Chriſtus labores manuum ſuarum. A

Hoc etiam poteſt referri ad Sacramentum *Euchariſtiæ*, quia ipſemet conſecravit corpus ſuum, fregit, & ſic comedit *labores manuum ſuarum*; & in perſona totius corporis myſtici comedit corpus verum: & iſte eſt cibus juſtorum in hac Eccleſia per gratiam, & in alia per gloriam & fruitionem. Secundò, præmiaberis, ò Chriſte, in pulchritudine & fœcunditate uxoris. Nam *uxor tua* Eccleſia, erit *ſicut vitis abundans* palmitibus & thyrſis *in lateribus domus tuæ*. Nam ſicut vitis, quæ plantatur in domibus, creſcit in altum & in latum, in tantum quòd circuit latera domus, & etiam cooperit domum abundantiâ palmitum, & thyſorum, & pampinorum, & uvarum: ſic Eccleſia tua dila- B tabitur per totum univerſum orbem, & *extendet palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad terminos orbis terrarum.* Et iſta uxor non erit ſterilis, immò abundans, & fœcunda, & ex ea regenerabis tot filios per Baptiſmum, & in tantum numerum, quòd *filii tui* erunt *in circuitu menſæ tuæ, ſicut novellæ olivarum.* Nam ſicut arbor olivæ producit copiam ramorum ſuperiùs, & copiam virgultorum ad radicem circum truncum ejus, quæ dicuntur *novellæ*, ſive germina ejus: ita magnus numerus filiorum tuorum fidelium erunt *in circuitu menſæ tuæ*: ſcilicet tui Altaris, ad manducandum communionem *Euchariſtiæ* in hac Eccleſia, tamquam cibum viatorum per gratiam, & in alia erunt iſti filii fruentes cœleſti cibo per gloriam.

Nota, quòd tota Eccleſia frequenter C appellatur in Sacra Scriptura *vinea* & aliquando *ager meſſis*, & aliquando *olivetum*, eò quòd Chriſtus ex ea expreſsit vinum & oleum, & granum Euangelicum, & congregavit in horreum & cellarium ſuum, quæ ſunt Eccleſiaſtica Sacramenta ad cibum & potum Fidelium; ex quibus Sacramentis exprimet Chriſtus in judicio fructus gloriæ. Et ideo per abundantiam frumenti & vini & olei in veteri Teſtamento promiſſam ſemper intelligitur abundantia bonorum gratiæ in præſenti Eccleſia, & abundantia ciborum fruitionis & gloriæ in futura. Et per hoc patet deceptio & cœcitas Judæorum, qui omnia iſta intelligunt materialiter & temporaliter ad litteram. D

Ut ſupra. 5. *Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

HIC exhortatur nos ad imitandum Chriſtum per timorem & obedientiam, dicens: *Ecce ſic benedicetur* omnis ille *qui timet Dominum.* Nam ſicut imitabitur Chriſtum in timore & obedientia: ita participabit cum eo in benedictione & præmio, & cibo ſpirituali & æterno. Precatur ulterius Pro- E pheta benedictionem pro Eccleſia Fidelium, vaticinando benedictionem & præmium ejus, dicens:

6. *Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.* *Sup. 2. & infra 91.*

7. *Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſrael.*

O Cætus & Eccleſia Fidelium, *Benedicat tibi Dominus*, id eſt, det tibi Dominus prædictam benedictionem *ex Sion*, F id eſt, ex Sacramentis & meritis Eccleſiæ; quia aliunde non poteſt venire talis benedictio, niſi ex Sacramentis Eccleſiæ, nec poteſt dari niſi à Chriſto, qui eſt Dominus Deus, qui fecit cœlum & terram. Ille ergo det tibi iſtam benedictionem, in tantum quòd *videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ*, id eſt, ſemper: ſcilicet hìc in hac Eccleſia, & in hac Hieruſalem *videas bona* gratiæ, & in ſuperiori Hieruſalem *videas bona* gloriæ, quæ ſunt memorata: & tu Eccleſia, & quilibet Fidelis, *videas filios filiorum tuorum* per Baptiſmum regeneratorum: & videas *pacem ſuper Iſrael*, hìc per gratiam, & ibi per gloriam. Nam iſta Eccleſia vivit per charitatem & pacem: quia pace & charitate compaginatur corpus myſticum Eccleſiæ, & unitur ſuo capiti: & tota felicitas ſuperioris *Iſrael* conſiſtit in ſumma pace & quiete, & ſecuritate felicitatis poſſeſſæ. Et hic eſt fructus timentium Deum. G

Notandum: quòd totus iſte Pſalmus poteſt ad litteram exponi de *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob*, & de omnibus timentibus Deum in veteri Teſtamento, quibus promittebantur bona terræ. Sed quia David non fuit minùs Propheta in hoc Pſalmo, quàm in aliis; ideo eſſet peccatum & ſacrilegium dimittere myſticam & veram Expoſitionem, & occultare & contemnere, & dimittere tam pretioſum theaurum, in prædicto & cæteris Pſalmis abſconſum. Sed quia quod competit toti corpori, etiam competit cuilibet membro; ideo poteſt exponi etiam H de quolibet Fideli timente Deum, cujus benedictio eſt abundantia meritorum in hac vita, & in alia præmiorum. Et ideo prudens lector ſtudeat applicare, & legat Doctores Sanctos ſuper hoc libro: quia ego principaliter curo de ſenſu myſtico prophetico. Nam David omnia iſta prædicit primò de Chriſto capite, & ex conſequenti de ſuis membris Fidelibus. Nam à Chriſto capite ad ſua membra deſcendit omnis benedictio & gratia, & omnia bona gratiæ & gloriæ, ut magis patebit *Pſ.* 132.

Psalmus CXXVIII.

3. q. 1. ca Nulli dubium.

1. *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israel.*

2. *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.*

3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.*

DEcimus gradus ascensus in cœlum, est patientia longa in persecutione. Ideo David fecit hunc Psalmum pro decimo gradu Templi, in quo memorat longam patientiam Ecclesiæ in longis persecutionibus ab *Abel* usque ad *Christum*, & à *Christo* usque ad *Judicium*: unde meruit ascendere in cœlum, & obtinuit victoriam dè inimicis, patienter tolerando eorum incursus.

Duo ergo facit: nam primò memorat longam patientiam ejus in persecutionibus. Secundò, punitionem persequentium. Ibi: *Dominus concidet.* Dicit ergo Ecclesia, & iste *homo mysticus*; vel dicit David in persona Ecclesiæ: *Dicat nunc Israel, sæpè expugnaverunt me* infideles, & inimici Dei, & peccatores, & scelerati *à juventute mea.* Nam primò *à juventute* & infantia mea fui impugnatus in *Abel* per *Cain*, ubi incœperunt duæ civitates, scilicet Dei, & diaboli, & Filii Dei, & filii carnis. Unde *Cham* impugnavit *Noe*, & *Chaldæi Abraham*, & *Ismael Isaac*, & *Esau Jacob*, & *Pharao* omnes filios Israel in Ægypto, & *Saul David*; & *Reges Ægypti*, & *Babylonis*, & *Antiochus* impugnaverunt populum Dei; & *Judæi* impugnaverunt *Christum*, & *Apostolos*; & *Tyranni Martyres*; & *Hæretici Catholicos*; & *Antichristus* impugnabit *totam Ecclesiam.* Ideo dicit: *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea*, usque ad senium, supple.

Verumtamen licèt *sæpè expugnaverunt me*, tamen quia patiebar talia cum fide bona, spe, & charitate, ideo *non potuerunt mihi* prævalere, nec in anima nocere, licèt afflixerunt corpus, & *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores &c.* & importabilia supra dorsum meum onera imposuerunt, & sic *prolongaverunt iniquitatem suam supra dorsum meum.* In Translatione autem *Hieronymi* habetur: *Supra cervicem meam araverunt aratores, & prolongaverunt sulcum suum*: quod idem est. Nam vult dicere, quòd peccatores persequentes fideles, & populum Dei, & Ecclesiam, benè nocuerunt in bonis temporalibus, & in laboribus corporalibus, & in carne, occidendo & affligendo corpus: sed non vicerunt, nec potuerunt occidere animam, nec totaliter Ecclesiam delere, ut frequentius dictum est; immò ipsi fuerunt deleti in corpore & anima.

Et nota, quòd hoc priùs intelligitur de Christo capite, & postea de Ecclesia ejus. Nam primò *peccatores* Judæi *fabricaverunt*, & machinati sunt sententiam mortis & passionis *supra dorsum* Christi, & *prolongaverunt* super eum *iniquitatem*, & invidiam, & malitiam *suam*, accusantes eum coram *Pilato.* Et etiam post passionem & resurrectionem Christi, ipsa eadem Synagoga *fabricavit* dolos contra Ecclesiam & Apostolos, ut patet in *Actibus Apostolorum.*

4. *Dominus justus concìdit cervices peccatorum: confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.*

23. q. 4. Displicet, & de Pœ. d. 2. cap. Sunt plures, in glo. §. Auctoritas.

5. *Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit.*

6. *De quo non implevit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit.*

HIC memorat punitionem finalem impugnatorum Ecclesiæ, dicens: Licèt sæpè impugnaverint me; tamen *non potuerunt mihi* prævalere; immò ipsi delebuntur, & punientur. Nam sicut fuerunt puniti impii & peccatores, qui impugnaverunt populum Dei in Testamento veteri; ita punientur impugnatores Ecclesiæ Christi, scilicet, Tyranni, & Hæretici, & Antichristus. Nam *Dominus* noster Jesus Christus *concìdit* tamquam *justus* judex *cervices*, & superbiam, & potestatem eorum. Et sic *omnes qui oderunt* & persecuti sunt *Sion*, id est Ecclesiam Christi, *convertantur retrorsum*, & *confundantur* in sua pravitate & cœcitate. Isti fuerunt Judæi, qui conversi sunt perdentes regnum & sacerdotium, & manserunt confusi, videntes Christum resurrexisse, & Ecclesiam proserpari. Et *fiant sicut fœnum tectorum*: nam fœnum tectorum, quod nascitur supra tectum, citò siccatur, & moritur, eò quòd non potest extendere radices in terram bo-

bonam : quia communiter fit tecum calce cum arena mixta ; & sic siccatur fœnum *antequam evellatur* : sic propriè Synagoga A deficcata *exaruit* post adventum Christi; eò quòd defecit ipsi humor gratiæ, & fundamentum , & terra pinguis , & fœcunda.

Nota de cærimoniis Legis veteris.

Unde nota , quòd sacramenta , & cærimoniæ veteris Testamenti comparantur fœno nato super tectum: nam illud fœnum nec viret , nec fructificat , nec multum crescit , propter defectum terræ humidæ & aquæ. Ita Synagoga est effecta sterilis per adventum Christi , & sacramenta veteris Legis infructifera , & infœcunda : quia defecit eis gratia Christi , quam contulit sacramentis novæ Legis ; & ideo aruit Synagoga & ficulnea ejus. Ideo sicut messores non veniunt ad metendum fœnum natum super tectum , eò quòd est inutile & B sine fructu ; ita jam nemo potest metere, nec colligere aliquem fructum, nec messem ex Synagogâ , nec ex sacramentis, & cærimoniis veteris Legis.

Ideo dicit Propheta : *Fiant sicut fœnum tectorum &c. De quo* fœno Synagogæ, & sacramentorum , & cærimoniarum ejus *qui metet , & qui colliget manipulos* deludetur : id est , messor fidelis & collector manipulorum & fructuum *non implevit*, nec implebit *manum suam* ex messibus: nec etiam implebit *sinum suum* fructibus. Quia illud fœnum siccum nullum fructum affert ; immò sunt mortifera sacramenta veteris Legis, & cærimoniæ , post adventum Christi. Et sicut prætereuntes C numquam benedicunt fœnum ortum super tectum , immò maledicunt, eò quòd nocivum & inutile , & destruxit tectum: ita nemo jam benedicit Synagogam , nec fœnum sacramentorum , & cærimoniarum ejus : eò quòd infructuosum , & nocivum , & maledictum à Christo , quando maledixit ficulneam , quæ continuò aruit , *Matthæi* 22. Ideo dicit:

1.q.1.Ex

7. *Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos : benedximus vobis in nomine Domini.* D

NAM mos est hominibus cum transeunt , videntes messem uberem, benedicere eam , dicendo : *Deus benedicat tibi* , & pervenias ad maturationem: sed quando herba est arida , nemo ei benedicit , immò econtrario dicit : *Ignis de cœlo comburat te.* Ita nemo fidelis benedicit hodie Synagogam , nec fœnum sacramentorum ejus , cùm sit arida , & maledicta : quia ea quæ nascuntur in ea, non crescunt in nomine Domini ; ideo non crescunt , nec virent. Ista sententia & maledictio data Synagogæ , datur omnibus E Judæis protervis , & omnibus infidelibus persequentibus Ecclesiam , & Hæreticis, tàm in corpore , quàm in anima. Nam eorum cervices & perfidia est concisa & prostrata, & idololatria deleta , & omnes ad fidem sunt conversi.

Punitio Synagogæ post Christi mortem.

Ad cujus majorem evidentiam est notandum , quòd Synagoga Judæorum multiplici pœnâ fuit plexa & punita post mortem Christi. Primò : quia fuit ejus *cervix*, id est superbia , concisa & confracta & dejecta : quia fuerunt dediti servituti , dispersi per mundum. Secundò, fuit confusa, manens in suo mendacio , cùm vidit Christum resurrexisse , & vidit Ecclesiam prosperari. Tertiò , fuit retrorsum conversa , & ab F honore dejecta , cùm perdidit sacerdotium, & hostias , & sacrificium. Quartò, *exaruit sicut fœnum tectorum*, quando cærimonialia & legalia perdiderunt virtutem. Quintò , facta est etiam infructuosa, quando ipsa legalia nullum fructum , aut meritum asserunt : quia cum Christo fuerunt mortua & sepulta. Sextò , Synagoga fuit maledicta à Deo : quia post publicationem Euangelii , legalia non solùm fuerunt mortua & infructuosa , sed etiam sunt mortifera omnibus qui observant ea , & spem ponunt in ipsis. Septimò , ipsa Synagoga non solùm est maledicta à Deo , sed etiam est maledicta ab omnibus nationibus , & data in opprobrium propter mortem Christi : quia ut sic sunt reputati inimici Dei.

Ideo propter primum dicit Propheta G in hoc loco : *Dominus justus concidit cervices peccatorum.* De secundo dicit: *Confundantur.* De tertio dicit : *Convertantur retrorsum.* De quarto dicit : *Fiant sicut fœnum tectorum , quod priusquam evellatur , exaruit.* De quinto dicit: *De quo non implevit manum suam qui metit , & sinum suum qui manipulos colligit.* De sexto dicit: *Et non dixerunt qui præteribant : Benedictio Domini super vos.* De septimo dicit: *Nec dixerunt: Benedximus vobis in nomine Domini.*

Iterum est advertendum , quòd has easdem septem punitiones induxit Deus super Gentiles , & Hæreticos obstinatos, qui H persecuti sunt Ecclesiam Dei : & etiam venient super Saracenos , & sequaces Antichristi : quia omnes infelicem exitum patientur , & finaliter Ecclesia de omnibus persecutoribus triumphabit. Et sic prudens lector poterit has septem punitiones omnibus Ecclesiæ persecutoribus applicare , secundùm intentum Prophetæ.

*** ***
*** ***

PSALMUS CXXIX.

1. *De profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.*

2. *Fiant aures tuæ intendentes , in vocem deprecationis meæ.*

3. *Si iniquitates observaveris Domine: Domine,quis sustinebit?*

De Pœ.d. 1.§.Denique,c.Voluissent. 15. dist. Sancta Romana. De Pœ.d. 2. Sunt plures, §. Auctoritas.

UNdecimus gradus hujus ascensus in Deum , est profunda oratio , & firma & perseverans confidentia veniæ de peccatis. Et ideo David fecit hunc Psalmum pro ascensu undecimi gradus Templi , in quo describit profundam orationem *hominis mystici* desiderantis , & petentis redemptionem per adventum Christi. Et etiam describit desiderium cujuscumque peccatoris ascendentis de profundo carcere peccati ad altitudinem statûs gratiæ. Et ideo ista vox potest esse totius corporis mystici existentis in statu veteris Legis: & sic petit redimi, & educi de carcere peccati originalis , & de onere legis : & etiam de Limbo inferni : & sic potest esse vox patrum existentium in Limbo petentium liberari per Christum. Vel potest esse vox cujuscumque peccatoris pœnitentis, petentis educi de carcere peccatorum , & ascendere ad statum gratiæ per pœnitentiam.

Exponitur dupliciter.

Et sic iste Psalmus dupliciter potest exponi. Uno modo propheticè & mysticè, prout est vox corporis mystici existentis in statu Legis veteris ; aut est vox cœtus patrum existentium in Limbo. Secundo modo potest exponi moraliter , prout est vox ipsius pœnitentis. Duo ergo facit David in hoc Psalmo: nam primò introducit *Adam*, sive totum *hominem mysticum* petentem redemptionem per adventum Christi , & liberari à carcere & captivitate peccati. Secundò , Propheta exhortatur nos omnes, & reddit securos ad sperandum in Domino , & petendum veniam , & ad sperandum adventum Christi. Ibi : *Speret Israel in Domino.*

Quantum ergo ad primum , *Adam* cum tota sua posteritate Fidelium , sive totus *homo mysticus* existens in profundo, & captivitate diaboli propter peccatum primi parentis , per magna tempora clamavit per omnes Patriarchas & Prophetas, ut Christus veniret in carne , & educeret ipsum de illa captivitate : in cujus memoriam Ecclesia septies vocat Christum in adventu ante festum Nativitatis , dicens: O *sapientia &c.* Et sic iste *homo mysticus* dicit existens in hoc profundo carcere , vel in Limbo inferni : O Domine Jesu Christe, ego *clamavi* per magna tempora *de profundis* Limbi inferni , & *de profundo* carceris peccati. *Clamavi* etiam *de profundis* cordis & mentis meæ ad te cum maxima contritione & desiderio , ut venires ad liberandum me. Et ideo Domine exaudi orationem meam , admittendo petitionem. Et *fiant intendentes aures* misericordiæ tuæ *in vocem* , id est , erga vocem deprecationis meæ , adimplendo quod peto : & non respicias peccata mea. Nam *si tu Domine observaveris* , id est , respicere volueris iniquitates meas , & meritum earum , & punire me juxta demerita mea , & secundùm gravitatem peccati mei , ò *Domine* , *quis sustinebit*? id est , quis poterit sustinere pœnas debitas pro culpa tam gravi ? Ergo si tu volueris attendere ad demerita iniquitatum mearum , & dare mihi pœnas debitas : tunc impossibile est me illas sustinere, cùm tales pœnæ sint æternæ.

De Pœ.d. 1.Serpens

4. *Quia apud te propitiatio est : & propter legem tuam sustinui te Domine.*

11. q. 3. c.Ad mensam.

5. *Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.*

93.d.cap. Diaconi.

6. *A custodia matutina usque ad noctem , speret Israel in Domino.*

7. *Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum redemptio.*

8. *Et ipse redimet Israel , ex omnibus iniquitatibus ejus.*

QUIA scio Domine , quòd non observas, nec attendis ad peccata hominum , sed consideras & compateris fragilitati hominum. Et scio , quòd es misericors & pius naturaliter : eò quòd es facilis ad veniam , & tardus ad pœnam : & sic scio , quòd *apud te est propitiatio* & remissio. Item secundò scio , quia tu in lege tua promisisti veniam pœnitentibus, dicens per Prophetam : *Derelinquat impius viam suam &c.* Et ideo propter ista duo · Primò , *quia apud te propitiatio est* naturaliter. Secundò , *propter legem tuam* : quia in tota lege tua & Prophetis nihil aliud est,

nec

nec ſcribitur, nec promittitur, nec figuratur, nec vaticinatur, niſi adventus Meſſiæ, qui nos debet redimere, & liberare. A Propter ergo iſta duo *ſuſtinui te*, ò *Domine*, id eſt, ſperavi in te: & ſub tali fide & ſpe futuri Redemptoris & Meſſiæ expectando te, ego vixi in Lege veteri. Quaſi dicat: O Domine, *ego ſuſtinui te*, id eſt, expectavi te per longa tempora cum magna patientia, propter duo: Primò, *quia apud te eſt* magna *propitiatio*, & miſericordia. Secundò, *propter legem tuam:* quia ſcio, & continuè lego in Lege & Prophetis per myſteria & prophetias, qualiter promiſiſti nobis Chriſtum Redemptorem & Salvatorem. Et ideo *anima mea ſuſtinuit & ſperavit in verbo ejus*, & in promiſſione facta per verbum ejus omnibus Patriarchis & Prophetis. Et ideo propter tale verbum, & propter talem promiſſionem *anima mea ſperavit in Domino*, *à* B *cuſtodia matutina*, id eſt, à principio mundi, *uſque ad noctem*, id eſt, uſque ad Judicium.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum, quòd totus ſtatus veteris Legis ab *Adam* uſque ad *Judicium*, dicitur una *nox* reſpectu gloriæ & reſurrectionis. Et ſic iſte *homo myſticus ſperavit in Domino à cuſtodia matutina*, quæ fuit ſtatus innocentiæ ipſius *Adam*, & expectavit *uſque ad noctem*, id eſt, per totum ſpatium temporis uſque ad diem Judicii expectavit Chriſtum, ut veniat ad glorificandum ipſum per ſecundum adventum.

Tempus legis gratiæ dicitur dies.

Sed rurſum eſt advertendum, quòd totum ſpatium Legis veteris comparatum ad ſtatum gratiæ, dicitur *nox*; & tempus C Legis gratiæ dicitur *dies*: & ſic iſte *homo myſticus* expectavit Chriſtum *à cuſtodia matutina*, id eſt, à principio mundi, in quo fuit in ſtatu gratiæ *uſque ad noctem*, in quo fuit in ſtatu culpæ: in cujus fine noctis venit Chriſtus in carne tamquam *Sol Juſtitiæ*, qui per ſuam præſentiam cauſavit diem gratiæ.

Sed rurſus per totum iſtum diem gratiæ *à cuſtodia matutina*, id eſt, à tempore reſurrectionis Chriſti *uſque ad noctem*, id eſt, uſque ad finem mundi, *ſuſtinet* & expectat ipſum tota Eccleſia, ut veniat ad glorificandum nos. Et ideo dicit: *Speravit anima mea in Domino à cuſtodia ma-* D *tutina uſque ad noctem*, id eſt, ad finem mundi. Sed eſt advertendum, quòd littera *Hieronymi* habet ſic: *Expectavit anima mea ad Dominum à vigilia matutina uſque ad vigiliam matutinam*: & hoc forſan ſtat meliùs. Quaſi dicat, quòd *anima mea expectavit* Chriſtum *à vigilia matutina*, quæ fuit ſtatus innocentiæ ante peccatum Adæ, *uſque ad vigiliam matutinam*, in qua apparuit Chriſtus in carne, & dedit Legem Euangelicam in primo adventu: & ſic expectavit ipſum ad redimendum. Sed adhuc expectat ipſum in ſecundo adventu uſque ad aliam vigiliam matutinam, quæ E erit in generali reſurrectione, in qua veniet Chriſtus ad glorificandum: & tunc reſtituet regnum Deo Patri &c.

Paſtor quatuor vigiliæ.

Unde ad majorem intelligentiam eſt notandum, quòd Propheta hic loquitur parabolicè ad modum paſtorum cuſtodientium gregem, vel ſecundùm morem exercitûs armatorum. Nam conſuetudo paſtorum eſt facere quatuor vigilias, vel cuſtodias in nocte, & quatuor in die. *Prima vigilia* noctis eſt, & incipit poſt occaſum Solis, & durat per tres horas. *Secunda* durat à tertia hora noctis uſque ad mediam noctem. *Tertia vigilia* incipit à medietate noctis, & durat per tres horas. *Ultima* autem *vigilia* eſt totum reſiduum uſque ad Auroram: & ſic dividunt paſtores totam noctem per quatuor vigilias ſecundùm pro- F portionem temporis. Unde quando una pars eorum vigilat, alia dormit: & ſic dividunt ſibi totam noctem per quatuor vigilias, ut defendant gregem ſuum de faucibus luporum: & ita pariter dividunt diem per alias quatuor vigilias & cuſtodias. Et eamdem conſuetudinem ſervant pugiles in exercitu armorum, & etiam in oppidis obſeſſis.

Et ſic eſt dicendum, quòd pariter Deus omnipotens ordinavit *quatuor vigilias* in tota *nocte* Legis veteris. Nam in *prima vigilia* poſuit Patriarchas, ab *Adam* uſque ad *Jacob*, & etiam *Moyſen*, qui cuſtodierunt gregem, & populum Domini contra diabolum. In *ſecunda vigilia* poſuit *Moyſen*, & omnes Judices, qui cuſtodie- G runt gregem Domini per Legem ſcriptam uſque ad *David*. In *tertia vigilia* poſuit *David*, & omnes Prophetas, & Reges, qui cuſtodierunt gregem Domini uſque ad tranſmigrationem Babylonis, & finem primi Templi. Sed in *quarta vigilia* poſuit *Eſdram*, & alios Sacerdotes, qui cuſtodierunt & rexerunt populum Domini uſque ad adventum Chriſti, in quo fuit *dies* gratiæ, & juſtitiæ.

Et rurſus Chriſtus iſtum *diem* diviſit per quatuor vigilias. Nam in *prima vigilia* poſuit *Apoſtolos*, qui rexerunt & cuſtodierunt Eccleſiam Domini de manu diaboli & Judæorum. In *ſecunda vigilia* po- H fuit *Martyres*, qui defenderunt Eccleſiam Domini de manu Tyrannorum uſque ad converſionem *Conſtantini*. In *tertia vigilia* poſuit Doctores, qui defenderunt Eccleſiam Dei ab incurſu Hæreticorum. In *quarta vigilia* tempore Antichriſti ponet viros fortes & charitativos, qui multo ſanguine defendent Eccleſiam Chriſti ab immanitate & ſævitia Antichriſti.

Ex quo patet, quòd iſte *homo myſticus à prima cuſtodia matutina*, ſcilicet, à principio mundi per *quatuor vigilias noctis* veteris Legis expectavit uſque ad primum

mum adventum Christi : & postea per alias *quatuor vigilias* hujus *diei gratiæ* expectat Christum *usque ad aliam vigiliam matutinam*, quæ erit in secundo adventu. Et ideo dicit Propheta : *Sustinuit*, sive *expectavit anima mea in verbo ejus*, id est, in promissione, *à custodia matutina usque ad custodiam matutinam*, id est, à principio hujus mundi usque ad finem : post quem incipiet alia *custodia matutina*, quæ dicitur *dies gloriæ*.

Nota de quatuor Ecclesiæ vigiliis.

Iterum est advertendum, quòd ex hoc dicto & exemplo Ecclesia sumpsit & ordinavit Officium Canonicum divisum per has horas & vigilias nocturnas pariterque diurnas. Nam sic pastores dividunt totam noctem per quatuor vigilias & custodias, ut defendant & custodiant gregem suum, ne rapiatur à lupis, aut dispergatur. Ita pariter Ecclesia, cui est cura de ovibus Christi, ordinavit & divisit totam noctem per *quatuor vigilias* in Officio Nocturno. Nam totum Officium Nocturnum dividitur in quatuor partes, scilicet, in tres Nocturnos, & Laudes. Nam in primo Nocturno cantat tres Psalmos & tres Lectiones, juxta tres horas primæ vigiliæ : & in secundo & tertio totidem. Unde primum Nocturnum cantat pro prima vigilia noctis, & secundum pro secunda, & tertium pro tertia, & Laudes cantat pro quarta & ultima vigilia noctis. In quibus Laudibus cantat Hymnum, & *Benedictus Dominus Deus Israel*, agendo gratias, quia jam venit dies, qui significat ultimam vigiliam Legis veteris, in qua fuerunt *Zacharias*, & *Simeon*, qui receperunt Christum quasi in Aurora illius noctis in qua Christum receperunt. Et ideo dixit *Zacharias* : *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* Et *Simeon* dixit: *Nunc dimittis &c.* Unde ad similitudinem harum vigiliarum sancti Patres primitivæ Ecclesiæ apud Ægyptum, ut ait *Eusebius* & *Philo*, *per totam noctem orabant in Hymnis & Psalmis, successivè vigilias noctis custodientes.* Nam una pars orabat per totam primam vigiliam ; & alia pars surgebat, & orabat in secunda vigilia : & sic alia vigilabat in tertia ; & alia in quarta : & sic nullo modo cessabatur à laudibus Dei per totam noctem.

Sed postea consideratâ humanâ fragilitate, ordinavit Ecclesia, ut ad minus post mediam noctem sine intervallo celebretur totum Officium Matutinale, in quo continentur supradicti tres Nocturni cum Laudibus, in quibus denotantur quatuor vigiliæ, sive quatuor custodiæ noctis. Postea verò in die celebrat alias quatuor vigilias, scilicet, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam : in quibus includitur tota dies, sumendo, & includendo tres horas diei in qualibet hora & vigilia. Et ideo cantat tres Psalmos in qualibet illarum quatuor horarum, scilicet, ad Primam tres, ad Tertiam tres &c. Sed postea Ecclesia addidit Vesperas & Completorium, ratione depositionis Christi de cruce, & repositionis in sepulchro. Et sic dicuntur septem Horæ Canonicæ, computando totum Officium Matutinale pro una hora. Et sic unusquisque fidelis potest dicere in hac peregrinatione pro quolibet die : *Speravit anima mea in Domino à custodia matutina usque ad noctem* : sive *à vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam*, per omnes Horas Canonicas, supple, discurrendo. Unde iste modus orandi per quatuor vigilias noctis & per quatuor vigilias diei, jam reperitur in veteri Testamento. Unde *Esdras* præcepit ut orarent Judæi in Templo quater in die, & quater in nocte.

Speret Israel in Domino. Hîc incipit versus & sententia in Hebræo, ubi David exhortatur Patres veteris Testamenti, & totum cœtum Israel ad expectandum Christum in carne in primo adventu : & etiam exhortatur omnes Fideles novi Testamenti ad sperandum Christum in gloria in secundo adventu. Et ideo dicit : Sicut *anima mea speravit in Domino à custodia matutina usque ad noctem* : ita exhortor totum Israel, ut speret in Domino Jesu Christo, ut veniat in carne ad redimendum nos : quoniam *apud Dominum* est infinita *misericordia*, & apud *eum* est *copiosa redemptio* & abundans. Nam sicut *misericordia* ipsius est infinita, ita *redemptio* ejus est *copiosa* & non limitata : quia non solùm potest delere unum peccatum, sed infinita ; nec solùm redimere unum hominem, sed infinitos : nec *redemptio* ejus est per parvum tempus, sed successivè per infinita tempora, si mundus duraret in infinitum. Et ideo quia *redemptio* ejus est *copiosa*, non solùm effudit unam guttam sanguinis, sed totus sanguis ex corpore effusus & exhaustus est. Et ideo quia ejus *redemptio* est *copiosa* & infinita extensivè; ideo *ipse redimet Israel*, id est, totam Ecclesiam, *ex omnibus iniquitatibus* & peccatis *ejus*.

Redemptio Christi dicitur tripliciter copiosa.

Ad majorem evidentiam eorum quæ dicta sunt est notandum, quòd *redemptio* Christi tripliciter potest dici *copiosa*, secundùm quod ad tria potest comparari. Nam primò potest comparari ad Christum Redemptorem. Secundò, ad genus humanum redemptum à peccato & pœnâ. Tertiò, ad gloriam æternam, & regnum cœlorum, quod Christus sanguine suo emit pro nobis.

Quantum ergo ad primum, *redemptio* Christi dicitur *copiosa* : eò quòd Christus copiosè nos redemit : quia non solùm effudit partem sanguinis, sed totum sanguinem pro nobis exhausit. Item, non solùm dedit totum corpus ad sepulchrum, sed etiam animam pro nobis omnibus obtulit Patri, & sic seipsum totum obtulit

pro

pro nobis in pretium : & ſic ex parte Chriſti redemptio non potuit eſſe copioſior.

Secundo modo quoad nos illa *redemptio* quadrupliciter fuit *copioſa*. Primò, quia non ſolùm nos redemit quoad animam, peccata & pœnam relaxando, & eam à morte culpæ liberando ; ſed etiam nos redemit quoad corpus, ab omnibus pœnalitatibus liberando & ſanando, & immortalitatem recuperando, quam ſumus adepturi in noviſſimo die : quia ſi nondum ſurreximus in actu ; tamen jam ſurreximus in merito, ratione baptiſmi Chriſti, ut dictum eſt *Pſalmo* 102. & ſic Chriſtus quoad totum nos redemit. Secundò, per iſtam redemptionem non ſolùm redemit unum hominem, ſed & omnes homines ; & non ſolùm unam nationem, ſed omnes ; nec unam provinciam, ſed totum orbem terrarum. Tertiò, fuit *copioſa* ratione temporis : quia non redemit ſolùm præſentes, ſed præteritos & futuros. Quartò, fuit *copioſa* ratione multitudinis peccatorum : nam non ſolùm liberavit, & redemit nos ab uno peccato, nec ab uno ſolo genere peccatorum, ſed ab omni peccato, tàm mortali, quàm originali & veniali. Et ſic ex parte, & loco, & tempore, & numero illa *redemptio* fuit *copioſa* apud Chriſtum. Tertiò, *redemptio* Chriſti fuit *copioſa* ratione regni cœlorum, quod pro nobis omnibus emit à Patre : nam regnum cœlorum eſt infinitum in ſe intenſivè & extenſivè, in quantum ab infinitis ſucceſſivè poſſit participari : ſed pro omnibus illis emit ipſum Chriſtus : Igitur ejus *redemptio* fuit *copioſa* ; primò ratione ſui ; ſecundò ratione generis humani redempti ; tertiò ratione regni cœlorum pro omnibus empti.

Chriſtus, & nò alia creatura potuit genus humanus redimere.

Ex ſupradictis ſequitur, quòd ſolus Chriſtus, & nulla pura creatura, quantumcumque perfecta & ſancta, potuit genus humanum redimere. Hoc dupliciter probatur : primò, ratione multiplicis culpæ & pœnæ, à qua ſententia ſumus redempti. Secundò, ratione regni cœlorum nobis acquiſiti.

Primum patet : nam peccata à quibus ſumus liberati, ſunt infinita intenſivè ratione Dei, contra quem facta eſt offenſa & ſunt commiſſa : & extenſivè, quia omnes eramus peccato multiplici obnoxii : quia non ſolùm redemit præſentes, ſed etiam præteritos & futuros, ut dictum eſt : ergo talia peccata non poterant deleri niſi per virtutem & pretium infinitum. Nam *actio non fit niſi à proportione majoris inæqualitatis* ; ut inquit *Commentator, ſecundo de Generatione* : ergo oportet quod ſit major virtus agentis in agendo, quam paſſi in reſiſtendo. Sed peccatum totius generis humani eſt infinitum intenſivè & extenſivè : & pœna pariter eſt infinita extenſivè : ergo per nullum meritum aut virtutem alicujus creaturæ poterat relaxari, cùm meritum cujuſcumque creaturæ puræ non poſſit eſſe niſi finitum : quia quælibet creatura pura data ſemper habet minus de merito, quàm ſint omnia peccata generis humani in culpa : & ſic ſemper manet major reſiſtentia, non ſolùm in toto genere humano, ſed etiam in quolibet peccatore : quia quilibet peccator magis habet de culpa ad reſiſtendum, quàm pura creatura habet de merito ad relaxandum. Ergo oportebat ut Redemptor haberet magis de gratia & merito, quàm totum genus humanum de culpa & pœna : & ſic ſolus Chriſtus potuit eſſe Redemptor ratione gratiæ unionis, & ratione puritatis, & immunitatis, ut dictum eſt *Pſalmo* 17. quia ut ſic habet gratiam & meritum infinitum extenſivè contra omnem culpam & pœnam : & ſic ſolus Chriſtus nos potuit redimere quoad corpus & animam ab omni culpâ & pœnâ, & potuit dare de ſe pretium ſufficiens pro omnibus præſentibus & futuris. Et per eamdem rationem potuit dare ſufficiens pretium Patri pro regno cœlorum ſuis membris poſſidendo & conferendo. Et ſic patet, qualiter redemptio Chriſti omnibus modis fuit copioſa. Et ideo concludit Propheta, quòd quia *redemptio* eſt *copioſa apud* Chriſtum, ideo *redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus*. Sed quia iſte Pſalmus eſt unus de ſeptem *Pœnitentialibus*, & communiter recitatur tempore pœnitentiæ : ideo oportet, ut poſt ſenſum propheticum etiam moraliter exponatur pro quolibet pœnitente.

Ad cujus intellectum eſt notandum ſecundùm *Auguſt.* quòd ſicut homo per gratiam elevatur uſque ad propinquitatem Dei, ita per peccatum deprimitur & demergitur uſque ad profundum inferni, & elongatur à Deo. Ideo dicebat *Abraham* ad *divitem epulonem* exiſtentem in profundo : *Inter nos & vos magum chaos firmatum eſt*. Et ſic omnis peccator dicitur eſſe in profundo miſeriæ, & in profundo carcere peccati, & per conſequens quando peccator cognoſcit ſeipſum per gratiam prævenientem, *de profundis* peccatorum clamat ad Deum, petendo veniam & remiſſionem de culpa ſua, & quærit liberari ab illo carcere peccati. Et ſic *de profundis* dicitur *clamare ad Dominum*, quaſi de profundo ſtatu.

Nota.

Tres partes pœnitentiæ.

Item eſt iterum advertendum, quòd tres ſunt partes pœnitentiæ, ſcilicet, cordis *Contritio*, & oris *Confeſsio*, & operis *Satisfactio*. Et ſic omnis pœnitentia incipit à cordis contritione ; & ſic peccator quando incipit quærere veniam, & incipit pœnitentiam, dicitur *clamare de profundis* cordis per contritionem.

Dicit ergo David in perſona cujuslibet pœnitentis : *O Domine*, ego *clamavi ad te*, & clamo *de profundis* & intimis cordis mei. Ideo *exaudi vocem meam*, remiſſionem indulgendo : & *fiant aures tuæ* miſericordiæ *intendentes*

tes in vocem deprecationis meæ, pœnitentiam meam acceptando : & noli attendere ad gravitatem peccati mei, nec dare pœnam condignam peccatis meis. Nam *si tu observaveris*, & respexeris *iniquitates* meas, dando pœnam condignam; *quis sustinebit*? aut quis sustinere poterit talem pœnam? Quasi dicat : *nullus*. Et ideo, O Domine, ego *sustinui*, id est, expectavi & expecto obtinere veniam per pœnitentiam: & hoc propter duo. Primò, quia *apud te est propitiatio*, id est, infinita misericordia. Secundò, *propter Legem tuam*: quia semper per omnes Patriarchas & Prophetas, & utramque Legem, tàm Euangelicam, quàm veterem, promisisti veniam pœnitentibus. Et ideo *anima mea sustinuit*, id est, expectavit *in verbo ejus*, scilicet Dei, qui talem veniam promisit. Et sic *anima mea speravit in Domino à custodia matutina usque ad noctem*, id est, à principio vitæ meæ usque ad mortem. Ergo totus *Israel*, id est, tota Ecclesia Fidelium *speret in Domino* : & unusquisque peccator speret veniam per pœnitentiam : quoniam magna *misericordia* est *apud Deum, & copiosa redemptio* est *apud eum*, propter causas jam dictas. *Et ipse redimet Israel*, & totam Ecclesiam Fidelium, *ex omnibus iniquitatibus ejus* : quia pro eis effudit totum sanguinem in cruce, & eos per mortem redemit : ex cujus latere omnia Sacramenta Ecclesiastica sumpserunt virtutem ad delendum omnia peccata, & infundendum & conferendum gratiam.

Psalmus CXXX.

1. *Domine non est exaltatum cor meum : neque elati sunt oculi mei.*

2. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.*

3. *Si non humiliter sentiebam : sed exaltavi animam meam.*

4. *Sicut ablactatus est super matre sua : ita retributio in anima mea.*

Titulus : *Canticum graduum David.* Duodecimus gradus, est profunda humilitas. Ideo David fecit hunc Psalmum pro ascensu duodecimi gradus Templi : in quo describitur, & in quo stat vera humilitas.

Ad cujus intelligentiam est notandum : quòd Judæi, & quidam Catholici dicunt, quòd David fecit hunc Psalmum ad placandum Deum in pestilentia data, quando numeravit populum : in quo allegat suam humilitatem, ostendendo innocentiam & humilitatem suam &c.

Sed hoc manifestè apparet irrationabile. Nam certum est, quòd David peccavit per superbiam, quando numeravit populum, & ideo fuit punitus in toto illo populo, in cujus copia fuerat elatus & gloriatus. Ergo si David vellet placare iram Dei, non se redderet innocentem, sed peccatorem : sicut fecit in veritate, quando dixit : *Ego sum qui peccavi : isti qui oves sunt, quid fecerunt*? 2. *Reg. ultim.* Ex quo patet, quòd sententia hujus Psalmi non potest convenire alicui puro homini, maximè cùm adjuret se sub anathemate & maledictione, se numquam superbè sensisse.

Ideo est advertendum, quòd peccatum primi parentis fuit exaltatio cordis, & elatio oculorum, & appetitus ascendendi in magna & mirabilia supra naturam & facultatem suam : & ideo perdidit felicitatem. Unde lac & ubera felicitatis ipsorum primorum parentum erat possessio illius paradisi in præsenti, in quo fruebantur bonis illius, & fructibus &c. & promittebatur eis in futuro æterna felicitas. Et hoc erat lac quo fruebantur, & felix mammilla quam sugebant, dum vellent Deo esse subjecti & inferiores, obediendo sicut decet.

Sed cum serpens ostendit eis *pomum vetitum* suave oculis ad videndum, & gustui ad vescendum, & dixit : *Quâ horâ comederitis, eritis sicut dii scientes bonum & malum* : quod bonum & malum, ut quidam dicunt, est scire librum prædestinationis, & reprobationis, & numerum & personas electorum, quod soli Deo convenit : Ideo quando *Adam* & *Eva* consenserunt huic falsæ persuasioni, & ei applicaverunt appetitum; tunc exaltatum est cor eorum ultra fas & licitum, & elati sunt oculi eorum appetentes Dei æqualitatem: & voluerunt *ambulare in magnis & mirabilibus super eos*, & eorum facultatem, volentes usurpare & rapere divinitatem, & quod est mirabilius super omnem facultatem creaturæ, scire prædestinationem electorum. Et sic volentes usurpare & rapere divinitatem, & quod Deo proprium est, perdiderunt felicitatem utriusque paradisi : & fuerunt *ablactati* ab ubere matris. Nam sicut puer cum ablactatur à matre, & aufertur ipsi mammilla, putat perdere totum bonum suum, quia non cognoscit aliam felicitatem : ita perdidit totam felicitatem *Adam*, cùm ipsi fuit ablata felicitas paradisi, & fuit ejectus foras in hanc vallem lacrymarum & miseriarum : & sic dicitur *ablactatus super matre*. Sed quia illud peccatum transivit in omnes posteros, ab eo per naturam & libidi-

Pecc... Adæ... perdi...

nostram generationem descendentes, & omnibus eis est ad culpam & ad pœnam damni imputatum : ideo de omnibus est verum dicere, quòd *exaltatum est cor eorum & elati sunt oculi, & ambulaverunt in magnis, & in mirabilibus super se.* Et sic in punitionem & pœnam omnes sunt *ablactati super matre* & privati lacte felicitatis. A

Sed quia solus Christus descendit ex *Adam* absque seminali & libidinosa generatione : ergo solus est *inter mortuos liber* de debito & jure à tali anathemate, & maledictione, & ablactatione. Et si *Virgo Maria* fuit libera, hoc non fuit ex debito, sed ex gratia præveniente, ut aliàs dictum est. Solus ergo Christus potest dicere Patri : *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* in Adam, *in quo omnes peccaverunt :* quia nec mihi est imputatum illud peccatum, nec fui imitator ipsius Adam : *nec ambulavi in magnis*, id est, nec elegi honores & divitias: *nec ambulavi in mirabilibus super me* quia omnia Patri meo attribuebam, cùm dixit: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me, Patris* : & cùm dixit : *Non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris* : & , *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me &c.* Et ideo subdit sub anathemate : *Si* in omnibus actibus meis, & prædicationibus meis, & miraculis *non sentiebam humiliter* : & si *exaltavi animam meam*, mihi honores attribuendo : si hoc feci, sit talis *retributio* & punitio *mea*, qualis fuit retributio Adæ: & sic sim ablactatus à lacte & ubere paradisi & felicitatis, *sicut est* puer *ablactatus super matre. Sed* quia hoc non feci, ideo non sum obnoxius illi anathemati & maledictioni & culpæ, sed *solus inter mortuos liber.* Ex quo patet, quòd supradicta verba nulli membro possunt convenire, sed soli capiti Christo. B C

De Consec. d. 2. c. Iteratur, & de Bapt. c. Majores

5. *Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.*

HIC Propheta exhortatur Ecclesiam & Fideles ad sperandum in Christo. Nam si ipse est *solus inter mortuos liber* & non *ablactatus* ab illo lacte felicitatis : ergo solus ille nos potest liberare ab illo anathemate & maledictione, & reducere ad *mammillam* & *lac*, à quo sumus ablactati: ergo in eo solo est sperandum. Dicit ergo : *Speret Israel in Domino* nostro Jesu Christo, & invocet eum, ut veniat ad liberandum nos *ex nunc*, dando gratiam, *& in sæculum*, conferendo gloriam. D

Nota ergo, quòd magnus thesaurus est in hoc Psalmiculo absconditus ; & quomodo peccant, qui nolunt pulsare, ut eis aperiatur. Ex quo patet quòd cum Ecclesia recitat istum Psalmum, loquitur in persona Christi, qui est caput Ecclesiæ & corporis mystici. Et etiam totus iste Psalmus verificatur de tota Ecclesia ratione capitis simpliciter : sed per gratiam potest verificari de persona *Virginis Mariæ*, ratione gratiæ prævenientis. Et sic etiam potest verificari de quibusdam justis, qui gratiâ præventi numquam actualiter peccaverunt. Et sic sententia hujus Psalmi semper est referenda principaliter & simpliciter ad Christum, qui est caput Ecclesiæ. E

Psalmus CXXXI.

2. Paral. 6. 7. q. 1. Omnis. 2. q. 1. Plerumque

1. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* F

TITULUS : *Canticum graduum.* Licèt in hoc Titulo non explicetur actor hujus Psalmi : tamen *Hieronymus in Epistola* 93. *de Obitu Paulæ*, asserit David feciſſe istum Psalmum, dicens : *Bene David juravit, dicens : Si introiero in tabernaculum domus meæ : si ascendero in lectum strati mei &c.*

Unde est advertendum, quòd tertiusdecimus gradus ascendentis in Deum, est profunda devotio. Et ideo David fecit istum Psalmum pro ascensu tertiidecimi gradûs Templi : in quo explicat devotionem suam erga divinum cultum. Et ideo Sacerdotes & Levitæ cantarunt hunc Psalmum, quando introduxerunt *Arcam* in Templum, & etiam in *Dedicatione* ejusdem Templi, ut patet 2. *Paral.* 6. *juxta finem.* Quiquidem Psalmus fundatur super promissione factâ ipsi David de Messia futuro, & perpetuitate regni ejus, & Ecclesiæ. G

Quæ quidem promissio facta fuit ipsi David quasi in præmium ; Primò, ad satisfaciendum ejus *mansuetudini* & patientiæ in adversis. Secundò, ad satisfaciendum ejus devotioni, sive devoto proposito de Templo ædificando, ut patet 2. *Reg.* 7. ubi duo mysteria memorantur. Primò, ex parte David de Templo ædificando devotum propositum. Secundò, ex parte Dei, de Messia, & ejus regno æterno firma promissio. Ex qua promissione David semper fuit affectus & sollicitus ad desiderandum & petendum Messiam de sua domo & carne promissum : & sic motus fuit ad faciendum istum Psalmum, & plures alios, ut dictum est. H

In quo quidem Psalmo duo principaliter facit : Nam primò, præmittit de Templo ædificando suam devotionem. Secundò, de rebus ipsi promissis format petitionem. Ibi : *Surge Domine in requiem tuam.*

Quantum ad primum est advertendum,

dum, quòd licèt gratia præcedat omne meritum; in nobis tamen communiter præmium subsequitur meritum. Unde licèt talis promissio facta fuerit ipsi David; tamen hoc fuit propter aliquod meritum præcedens. Quod quidem meritum non fuit sine gratia præcedente.

Quare de Christo fuit facta promissio David?

Unde duo merita fuerunt in ipso David, propter quæ Deus promisit ipsi Messiam de carne sua, & perpetuitatem regni Christi. Primum fuit magna patientia & mansuetudo in ejus persecutionibus. Secundum meritum, fuit summa devotio, & propositum quod habuit ad ædificandum Templum, & ampliandum divinum cultum, ut patet 2. *Reg.* 7. Nam illicò, post explicationem ejus boni propositi de Templo ædificando, facta est ipsi à Deo promissio. Est verum, quòd gratia Dei præcessit ista merita: Nam numquam David potuisset habere tantam patientiam in suis persecutionibus, nisi fuisset divinâ gratiâ præventus & adjutus. Item, nec David habuisset tantum affectum ad ædificandum Templum & ampliandum divinum cultum, nisi divinâ gratiâ fuisset impulsus. Sed non tollitur propterea, quin ex his actibus aliquo modo de congruo mereretur ipsi factam promissionem, licèt non de condigno, ut ipsemet explicat in Textu, cùm dicit: *Quis ego sum Domine Deus meus, & quæ domus mea? &c.*

Duo ergo facit David in hac prima parte antequam formet suam petitionem. Nam primò, allegat suam *mansuetudinem*, & patientiam, propter quam facta est sibi promissio. Secundò, allegat suam devotionem, & propositum de Templo ædificando. Ibi: *Sicut juravit Domino.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd in pluribus David ostendit suam *mansuetudinem* & patientiam. Primò, quia cùm tot beneficia fecisset ipsi *Sauli*, & toti populo Israel quos liberavit de opprobrio & servitute Philisthinorum, quando occidit Gigantem: & cùm Saul, invidiâ motus multotiens voluit ipsum interficere, & numquam cessavit ipsum persequi: & tamen David omnes has persecutiones cum maxima patientia & mansuetudine toleravit, ut patet per totum discursum 1. *Regum* 2. Secundò, ostendit suam maximam *mansuetudinem* & patientiam: quia bis poterat *Saulem* interficere, hoc est, in spelunca, quando abscidit ipsi particulam vestis, ut patet 1. *Regum* 24. Item, quando abstulit ipsi dormienti hastam & scyphum, ut patet 1. *Reg.* 26. & tamen in tanta opportunitate excusavit ipsum de morte, dicens: *Nolite ponere manum in Christum Domini.* Tertiò, ostendit *mansuetudinem*: quia flevit mortem Saulis, & scidit vestimenta sua, & egit misericordiam erga domum suam, ut patet 2. *Reg.* 1. Quartò, ostendit maximam *mansuetudinem* & patientiam in persecutione filii sui *Absalom*, ut patet 2. *Reg.* 16. Unde dicunt communiter sacri Doctores, quòd ideo David omnes has persecutiones cum tanta mansuetudine & patientia toleravit, quia in ipsis, & etiam per ipsas prævidit in spiritu omnes persecutiones Christi, & Ecclesiæ. Nam quia prævidit quòd Christus Deus & homo, & Rex regum, & Dominus dominantium pro toto genere humano erat tot & tanta passurus antequam suum regnum & gloriam ostenderet: ideo David tamquam figura ipsius Christi, cum maximo desiderio & patientia voluit persecutiones tolerare: quæ quidem patientia non fuit sine gratia præcedente & adjuvante, ut dictum est.

Quia ergo in his persecutionibus pro tanta patientia & mansuetudine promissus fuit ipsi Messias de domo & carne ejus: ideo incipit in hoc Psalmo dicens: *O Domine* Jesu Christe, *memento* servi tui *Davit, & omnis mansuetudinis* & patientiæ *ejus*, quam habuit in adversis, & persecutionibus; pro qua mansuetudine promisisti sumere carnem de domo ejus, in qua totum genus redimeres humanum. Quasi dicat: Fac quod promisisti. Et nota, quòd Littera *Hieronymi* habet: *Memento Domine David, & omnis afflictionis ejus*, id est, mansuetudinis, quam habuit in afflictionibus.

2. *Sicut juravit Domino: votum vovit Deo Jacob.* 2. Reg. 2.

HIC allegat secundam causam & meritum hujus promissionis. Nam ut legitur 2. *Reg.* 2. postquam David adeptus fuerat regnum super totum Israel, & quasi quievit à præliis familiaribus suæ gentis, tunc introduxit *Arcam in Hierusalem* cum maximo honore, & tetendit ipsi tabernaculum juxta domum suam: & tunc proposuit in corde suo ædificare Templum lapideum & magnificum, in quo reponeretur Arca Domini, & quiesceret à longa peregrinatione: Et proposuit etiam ampliare cultum divinum: sed ex magno & secreto mysterio Deus prohibuit, ne ipse ædificaret illud Templum materiale, sed filius ejus *Salomon.* Verumtamen Deus ut satisfaceret ejus devotioni, & bono proposito, promisit ipsi per *Nathan* Prophetam Messiam futurum de sua generatione, & regnum æternum ejusdem: quam promissionem licèt ipse *Nathan* non intellexerit in principio, nisi de Templo materiali, & de regno Salomonis terreno; tamen per successionem temporis, & per continuam orationem contemplando prædictam promissionem, fuit ipsi revela-

ta

ta veritas & intelligentia spiritualis illius promissionis; maximè quando fuit ipsi tradita descriptio Templi à Spiritu sancto, in A qua intellexit totum mysterium Incarnationis Christi, & Passionis, & Resurrectionis, & nostræ redemptionis.

Unde cognovit, qualiter illud Templum materiale erat figura Templi humanitatis Christi, in qua Verbum Divinum per unionem personalem debebat requiescere. Unde propriè Arca illa significabat humanitatem Christi, in qua Christus habitat personaliter: & totum Templum significabat totam Ecclesiam, in qua Christus habitat per gratiam, & mysticam unionem. Et ideo David postquam vidit, quòd non poterat ædificare illud Templum materiale in effectu, voluit ipsum ædificare in affectu. Et ideo præparavit lapides, & ligna, & aurum, & B argentum, & omnia necessaria pro Templo ædificando: & sic præcepit *Salomoni* ut ædificaret illud Templum juxta exemplar & descriptionem sibi traditam: & sic etiam distribuit omnia officia ad cultum divinum pertinentia per Sacerdotes & Levitas. Ex quo patet, quòd licèt David non ædificaverit Templum in effectu; tamen ædificavit ipsum in affectu, ut patet 1. *Paralip.*28. Ex qua devotione & proposito meruit promissionem de Messia futuro: & hoc allegat hîc. Quasi dicat: *O Domine* non solùm *memento mansuetudinis* ipsius *David* & patientiæ supradictæ, sed etiam *memento, sicut*, & qualiter *juravit*, id est, cum juramento, & firmo proposito decrevit, & quomodo *vovit votum Deo Jacob* de Tem- C plo ædificando: & sic non solùm recorderis ejus mansuetudinis; sed etiam *voti quod vovit Deo Jacob*, ut ædificaret Templum *Deo Jacob*. Et notanter dicitur, *Deo Jacob*: nam David contemplans illud mysterium, qualiter *Jacob* vidit scalam, & erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper, & dixit: *Nihil aliud est hîc nisi domus Dei & porta cœli*: per hoc mysterium prævidit totum ædificium Ecclesiæ futuræ per Christum. Et ideo dicit: *Votum vovit Deo Jacob.* Quasi dicat, quòd vovit ædificare Templum, quod fuit figuratum per mysterium ipsius *Jacob*, *Genes.*28. cùm erexit lapidem in titulum, dicendo: *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste in titulum,* D *& vocabitur domus Dei &c.* & explicat votum quod fecerat, dicens:

2. Reg. 2. De Consec. d. 1. §. 1.

3. *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.*

4. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem,*

E 5. *Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

SI *introiero in tabernaculum domus meæ*: & ponitur *si* pro *non*, id est, non intrabo *in tabernaculum domus meæ*, nec ascendam *in lectum strati mei*: nec dabo *somnum oculis meis*, nec *palpebris dormitationem*: nec dabo *requiem temporibus meis*, scilicet, illis partibus capitis, ubi somnus situatur, & ubi obstruitur sensus communis, & sensus exteriores ligantur; quæ *tempora* vocantur, cujus partis som- F nus est passio. Ista non faciam, supple, cum quiete, *donec inveniam locum Domino*, & *donec inveniam tabernaculum Deo Jacob*, ubi Arca reponatur. Unde hîc David non dicit, quòd non comederit, nec dormierit post votum factum; sed loquitur secundùm modum loquendi vulgarem; sicut cùm quis dicit: *Non comedam, nec bibam* cum quiete, supple, *donec faciam quod promisi.* Hoc autem votum fecit David, 2. *Reg.*7.c. cùm dixit ad *Nathan: Vides quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Domini posita sit in medio pellium*? tunc David fecit votum apud se ædificandi magnificum Templum, in quo Arca quiesceret.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis silvæ.* 1. Re. 21. & 22.

G

7. *Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* 2. Reg. 5.

AD cujus intelligentiam est notandum, quòd ista *Arca Domini*, in qua figurabatur mysterium Christi & Ecclesiæ, fuit facta per *Moysen* in deserto, & juxta montem *Sinaï*, *Exod.* 25. Secundò, fuit portata quadraginta annis per desertum per H multas mansiones. Tertiò, fuit introducta in terram promissionis per *Jordanem*, aquis retrorsum conversis supra duodecim lapides, *Josue* 4. Quartò, fuit collocata in *Silo*, quæ est in monte & tribu *Ephraim.* Quintò, fuit capta à Philisthæis, & translata de civitate in civitatem eorum: ut patet 1. *Reg.*5. & inde reducta in *Bethsames*, sive *Cariathiarim*, infra *cap.* 7. & inde in *Masphath*, & inde in *Gabaa*, postea in *Nobe*, ubi erat tempore *Saulis*, cùm *David* comedit panes propositionis, & cepit gladium Goliæ ab *Achimelech*, 1. *Reg.*21. Et exinde translata est in *Gabaa* in do-

mum *Aminadab*, quando *Saul* præcepit destrui civitatem *Nobe*, & necari Sacerdotes, 1. *Reg.* 22. Et exinde transtulit eam David in domum *Obededon*, ubi mansit propter mortem *Ozæ*; & exinde in *Hierusalem*, ubi *David* tetendit ipsi tabernaculum, 2. *Reg.* 5. Ex quo patet, quòd ultra quadringentos annos *Arca Domini* peregrinata est per diversa loca, & numquam quievit. Et ideo propter istas tam frequentes transmutationes David fecit votum de Templo fixo ædificando.

Et ideo ait, & subdit: Non mireris, supple, quare feci tale votum: nam *ecce audivimus eam in Ephrata*, id est in *Silo*, terrâ *Ephraim*, & postea *invenimus* ipsam vagam & inquietam *in campis silvæ*, id est, in *Gabaa* & in domo *Obededon:* & ideo volui ipsi ædificare domum & Templum, ubi continuè quiescat. Et sic *introibimus in tabernaculum ejus*, & *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.*

Littera *Hieronymi* habet: *Intremus in tabernaculum ejus*, *& adoremus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Et tunc sententia est magis clara; quasi dicat: Ideo juravi Templum ædificare, ne ampliùs *Arca Domini* vagetur, & peregrinetur per campos, & silvas; sed sit firma & quieta, & *intremus in tabernaculum ejus*, *& adoremus in loco* Arcæ *ubi steterunt pedes ejus.* Et notanter dicitur: *Audivimus eam in Ephrata*: nam dum *Arca Domini* fuit in *Silo*, frequenter audiebantur responsa ex ea, ut patet per totum librum *Judicum.* Item, notanter etiam dicitur: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*: nam in Arca fœderis dicebatur Dominus *habere pedes*, & *sedere super Cherubim*, ut patet 3. *Reg.* 6. & 1. *Paral.* 28. & 2. *Paral.* 3. Et sic Deus dabat responsa ex Arca: & sic Deus audiebatur, sed non videbatur. Et sic illa Arca figurabat corpus & humanitatem Christi, in qua Deus personaliter latebat, & audiebatur ab Apostolis & Judæis: sed non videbatur oculis corporis. Item, sicut illa Arca capta est à Philisthæis, & delusa propter peccata populi: ita humanitas Christi, sive Christus in humanitate, fuit delusus, & tractus, & mortuus, & sepultus. Item sicut *Philisthini* fuerunt puniti propter Arcam, & *percussi in posteriora opprobrio sempiterno;* ita Judæi fuerunt destructi, & regnum eorum, propter mortem Christi: & sicut in illa Arca & Templo Deus adorabatur, & dicebatur *habitare*, & *habere pedes* suos: ita Deus habitat in illa humanitate Christi per unionem suppositalem, & dicitur *habere pedes.* Et etiam Christus dicitur habitare in tota Ecclesia, & *habere pedes* in ea: eò quòd est Caput Ecclesiæ. Ex supradictis patet explicitè tota devotio, & promissio ipsius David.

8. *Surge Domine in requiem tuam: tu & Arca sanctificationis tuæ:*

9. *Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exultent.*

2. *Paral.* 6. g. *Prover.* 6. 1. q. 1. §. ca. *Dominus. Extra de Jurejur. ca. Et si Christus.*

IN hac secunda parte David exponit suam petitionem, ut Deus impleat suam promissionem, petendo Messiam in Lege promissum, & ædificationem Ecclesiæ futuræ. Verumtamen Judæi moderni exponunt totam partem sequentem de petitione Templi materialis per *Salomonem* ædificandi, & de prosperitate sacerdotii, & regni temporalis *Salomonis:* dicentes, quòd *David*, vel *Salomon* in hac parte petit, ut Templum materiale ædificetur, & Arca in eo reponatur, & cultus divinus per Sacerdotes augeatur, & exerceatur in eodem Templo materiali.

Sed ista intelligentia est frivola & falsa: primò, quia promissio facta David, non fuit principaliter de Templo materiali, nec de regno temporali, ut pluries probatum est. Secundò, quia David non petit hoc regnum temporale, nec Templum materiale. Hoc probatur: nam si Deus prohibuit ne David ædificaret hoc Templum materiale: aut hoc fecit, quia *David* erat indignus, & *Salomon* dignus: aut propter aliquam aliam causam latentem propter aliquod mysterium. Non primum: nam *David* semper fuit dignior & sanctior *Salomone.* Nam in sua prima unctione recepit Spiritum sanctum, & spiritum gratiæ, ut patet 1. *Reg.* 16. nec umquam *Salomon* fuit ipsi comparandus in mansuetudine, & patientia, & devotione, nec fidelitate. Nam omnia quæ fecit *Salomon* erga cultum divinum, fecit ex præcepto David patris sui, nec aliquid posuit de suo. Nam omnia necessaria reliquit ipsi pater, ut supra dictum est: immò plura posuit *Salomon* in constructione trium templorum idolis dedicatorum pro uxoribus alienigenis, quàm umquam posuit in Templo Domini: immò causâ hujusmodi ædificii, imposuit populis exactiones pecuniarum, & onera importabilia, ut patet 3. *Reg.* 12.

Quare Salomon, & non David ædificavit Templum.

Item, *David* numquam apostatavit, sicut *Salomon.* Item, licèt David peccaverit quandoque; tamen à Fide numquam apostatavit: & sic cùm dicitur, quòd *David* fuit *vir sanguinis*, & propter hoc non fuit dignus ædificare Templum: per eamdem rationem potest dici, quòd *Salomon* fuit minùs dignus: nam David non effudit, nisi sanguinem infidelium pro defensione divinæ Legis: solùm autem legitur effudisse semel sanguinem innocentem, hoc est, in homicidio *Uriæ.* Sed Salomon multum san-

ſanguinem effudit in principio : nam fratrem ſuum *Adoniam* , & *Joab* interfecit, & ejus ſanguine cornu Altaris violavit. Ergo minus fuit dignus ædificare Templum.

Et ideo eſt dicendum, quòd illa prohibitio habuit aliam cauſam latentem; quaſi diceret Deus : Tu *David non es dignus ædificare Eccleſiam , ſed Filius tuus Jeſus, qui ſecundùm carnem egredietur poſtea ex te.* Unde in illa ædificatione Templi latebat totum myſterium Incarnationis: nam ſicut David præparavit omnia neceſſaria pro illo Templo , ſed Salomon dedit operam ædificio : ita per hoc figurabatur, quòd Verbum Divinum ſolùm habebat ſumere carnem ex genere David ex puris ſanguinibus Virginis ; ſed non modo naturali : quia ſolus Spiritus ſanctus debebat formare corpus Chriſti ex illis puris ſanguinibus Virginis, in qua carne & templo Verbum perſonaliter habitavit.

Eccleſia à ſolo Chriſto potuit ædificari.

Item , per hoc etiam ſignificabatur, quòd nec David , nec aliquis alius poterat ædificare Eccleſiam , niſi ſolus Chriſtus per Salomonem figuratus.

Ex quibus patet , quòd illa prohibitio potius facta eſt in figura templi ſpiritualis, & non ſolùm propter illud templum materiale. Ex dictis ergo in hoc Pſalmo, & in cæteris, patet, quòd illa promiſſio non eſt facta præcisè, nec principaliter de templo materiali , ſed de templo ſpirituali per Chriſtum ædificando. Et hoc petit David in hac parte. Quaſi dicat: O Domine, poſtquam ego implevi votum meum , ſicut juravi & vovi ; nam omnia neceſſaria pro templo conſtruendo præparavi , & templum in voto & affectu ædificavi : ergo tu imple , & fac quod promiſiſti ; ſcilicet, mitte Filium tuum , & ſumat carnem , & conſtruat templum Eccleſiæ , in quo omnes debemus ſalvari. Unde dicit : O Domine Jeſu Chriſte , poſtquam ego feci templum , per quod figuratur myſterium Incarnationis : ergo *ſurge in requiem tuam*, id eſt, veni , & accipe carnem ex *Virgine*; & ſume humanitatem , in qua requieſcas: quia hoc figurabat illa *Arca Teſtamenti*: & ſurgat etiam *Arca ſanctificationis tuæ*, ſcilicet , tota Eccleſia , quam tu es ædificaturus per prædicationem tuam , & per Mortem & Paſſionem , & Sacramentorum inſtitutionem. Et ſurgat Eccleſia , id eſt, ædificetur in altum ſupra firmam petram, quæ dicitur *Arca ſanctificationis tuæ* : eò quòd tu ſanctificabis , & conſecrabis eam ſanguine tuo, & ſanctificaberis & adoraberis in ea.

Arca Domini Eccleſia, vel Chriſti humanitas.

Unde eſt notandum , ſicut ſupra dictum eſt, quòd *Arca Domini* primò figurabat humanitatem Chriſti , & ex conſequenti figurabat Eccleſiam : & ideo de utraque dicitur : *Surge Domine in requiem tuam*: quia in utraque quieſcit Chriſtus , & later.

Et ponitur *ſurgere* pro *apparere* : & ideo dicit : *Surge Domine in requiem tuam* , id eſt , appare nobis in carne , & oſtende te in Eccleſia.

Poteſt hoc etiam referri ad reſurrectionem corporis Chriſti , quod primum fuit ſolutum per mortem , & poſtea reædificatum per reſurrectionem : & ideo dicit: *Surge Domine in requiem tuam* , id eſt, ſurge à mortuis tu & corpus tuum glorioſum , quod eſt *Arca ſanctificationis tuæ*: & ſurgat etiam Eccleſia tecum. Nam tua reſurrectio erit cauſa noſtræ reſurrectionis. Unde te reſurgente , ſurget Eccleſia, quæ eſt *Arca ſanctificationis tuæ.* Nam dabis poteſtatem Sacerdotibus ad conficienda Sacramenta , & dabis eis dona Spiritus ſancti , & *induentur virtute ex alto*, ut *ſancti tui* Apoſtoli *exultent.* Et ideo ſequitur: *Sacerdotes tui induantur juſtitiam*, id eſt , virtutem & poteſtatem Eccleſiaſticam , & dona Spiritus ſancti. Et *ſancti tui* , & omnes fideles *exultent* in tali ſanctificatione.

Duo ergo petit David in his duobus verſiculis ſub figura iſtius Arcæ. Primò petit myſterium Incarnationis & Reſurrectionis. Secundò , petit ædificationem Eccleſiæ , noſtram redemptionem , & Sacramentorum inſtitutionem.

Item , per *Arcam ſanctificationis* Chriſti poteſt intelligi *Virgo Maria* , quæ fuit *Arca ſanctitatis Chriſti* , in qua Chriſtus per novem menſes quievit ſecundùm carnem , & poſtea ſingulariter ſemper requievit & habitavit per gratiam.

10. *Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui.*

De Conſe. d. 1. §. 1. in princ.

HIC delirant Judæi dicentes , quòd quando *Salomon* introducebat Arcam in Templum , & fuit in iſto decimotertio gradu , quòd tunc clauſæ fuerunt portæ Templi per ſe : tunc *Salomon* putans hoc fuiſſe factum propter peccatum *David* in homicidio *Uriæ* , orando ad Deum dixit : O Domine , *non avertas faciem Chriſti tui* ; id eſt , à Chriſto tuo *Salomone*, qui eſt juſtus, propter David, id eſt, propter peccatum David. Et dicunt Judæi : quòd tunc facta oratione , & dicto iſto verſiculo, illicò fuerunt apertæ portæ Templi miraculosè.

Sed hoc eſt manifeſtè falſum & confictum , & contradicit toti ſcripturæ præcedenti, in qua dictum eſt : *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*, & allegatur ejus manſuetudo & devotio. Apparet etiam per hoc quod ſequitur: *Juravit Dominus David veritatem*, ubi allegatur ipſi facta promiſſio : ergo David hîc potius nominatur, ut ex ejus meritis Deus

im-

impleat quod petitur in hoc Psalmo, & non oppositum, sicut isti dicunt. Et ideo A
ista oratio David, in qua rogat Deum, ut veniat, & appareta in carne, & ædificet Ecclesiam ad hoc tendit, ut satisfaciat suæ devotioni & mansuetudini, & sibi factæ promissioni. Unde dicit David: O *Domine, surge in requiem tuam &c.* & *propter David servum tuum*, id est, propter ejus mansuetudinem & devotionem te rogo, ut *non avertas* ab eo *faciem* & notitiam & visionem Messiæ *Christi tui*: immò mitte ipsum in carne, ut videatur ab omnibus ejus facies & humanitas, sicut promisisti. Et hoc fac *propter David servum* tuum, id est, amore David servi tui: propter mansuetudinem, & fidem, & devotionem, quam tibi servavit, sicut promisisti & ju- B
rasti.

11. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

Ps. 1. c.

12. *Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos.*

24. q. 1. Loquitur. & c. Omnibus 93. d. Legimus.

13. *Et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.*

2. Reg. 7.

C

IN hac ultima particula volens David inclinare Deum ad suam petitionem, allegat promissionem sibi à Deo factam sub jurejurando, & stabili firmitate.

Decem dona Deus promisit Davidi.

Ad cujus intelligentiam est notandum: quòd Deus decem dona promisit ipsi David. Nam primò promisit, quòd de ejus fructu & generatione sederet semper rex super sedem suam. Secundò promisit, quòd si filii & nepotes David servarent mandata & Legem Dei, numquam auferretur eis regnum. Tertiò, quòd Deus elegerat *Sion* in suam habitationem æternaliter. Quartò, quòd ipse benediceret istam *Sion* in æternum. Quintò, promisit saturare pauperes & cives hujus *Sion* panibus sa- D
cramentalibus & spiritualibus. Sextò, promisit ornare ejus Sacerdotes. Septimò, lætificare cives ejus. Octavò, promisit producere generationem David usque ad Christum. Nonò, promisit confundere & maledicere inimicos hujus *Sion*. Decimò, promisit prosperare, & multiplicare generationem, & filios David, secundùm promissum, in hac *Sion*, sive Ecclesia. Omnia ergo ista decem promissa allegat David per ordinem in hac ultima particula, petendo, ut Deus impleat quod promisit.

Dicit ergo primò: O Domine, *non* E
avertas faciem Christi tui à me: sed mitte ipsum, ut promisisti, supple. Nam *Dominus* Deus *juravit veritatem*, id est, *cum veritate juravit*, ut habet Littera *Hieronymi*, *& non frustrabitur*, nec fraudabit eam, dicens: *De fructu ventris tui*, id est, de tua generatione secundùm carnem, *ponam* filium Regem *super sedem* tuam, id est, filius tuus secundùm carnem regnabit *super sedem*, qui erit Messias in Lege promissus.

Unde nota, quòd sedes Ecclesiæ hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, dicitur *sedes David*, eò quòd fuit promissa ipsi David in filio ejus Messia. Et ideo dicitur *Luc.* 1. *Dabit illi Dominus Deus* F
sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Et sic etiam tota Ecclesia Militans & Triumphans dicitur *domus*, & *regnum Jacob*; eò quòd de ista Ecclesia ipsi est facta promisio in filiis secundùm promisionem. Unde sicut omnes Fideles dicuntur *filii Jacob*, & *Israel*, & *Abrahæ* secundùm promisionem: ita per eamdem rationem & promisionem omnes *dicuntur filii David*. Et sic tota Ecclesia dicitur *domus David*. Et sic etiam sicut dupliciter dicuntur *filii Abrahæ & Jacob*, scilicet, secundùm promisionem, & secundùm carnem: ita pariter David habet duplices filios, scilicet secundùm promisionem, qui sunt omnes Fideles, & secundùm carnem, qui sunt ab eo per generationem carnalem descendentes. Et ideo illa promisio de successione regni G
David facta 2. *Reg.* 7. fuit gemina, & gemino modo debet intelligi. Nam filiis & regibus ex David descendentibus secundùm carnem promisit Deus successionem regni temporalis, si servarent Legem & mandata Dei: sed quia fuerunt prævaricati Legem Dei, declinantes ad idola, & ad alia flagitia nefanda: ideo fuit eis ablatum regnum, & civitas destructa per *Chaldæos*. Filiis autem promisionis & fidelibus promisit Deus sedem æternam, & spiritualem in domo David, scilicet, in hac Ecclesia per gratiam, & in futuro per gloriam, si servarent & custodirent Legem Dei, id est, si reciperent Christum in Lege promissum Patriarchis & Prophetis, & si ejus- H
dem Christi mandata servarent.

Sedes Ecclesiæ dicitur sedes David.

Nota.

De utrisque ergo filiis dicit hîc suo modo: *Si custodierint filii tui*, id est, *filii tui* carnales, & filii eorum *custodierint Testamentum meum*, scilicet, Legem & pactum, *& hæc testimonia mea, quæ docebo eos:* tunc tales Filii tui carnales *sedebunt super sedem tuam* materialem *in sæculum sæculi*, id est, per multa sæcula. Sed de filiis spiritualibus dicit: O David, ego promitto tibi, quod *si filii tui* secundùm promissionem, & *filii eorum*, id est omnes successores eorum spirituales *custodie-*

dierint Teſtamentum meum & pactum, Chriſtum recipiendo ſecundùm pactum & Legem meam, & *cuſtodierint hæc teſtimonia* & præcepta *mea*, *quæ docebo eos*, cùm venero in carne: tunc omnes iſti *ſedebunt in ſæculum* ſæculi, id eſt in æternum, *ſuper ſedem tuam* in hac Eccleſia per gratiam, & in futuro per gloriam. A

Sed hîc dubitaret fortè aliquis: Nam 2. *Reg.* 7. ubi facta fuit iſta promiſſio, non ſcribitur, quòd Deus promiſerit ſub jurejurando, ſicut hîc dicitur in Pſalmo: *Juravit Dominus David veritatem.* Sed ad hoc reſpondetur: quòd unicuique debet ſufficere authoritas David, qui fuit *egregius Propheta in Iſrael*, *& cui Dominus locutus eſt*, & per cujus linguam locutus eſt Spiritus ſanctus, ut patet 2. *Reg.* B 23. *c.* Et ideo eſt dicendum: quòd per ſucceſſionem temporis fuit facta ipſi David multiplex revelatio de intelligentia illius promiſſionis, ut dictum eſt; in quibus revelationibus Deus ſub jurejurando iſta promiſit. Et ideo dicit: *Juravit Dominus David veritatem &c.* Sed ad demonſtrandum, quòd iſtum regnum & iſta ſedes regalis promiſſa ipſi David, non erat temporalis, nec temporaliter perpetuanda, ſed in *Sion* ſpirituali, & cœleſti: ideo ſubdit Propheta, dicens:

14. *Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.* C

24 q. 1. *Loquitur. De Pœ. d. 6. §. 1.*

15. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam.*

IDeo, ſupple, promitto tibi, & filiis tuis ſedem æternam: non in *Sion* terrena, ſed in ſpirituali: *Quonaim Dominus elegit Sion*, *elegit eam in habitationem ſibi.* Et bis dicit *elegit*, & bis nominat *Sion*, ut comprehendat utramque *Sion*, ſcilicet Militantem & Triumphantem: Nam in hac habitat per gratiam, & in illa per gloriam. D Et ideo ſequitur: *Hæc*, ſcilicet Sion ſpiritualis, eſt *requies mea in ſæculum ſæculi*: *Hîc habitabo* per gratiam & Eccleſiaſtica ſacramenta, & in futuro per gloriam, *quoniam elegi eam* pro me, & filiis, & membris meis.

Ex ſupradictis patet, quòd in toto iſto Pſalmo non loquitur David de regno, nec de ſede temporali: Nam regnum David non fuit æternum: nec loquitur etiam hîc de *Sion* & *Hieruſalem* terrena: quia *Arca Domini* non habitavit, nec requievit in ea in æternum, quia illud Templum fuit combuſtum ſimul cum civitate per Chaldæos: & ſic Deus non habitavit in ſæculum ſæculi in illa *Arca*, nec in illa *Sion* terrena, prout E Judæi delirant. Et ideo eſt intelligenda iſta littera de *Sion* ſpirituali, ſcilicet de Eccleſia Chriſti, cujus una pars peregrinatur in hac vita, in qua Chriſtus quieſcit per gratiam & Eccleſiaſtica ſacramenta, quæ dicitur *Eccleſia Militans*: & altera jam fruitur in patria, quæ dicitur *Eccleſia Triumphans*, in qua Chriſtus quieſcit cum Beatis per gloriam. Sed quia Chriſtus ſponſus non converſatur facialiter in iſta Eccleſia Militanti; ideo dicitur *vidua*, quouſque recipiat ſponſum in patria: unde dupliciter dicitur *vidua*: Primò, propter abſentiam ſponſi: Secundò, quia eſt induta luctu & nigredine mortalitatis, ſed quando exuta fuerit iſtam carnem mortalem, & induta carnem glorioſam; tunc F dicetur *nupta*, & non *vidua*, ut patet *Apocalipſi* 20. quia tunc gaudebimus & exultabimus cùm venerint nuptiæ agni, & ſponſa præparaverit ſe. Sed uſque ad illud tempus iſta Eccleſia inferior dicitur *vidua*. Et de iſta vidua promittit Deus per Prophetam, dicens:

Eccleſia quare dicitur vidua.

24. q. 1. *Alienus, &c. Quicumque Et 1. q. 1. Ex catholica.*

16. *Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus.*

G EGO *benedicens*, id eſt cum maxima benedictione *benedicam* iſtam *viduam ejus* id eſt, iſtam Eccleſiam Militantem. Et dicit: *benedicens benedicam*, quia duplici benedictione benedixit iſtam Eccleſiam Chriſtus. Primò, benedictione ſacramentorum, abſolvendo à peccato: Secundò modo, benedictione donorum Spiritus ſancti, & ipſam multipliciter ornando. Et inde ſequitur: *Pauperes ejus ſaturabo panibus*: Nam multiplici pane ſaturavit Deus cives & pauperes hujus Eccleſiæ, ſcilicet pane ſeptem Sacramentorum, & panibus donorum Spiritus ſancti, ſcilicet ſapientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis &c. Et nota, quòd ly *ejus* refertur, & poteſt referri: Uno modo ad ipſam *Sion*, quæ habet duas partes, ſcilicet, Militantem, & Triumphantem: vel H poteſt referri ad Chriſtum; eò quòd iſta Eccleſia eſt *vidua ejus* propter abſentiam facialis converſationis, ut dictum eſt.

Sed eſt advertendum, quòd in Hebræo habetur: *Eſcam ejus benedicens benedicam*: & ideo ſequitur: *Pauperes ejus ſaturabo panibus*: & tunc ſumitur totum pro *eſca ſpirituali* ipſius Eccleſiæ: quæ eſt duplex, ſcilicet *eſca Sacramentorum*, & *eſca Donorum Spiritus ſancti*: & tunc littera reddit in eamdem ſententiam; & tunc eſt ſententia iſta: Ego *benedicens benedicam eſcam ejus*, id eſt, cum maxima abundantia largiar, & conferam ipſi copiam Sacramentorum, & Donorum in eſcam ſpiritualem, ad reficiendum Fideles in hac vita.

De

De qua eſca dixit *Virgo Maria* in *Cantico* ſuo: *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.* Hoc dixit: nam ſicut Apoſtoli, & Chriſtiani fuerunt refecti iſtâ eſcâ Sacramentorum & donorum Spiritus ſancti; ita per oppoſitum Scribæ & Phariſæi, & Judæi moderni fuerunt excluſi ab eſu iſtorum ciborum ſpiritualium. Hanc ergo eſcam eſuriunt Judæi cœci & obſtinati, & *patiuntur famem* ejuſdem, ut dictum eſt ſuprà, *Pſal.* 58. ubi prædixit David famem & inediam Judæorum, dicens: *Convertentur ad veſperam*, ideſt, ad tenebras ignorantiæ, *& famem* bonorum ſpiritualium *patientur ut canes, & circuibunt civitatem*: quia numquam intrabunt in intelligentiam Sacræ Scripturæ, nec ſocietatem Sanctorum; immò *ipſi diſpergentur ad manducandum*: ſed quia non erunt ſaturati iſtâ eſcâ & cibo ſpirituali, ideo *murmurabunt.* A De his ergo panibus & cibis ſpiritualibus B dixit Chriſtus per os David: *Pauperes ejus ſaturabo panibus.*

Diſti. 40. cap. 1.

17. *Sacerdotes ejus induam ſalutari: & ſancti ejus exultatione exultabunt.*

ET ſubdit aliam promiſſionem factam Sacerdotibus Eccleſiæ, dicens: *Sacerdotes ejus induam ſalutari*, id eſt, indumento gratiæ, & Eccleſiaſticæ poteſtatis. Unde Eccleſiaſtica poteſtas dicitur *indumentum ſpirituale* ipſius Sacerdotis. Et ideo in figura cum ordinatur, induitur ſacerdotalibus indumentis: & dicitur *indumentum ſalutare*, C in quantum per Eccleſiaſticam poteſtatem confertur ſalus & gratia recipientibus Sacramenta. Quaſi dicat: Conferam poteſtatem Eccleſiaſticam ipſis Sacerdotibus, ut per Sacramenta conferatur ſalus & gratia ipſis Fidelibus, & ſanctificentur per Eccleſiaſtica Sacramenta. Et ideo ſequitur: *Et ſancti ejus*, id eſt, ſanctificati per Sacramenta, duplici *exultatione exultabunt*: ſcilicet, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Exultabunt etiam in corpore & anima, cantando Pſalmos & Hymnos.

93. d. ca. Legimus, circa medium.

18. *Illuc producam cornu David:* D *paravi lucernam Chriſto meo.*

HIC ponit aliam promiſſionem factam ipſi David de Meſsia venturo ex carne ſua in Eccleſiam Dei. Unde dicit: *Illuc*, id eſt, uſque ad illam Eccleſiam, *producam cornu*, id eſt, gloriam & regnum *David*: & producam Chriſtum, qui eſt *cornu* & gloria *David.* Vel ſic: Ego *producam cornu*, id eſt, generationem *David* per ſucceſsionem: quia non deficiet E linea David uſque ad illum, id eſt, uſque ad Chriſtum. Et ſic *paravi lucernam* & generationem *Chriſto meo* Jeſu.

Unde nota, quòd in veteri Teſtamento *lucerna* quandoque ſumitur pro linea generationis: nam ſicut quamdiu non extinguitur, dicitur durare lucerna: ita quamdiu ſuccedit aliquis in linea generationis, dicitur durare ejus lucerna. Unde dictum fuit ipſi David: *Jam non egredieris in bellum, ne extinguas lucernam in Iſrael*, 2. *Reg.* 21. Et ideo promiſit Deus ipſi David, quòd produceret ejus *lucernam* uſque ad Chriſtum, id eſt, quòd non deficeret ejus linea & generatio. Quod patet in *Matthæo*, qui deſcribit generationem Chriſti à David uſque ad Chriſtum per *Mariam Virginem* de ſtirpe & generatione David. Et ſequitur:

F

19. *Inimicos ejus induam confuſione:* 23. q. 5. §. ult. *ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.*

EGO *induam inimicos ejus*, ſcilicet Scribas & Phariſæos, & totum populum Judaicum, qui eum negaturus eſt, *induam confuſione*: quia eos privabo regno, & ſacerdotio, & ſenſu ſcripturarum, & manebunt cœci, & diſperſi, & profugi, & captivi: & ſic multiplici *confuſione induam* illos. *Autem* pro *ſed ſuper ipſum*, & populum ejus *florebit ſanctificatio mea*, & regnum, & ſacerdotium, & gratia, & G ſanctificatio, & poteſtas Sacerdotalis, & gratia donorum *florebit ſuper ipſum.* Omnia ergo iſta tu Domine promiſiſti & juraſti in veritate ipſi ſervo tuo. Ergo *memento* ipſius, *& omnis manſuetudinis ejus*, & devotionis, quia jam fecit ipſe quod promiſit. Jam fecit ipſe Templum & figuram: Ergo veniat figuratus, quem promiſiſti: & *exurge in requiem*, ſcilicet, in humanitatem, & Eccleſiam, & veni &c. & *Sacerdotes tui induantur juſtitiam &c.* In his ergo duobus verſibus petit totum ſuum optatum, ut patet intuenti: quia petit Chriſtum venturum ad conſtruendum ſacerdotium, & Eccleſiaſtica Sacramenta.

* ** *
* *

*** *** ***
*** *** ***

PSAL-

Psalmus CXXXII.

3. q. 1. c. Nulli.

1. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum.*

12. q. 1. cap. 2. De Pœ. d. 1. Quantumlibet, & extra de Sacra Unct. cap. unico.

2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

3. *Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*

Titulus: *Canticum graduum David.* Decimustertius gradus, est Charitas proximi mutua. Unde quando quis ascenderat usque ad decimumquartum gradum, jam videbat per portam magnam partem Templi, & videbat Sacerdotes, & Levitas canentes, & laudantes Deum in societate & charitate: & sic ascensor licèt non esset inter eos; tamen jam lætabatur videns illam societatem congregatam ad laudandum Deum. Ideo fecit David hunc Psalmum pro ascensu quartidecimi gradûs Templi, in quo describit fructum & delectationem charitatis, quæ est inter proximos *in unum* ad laudem Dei congregatos.

Ideo dixit: *Ecce*, id est, videte *quàm bonum*, id est fructuosum, & *quàm jucundum*, id est, suave & delectabile est, *fratres habitare in unum*, id est, in unitate & charitate, id est, quantum est delectabilis & fructuosa charitas & unitas inter fratres & proximos habitantes in unum: sed quia ly *quàm* ponitur pro *quantùm* comparativè, & relativè, subintelligitur unum aliud adverbium, scilicet *tantùm*; ideo sequitur: *Sicut unguentum.* Duo enim dicit de charitate, scilicet, quòd est bona & fructuosa. Secundò, quòd est jucunda, sive delectabilis. Et ideo comparat eam ad unguentum sacerdotale, in quantum *jucunda* est. Secundò ad rorem *Hermon*, & *Sion*, in quantum *bona* & *fructuosa* est. Dicit ergo: *Tantum est jucundum habitare fratres in unum*, quantum *est jucundum*, & suave, & delectabile *unguentum*, sive oleum sacerdotale in capite summi Sacerdotis, *quod descendit in barbam*, *barbam*, dico, ipsius *Aaron* summi Sacerdotis, & successorum ejus: *quod* quidem oleum & unguentum *descendit* à barba *in oram vestimenti ejus.*

Unde est notandum, quòd Deus præcepit Moysi, *Exod.* 30. quod ungeret *Aaron* in summum Sacerdotem unguento, sive oleo: quod quidem oleum fiebat ex balsamo, & multis aliis oleis aromaticis & odoriferis conficiebatur: ideo dicebatur *unguentum*: & cùm consecrator ungebat summum Sacerdotem, primò ponebat ipsi magnam guttam unguenti in capite, in tantum quòd totum caput infundebatur. Postea trahebat illud unguentum per utraque tempora usque ad barbam: & sic descendebat unguentum à capite in barbam ipsius *Aaron*, & cujuslibet successoris. Deinde descendebat à barba *in oram vestimentorum*: & sic redolebant vestimenta Sacerdotis: & ita quasi ungebantur Reges. Per hoc autem voluit figurare Deus, quòd ipse erat uncturus Jesum Christum Filium suum tamquam Caput Ecclesiæ, in Regem & Sacerdotem *præ consortibus suis oleo lætitiæ* Spiritus sancti, in quo erat oleum gratiæ, & sacerdotalis, & regalis potestatis, tamquam in fonte & capite: & à Christo capite erat descensurum illud oleum gratiæ & potestatis in sua membra: primò *in barbam*, scilicet, in Apostolos, & *in oram vestimentorum*, id est, per omnia membra usque ad fines terræ.

Nam Apostoli dicuntur quasi *barba Christi*: eò quòd fuerunt fortes in bello: tota autem Ecclesia dicitur quasi *vestimentum Christi*; eò quòd latet in Ecclesia quasi sub vestimento, ut patet in Sacramento Altaris sub accidentibus, & in cæteris Sacramentis latet virtus Christi. Nam omne Sacramentum est *invisibilis gratiæ visibilis forma.*

Dicit ergo David, quòd ita est jucunda, & suavis, & delectabilis charitas, & habitatio fratrum in unitate, *sicut* est *unguentum in capite* Sacerdotis, supple, *quod descendit in barbam Aaron* à capite, & *descendit* à barba *in oram vestimenti*, quod facit redolere caput, & barbam, & vestimenta: & sic David hîc mysticè & propheticè locutus est, quomodo charitas & gratia debebat descendere à Christo capite in *Apostolos*, & ab Apostolis in totam Ecclesiam usque ad ultimum electum.

Nota: quòd sic est ordinanda littera, scilicet, *sicut unguentum in capite Aaron, quod descendit in barbam ejus.* Hîc ergo comparat charitatem primo oleo descendenti à capite Sacerdotis in vestimenta & membra ejus. Secundò, comparat ipsam charitatem ipsi *rori*, *qui descendit* de cœlo in *montem Hermon*, & in *montem Sion.* Et ex consequenti comparat Ecclesiam & societatem fratrum existentium in charitate ipsi *monti Sion*, sive *Hermon* recipienti rorem à cœlo. Et comparat eam etiam ipsi *corpori*, & *vestimento* sacerdotali recipienti oleum derivatum à capite. Quasi dicat: quòd sicut oleum quo ungebantur Sacerdotes, erat suave & jucundum; sic est odorifera charitas inter fratres. Et *sicut ros qui descendit in montem Hermon* & *Sion* est

Charitas est oleum.

est bonus, & fructifer: ita charitas inter fratres. Item, sicut oleum descendebat à capite Sacerdotis primò ad barbam, & ex A barba ad membra: ita omnis gratia, & dona gratiarum primò descenderunt à Christo ad Apostolos, & ab Apostolis ad totam Ecclesiam usque ad finem terræ.

Ex supradictis concluditur & sequitur, quòd sicut oleum consecrationis non descendebat à capite Sacerdotis, nisi ad sola membra & vestimenta sua: ita omnis virtus & gratia non descendunt à Christo, nisi in solam Ecclesiam, & membra ejus Fidelium. Item, sicut ille ros cœli non descendebat de cœlo, nisi solùm in *monte Sion* & *Hermon*: quia nec ros, nec pluvia cadebant super montes *Gelboë*: ita pariter gratia Christi non descendit, nec ca- B dit, nisi super Ecclesiam Christi charitate unitam. Et sic patet, quòd nullus potest participare gratiam Christi in præsenti, nec gloriam in futuro, nisi efficiatur membrum Christi, & habitet in Ecclesia, & cooperiatur vestimento Christi, fide, & spe, & charitate contexto; & tegatur illâ *tunicâ inconsutili*, quæ non fuit divisa in passione Christi: de qua dictum est *Psal.*21. Et in hoc consistit tota sententia hujus Psalmiculi, parvi in quantitate, sed magni in sententiâ & profunditate.

Sed quia dicit, quòd charitas non solùm est jucunda, sicut unguentum illud prædictum, sed etiam est bona, id est, fructuosa *sicut ros Hermon*, & *sicut ros qui descendit in montem Sion*: ideo est advertendum, C quòd duo montes reperiuntur fructiferi inter cæteros in terra promissionis, scilicet, *Hermon*, & *Sion*. Sed *mons Hermon* est duplex, unus magnus & excelsus, qui claudit terram promissionis ab Aquilone: & est inter tribum *Nephtalim*, & agrum *Damascenum*, à quo monte emanant *Farfar* & *Abbana* flumina Damasci ex latere Aquilonari: ex latere autem Meridionali oritur fons *Fiala* dictus, ubi putatur origo *Jordanis*, qui quidem mons continuatur cum *Libano*, nisi quod est modica vallis media, ubi est introitus *Emath*. Iste ergo mons *Hermon* est magis fructifer, & uber, & feracior inter montes omnes *Syriæ* in omni genere lignorum, & fructuum, & herba- D rum: ubi nutriuntur innumera armenta boum, & pecorum, & greges pecudum: super quem montem cadit continuus ros cœli, ad modum Mannæ fœcundans illum montem. Est etiam alius mons parvus in *Galilæa* juxta *Jordanem*, & *Salim*, vocatus *Hermon*, parvus & modicus, de quo *Psal.*41. *Hermon à monte modico*, similiter fœcundus & ferax, aptus ad pascua, irroratus rore cœli: ita similiter mons *Sion*, in quo est sita Arx, & Civitas Hierusalem, est uber, & ferax, & fructuosus propter frequentem rorem descendentem in eum de cœlo.

Duo montes fructiferi.

Isti profectò duo montes figurabant E Ecclesiam Christi: nam *Hermon* interpretatur *excelsus & fructuosus*, denotans celsitudinem crucis & Ecclesiæ Christi, super quam descendit ros gratiæ, & nostræ redemptionis, & ros sanguinis Christi: qui fœcundam, & feracem, & fructiferam fecit Ecclesiam & crucem. Item, *Sion* interpretatur *specula*; ad denotandum, quòd in ea debebat Christus apparere, & videri in Cruce, & in prædicatione: super quem debebat descendere ros, & gratia donorum Spiritus sancti super Discipulos, & totam Ecclesiam in monte *Sion* in die Pentecostes congregatam: qui quidem ros fecit Ecclesiam fructiferam fœcunditate Sacramentorum &c. Et ideo Propheta mysti- F cè loquendo dicit, quòd charitas & habitatio fratrum in unitate & dilectione, est fructifera: & ita bona *sicut ros Hermon*, & *ros qui descendit in montem Sion*, qui facit terram fructiferam. Et ad ostendendum, quòd totum hoc dicit propheticè, concludit dicens:

4. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.* 23. q. 4. *Ipsa pietas.*

QUoniam *illic*, id est, ideo charitas est ita bona & fructuosa, sicut ros *qui descendit in montem Sion*: *quoniam* G *illic*, id est, in monte *Sion* figurante Ecclesiam, mandavit, & misit Dominus benedictionem & vitam; primò in figura supra Templum Domini, ubi fiebant sacrificia & laudes. Secundò in re super Apostolos & Ecclesiam ibidem congregatam, quando descendit ros donorum Spiritus sancti super eos in die Pentecostes: & similiter quando descendit ros sanguinis Christi super crucem, figuratam per montem *Hermon*. Vel potest ly *illic* referri ad charitatem & *habitationem fratrum*: ut sit sensus: Ita est jucunda, charitativa, & fraterna habitatio *sicut ros Hermon*, & *Sion*: *quoniam illic*, id est, inter charitativam habitationem fratrum *mandavit Dominus benedictionem*, H *& vitam usque in sæculum*: quia ubi charitas & amor, ibi Deus est: & hoc est magnum & maximum mandatum, quod Deus mandavit, ut patet *Matth.* 22. Licèt istud adverbium *illic* potest stare pro *illuc*, referendo ad montem *Sion*: & pro *ibi*, referendo ad utrumque, scilicet, ad charitatem, & Sion.

* * * *
* * *

*** *** ***

PSAL-

PSALMUS CXXXIII.

In 134. & ſupr. 127. 16. q. 1. t. Revertimini. 21. q. ult. cult.

1. *Ecce nunc benedicite Dominum: omnes ſervi Domini.*

2. *Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.*

3. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.*

4. *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.*

ULTIMUS gradus & laus divina, eſt gratiarum actio: nam quando quis conſummavit peregrinationem, vel aſcenſum difficilem & arduum, benedicit Deum gratias agendo: ideo David fecit hunc Pſalmum pro ultimo gradu. Nam quando Sacerdos aſcenderat ultimum gradum, jam erat in Templo cum aliis: & tunc invitabat omnes alios ad laudem Dei: maximè cùm primò Sacerdotes aſcendentes introduxerunt Arcam Dei, & collocaverunt in Templo. Tunc dicebat Sacerdos magnus: O vos Fideles *qui* jam *ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri, ecce nunc benedicite Dominum*, gratias agendo, & laudes cantando, qui noſtrum intentum & deſiderium adimplevit: quia videmus Templum perfectum, & Arcam introductam in Templo. Et *extollite manus veſtras in ſancta* ſanctorum, ubi Arca reponitur, non ſolùm in die, ſed etiam *in noctibus*, perorantes, & gratias agentes: *& benedicite Dominum* benedictione laudis & confeſſionis. Et tunc Sacerdos converſus ad populum benedicebat eum, dicens: *Benedicat tibi Dominus ex* Templo, quod eſt in monte *Sion* ſitum: *Dominus*, dico, *qui fecit cœlum & terram.* Et poſt datam benedictionem, populus revertebatur ad ſua.

Nota de creatione mundi.

Unde eſt advertendum, quòd frequenter cùm nominatur Deus in Libro Pſalmorum, ſequitur: *qui fecit cœlum & terram*: nam nullus populus credebat mundi creationem, niſi populus Iſrael. Nam licèt Gentiles multum venerarentur Deos ſuos ob aliquas virtutes; tamen nullum Deum vocabant Creatorem: cùm putarent mundum eſſe ab æterno, niſi aliqui Poëtæ, qui poſuerunt formationem rerum ex illo primo chao, in quo erant formæ rerum omnes in confuſo, ſicut dicebat Anaxagoras, quem ſecutus eſt *Ovidius*, & *Virgilius*, licèt illa non eſſet creatio ex nihilo in tempore. Nam dicit Ovidius, quòd

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in Orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigeſtaque moles;
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem,
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Ex quo patet ſecundùm eos, quòd omnia iſta erant coæterna Deo, & indiſtincta in illo chao: & ſic factio rerum non eſſet creatio ex nihilo, niſi quædam diſtinctio formarum ex illo chao, ut ait *Virgilius* in *Bucolicis*: *Et paulatim rerum ſumere formas &c.* Ex quo patet, quòd ſolus Deus Iſrael credebatur Creator cœli & terræ: ideo David communiter quando nominat verum Deum Iſrael, addit: *Qui fecit cœlum & terram*, ad differentiam falſorum Deorum Gentilium, quorum nulla erat poteſtas: ideo ſolus Deus Iſrael, *qui fecit cœlum & terram*, poteſt benedicere & protegere, & eſſe adjutor &c.

Unde eſt iterum advertendum, quòd David non eſt minus Propheta in hoc Pſalmo, quàm in cæteris. Nam ſicut dictum eſt, *illud Templum* ſignificabat Eccleſiam: & illa *Arca* figurabat Verbum incarnatum, ſcilicet Chriſtum, qui in Eccleſia tamquam caput erat reponendus: in qua nunc latet per gratiam, & in Euchariſtia eſt realiter tectus ſub accidentibus. Ideo invitat David populum chriſtianum ad laudandum Chriſtum Deum in humanitate latentem tamquam in Arca, & in Eccleſia tamquam in Templo ſuo poſt Incarnationem & Paſſionem. Item invitat omnes comprehenſores, ut laudent & benedicant eum poſitum in cœlo ad dexteram Patris poſt aſcenſionem. Et ideo fidelis Sacerdos & Chriſtianus advertat, cùm recitat hunc Pſalmum, & alios. Dicit ergo David Eccleſiæ Fidelium: *O omnes* Chriſtiani *ſervi Domini* noſtri Jeſu Chriſti, *qui* jam *ſtatis in domo Domini* ædificata per Chriſtum, & *in atriis domus Dei noſtri.*

Eccleſia habet tria atria.

Unde nota, quòd Eccleſia Fidelium habet tria atria; ſcilicet, fidem, ſpem, & charitatem. Nam quidam habitant tantùm in primo atrio, ſcilicet, habentes fidem informem. Alii in ſecundo, quia habent fidem cum aliqua ſpe; ſed non operantur per charitatem. Alii, ſcilicet juſti, habitant in tertio atrio Eccleſiæ, ſcilicet, operantes per fidem formatam ſpe & charitate. Et iſti poſſunt bene laudare & benedicere

Dominum. Et his loquitur, dicens: *Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri* per fidem formatam ſpe & charitate, A *benedicite Dominum* benedictione confeſſionis & laudis.

Item, Eccleſia habet tria atria, id eſt, tres ſtatus. Nam in primò, ſunt *incipientes*, ſive *pœnitentes*. In ſecundò, *proficientes*, In tertiò, *perfecti*: quia omnes iſti *habitant in domo Domini* collocati in tribus atriis. Ideo omnes hos exhortatur ad laudem Dei.

Similiter eſt advertendum: quòd tot atria ſunt in Eccleſia, quot ſunt dignitates & ſtatus, ſcilicet Apoſtoli, Euangeliſtæ, Doctores. Prælati, Virgines, Viduæ; & ſtatus communis conjugatorum. Omnes iſti habent atria diſtincta in Eccleſia quoad gradus, licèt vivant ſub una fide, & charitate. Similiter *in domo Domini* triumphanti habent manſiones diſtinctas: quos B omnes invitat Propheta ad laudem, poſtquam aſcenderunt ad domum Domini per prædictos quindecim gradus &c. & poſtquam Arca Chriſti repoſita eſt in Eccleſia per Chriſtum ædificatâ, & benedictâ &c.

Et nota, quòd ly *in noctibus*, aliter ordinatur in Hebræo & Translatione *Hieronymi*, & aliter in noſtra. Nam ibi ordinatur ſic: *qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri in noctibus*: & ponitur in fine ſecundi verſus: & ex conſequenti incipit tertius verſus: *Extollite manus veſtras in ſancta &c.* Et tunc eſt C ſenſus: O vos fideles, qui in noctibus, & per noctes *ſtatis in domo Domini, extollite manus veſtras in ſancta &c.* & ponitur ly *in noctibus* pro ſtatu hujus Eccleſiæ, & hujus vitæ, quid dicitur *nox* reſpectu gloriæ & vitæ futuræ, ut frequenter dictum eſt. Quaſi dicat: O vos Fideles, qui ſtatis & habitatis in hac Eccleſia, & in hac vita mortali, in qua Deus videtur ſolum per Fidem & ſpeculum in ænigmate, *extollite manus veſtras in ſancta ſanctorum*, petendo veniam, & remiſſionem peccatorum, & gloriam pro futuro; & ut faciliùs valeatis impetrare, *benedicite Dominum*, ejus mirabilia cantando, & referendo, & in ejus memoriam feſta celeD brando.

Et etiam eſt dicendum, quòd David exhortabatur, & invitabat etiam Fideles & Sacerdotes veteris Teſtamenti, qui conveniebant ad illud Templum, & erant in illa *nocte*, & umbra veteris Teſtamenti, ut extollerent manus ad Deum, ut mitteret Chriſtum Meſſiam in Lege promiſſum. Nam ſicut nos *extollimus manus noſtras in ſancta*, agendo gratias pro beneficiis redemptionis jam receptis, & petimus gloriam futuram; ita illi *extollebant manus in illa ſancta ſanctorum*, agendo gratias de exitu Ægypti, & ingreſſu terræ promiſſæ, & petebant Chriſtum, & redemptionem fuE turam. Et ad hæc exhortabatur David eos, prout præviderat in ſpiritu: & utrumque ſtatum invitat in hoc Pſalmo.

Psalmus CXXXIV.

1. *Laudate nomen Domini, laudate ſervi Dominum.* *Sup. c. 112. a & 133 a*

2. *Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.*

Titulus: *Alleluia.* Notandum, quòd ſicut David fecit prædictos quindeF cim Pſalmos pro aſcenſu quindecim graduum, ut dictum eſt; ita fecit hunc Pſalmum & ſequentem ad laudandum Deum poſt introitum Templi, ut eos cantarent Levitæ, poſtquam fuerat in quiete Arca jam collocata in ſancta ſanctorum, & ut cantarentur in Dedicatione Templi, & in omnibus renovationibus ejus. Unde tanta eſt virtus hujus Pſalmi & ſequentis, quòd cùm cantarent eos Levitæ, ignis de cœlo deſcendit ſuper holocauſta, & cremavit ea, & gloria Domini circumfulſit eos, ut patet 2. *Paralip. 7.*

In hoc ergo Pſalmo tria facit. Nam G primò, invitat omnes ſtantes in Templo ad laudem Dei propter omnipotentiam: quia ſolus eſt Omnipotens, & verus Deus. Secundò demonſtrat, quòd omnia idola ſunt deteſtanda, eò quòd non ſunt veri dii. Tertiò, reſumit & exhortatur omnes ſtatus fidelium ad benedicendum Deum. Secunda ibi: *Simulacra gentium.* Tertia ibi: *Domus Iſrael benedicite.*

Quantum ad primum dicit: O vos omnes *ſervi Domini*, qui jam aſcendiſtis quindecim gradus, & jam *ſtatis in domo Domini in atriis domus Dei noſtri*: poſtquam etiam repoſita eſt Arca in Templo, *laudate nomen Domini.* Et exponitur ſicut in præcedenti Pſalmo, non ſolùm litteraliter, ſed etiam figuraliter, & ProH phetiçè de Chriſto & Eccleſia, ut dictum eſt. Et reddit duas cauſas, quare tenentur ipſum laudare.

**
*



Lau-

16.q.1.c. Reverti-mini.

3. *Laudate Dominum, quia bonus Dominus : pſallite nomini ejus, quoniam ſuave.*

4. *Quoniam Jacob elegit ſibi Dominus, Iſrael in poſſeſſionem ſibi.*

PRimò, quia de ſe eſt *bonus* & *ſuavis*, id eſt, miſericors. Nam nomen ejus quod eſt *Jeſus*, eſt *ſuave*, quia importat ſalutem. Et ſic Deus eſt *bonus*, & *ſuavis*, & benignus. Quod probatur : *Quoniam Deus elegit ſibi Jacob in hæreditatem ſibi* præ cæteris nationibus. Ergo valde fuit ipſi ſuavis : quia dum *nihil boni, vel mali egiſſent, Jacob dilexit, & Eſau odio habuit* : & elegit totum populum Iſrael in Jacob, ut poſtea demonſtravit per effectum. Ergo maximè Iſrael tenetur laudare Deum : quia ſolus aſcendit quindecim gradus cum Arca, & ſtat in domo Domini, & in atriis domus Dei noſtri.

De Pœ. d. 2. c. Omnia.

5. *Quia ego cognovi quòd magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus diis.*

SEcundò, eſt Deus laudandus, quoniam Omnipotens, & verus Deus, & nullus alius eſt Deus præter ipſum : *Quoniam ego cognovi quòd magnus eſt Dominus*, & Omnipotens *& Deus noſter* eſt verus Deus ſolus *præ omnibus diis*, id eſt, omnibus aliis diis refutatis ut falſis.

Jer. 10.

6. *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.*

QUia prædicta concluſio habet duas partes, ſcilicet, quòd Deus noſter eſt ſolus verus Deus. Secunda pars eſt, quòd nullus alius eſt Deus, ſcilicèt, quòd idola non ſunt dii : ideo primò probat primam partem : ſecundò ſecundam. Ibi : *Simulacra*. Probatur primum, ſcilicet, quòd Deus noſter, qui dicitur *Deus Iſrael*, eſt verus Deus, & Omnipotens. Nam *omnia quæ voluit, fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. Ergo eſt Dominus omnipotens in cœlo & in terra, & in mari, & in inferno : & ſic eſt verus Deus *præ omnibus diis*.

7. *Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluviam fecit.* Sup. 77. f.

8. *Qui producit ventos de theſauris ſuis : qui percuſſit primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus.* Sup. 104.

9. *Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem, & in omnes ſervos ejus.* Sup. 76. Exod. 12.

PRobatur primùm, quòd ſit Dominus, & facit quod vult in cœlo : nam ipſe eſt educens, & *eduxit nubes ab extremo terræ, & fecit fulgura* converti, ſupple, *in pluviam* : hoc eſt, nam in nubibus apparent fulgura incenſa ex exalationibus ſiccis ; & ſic terrent homines. Sed Deus convertit nubes *in pluviam* abſque læſione, ad irrigandam terram. Et totum hoc fit ex divinâ providentiâ, *qui producit ventos de theſauris* ſecretis *ſuis*, & vehunt nubes ſuper terram, ut reſolvantur in aquam ad utilitatem hominum. Sed nullus facit iſta, niſi ſolus Deus, qui ex ſua omnipotentia, & divinâ providentiâ *producit* iſta *de theſauris ſuis* ſecretis, quæ ignorata ſunt hominibus.

Unde *Ariſtoteles*, & multi Philoſophi ante eum, & pòſt, voluerunt reddere cauſas naturales de omnibus metheoricis; ſed in multis decepti ſunt, & ſeipſos fefellerunt, ut patet de mirabilibus effectibus fulminum in momento; de quibus nec valent, nec ſufficiunt eddere cauſas. Item, nec de generatione & inundatione magnorum fluviorum, ut de *Nilo*, & *Euphrate*, & *Gange*, & cæteris, ſemper inter ſe Philoſophi diſcordant, & deficiunt. Item, tempore peſtilentiæ cùm vident varios effectus & irreparabiles in eadem regione, civitate, & domo, omnes medici ſtupeſcunt, & Philoſophi, cùm vident ſe deceptos, nec poſſe certam rationem reddere, dicunt : *Ita Deus vult, ſic ipſi placet: ſolus ipſe ſcit, natura deficit.* Ideo dicit hîc, quòd Deus *producit ventos de theſauris ſuis*, ſcilicet de ſecretis : quia facit ſicut vult, & nos non debemus terere tempus, quærendo alias cauſas frivolas & incertas.

Qui percuſſit. Hîc probat, quòd Deus *fecit quod vult in terra.* Nam *percuſſit primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus.* Item, *fecit quod vult* in mari. Nam *miſit ſigna & prodigia in medio tui*, ò *Ægypte*, decem plagas inferendo, & *in Pharaonem, & omnes ſervos ejus*, eos ſubmergendo in mari Rubro, & dividendo aquas, & reducendo. Ergo eſt etiam Dominus maris, & omnium aquarum.

10. *Qui*

Ut patet libr. Josue per totum.

10. *Qui percussit gentes multas : & occidit reges fortes.* A

11. *Sehon regem Amorrhæorum : & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.*

12. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.*

B

EST etiam Dominus hominum, & civitatum, & regnorum. Nam ipse *percussit gentes multas*, scilicet Amalecitas, & alios: *& occidit reges fortes*, scilicet *Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & superavit omnia regna Chanaan* cum regibus suis, ut patet per totum discursum libri *Josue*. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem*, dico, *Israel populo suo*. Per hoc demonstrat, omnia ista facta fuisse in figura Christi, & Ecclesiæ. Ideo subdit David, dicens:

De Consecr. 2. Accesserunt.

13. *Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generationem & generationem.* C

14. *Quia judicabit Dominus populum suum : & in servis suis deprecabitur.*

DOmine omnia ista mysteria supradicta fecisti *in memoriale tuum*, & figuram Christi & Ecclesiæ *in generationem & generationem*: quia significabant nostram futuram redemptionem, & liberationem à captivitate diaboli, & qualiter filii Israel secundùm promissionem erant possessuri hæreditatem Ecclesiæ tuæ, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Et sic *memoriale tuum* supradictorum mysteriorum complebitur per Christum *in generationem & generationem*: & regnabit hîc usque ad judicium in hac Ecclesia: & in fine *judicabit Dominus populum suum*: & sic ostendet se Dominum cœli & terræ, & inferni; quia diabolos, & homines malos damnabit, & bonos salvabit. *Quia in servis suis deprecabitur*, & exorabitur & audietur, dando eis præmium & felicitatem. D

Unde etiam iste versus potest continuari cum sententia præcedenti, intelligendo de utroque adventu & judicio: ut exponatur sic. O Domine Jesu, omnia mysteria supradicta erunt *memoriale tuum* & figura *in generationem & generationem*: usque ad adventum tuum in carne: & tunc *judicabit Dominus* Jesus *populum suum* judicio discretionis, Fideles eligendo, & Infideles, & obstinatos reprobando, ut ipse dicit *Joan.* 9. *Judicium venit in mundum, ut qui non vident videant : & qui vident cæci fiant.* Et exinde *memoriale* Christi jam non in figura, sed in re *in generationem* usque ad judicium finale : & tunc judicabit populum, scilicet judicio examinationis &c. E

F 15. *Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Sup. 113. Sapient. 15.

16. *Os habent, & non loquentur: oculos habent & non videbunt.*

17. *Aures habent, & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

18. *Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis.* G

PRobatâ prima parte conclusionis, probat secundam, scilicet, quòd idola Gentium non sunt veri dii. Probatur: Nam verus Deus non est factus, nec mortuus, aut vitâ privatus : sed idola & *Simulacra Gentium* sunt *opera manuum hominum*: Ergo facta. Item, verus Deus est verè vita, in quo omnia vivunt : scilicet *simulacra Gentium* non vivunt : quia *os habent, & non loquentur*, & *oculos habent, & non videbunt, & nec est spiritus in ore eorum*; & sic nec spirant, nec respirant. Ex quo patet, quòd non vivunt, neque habent verum os, nec oculos, nec aures, H sed æquivocè. *Similes illis fiant qui faciunt ea*, prout declaratum est *Psalm.* 113.

* * *
* * * *
*

19. Do-

Ps. 113. C

19. *Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.* A

16. q. 1. Revertimini.

20. *Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Domino.*

21. *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.*

REpetit exhortando omnes status ad benedicendum Deum, dicens: O *domus Israel*, id est, tota Christiana Religio, *benedicite Domino*: & *ò domus Aaron*, id est, status Sacerdotalis, *benedicite Domino*: & *domus Levi*, id est, omnes Ecclesiastici ad servitium Dei dedicati, *benedicite Domino*: & omnes *qui timetis Dominum*, id est, omnes justi, quorum laus est accepta, *benedicite Domino:* quia solus *Dominus qui habitat in Hierusalem*, in istâ per gratiam, & in aliâ per gloriam, est *benedictus ex Sion*, scilicet, ex populo Fideli. Quasi dicat: postquam *simulacra Gentium* non sunt benedicenda, nec colenda, propter rationes supradictas; ergo qui estis verus Israel *benedicite Domino* nostro Jesu Christo: & vos *domus Aaron*, id est Sacerdotes, figurati per *Aaron &c.* quia B C Christus est verus Deus, qui destruet omnia simulacra Gentium.

Ex quo patet, quòd David in hoc Psalmo non invitat ad laudem Domini Israelem, nec Jacob secundùm carnem, sed secundùm promissionem & electionem, qui sunt Fideles utriusque Testamenti. Unde dicit: *Laudate nomen Domini*, quod est *Jesus*, omnes *servi Domini &c. quoniam Dominus elegit Jacob in hæreditatem sibi.* Ex quo patet, quòd non invitat Judæos modernos, quia non sunt electi, sed reprobati: quia non receperunt nomen Domini, quod est *Jesus*: immò ipsum negaverunt, sed soli Apostoli, & populus Christianus, qui Christum recepit, est à Deo electus. Et ideo est *verus Jacob & Israel*, D & sunt veri *servi Domini.* Ergo populum Christianum invitat David ad laudandum Christum, & nomen ejus in suo adventu: qui fecit supradicta mirabilia in Lege veteri, & majora in novo Testamento per illa figurata. Ideo advertat lector, & sciat concordare figuram cum figurato: quia idem Deus fecit mirabilia in utroque Testamento.

* * *
* *

E

PSALMUS CXXXV.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.* Sup. 140. & 105. & 106.

TITULUS: *Alleluia.* Unde est advertendum, quòd David fecit hunc Psalmum pro dedicatione Templi cum præcedente, ut dictum est, ad laudandum Deum. Ideo in multis convenit cum præcedente. Sed forsan hæc est differentia: nam præcedentem Psalmum cantabat solus chorus Levitarum: sed istum incipiebat chorus Levitarum, & in quolibet versu respondebat F populus: *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Et ideo in Hebræo cum quolibet versu superadditur: *Quoniam in æternum misericordia ejus*; secundùm quod reperitur scriptum, sicut accidit in sæcularibus cantilenis. Nam chorea semper repetit principium cantilenæ, cùm principalis cantaverit versum. Et sic etiam reperitur in *Cantico trium puerorum* in Chaldæo. Nam in fine cujuslibet versus additur: *Laudate & superexaltate eum in sæcula.* Et hoc accidit: quia unus eorum Spiritu sancto illustratus dicebat versus, & duo alii respondebant: ideo forsan ibi dicitur: *Omnes uno ore dicebant &c.* Quasi dicatur: quòd nullus tacebat laudare &c. Et ideo cùm cantaretur iste Psalmus, apparuit gloria G Domini in Templo, ut patet 2. *Paral.* 7. Duo ergo facit in hoc Psalmo: nam primò invitat populum ad confitendum Domino ratione suæ bonitatis. Secundò ibi: *Qui fecit.* Reddit causas, vel probat per effectum, Deum esse bonum. Vel possumus dicere, quòd in præcedenti laudatur Deus in quantum magnus & bonus & omnipotens: in hoc autem, in quantum misericors. Dicit ergo: *Confitemini Domino quoniam bonus* est, supple, *quoniam misericordia ejus* est & erit *in æternum* & fuit: quia semper fuit misericors, nec deficit invocantibus eum. Et sequitur:

H 2. *Confitemini Deo Deorum: quoniam in æternum misericordia ejus.* De Consec. d. 3. cap. ult.

ID est, Angelorum & Justorum, qui dicuntur dii per participationem, *Psalm.* 81. *Ego, dixi dii estis & filii excelsi omnes.* Additur responsio: *quoniam in æternum misericordia ejus.*

Con-

11.d.cap. Nolite.

3. *Confitemini Domino dominorum:* A *quoniam in æternum misericordia ejus.*

SCilicet, Regum, & Principum: quia non solùm est Deus Angelorum, sed etiam est Dominus Regum & Principum, & omnium dominorum terrenorum: quia ipse dat, & aufert eis regna, sicut ipsi placet. Et respondetur: *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Et sic in fine cujuslibet versûs usque ad ultimum.

De Pœ.d. 1.§.Econtrario.

4. *Qui facit mirabilia magna solus:* *quoniam in æternum misericordia* B *ejus.*

PRobat, quòd sit Deus Deorum, & Dominus dominorum, dicens: *Quia fecit mirabilia magna* ipse *solus*, & nullus alius.

76.d. ca. Nasci.

5. *Qui fecit cœlos in intellectu:* *quoniam in æternum misericordia ejus.*

PRobatur hoc primò, quòd est Deus Deorum. Nam ipse *fecit cœlum in intellectu*, id est, per intellectum, & Verbum suum. Nam ab æterno ideæ omnium C rerum erant in intellectu, & Verbo Divino, ad quarum exemplar creavit omnia ex tempore secundùm species suas: & fecit etiam cœlum Empyreum *in intellectu*, id est, pro substantiis intellectualibus ad gloriam earum.

Sup.103.

6. *Qui firmavit terram super aquas:* *quoniam in æternum misericordia ejus.*

ID est, eminentem *super aquas.* Nam sicut dictum est *Psal.* 103. semper aqua situatur in terra & super terram: sed quia D petit semper valles & infima, & montes supereminent: ideo dicitur terra fundari, id est, eminere super aquas quoad montes: & sic dicitur *Neapolis* super mare, & *Alexandria*, & *Tyrus.* Etiam hoc potest intelligi quoad venas terræ, per quas currunt maximè aquæ. Et etiam in visceribus terræ sunt maxima receptacula aquarum, unde egrediuntur maxima & vastissima flumina, sicut *Tanais*, & *Boristhenes*: nam dictum est, quòd infra mare submerguntur magnæ aquæ, & vadunt ad receptacula terræ; & exinde fluunt magna flumina: quæ E quidem aquæ dulcorantur in visceribus terræ ex nimia frigiditate, & longo tractu: & etiam multa flumina submerguntur in uno loco, & emergunt, & oriuntur in alio, ut dicitur de *Nilo* & *Tigri*: & sic serpunt subtus terram. Et ideo terra videtur isto modo fundari super aquas: quia non fit sine magno miraculo, & omnipotentia Dei, in tantum quòd intellectus noster non potest sufficienter reddere rationem de his. Et sequitur:

Gen.1.b.

7. *Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia ejus.*

F 8. *Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia ejus.*

9. *Lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia ejus.*

QUI *fecit*, scilicet, ut Sol præesset diei, ut dicitur *Genes.* 1. & Luna & stellæ luceant per noctem. Totum hoc etiam potest referri ad illud: *Confitemini Deo Deorum.* Nam Gentiles adorabant Solem tamquam Deum, quem *Phœbum* & *Apollinem* vocabant: & etiam adorabant Lunam, quam *Dianam*, & *Lucinam*, & G *Junonem* vocabant, & adorabant stellas, in quibus putabant stellificatos famosos principes *Jovem*, & *Mercurium*, & *Saturnum*, & *Herculem &c.* Et ideo dicit hîc David: *Confitemini Domino*: quia ipse est Deus & Dominus Deorum, quos Gentiles adorant, & ipse fecit eos, scilicet, Solem, & Lunam, & stellas, &c. & sic est *Deus Deorum.*

Exod.11.

10. *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia ejus.*

H 11. *Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia ejus.*

12. *In manu potenti & brachio excelso: quoniam in æternum misericordia ejus.*

ITEM est etiam Dominus Principum, & Dominorum terrenorum. Probatur: nam ipse est Dominus *qui percussit Ægyptum*, id est, Ægyptios *cum primogenitis eo-*

eorum, ut patet *Exod.* 12. *Qui eduxit Israel de medio ejus*, scilicet Ægypti: & hoc *in manu potenti, & brachio excelso*: quia A cum signis & prodigiis supra naturam.

Exod. 14. 13. *Qui divisit mare Rubrum in divisiones: quoniam in æternum misericordia ejus.*

14. *Et eduxit Israel per medium ejus: quoniam in æternum misericordia ejus.*

15. *Et excussit Pharaonem & virtutem ejus in mari Rubro: quoniam in æternum misericordia ejus.* B

ISTA littera est satis plana & exposita superiùs *Psal.* 77. & 104. & in plerisque locis, etiam quoad sensum spiritualem.

Exod. 13. 16. *Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia ejus.* C

17. *Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia ejus.*

18. *Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia ejus.*

Num. 31. 19. *Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia ejus.* D

Num. 34. 20. *Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia ejus.*

21. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel servo suo: quoniam in æternum misericordia ejus.*

QUI traduxit populum suum per desertum quadraginta annis, *& percussit reges magnos &c.* ut expositum est *Psal.* præcedenti per hos quinque versus.

E 22. *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia ejus.* 11. q. 3. c. Ad mensam.

23. *Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia ejus.*

QUIA *in humilitate nostra*, id est, in persecutione & tribulatione, *memor fuit nostri*, semper miserendo & subveniendo: ideo sequitur: *Et redemit nos ab inimicis nostris* Ægyptiis, & cæteris infestantibus nos tempore *Judicum*, & *Saulis*, & *David*. F

24. *Qui dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia ejus.* Di. 56. c. Nasci.

25. *Confitemini Deo cœli: quoniam in æternum misericordia ejus.*

26. *Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.* G

ET *confitemini Deo cœli*, *qui* est verus Deus, & *dat escam*, & cibum, & victum *omni carni*, id est, omni animali. Licèt totus Psalmus debeat intelligi spiritualiter de Christo & Ecclesia; tamen principaliùs demonstrant isti quatuor ultimi versiculi loqui de Christo & Ecclesia. Ideo dicit: *quia* ipse Dominus Jesus Christus *fuit memor nostri in humilitate*, & dejectione, & captivitate *nostra* in potestate diaboli: & etiam *memor fuit nostri in humilitate nostra* & clamore: quia omnes Patriarchæ & Prophetæ cum humilitate clamabant, ut Christus veniret: & sic venit, H & redemit nos ab inimicis nostris diabolis, & Judæis, & Tyrannis per mortem & passionem. *Confitemini* etiam *Deo cœli*, *qui dat escam* Sacramenti Altaris *omni carni* fideli. Et concludit cum principio: *Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum &c.*

*** ***
*** ***

Psalmus CXXXVI.

De Conse. d. 1. c. Hi duo.

1. *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion.*

In Hebræo huic Psalmo nullus Titulus præponitur, sed in plerisque Bibliis invenitur talis Titulus, scilicet, *Psalmus David propter Jeremiam.* Unde forsan aliquis videns, quòd iste Psalmus est quædam lamentatio Judæorum facta propter captivitatem Hierusalem per *Nabucodonosor*, quæ concordat cum lamentatione *Jeremiæ*; ideo posuit hunc Titulum. *Hieronymus* autem, *in Prologo super Abdiam* videtur asserere, quòd David fecit hunc Psalmum, dicens: *De quo regno olim per David in Psal.* 136. *dictum est: Mementote filiorum Edom in die Hierusalem &c.*

Sed quidam dubitant, ne forte iste Psalmus sit factus post reditum à captivitate per *Esdram*: eò quòd potiùs videtur historia, quàm prophetia: cùm ita clarè nominet *Babyloniam &c.* Sed hoc non refert: nam revelationes ipsius David fuerunt ita claræ, ut ipsemet dicit, 2. *Reg.* 23. quòd excedunt omnem prophetiam.

Et ideo de passione Christi in quatuor Psalmis, scilicet, 31. & 34. & 68. & 108. magis visus est Euangelista, quàm Propheta. Nec fuit David minus Propheta, quàm ille qui venit de *Juda* in *Bethel* sub *Jeroboam* stante supra Altare vituli, qui dixit: *Altare, Altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur de domo David Josias nomine: & immolabit super te Sacerdotes excelsorum &c.* quod quidem verbum impletum est per *Josiam* post ducentos annos, ut patet 4. *Reg.* 24. Item *Isai. cap.* 45. manifestè nominavit *Cyrum*, qui post ducentos annos dimisit captivitatem istam. Ex quo patet, quòd ista captivitas & destructio Templi fuit revelata ipsi David: eò quòd multum laboravit, & oravit, ut sciret futuras fortunas prosperitatis & adversitatis illius regni, & civitatis, & templi: & sic fecit plures Psalmos de illa vastatione, scilicet, 72. & 28. Et iste Psalmus est quædam tragœdia, seu lamentatio, in qua chorus Judæorum captivorum in Babylonia deflet miseriam & infelicitatem suam, dum recordabatur præteritæ felicitatis, & prosperitatis templi, & cultûs divini. In quo duo facit: nam primò facit quod dictum est. Secundò, petit ultionem de suis afflictoribus, ibi: *Memor esto.* Quantum ad primum dicit chorus captivorum: *O Sion*, nos sedebamus & *sedimus super flumina Babylonis, & illic flevimus, dum recordaremur tui*, scilicet, civitatis & templi, quod est situm in te: & dum recordaremur cultûs, & sacrificiorum, & festivitatum, quas in te celebrabamus, & Hymnorum, & Psalmorum, quos cantabamus, dum eramus in prosperitate, & libertate, in te habitantes. Et hîc accipit *Babylonem* pro tota provincia, in qua erant dispersi: quæ quidem provincia est tota irrigata multis fluminibus: quæ sunt *Euphratis* divisi in plures rivos decurrentes in *Tigrim*, in ripis quorum situantur multæ civitates, & oppida, in quibus captivi serviebant Judæi: & ad quorum fluminum ripas nascitur copia salicum: ideo sequitur:

2. *In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra.*

Id est, *in salicibus* quæ nascuntur in ripis fluviorum qui discurrunt per mediam regionem Babylonis, nos suspendimus organa nostra & instrumenta musica quibus cantabamus Psalmos & Cantica: & est modus loquendi militum emeritorum. Nam quando quiescebant à labore & exercitio armorum, suspendebant arma in templis: & Doctores, & Poëtæ cum relinquebant studium & exercitium, dicebantur suspendere arma, ut dicit *Horatius* in Epistolis &c. Ita ergo isti captivi, quia cessaverant ab omni cantu lætitiæ, & erant in captivitate & angustia, dicebant se suspendisse organa musica in salicibus fluviorum. Littera *Hieron.* habet: *Super salices in medio ejus suspendimus organa nostra.* Et tunc littera est clara.

De Pœn. d. 3. c. Insalicibus.

3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum:*

4. *Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

5. *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

Sequitur chorus, & dicit: quia Babylonii, *qui captivos duxerunt nos* in Babyloniam, *illic interrogaverunt nos verba cantionum*; id est, petendo, & præcipiendo nos cantare *verba cantionum.* Et apponit duos accusativos isti verbo *interrogo*; eò quòd est vehementis transitionis de illo collegio, *postulo, posco, peto, interrogo &c.* Unde regit secundum accusativum ratione gerundii subintellecti &c. Et ideo explicat petitionem dicens: Et Chaldæi *qui abdu-*

duxerunt nos captivos, dixerunt, & præceperunt, ſupple, *cantate*, ò vos Judæi, *de canticis Sion*, id eſt, de illis pulchris hymnis, quos in *Sion* cantabatis. Quibus, A ſupple, reſpondimus: *Quomodo cantabimus canticum Domini*, id eſt, ad cultum divinum deputatum, ſtantes *in terra aliena* idololatriæ deditâ? Et converſus chorus ad civitatem Hieruſalem deſtructam, dicit:

De Conſec. d. 5. c. Jejunium.

6. *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea.*

7. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.*

De Conſec. d. 4. Eccleſia.

8. *Si non propoſuero Hieruſalem, in* B *principio lætitiæ meæ.*

O *Hieruſalem*, *detur dextera mea*, id eſt, vita mea *oblivioni*, id eſt, obliviſcar ego vitam meam, ſi unquam oblitus fuero tui. Nam qui cantat & lætatur, videtur obliviſci adverſitates & bona perdita. & ideo numquam obliviſcar tui, & per conſequens numquam cantabo uſquequò revertar ad te cum proſperitate. Et facit aliam adjurationem, dicens: *Adhæreat lingua mea faucibus meis*, ut numquam poſſim cantare, nec loqui; *ſi non meminero tui*: & *non propoſuero te* ſemper C ò *Hieruſalem in principio* cujuslibet *lætitiæ meæ*. Nam quandocumque in aliqua proſperitate fuero, quâ merito unuſquiſque debet lætari: tunc præponam memoriam tui, & ſic ceſſabo à quamcumque lætitiâ. Vel iſti tres verſus prædicti poſſunt referri ad Deum, qui miſertus afflictionis eorum, reſpondet eis, dicens: O Hieruſalem, tu affligeris in hac captivitate, & ducta pœnitentiâ, deſideras reverti, ut ſervias mihi: & ego promitto tibi ſub pacto iſto, & adjuratione: quòd *oblivioni detur dextera* & potentia *mea*, *ſi oblitus fuero tui*: & *adhæreat lingua mea faucibus meis*, id eſt, vita mea deficiat, & verbum meum ſit falſum (quod totum eſt impoſſibile) *ſi non meminero tui*, te ab hac captivitate liberando, & civitatem & Templum iterum reſ- D taurando &c. Et hæc adjuratio eſt ſimilis illi, quam ſæpè Deus facit: *Vivo ego &c.* Et ſequitur: *Adhæreat lingua mea &c. ſi non propoſuero te* ante omnes alias nationes *in principio meæ lætitiæ*. Qſtaſi dicat: te lætificabo, & eris mihi accepta præ cæteris nationibus: & eris principium mei cultus, & mihi ſacrificabis, & ſervies in Templo renovato. Et forſan iſte intellectus eſt melior.

9. *Memor eſto Domine filiorum Edom,* E *in die Hieruſalem:*

De Pœ. d. 3. Cum in ſalicibus.

10. *Qui dicunt: Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.*

HIC petit ultionem de *Idumæis*, qui moverunt & incitarunt *Chaldæos* ad deſtruendum Hieruſalem.

Ad cujus intelligentiam eſt notandum: quòd conſuetudo Dei fuit, & eſt, punire populum ſuum per Infideles & inimicos, ne fideles polluantur & damnentur: ſed poſtea Deus non obliviſcitur punire inimicos, qui populum ſuum vexaverunt: quod F ita factum eſt. Nam per *Chaldæos*, ſive *Babylonios*, & etiam *Ægyptios* frequenter flagellavit populum ſuum, & maximè civitatem Hieruſalem & Tribum Judà. In qua proſecutione fuerunt qui habitant prope terram promiſſionis, ſcilicet, *Tyrii*, & *Damaſceni*, & omnes *Idumæi*, qui habitabant ultra Jordanem, & etiam alii *Arabes* incitabant, & provocabant Reges Aſſyriorum, & Ægypti ad infeſtandam Hieruſalem, & totum Iſrael ex zelo invidiæ. Et ideo *Iſaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, & cæteri minores Prophetæ, ſicut prædixerunt deſtructionem, & flagellationem regni Iſrael, & totius Judææ futuram per Chaldæos, & Ægyptios: ita pariter præ- G dixerunt deſtructionem Babyloniæ faciendam per *Cyrum*, & *Darium*. Et ita etiam prædixerunt deſtructionem Idumæorum & Moabitarum, & cæterorum finitimorum Hieruſalem, faciendam pro *Chambiſem*, & alios Reges Perſarum & Medorum: quod totum fuit poſtea impletum, ut patet *in Hiſtoria Herodoti*, & *Danielis*, & etiam *Judith*: ubi legitur, quòd *Holofernes* dux *Cambiſis* igne & ferro vaſtavit totam *Meſopotamiam*, & *Syriam* & *Idumæam*, & *Ægyptum* uſque in *Æthiopiam*, & ſic punivit omnes eos qui flagellarunt populum Dei.

Hoc ergo primò prævidens David in ſpiritu in hac ſecunda parte Pſalmi, prædicit punitionem *Idumæorum*, & *Babylo-* H *niorum*: eò quòd Idumæi excitarunt Chaldæos, & venerunt cum eis ad deſtruendum Hieruſalem. Dicit ergo David: O *Domine*, *memento filiorum Edon*, quid, ſupple, fecerint *in die* deſtructionis *Hieruſalem*: *qui dicunt*, & dicebant Chaldæis: *Exinanite*, id eſt, deſtruite, deſtruite Hieruſalem, & evertite eam, *uſque ad fundamentum*, nec aliquid remaneat.

*** *** ***

De Pœ. d. 3. In salicibus.

11. *Filia Babylonis misera: beatus,* A *qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*

1. q. 4. §. 2. Si supr.

12. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.*

CONversus Propheta cum comminatione apostrophat ad *Babylonem*, & comminans ei futuram punitionem faciendam per *Darium & Cyrum*, dicit: *O filia*, id est, gens *Babylonis misera*: Nam *Beatus* reputabitur, supple, ille *qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti mihi.* Quasi dicat: quòd sicut flagellasti, & afflixisti, & cruciasti me: ita in ultionem tanti sceleris flagellaberis, & B retribuentur tibi vices crudelitatis tuæ per *Cyrum & Darium.* Nam *Beatus* reputabitur ille, *qui tenebit* & capiet *& allidet parvulos tuos*, scilicet Babylonis *ad petram.*

Unde est manifestè advertendum: quòd tota ista prophetia fuit impleta per *Cyrum & Darium*, qui destruxerunt Babyloniam, & per *Cambisen*, & *Holofernem*, qui destruxerunt Idumæam, Arabiam, & Ægyptum, ut patet per totum discursum *Historiæ Herodoti.* Nam *Medi*, *& Persæ* in captione Babylonis decerebrabant *parvulos* & infantes, *allidentes* & projicientes eos *ad petram* & parietes.

Ex supradictis patet, esse vanam & inanem opinionem & spem Judæorum mo- C dernorum, qui expectant vastationem Christianorum propter hoc dictum in hoc Psalmo, scilicet, *Memor esto filiorum Edom*: & per illud quod dicit *Jeremias* 49. de futura vastatione *Edom*, & etiam *Tren.* 4. cùm dicit: *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus. Ad te quoque pervenit calix, inebriaberis, atque nudaberis.* Item, per hoc quod dicit Propheta *Abdias* in toto libello suo contra *Edom*, volunt intelligere *Romanum Imperium*, & totum populum Christianum: & sic dicunt, quòd omnes istæ prophetiæ sunt implendæ in populo Christiano: sed hoc est manifestè falsum & ridiculum. D

Nam *populus Romanorum & Christianorum* non descendit de *Edom*: immò habet ortum à *Japhet.* Item, omnes istæ prophetiæ jam fuerunt impletæ tempore *Cyri*, *& Darii*, & tempore *Cambisis* qui destruxit totam *Idumæam*, & *Syriam*, & *Ægyptum*, ut scribit *Herodotus*, & *Trogus Pompejus.* Item, *Idumæi*, qui manserunt, facti sunt Christiani post tempora Apostolorum, & post conversionem Magni *Constantini.* Sed postea apostatarunt à Fide, sequentes sectam *Mahometi.* Nam *Idumæa* est una pars Arabiæ. Ex quo patet, quòd Romanum Imperium, & populus Christia- E norum, qui hodie est, nullo modo pertinet ad *Edom.*

SECUNDA EXPOSITIO ejusdem Psalmi.

SED quia iste Psalmus non solùm est prophetia in quantum prædicit futura, sed etiam computatur inter Sacras Scripturas, in quantum continet in se Sacramentum de Christo & Ecclesia, ut frequenter dictum est in aliis: Nam intellectus David in hoc Psalmo habuit duplicem spiritum propheticum, sicut in ceteris, prout dictum est *in Prologo*, *Tractatu* 2. *&* 3. Nam primò prævidit captivitatem, & liberationem Babylonicam, & per illam prævi- F dit futuram liberationem generis humani faciendam per Christum: Ideo non solùm sistebat in captivitate Babyloniæ tunc futurâ; sed etiam primò & principaliter transibat ad Christum & Ecclesiam; sicut stans super altam turrim, non solùm videt montes propinquiores, sed etiam remotiores ultra illos propinquiores & supereminentiores. Item, Prophetæ prævidebant in spiritu multa propinquiora ventura in illo populo tamquam montes parvos: sed ultra videbant multa mysteria Christi & Ecclesiæ, eò quòd altiora. Et ideo Isaias, & cæteri Prophetæ, postquam dixerunt aliqua ventura in illo populo, saltant ad Christum & Ecclesiam: quia per illa videbant ista. Ita pariter fecit David in hoc Psalmo, & in mul- G tis aliis.

Nam per illam captivitatem *Babylonis* prævidit persecutionem, quam semper passa est Ecclesia ab infidelibus & malis, & patietur usque ad diem Judicii: & prævidit etiam punitionem persecutorum ejus. Nam illa captivitas Babyloniæ figurabat pressuras, & persecutiones futuras ipsius Ecclesiæ, ut ait *August. lib. de Catechizandis rudibus.*

Unde est advertendum secundùm *August.* 14. *de Civitate Dei*, *cap. ult.* & 15. *libro*, *cap.* 1. quòd à principio mundi divisum est totum genus humanum in duas civitates. Una vocata est *civitas Dei*, quæ incœpit ab *Adam*, & *Abel.* Alia *civitas diaboli*, quæ incœpit à *Cain.* Prima dicitur *civitas Dei*, quia Deus est ejus rector & finis. Secunda dicitur *civitas diaboli*, quæ incœpit à *Cain*, quia diabolus est caput ejus. Prima dicitur frequenter in Scriptura *Hierusalem*, quia est *visio pacis*, & videt Deum per fidem, vivens in pace & charitate. Dicitur etiam *Sion*, quia Deum speculatur per fidem. Dicitur etiam *Israel*, quasi *videns Deum.* Nam quomodocumque nominetur, semper videt Deum, & spectat per fidem. Nam in Testamento ve-

Duæ civitates.

veteri expectabat, & prævidebat Chriſtum incarnandum, & ſalvaturum eam: nunc autem prævidet per eamdem fidem, & expectat ipſum nos in cœlo glorificaturum. A

Illa autem ſocietas diaboli dicitur communiter in Scriptura *Babylon*, ſive *Babylonia*, quæ interpretatur *confuſio*: eò quòd numquam habuit unum caput, nec rectorem, ſed colebat pluralitatem deorum: nec expectabat unum finem: nam dii eorum diverſos fines eis promittebant. Ideo erant inter Gentes diverſæ & nefandæ ſuperſtitiones, & ritus colendi. Dicitur etiam *Edom*, quod interpretatur *terra*, ſive *terrenum*, & *rubeum*: quia omnes cives illius civitatis ſunt terreni, & terrena diligunt, ſicut iſti noſtri amant cœleſtia. Iſti ergo duo amores, & fines diverſi fecerunt duas civitates duraturas uſque ad Judicium. Et ideo ſicut illa *Babylon* fluctuat in hac vita, B & gaudet circa terrena, & ejus finis eſt pœna, & infernus: ita noſtra *Hieruſalem* per fidem peregrinatur in hac vita: ſed finis & ultimus terminus ejus eſt cœlum, & perpetua beatitudo & felicitas. Et ideo illa *Babylon*, ſive *Edom* ſemper afflixit, & vexavit, & perſecuta eſt noſtram *Hieruſalem*, ſive *Sion*, ſive *Iſrael*. Et hoc prævidit David in hoc Pſalmo, ultra illam captivitatem factam per *Nabuchodonoſor*. Ideo per *Babylonem* intelligitur civitas & populus diaboli & infidelium: & per *Sion* & *Hieruſalem* intelligitur Eccleſia ab *Abel* uſque ad ultimum juſtum. Et etiam incœpit iſta Eccleſia ab *Adam* in paradiſo terreſtri. Nam tunc *Nabuchodonoſor*, id eſt diabolus, captivavit genus humanum, & traxit ipſum ab illa felici *Sion*, ſive *Hieruſalem*, ubi *Adam* fruebatur in pace viſione Angelorum & ſocietate. Et ideo homo exul ab illa civitate, poſitus captivus in hac valle lacrymarum *Babyloniæ & confuſionis*, deflet caſum ſuum, recordatus illius felicis *Sion*, unde cecidit, & dicit: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion &c.* C

Nota. Unde nota, quòd per *flumina* in Sacra Scriptura frequenter interpretantur perſecutiones, & tribulationes, & furiæ tyrannorum, & malorum: per *ſalices* intelliguntur fideles & ſimplices: nam *ſalices* ſunt arbores amaræ, & faciliter flexibiles ad nutum. Ita ſimplices & fideles ſemper obediunt malis, & affliguntur ab eis, & exercitantur, & patiuntur ab eis amaras perſecutiones. Dicuntur ergo *flumina* diſcurrere per medium *Babylonis*: quia ſemper in hoc mundo fuerunt mali, & tyranni furioſi. Dicuntur etiam *ſalices* naſci juxta flumina: quia ſemper boni fuerunt dati in exercitium malorum. Nam ſicut flumina tumida & furioſa rapiunt & evertunt *ſalices*, & omnia qui ſunt in ripa: ita tyranni ſemper perſecuti ſunt ſimplices fideles ab D initio: quia illicò diabolus inſurrexit in *Adam*; & *Cain* in *Abel*; & *Chaldæi* in *Abraham*; & *Iſmael* in *Iſaac*; & *Eſau*, ſive *Edom* in *Jacob*, ſive *Iſrael*; & *Saul* in *David*; & populus Gentilis in filios Iſrael; & *Babylonia* & Ægyptus in *Hieruſalem*; & *Synagoga* contra *Eccleſiam*; & Tyranni, & Hæretici, & Hypocritæ, & *Antichriſtus* ſemper inſurgent contra eamdem uſque ad Judicium. E

Sed omnes iſti mali univerſaliter comprehenduntur ſub nomine *Babylonis*, & *Edom*: ſicut Eccleſia intelligitur ſub hoc nomine *Sion* & *Hieruſalem*. Sedet ergo Eccleſia ab initio mundi *ſuper flumina Babylonis*, ſemper à malis afflicta: & tamen numquam perdidit fidem; quia ſemper recordatur ipſius *Sion*, in qua Chriſtus regnat hîc per fidem, & ſuperiùs per gratiam: & ſemper per fidem recordatur, quomodo *Adam* per ſuperbiam cecidit ab illa Arce *Sion* paradiſi terreſtris, & quomodo propter illud peccatum ſedet in hoc mundo *ſuper flumina Babylonis*; & ideo ſe abſtraxit à voluptatibus & ritibus Gentilium infidelium: & quomodo expectavit Chriſtum incarnandum, ut veniret in carne: nunc autem expectat ipſum videre in gloria. Et ſicut in Lege veteri deſiderabat reverti in *Hieruſalem*, id eſt, pervenire ad Legem gratiæ, ut cantaret *de canticis Sion*, & in *Hieruſalem* ſuperiorem, ut ibi cantet cantica gloriæ: ita poſtquam hîc cantat cantica gratiæ Chriſti, jam reverſa de prima *Babylonia* diaboli, in qua tenebatur captiva; ſed nunc adhuc retinetur in hac *Babylonia* mundi inter membra diaboli, ſcilicet, inter Infideles, & Hæreticos, & Tyrannos, & impios: ſemper ergo Eccleſia deflet perſecutiones, & amaritudines hujus mundi, uſquequò requieſcat in *ſuperna Hieruſalem*. F G

Eccleſia ſedet ſuper flumina Babylonis.

Dicit ergo Eccleſia: O *Sion*, id eſt, terreſtris paradiſe, & ſuperior *Sion*, quam expectamus, ſemper nos *ſedimus* amari *ſuper flumina Babylonis*, id eſt, perſecutiones mundi & diaboli, & *flevimus illic, dum recordaremur tui*, id eſt felicitatis, in qua eramus in terreſtri paradiſo, & quam perdidimus in ſuperiori. Et ideo non poſſumus lætari, nec cantare cantus lætitiæ in hac lacrymarum valle, & exilio, & amaritudine: quia nos *ſuſpendimus organa noſtra*, id eſt, cauſas cantandi carmina lætitiæ, *in ſalicibus*, quæ ſunt *in medio ejus*, ſcilicet *Babylonis*. Nam ibi non ſunt niſi tribulationes & anguſtiæ, & amaritudines: quia ibi dimiſimus omnem lætitiam, & nos ſubtraximus ab omni delectatione. Ergo ibi *ſuſpendimus*, & dimiſimus omnem lætitiam & canticum inter anguſtias. Et ideo non poſſumus recuperare illam *Sion* & *Hieruſalem* perditam per cantus lætitiæ mundanæ, ſed per cantus amaritudinis & pœnitentiæ, & pauper- H

tatis, & persecutionis propter Christum &c. Unde *Matth.5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Beati mites: Beati qui lugent: Beati qui esuriunt: Beati qui persecutionem patiuntur &c.* Quare? quia sumus in terra aliena, & *sedimus super flumina Babylonis* captivi & exules à nostra *Sion* & *Hierusalem*: ergo sic nos oportet reverti ad eam. Hebræus, & littera *Hieronymi* habet: *Super salices: In medio ejus suspendimus organa nostra*: & tunc littera est plana. A

Babylonis situatio.

Unde nota, quòd *Babylon* hîc non solùm sumitur pro tota provincia Babyloniæ, quæ est sita in medio duorum fluviorum magnorum, scilicet, inter *Tigrim* & *Euphratem*; sed etiam civitas magna *Babylon* est sita inter duo flumina interfluentia muros ejus: nam ab Ortu habet *Tigrim*, & ab Occasu & Meridie habet *Regium*, quod est brachium defluens ab *Euphrate*, & intrans in *Tigrim*, postquam circuit civitatem. Quomodocumque ergo sumatur, semper *Babylon* est sita in medio fluminum. Item, tota *Chaldæa* est circum, & interrigata alveis *Tigris* & *Euphratis*, & abundat salicibus, per quam bene figuratur hic mundus circumfusus persecutionibus & amaritudinibus. B

Et ideo hîc dicimus: quia diaboli & impii, *qui captivos duxerunt nos* & affligebant, *interrogaverunt*, id est, irrisoriè exquisierunt à nobis *verba cantionum*, *& qui abduxerunt nos* à patriâ nostra, dicebant nobis irrisoriè: *Cantate nobis de canticis Sion*, si potestis, id est, quare non cantatis talia cantica, sicut cantabatis, dum eratis in *Sion* in prosperitate & lætitiâ? Unde respondet corpus mysticum, sive Ecclesia: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*, exules ab illa *Sion* paradisi, & captivi in hac *Babylone* confusionis & miseriæ? Unde non negat Ecclesia quin cantet *canticum Domini* in hac *terra aliena* & peregrinatione; sed negat modum: quia in illa *Sion* paradisi cantabat *canticum Domini* cum felicitate & lætitia, sine miseria & amaritudine, habitans inter illas felices arbores paradisi, vescendo illo cibo vitæ sibi concesso: sed nunc quia habitat in medio hujus *Babyloniæ* inter salices amaras & infructuosas serviendo inimicis, jam non potest eo modo cantare *canticum Domini*, quin patiatur persecutiones intus & extra, & amaritudines *salicum*. Nam dum in hac vita peregrinamur, cum difficultate operamur, & semper in bene operando intus & extra resistentiam invenimus. C D

Unde Beatus *Ambrosius* Hymnos suaves cantabat in Ecclesia Mediolanensi: tamen ab *Arianis* intolerabiles persecutiones patiebatur: & sic cum amaritudine & lacrymis cantabat *canticum Domini* in terra aliena Hæreticæ pravitati deditâ. Eodem modo cantavit semper Ecclesia Christi in principio & tempore Tyrannorum Hæreticorum, & cantabit tempore Antichristi. Ideo sequitur responsio Dei: O Hierusalem Ecclesia mea, *oblivioni detur dextera mea*: id est, vita mea deficiat, *si fuero oblitus tui*, quin veniam ad liberandum te carnem assumendo, & pro te patiendo, & ab ista Babylonia liberando, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Et *adhæreat lingua mea faucibus meis*, mentiendo, *si non meminero tui* in hac tribulatione, *& si non proposuero te in principio*, id est, in die *lætitiæ meæ*, scilicet redemptionis, ô Hierusalem. Dies lætitiæ Christi, fuit status Legis gratiæ: ideo in principio hujus diei & *lætitiæ* præposuit Ecclesiam suam cæteris nationibus: quia solam istam elegit in populum suum, & sponsam. E F

Promittit ergo Christus hîc liberare populum suum, & Ecclesiam Fidelium à captivitate *Babylonis*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, tàm in hoc die gratiæ, quàm in alio die gloriæ futuræ. Ideo Ecclesia læta de promissione sibi facta per Christum, petit ultionem de *Babylonia* & de populo terreno, qui ipsam afflixit; & dicit: O *Domine*, postquam tu promittis reminisci nostri, & præponere nos cæteris, id est, ipsis infidelibus, & terrenis *in principio lætitiæ* tuæ, quæ erit dies gratiæ, & dies Hierusalem: ergo *memento filiorum Edom*, & punias eos *in die* restitutionis *Hierusalem*, scilicet, in tempore gratiæ, postquam ipsi afflixerunt nos in prosperitate sua. *Filii Edom*, sunt homines terreni; & conversus ad *Babylonios*, id est, *filios confusionis*, qui iidem sunt & terreni, dicit: O gens infidelis, & *misera filia Babylonis*, bene eris misera in die Judicii, & in die Hierusalem gratiæ & gloriæ: nam tunc ille populus, quem tu persecuta es, erit *beatus*, sedens ad Judicium cum Christo judicante te, & condemnabit te in æternam pœnam: & *retribuet tibi retributionem quam retribuisti nobis*: & ipse populus Dei erit *beatus*, & *tenebit*, & possidebit illam *Hierusalem*, & *allidet filios tuos*, & projiciet *ad petram* inferni in pœnam æternam. G

Et nota, quòd hæc punitio temporaliter facta est contra inimicos & persecutores Ecclesiæ: nam non solùm Judæi fuerunt puniti per Romanos, & *parvuli* eorum *allisi ad petram*: sed etiam fuerunt maxima bella, & destructiones civitatum inter Gentiles, in quibus factæ sunt magnæ crudelitates in punitionem eorum. Ex quo patet, quòd sicut David per captivitatem, sive per liberationem à captivitate præterita Ægypti, prævidit liberationem totius humani generis futuram per Christum de captivitate diaboli à peccato: ita pariter per liberationem futuram à captivitate *Babylonis*, prævidit etiam liberationem futu- H

ram

ram per Christum, & universalem redemptionem: & prævidit liberationem Ecclesiæ de afflictione & persecutione Judæorum, & Tyrannorum, & Hæreticorum, & Antichristi. A

Triplex Hierusalem.

Patet etiam, quòd triplex est *Hierusalem*: prima *Materialis*: secunda *Militans* per gratiam: tertia *Triumphans* per gloriam. Unde ante adventum Christi erant omnes in captivitate peccati originalis. Et licèt essent in Hierusalem *Materiali*; tamen erant in *Babylonia* diaboli per peccatum. Ideo desiderabant reverti ad *Hierusalem Militantem* per gratiam, & cantare in ea canticum novum per gratiam, quæ est Lex Euangelica: ut patet *Isai.*36. *Cantabitur in illa die canticum in ea &c.* Sed quia jam sumus in *Hierusalem Militante*, & cantamus canticum gratiæ; ideo adhuc B desideramus exire ab hac corporali captivitate, postquam exivimus à captivitate spirituali per Christum: desideramus, inquam, ire ad *Hierusalem æternam & Triumphantem*, ut cantemus ibi canticum gloriæ absque aliqua tribulatione & dolore, tàm corporali, quàm spirituali: ubi *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis justorum*: *& jam non erit amplius, neque luctus, neque dolor &c.* Unde hoc *canticum* novum gloriæ nemo potest cantare in hoc mundo, sed in *Sion superiori* & cœlesti cantant illud illa centum quadraginta quatuor millia cum citharis suis & organis in C conspectu throni & Agni existentis supra *montem Sion*, ut patet *Apocal.*14. Et hoc *canticum* desideramus cantare hodie, qui *sedemus super flumina Babylonis* hujus mundi: & illas citharas desideramus recuperare, ut cum eis cantemus *canticum Domini* in illa *cœlesti Hierusalem*, quam *Joannes* vidit descendentem de cœlo *quasi sponsam ornatam viro suo*, *Apocalypsis* 21.

Nota.

Ex quo patet, quòd David in hoc Psalmo intentè monet, quòd non velimus in hoc mundo considêre, nec *cantare canticum* lætitiæ mundanæ: sed *canticum* pœnitentiæ & amaritudinis, & canticum fidei & gratiæ, ut possimus cantare in superiori *Sion* canticum gloriæ coram *Agno*. D Nam quamdiu sumus in hoc mundo *super flumina Babylonis sedemus juxta salices* amaritudinis, & inde sumimus cibum, postquam perdidimus cibum vitæ in paradiso, unde sumus ejecti.

Item monet moraliter, quòd si quis est captivus in *Babylonia* per peccatum actuale, nolit ibi manere, nec cantare; sed laboret inde exire, ut cantet *canticum Domini in Hierusalem gratiæ*, quæ est Ecclesia ista, ut inde possit ascendere ad cœlestem *Sion*, ad cantandum canticum gloriæ.

Sed est iterum advertendum, quòd postquam Ecclesia Dei, id est, corpus mysticum fuit liberatum per Christum de servitute E spirituali *Babylonis*, & potestate diaboli, & hoc per Passionem Christi & Ecclesiastica sacramenta, & fuit absoluta à jugo Legis: tunc incidit in persecutionem temporalem, & fuit afflicta per magnam *meretricem Babylonem*, scilicet, populum Paganum. Unde sicut ex conversis de populo Judaico & Gentili facta est una Ecclesia Christi & civitas Dei, quæ dicitur *Hierusalem* & *Israel*: ita ex obstinatis de populo Judaico & Gentili facta est civitas diaboli, quæ dicitur *magna Babylon*, quæ illicò incœpit persequi & affligere civitatem Dei, & *novam Hierusalem*, quæ est Ecclesia Christi. Sed primò incœpit Synagoga obstinata ad persequendum Ecclesiam, & exinde continuavit Gentilitas affli- F gere Ecclesiam usque ad magnum *Constantinum*: sed conversâ Gentilitate ad Christum, tunc sola Synagoga mansit obstinata, & inimica populo Dei: & sic Gentilitas tota, quæ antè erat *Babylon*, facta est *Hierusalem* & *Israel*, & populus, & civitas Dei: & Synagoga, quæ sola erat *Judæa*, & *Hierusalem*, & civitas sancta, facta est *Babylon*, & confusa per obstinationem & infidelitatem: & sola mansit inimica populo, & civitati Dei, & ipsi *Hierusalem*. Per eamdem ergo rationem Synagoga, quæ antè erat *Jacob* & *Israel* per fidem ante adventum Christi, facta est *Edom* G post adventum Christi propter infidelitatem. Et Gentilitas, quæ antè dicebatur *Edom*, facta est *Jacob* & *Israel* recipiendo Christum. Quod sic probatur.

Nota Jacob supplantavit fratrem.

Nam *Jacob* dictus est *Jacob*, id est, *supplantator*: eò quòd ter supplantavit fratrem suum *Edom*. Primò, quando ejecit ipsum de ventre matris: & sic natus est tenens plantam fratris. Secundò, quando subripuit ipsi primogenituram pro cibo lenticularum. Tertiò, quando subripuit ipsi benedictionem, dum abierat ad venandum cibos corporales: & ideo dictus est *Jacob*, id est, *supplantator*. Et ita pariter *Esau* dictus est *Edom*, id est, *rubens* & *sanguinolentus*; eò quòd ejectus à ventre natus H est sanguinolentus & rubens sanguine involutus. Secundò, dictus est *Edom*, id est, *terrenus*; eò quòd pro cibo terreno vendidit primogenituram ipsi *Jacob*. Tertiò, dictus est *Edom*, id est, *terrenus*; eò quòd dum abiit ad venandum cibos corporales, perdidit benedictionem spiritualem, quam ipsi subripuit frater ejus Jacob. Et sic patet, quòd propter temporalia perdidit spiritualia: quibus bonis spiritualibus successit ipse *Jacob*, ut patet *Genes.*25. & 37. Ita ergo propriè accidit inter Synagogam & Gentilitatem post adventum Christi: nam primò Gentilitas, quæ erat minor, ejecit Synagogam de ventre Ecclesiæ, sumendo fidem Christi. Secundò, subripuit ipsi primogenituram: nam primò *oportebat præ-*

di-

dicari Judæis verbum Dei: ſed quia indignos ſe fecerunt, ideo Apoſtoli profecti ſunt ad Gentes, ut patet *Act.* 13. Tertiò, ſubripuit ipſi benedictionem promiſſam ipſi *Abrahæ*, & ſemini ejus: quia voluit regenerari & benedici in Chriſto. Et ſic Gentilitas, quæ erat *Edom*, facta eſt *Jacob*, & *Iſrael*, & *ſemen Abrahæ*: per oppoſitum autem *Synagoga* facta eſt *Edom*, & *ſanguinolenta*, quando ejecta eſt è ventre Eccleſiæ occidendo Chriſtum. Et facta eſt *Edom*, vendendo primogenituram, & perdendo benedictionem. Et ſic patet quomodo Synagōga verè facta eſt *Edom*, ſive *Idumæa*.

Synagoga dicitur Edom.

Unde eſt iterum advertendum, quòd Synagoga quadruplici ratione facta & dicta eſt *Edom* poſt adventum Chriſti. Primò, ratione myſterii ipſius *Eſau* completi in ipſa Synagoga, prout dictum eſt: eò quòd Synagoga contempſit benedictionem & redemptionem Chriſti, & primogenituram propter bona temporalia, & mundana, & terrena: quia *Edom* interpretatur *terrenus* & *mundanus*. Item ſecundò, hoc nomen *Edom*, ſive *Idumæa* competit ipſi Synagogæ ratione alterius interpretationis. Nam *Edom* interpretatur *ſanguinolentus*; & *Idumæa*, *ſanguinolenta*: ſed Synagoga manſit ſanguinolenta ex homicidio & nece Chriſti, in qua obſtinatione homicidii ſemper perſeverat: ideo verè dicitur *Edom*. Tertiò, dicitur *Edom*, ſive *Idumæa* ratione officii & inimicitiæ.

Unde eſt advertendum ſecundùm *Hieronymum* in *Prologo ſuper Abdiam*, quòd Hebræi omnes populos ipſis adverſantes appellabant *Edom*: unde dicebant, quòd ſicut *Eſau* appellatus eſt *Edom*, eò quòd ſemper adverſatus eſt *Jacob*, & quærebat mortem ejus: ita pariter omnes qui adverſabantur populo Iſrael, debent dici *Edom*: & ſic totum populum Gentilem appellabant *Edom*. Et ſic dicit *Hieronymus*, quòd per *Edom* in Sacra Scriptura non ſolùm intelligitur illa pars *Arabiæ*, quæ eſt ultra *Jordanem*; ſed intelligitur etiam totus populus Gentilis, qui ſemper inimicabatur, & adverſabatur populo Dei, & procurabat ejus deſolationem. Et hæc fuit cauſa quare populum Chriſtianum appellarunt *Edom*, eò quòd fuit congregatus ex converſis de populo Gentili, & quia eſt ſemper contrarius populo Judaico.

His ergo habitis & præſuppoſitis ſequitur, quòd ſola Synagoga eſt verè *Edom*, & intelligitur per *Edom* & *Idumæam* in Sacra Scriptura. Nam *Edom* eſt ille populus, qui adverſatur populo Dei, & ipſi *Jacob* & *Iſrael*, & adverſatur veritati Legis & Prophetarum. Cum ergo ſuperiùs in pluribus locis probatum eſt, qualiter ſola Eccleſia Chriſti eſt *Jacob*, & verus *Iſrael*, & *ſemen Abrahæ*: eò quòd ſubripuit primogenituram, & benedictionem, & fuit benedicta & regenerata in Chriſto in Lege promiſſo, quam primogenituram, & benedictionem, & regenerationem, & redemptionem contempſit Synagoga propter bona temporalia: Ergo quicumque adverſatur populo Chriſtiano, & Legi Euangelicæ, quæ eſt veritas Legis & Prophetarum, ille talis eſt verè *Edom*, & *Idumæa*: ſed Synagoga eſt hujuſmodi; quia illicò adverſata fuit Chriſto & doctrinæ ejus, & per conſequens veritati Legis & Prophetarum, & illicò poſt paſſionem perſecuta eſt Apoſtolos & totam Eccleſiam, & hodie perſeverat in eadem obſtinatione, & malitia, & cœcitate: Ergo ipſa Synagoga verè eſt *Edom* & *Idumæa*. Et ſic patet, qualiter Synagoga obſtinata eſt illa *Idumæa*, cui ſemper comminatur Deus per *Jeremiam* & *Abdiam*, & per omnes alios Prophetas. Quartò probatur Synagogam intelligi per *Idumæam*: & hoc ratione falſæ doctrinæ *Thalmudicæ*, quam hodie ſequitur.

Ad cujus intelligentiam eſt advertendum, quòd Scribæ & Phariſæi, auditâ reſurrectione Chriſti per teſtes idoneos, & viſâ poteſtate Chriſti per miracula, & viſâ veritate Euangelicâ per doctrinam miraculoſam Apoſtolorum poſt receptionem Spiritus ſancti: tunc quæſierunt modos, & vias quomodo tegerent ſuum errorem, & malitiam, & retinerent illum populum in ſua cœcitate, & falſa doctrinâ, & fermento mendacii & malitiæ. Et ſic ut oſtenderent Jeſum Chriſtum non fuiſſe verum Meſſiam, confinxerunt ſibi quemdam falſum Meſſiam, vocatum *Barcocibam*: ſed ille periit cum magna parte Scribarum & Phariſæorum, & cum tota civitate *Biter*, & magno numero Judæorum. Et ſic etiam confinxerunt quemdam alium Ægyptium in Meſſia, quem *Hadrianus* capitali ſententia punivit: tunc Scribæ & Phariſæi recurrerunt ad Magos & Necromanticos: & ſic aſciverunt *Simonem Magum* tamquam Meſſiam: ſed Apoſtoli *Petrus* & *Paulus* ipſum coram *Nerone* ſuperarunt, & confuderunt, & ſuam fraudem detexerunt.

Nota benè.

Ultimò autem aſciverunt quemdam magnum Nicromanticum Idumæum vocatum *Mair*, & promiſſis magnis donis & muneribus, ipſum Proſelytum fecerunt, & ſuis falſis traditionibus Phariſaicis inſtruxerunt. Ille autem, cum eſſet verſutus & magus, ex conſilio diaboli confinxit in ſcriptis quamdam Legem, quam *Miſna* appellavit, id eſt, ſecundam Legem, quam Deus ore tenus dederat *Moyſi* in monte *Sinai* ultra Legem ſcriptam. Unde dicit iſte ſceleratus & ſacrilegus, quòd *Moyſes* bene promulgavit & manifeſtavit illi populo Legem ſcriptam: ſed non manifeſtavit Legem ore tenus datam: ſed illam tantùm revelavit in ſecreto *Joſue*, & *Joſue* revelavit ipſam alteri. Et ſic pervenit uſque ad Rabbi *Mair* poſt Aſcenſionem Chriſti: ſed tunc ipſe

Rabbi

Rabbi *Mair* ex voluntate Dei publicavit illam in scriptis toti populo Judæorum. Et ista falsa doctrina hujus secundæ Legis appellata *Misna*, perseveravit quasi per ducentos sexaginta annos à Rabbi *Mair* usque ad *Magnum Constantinum*.

A

Sed videntes Magistri Judæorum, quòd tota Gentilitas convertebatur ad fidem Euangelicam propter conversionem *Constantini*: propter quam etiam causam maxima pars Judæorum convertebatur ad fidem, cognoscentes Christum fuisse verum Messiam: tunc congregati sunt in *Babylonia Ægypti*, quæ dicitur *Caire*: & ibi composuerunt libros *Thalmud*, continentes declarationem illius secundæ Legis, quæ dicitur *Misna*, traditæ & confictæ per Rabbi *Mair* Idumæum: quam doctrinam *Thalmudicam* servat & colit hodie tota Synagoga Judæorum pro majori parte: nam alia secta Judæorum reperitur in Græcia, & in partibus orientalibus, qui dicuntur *Charraim*, qui abominantur hanc doctrinam *Thalmudicam* & Pharisaicam.

B

Ex quibus omnibus patet, quòd ista Synagoga Judæorum modernorum obstinatorum non potest dici *populus Dei*, nec *Synagoga Dei*: quia non observant veritatem Legis & Prophetarum, sed falsam doctrinam *Thalmudicam* ipsius Rabbi *Mair* Idumæi inventoris hujus erroris, & falsæ doctrinæ. Et per consequens Synagoga debet appellari *Edom*, sive *Idumæa*, ab illo Idumæo *Mair*, cujus doctrinam observat, sicut omnes sequaces sectæ Mahometicæ appellantur *Arabes*, eò quòd *Mahometus* fuit de Arabia. Et omnes Christianos Judæi appellant *Nazarenos*, eò quòd Christus, cujus doctrinam sequimur, fuit de *Nazareth*. Et ita nos omnes sectatores *Platonis* appellamus *Academicos &c.*

C

Et sic patet, qualiter quadruplici ratione Synagoga hodierna Judæorum appellatur, & debet appellari *Idumæa*: primò, ratione mysterii *Jacob* & *Esau* completi in Synagoga. Secundò, ratione interpretationis: quia est tota terrena & sanguinolenta. Tertiò, ratione officii: quia semper adversatur veritati Legis & Prophetarum, & populo Dei. Quartò, ratione doctrinæ Rabbi *Mair Idumæi*, quam colit & observat. Et ideo ubicumque ponitur *Idumæa* in Sacra Scriptura, semper propheticè est intelligenda Synagoga obstinatorum Judæorum: quia perdidit primogenituram & benedictionem, & est homicida & sanguinolenta, semper adversatrix veritati & populo Dei, & sequens falsam doctrinam scelerati & sacrilegi Rabbi *Mair Idumæi*.

Synagoga dicitur Idumæa.

D

Ex his omnibus patet esse falsam & fictam positionem *Rabbi Salomonis*, & *Rabbi Cambi*, & omnium modernorum, dicentium, quòd Ecclesia Romana, & tota Religio Christiana est *Edom*; immò per

Edom intelligunt regnum Romanorum, & omnium Christianorum: quod est manifestè falsum. Nam Hispani, & Galli, & Germani, & Itali, & cæteræ nationes Christianorum nullo modo descendunt ab *Esau*, nec secundùm carnem, nec secundùm doctrinam. Nam secundùm doctrinam jam appellantur Christiani à Christo, cujus Legem & doctrinam colunt: secundùm verò carnem descendunt pro majori parte à *Japhet*, & exinde ex diversis nationibus, quæ nihil attinent ad *Edom*. Sed populus Christianus verè dicitur *Jacob*, & *Israel*, & *semen Abrahæ*, quorum fidem sequitur & promissionem.

E

Omnia ergo supradicta prævidens David in spiritu, non solùm fecit hunc Psalmum litteraliter de captivitate temporali *Babyloniæ*, prout dictum est in dicta Expositione: nec de captivitate spirituali totius generis humani, prout dictum est in secunda Expositione; sed etiam fecit hunc Psalmum, in quo deflet afflictionem Ecclesiæ Christi, quam passa est in principio illicò post passionem Christi, primò per obstinatam Synagogam Scribarum & Pharisæorum intellectam per *Edom*; & postea passa & afflicta est per tyrannicam crudelitatem populi Gentilis intellectam per *Babylonem*: quam persecutionem & afflictionem Ecclesiæ Christi prævidit David in duplici spiritu per captivitatem temporalem *Babylonis*.

F

Tria ergo facit David in hoc Psalmo: nam primò prædicit afflictionem primitivæ Ecclesiæ tempore Judæorum & Tyrannorum. Secundò, prædicit constantiam Martyrum, & omnium fidelium in illa afflictione. Tertiò, petit ultionem, prædicens punitionem persecutorum Ecclesiæ. Secunda ibi: *Si oblitus fuero.* Tertia ibi: *Memor esto.*

G

Quantum ergo ad primum dicit primitiva Ecclesia, intellecta per *Sion*, & *Hierusalem*: immò dicunt cives fideles hujus Hierusalem: O *Sion*, id est civitas Dei, cujus Christus est Caput, nos *sedimus & flevimus super flumina*, id est, persecutiones *Babylonis*, quæ est tota civitas Paganorum & Infidelium congregata ex obstinatis Judæis & Gentilibus Tyrannis: & hoc *dum recordaremur tui*: quia in tali persecutione numquam negavimus fidem. Unde in illa persecutione non potuimus cantare: quia Tyranni prohibebant divina officia publicè celebrari: ideo subdit, quòd *in medio* Babylonis inter salices amaritudinis *suspendimus organa nostra*; quasi dicat: publicè non audebamus celebrare divina officia: quia *quomodo cantaremus canticum Domini* Euangelicum *in terra aliena*, scilicet, inter Judæos, & Hæreticos, & Tyrannos? omnia ista dicit David, quia Christiani latebant per antra deserti & cryptas montium propter metum Tyrannorum Imperatorum & Regum.

H

Si oblitus fuero tui. In hac secunda parte prædicit constantiam *Martyrum*, qui patienter ferentes persecutiones, firmiter confitebantur Fidem Christi, non timentes tormenta Tyrannorum. Unde dicit cœtus Martyrum: O *Hierusalem* civitas Christi, pro cujus defensione ego patior, *si oblitus fuero tui* Christum negando, *oblivioni detur dextera mea.* Quasi dicat: Deficiant mihi omnes vires, & pereat anima mea, si negavero te. Et *si non proposuero Hierusalem*, id est, Ecclesiam *in principio lætitiæ meæ*; id est: Si non contempsero omnia bona temporalia & promissiones Tyrannorum propter Fidem & Ecclesiam Christi.

Memor esto filiorum Edom. In hac tertia parte prædicit punitionem persecutorum Ecclesiæ, & petit ultionem, primò de Synagoga, intellecta per *Edom*, ut dictum est. Ideo dicit: O Domine Jesu Christe, memento *filiorum Edom*, id est, Scribarum & Pharisæorum, & cæterorum Judæorum, *filiorum* Synagogæ obstinatæ; ut punias eos qui continuè dicunt: *Exinanite, exinanite*, id est, destruite, & annihilate Ecclesiam Christi *usque ad fundamentum in ea*: quia petunt, & conantur destruere Ecclesiam usque ad fundamenta.

Deinde cùm dicit: *Filia Babylonis misera*, prædicit simul punitionem Judæorum, & Tyrannorum persecutorum Ecclesiæ, qui intelliguntur per *filiam Babylonis.* Unde ait: O *misera* Synagoga & Gentilitas *filia Babylonis*, & confusionis, tempus veniet in quo dicetur: *Beatus* ille *qui* destruet te, & *retribuet tibi retributionem, quam retribuisti nobis:* unde *Beatus* reputabitur ille *qui tenebit*, & capiet filios tuos *parvulos*, *& allidet* & projiciet eos *ad petram*, & parietes: quæ omnia illa fuerunt impleta in excidio Hierusalem per Romanos, & in mutuis præliis ipsorum, & populi Gentilis inter se: ut patet in Historiis Imperatorum usque ad tempora *Constantini*, ubi tota Gentilitas conversa est ad Christum. Et sic cessaverunt bella in magnam partem.

* *
*



PSALMUS CXXXVII.

1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.*

Sup. 209. 16. q. 1. Reverti..mini.

TITULUS: *Psalmus ipsi David.* Unde est advertendum, quòd licèt littera hujus Psalmi possit applicari ipsi *David*, quod sit gratiarum actio, quando liberatus est de persecutione filii sui *Absalom*, sicut quidam Hebræorum dicunt: tamen talis intelligentia non est præcisa, quia multa dicuntur in hoc Psalmo, quæ excedunt facultatem illius historiæ: præcipuè cum David non sit minus Propheta in hoc Psalmo, quàm in cæteris. Ideo est dicendum, quòd postquam David deflevit in præcedenti Psalmo captivitatem generis humani factam in potestate diaboli, & etiam in persecutionibus Tyrannorum: jam in hoc Psalmo agit gratias, qualiter iste *homo mysticus*, sive *Ecclesiasticus*, fuit liberatus de hujusmodi duplici captivitate, scilicet, Diaboli, & Tyrannorum. Unde de captivitate Diaboli fuit liberatus per mortem, & passionem, & resurrectionem Christi: sed de captivitate persecutionum fuit liberatus per conversionem Magni *Constantini*, ante quam conversionem multi Reges & Principes Tyrannorum fuerunt graviter puniti, non solùm in anima, sed etiam in corpore: sicut fuerunt *Judæi*, & *Nero*, & *Domitianus*, & *Diocletianus*, & *Maxentius*: sed post conversionem *Constantini* omnes Reges terræ & Principes Gentilium venerunt ad Fidem Christi cum suis populis, & publicè confessi & professi sunt nomen Christi, & Legem Euangelicam.

Tria ergo facit David in hoc Psalmo. Nam primò in persona *hominis mystici* agit gratias se esse liberatum de supradicta duplici captivitate. Secundò, agit gratias, quòd omnes Reges terræ venerunt ad Fidem. Tertiò, agit gratias, quia multi inimici Fidei in ultionem Ecclesiæ fuerunt graviter puniti. Secunda ibi: *Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ.* Tertia ibi: *Quoniam excelsus Dominus.*

Quantum ergo ad primum: quia Ecclesia Fidelium in veteri Testamento dixit, se non posse cantare canticum Domini, captiva in terra aliena: cùm sederet *super flumina Babylonis* flendo peccatum suum, considerando adventum Christi, ut reduceret eam in Hierusalem per suam passionem &c. nunc redempta jam per Christum agit gratias, dicens: *Confitebor tibi Domine* Jesu Christe, non solùm ore coram

ram hominibus, sed etiam *in toto corde meo*; scilicet, intentione & opere: *Quoniam audisti verba*, & orationem, & petitionem cordis mei, redimendo me de captivitate diaboli Babylonica. A

42. d. c. Nulli. 15. q. 7. Et hoc diximus. 86. d. cap. Pulchra.

2. *In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

POstquam in illa captivitate non poteram cantare, eò quòd eram in terra aliena; nunc quia sum in nostra Hierusalem & Templo, *psallam* & cantabo *tibi in conspectu Angelorum*. Nam Angeli B frequentant Templum & Ecclesiam Dei, portantes orationes, & petitiones nostras ad Deum, & reducunt nobis gratiam petitam, & dona, sicut vidit *Jacob* Angelos ascendentes & descendentes per scalam, *Genes.* 28. Ideo sequitur: & ibi in Hierusalem *adorabo ad Templum sanctum tuum*, sacramenta novæ Legis offerendo; *& confitebor nomini tuo*, quod est *Jesus*, & *Salvator*: nam publicè te Salvatorem & Redemptorem omnium prædicabo. Potest etiam ista littera sic ordinari & construi: *In conspectu Angelorum psallam tibi*, id est, ego existens in hac Ecclesia Militanti, ubi non possum te videre nisi per Fidem, *psallam tibi*, qui existis in pa- C tria *in conspectu Angelorum*, à quibus facialiter conspiceris, & videris. Et sic sequitur: *Adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*, tua beneficia memorando.

Sup. 94. b 11. d. c. ii.

3. *Super misericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.*

SUbdit, de quibus beneficiis intendit ipsum laudare: & dicit, quòd de duobus, scilicet de *misericordia*, *& veritate*: Nam Deus ostendit suam *veritatem*, quando adimplevit in Lege nova quod D promiserat in Lege veteri: & ostendit *misericordiam* suam, cùm nos per mortem & passionem redemit. Dicit ergo: Ego *confitebor nomini tuo super misericordia & veritate*, id est, de misericordia, & veritate: & etiam *quoniam magnificasti nomen sanctum tuum*, quod est Jesus, *super omne nomen*: & hoc in miraculis faciendis: Nam magnificasti nomen tuum super omnes creaturas: Primò, super Angelos; quia in tua nativitate cantarunt; *Gloria in excelsis Deo*: & per eos tamquam per ministros voluisti miracula facere. Item, *magnificasti nomen tuum* super omnia corpora cœlestia, quia omnia dederunt signum E in tua nativitate, & in tua passione. Item, *magnificasti nomen tuum* super omnia elementa, quia *mare & venti obedierunt tibi*. Item, *magnificasti nomen tuum* super dæmones, quia eos coëgisti, & expulisti de corporibus obsessis: & sic omnia subjecta sunt sub pedibus tuis, in tantum quòd *omne genuflectitur in nomine Jesu &c.* Et sic magnificasti *nomen sanctum tuum* super omne nomen.

4. *In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.* Sup. 101.

F

PRimò, eam redimendo. Secundò, ad pugnandum contra inimicos Fidei dona gratiarum conferendo. Tota etiam ista prima pars est exponenda de liberatione Ecclesiæ à persecutione Tyrannorum.

Unde est notandum, quòd Tyranni, qui fuerunt à principio Ecclesiæ usque ad *Constantinum*, prohibebant ne Christiani ædificarent Ecclesias lapideas. Et etiam ne publicè orarent, nec confiterentur nomen Christi: & ideo orabant Christiani occultè in angulis, & cryptis, & speluncis: sed *Constantinus* post suam conversionem indulsit Christianis, ut liberè & manifestè G possent Ecclesias construere, & altaria consecrare, in quibus Ecclesiis ab omnibus Fidelibus possent divina Officia celebrari. De hac ergo licentia & libertate data Christianis de Ecclesiis ædificandis, & divinis Officiis publicè celebrandis agit etiam gratias Propheta in hac prima parte, dicens: *Confitebor tibi, ò Domine* Jesu Christe, *in toto corde meo* absque aliqua trepidatione, *quoniam audisti verba oris mei:* nam per trecentos annos clamavi, ut liberares me à supradictis persecutionibus: & tandem *audisti verba oris mei*, me per conversionem *Constantini* liberando, qui dedit facultatem, ut possem Ecclesias fabricare, & divina Officia publicè celebrare. Et ideo absque metu & trepidatione *psallam tibi* in Ecclesia *in conspectu Angelorum*: *& ado-* H *rabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*: laudabo te *super misericordia tua*, quam fecisti mihi de manibus peccatorum liberando; & laudabo te de *veritate tua*: quia sicut promisisti, ita & implevisti: nam tu promisisti, *Marc. ult. Quod in nomine tuo ejiceremus dæmonia, & tolleremus serpentes &c.* quod ita factum est. Nam omnia idola delevimus, & omnes Reges, & Principes, & populum Gentilem tibi subjecimus in virtute nominis tui: & *magnificasti nomen sanctum tuum super omne nomen* creatum: quia omne genu

tibi flectitur, scilicet, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et sic tu *exaudisti me in quacumque die invocavi te*: etiam A *multiplicasti virtutem in anima mea*, mihi dona gratiarum conferendo: qua virtute omnes inimicos Ecclesiæ subjeci & superavi, & multa miracula feci in virtute nominis tui *Jesu*. Item, *veritas* in Sacra Scriptura sumitur pro *justitia*. Ideo dicit Ecclesia: *Confitebor tibi* agendo gratias *super misericordia tua*, quam ostendisti, me liberando, & *super veritate tua*, id est, justitiâ, Tyrannos puniendo.

16. q. 1. c. Revertimini.

5. *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.* B

6. *Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.*

HIC propheticè invitat omnes Reges & Principes terræ ad confessionem veræ Fidei, sicut fuit impletum post conversionem *Constantini*, ut dictum est. Dicit ergo David: postquam Imperator *Constantinus* conversus est & data est licentia libere fabricandi Ecclesias, & celebrandi nomen Christi per universum Imperium: ergo *confiteantur tibi*, ò Christe, *omnes Reges terræ: quia audierunt verba oris tui*, scilicet Legem Euangelicam, quæ publicata est per Apostolos, & Martyres, & C Doctores. *Et* Reges omnes cum populis suis *cantent* & confiteantur *in viis* & Ecclesiis *Domini: quoniam magna est gloria Domini*, id est, confiteantur; quoniam Dominus Jesus-Christus Deus & homo, Rex Regum, & Dominus Dominantium *in gloria est Dei Patris*, & quòd est *Judex vivorum & mortuorum*, & ultor & punitor malorum.

7. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit.* D

De Cons. d. 2. Accesserunt. 96. q. 1. c. Sunt plurimi. Et 7. q. 1. Suggestiu.

8. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.*

E 9. *Dominus retribuet pro me: Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.*

HIC Ecclesia agit gratias, quoniam Christus punivit inimicos suos & persecutores: putà, Judæos, & Tyrannos, & eorum superbiam prostravit & dejecit. Unde dicit: *Cantent Reges terræ*, & ego etiam gratias ago, *quoniam Dominus* Jesus Christus est *excelsus*, & tamen *humilia respicit*, id est, homines humiles ad se elegit, & recepit: *& alta*, id est, homines superbos *à longè cognoscit*, id est, à F se abjicit & projicit: & ideo *si* ego humilis *ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me*, id est, quia ego cum humilitate & patientia ambulavi in medio persecutionis Judæorum, & Tyrannorum: ideo vivificasti & liberasti me. *Et extendisti manum* & potentiam tuam *super iram* & furiam *inimicorum meorum* Judæorum & Tyrannorum. Nam per *Titum & Romanos*, Judæos trucidasti & captivasti, & civitatem eorum incendisti. Et postea *Neronem*, *Domitianum*, *Diocletianum*, *& Maximianum* graviter in corpore & anima afflixisti & punisti. *Et salvum me fecit dextera tua* de manu eorum: & sic *Dominus retribuet* eis pœnam *pro me*, quia eos punivit. Et conversus ad Christum, dicit in G persona Ecclesiæ: *O Domine* Jesu Christe, *misericordia tua* sempererit *in sæculum* propitia invocantibus te: ideo rogo *ne despicias opera manuum tuarum*, qui sumus nos: quia per Baptismum nos regenerasti & recreasti. Et sic ne despicias Ecclesiam tuam, nec deseras in cæteris persecutionibus usque ad secundum adventum tuum.

Tota etiam ista ultima particula potest referri ad opus redemptionis: unde dicit *homo mysticus*: O Domine Jesu Christe, *si ambulavero in medio tribulationis* peccati, tu *vivificabis me* per passionem & resurrectionem tuam, & Ecclesiastica Sacramenta; in quibus *salvum me fecit dextera tua*. Et sic *Dominus* Jesus Christus *re-* H *tribuet*, & solvet *pro me*, & patietur pœnam, quam ego debebam solvere. Et Propheta conversus ad Christum, dicit: *O Domine, misericordia tua* est magna *in sæculum:* & ideo *ne despicias* nos, qui sumus *opera manuum tuarum*: sed veni in carne & redime nos.

Totus etiam iste Psalmus potest exponi de quocumque peccatore pœnitente post actam pœnitentiam, qui agit gratias, se esse exauditum, & liberatum de potestate peccati, & reductum in gratiam, per quam gratiam potest liberè & fructuosè orare in Ecclesia, & exaudiri.

Item,

Item, Eccleſia cantat iſtum Pſalmum in *Agenda defunctorum* in perſona cujuslibet exiſtentis in Purgatorio: in quo Pſalmo ille defunctus agit gratias, quia per pœnitentiam, & Eccleſiaſtica Sacramenta fuit liberatus à culpa peccati, & receptus in Eccleſiam, & tamquam membrum Chriſti & Eccleſiæ cum charitate deceſſit ab hac vita; ſed petit liberari à pœna purgatoria, dicens: *Dominus retribuet pro me*, id eſt, tu Domine Jeſu Chriſte retribue, & offer pro me merita paſſionis tuæ ante Patrem, ut recipiat paſsionem tuam in recompenſationem pœnarum mearum debitarum; *quoniam miſericordia tua* eſt magna *in ſæculum*: & merita tua ſunt ſufficientia ad ſolvendum pro me: ideo *non deſpicias opera manuum tuarum*, quoniam *manus tuæ fecerunt me & plaſmaverunt*; & iterum redemerunt me. A B

Psalmus CXXXVIII.

De Summa Trin. & Fide Cathol. c. Damnamus.

1. *Domine probaſti me, & cognoviſti me: tu cognoviſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam.*

Titulus: *Ad victoriam*, vel *In finem, Pſalmus David.* Ex Titulo patet, quòd David fecit iſtum Pſalmum, & dedit ipſum Cantoribus & Levitis, ut cantarent eum ad victoriam vocis: ad denotandum, quòd iſte Pſalmus eſt difficillimus in littera & ſententia, propter profundum theſaurum in eo latentem: & ideo indiget maximo conatu & ſtudio ad intelligendum ipſum. Sed quia hoc ex nobis non poſſumus attingere, niſi ex gratia Dei, & lumine Spiritus ſancti: ideo exhortatur nos, ut unuſquiſque noſtrûm, & omnes ſimul clamemus ad Dominum, & pulſemus toto conatu, ut aperiat nobis intellectum, & ſenſum, & theſaurum latentem in hoc Pſalmo, gratiam nobis conferendo, ut patebit in littera. C

Item, dicitur *In finem*: ad denotandum, quòd iſte Pſalmus dirigit nos in finem noſtrum, qui eſt Chriſtus & vera beatitudo, & caput noſtrum. Judæi autem dicunt, quòd David loquitur in hoc Pſalmo, ut inducat omnes ad laudandum Deum, commendando ipſum de Omnipotentia. *Rabbi* autem *Cambi* dicit, quòd totus iſte Pſalmus eſt vox ipſius primi *Adam*, qui fuit formatus ex pulvere terræ collectæ ex omnibus partibus mundi: per hoc quod dicitur, *formaſti me &c.* & dicit, quòd in hoc Pſalmo loquitur *Adam* pro omnibus ſuis. D

Sed iſta poſitio eſt falſa: Primò, quia iſte qui loquitur hìc, probat ſe eſſe immunem ab omni peccato. Secundò, quia dixit ſe ſurrexiſſe. Et ideo eſt dicendum, quòd Chriſtus loquitur in hoc Pſalmo ad Patrem, petens præmium pro labore & merito ſuæ paſſionis, & reſurrectionis. E

Paſſionis Chriſti præmium regnum cœlorum.

Unde eſt advertendum, quòd præmium laboris & paſſionis Chriſti erat regnum cœlorum promiſſum, pro ſe, & membris. Peracto ergo labore, Chriſtus de jure petit à Patre præmium ſuæ paſſionis & reſurrectionis. Ideo in hoc Pſalmo interpellat Patrem tamquam juſtum Judicem, ut tribuat ſibi hanc mercedem: nam injuſtè ageret Judex verè cognoſcens laborem militis, ſi non retribueret ipſi mercedem multo labore comparatam. Duo ergo principaliter facit: Nam primò, examinat laborem ſuum. Secundò, petit mercedem. Ibi in fine Pſalmi: *Proba me Deus.* Quantum ad primum duo facit: Nam primò, demonſtrat ſuum laborem eſſe Deo manifeſtiſsimum & notum. Secundò, ex parte ſui demonſtrat laborem ſibi impoſitum eſſe peractum. Ibi: *Mibi autem nimis.* F

Quantum ergo ad primum dicit: O *Domine* Pater, & juſte Judex, tu *probaſti me*, cùm in mundum miſiſti, & laboribus & perſecutionibus me expoſuiſti: & *cognoviſti me* humilem & patientem & mitem & obedientem in omnibus: & *cognoviſti ſeſsionem*, id eſt, paſſionem & extaſim, & mortem, & ſepulturam meam, & *reſurrectionem meam.* Nam iſtum laborem aſſignaſti mihi, pro quo regnum cœlorum promiſiſti pro me, & membris meis: à qua paſſione, & morte, & extaſi ego ſurrexi: nam per paſſionem & mortem ego redemi mea membra à morte æterna, & emi regnum cœlorum meo ſanguine, & per reſurrectionem recuperavi immortalitatem & gloriam pro me, & pro meis membris, & pro toto corpore meo Eccleſiaſtico & myſtico. Ergo poſtquam omnia iſta cognoviſti me peregiſſe, da mihi cœlorum regnum lucratum & emptum. Et probo quod *tu cognoviſti ſeſsionem meam &c*, Nam G

2. *Intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti.* H

11.d.cap. Nolite. 32.d.cap. Erubeſcant.

3. *Et omnes vias meas prævidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea.*

Tu *intellexiſti de longè* omnes *cogitationes*, & vota mea, & intentiones *meas de longè*, id eſt, per magnum tempus antè: & *inveſtigaſti*, & perſcrutatus es *ſemitam* & viam *meam*, id eſt, totum diſcurſum vitæ meæ, & *funiculum*, id eſt, menſuram & limitem vitæ, ſcilicet, principium, & medium, & finem:

& *prævidisti omnes vias meas* & opera ante quam fierent: & scio, supple, *quia non est sermo*, id est, mendacium, nec dolus *in lingua mea*. Unde in littera *Hieronimi* habetur: *Non est dolus in lingua mea*: vel sic, *Non est sermo in lingua mea*, quin tu scias, supple, & sit tibi manifestus. A

§ 2. d. cap. Erubescat

4. *Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manuum tuam.*

Ad alicujus rei cognitionem sex requiruntur.

HIC probat per rationes, quod dicit: Unde est advertendum, quòd sex requiruntur ad hoc quod aliquid cognoscatur, & videatur à nobis. Primò, quòd sit in tempore præsenti, & non sit remotum à præsenti: ideo non videmus, ea quæ fuerunt tempore *belli Trojani*, nec quæ fient cras. Secundò, quòd non sit remotum nimis à loco nostro: ideo non videmus quæ sunt in *Persia* & *India*: & etiam si terra poneretur in cœlo, non videremus eam. Tertiò, quòd medium sit diaphanum: quia si esset corpus opacum, putà, paries in medio, non videremus rem ultra parietem. Quartò, quòd illud medium diaphanum sit illuminatum: Nam si esset tenebrosum, non videremus rem, quantumcumque propinquam. Quintò, quòd posit immutare, & causare speciem suam in intellectu, aut sensu nostro: & ideo non possumus intelligere cogitationes hominum. Sextò, quòd illa res cognita & visa habeat esse: & ideo ea quæ non habent esse in se, non possunt videri, nec sentiri: & quæ non habent esse in se, nec in sua specie, nec possunt cognosci per sensum, nec per intellectum: quia *quod non est, non contingit sciri*, 1. *Posteriorum*. Ex quo sequitur, quòd si aliquod istorum deficit, non potest res videri, nec cognosci. B C

Quare Deus scit omnia.

Ergo sex sunt causæ ignorantiæ in aliquo cognoscente. Primò, remotio temporis. Secundò, remotio loci longinqua. Tertiò, medium opacum. Quartò, diaphanum tenebrosum. Quintò, defectus in essendo. Sextò, si cognoscens non illabitur D menti alterius, non potest cognoscere ejus cogitationes. Cum autem nullum istorum sex posit Deo obesse, nec obsistere: ergo nihil est ei occultum, nec ignotum, nec potest aliquid ignorare.

Ideo sex facit David in hac prima parte: Nam primò probat, quòd remotio temporis non potest impedire divinam cognitionem. Secundò, quòd nec remotio, seu longinquitas loci. Tertiò, quod nec corpus opacum. Quartò, quòd nec diaphanum tenebrosum, nec obscuritas aliqua. Quintò, quòd nec secretum cordis alicujus; cùm ipse illabatur mentibus hominum. Sextò, quòd nec defectus in essendo impedit divinam cognitionem. Secunda ibi: *Quò ibo à spiritu tuo?* Tertia ibi: *Et dixi.* Quarta ibi: *Quia tu possedisti.* Quinta ibi: *Non est occultatum.* Sexta ibi: *Imperfectum meum.* Quasi dicat: Si tu Pater habes omne tempus tamquam præsens, & es ubique, & omnia penetras, & attingis usque ad infimum & summum, & tu per temet es lux, & illaberis mentibus & cordibus hominum, & à te procedunt omnia: Ergo nullum horum potest te impedire in tua cognitione: quia *quæ sunt, quæ fuerunt, venientque, uno mentis cernis intuitu.* E

F Ergo quantum ad primum est advertendum, quòd causa quare Deus scit omnia præsentia, præterita, & futura, est, quia omne tempus est ipsi præsens, cùm ipse sit in æternitate, extra, & supra omne tempus, & ejus duratio & esse sit *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Et ideo omne tempus simul attingit sub se, cùm ipse sit causa temporis, & omnis motûs. Nam tempus fluit ab ævo tamquam à sua causa, & omnia quæ sunt in tempore, fluunt ab esse divino. Et sic Deus cognoscendo seipsum, causat omnia quæ sunt, & quæ fuerunt, & quæ erunt: cùm à suo esse dependeant. Ideo omne tempus, & omnia quæ fuerunt, & sunt, & erunt in tempore, simul videt uno ictu mentis, ut ait *Boëtius*, & *Augustinus*. Ideo dicit: *Ecce Domine, tu* G Pater *cognovisti omnia novissima*, scilicet, ultima futura, & *antiqua* præterita: quia *tu formasti me* in utero matris meæ opere Spiritus sancti, & *posuisti manum* & potentiam tuam *super me*: & *posuisti* etiam *super me manum* & sententiam, quando peccavit *Adam*: quia voluisti, ut ego paterer pro eo, & toto humano genere. Ex quo patet, quòd verè *cognovisti sessionem meam*, & *resurrectionem meam*. Et *probasti me* per experientiam, quia feci quod voluisti.

Unde est advertendum, quòd istud verbum *sedeo*, quandoque ponitur in Scriptura pro quiescere: & sic Christus dicitur *sedere ad dexteram Patris*, & omnes H sancti in gloria. Et talis dicitur *sessio quietis*. Quandoque autem ponitur pro *pugnare*, & *laborare*, & *angustiari*: & sic dicimus febricitantem insidere, & residere in conflictu febris: & ille conflictus dicitur *sessio*: & cùm reliquerit eum febris dicitur *resurgere à sessione*. Isto ergo modo tota passio, & mors, & sepultura Christi, & omnes labores & persecutiones quas sustulit, dicta est quædam *sessio* & *conflictus*. Ideo dicit Christus ad Patrem: *Tu cognovisti sessionem*, id est, passionem *meam*, & *resurrectionem*, id est, victoriam *meam*. Nota.

5. *Mi-*

De Pœ.d. 1. cap. Et venit.

5. *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, & non potero ad eam.* A

6. *Quò ibo à spiritu tuo ? & quò à facie tua fugiam?*

7. *Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades.*

8. *Si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris.* B

9. *Etenim illuc manus tua deducet me : & tenebit me dextera tua.*

HIC probat Deum omnia scire : eò quòd remotio loci ipsi non resistit, cùm sit ubique per substantiam, & virtutem, & operationem. Ideo dicit : O Pater, *mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, quam habes *ex me*, id est, de me, sicut habet littera *Hieronymi* : nam in tantùm, supple, *est* scientia tua *confortata*, id est, roborata & magna, & alta, & profunda, quòd *non potero* attingere *ad eam*, nec C resistere ipsi, nec agere contra eam, cùm tu sis ubique. Nam *quò ibo* fugiens *à spiritu*, & voluntate, & tua notitia ? *& quò fugiam à facie*, & præsentia, & potentia *tua*, supple, cum sis ubique ? nam *si ascendero* fugiens *in cœlum*, non potero, supple, evadere, *quia tu illic es* per gloriam : & *si descendero in infernum*, ibi *ades* per justitiam : & *si sumpsero pennas*, & alas *meas*, & voluero volare : *& habitavero in extremis maris*, in Oriente, vel Occidente, vel ad Polos : *Etenim*, id est, *certè manus*, id est, potentia *tua deducet*, id est, abstrahet *me illuc*, id est, illinc : *& tenebit me* vinctum & captum. Et ponitur *illuc* D pro *illinc* : nam ista adverbia localia frequenter communicant sibi adinvicem significationes. Unde *Psal.* 103. dicitur : *Illic naves pertransibunt* : & ponitur pro *illac* : ideo littera *Hieronymi* habet in hoc loco : *ibi manus tua deducet me*, id est, *illinc*. Unde Sacra Scriptura non subjicitur litteræ, sed sensui. Quare est notandum, quòd Christus hîc loquitur in quantum homo, & secundùm humanitatem, in qua passus est, & resurrexit. Ideo dicit, se non attingere ad scientiam Patris, cùm ut sic scientia ejus sit finita, licèt superemineat cæteris hominibus in summum. In quantum autem Deus E est, & æqualis Patri, habet eamdem scientiam cum Patre.

10. *Et dixit : Forsitan tenebræ conculcabunt me : & nox illuminatio mea in deliciis meis.* *32. d. ca. Erubes--- cant.*

11. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

HIC ostendit Deum scire omnia, quia nulla tenebra resistit ipsi : eò quòd F ipse est lux per essentiam, illuminans omnia : nam sicut Soli non resistit tenebra, cùm de se sit luminosus, immò fugat tenebras, & illuminat diaphanum : ita Deus cùm sit lux per essentiam, fugat omnes tenebras, & illuminat omnia. Dicit ergo Christus, loquens in persona alicujus insipientis : *Et dixi*, id est, cogitavi : id est, si cogitarem tamquam insipiens, *forsitan tenebræ conculcabunt me*, id est, ponam me in aliquo tenebroso loco, ubi tenebræ absondant me, ne videat me Deus : sed hoc esset superfluum & stultum, supple ; nam talis *nox* & tenebra *mea* esset *illuminatio*, & illuminata respectu Dei, qui lumine suo illuminat omnia, & fugat noctem & tenebras : nam oculus cati simul illuminat me- G dium de nocte, & videt murem : ergo à fortiori Deus qui est ipsa lux per essentiam, fugat tenebras, & illuminat, & videt in tenebris : quia pro eo nulla est tenebra. Unde hoc dicit propter stultos peccantes in occulto, qui putant, quòd postquam homines non vident peccata eorum, sic nec etiam Deus. Ideo dicit, *nox mea*, *& illuminatio*, est manifesta Deo *in meis deliciis* & peccatis, id est, peccata mea erunt ita Deo manifesta in nocte, sicut in die.

Ideo sequitur : *Quia tenebræ non obscurabuntur*, id est, absondentur *à te*, nec aliquid in eis latebit : immò *nox* tibi, & à te *illuminabitur sicut dies*. Et mutat per- H sonam per *Synepteſim*, dicens : *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus* : id est, Deus eodem modo se habet in tenebris, sicut in lumine : sicut se habet lumen ad eum, ita & tenebræ : & sicut videt in lumine, ita in tenebris ; & non est differentia apud eum.

Ab isto ergo Psalmo accepit Salomon illud quod dicit *Sapientiæ* 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis &c.* Item infra *cap.* 7. *In nationes per animas sanctas se transfert &c. Attingit ergo à*

fine

fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Item, ab hoc Psalmo accepit *Boëtius* 5. *de Consolat. carmine* 1. illud quod dicit:

Puro clarum lumine Phœbum
Melliflui canit oris Homerus:
Qui tamen intima viscera terræ
Non valet, aut pelagi radiorum
Infirmâ perumpere luce.
Haud sic magni Conditor Orbis;
Huic ex alto cuncta tuenti,
Nulla terræ mole resistunt:
Quæ sunt, quæ fuerint, venientque
Uno mentis cernit in ictu.
Quem quia respicit omnia solus
Verum possis dicere Solem.

Omnia ergo quinque prædicta comprehendit Boëtius in hoc carmine.

58. dist. c. Nasci. De Consec. d. 2. Accesserunt.

12. *Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meæ.*

13. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.*

HIC probat, quòd scientia Dei etiam se extendit ad cogitationes hominum, eò quòd illabitur mentibus hominum, & possidet secreta cordis nostri, & perscrutatur corda & renes, & interiora nostra: quod soli ipsi convenit. Et ratio est: nam homo non potest scire nisi quod capit per sensum: sed cogitationes nostræ antequam faciant effectum, non mittunt aliquam speciem ad extra: ideo nemo potest scire cogitationem alterius, nec etiam Angelus, cùm non habeat scientiam, nisi eorum quorum habet species concretas rerum, quæ sunt à Deo factæ & creatæ secundùm speciem &c. Cogitatio autem & desiderium hominis, & affectus voluntatis antequam eliciat actum ad extra, manet in sola voluntate: ideo soli Deo est cognitus, qui illabitur voluntati, & est ipsi intimus. Ideo dicit hîc Christus: Tu Pater non solùm scis opera mea, propter rationes jam dictas; sed etiam scis cogitationes meas; eò quòd *tu possedisti renes*, id est, secreta mea interiora, & cor meum per illapsum: quod tibi soli convenit, qui *perscrutaris corda & renes*, quia es intimus omnibus rebus; cùm omnibus influas esse, & omnia dependeant à te in esse. Ergo esse tuum est intimum omnibus; aliter deficerent omnia. Quia ergo *tu possedisti renes meos*, ut dictum est, & *suscepisti me de utero matris meæ*, in quo me formasti: ideo *mirabilis facta est scientia tua ex me*, & de me: quam scientiam nemo potest habere nisi tu, propter prædicta: ideo ergo præ cæteris *confitebor tibi* gratias agendo, cum absque semine viri ex solo opere Spiritus sancti in utero virginali matris meæ ex puris sanguinibus me formasti. Ideo dico tibi, quòd *mirabilia* sunt *opera tua* in me, magis quàm in cæteris: ideo *anima mea* hoc *cognoscit nimis*, & valde; & non erit tibi ingrata; immò hoc semper *cognoscet*, & confitebitur tibi, & laudabit te gratias agendo. Littera verò *Hieronymi* habet: *Confitebor tibi, quia magnificasti me*: quod idem est secundùm expositionem prædictam, & magis claram.

14. *Non est occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.*

32. dist. cap. Erubescant.

HIC ostendit, quòd nullum corpus opacum & spissum resistit visui & scientiæ Dei. Nam nos non possumus videre, nisi per diaphanum illuminatum: sed Deus non solùm videt per diaphanum tenebrosum in nocte, ut dictum est, sed etiam per medium corpus opacum & grossum, penetrans lapides & muros: nam etiam videt ossa nostra, quæ licèt carnibus, & nervis, & pellibus sint tecta, sunt tamen ei manifesta. Ideo ait: *Os meum quod posuisti in occulto* corporis tamquam fundamentum, *non est occultatum*; immò manifestum: & tota *substantia mea*, & vita, & anima *mea*, quæ est posita *in inferioribus terræ* hujus corporis, *non est occultata à te*, immò manifesta: & etiam *substantia mea*, & totum corpus meum, cum erit sepultum *in inferioribus terræ*, non erit tibi occultum: & *substantia mea*, id est anima, quæ est forma hujus corporis, & est *in inferioribus terræ*, id est, intima materiæ primæ, quam immediatè informat, & dat ipsi esse substantiale, *non est tibi occulta*. Ex quo patet, quòd tibi non resistit tempus, nec locus, nec tenebra, nec corpus opacum, nec secretum cordis: quia omnia penetras: quia es ubique & semper; & per consequens omnia scis, & nihil te fugit, nec tibi resistit.

Nota, quòd *Aben Ezra* per *os* intelligit potentiam existentem in materia prima. Ideo dicit, quòd *os meum*, id est, *potentia mea*, non fuit tibi occultata. Et cùm eram in embrione, id est, dum ego eram in potentia in materia prima, antequam haberem esse in actu, jam cognoscebas me: quia non erat tibi occulta potentia mea in materia prima, & etiam *substantia*

Not. hanc falsâ opinionem.

tia mea dum erat *in inferioribus terræ*, id est, in materia elementorum, non erat tibi occulta. Intelligit enim per *terram*, materiam elementorum. Quasi dicat: Non solùm dum eram in materia elementorum, sed etiam dum eram in potentia materiæ primæ antequam producerer, noscebas me. Ideo sequitur: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, id est, imperfectum meum informem, antequam reciperet formam in embrione.

Sed manifestè mentitur. Primò, quia tollit sacramentum latens in hac littera. Secundò, est hæreticus: quia anima David numquam fuit in potentia materiæ, cùm sit à Deo de nihilo creata in corpore &c. & non sit educta de potentia materiæ, sed de foris per creationem, ut patet 16. *de Animalibus*, & in libro *de Proprietatibus elementorum*. Intendit ergo dicere David, quòd licèt ossa nostra sint occulta & invisa eò quòd sunt carnibus & pellibus cooperta; tamen ipsa ossa sunt Deo manifesta: quia carnes & pelles non obstant divinæ visioni & cognitioni.

Item, substantia nostra accidentibus cooperta non est ipsi Deo occultata: nam licèt visus noster non attingat substantiam, nisi sola accidentia: tamen intellectus & visus divinus attingit omnia ab infimis usque ad summum: & sic licèt substantia hominis, quæ est anima, & materia prima, sit *occultata* & absconsa *in inferioribus terræ*, id est, corporis terreni: tamen non est occulta, immò manifesta ipsi Deo.

De Conseq. d. 4. c. Sicut in Sacramentis.

15. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.*

Nota bene ista septem apud Deum respectu nostri.

HIC ostendit, quòd res ante suum esse erant ab æterno cognitæ ipsi Deo; & sic cognoscit omnia antequam fiant. Ad cujus evidentiam est notandum, quòd ista septem se habent ad ordinem apud Deum, respectu nostri, scilicet dilectio, electio, prædestinatio, scriptio in libro vitæ, vocatio, justificatio, magnificatio, sive beatificatio. Nam Deus primò ab æterno dilexit suos futuros. Secundò, elegit eos, separando ab improbis & reprobis. Tertiò, scripsit eos in libro vitæ secundùm æternum propositum, quia formaliter & distinctè proposuit eos salvare. Quartò, prædestinavit eos ad gloriam futuram, præparando eis gratiam: quæ quidem quatuor fuerunt ab æterno in divina voluntate. Quintò, ex tempore unumquemque prædestinatorum vocavit. Sextò, ipsos justificavit in hac vita. Septimò, ipsos magnificavit, sive glorificavit & beatificavit in cœlo. Sed de his septem actibus Dei omissis tribus enumerat quatuor *Apostolus*, *Ad Roman.* 8. unde dicit: *Quos Deus prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, eos* & magnificavit in gloria, supple. Sed *ad Ephes.* 1. ponit quasi tres primos, cùm dicit: *Benedictus Deus & Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui dilexit nos, & elegit in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, qui prædestinavit nos &c.*

Ex quo patet, quòd quinque fuerunt ab æterno. Nam primò, Deus novit omnes, tàm bonos, quàm malos. Secundò, dilexit quos voluit futuros bonos. Tertiò, elegit bonos, separando à malis: & per consequens tunc reprobavit etiam quos præscivit & prænovit futuros malos. Quartò, bonos scripsit in libro vitæ, & malos in libro mortis. Quintò, bonis præparavit gratiam: & hæc dicitur *prædestinatio*. Ex quibus omnibus patet, quòd Deus ab æterno prænovit omnes, tàm bonos, quàm malos: nam dilectio præsupponit notitiam secundùm *Augustinum* & veritatem.

Liber duplex in quo omnes scribuntur.

Sed iterum est advertendum, quòd iste liber in quo omnes ab æterno sunt scripti, est duplex: unus dicitur *liber vitæ, & prædestinationis*; alius *liber mortis*. In libro *vitæ* scribuntur omnes prædestinati & electi. In libro autem *mortis* scribuntur mali & reprobati. Sed etiam liber *vitæ* est duplex. Unus, qui dicitur liber vitæ secundùm *æternum propositum*, in quo scribuntur soli prædestinati quos Deus elegit ab æterno, & proposuit salvare: iste, propriè dicitur *liber prædestinationis*. Secundus dicitur liber vitæ secundùm *præsentem dispositionem*: nam quandocumque quis est in gratia, scribitur in isto libro, quia pro illo tempore est Deo charus & acceptus *secundùm præsentem* & talem *dispositionem*: eò quòd vivit per gratiam: sed quando perdit gratiam per peccatum, tunc deletur de isto libro vitæ, & scribitur in libro mortis, id est, damnationis: & quando per pœnitentiam revertitur ad gratiam, tunc deletur de libro mortis, & rescribitur in hoc libro vitæ. Sed si est prædestinatus, numquam deletur de primo libro vitæ, scilicet, de *libro prædestinationis secundùm æternum propositum*.

Ex quo patet, quòd multi sunt scripti in *libro prædestinationis secundùm æternum propositum*, qui non sunt scripti in *libro vitæ secundùm præsentem dispositionem*. Sic *Paulus*, & *Augustinus*, qui ab æterno fuerunt prædestinati, sed per multa tempora fuerunt scripti in *libro mortis secundùm præsentem dispositionem*, dum fuerunt in peccato & infidelitate. Et multi possunt esse scripti in *libro vitæ secundùm præsentem dispositionem*, qui sunt scripti in *libro mortis & reprobationis* se-

secundùm æternum propositum, sicut potuit esse Judas, si aliquando fuit in gratia. A

Secundò sequitur, quòd sicut est duplex liber vitæ, scilicet *prædestinationis, & præsentis dispositionis:* ita est *duplex liber mortis.* Unus *secundùm propositum*, in quo sunt scripti omnes præsciti, & reprobati, quos Deus ab æterno præscivit sine pœnitentia morituros: & alius est *liber mortis*, in quo scribuntur omnes qui sunt extra gratiam in peccato.

Tertiò sequitur, quòd nemo potest deleri de primo libro prædestinationis, nec de primo libro mortis, sive reprobationis, quia uterque respicit æternum propositum: sed tàm de libro vitæ, quàm de libro mortis *secundùm præsentem dispositionem* quotidie possunt homines deleri, & rescribi. B Unde de hoc secundo libro vitæ dicebat *Moyses: Domine dele me de libro vitæ, si non dimittis eis hanc noxam, Exod.* 32. Quia de primo libro nemo desiderat, nec potest deleri. Quasi diceret *Moyses*: Domine si eis non peperceris, incidam in peccatum, & murmurabo contra te: & sic perdam gratiam, & per consequens delebor de libro vitæ *secundùm præsentem dispositionem.*

Prædestinatio ante præviſſa merita & ex ſola gratuita Dei voluntate.

Secundò est notandum, quòd diversa est causa descriptionis horum duorum primorum librorum. Nam Deus non ideo scripsit prædestinatos in hoc libro, quia bonos futuros prænovit; sed quia ipse primò diligere & præeligere eos voluit, & ut boni essent, eis gratiam præparavit, & C eos ad gratiam vocavit, ut dicit *Apostolus ad Ephesios*, id est, *Qui elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti &c.*

Reprobatio poſt demerita præviſſa.

Ex quo patet, quòd causa prædestinationis, & scriptionis in libro vitæ non inest prædestinato, sed in solo Deo. Sed per oppositum est de reprobatis: nam Deus non fuit causa reprobationis eorum: sed ideo eos scripsit ab æterno in libro reprobationis & mortis, quia ab æterno præscivit eos futuros malos, & in peccato morituros. Ideo liber mortis non ponitur in Deo, nisi objectivè: sed in reprobatis ponitur subjectivè, ut dictum est *Psalm.* 68. D In quo libro sunt scripti Infideles &c. de quo *Psalm.* 68. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* In libro autem vitæ & prædestinationis est primò scriptus Christus ab æterno, ut patet *Psalmo* 39. *In capite libri scriptum est de me &c.* Et ex consequenti est scripta *Virgo Maria*, & postea *Apostoli*, & ex consequenti omnes *Martyres*, & omnes *justi*, ut ait Christus *Matthæi* 5. & 10. & *Lucæ* 10. *Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Ex quo patet, quòd soli Deo ab æterno est cognitus totus numerus electorum, & reproborum. Probatur: quia ab æterno E eos scripsit in illis duobus libris: & sequitur, quòd etiam præscivit, & prænovit omnes futuros homines, tàm bonos, quàm malos, qui erunt in novissimis temporibus *Antichristi*, quorum nullus est in præsenti tempore.

Ideo dicit David in hoc versiculo: O Domine, non solùm fuerunt notæ creaturæ postquam fuerunt creatæ; sed etiam ab æterno antequam essent in perfecto suo esse: nam *oculi tui viderunt* me imperfectum, id est, antequam fierem. Littera autem *Hieronymi* habet: *Informem adhuc me viderunt oculi tui*, id est, ab æterno antequam formarer: Et *in libro tuo omnes scribentur*, id est, sunt scripti ab æterno, F & apparebunt scripti in die Judicii, quando *aperientur libri*, scilicet, unus liber qui est *vitæ*, & alter qui est *mortis*, *Apocalipsi* 20. Ergo si ab æterno *omnes sunt scripti in libro tuo* mortis & vitæ: ergo ab æterno omnes prænovisti: & præcipuè me prænovisti, quoniam *in capite libri* vitæ scripsisti.

Item, *dies formabuntur*, & *nemo* est *in eis*, id est, tempus novissimum veniet, in quo nemo est adhuc: & tamen jam novisti omnes qui erunt in illo tempore; & sic nihil ignoras. Ex his ergo sex, quæ dicta sunt, potest probari propositio posita in principio: Nam si Deus *cognovit omnia novissima & antiqua* eò quòd comprehendit simul omne tempus, & est ubique, G & videt tàm in tenebris, quàm in luce, & tàm per opacum, quàm per diaphanum, & possidet, & scrutatur renes & corda per illapsum, & ab æterno prævidit omnia antequam formarentur, & omnes homines scripsit in suis libris, eligendo & prædestinando justos, & reprobando malos: ergo cognovit humilitatem, & obedientiam, & patientiam, & *sessionem*, & *resurrectionem* Christi: & potest ipsum habere examinatum & probatum per omnia; & per consequens Christus juste potest mercedem petere.

Deus Abraham tentavit.

Ad cujus majorem declarationem est advertendum, eò quòd dicit: *Probasti me* H *&c.* Quod quando Deus tentavit *Abraham* præcipiendo ut immolaret filium unicum & dilectum *Isaac*, non tentavit, ut de novo cognosceret, sed probaret ejus obedientiam: nec voluit hoc probare apud se, cùm ab æterno cognovit ipsum obeditum, & suis præceptis optemperaturum; sed ut toti mundo probatum redderet, & ostenderet, in quantum *Isaac* figurabat Christum Deo Patri per omnia obtemperaturum: & sic Deus probavit obedientiam ipsius *Abrahæ*, & obedientiam, & humilitatem filii *Isaac*: sed Deus non cognovit patientiam per effectum; quia effectus illius sacrificii non secutus est: non

quòd

quòd *Abraham & Isaac* non essent parati obedire, sed quia Deus noluit: eò quòd illud fiebat in figura Christi: sed secutus & impletus est effectus sacrificii in *ariete*, qui inter vepres apparuit, qui loco ipsius *Isaac* immolatus est: per quod figurabatur, quòd sicut per mortem illius *arietis* fuit *Isaac* liberatus à morte, quia loco illius *aries* mortus est: ita Christus erat immolandus pro toto genere humano, cujus morte omnes eramus liberandi à morte perpetuâ, ad quam eramus destinati. Ex quo patet, quòd Christus fuit figuratus per *Abraham* & *Isaac*, quoad obedientiam & humilitatem, cùm decrevit pro omnibus mori, & dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua*: sed figuratus est per *arietem*, cùm realiter in cruce sponte passus est: & sic patet, quòd Deus Pater non solùm probavit obedientiam & humilitatem Christi, sed etiam cognovit ejus passionem & sessionem per effectum, & per experientiam; & probavit & cognovit ejus obedientiam & humilitatem & patientiam in tota ejus passione & sessione. Ideo dicit Christus in principio: *O Domine* Pater, tu *probasti me*, id est, probatam ostendisti humilitatem & obedientiam meam: quia sponte me obtuli ad mortem, cùm dixi in horto: *fiat voluntas tua*: *& cognovisti me* per effectum: non solùm *probasti me* in voto, sicut probasti *Abraham*: sed *cognovisti sessionem, & resurrectionem meam* per effectum: quia sicut immolatus fuit ille *aries* in effectu pro *Isaac*, ita mortuus sum pro omnibus realiter in actu.

16. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.*

24. q. 1. Non turbatur.

17 *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.*

Gen. 22.

IN hac secunda parte Christus explicat laborem suum apud Patrem, ostendens se impleviſſe omnia quæ ipsi per Patrem fuerant imposita, & propter quæ Pater ipsum misit in mundum.

Christus erat facturus tria

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Christus in Lege promissus tria erat facturus in mundo in suo adventu & legatione, quæ pertinebant ad officium suum. Nam primò, debebat implere & verificare omnia, quæ fuerant Patriarchis & Prophetis in Lege promissa: & fideliter debebat implere in se omnes Scripturas veteris Testamenti: ut patet *Matth.* 27. *Totum hoc factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum.* Item, ipsemet Salvator dicit, *Luc.* 24. *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me.* Item, *Joan.* 18. *Ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, id est, ut verificem, & impleam omnes Scripturas.

Secundò, venit Christus ad vocandum, & justificandum per passionem & Legem Euangelicam, & Ecclesiastica Sacramenta, quos Pater prædestinaverat, ut eos per resurrectionem magnificaret: ut patet ad *Rom.* 8. & *Joann.* 14. cùm dixit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Item *Matth.* 20. *Sedere ad dexteram meam, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, id est, illis quos ab æterno prædestinavit. Unde officium Christi fuit vocare, & congregare, & justificare prædestinatos per passionem & sacramenta, & eos magnificare & sublimare ad immortalitatem per generalem resurrectionem, ut patet *Isai.* 11. & *Ezechielis* 34. ubi dicit: *Ecce ego ipse requiram oves meas &c.*

Tertiò, Christus debebat consummare cursum suum & officium hujus mundi in secundo adventu: putà, cùm fuerit completus numerus electorum prædestinatorum: quia tunc debet venire ad judicium generale, & tribuere unicuique secundùm opera ejus: putà, obstinatis pœnam æternam, & justis regnum cœlorum, ut ipse dixit *Matthæi* 25. *Et tunc reddet regnum & hæreditatem Deo & Patri.* ut ait *Apostolus* 1. *ad Corinth.* 15. quia sponsa erit ornata vestibus immortalitatis, & tunc introducetur cum sponso in cœlestem Hierusalem, ut patet *Apocal.* 21. Ista ergo tria mysteria explicat Christus per os David in ultima parte hujus Psalmi: Nam primò, demonstrat apud Patrem in die Judicii, qualiter ipse vocavit, justificavit, & magnificavit omnes prædestinatos, & complevit numerum electorum. Secundò, petit apud Patrem, ut destinentur damnati in pœnam æternam. Tertiò, petit pro justis & electis gloriam æternam. Secunda ibi: *Si occideris Deus peccatores.* Tertia ibi: *Proba me Deus.*

Christus petit hæreditatem pro suis membris.

Quantum ad primum est advertendum, quòd in his duobus versibus latet magnus thesaurus, & maxima mysteria, ad quæ Judæi non possunt attingere, eò quòd obcœcavit eos malitia eorum, ne intelligant sacramenta hîc absconsa, quæ sine gratia intelligi non possunt. Nam totus iste Psalmus, specialiter isti duo versiculi, fundantur super quinque promissiones, inter cæteras factas Patribus antiquis, in quibus David in spiritu prævidit præmium passionis & resurrectionis Christi.

Ideo fecit iſtum Pſalmum, in quo introducit Chriſtum loquentem, & petentem hæreditatem regni cœlorum in præmium pro membris ſuis, ut dictum eſt. Quarum promiſſionum prima facta eſt *Abrahæ*, *Geneſ.* 15. cùm Deus dixit : *Noli timere Abraham, protector tuus ego ſum, & merces tua magna nimis.* Cui Abraham reſpondit: *Domine quid dabis mihi, cùm vadam abſque liberis? &c.* Cui Deus dixit: *Non erit hæres tuus Eliezer: ſed qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem.* Et educens ipſum foras dixit: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum &c.* per quod cognovit tunc *Abraham*, & poſtea *David* in ſpiritu, & per revelationem, quod Chriſtus erat naſciturus ſecundùm carnem de progenie *Abrahæ*, cui competebat cœlum in hæreditatem: & quòd filii *Abrahæ* ſecundùm ſpiritum & promiſſionem, quos Chriſtus erat regeneraturus per Baptiſmum, erant multiplicandi ſicut ſtellæ cœli : & quòd ſoli Chriſto erat cognoſcendus numerus electorum & prædeſtinatorum.

Ex quo patet, quòd merces, & præmium, & hæreditas Chriſti & ſuorum, non erat in terra, ſed in cœlo. Unde nos non habemus, quòd Deus promiſerit hæreditatem in cœlo, niſi in illo Capitulo : ideo canit Eccleſia : *Sanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti, & ſemini ejus &c.* Unde per illas ſtellas cœli deſignabatur numerus prædeſtinatorum, & filiorum Abrahæ ſecundùm promiſſionem in cœlo collocandorum.

Secunda promiſſio facta eſt eidem Abrahæ, *Geneſ.* 22. cùm Deus dixit illi per Angelum : *Per memetipſum juravi : quia feciſti rem hanc, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum : & in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes &c.* Hìc prævidit David in ſpiritu, & per ſacrificium *Abrahæ*, & *Iſaac*, & illius *arietis*, qualiter Chriſtus erat pro omnibus nobis immolandus, ſicut dictum eſt; & qualiter præmium Paſſionis Chriſti à Deo promiſſum erat hæreditas cœli : & quod Chriſtus erat naſciturus de genere *Abrahæ*, in quo omnes Gentes erant per Baptiſmum benedicendæ : & quomodo Fideles non ſolùm erant multiplicandi ſicut ſtellæ cœli, ſed etiam ſicut corpuſcula arenæ, quæ eſt in littore maris : & quomodo iſti *filii Abrahæ* regenerati per Chriſtum erant poſſeſſuri *portas inimicorum*, id eſt, ſedes Angelorum malorum, qui de cœlo ceciderunt per ſuperbiam &c.

Duplices filii Abrahæ.

Sed eſt valdè advertendum, quòd in hac promiſſione notificantur & diſtinguuntur duplices filii Abrahæ. Nam per *ſtellas cœli* intelliguntur filii promiſſionis, & populus Chriſtianus : ſed per *arenam*, *quæ eſt in littore maris*, intelliguntur filii carnis & terreni, ſicut ſunt Judæi moderni, & Saraceni, qui deſcendunt ab *Abraham* per *Iſmaelem*, & *Eſau*. Unde locus illorum eſt cœlum : ſed locus iſtorum eſt ipſa terra. Etiam diſtinguuntur duæ civitates: una cœleſtis, & altera terrena.

Tertia promiſſio facta eſt *Jacob*, *Gen.* 28. in *Bethel*, quando vidit ſcalam in ſomnis habentem pedem in terra & ſummitatem in cœlo, & Angelos aſcendentes & deſcendentes : & vidit Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi : *Tibi dabo terram hanc &c.* ubi prævidit *Jacob*, & *David*, quod Chriſtus erat crucifigendus in cruce, per quam tamquam per ſcalam eramus in cœlum aſcenſuri : per hoc etiam promittebatur Chriſtus cruci affligendus: quia in cruce lucratus eſt nobis regnum cœlorum &c.

Quarta promiſſio facta eſt à Deo per os *Jacob* ad *Judam* in perſona omnium Fidelium, *Geneſ.* 49. cùm Jacob benedixit *Judæ*, dicens : *Juda te laudabunt fratres tui : manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda. Ad prædam fili mi aſcendiſti : requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna. Quis ſuſcitabit eum? Non auferetur ſceptrum de Juda, nec dux de fœmore ejus, donec veniat qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio Gentium: ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ò fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.*

Nota hujus promiſſi expoſitionem.

In quibus quidem verbis undecim myſteria intellexit David in ſpiritu : Primò, quòd Chriſtus Rex Meſſias erat naſciturus de Tribu *Juda*. Secundò, quòd in ejus adventu erat auferendum ſeptrum & prælatio de Tribu Juda. Tertiò, quòd totus populus Judæorum, & omnes filii Iſrael aliarum Tribuum debebant laudare Chriſtum, videntes ſigna & miracula, quæ facturus erat in Judæa & Galilæa, & propter prædicationem & doctrinam. Quartò, quòd licèt omnes filii Iſrael ſecundùm carnem debebant eum laudare ; tamen ſoli filii Iſrael ſecundùm ſpiritum & promiſſionem erant adoraturi Chriſtum: quia non omnes Judæi, nec filii aliarum Tribuum converſi ſunt. Ideo ait : *Adorabunt te filii patris tui*, ſcilicet, Iſrael ſecundùm ſpiritum. Quintò, quòd erat occidendus in ſanguine, cùm dixit : *Lavabit in vino ſtolam ſuam*, id eſt carnem &c. Sextò, quòd erat aſcenſurus in crucem, & ibi recuperaturus prædam à diabolo. Septimò, quòd erat ſepeliendus in ſepulchro, quia dixit : *Quieſcens accubuiſti.* Octavò, quòd inde erat reſurrecturus virtute divinitatis : ſicut leo

ſuſ-

ſuſcitat filios rugitu ſuo, cùm dixit: *Ut leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum?* Nonò, quòd poſt reſurrectionem erat ligaturus populum Gentilem *ad vineam*, id eſt, ad Eccleſiam, & ſubjugaturus: & etiam *aſinam*, id eſt, populum Judæorum: & ſic ex duobus erat facturus unam Eccleſiam fundatam ſupra petram. Decimò, quòd Apoſtoli, & Martyres, & Doctores, qui ſunt oculi Chriſti, erant honorandi, & debebant triumphare de Judæis & Tyrannis, cùm dixit: quòd erunt *pulchriores vino*, ratione ſanguinis effuſi; *& dentes* Chriſti, qui ſunt omnes cæteri Fideles per Baptiſmum mundati & juſtificati, erant futuri *candidiores lacte*, ratione puritatis. Undecimò, quòd Chriſtus erat judicaturus & puniturus cervices inimicorum infidelium.

Nota. Quinta promiſſio facta fuit *Moyſi, Deuteron.* 18. cùm dixit Dominus: *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum tuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore ejus: loqueturque ad eos quæcumque dixero illi. Et qui verba quæ loquetur non audierit, ultor exiſtam.* In quibus verbis tria prævidit David in ſpiritu: Primò, quòd Chriſtus erat naſciturus ſecundùm carnem de populo Iſrael. Secundò, quòd ex parte Dei Patris erat novam Legem Euangelicam nunciaturus ipſi populo Iſrael. Tertiò, quòd omnes contemnentes Chriſtum, & Legem Euangelicam, erant in ultionem graviter puniendi per Deum Patrem. Ex ſupradictis etiam promiſſionibus patet, quòd Chriſtus in Lege promiſſus in ſuo primo adventu debebat novam Legem Euangelicam ferre, & prædeſtinatos, qui ab æterno erant ſcripti in libro vitæ, vocare & juſtificare, & in unam Eccleſiam congregare, & ad immortalitatem ſublimare, & univerſaliter omnia quæ erant ſcripta in Lege & Prophetis adimplere; quæ omnia manifeſtè adimplevit, & perfecit, ut patet per totum diſcurſum Euangelicum. Nam primò de ſemine David carnem aſſumpſit, & Legem Euangelicam prædicavit: & omnes per mortem & paſſionem redemit, & per ſe, & per Apoſtolos ſuos in Eccleſiam vocavit, & per ſacramenta Eccleſiaſtica juſtificavit, & Diſcipulos ſuos de infimo ſtatu ad apicem Apoſtolatus ſublimavit & honoravit, & Principes terræ conſtituit, & eorum principatum per regenerationem baptiſmalem per totum mundum multiplicavit. Et ſic non ſolùm honoravit Apoſtolos, ſed etiam Martyres & Doctores, & omnes Fideles: quibus contra mundum & diabolum in omnibus perſecutionibus & tentationibus victoriam donavit. Unde ex ſuis Fidelibus alios quidem fecit Prophetas, alios Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Martyres, alios Virgines, alios Doctores, alios contemplativos, alios pœnitentes: & ſic unumquemque in ſuo gradu honoravit. Sed maximè honorabit eos in fine mundi, cùm omnes electos completo electorum numero, ad immortalitatem ſublimabit.

Hoc eſt ergo quod Chriſtus dicit ad Patrem in hac parte: dicit ergo: O Pater, jam *ſunt mihi honorati amici tui*, id eſt, jam honoravi, *nimis*, id eſt *valde*, omnes amicos, quos ab æterno dilexiſti & prædeſtinaſti: quoniam eos ad fidem vocavi, & per Paſſionem & Baptiſmum juſtificavi, & dona gratiarum eis diſtribui, faciendo quoſdam Apoſtolos, & quoſdam Euangeliſtas &c. & eis victoriam contuli in omnibus perſecutionibus & tentationibus contra diabolum & mundum: in tantùm, quòd idololatriam deleverunt, & omnes Reges & Principes terræ, & populos Gentium jugo fidei ſubjecerunt. Ergo valde *mihi*, id eſt, à me *honorati ſunt*: quia cum eſſent plebei & piſcatores, eos Principes terræ conſtitui: & *principatus eorum nimis confortatus*, id eſt, augmentatus & multiplicatus *eſt* per omnes partes mundi: quia ad prædicationem eorum omnes regenerati ſunt, & facti cives, & filii Eccleſiæ. Et ſic *dinumerabo*, id eſt, dinumeravi eos: quia completus eſt numerus electorum in eis. Unde tantum proſperatus eſt numerus electorum, quòd *ſuper arenam multiplicabuntur*: & ſic jam implevi quod tu promiſiſti *Abrahæ*, *Geneſ.* 15. ſcilicet, quòd multiplicares ſemen ejus ſicut ſtellas cœli.

Item, implevi etiam illud quod promiſiſti ei, *Geneſ.* 22. ſcilicet, quòd multiplicares ſemen ejus *ſicut arenam, quæ eſt littore maris*: & *in eo benedicerentur omnes Gentes*. Ecce quod in me, qui ſum de genere *Abrahæ* ſecundùm carnem, benedictæ ſunt omnes Gentes, & ſanctificatæ per regenerationem baptiſmalem, & omnes facti ſunt filii Abrahæ ſecundùm promiſſionem & ſpiritum: & ſic multiplicati ſunt *ſuper arenam, quæ eſt in littore maris*, & in eis completus eſt numerus electorum.

Item, jam implevi quod promiſiſti per *Jacob*, *Geneſ.* 49. in benedictione *Juda*: quia jam accepi carnem ex Tribu ejus: & jam abſtuli ſceptrum de Tribu Juda, & jam aſcendi in crucem, & recuperavi prædam, quam diabolus tyrannicè poſſidebat. Et jam quievi & *accubui* in ſepulchro *ut leo*: & jam ſurrexi à mortuis: & jam ſum tecum ſedens ad dexteram tuam. Ergo redde mercedem mihi: ſcilicet, da hæreditatem regni cœlorum pro membris meis, & da malis pœnam æternam, & bonis gloriam promiſſam, poſtquam me conſtituiſti judicem vivorum & mortuorum: quia jam conſummavi curſum meum, & complevi numerum electorum: & ſicut ſuſcitaſti me, ſuſcita meos ad gloriam.

18. *Si*

23. q. 4. c. Displicet.

18. *Si occideris Deus peccatores : viri sanguinum declinate à me.*

19. *Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.*

POstquam superiùs examinavit causam suam, & justificavit seipsum, ostendens se peregisse & consummasse cursum suum, & laborem sibi impositum : in hac particula fulminat sententiam contra impios & obstinatos, destinans eos ad pœnam æternam.

Christus petit damnationem malorum.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Christus ex præcepto Patris venit in mundum, ad declarandam Legem, & ostendendam mundo voluntatem Patris sui. Et sic primò vocavit Judæos ad Fidem Euangelicam, in qua docuit, & prædicavit, omnia ista terrena esse contemnenda, & spem & finem nostrum in bonis cœlestibus esse constituendum. Sed Scribæ & Pharisæi, & major pars Judæorum, cùm essent dediti superbiæ, & avaritiæ, & mundanis affectionibus, noluerunt venire : sed tantùm secuti sunt eum duodecim Apostoli, & pauci Discipuli : cæteri autem non solùm contempserunt doctrinam ejus, sed etiam eum odio gratis habentes interfecerunt. Et ideo post resurrectionem Christus misit Apostolos suos per universum mundum ad prædicandum Euangelium omni creaturæ : ad quorum prædicationem multi populi conversi sunt : sed Principes & Reges illorum populorum Apostolos interfecerunt: & sic per successum temporis Tyranni doctrinam Christi odio & irrisui habentes, multa millia Martyrum occiderunt.

Unde *Julianus Apostata* Christianos deridebat & doctrinam Christi : eò quòd ista terrena contemnebant, & in cœlo mansiones beatas promittebant. Unde Christianis irridendo dicebat: Christus præcipit, & dicit: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ possides, & da pauperibus : & habebis thesaurum in cœlo.* Et dicit etiam: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus &c.* Unde dicebat *Julianus* : Vos Christiani postquam non potestis possidere bona temporalia, nos auferemus & possidebimus res vestras: vos autem possidete vestras mansiones & civitates beatas, quas in cœlo expectatis. Et *Julianus* auferebat Christianis bona temporalia, & eos fustibus cædebat, ut patet in *Ecclesiastica Historia.* Eodem modo *Decius* irridebat *Laurentium*, & *Dacianus Vincentium*, & *Paschasius Luciam*, & *Maximinus Catharinam*, ut patet in historiis eorum.

Et ideo Christus omnia ista examinabit, & judicabit, & improperabit obstinatis & damnatis in universali Judicio : immò omnes Sancti & Justi accusabunt persecutores suos ante Christum Judicem in illa die, petendo ultionem de eis, ut patet *Sapient.* 5. quia *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores illorum*, accusando eos : sed tunc illi Tyranni, videntes se confusos, & videntes pauperes & justos, quos ipsi contempserant, & occiderant, in tanto honore sublimatos, *Turbabuntur timore horribili, dicentes intra se : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est &c.* Et tunc Christus Judex justus, examinatis omnibus istis, fulminabit sententiam contra istos impios, dicens : *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, *Matthæi* 25.

Et hoc est quod dicit Christus in hac particula. Unde conversus ad Patrem, ait: *O* Pater *Deus, si occideris peccatores*, id est, cùm tu occîdes, & destinabis peccatores ad mortem æternam in die Judicii: ego qui ero Judex ex parte tui, cui judicium facere & potestatem commisisti, fulminando sententiam dicam eis: *O viri sanguinum*, & peccatores, & homicidæ, qui meos Apostolos, & Martyres occidistis, & justos afflixistis, *declinate, & discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus*: eò quòd dixistis *in cogitatione* & corde vestro, irridendo Legem meam, & Apostolos, & cæteros justos : *Accipiant* Christiani *civitates* & mansiones *suas*, quas frustrà, & in vanum expectant possidere in cœlo: dummodo nos fruamur bonis quæ in mundo sunt, & possideamus, & usurpemus bona eorum: hoc vos Tyranni, & obstinati, & *viri sanguinum* irridendo dicebatis electis meis: ideo *declinate* & discedite *à me* in ignem æternum &c. Et tunc Christus conversus ad Patrem justificans seipsum, dicit:

85. d. ca. Odio. Et 23. q. 4. Duo.

20. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam : & super inimicos tuos tabescebam?*

21. *Perfecto odio oderam illos : & inimici facti sunt mihi.*

O *Domine*, *nonne* bene scis, quòd ego *oderam* omnes istos obstinatos, *qui oderunt te*, & contempserunt te, & interfe-

fecerunt electos tuos: & *tabeſcebam* & indignabar *ſuper inimicos tuos*, cùm talia ſcelera committebant? Quaſi dicat: Iſti obſtinati non poſſunt habere excuſationem: quia jam veni in mundum, & prædicavi contra vitia eorum, exhortando eos ad juſtitiam & virtutes, & indignabar, & tabeſcebam contra eos, dicendo: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui comeditis domos viduarum &c.* ut patet *Matthæi* 24. & per totum diſcurſum Euangelicum. Unde in tali indignatione non vitioſo, ſed *perfecto odio oderam* in eis non naturam, ſed vitia: quæ quidem vitia cupiebam delere, inſerendo virtutes: ſed ipſi tamquam mundani, & incorrigibiles, *inimici facti ſunt mihi*; & ſic interfecerunt me. Hoc idem fecerunt Tyranni in membris meis: quia multa millia Martyrum occiderunt. Ex quibus patet, quòd iſti obſtinati nullam habent excuſationem: nam *ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem* per me, & Diſcipulos meos, & Prædicatores meos, *peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Nam ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*, *Joan.* 15. Et ſic iſti obſtinati facti ſunt inimici mihi & tibi, ô Pater. Et ideo Chriſtus dicit ad omnes obſtinatos: *O viri ſanguinum declinate à me*, & *diſcedite in ignem æternum*, poſtquam vocavi vos ad nuptias, & ad cœnam, & noluiſtis venire.

Supr. 25. 2. 32. diſti. Erubeſcant.

22. *Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.*

23. *Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.*

POſtquam Chriſtus examinavit & juſtificavit ſeipſum, oſtendens, ſe curſum ſuum peregiſſe, & fulminavit ſententiam contra obſtinatos & impios; nunc in fine Pſalmi concludendo, & quaſi epilogando, petit hæreditatem regni cœlorum pro ſuis electis. Unde dicit: O Domine Pater, *proba me, & ſcito cor meum*, id eſt, jam probaſti me per effectum, & ſciviſti cor meum: quia nihil te latet, nec tibi obſtat: quia nec remotio temporis, nec loci diſtantia, nec tenebra poſſunt impedire cognitionem tuam: quia omnia noviſti antequam fuerint, ſicut dictum eſt. Et jam cognoviſti ſemitas meas, jam interrogaſti me de omnibus: *vide* ergo, *ſi via iniquitatis in me eſt*. Et ponitur *ſi* pro *quia*, & *non*: id eſt, tu vidiſti & *vides*, quia *in me non eſt via iniquitatis*: quia jam examinavi omnia membra mea, & electos meos, & in eis non inveni *viam iniquitatis*, nec peccatum. Ergo *deduc me* cum eis *in via æterna*. Quaſi dicat: Da mihi hæreditatem regni cœlorum pro eis: quia pro eis laboravi, & curſum conſummavi: ergo da eis coronam juſtitiæ, quia jam vocavi eos, & juſtificavi, & honoravi, & complevi numerum electorum: ergo da eis præmium laborum meorum.

Dubium.

Sed hîc videtur eſſe maximum dubium: nam videtur, quod non petit illam hæreditatem regni cœlorum pro ſuis membris, ſed pro ſe. Nam nullum ſuorum membrorum poteſt dicere, quòd non habeat in ſe viam iniquitatis, niſi ſolus ipſe. Ergo nullus præter ipſum meretur de condigno illam hæreditatem.

Via iniquitatis duplex.

Ad cujus reſponſionem eſt primò notandum, quòd *via iniquitatis* in homine eſt duplex. Una dicitur in anima, quæ dicitur *culpa* peccati. Altera dicitur in carne, quæ dicitur *concupiſcentia* & *fomes* peccati, inflicta in nobis ex peccato primi parentis. Quæ quidem concupiſcentia dupliciter dicitur *via iniquitatis*. Uno modo, quia eſt veſtigium quaſi impreſſum & relictum ex peccato primi parentis. Alio modo dicitur *via iniquitatis*, in quantum tendit in culpam formaliter in anima exiſtentem. Nam primò illa *concupiſcentia*, ſive *fomes* per ſuam unionem & contubernium cauſat peccatum & culpam originalem formaliter in anima, ſecundùm communem modum loquendi Doctorum; & per inſtigationem & conſenſum cauſat culpam actualem & mortalem in eadem anima. Item, eadem culpa impreſſa in anima dicitur *via iniquitatis*, in quantum relinquitur ex actu peccandi, & ſic dicitur *via iniquitatis*: ex qua via iniquitatis nullus potuit evadere, nec liberari, niſi per gratiam prævenientem, aut ſubſequentem, ſicut pluries dictum eſt. Nam ſolus Chriſtus ſecundùm naturam fuit liber ab hujuſmodi *viâ iniquitatis*; eò quòd non deſcendit ab *Adam* per naturalem propagationem: ſed non inconvenit, quin per gratiam prævenientem & præſervantem *Virgo Maria* potuerit liberari, & præſervari, ut dictum eſt in *Pſal.* 45. At omnes alii, & in omnibus aliis fuit *via iniquitatis*, tàm in anima, quàm in carne: quæ via iniquitatis licèt maneat in carne; tamen ejus debitum & culpa removetur ab anima, & deletur, ut non imputetur, per Baptiſmum. Nam ut inquit *Auguſtinus*: *Non tollitur concupiſcentia ut non ſit, ſed ne imputetur ad reatum.* Sed per Pœnitentiam deletur ab anima culpa actualis. Et ſic quando quis deceſſerit ab hoc ſæculo cum vera pœnitentia & charitate, poteſt dicere, quòd nullam habet *viam iniquitatis* in anima: ſed in finali reſurrectio-

tione totaliter erunt immunes electi *à via iniquitatis* in carne: quia resurgent in corpora gloriosa & immortalia: & sic poterunt dicere justi in illo statu, quòd nullam habent *viam iniquitatis* in se, nec in corpore, nec in anima: & sic de congruo & de condigno poterunt possidere hæreditatem regni cœlorum eis promissam: & ideo Christus poterit dicere in Judicio apud Patrem: *Proba me Deus*, quia *via iniquitatis in me non est: in me*, per naturam, & in membris meis, per gratiam; & ideo *deduc* eos *in via æterna.* Et sic patet, quòd in persona membrorum petit hæreditatem: tamen in præmium sui laboris.

Et ideo advertat bene lector, quid intendat Propheta in hoc Psalmo: quia nihil aliud intelligit, nisi quod introducit Christum loquentem in Judicio finali, & petentem regnum cœlorum in præmium sui laboris pro membris suis, in quo fulminat sententiam contra obstinatos, & introducit sanctos & electos in regnum cœlorum, quando restituet regnum Deo Patri, 1. *ad Cor.* 15.

Psalmi Epilogatio

Ex toto ergo isto Psalmo colliguntur quinque principales Conclusiones. Quarum *prima* est, quòd Deus Pater probavit Christum in omnibus actibus suis, esse humilem & obedientem, scilicet, in tota vita, & in morte & passione &c.

Secunda conclusio: quòd nihil obstat, nec resistit divinæ cognitioni; quia omnia simul prænovit, antequam fiant.

Tertia conclusio: quòd sicut Christus novit numerum electorum prædestinatorum; ita vocavit & justificavit omnes quos Pater ab æterno prædestinaverat: qui quidem numerus prædestinatorum est sicut stellæ cœli.

Quarta conclusio: quòd sicut Christus vocavit, & justificavit omnes prædestinatos, qui libenter venerunt ad fidem; ita reprobavit omnes obstinatos, qui contempserunt regnum cœlorum propter ista terrena.

Quinta conclusio: quòd quia in Christo nulla est reperta iniquitas, nec culpa, nec *via iniquitatis*: quia non solùm fuit immunis à peccato, sed etiam ab omni fomite; & complevit officium & laborem ipsi impositum, & voluntatem Patris in omnibus: Ideo de jure debetur ipsi regnum cœlorum pro se & suis.

PSALMUS CXXXIX.

1. *Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.* 6.q.3.Ad mensam.

2. *Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia.*

3. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.* 6.q.1.ca. Summa.

TITULUS: *Ad victoriam*, sive *In finem*, *Psalmus David.* Ex Titulo patet, quòd David fecit hunc Psalmum & dedit illum ad cantandum Levitis cum conatu elevationis vocum: ad denotandum, quòd loquitur de Christo, qui est finis Legis. In quo Christus petit liberari à morte & passione per resurrectionem. Et ideo cantabatur cum altis vocibus, in quo introducitur Christus Caput nostrum ad loquendum non solùm pro se, sed etiam pro toto corpore mystico. Et primò petit liberari à persecutoribus suis. Secundò petit ultionem de ipsis. Ibi: *Caput circuitus eorum.*

Quantum ergo ad primum est notandum, quòd David in persecutione *Saulis* & suorum in monte *Gelboë*, prævidit ruinam & destructionem populi Judæorum Christum persequentium: & etiam Tyrannorum & Hæreticorum, Ecclesiam affligentium. Et per detractores & alios satellites ipsius *Saulis*, qui coram Saule *David* accusabant & detrahebant, & insidias parabant, prævidit accusatores Christi, & æmulos Ecclesiæ, quos prævidit etiam propter illud peccatum perituros. Et sic motus à Spiritu sancto fecit istum Psalmum, postquam fuit in quiete & regno suo. Et sic David introducit Christum petentem liberari à suis crucifixoribus, sicut David fuit liberatus à suis æmulis.

Dicit ergo Christus: *O Domine* Pater, *eripe me ab homine malo*, scilicet, à populo Judæorum maligno: & *eripe me à viro iniquo*, scilicet, à cœtu Pharisæorum, & Sacerdotum iniquorum & injustorum, qui ex invidia & malitia meam mortem procuraverunt: *qui cogitaverunt iniquitates in corde*, falsa testimonia contra me machinando, & quærendo opportunitatem, *quomodo me dolo tenerent & occiderent.* Et sic quotidie *constituebant prælia*, & vexationes contra me, sicut fecit *Saul* contra *David. Acuerunt linguas* contra me ante *Pilatum*, & coram Pontificibus, *sicut* acuunt *serpentes* volentes mordere: & fuit quasi

quasi *venenum aspidum sub labiis eorum*, cùm imponebant mihi, dicentes: *Hic dixit: Possum destruere Templum Dei, & in triduo reædificabo illud &c.* Item, cùm dixerunt, me impedire dari censum Cæsari, & turbare totam terram, à *Galilæa* usque ad *Hierusalem:* & me Regem facere & contradicere Cæsari. Item, *acuerunt linguas suas* cum veneno, cùm dixerunt: *Crucifige, crucifige eum.*

2. quæ. 7. Testes, §. Christus. 24. q. 1. cap. Quæ dignior.

4. *Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.*

5. *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi:*

6. *Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.*

ITEM, *Domine* non solùm *me eripias* de Judæis, sed etiam *custodi de manu* populi *peccatoris*, & tyrannorum Ecclesiam & membra mea persequentium; & *eripe me ab hominibus iniquis* & crudelibus, tàm Judæis, quàm Gentilibus Ecclesiam meam persequentibus: *qui cogitaverunt*, & conati sunt *supplantare*, & deviare *gressus meos*, id est, Apostolos, & Martyres, & omnes Fideles, à Fide Euangelica: & sic *superbi* Tyranni *absconderunt* & paraverunt *laqueum mihi*, scilicet Ecclesiæ meæ, quando cum minis, aut precibus, aut promissionibus volebant pervertere Fideles à Lege mea ad suas superstitiones, & idololatriam. Et hoc potest referri ad Judæos, qui volebant supplantare pedes Christi, & injicere laqueum, *ut caperent eum in sermone*, cùm dixerunt: *Quòd est magnum mandatum in Lege? Et si licèt censum dari Cæsari, an non?* Et cùm obtulerunt ei mulierem deprehensam in adulterio. Ideo sequitur: *Et funes*, sive retes, *extenderunt* mihi *in laqueum:* ut me in sermone caperent, & *posuerunt scandalum juxta iter*, id est, juxta Legem, quæ est iter & via eundi ad Deum: ibi *posuerunt mihi scandalum*, ut offenderem & caderem, cùm dixerunt: *Quod est magnum mandatum? &c.* putà, si dixissem, quòd mandatum de sacrificiis erat majus; tunc incurrerem indignationem populi: & si dixissem, quòd mandatum de eleemosyna & subventione proximi erat majus; tunc me accusarent, & possent me accusare de blasphemia.

Item etiam versus potest referri ad Hæreticos, qui *posuerunt* simplicibus *laqueum*, & *scandalum* diversarum hæresum *juxta* Legem Christi, qui est via ad vitam: posuerunt enim juxta ipsam scandala, quando ex aliquibus dictis malè intelligendo & glossando, sumpserunt occasionem, ut simplices deciperent, & à Fide ruere facerent, & in diversas semitas hæresum diverterent &c. Verumtamen licèt Hæretici conati fuerint pervertere omnes Fideles à Fide; tamen non prævaluerunt, quia Christus non permisit: immò *rogavit pro Petro* & tota Ecclesia, *ne deficeret fides ejus*, *Lucæ* 22. ne concuteretur à Tyrannis Idololatris, nec Hæreticis. Ideo hoc prævidens David, dicit in persona Christi:

15. d. ca. Sancta.

7. *Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.*

EGO *dixi Domino* Patri meo rogando pro Apostolis & Martyribus, & tota Ecclesia mea, ne deficiat fides ejus in Apostolis, & Martyribus, & Doctoribus, & Fidelibus omnibus usque ad Judicium, & ne prævaleant Judæi, nec Tyranni, nec Hæretici, nec ipse Anti-Christus contra ipsam Ecclesiam, immò confundantur.

56. d. cap. Nasci.

8. *Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.*

O *Domine salutis meæ*, id est, tu qui es vera salus, & misisti salutem Ecclesiæ meæ, tu *obumbrasti caput meum*, id est, protexisti me scuto fidei & gratiæ *in die* & tempore *belli* persecutionis Judæorum, & Tyrannorum, & Hæreticorum, & Antichristi: sicut protexisti *David* de *Saule* in figura mei. Et loquitur de præterito pro futuro, propter certitudinem prophetiæ. Et sequitur pro Ecclesia:

13. q. 1. His itaque.

9. *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.*

O *Domine* Pater rogo *ne tradas me*, scilicet membra mea, ipsi *peccatori* populo Judæorum, & Tyrannorum, & Hæreticorum, & Antichristo, removendo me *à desiderio* & firmo proposito *meo:* quia firmiter proposui fidem servare, & pro ipsa pati

pati & mori. Et quia omnes isti malevoli, scilicet Judæi, & Tyranni, & Hæretici, & Antichristus per successionem temporis A semper *cogitaverunt contra me*, ut perverterent: ideo rogo *ne derelinquas me* superari ab eis: *ne fortè exaltentur* in superbiam, si superaverint me: immò superentur ipsi, & confundantur.

Est etiam advertendum, quòd omnia verba supradicta possunt esse verba Ecclesiæ corporis mystici, directa ad caput nostrum, scilicet ad Christum, petendo auxilium contra omnes persecutores Ecclesiæ usque ad tempora Antichristi inclusivè. Sed forsan melius est, quòd sint verba Christi ad Patrem in persona sui, & Ecclesiæ, propter mysticam & indissolubilem unionem corporis ad caput, & econverso: sicut dixit B Christus ad *Paulum* in persona Ecclesiæ, & membrorum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ut frequenter per totum librum Psalmorum dictum est. Et ideo iste Psalmus cantatur in quibusdam Ecclesiis pro Martyribus, in quibus Christus passus est, & econverso.

23. q. 1. cap. Paratus.

10. *Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.*

IN hac secunda parte petit Christus, & prædicit punitionem persecutorum suorum, & Ecclesiæ: quam prævidit David C in spiritu per ruinam & punitionem *Saulis*, & *Doëg* in monte *Gelboë*. Unde quia caput, & principium, & causa, quare *Saul* per multos circuitus & modos dolosos persecutus est David; & quare *Doëg*, & cæteri complices semper detrahebant & mordebant & accusabant eum, fuit superbia, & invidia: quod fuit figura futuræ persecutionis Christi, & Ecclesiæ. Ita ergo pariter causa, & caput, & principium, & occasio persecutionis Christi, fuit invidia, & superbia Pharisæorum, & Sacerdotum. Et eadem fuit causa Tyrannorum, & Hæreticorum ad infestandam Ecclesiam &c. Ideo eadem fuit causa punitionis eorum. Nam Judæi non valentes ex superbia perferre injurias *Romanorum*, rebellarunt contra eos. Et sic venit *Titus* & *Vespa-* D *sianus* cum magno exercitu: & ipsi Judæi de muro maledicebant & blasphemabant *Romanos*. Et sic propter superbiam, & linguam eorum fuerunt trucidati, & venditi, & civitas eorum incensa, & eversa, & totum regnum dissipatum, & ipsi ad damnationem perpetuam, & ignem æternum destinati.

Et hoc est, quòd prædicit hîc David in persona Christi, dicens: *Caput circuitus*, id est, causa & principium circuitionis *eorum*, fuit superbia & invidia: quia ex superbia & invidia circuierunt me, paran- do insidias, & accusando &c. Et *labor*, E scilicet dolus, & blasphemia, & accusatio *labiorum ipsorum operiet eos*, sicut rete operit aves, & pisces, & muscipula capit mures: quia propter invidiam, & superbiam, & linguam suam peribunt. Nam sicut ipsi circuierunt me per multas insidias, & accusationes &c. ita *Romani* circumdabunt civitatem eorum cum exercitu suo, & capient eos in medio, & trucidabunt, & igne cremabunt eos & civitatem. Ideo sequitur:

11. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: in miseriis non subsistent.*

23. q. 4. Displicet.

F

ID est: Non evadant, quia ibi peribunt. Unde in Translatione *Hieronymi* sic habetur: *Amaritudo convivarum ejus, & periculum labiorum eorum operiet eos: cadent super eos carbones ignis: dejicies eos in foveas ut non consurgant.* Et sic apparet sententia magis clara.

Unde est advertendum, quòd ista sententia non solùm se extendit ad pœnam corporalem, sed etiam æternam. Nam Judæi non solùm fuerunt trucidati, & combusti, & venundati temporaliter ad exilium, sed etiam ad ignem æternum in Inferno condemnati. Et hæc sententia non solùm se extendit ad Judæos, sed etiam G ad Tyrannos idololatras, & Hæreticos, & ad Antichristum: quia omnes temporaliter & æternaliter perierunt, ut patet per discursum *Annalium Imperatorum, & Ecclesiasticæ Historiæ*: & etiam Antichristus peribit, ut patet 2. *ad Thessal.* 2.

12. *Vir linguosus non dirigetur in terra: virum injustum mala capient interitu.*

2. dist. 7. Accusatio.

DAT causam, quare omnes supradicti peribunt. Et dicit: quia *vir linguosus*, scilicet, detractor, & adulator blasphemus, cujusmodi fuerunt Judæi & Tyranni, & Hæretici, *numquam* talis *dirige-* H *tur* per viam justitiæ ad gloriam, nec prosperabitur in terra. Ideo omnia *mala* culpæ & pœnæ *capient virum injustum*, & malevolum, & crudelem, & blasphemum *in interitu*, id est, cùm morietur, tunc punietur æternaliter: quia tunc invenient eum omnia mala: licèt hîc aliquando videatur prosperari, tamen *non dirigetur in terra* versus vitam æternam, sed in interitum mortis æternæ: quia peccata non dirigunt, nec deducunt hominem ad vitam, sed ad interitum æternum.

13. Cog-

22.q.2.Si quælibet.

13. *Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.* A

15. q. 1. Firmissime.

14. *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo : & habitabunt recti cum vultu tuo.*

COncludit hîc David, vel ipse Christus, dicens : Ego *cognovi* in spiritu, & mihi promissum est, *quia Dominus faciet judicium inopis, & vindictam pauperum*, id est, in judicio puniet injuriam factam inopi, & vindicabit pauperes de B inimicis & persecutoribus suis. Verumtamen dabit præmium bonis, qui injurias passi sunt. Nam *justi confitebuntur nomini tuo*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam : & etiam *recti* fideles *habitabunt cum vultu* & facie *tua* in hac Ecclesia, videndo te per fidem, & in superna *facie ad faciem*, fruendo per gloriam.

Psalmus CXL.

15. d. c. Sancta Romana.

1. *Domine clamavi ad te, exaudi me : intende voci meæ, cùm clamavero ad te.* C

De Consec. d. 1. Quando autem stamus. Et 38. d. Sedulo.

2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

TItulus : *Psalmus David.* Iste Psalmus in tantum est intricatus & difficilis in littera, & etiam in sententia, quòd Judæi cum majori labore & conatu, & circuitu, & extorsione ducunt ipsum ad sensum litteralem pro ipso David, quàm nos ad sensum spiritualem pro Christo & Ecclesia.

Ad cujus declarationem est notandum, D sicut dictum est superiùs, quòd Christus promisit *Petro*, quòd ipse rogaret Patrem pro totâ Ecclesiâ, *ne deficeret fides ejus.* Et sic post longum sermonem elevatis oculis ad Patrem, dixit : *Clarifica me Pater &c.* Et etiam rogavit pro Apostolis, & fortitudine eorum in fide, dicens : *Pater conserva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi &c.* Et non solùm rogavit pro fide & fortitudine Apostolorum, sed etiam omnium Martyrum, & Fidelium, dicens : *Non pro eis rogo tantùm, sed etiam pro eis qui credituri sunt per verbum eorum &c. Joan. 17.* Et sic rogavit etiam in horto per trinam E orationem pro omnibus electis & membris suis, ut essent firmi & fortes in persecutionibus, & tormentis contra persecutores, & haberent patientiam in opprobriis & afflictionibus, sicut ipse *tamquam agnus ad occisionem ductus est.* Et rogavit etiam pro peccatoribus, ut venirent ad pœnitentiam.

Et ideo David hoc prævidens in spiritu, fecit hunc Psalmum : in quo introducit Christum loquentem ad Patrem, & orantem pro tota Ecclesia, & membris ejus, & pro omni statu. In quo quatuor facit : Nam primò, petit orationem, & passionem suam acceptari apud Patrem. Secundò, rogat pro omnibus membris suis, per F omnes status & conditiones. Tertiò, prædicit futuram conversionem Tyrannorum, & Regum, & Principum, & omnium Gentilium. Quartò, rogat pro sua resurrectione. Secunda ibi : *Pone Domine custodiam ori meo.* Tertia ibi : *Quoniam adhuc oratio mea.* Quarta ibi : *Quia ad te Domine oculi mei.*

Quantum ad primum, Christus rogat Patrem ; primò, ut audiat orationem suam, quàm pro toto genere humano fecit in mensa, & in horto, & in cruce, cùm dixit : *Domine ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt.* Et sic petit veniam, & remissionem pro suis. Dicit ergo Christus : *Domine* Pater ego semper *clamavi ad te*, orando G pro toto genere humano : ergo *exaudi me*, remittendo eis culpam ; & *intende voci* deprecationis meæ in cruce : quia rogo pro præteritis, & præsentibus, & futuris, qui crediturí sunt, ut eos illumines, & veniant ad Fidem, & salventur. Et ut hoc facias, *dirigatur oratio mea ad te, sicut* dirigitur *incensum in conspectu tuo.* Nam incensum est de se odoriferum, ideo de se acceptabile & delectabile : & significat orationem justi sine peccati fœtore : unde talis oratio est Deo accepta. Et non solùm acceptes orationem, & petitionem meam pro redemptione generis humani, sed etiam opera & sacrificium meum, quod faciam in cruce de me ipso, quando extendam manus, & clavis affigar in cruce manibus extensis : ergo illa *elevatio*, & extensio, & affixio *manuum mearum* sit tibi accepta, velut *sacrificium vespertinum*, quod fiebat in Lege. H

Unde est notandum, ut legitur *Exod.* 29. quòd Deus præcepit *Moysi*, ut quotidie in tabernaculo offerrentur duo agni immaculati : unus mane, & post illum offerebantur multa alia sacrificia, & fiebant oblationes ; & præcipiebat immolari alium agnum in vespere, & post illum nihil aliud offerebatur, nec sacrificabatur. Per *primum agnum* sacrificatum de mane, significabatur, quòd *Abel* fuit occisus & immolatus in principio mundi, in figura Christi : & sic post

Nota de Oratione.

Abel fuerunt facta sacrificia in Lege, in figura Christi. Ille verò *agnus sine macula* immolatus in vespere, significabat Christum, qui in fine Legis *Moysi*, & totius veteris Testamenti occisus est: post quem jam nullus agnus, nec vitulus debet immolari: nam postquam venit figuratum, jam debet cessare omnis figura. Nam sacrificium Christi abstulit omnia sacrificia veteris Testamenti. Et ideo Christus præcepit fieri aliud sacrificium, scilicet Eucharistiæ, non amplius in figuram alterius futuri, sed in memoriam suæ passionis. Et hoc est quòd dicit hîc Christus: O Domine, *elevatio manuum mearum* in cruce, & passio mea, sit coram te *sacrificium vespertinum*, id est, sit verum sacrificium pro peccato omnium, quod figuratum fuit in Lege per *agnum immolatum* in vespere tempore Legis veteris: & sit finis sacrificiorum animalium, & cessent per ipsum omnia sacrificia veteris Legis.

Ecclesiast. 22. d 26. q. 1. c. Prædicator.

3. *Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circunstantiæ labiis meis.*

Et extra de Consue. c. Quanto.

4. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

IN secunda parte rogat pro membris suis. Ad cujus evidentiam est semper advertendum, sicut frequenter dictum est, quòd tanta est unitas Christi capitis ad sua membra, & econverso, quòd communicantur undique idiomata. Nam multotiens Christus peccata nostra dicit esse sua, non quòd sint sua quoad culpam, sed quoad pœnam: in quantum in se voluit recipere & pati pœnam peccatorum nostrorum, ut ait *Isaias Propheta*, c. 52. *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrûm*, id est, pœnas iniquitatum nostrarum. Et sic etiam nos, qui sumus membra ejus, merita sua dicimus esse nostra, non quoad laborem & condignitatem, sed quoad præmium, in quantum participamus præmium meritorum ejus, scilicet remissionem peccatorum, & gloriam. Et sic dicimus, quòd in passione Christi meruimus veniam, & remissionem: & in ejus resurrectione meruimus gloriam: & sic participamus eam quoad effectum, sicut ipse voluit participare peccata nostra; non quoad culpam, sed quoad pœnam, ut ait *August.* 2. *de Bapt. parvulorum*, propter istam ergo mysticam unionem membrorum ad caput, & econverso, Christus loquitur in hoc Psalmo, & maximè in hac secunda parte, & orat pro membris, sive in persona membrorum.

Unde in hoc maximè decipiuntur Judæi, qui ignorantes istam unionem & sacramentum, putant, quòd David loquitur de se, & pro se in hoc Psalmo, sed hoc est manifestè falsum per hoc quod dicitur in fine Psalmi, scilicet, *Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego donec transeam*: quod non potest convenire, nisi soli Christo, ut patebit. Rogat ergo Christus ad Patrem pro suis membris in persona sui: & primò pro stabilitate Fidei Apostolorum, & aliorum membrorum, scilicet, ne incidant in cœcitatem & obstinationem Judæorum. Secundò, rogat pro eisdem, ne incidant in flagitia, & ignominiam, & falsam superstitionem Gentilium; sed suscipiant patienter correctiones Legis Euangelicæ. Ibi: *Cum hominibus operantibus iniquitatem.*

Quantum ergo ad primum est advertendum, quòd Judæi postquam non receperunt Christum, nec intelligentiam veram Legis & Prophetarum, fuerunt tantâ malitiâ obcœcati, quòd contra omnem veritatem manifestam quæsierunt mendacia, & falsa commenta ad pervertendum scripturas & retrahendum eas ab omni veritate, ut defendant malitiam & protervitatem suam. Et sic *Thalmudistæ* composuerunt illam scripturam, quæ dicitur *Thalmud*, ut deciperent vulgares Judaïsmi, & retinerent eos in sua cœcitate & protervia. Ita pariter *Rabbi Salomon*, & *Abenazara*, & *Cambi*, & cæteri Scriptores, in alio non laborant, nisi ad pervertendum scripturas, & retrahendum eas à veritate Fidei Euangelicæ, & retrahendum eas ad suam perfidiam: & sic *declinant* intelligentiam, & *corda* eorum *ad excusandas excusationes in peccatis.*

Et ideo Christus rogat pro Apostolis & Fidelibus suis, ne incidant in hanc protervìam & cœcitatem. Dicit ergo Christus: O *Domine* Pater, *pone custodiam* & mensuram *ori meo*, id est, Apostolis & Martyribus, & Doctoribus, & cæteris Fidelibus: quia ipsi sunt os meum, per quos loquor, & annuntio Euangelium & veritatem, ut in sua prædicatione vera prædicent; & ne labantur in mendacium contra Legem & Prophetas, sicut faciunt Scribæ & Pharisæi, *Thalmudistæ*, & sequaces eorum. Et *pone* etiam *ostium* & mensuram *labiis meis*, id est Doctoribus, & Prædicatoribus, ut veraciter exponant & declarent Sacras Scripturas: & *pone* obstaculum in labiis eorum, ne ex ore eorum exeant mendacia, nec errores, sed veraciter instruant populum, ut vera possint scribere, & prædicare. Et *non declines cor meum in verba malitiæ*, id est, non permittas ut fideles, qui sunt *cor meum*, in quorum cordibus ego habito per fidem & gratiam, non permittas, inquam, ut ipsi declinent, & applicent corda sua *in verba malitiæ*, *ad excusandas excusationes in peccatis*: sicut faciunt, *Thalmudistæ*, & Judæi: qui per *verba malitiæ* volunt excusare errorem, & cæcitatem, & protervitatem suam: Nam cum falsis verbis *malitiæ* excusant errorem suum, & retinent se & suos in illo errore, & cœcitate.

5. *Cum*

5. *Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.*

6. *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

HIC rogat pro Apostolis, & suis fidelibus, ne incidant in communicationem & superstitionem Gentilium, & cæterorum pravorum hominum. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd Sacerdotes Gentilium retinebant suos in illis falsis superstitionibus per blandas adulationes, promittendo eis pro cultu idolorum & nefandis sacrificiis, & ludis scenicis, magnas prosperitates in hoc mundo : & persuadebant Regibus & Principibus eos deificari, & inter Deos referri, aut inter astra cœli stellificari post hanc vitam : & cum talibus adulationibus retinebant eos, & persuadebant ad omne flagitium & vitium. Et ideo quando venerunt Apostoli, & cæteri Doctores ad prædicandam Legem Euangelicam inter eos, quæ prohibet omne vitium, & præcipit, & hortatur omnem virtutem ; tunc videntes talem Legem Euangelicam esse omninò contrariam flagitiis & nefandis ritibus eorum, commoti sunt Sacerdotes, & Principes Gentilium contra Apostolos, & omnes Christianos, & conati sunt extinguere, & delere penitùs totam Religionem Christianam, & Legem Euangelicam : ut patet per totum discursum Ecclesiasticæ Historiæ. Itaque istis Gentilibus magis placebant adulationes nefandæ superstitionis, quàm correctiones Legis Euangelicæ.

Rogat ergo Christus, ne sui fideles incidant in tam pestiferam superstitionem. Dicit ergo : O Pater, ne permittas, supple, ut ego communicem *cum hominibus*, & fratribus peccatoribus *operantibus iniquitatem*, ne communicem *cum electis*, & sequacibus *eorum* : immò magis volo, ut *corripiat*, & increpet *me justus in misericordia*, id est, quòd corrigant me Prædicatores Legis Euangelicæ cum charitate & *misericordia*, quàm *oleum*, id est, adulatio *peccatorum impinguat* & ungat *caput meum*.

Unde littera *Hieronymi* habet : *Corripiat me justus, & arguat me : oleum autem amaritudinis non impinguet caput meum.* Ex quo patet, quòd in nostra Translatione ponitur futurum indicativi pro optativo, eò quòd Hebræi non habent optativum : & sic patet, quòd iste modus loquendi est deprecativus, sicut dictum est. Et loquitur hîc metaphoricè : nam ponitur *oleum* pro adulatione : quia sicut oleum materiale ungit, & mollificat res rigidas, ut sint tractabiles ; ita pariter adulator cum suis blandis verbis & adulationibus mollificat voluntatem, & mentem, & affectum hominis, & persuadet ad flagitia, & facinora, & vitam voluptuosam : & ita Poëtæ cum suis fabulis, & mendacibus locutionibus persuadebant populis, & concitabant eos ad flagitia committenda. Ponitur ergo hîc *oleum* pro blanda adulatione : & *caput* ponitur pro parte rationali, quæ decipitur, & trahitur à sensualitate.

Dicit ergo Christus in persona suorum membrorum : O Pater, fac ut non communicem *cum* istis *operantibus iniquitatem*, nec *cum electis* & sequacibus *eorum*, nec sequar electiones eorum ; immò magis volo quod *corripiat me* quilibet *justus*, & Doctor, & Prædicator Euangelicus *in misericordia*, quàm *oleum*, & falsa adulatio, & persuasio alicujus *peccatoris*, & falsi Doctoris *impinguat*, & demulceat, & decipiat *caput meum* ; id est, rationem meam.

Hoc etiam totum potest intelligi de falsa & mendaci adulatione *Thalmudistarum*, & *Rabbinorum*, & *Judæorum*, qui persuadent & decipiunt populum eorum. Hoc etiam potest intelligi de quacumque falsa adulatione, & persuasione incitante hominem ad peccatum. Unde Christus rogat pro suis, ne adulatione & persuasione alicujus peccatoris incidant in aliquod peccatum : unde petit, ut sui fideles sint obedientes in correctione justorum ; id est, quòd patienter audiant prædicationes, & correctiones Prælatorum, & majorum, & fratrum suorum justorum. Ideo dicit Petro : *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum : quod si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ideo dicit Christus : *Corripiet*, id est, corripiat *me justus* & Prælatus *in misericordia*, & zelo charitatis, id est, cum patientia membra mea audiant correctionem factam cum misericordia & charitate &c. Item, ne audiant adulationes ; ideo subdit : *Oleum autem peccatoris*, id est, verbum blandum, & suasivum, & adulatorium *non impinguet caput meum*, id est, blandiatur conscientiæ meæ. Littera *Hieronymi* habet : *Oleum fellis & amaritudinis*, quod idem est : nam verba adulatoris licèt videantur blanda & suavia, tamen sunt amara ad committenda alia peccata. Dicitur enim adulator *peccator*, quia primò mentitur, cum adulatur alteri, tribuendo ipsi quod non habet. Secundò, quia hoc facit causâ decipiendi simplices : ideo Christus rogat, ut Deus avertat talem pestem à suis fidelibus simplicibus : immò

quòd

quòd unuſquiſque ſe reputet peccatorem, & diligat corrigentem ſe, & fugiat adulatores. Et iſto modo *Joannes Baptiſta* fugit adulatores, quando dixit: *Non ſum ego Chriſtus, nec ſum dignus calceamenta ejus ſolvere*, *Joann.*1. Item quando dixit: *Illum oportet creſcere : me autem minui &c. Joann.*3. Item, hanc adulationem fugerunt *Paulus* & *Barnabas*, quando Sacerdotes idolorum volebant eis honores divinos impendere, *Act.*14.

16. q. 1. *Vos autẽ. De Conſe. d.2. c.Ex præmiſſis.* 24. q. 1. *Non turbatur.*

7. *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum : abſorpti ſunt juncti petræ judices eorum.*

8. *Audient verba mea quoniam potuerunt : ſicut craſsitudo terræ erupta eſt ſuper terram.*

9. *Diſsipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum : quia ad te Domine, Domine oculi mei : in te ſperavi, non auferas animam meam.*

IN hac ſecunda parte Chriſtus prædicit converſionem Imperatorum & Regum ad Chriſtum ſub jugo fidei. Unde Imperatores, & Reges, & Tyranni, qui antè propter idola perſequebantur Chriſtianos, poſt converſionem ad fidem præceperunt idola deleri propter Chriſtum : & quia oratio, & prædicatio, & Lex Euangelica antè fuerat abominabilis, & deſpecta, & odioſa: poſtea fuit placibilis, & decora *in beneplacitis eorum*, ſcilicet, Regum & Gentilium, id eſt, erit eis placibilis & acceptabilis, quoniam colent eam, & obſervabunt, & convertentur ad fidem Euangelicam; & vincti, & ligati, & *juncti ſunt* ipſi *Petræ*, ſcilicet Chriſto, qui eſt *petra*, in qua fundatur Eccleſia. Erunt ergo vincti & ligati ſub jugo legis Chriſti, qui antè ligabant, & torquebant, & vexabant Chriſtianos : quod impletum fuit in *Conſtantino*, & cæteris Imperatoribus, & Regibus, qui ad fidem converſi ſunt.

Ideo ſequitur: *Audient verba mea*, id eſt, legem meam Euangelicam : *quoniam potuerunt* facere, ſupple, miracula : nam verba Chriſti ſunt potentiſſima & efficaciſſima, & effectiva miraculorum & ſanitatum. Et ideo quando vidit *Conſtantinus*, quòd virtute nominis *Jeſu*, & Baptiſmi ipſe fuit liberatus & ſanatus à lepra; & videbant cæteri Reges ſigna & prodigia, quæ faciebant Apoſtoli, & Martyres: tunc voluerunt audire *verba* Chriſti Euangelica. Ideo *audient* ipſi Reges, & Imperatores, & Judices *verba mea*, *quoniam potuerunt*, id eſt, potentiſſima fuerunt ad miracula facienda, & ad Gentes convertendas, & corda hominum penetranda. Etiam fuerunt fructifera *ſicut craſsitudo terræ &c.* Unde nota, quòd *craſsitudo terræ* eſt in ſuperficie terræ : ideo quando agricolæ volunt quòd ager ſit uber, & frugifer, arant, & ſcindunt terram aratro, & ſic exit craſsitudo terræ ad ſuperficiem, & ſic bene creſcit, & germinat quod ſeminatur. Ita ergo germinaverunt, & fructificaverunt verba Euangelica in cordibus hominum ab Apoſtolis ſeminata : nam Apoſtoli & fideles diſpoſuerunt corda hominum Gentilium per prædicationem, & ſeminarunt in eis verbum Dei: ſed illa corda facta *craſſa* per gratiam Spiritus ſancti, fructificarunt fructus fidei, & bonorum operum. Nota.

Et ideo ſequitur in perſona membrorum : *Diſsipata ſunt oſſa noſtra*, id eſt, quia verba Euangelica fecerunt fructum in nobis, ideo *diſsipata ſunt oſſa noſtra* : quia accepimus, & paſſi ſumus tormenta & martyrium propter Chriſtum : in quo martyrio *diſsipata* & fracta *ſunt oſſa noſtra ſecus infernum*. Et ponitur hîc *infernus* pro foſſa. Nam frequenter in ſcriptura veteris Teſtamenti foſſa dicitur *infernus*, ſicut dixit *Jacob* : *Deſcendam in infernum*, id eſt, in foſſam, poſt mortem. Dicit ergo: *Diſsipata* & confracta *ſunt oſſa noſtra ſecus*, id eſt, uſque ad foſſam & mortem : quia pro fide quidam fuerunt decollati, quidam laniati, quidam oſſibus fracti &c.

Poteſt etiam incipere alia ſimilis ſententia ab illo loco, *ſicut craſsitudo.* Quaſi dicat: Sicut terra non fructificat, niſi quando *craſsitudo erupta eſt ſuper terram*, cùm agricola arat, & ſcindit, & rumpit eam aratro, & tunc facit bonum fructum : ita corpora Martyrum fecerunt fructum meritorum, cùm fuerunt bene rupta, & ſciſſa, & laniata, & *oſſa* eorum *diſsipata*, & fracta uſque ad foſſam & mortem: quia ita meruerunt Martyres optimas manſiones in cœlo, & ſummam beatitudinem: & ille fuit fructus martyrii, ſicut *granum frumenti cùm mortuum fuerit* ſub terra *multum fructum affert &c. Joan.*12. Ordinetur ergo ſic littera in perſona populi Gentilis converſi ad fidem, de quo innumerabiles fuerunt *diſsipati*, & confracti ad fidem Chriſti: *Oſſa noſtra diſsipata ſunt* uſque ad mortem & foſſam, ſive ſepulturam: & ita fuerunt lacerata, & fuerunt ruptæ carnes, *ſicut craſsitudo terræ eſt erupta*, & arata, & ſciſſa cum vomere & aratro *ſuper terram* : & ſicut terra ſic rupta & arata efficitur craſſa & fructifera, & facit bonos & uberes fructus : ita corpora noſtra ſic laniata & rupta propter fidem, fecerunt

runt mirabiles fructus in gloria & beatitudine.

Quia ista littera est difficilis, ideo est A videnda Translatio *Hieronymi*, quæ sic habet in his tribus versibus: *Quoniam adhuc oratio mea, & pro malitiis eorum sublati sunt juxta petram judices eorum: & audiant dicta mea quoniam suavia sunt, sicut agricola cum scindit terram: & dissipata sunt omnia ossa nostra in ore inferni*: quæ quidem Translatio satis concordat cum supradicta Expositione.

Judæi autem *quibus non est datum nosse mysterium regni Dei* propter malitiam eorum, non possunt videre hanc veritatem, & secretum clausum in hac littera: ideo dicunt hîc multa fatua, & irrationabilia, & discordia, implicantia contradictionem. Ideo nos agamus gratias qui- B bus Deus revelavit arcana cœlestia.

Sequendo ergo prædictam Expositionem sequitur littera: *Quia ad te Domine oculi mei, quia dissipata sunt ossa nostra* usque ad fossam & infernum; quia difficile & impossibile est talia tormenta perpeti sine auxilio Dei speciali, ideo dicit: O Domine, quia in his tormentis *ad te* sunt fixi *oculi mei* petentes auxilium, in *te speravi* in hoc conflictu: ideo rogo ut *non auferas animam meam*. Quasi dicat: licèt occidatur corpus & laceretur usque ad mortem; tamen non perdatur, nec moriatur anima, perdendo fidem ex timore tormentorum: sed salva eam, dando ipsi fortitudinem, & constantiam, ut contemnat mortem corporalem. Et *custodi me à laqueo quem statuerunt mihi* Tyranni. Nam primò promittebant magna donaria, ut negarem fidem: & cum nolo, addunt tormenta; & sic parant istos *laqueos* ad capiendum me. Nam promissio dicitur *laqueus* ut capiar: tormenta verò dicuntur *scandalum*, ut ex infirmitate ruam & cadam: Ergo libera me *à laqueo* promissionis, *quem statuerunt mihi, & à scandalis* tormentorum Tyrannorum *operantium iniquitatem*.

Verumtamen licèt peccatores, & avari, & luxuriosi cadant propter voluptates & avaritiam, & mundani *cadant* in laqueo & *retiaculo ejus*, scilicet, impii & tyranni; & diaboli qui parant mihi hujusmodi *laqueum*, & *scandalum*, & *retiaculum*; qui D quidem *peccatores cadent* in hoc retiaculo negando fidem: tamen *ego* cum auxilio divino *singulariter sum donec transeam*. Quasi dicat: Non cadam cum eis; immò singularis sine eis, & immunis, & illæsus transibo rumpendo laqueum & retiaculum, & nihil mihi nocebit: & contemnam donaria & munera, & tormenta, & mortem corporalem. Sed ista ultima particula magis propriè & per se est exponenda de Christo Capite.

Quia ad te Domine, Domine oculi &c. In ista ultima parte Christus Caput nostrum loquitur, non solùm in persona E nostra, sed etiam in persona sua per resurrectionem. Ad cujus evidentiam est notandum secundùm *Augustinum Hypognosticon contra Pelagianos*, quòd mors post lapsum *Adæ* non dicitur naturalis, sed pœna peccati: quia inflicta est nobis ex peccato primi parentis. Ex quo patet, quòd Christus non erat obligatus ad mortem corporalem, postquam non descendit ab *Adam* per naturalem generationem: sed voluit sponte mortem recipere, & quasdam alias infirmitates, ut mereretur pro nobis, & esset causa nostræ resurrectionis & primitiæ resurgentium. Et ideo Christus in hac parte petit resurrectionem à Patre, ut resurgat ad immortalitatem, ostendens, quòd ipse F non erat obligatus morti, postquam non comprehenditur sub peccato ipsius *Adæ*: immò est immunis de jure & debitò. Dicit ergo: O *Domine*, *oculi mei* sunt fixi, supple, *ad te*; ideo *non auferas animam meam*, id est, ne permittas, ut maneat in inferno cum cæteris peccatoribus: immò fac, ut reuniatur corpori per resurrectionem; quia semper *in te speravi*.

Mors pœna peccati.

10. *Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi: & à scandalis operantium iniquitatem.*

32. q. 1. His. De Pœn. d. 1. Quę pueri.

11. *Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego donec transeam.* G

Custodi me à laqueo, *quem* diaboli *statuerunt mihi*, *& à scandalis* & occasionibus *operantium iniquitatem*: quia ego liber sum à laqueo peccati. Nam omnes cæteri homines *cadent in retiaculo* & laqueo, id est, cùm omnes alii sint peccatores; tamen ego *singularis sum*, id est, *singulariter* exemptus, & immunis, & *solus inter mortuos liber* à peccato: *donec transeam* de hoc mundo ad Patrem, supple. Quasi dicat Christus: Ego sum liber ab omni peccato, nec obligor ad mortem, H quia non fui captus *in retiaculo* peccati ipsius diaboli, sicut cæteri peccatores: & ideo de jure me debes resuscitare; quia sponte assumpsi mortalitatem, & infirmitates humanas.

Ad majorem autem intelligentiam hujus ultimæ partis, tria sunt videnda. Primò, quod est istud *retiaculum*, in quo ceciderunt omnes peccatores? Secundò, quare Christus non potuit cadere, nec capi in hoc *retiaculo*? Tertiò est videndum, quomodo Christus nos liberavit ab isto *retiaculo*?

Quantum ergo *ad primum* est dicendum

Esus ligni vetiti &c

dum secundùm *August.* quòd *retiaculum, in quo ceciderunt omnes peccatores* fuit esus cibi ligni prohibiti, quem comederunt primi parentes contra voluntatem Dei: quem cibum multis nominibus appellat *Augustinus.* Unde primò appellat ipsum *Hamum*, in quantum sub esca illius suavis fructus latebat hamus veneni, in quo capti sunt primi parentes. Secundò, appellat ipsum *laqueum*, in quo ipsi capti, & illaqueati, & ligati sunt. Tertiò, appellat illam arborem *muscipulam*, in quantum primi parentes mordentes fructum, fuerunt ibi morsi, & capti, & obligati divinæ sententiæ. Quartò, appellat illum fructum *scandalum*, in quantum in eo offendentes ceciderunt. Quintò, appellat ipsum *retiaculum*, in quantum non solùm primos parentes, sed etiam totam eorum posteritatem diabolus concluſit & comprehendit in illo peccato. Ille ergo fructus prohibitus fuit *hamus*, & *laqueus*, & *muscipula*, & *scandalum*, & *retiaculum*, quod diabolus paravit in illo fructu, in quo comprehendit omnes peccatores filios *Adam*: quia *Adam* peccando, omnes filios futuros obligavit ad pœnam damni sui peccati & transgressionis, prout pluries dictum est.

Nam sicut *Adam* perdidit pro se illam originalem justitiam cum omnibus donis, quæ gratis à Deo acceperat cum originali justitia: ita perdidit pro omnibus suis posteris omnia illa dona, & præmia illius originalis justitiæ. Sed ultra illud damnum ex esu illius cibi venenosi fuit inflictus quidam morbus concupiscentiæ inordinatæ in carne & sensualitate ipsorum primorum parentum: qui quidem morbus venenosus taliter corrupit totam carnem & appetitum sensitivum, & vulneravit & debilitavit omnes potentias naturales, quòd caro sic corrupta & vulnerata illicò facta rebellis insurrexit adversus spiritum & rationem: in tantùm quòd incœpit retrahere animam & voluntatem ab omni bono & honesto, & impellere ad omne malum.

Et iste fuit secundus *laqueus*, & *retiaculum*, quod diabolus paravit latenter in carne primorum parentum contra rationem & voluntatem: & est quidam *hamus* latens sub esca carnis: cui carni consentiens voluntas, illicò capitur, & obligatur actuali & mortali peccato. Et hoc est secundum *retiaculum*, & *laqueus* concupiscentiæ, quem primi parentes transmiserunt successivè in omnes posteros per libidinosam generationem. Nam caro quæ formatur & concipitur ex tali libidinoso concubitu, non potest esse sine fœditate, & morbo, & illo fomite concupiscentiæ: qui quidem morbus & fomes dicitur quoddam *retiaculum* absconsum in carne. Nam primò per solam unionem causat culpam originalem in anima creata & infusa ipsi in puris naturalibus: quia per solum contubernium (eò quòd anima sit una persona cum tali carne infecta) efficitur obnoxia culpæ originali primorum parentum, & sic efficitur *filia iræ & vindictæ*, & debitrix originalis justitiæ perditæ in *Adam.*

Item rursus, hoc idem *retiaculum* concupiscentiæ alliciendo voluntatem ad honores illicitos, & carnales voluptates, & divitias illicitè acquisitas, per consensum deliberatum, capit animam in peccato actuali & mortali: & per consensum non plenè deliberatum capit eam in veniali.

Ex quibus omnibus patet, quòd unum & idem retiaculum concupiscentiæ & fomitis latens in carne, per solam unionem capit animam in culpa originali, obligans eam ad pœnam damni, privans eam omnibus donis gratiæ, & cœlestis gloriæ; & per consensum deliberatum capit animam in peccato mortali, obligando eam ad pœnam sensûs æternam: & per solum consensum non deliberatum capit animam in peccato veniali.

Duplex retiaculum contra hominem.

Ex supradictis etiam patet, quòd duplex *retiaculum* paravit diabolus contra hominem: nam primum *retiaculum* & *laqueum* paravit in ligno & cibo prohibito, in quo cepit primos parentes in persona, & cepit omnes posteros in natura: quia in illo omnes fuimus privati omnibus donis gratiæ & gloriæ, & obligati ad pœnam damni: de quo ait *Apostolus ad Roman.* 3. quòd *omnes in Adam peccaverunt*, id est, omnes fuerunt in illo vænundati, & obligati ad pœnam damni. Secundum autem *retiaculum* paravit diabolus in carne & appetitu sensitivo uniuscujusque: & hoc est retiaculum concupiscentiæ, in quo per solam unionem animæ capit unumquemque personaliter in originali: & per consensum voluntatis deliberatum capit animam in actuali & mortali: & per consensum non plenè deliberatum capit eam in veniali: de utroque ergo retiaculo intendit dicere David quando ait in persona Christi: *Cadent retiaculo ejus peccatores &c.*

Quantum ad secundum est dicendum, quòd Christus nullo modo potuit capi in primo retiaculo, nec in secundo: non in primo, quia *Adam* non potuit obligare, nec vænundare peccato suo & damno, nisi filios suos naturales, ab eo genitos immediatè, vel mediatè: sed Christus licèt dicatur *filius Adam* secundùm carnem, in quantum accepit carnem ex *Virgine*: tamen non dicitur *Filius naturalis* secundùm generationem: quia non ex opere *Adam* natus est, sed solo opere Spiritus sancti: & sic non potuit obligari, nec vænundari in *Adam.* Nec potuit etiam capi in secundo *retiaculo* concupiscentiæ carnis: quia *Adam* non potuit transferre in eum vitium carnis & concupiscentiæ, postquam Christus non descendit ab eo per generationem naturalem.

lem. Et sic patet, quòd Christus nec captus est in *retiaculo* naturæ per generalem obligationem; nec in *retiaculo* personæ per naturalem, vel libidinosam genenerationem. Et ideo dicitur *solus inter mortuos liber*, non solùm in persona, sed etiam in natura. Et ideo solus potuit totum genus humanum liberare.

Nota de Virg. Maria quomodo caruit peccato.

Sed quid dicendum de *Virgine Matre* ejus? Ad hoc respondetur, sicut dictum est *Psalmo* 46. quòd non possumus excusare quin *fuerit capta in retiaculo naturæ*, in quantum fuit obligata in *Adam* cum tota natura, & descendentia naturali ipsius *Adam*, qui omnes filios naturales obligavit & vænumdedit ad pœnam damni peccati sui: de quo dicit *Apostolus ad Rom.* 3. quòd *omnes in Adam peccaverunt* in natura, supple, in quantum in eo fuerunt obligati. Sed illud peccatum *non potuit transire in personam Virginis* quoad culpam originalem, nec mortalem: nam licèt *Virgo Maria* descendat ab *Adam* per naturalem generationem: tamen quia caro ejus fuit sanctificata, & mundata ab omni fomite ante animationem; & anima fuit simul creata, & sanctificata, & gratificata, & in gratia confirmata, & infusa in illa carne munda: ideo nec caro potuit inficere animam, nec anima infici à carne per culpam originalem: & sic peccatum naturæ non potuit transferri à carne in animam, & per consequens nec in personam: quia *Virgo Maria* numquam dicta est persona humana nisi per animam, & sic fuit liberata à peccato originali naturæ per prævium sanctificationem & gratiam Christi. Ex hoc etiam sequitur, quòd *Virgo Maria* numquam cecidit, nec fuit capta in *retiaculo* diaboli actualiter & mortaliter, nec venialiter: quia fomes & concupiscentia, quæ est semen omnis peccati, fuit extincta in carne virginis ante animationem per virtutem Spiritus sancti, ut dictum est: Ergo caro non potuit surgere adversus spiritum, nec capere voluntatem per aliquem illicitum consensum deliberatum, nec indeliberatum: & per consequens non fuit capta personaliter *in retiaculo* concupiscentiæ, nec originaliter, nec actualiter, nec venialiter peccato, licèt fuerit obligata solùm in natura: ideo indiguit redimi, & liberari in persona per gratiam prævenientem, quæ habuit virtutem ex passione Christi, ut pluries dictum est. Et sic patet, qualiter omnes peccatores *ceciderunt in retiaculo* diaboli in natura, vel in persona, à quo solus Christus transivit liber & *singularis*, tàm in natura, quàm in persona: sed sola *Virgo Maria* fuit liberata, ne caderet in personam.

Ex supradictis patet, quòd solus Christus potuit redimere genus humanum, & satisfacere pro peccatis omnium. Quod sic patet: nam tria necessaria requirebantur ad hoc quòd aliquis sufficienter posset redimere totum genus humanum. Nam primò oportebat ut esset liber & innoxius, non captus *in retiaculo* ipsius diaboli, & non solùm in persona, sed etiam liber in natura, ut alios posset ab illo retiaculo liberare: quia involutus & obnoxius non potest alios de laqueo liberare, & absolvere. Secundò, oportebat ut haberet summam charitatem, ut ejus passio & oblatio esset Deo chara pro omnibus, & meritoria & accepta. Tertiò, oportebat ut esset Deo personaliter unitus per gratiam unionis, ut sua operatio, & redemptio esset meritoriè infinita: eò quòd debebat remittere culpam & pœnam infinitam, & recuperare præmium cœleste infinitum: ut dictum est *Psalmo* 129. ideo non potuit esse nisi in supposito infinito. Sed quia solus Christus habuit omnia ista tria, prout dictum est *Psalmo* 17. & 21. & in plerisque locis; ergo solus Christus potuit genus humanum sufficienter redimere & liberare, qui non cecidit *in retiaculo* aliorum: de cujus redemptionis modo patebit in articulo sequenti.

Christus sapientia liberavit hominem.

Quantum ad tertium est dicendum, quòd Christus, qui ut hominem perditum & captivum in retiaculo diaboli repararet & liberaret, venerat in carne; sicut est *sapientia* per essentiam, ita sapienter hominem liberavit: nam, sicut diabolus excogitavit artem malignam & callidam ad capiendum *Adam* cum tota sua generatione in suo *retiaculo*: ita Christus sapiens restaurator, reperit artem sapientem ad rumpendum *retiaculum* diaboli, & liberandum animas, & totum genus humanum, in illo retiaculo obligatum & obnoxium; & reperit novum *retiaculum* ad capiendas animas per gratiam. Unde sicut diabolus abscondit venenum sub specie fructûs prohibiti tamquam *hamum*: quem fructum volens mordere *Adam*, fuit morsus morsu mortis, & captus in *hamo*, & *retiaculo*, & *laqueo* venenoso latente sub specie illius fructûs: ita pariter Christus objecit diabolo carnem suam tamquam escam, sub qua latebat *hamus*, & *laqueus* divinitatis, & tetendit eam in cruce. Sed diabolus, putans Christum esse purum hominem obnoxium morti, obligatum in *Adam*, voluit ipsum in cruce mordere per mortem, sicut cæteros: sed ipse captus & morsus, fuit victus in morte Christi; sub cujus carne latebat *hamus* divinitatis: & sic diabolus fuit victus, & captus in retiaculo passionis Christi.

Item rursus: sicut diabolus cepit *Adam* in *retiaculo* suo, & paravit & abscondit *retiaculum* concupiscentiæ in carne ipsius *Adam*, & in generatione naturali, per quam generationem libidinosam *Adam* transtulit peccatum suum in omnes poste-

ros particulariter : ita pariter Christus abscondit & impressit virtutem , & pretium A
suæ passionis in septem Ecclesiasticis Sacramentis : per quæ quidem sacramenta transtulit virtutem suæ passionis particulariter in unumquemque fidelem. Unde sicut *Adam* per generationem libidinosam transtulit peccatum suum in filios : ita Christus per regenerationem baptismalem transtulit merita suæ passionis ad rumpendum *retiaculum* diaboli , & liberandum baptizatos ab originali : & per Pœnitentiam transtulit merita suæ passionis ad absolvendum à mortali peccato omnes pœnitentes : & sic de singulis. Itaque est dicendum , quòd in unoquoque Sacramento latet virtus passionis Christi tamquam *hamus* sub esca , & tamquam *retiaculum* salubre ad capiendas animas per gratiam , & ad rumpendum *retiaculum* diaboli. Sed in *Sacramento Eucharistiæ* specialiter & realiter continetur ipse B
Christus Verbum incarnatum : quem Christum sub forma panis sumimus in cibum spiritualem, ad refectionem spiritualem, & restaurationem bonorum perditorum , prout dictum est *Psalm.* 110. Et sic patet , qualiter Ecclesiastica sacramenta sunt quædam *retiacula* spiritualia ad capiendas animas nostras per gratiam passionis Christi contra *retiaculum* diaboli : per quæ quidem sacramenta rumpitur *retiaculum* diaboli & liberantur fideles. Et patet , qualiter sicut *Adam* per generationem naturalem & libidinosam multiplicavit & generavit filios carnales in mundo , ad quos transtulit peccatum , & semen , & fomitem peccati : ita pariter Christus per regenerationem baptismalem regeneravit , & multi- C
plicavit filios spirituales & fideles in Ecclesia , ad quos transtulit gratiam & virtutem suæ passionis per Baptismum aquæ , vel flaminis , vel sanguinis. Et sic licèt omnes peccatores fuerunt capti & ceciderunt in *retiaculo* diaboli per peccatum ; tamen omnes possunt liberari à Christo per retiaculum Baptismi & cæterorum Sacramentorum : eò quòd Christus *singulariter* transivit *inter mortuos liber* , non captus in *retiaculo* diaboli in persona , nec in natura.

Ecclesiæ Sacramẽta sunt retiacula.

Ad cujus intellectum majorem est notandum , quòd istud retiaculum & mysterium crucis fuit figuratum , *Numer.* 21. D
ubi dicitur , quòd quando populus murmuravit contra Deum & *Moysen*, misit Deus serpentes ignitos , qui mordentes multos occidebant : qui pœnitentiâ ducti rogarunt *Moysen*, ut rogaret pro eis Dominum , ut tollerentur serpentes. Et tunc *Moyses* ex præcepto Domini suspendit serpentem æneum in ligno : & tunc morsi à serpente , aspicientes illum serpentem pendentem in ligno , sanabantur à morsibus serpentum. Per quod mysterium fuit figuratum , qualiter Christus Redemptor mundi debebat secum suspendere , & crucifigere antiquum serpentem , qui in ligno prohibito momorderat E
primos parientes morsu mortifero, qui quidem morsus venenosus translatus est in omnes posteros: & sic per *unius hominis delictum mors introivit in totum orbem terrarum.* Et sic patet , quòd mors , & omnes infirmitates , & defectus , & omnis culpa, & omnia peccata sunt effectus & pœnæ illius peccati , & morsus illius antiqui serpentis. Et ideo Christus, ut nos liberaret à morsu antiquo serpentis , & ab omnibus effectibus & vestigiis illius morsûs , voluit indui veste illius serpentis , scilicet morte , & cæteris corporalibus defectibus & pœnalitatibus provenientibus ex illo peccato , præter culpam : eò quòd assumpsit in illa carne omnes pœnas peccati , præter culpam , ut frequenter dictum est: & sic dicitur Christus induisse vestem pœnalitatum antiqui serpentis; F
& cum tali veste crucifixus est in cruce. Sed venit diabolus, & voluit mordere Christum sicut cæteros : sed ipse captus est *hamo* divinitatis latentis sub carne : & sic in cruce simul cum Christo crucifixum est peccatum nostrum cum omnibus pœnalitatibus suis, & mortuum est peccatum nostrum cum Christo : sed Christus surrexit ad vitam gloriosam , manente serpente antiquo in sepulchro cum suis pœnalitatibus : & ideo dicit *Augustinus in Sermone de Martyribus*, quòd Christus ut vinceret & occideret mortem , vestitus est morte : mors autem ibi in cruce occisa est : sed Dominus semper vivit: & *sicut moyses exaltavit serpentem* in eremo , ita Christus cum veste serpentis , scilicet cum pœnalitatibus *exaltatus* G
& crucifixus est in cruce: & sicut omnes, qui fuerunt morsi à serpente , aspiciebant serpentem , & sanabantur ; ita omnes quos momordit astutia Satanæ, aspicientes & contemplantes Christum in cruce pendentem, sanabantur à morsu serpentis antiqui.

Et sic patet , qualiter nostra redemptio & salus fuit figurata per exaltationem, & suspensionem serpentis æneï in ligno : & peccatum nostum fuit significatum per morsum antiqui serpentis.

Et patet etiam , qualiter sicut serpens antiquus paravit *retiaculum* in ligno, in quo momordit & cepit *Adam* cum omnibus posteris , & sauciavit omnes morsu & ve- H
neno pestifero: ita Christus paravit *laqueum*, & *retiaculum* in cruce , ubi cepit & crucifixit serpentem antiquum : & sic liberavit genus humanum à morsu illius.

Item , sicut diabolus particulariter paravit *retiaculum* & *laqueum* concupiscentiæ & fomitis in carne uniuscujusque , ad capiendum unumquemque personaliter in originali & actuali : ita Christus paravit *retiaculum* suum spirituale in unoquoque septem Ecclesiasticorum Sacramentorum : cujus *retiaculi* esca est patens visibilis forma; sed *hamus* latens est invisibilis gratia illius sacra-

cramenti : quæ quidem gratia reficit , & ſalvat , & liberat fideles , & extinguit & occidit antiquum ſerpentem : & ſic patet, A qualiter omnes peccatores præter Chriſtum ceciderent in retiaculo antiqui ſerpentis per mortem : & quomodo omnes fideles & juſti ceciderunt in retiaculo Chriſti per gratiam: & quomodo antiquus ſerpens fuit crucifixus in ligno cum Chriſto , & captus cum *retiaculo* Crucis. Et hæc eſt cauſa quare ſerpens antiquus diabolus fugit crucem , eò quòd ibi fuit ſuſpenſus cum veneno ſuo , & ibi fuit extinctum venenum ſuum, & per conſequens ibi fuit captus & victus. Et ſic patet, qualiter ſerpens antiquus primò fuit ſuſpenſus figuraliter in deſerto : *Num.* 21. ſed poſtea realiter fuit ſuſpenſus in cruce cum Chriſto : quia Pater in Chriſto *poſuit iniquitates omnium noſtrûm : cujus livore ſanati ſumus , Iſaiæ* 53. B

Psalmus CXLI.

Extra de reli. & ve. ſancto. c. unico.

1. *Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.*

2. *Effundo in conſpectu ejus orationem meam , & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.*

C

3. *In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognoviſti ſemitas meas.*

Titulus : *Eruditio* , ſive *intellectus David cum eſſet in ſpelunca , Oratio.* Judæi, & quidam Catholici exponunt hunc Pſalmum prout eſt oratio David petentis liberari de manu *Saulis* & perſecutione, cum eſſet in ſpelunca *Odollam* latens cum amicis ſuis , qui ad eam confugerant , ut patet , 1. *Reg.* 22. & ſic exponunt ad litteram tantùm ſecundùm illum ſenſum , in quo David petit liberari à perſecutione , & petit regnum , ut ſuos amicos & ſequaces poſſet D exaltare.

Sed hæc Expoſitio eſt frivola , faciens injuriam huic Pſalmo , privando ipſum ſacramento prophetiæ de Chriſto , & Eccleſia , quod manifeſtè in ſe continet. Item, talis Expoſitio manifeſtè falſificat Titulum, in quo dicitur , quòd iſte Pſalmus eſt *eruditio David & intellectus* , facta à Spiritu ſancto : manifeſtum eſt enim quòd David non indigebat erudiri à Spiritu ſancto , ſi tantùm narrat perſecutionem ſuam , & petit donum temporale in hoc Pſalmo : nam ipſe expertus erat ſuam perſecutionem. Ergo non erat ipſi neceſſaria eruditio Spiritus ſancti ad E ſcribendum eam : ſicut *Cæſar* in Commentariis ſcripſit omnia prælia quæ geſsit, & victorias ſuas ex ſola memoria ſine lumine ſpeciali Spiritus ſancti.

Ex quo patet , quòd aliud ſacramentum majus intendit hîc David prædicere per illam hiſtoriam , & ſub figura illius. Unde per hoc quòd David fugit à *Saul* ad Regem *Geth* , ne occideret eum , figurabatur , quomodo Chriſtus fugit uſque ad mortem corporalem crucis , & latuit in ſpelunca ſepulchri corpus ejus , & anima deſcendit ad ſpeluncam inferni ; & venerunt ad eum omnes Patres veteris Teſtamenti , qui erant in Limbo , ut eos inde liberaret. Et ſicut multi amici *David* erant afflicti in civitatibus à F *Saul* , & expectabant exaltationem David, ut ipſi liberarentur : ita Apoſtoli , & totum genus humanum in illo triduo expectabant, ut Chriſtus reſurgeret à mortuis , & rediret ab inferno , & à ſpelunca ſepulchri, ut omnes liberaret &c.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, per illam fugam & latitationem fecit hunc Pſalmum , in quo introducit Chriſtum loquentem , & petentem à Patre liberari per reſurrectionem à ſpelunca ſepulchri : ſecundumquòd David fuit eruditus à Spiritu ſancto , & ſic erupit nos , ut credamus reſurrectionem Chriſti , & noſtram redemptionem, prædictam & figuratam in hoc Pſalmo, qui dicitur *eruditio David* , *&* oratio Chriſti. In quo duo facit : Nam primò , manifeſtat Chriſtus Patri ſuam afflictionem & paſſio- G nem. Secundò , petit liberari. Ibi : *Clamavi.*

Quantum ergo ad primum dicit : *Voce mea ad Dominum* Deum Patrem meum *clamavi* , conquerendo de perſecutoribus & crucifixoribus meis : & *voce mea* , & non per alium *deprecatus ſum ad Dominum*, petendo reſurrectionem. *Effundo in conſpectu ejus orationem meam* in horto , & in cruce: *& prænuntio tribulationem* & paſſionem meam *ante ipſum* , conquerendo de crucifixoribus : nam *cognoviſti ſemitas* & intentiones meas *in deficiendo ſpiritum meum* , id eſt , quando in tantùm tribulaverunt me, quòd deficiebat in me ſpiritus vitalis & fortitudo præ tormentis intolerabilibus , & H etiam defecit anima à corpore , quia ſeparata fuit ab eo in triduo. Unde ideo defecit in me ſpiritus & fortitudo corporalis.

* *
*

3. q. 1. *Nulli dubium.*

4. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* A

5 *Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me.*

12. q. 1. c. *Adversitas.*

6. *Periit fuga à me: & non est qui requirat animam meam.*

SCribæ & Pharisæi *absconderunt mihi laqueum* tentationis, ut *me caperent in sermone &c.* & *absconderunt laqueum*, imponendo falsa crimina: & in fine absconso modo imposuerunt laqueum mortis: & ideo defecit in me spiritus, & corporalis fortitudo: quoniam fui captus in horto. Nam *considerabam* & respiciebam *ad dexteram*: si erat aliquis Apostolus *qui cognosceret me*, & juvaret; *& nullus fuit*: nam me relicto omnes fugerunt. Item, in toto tempore passionis consideravi & respexi *ad dexteram*, id est, ad partem prosperam: & si aliquis inveniretur, qui esset in mei favorem, & loqueretur pro me: *& non erat qui cognosceret me* ad præstandum auxilium & favorem: immò omnes conspirarunt, ferendo sententiam mortis contra me. Et sic *periit* omnis *fuga*, & refugium humanum *à me*: *nec fuit* aliquis *qui requireret* & defenderet *animam meam*, id est, vitam meam, immò omnes clamabant, *Crucifige, crucifige eum.* Et sic nullus fuit mihi *ad dexteram*, sed omnes fuerunt mihi ad sinistram: quia omnes fuerunt adversarii. B C

11. q. 3. *Ad mensam*

7. *Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.*

16. q. 1. *Vos autē.*

8. *Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.*

De Summa Trin.

9. *Libera me à persequentibus me:* D *quia confortati sunt super me.*

10. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.*

EXpositâ superiùs querimoniâ, in hac secunda parte petit libari per resurrectionem, dicens: *O Domine* Pater, postquam destitutus fui ab omni auxilio humano in mea passione, & non inveni *ad dexteram* E qui juvaret me, & fugit à me omnis fuga & refugium: ideo omni auxilio & spe humanâ postpositâ, converti me ad te, & *clamavi*, & refugi ad te, & *clamavi & dixi*: *Tu* Domine Pater, *es spes & portio mea in terra viventium:* nam postquam in hac terra mortalium me dereliquisti in potestate crucifixorum usque ad mortem sine humano auxilio; ideo dixi, *fiat voluntas tua*: sed tunc posui spem meam in te, ut mihi dares hæreditatem æternam pro me, & pro membris meis *in terra viventium*: & illam peto, & mortalem & terrenam contemno. *Intende* ergo *ad deprecationem meam*: *quia* postquam *humiliatus sum nimis*, id est, valdè, per F passionem & mortem: quia *humiliatus sum* usque ad mortem crucis: ideo *libera me de* crucifixoribus *persequentibus me*: *quoniam confortati* & roborati *sunt super me*; postquam in potestate eorum me dereliquisti. Et ideo cum ingenti odio & iniquitate putantes me anihilare, & memoriam meam de mundo abolere, crucifixerunt me: & sic tandem positus sum in hac spelunca & sepulchro, in quo adhibuerunt custodes armatos, ne discipuli mei venirent ad furandum corpus meum. Et adhibuerunt magnum lapidem contra sepulchrum, ne quis posset faciliter amovere: & sigillarunt ostium, ne aliqua fraus posset fieri: & sic tenent corpus meum tamquam in carcere. *Educ* ergo *de* G carcere inferni primò *animam meam* & corpus meum *de* hac *custodia*: scilicèt, quòd omnia membra mea exeant de inferno cum antiqua præda Sanctorum Patrum: & recuperent corpus de sepulchro per gloriosam resurrectionem, & egrediatur anima mea simul cum corpore *de* hac *custodia*, sive sepulchro, *ad confitendum nomini tuo*, id est, ut manifestem nomen tuum & potentiam post resurrectionem, & liberentur omnes fideles, & electi: quia omnes, tàm Patres in Limbo, quàm præsentes & futuri electi, *me expectant*, ut *retribuas mihi* animam per resurrectionem, & *retribuas mihi* regnum cælorum per *Adam* perditum, ut possim hîc per gratiam liberare eos, & in futuro eis regnum cœlorum elargiri.

* * *
* *



PSAL-

Psalmus CXLII.

Sup. 101. 15. d. c. Sancta Romana.

1. *Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.*

HUIC Psalmo præponitur talis Titulus in Hebræo & Translatione *Hieronymi*, & in *Septuaginta*: scilicet *Psalmus David*, absque alio addito. Sed in quibusdam Bibliis repetitur additum: *Quando persequebatur eum Absalom filius ejus.* Sed hoc forsan fuit additum ab aliquo Doctore, eò quòd quidam Hebræorum dicunt, quòd David fecit hunc Psalmum in illa persecutione *Absalom* filii sui, de qua persecutione petit liberari à Deo, petendo in fine Psalmi ultionem de inimicis suis. Et sic glossant istum Psalmum litteraliter præcisè de illa persecutione: & hanc Expositionem prosequuntur etiam quidam Catholici.

Sed talis Expositio est inutilis Fidei Ecclesiæ, tollens dignitatem prophetiæ ipsi David, qui non fuit minùs Propheta in hoc Psalmo, quàm in cæteris. Item, talis præcisa Expositio occultat alta mysteria latentia, immò satis explicita in hoc Psalmo, qui non pertineret ad Sacram Scripturam, nec eum fecisset David cantari in Templo, nec nos cantaremus ipsum in Ecclesia, nisi aliqua mysteria de Christo & Ecclesiâ contineret, ut sæpius dictum est de cæteris Psalmis.

Ideo satiùs, & meliùs dicunt quidam alii magistri Hebræorum, dicentes, quòd David fecit hunc Psalmum 142. in persona ipsius *Adam Harisonis*, id est, *Adam* primi hominis, qui loquitur in hoc Psalmo sicut in *Psalm.* 91. & 101. unde dicunt, quòd *Adam* in hoc Psalmo deflet casum suum, & petit à Deo liberari de miseriis corporalibus & temporalibus, quas traxit ex illo peccato. Et sic exponunt istum Psalmum.

Sed isti multipliciter deficiunt in tali Expositione. Primò, quia putant, quòd solus *primus homo* pro se loquitur in hoc Psalmo. Secundò, quia putant, quòd non petit liberari, nisi de miseriis & afflictionibus temporalibus & corporalibus. Tertiò, quia putant, quòd talem petitionem non petit per Christum Mediatorem, sine cujus intercessione nulla oratio apud Patrem potest exaudiri. Et hoc faciunt isti, quia nullam habent fidem de Christo Deo & homine Redemptore, & glorificatore, & æterno præmiatore.

Et ideo relictis omnibus supradictis defectibus, sequendo quod verum est, est dicendum, quòd non solus *Adam primus homo* pro se, sed ipse *Adam* cum tota sua posteritate fidelium, quod dicitur *corpus mysticum*, loquitur in hoc Psalmo deflens casum, & petens liberari per Christum Mediatorem & Redemptorem. Et non solùm petit liberari ab infirmitatibus corporalibus, sed primò & principaliter à servitute peccati, quam ibi incurrit; & ab omnibus peccatis, quæ postea ex illa occasione perpetravit: quam quidem liberationem totius generis humani potuit prævidere David in spiritu per liberationem suam de persecutione *Absalonis*: propter quod fecit hunc Psalmum in persona ipsius *Adam* loquentis in hoc Psalmo.

Quatuor ergo facit: Nam primò, conatur Deum inclinare ad misericordiam, se humiliando, & suam fragilitatem allegando. Secundò, conqueritur de antiquo serpente, mala quæ ipsi procuravit explicando. Tertiò, petit liberari per Christum. Quartò, petit ultionem de diabolo persuasore, & auctore omnium malorum. Secunda ibi: *Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit &c.* Tertia ibi: *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus &c.* Quarta ibi: *Educes de tribulatione.*

Psalmi divisio.

Quantum ad primum est prædvertendum, sicut dictum fuit *Psalm.* 11. & 14. quòd sicut tota veritas ipsius Adam ante lapsum consistebat in adæquatione & conformitate ad primam veritatem, quæ est Verbum Divinum: ita & tota sua originalis justitia consistebat in adæquatione & conformitate suæ voluntatis ad divinam, servando ejus præceptum: quæ quidem justitia radicabatur in charitate ordinata, & gratiâ, quâ erat Deo gratus & acceptus, & ipse diligebat Deum ordinatè, scilicet, super omnia alia propter Deum. Et sic *Adam* dicebatur verus, & justus, & sanctus, manendo in tali veritate, & justitia, & ordine charitatis & dilectionis. Cum ergo Adam peccavit, perdidit veritatem, & justitiam, & sanctitatem: eò quòd deviavit à prima veritate, magis credendo verbis mulieres, quæ primò fuerat seducta à diabolo, quàm verbis Dei, qui præceperat ne comederet: & deviavit à divina voluntate, quæ est metrum & regula omnium actuum justorum: & deviavit ab ordine charitatis, quæ ordinat actum dilectionis in Deum, & proximum; & sic mansit Adam mendax, & injustus, & inordinatus, & perversus in ordine potentiarum animæ. Et perdendo illam originalem justitiam, quæ in se includebat charitatem & gratiam, in quibus radicabatur, perdidit etiam omnia septem præmia illius originalis justitiæ: immò ex consequenti incurrit pœnas contrarias: quia incurrit necessitatem moriendi, & patiendi &c. & incurrit debitum recuperandi originalem justitiam cum gratiâ & charitate cum omnibus suis præmiis: & sic mansit subditus, & debitor, & obnoxius divinæ sententiæ cum tota sua posteritate filiorum: pro quibus etiam ac-

Justitia A æ consistebat in hoc.

ce-

ceperat illam originalem justitiam cum suis præmiis.

Ex quibus patet, quòd *Adam*, aut aliquis filiorum, nullo pacto cum veritate & justitia poterat cum Deo contendere in judicio, quin exiret condemnatus, postquam transgrediendo divinum præceptum perdiderat omnem veritatem, & justitiam: quia in veritate, quam Deo promiserat, non stetit, & à divina voluntate deviavit: & sic nihil habebat suum, nisi peccatum, per quod perdidit omnia bona gratuita, quæ Deus in ejus natura plantaverat gratis. Et sic Adam per nullam justitiam merebatur audiri.

Veritas Dei in hoc consistebat.

Secundò est notandum, quòd tota *veritas* Dei erga nos, consistit in servando promissa, & non fallendo in revelatis in Lege: & tota ejus *justitia* consistit in servando veritatem promissis, & revelatis in Lege, & tribuendo unicuique quod suum est, scilicet remunerando bona, & puniendo mala. Et sic patet, qualiter justitia divina includit veritatem in promissis & revelatis: quia quasi injustus reputaretur Deus, nisi impleret promissa, revelata in Lege & Prophetis. Et ideo in Sacra Scriptura sæpè per *veritatem* intelligitur divina justitia, ut frequenter dictum est.

Ex supradictis sequitur, quòd diabolus fecit Deum mendacem, quando dixit mulieri: *Nequaquam moriemini &c. Scit enim Deus quia qua hora comederitis, eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Asserebat enim diabolus Deum mendacem in verbis, & in comminatione mortis: & etiam asserebat ipsum invidum, & per consequens negabat ipsum esse Deum. Et sic Adam assentiendo suasui mulieris, quæ primò fuit seducta, licèt non negavit Deum verbis & directè; tamen negavit ipsum factis, & indirectè, prout dictum fuit *Psalm.* 13. Et sic Adam non stetit, nec mansit in veritate & justitiâ, in qua fuit creatus modo supradicto. Ideo nullo modo poterat in judicio cum Deo contendere: Deus autem semper mansit, & perseveravit, & perseverat in veritate sua & justitiâ, servando veritatem in promissis & revelatis, & puniendo mala, & remunerando bona, & servando veritatem in verbis suis, & in illa comminatione sententiæ, quam comminatus fuit ipsi Adam. Nam illicò incurrit mortem spiritualem animæ, perdendo gratiam, per quam spiritualiter vivebat: & illico incœpit mori in corpore, perferendo infirmitates, & cætera mala quæ inducunt mortem successivè. Item, illico incœpit tendere in mortem: quia vita hominis nil aliud est, nisi via in mortem: quia *quidquid vitæ retro est, mors tenet*, ut inquit *Seneca*.

Item, Deus mansit verax in promissis, & revelatis in Lege & Prophetis. Nam quando venit plenitudo temporis, misit Filium suum in carne ad redimendum Adam cum tota ejus posteritate, sicut promisit ipsi Adam, quando ejecit ipsum de paradiso, & sicut promiserat omnibus Patriarchis & Prophetis: qui implevit omnia quæ erant scripta de eo in Lege & Prophetis, ut patet per totum discursum Euangelicum.

Item, mansit justus in sua justitia, & inconcusâ sententiâ, nullum bonum relinquendo irremuneratum, nec malum impunitum. Nam per passionem Christi Filii sui, cujus meritum fuit infinitum in virtute, voluit punire omnia peccata præterita & futura, & redimere Adam cum tota sua posteritate à miserabili servitute, & resuscitare ipsum à morte æternâ, participando illam passionem & merita ejus per fidem & gratiam Christi; per quam gratiam non solùm quilibet homo absolvitur ab illa sententiâ, sed etiam meretur præmium vitæ & gloriæ æternæ &c. Ex quibus patet, quòd solus Deus manet in sua veritate & justitia, & ideo solus ipse potest contendere nobiscum in judicio, & non Adam, nec aliquis filiorum ejus, quin exeat condemnatus, postquam nulla mansit in eis veritas, nec justitia. Et ideo prævidens in spiritu ex promissione, & revelatione sibi factâ, non posse liberari à supradicto peccato cum sua posteritate, nisi per Christum in Lege promissum, ut inquit *Augustinus lib. Cur Deus homo.* Hinc est, quòd in hoc Psalmo orat Deum Patrem, ut mittat Filium suum in carne ad redimendum ipsum: & ut Deum inclinet ad misericordiam & ad exaudiendam petitionem suam, allegat *veritatem & justitiam* Dei contra suam injustitiam. Unde ait: *O Domine* Deus, *exaudi orationem meam*, & petitionem meam: & *percipe obsecrationem* & deprecationem *meam auribus* tuæ misericordiæ.

Solus Deus in sua veritate & justitia manet.

Et nota, quòd *oratio* dicit simpliciter ascensum mentis in Deum: *deprecatio* autem dicit orationem, petendo liberari ab aliquo malo: sed *obsecratio* dicit orationem & deprecationem factam cum sacris verbis, aut cum sacrificiis, aut obligationibus, aut cum vehementi affectu & effectu. Et sic iste *homo mysticus* cum omnibus supradictis conditionibus dirigit suam orationem, petendo Christum ut veniat: quia omnes patres veteris Testamenti cum tali, & sub tali fide & protestatione Christi futuri offerebant sacrificia &c. Ideo subdit: O Domine, non peto, ut exaudias me in mea veritate & justitiâ, quia nulla est in me: quia jam perdidi ipsam originalem justitiam, & gratiam, & charitatem in Adam per illam transgressionem primi præcepti, quando comedi cibum prohibitum, & sic non sum dignus exaudiri per aliquod bonum proprium: quia nihil meum habeo, nisi peccatum, per quod mereor æternaliter puniri. Sed tu Domine *exaudi me in tua veritate*: qua promisisti Filium tuum ad me redi-

dimendum in carne mittere : & *exaudi me in tua justitia*, veritatem in promissis servando, ut veritas Legis & Prophetarum maneat inconcussa. Item, *exaudi me in tua justitia*, quam debes facere per passionem Christi Filii tui, per quam peccatum totius generis humani est in cruce puniendum & remittendum : & per cujus resurrectionem & ascensionem vita æterna est nobis restituenda : quam passionem omnes Fideles debent participare per Fidem & gratiam ipsius Christi, per quem omnes sunt justificandi ; per cujus fidem salvantur omnes præsentes, præteriti, & futuri. Quasi dicat : justifica me per fidem & passionem Christi : quia illa est *veritas & justitia* Patris, quam promisit in mundo : per quam impletam Deus redditur verax & justus in Lege, & Prophetis, & Euangelio. Deinde cum subdit :

De Pœn. d. 2. c. Finali.

2. *Et non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

OStendit iste homo, nullam esse in se veritatem, nec justitiam, per quam mereatur exaudiri, nec intrare cum Deo *in judicium :* eò quòd in *Adam* perdidit omnem justitiam. Dicit ergo : O Domine, si ita est, quòd in me nulla est veritas, nec justitia ; ergo *non* velis intrare *in judicium cum servo tuo*. Nam tu bene potes intrare in judicium securus, cùm sis Dominus, & justus, & verax : sed ego non possum tecum intrare, nec in judicio contendere, cùm nulla sit in me justitia : *quia nullus apud te justificabitur homo vivens* in hac vita : eò quòd omnes peccavimus in *Adam*, & in eo perdidimus justitiam, & facti fuimus rei, & injusti, & obnoxii sententiæ tuæ, & ibi constituti fuimus peccatores : & ideo nullus apud te justificabitur homo. Ergo *non intres in judicium cum servo tuo*, nec velis tractare me secundùm culpam meam, sed secundùm justitiam & veritatem tuam : quia promisisti veniam peccatoribus, & promisisti mittere Filium tuum ad justificandum omnes peccatores.

Nulli dubium.

3. *Quia persecutus est inimicus animam meam : humiliavit in terra vitam meam.*

QUia superius dixit : quòd nullus homo vivens potest apparere justus apud Deum, nec cum eo intrare in judicium, cùm in nullo homine reperiatur propria justitia : In hac secunda parte explicando miserias suas, ostendit, unde evenerunt ipsi ista mala, & quomodo factus est injustus apud Deum. Et dicit, quòd ista mala, & ista injustitia non proveniunt ipsi ex natura specificâ, nec à Deo creante.

Quomodò Adam factus sit malus.

Nam primò, Deus creavit in eo bonam naturam specificam : quia quoad species suas omnia quæ fecit Deus, *erant valde bona* naturaliter, *Genes.* 1. Nam species sunt sicut numeri 8. *Metaphysicæ.* & sic omnes participant illud primum ens secundùm majorem & minorem perfectionem. Et ideo omnia entia à Deo nihil habent naturaliter nisi bonum : sed ultra bonum naturæ plantavit Deus in illo primo homine multa bona gratuita, scilicet, originalem justitiam, & gratiam gratificam, & scientiam omnium rerum, & cætera præmia originalis justitiæ. Et sic quidquid Deus in homine plantaverat, erat bonum, & nullum malum : sed cùm iste homo attentavit descendere ab Hierusalem in *Jericho* deviando à divina voluntate, incidit in latrones, scilicet diabolos : qui eum expoliarunt ab omnibus bonis gratuitis, scilicet, ab illa originali justitia cum omnibus præmiis suis, & insuper vulneraverunt eum in carne vulnere & morbo concupiscentiæ & corruptionis, & in anima vulnere mortalis culpæ : & sic consequenter factus est mortalis corpore & anima ; & spiritus, qui dominabatur carni, illicò fuit impugnatus & afflictus à carne : & totus ordo personæ fuit perversus. Nam omnia inferiora, quæ antè obediebant rationi, incœperunt rebellare. Et hoc est quod intendit dicere iste homo in hac secunda parte.

Unde ait : O Domine, ego non habeo jus querelæ contra te, sed contra diabolum. Et causa quare apud te *non justificabitur omnis vivens*, non est à te, sed à diabolo. Nam tu Domine *bonum semen seminasti in* me : *sed venit inimicus diabolus* serpens antiquus, & extincto bono semine, *seminavit zizania*. Quia dum essem positus in illo felici paradiso terrestri, venit iste inimicus serpens antiquus, & *humiliavit in terra vitam meam*. Nam cùm essem immortalis ad libitum, quia poteram non mori edendo de ligno vitæ ; tamen comedendo de ligno scientiæ boni & mali mihi prohibito, ejectus sum ab illo paradiso, & perdidi lignum vitæ, & factus sum ex consequenti mortalis : & sic inimicus *humiliavit* & dejecit *vitam meam* felicem *in* hac *terra* miserabili, in qua tamquam exul dego & laboro. Ille ergo inimicus serpens antiquus *humiliavit*, & dejecit, & relegavit me ab illo paradiso in hanc terram, & lacrymarum vallem : & ille dejecit vitam meam in terra per mortem : quia moriendo, fui reversus in terram, & pulverem terræ, de qua fueram assumptus & formatus.

16. q. 2. *Visis*; & 3. quæs. 1. *Nulli*; & 24. q. 1. *Miramur*

4. *Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.*

ISTE inimicus non solùm humiliavit *vitam meam* in mortem corporalem, sed etiam in mortem peccati simul cum diabolis. Nam *collocavit me in* locis *obscuris* inferni inter diabolos, *sicut mortuos sæculi*, scilicet, inter diabolos ad mortem æternam destinatos: ut post mortem corporis incurram mortem æternam animæ, & habitem cum diabolis in locis obscuris inferni in æternum. Littera *Hieronymi* habet: *Collocavit me inter mortuos antiquos*, id est, inter diabolos, qui primò ab antiquo mortui fuerunt per peccatum, & in illo obscuro inferno collocati.

Item, iste inimicus non solùm me occidit quoad corpus & animam, & ab illo paradiso dejecit in hanc terram miseram, & post mortem in locis obscuris collocavit: sed etiam taliter carnem meam vitio concupiscentiæ & fomitis vulneravit, quòd illicò insurrexit adversus spiritum, & continuè stimulat eum, in tantùm quòd semper *anxiatus est super me spiritus meus*, & stimulatus est, & afflictus à carne & concupiscentiâ. Item quartò, totus ordo fuit perversus & turbatus. Nam caro, quæ debebat obedire voluntati & rationi, nunc facta rebellis, perturbat judicium & rationem: & sic *quod nolo, hoc ago, & quod volo, hoc non facio.* Et sic ex tali perversitate *turbatum est in me cor meum* & voluntas; & ideo quandoque *judico bonum malum, & malum bonum.* Et sic patet, qualiter ego non possum retorquere istam culpam, nisi in inimicum diabolum, qui mediante muliere, & per mulierem decepit & seduxit me: & sic expoliavit me omni justitiâ & gratiâ, & omnibus bonis gratuitis. Unde sequitur, quòd *nullus vivens potest apud te justificari*, nec tecum in judicium intrare. Ergo *non intres in judicium cum servo tuo Domine*: sed *exaudi me in tua justitia.*

8. q. 1. ca. *Si omni*, in glo.

5. *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.*

POstquam superiùs explicavit miserias suas & causam suæ miseriæ: nunc in hac tertia parte petit auxilium, & petit justificari per Christum: quia jam sciebat *Adam* cum sua posteritate Patriarcharum ex revelatione, & frequentibus promissionibus, quòd nullus poterat justificari & salvari, nisi per Christum.

Ad cujus intellectum est notandum secundùm *Augustinum contra Adversarium Legis & Prophetarum*, sicut dictum fuit *Psalmo* 103. quòd tota creatio hujus mundi naturalis, fuit figura recreationis mundi spiritualis, qui est Ecclesia: & sic David per illam creationem mundi materialis prævidit in spiritu recreationem Ecclesiæ: & per formationem primi hominis prævidit mysterium incarnationis. Unde per hoc quod tota Trinitas concurrit ad creationem universi, quia Pater per Verbum dixit, *fiat lux*, *& facta est lux &c.* & sic per Verbum fecit omnia, & per Spiritum sanctum vivificavit omnia creata; quia *spiritus Domini ferebatur super aquas &c.* Per hoc prævidit David in spiritu, qualiter tota Trinitas debebat concurrere ad nostram regenerationem. Nam Pater debebat mittere Verbum suum in carne, & per Verbum incarnatum debebat nobis loqui & notificare voluntatem suam, dando Legem Euangelicam, & per illud Verbum incarnatum nos debebat redimere, & justificare: & per Spiritum sanctum Pater & Filius in nobis debebant omnem gratiam infundere, & nos per gratiam vivificare: & sic omnia quæ perdidimus per peccatum, debebamus recuperare per regenerationem.

Tota Trinitas nostrâ operatur regenerationẽ.

Item, per hoc quod Deus formavit corpus Adæ ex terra virgine, & *inspiravit in eo spiraculum vitæ &c.* prævidit David, qualiter Pater per Spiritum sanctum debebat formare corpus Christi ex puris sanguinibus in utero *Virginis Mariæ*, quod corpus simul cum anima Verbum debebat personaliter assumere, ut illa humanitas esset instrumentum nostræ redemptionis &c. & sic patet, qualiter per mysterium creationis David prævidit totum mysterium Incarnationis, & nostræ redemptionis. Et ideo ex hoc movetur ad petendum liberari per Christum in persona totius *corporis mystici.* Unde ait: O Domine, ego *memor fui dierum antiquorum*, id est, illorum sex dierum, in quibus fecisti omnia opera mundi: *& meditabar* & contemplabar *in omnibus operibus tuis*, & *in factis manuum tuarum*, quæ fecisti in illis sex diebus antiquis & primis; ubi prævidi totum mysterium nostræ redemptionis. Nam per hoc quod per Verbum creasti omnia, prævidi, qualiter per Verbum tuum incarnatum nos omnes debebas recreare & redimere, & per Spiritum sanctum vivificare spiritualiter, & vitam spiritualem, quam perdidimus in *Adam*, nobis restituere.

Item, per mysterium formationis hominis ex terra virgine prævidi mysterium incarnationis. Item, per dormitionem ipsius *Adæ* prævidi totum mysterium nostræ re-

redemptionis : nam per hoc quod *Adam* ſopore dormivit , ego prævidi in ſpiritu, qualiter Chriſtus debebat in cruce vera morte ſoporari pro redemptione totius generis humani: & per hoc quod *Adam* dormiente , ex una coſtarum ejus formata fuit mulier , & exivit per latus ejus ; per hoc prævidi , qualiter ex Chriſto mortuo in cruce ex latere ejus debebat exire tota Eccleſia : quia exinde *exivit ſanguis & aqua* in remiſſionem peccatorum , & exinde exivit virtus omnium Sacramentorum Eccleſiæ , ſcilicet, virtus baptiſmalis , per quam regenerati ſunt omnes fideles , & formata eſt & multiplicata tota Eccleſia : & exinde exivit virtus Confirmationis, per quam eſt roborata ; & virtus Pœnitentiæ , per quam quotidie reconciliantur , & ſanantur fideles &c.

Dicit ergo David in perſona ipſius *corporis myſtici* ; & etiam hoc dicit *Adam* primus homo cum tota ſua poſteritate fidelium : Ego *memor fui dierum antiquorum* , ſcilicet , illorum ſex primorum dierum : *& meditatus ſum in omnibus operibus tuis*, quæ feciſti in illis ſex diebus : & *meditabar* & contemplabar *in factis manuum tuarum* , & in omnibus myſteriis prævidi myſterium Incarnationis : & in illa dormitione prævidi totum myſterium paſſionis Chriſti, & Eccleſiæ formationis , & totius generis humani regenerationis , & redemptionis, & reparationis

De Conſe. d. 2. c. Iteratur.

6. *Expandi manus meas ad te : anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

VIdens ergo , quòd genus humanum per alium non poteſt reparari niſi per te , ô Chriſte , ideo *expandi* , & jugiter expando *ad te manus meas* , orando & obſecrando , ut venias ad liberandum , & redimendum , & juſtificandum , & refrigerandum me : quoniam *anima mea* eſt *ſicut terra ſine aqua tibi.*

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd licèt rationes ſeminales paſſivæ omnium plantarum ſint inditæ ipſi terræ à principio , ut inquit *Auguſtinus ſuper Geneſim* : tamen tales rationes ſeminales paſſivæ non poſſunt excitari ad generandum, niſi per cœleſtem influentiam activam. Item, cùm vita plantarum , & cujuslibet viventis mixti conſiſtat in calido & humido , & terra de ſe ſit naturaliter frigida & ſicca: ideo numquam de ſe germinabit aliquod vivens, niſi humectetur per aquam : & ſic eſt neceſſaria aqua ipſi terræ , ad hoc quod germinet & nutriat plantas : quia ex eiſdem nutrimur & ſumus ; 1. & 2. *de Generatione*, & 1. & 4. *Metheor.* Et ſic patet , quòd impoſſibile eſt quòd terra germinet plantas, & quòd nutriat ſine aqua : ita ergo à ſimili facta fuit anima hominis poſt peccatum per abſentiam gratiæ. Nam Deus creavit primò animam hominis cum ſuis potentiis ſenſitivis , & intellectivis : & has potentias humectavit humore gratiæ & juſtitiæ originalis , & omnium virtutum ; & caleſecit per charitatem. Et ſic anima *Adæ* vivebat per gratiam & charitatem : ſed perditâ juſtitiâ , perdidit totam vitam ; & ſic manſit illa anima ſicca & frigida abſque humore gratiæ , & calore charitatis , cum ſolis potentiis naturalibus paſſivis, quæ nullo modo poterant germinare bonum opus , niſi recuperarent humorem gratiæ , & calorem charitatis , in quibus conſiſtit vita ſpiritualis animæ. Et ſic manſit *anima , ſicut terra ſine aqua.* Et hoc eſt ergo quod intendit dicere iſte homo.

Nota de bono opere ſupernaturali , & meritorio vitæ æternæ.

Unde ait: O Domine, quia conſideravi omnia opera creationis,& in omnibus operibus , & factis manuum tuarum meditabar , in quibus prævidi totum myſterium noſtræ redemptionis , quod non poteſt fieri niſi per te ; & vidi , quòd *anima mea* erat facta ſicca , *ſicut terra ſine aqua tibi* : id eſt, quam aquam & charitatem & gratiam non poteſt habere niſi à te : ideo *expandi ad te manus meas* , ut mittas & pluas de cœlo iſtam aquam & imbrem ; ſcilicet Verbum tuum , & *aperiatur terra* , *& germinet Salvatorem* , unde iſte imber Verbum Dei deſcendat primò in uterum virginalem per incarnationem , ut poſtea pluat imbrem , & gratiam , & virtutem ſuæ paſſionis in animam meam , ut refrigeret & vivificet eam, & faciat germinare opera meritoria. Et ideo

7. *Velociter exaudi me Domine : defecit ſpiritus meus.*

Sup. 101.

DOmine velociter exaudi me , accelerando adventum tuum ad vivificandum me per gratiam : quoniam jam *defecit ſpiritus meus* in me : id eſt , *defecit* gratia per quam vivebam. Nam ſicut deficiente ſpiritu & animâ moritur corpus , ita deficiente gratiâ moritur anima.

8. *Non avertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.*

De Bapt. ca. Majores.

NON avertas faciem tuam à me : id eſt , *non avertas* Filium tuum incarnatum , qui dicitur *facies tua* , per quem tu notificaris in mundo : quia ſicut per faciem notificatur homo ; ita per humanitatem fuit Deus Pater notificatus : quia per *ipſum Filium locutus eſt nobis.* Et ideo *non aver-*

avertas à me istam humanitatem, in qua tu Christe debes pati. *Et* pro *quia*: quia si non veneris, *similis ero* diabolis *descendentibus in lacum* inferni: quia semper cum eis in inferno manebo, nisi tu veneris. Quasi dicat: Si non redimis me, erit peccatum meum quasi irremissibile, sicut peccatum diaboli: cujus oppositum promisisti, & mihi revelasti. A

16. q. 1 cap. Vos autem.

9. *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te speravi.*

10. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.* B

VENI ergo in carne, & loquere mihi: & *sonet vox tua in auribus meis*: & *audiatur vox turturis in terra nostra*, & *auditam fac mihi misericordiam tuam*, id est, transeat ista vox veteris Legis & umbra peccati: & oriatur Sol Justitiæ, & fiat manè gratiæ per adventum tuum: & audiam ego vocem *misericordiæ tuæ*, & vocem Euangelicam, per quam intendo, & spero justificari: *quia in te*, & non in altero, *speravi* justificari. Et *notam fac mihi viam*, *in qua ambulem* per talem vocem Euangelicam. Nam sicut ambulavi per totam noctem per viam legis obscuram: ita desidero ambulare in *manè*, & in die gratiæ per viam Legis Euangelicæ, quæ est lucida & clara, abjiciens omnes tenebras peccatorum & ignorantiæ: ideo *auditam fac mihi* istam vocem Euangelicam, quæ annuntiat misericordiam & redemptionem tuam: *quoniam ad te levavi animam meam* semper orando, ut venias. Et etiam, *ad te levabo animam meam* in adventu tuo, recipiendo te in verum Messiam. C

35. d. ca. Ab exordio.

11. *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* D

VENI Christe in carne, & *eripe me de inimicis meis* diabolis, qui me per tot tempora in captivitate & servitute peccati tenuerunt: quoniam *ad te confugi*, quia non habeo aliud refugium ad quod confugiam, nec alium Salvatorem, nec Redemptorem præter te. Et ideo *doce me facere voluntatem tuam* per Legem Euangelicam: *quoniam tu* solus *es Deus meus*, & Legislator, qui debes manifestare voluntatem Patris in mundo: & sic ego tamquam verum Deum meum Patri consubstantialem te confitebor, & recipiam in adventu tuo. Deinde cùm dicit: E

12. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.*

16. q. 1. Vos autè.

PEtit disponi per Spiritum sanctum. Ad cujus intellectum est advertendum, sicut supra dictum est: quòd sicut tota Trinitas indivisè operata est, & concurrit ad creationem universi: ita etiam tota Trinitas operata est nostram redemptionem indivisè. Nam sicut Pater per Verbum dixit omnia quoad species & essentias suas; & dicendo per Verbum, spiravit esse & vitam naturalem in rebus per Spiritum sanctum: Ita pariter in nostra regeneratione & redemptione, Pater per Filium nos redemit & regeneravit, & per fidem regenerando, spiravit in nobis gratiam per Spiritum sanctum. Et sic indivisè tota Trinitas concurrit, & operata est nostram redemptionem. Sed ipsa redemptio in tantum attribuitur Filio, in quantum facta est instrumentaliter per humanitatem, cui Verbum personaliter unitum est: & sanctificatio & regeneratio in tantum attribuitur Spiritui sancto, in quantum Pater & Filius nos sanctificant, & gratiam inspirant per Spiritum sanctum. Et ideo ista sanctificatio & regeneratio, & gratiæ inspiratio ad extra, unicus actus essentialis est totius Trinitatis. Et ideo tales locutiones, quæ fiunt de operationibus essentialibus Trinitatis *ad extra*; proferuntur communiter cum verbo singulari. F G

Trinitas operata est redèptionem.

Secundò est notandum: quòd Christus ut doceret, & referaret, & manifestaret mundo mysterium Trinitatis, primò venit in carne missus à Patre, ut ipse frequenter dicit per totum discursum Euangelicum: & sic incarnatus tulit Legem Euangelicam, declarando Legem veterem: & sic etiam in carne passus & mortuus est pro nobis, & resurrexit, & impleto cursu nostræ redemptionis ascendit in cœlum. Sed postea Christus, ut ostenderet, non solùm esse duas Personas in Divinis, sed etiam esse tertiam Personam, misit Spiritum sanctum in signo visibili super discipulos in die Pentecostes. Sed ut ostenderet, quòd iste Spiritus sanctus procedit ab utroque, dixit: *Joan.* 15. *Cùm venerit paraclitus, qui à Patre procedit, quem mittet Pater in nomine meo &c.* H

Christus Trinitatè manifesta vit.

Item, ut magis explicaret Christus, quòd Spiritus sanctus non solùm procedit à Patre, sed etiam ab eo, subdit: *Si autem abiero, mittam vobis eum.* Item, ut ostenderet quòd actus nostræ regenerationis, & sanc-

sanctificationis, & gratiæ creationis & infusionis, & inspirationis, non sit sine Spiritu sancto, immò à Patre & Filio per Spiritum A sanctum, & per consequens à tota Trinitate; ideo subdit: *ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis &c.* Iem, ut hæc omnia ostenderet per effectum, ideo in die Pentecostes Christus misit Spiritum sanctum super Discipulos in signo visibili, qui disposuit mentes eorum, & infudit, & inspiravit in eis septem charismatum dona &c. quam spirationem *ad extra* facit Pater & Filius per Spiritum sanctum, ut dictum est.

Propheta ergo David omnia supradicta prævidens in spiritu, postquam superiùs exoravit & petivit, ut Christus veniret in carne ad docendum viam salutis per Legem Euangelicam, & ad notificandam divinam voluntatem, & ad liberandum & eri- B piendum genus humanum de inimicis diabolis per mortem & passionem & resurrectionem &c. nunc in hoc versu petit, ut Christus mittat Spiritum sanctum suum, ut dirigat & illuminet, & sanctificet, & inspiret dona gratiarum super totum Collegium Discipulorum in die Pentecostes, & per consequens successivè super totam Ecclesiam & Corpus mysticum per Ecclesiastica sacramenta. Unde ait: *O* Domine Jesu Christe, postquam docueris me voluntatem tuam per Legem Euangelicam, & eripueris & redemeris me per mortem & passionem & resurrectionem &c. rogo, ut mittas Spiritum sanctum.

Spiritus sanctus dicitur bonus.

Et ille *spiritus tuus bonus*, qui dicitur *spiritus tuus*, eò quòd non solùm à Patre, sed etiam à te procedit, quia ab utroque procedit tamquam ab uno principio; qui quidem *spiritus* dicitur *bonus* essentialiter & per essentiam, in quantum est consubstantialis Patri & Filio; & dicitur etiam *bonus*, in quantum spirat gratiarum dona in mentibus hominum, per quam gratiam homo dicitur bonus, & gratus, & acceptus apud Deum: & dicitur etiam *bonus* iste spiritus, quia dirigit homines in bonum finem per Fidem, & Spem, & ordinatam Charitatem: Iste ergo *Spiritus tuus bonus deducet* & diriget *me* per gratiam, & ordinatam charitatem *in terram rectam*, & patriam viventium, ad quam nemo potest pervenire, nisi dirigatur à Spiritu sancto D per gratiam & charitatem ordinatam, scilicet, ut diligat Deum in se & propter se, & proximum propter Deum. Sed quia iste Spiritus sanctus non est à se, sed à Patre & Filio; ita non habet quod spiret à se; sed ab utroque accipit quidquid habet: & sic Pater & Filius spirat gratiam, & sanctificat per Spiritum sanctum: ideo tu Pater & Filius *vivificabis me* à morte peccati, & sanctificabis me per istum tuum Spiritum sanctum: & hoc facies *in æquitate* & justitia *tua*: quia *vivificabis* & justificabis *me* à morte peccati & injustitiæ, ad vitam gratiæ & justitiæ. Unde sicut Pater & Verbum vivificat omnia creata, spi- E rando esse per Spiritum sanctum, qui *ferebatur super aquas*, id est, super omnia creata & mobilia, conferendo esse & vitam, quia vivere viventibus est esse: ita pariter Pater & Verbum per Spiritum sanctum *vivificavit* omnes fideles à peccato, conferendo gratiam, per quam vivunt spiritualiter. Et sic licèt *vivificare* per gratiam sit actus totius Trinitatis: tamen attribuitur Spiritui sancto, eo modo quo dictum est, propter rationes jam dictas. Ideo cantat Ecclesia in Symbolo: *Credo in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.*

F 13. *Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.*

22. q. 2. *Si quælibet.*

5. q. 5. *Non omnis.*

IN hac quarta parte petit ultionem de diabolo, & petit conversionem populi Gentilis: immò per conversionem populi Gentilis ultionem de eo petit. Ad cujus intellectum est advertendum, quòd postquam Apostoli receperunt Spiritum sanctum, illico in die Pentecostes incœperunt prædicare veritatem Euangelicam in *Hierusalem*: & per Sacras Scripturas convicerunt Scribas & Pharisæos, in tantùm, quòd illa die baptizati sunt tria millia hominum, & exinde incœpit, & processit crescere Ecclesia Christi ex Judaismo, ut patet in *Actibus Apostolorum*. Sed exinde dispersi sunt G omnes Apostoli per totum Orbem juxta præceptum Christi. Et sic convertendo populum Gentilem diruebant & comminuebant omnia simulacra idolorum, quæ totaliter comminuta sunt per conversionem Magni *Constantini*: quia tunc contritis omnibus idolis, omnes Reges & populi Gentilium fuerunt baptizati. Et sic diaboli non solùm fuerunt ejecti ab animabus hominum per Baptismum, sed etiam à simulacris idolorum, in quibus dabant falsa responsa, & adorabantur ab omni populo Gentili. Et sic omnes diaboli fuerunt confusi, & ejecti, & dispersi.

Hoc ergo prævidens David in spiritu H dicit in persona corporis mystici: O Domine Jesu Christe, postquam miseris Spiritum sanctum in Apostolis, & per dona gratiarum *deduxeris*, & deduxeris me *in terram rectam*, & *vivificaveris me* ab omni peccato per Ecclesiastica sacramenta &c. tunc *educes de tribulatione* peccati *animam meam* per Baptismum, & cætera Sacramenta, habentia virtutem ex tua passione meritoriè, & à tota Trinitate potestativè, in quibus spiratur gratia per Spiritum sanctum. Et primò *educes de tribulatione animam meam* in conversis de Judaismo, & postea

in conversis de populo Gentili: & sic *disperdes omnes inimicos meos* diabolos, qui habitant in animabus per peccatum. A

23. q. 4. *Displicet.*

14. *Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.*

EX consequenti *perdes omnes* diabolos, ejiciendo à simulacris idolorum, *qui tribulant animam meam* decipiendo per falsas superstitiones & ritus detestabiles: quia dœmones respondentes ex simulacris, cogebant patres immolare filias, ut dictum est *Psalm.* 11. Et sic dœmones inimici humanæ naturæ, non solùm tribulabant homines in anima, sed etiam in corpore per B talia nefanda sacrificia, & cæteros labores execrabiles: sed omnes isti ritus nefandi fuerunt à mundo eliminati & extirpati per prædicationem Euangelicam in conversione populi Gentilis: nec potuit mundus absolvi, nec liberari à tali tribulatione, & miserabili servitute, nisi per Christum, ut narrat *Lactantius* in lib. *Divinarum Institutionum*, & *Eusebius in* 5. *de Præparatione Euangelica*, *& Augustinus* 9. *&* 10. *de Civitate Dei.*

De hac ergo tribulatione petit liberari iste *homo mysticus* per Christum in hoc ultimo versu. Unde ait: O Domine Jesu Christe, tunc per prædicationem Euangelicam *perdes*, & disperdes, & confundes *omnes* dœmones, *qui tribulant animam* C *meam* per falsas superstitiones: *quoniam* comminutis idolis *ego servus tuus sum* per Baptismum: id est, Tunc conversus ad Fidem efficiar servus tuus per Baptismum, & non ero ampliùs servus diaboli per superstitiones; immò comminuam omnia nomina idolorum de terra, *Zachar.* 13.

Psalmi epilogatio.

Tota ergo sententia hujus Psalmi consistit in hoc: quia *Adam* cum tota posteritate petit liberari per Christum, & Legem Euangelicam à peccato & ignorantia, & sanctificari, & dirigi per Spiritum sanctum & liberari ab idololatria per prædicationem Apostolorum & Martyrum, & doctrinam D sanctorum Doctorum. Sed quia quod convenit toti corpori mystico ratione peccati ipsius Adam, quod fuit remissum per mortem & passionem Christi, convenit etiam cuique peccatori & pœnitenti ratione peccatorum mortalium propriorum: ideo totus iste Psalmus potest esse vox cujuslibet peccatoris pœnitentis, & desiderantis per pœnitentiam liberari, & justificari. Ideo Ecclesia assignavit, & elegit istum Psalmum, & collocavit ipsum in numero septem Psalmorum Pœnitentialium; & collocatur septimus in ordine, ratione ordinis libri Psalmorum: quiquidem Psalmus inter cæteros inclinat Deum ad misericordiam propter magnam humilitatem quam in se ostendit, & propter Filium, quem interponit E intercessorem apud Patrem, & Spiritum sanctum inspiratorem, ut inquit *Hieronymus*. Et ideo propter consolationem & humilitatem fidelium, & præcipuè pœnitentium, oportet quòd exponatur particulariter pro quolibet pœnitente.

Introducitur ergo quilibet pœnitentes ad loquendum in hoc Psalmo. In quo quatuor facit: Nam primò, petit suam orationem exaudiri, allegando suam indignitatem. Secundò, explicat suas miserias, retorquendo peccatum in diabolum persuasorem. Tertiò, petit liberari per virtutem pœnitentiæ & infusionem novæ gratiæ Spiritus sancti. Quartò, petit ultionem de diabolo per ejectionem ab anima sua. Secunda F ibi: *Quia persecutus.* Tertia ibi: *Memor fui dierum.* Quarta ibi: *Educes de tribulatione.*

Peccator ad pœnitentiam inducitur.

Quantum ergo ad primum, videns peccator se omni justitiâ & gratiâ expoliatum, & peccati veneno fauciatum & vulneratum, & in servitute peccati constitutum, & à Deo abjectum: considerans quàm est miserabilis status peccatoris, & quàm diro supplicio in æternis pœnis expectat puniri; & considerans quàm felix est status viri justi, & quam felicitatem expectat possidere: Et videns, quòd à tali misero statu & miserabili servitute non potest liberari, nisi per pœnitentiam, quæ est secunda tabula post naufragium: Ideo recurrit ad pœnitentiam. Sed quia pœnitentia incipit ab ejectione & de- G testatione peccati per recursum ad Deum, qui solus peccatum potest remittere, & gratiam conferre: ideo iste peccator humiliando seipsum recurrrit ad Deum, dicens: *Domine exuadi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*: & non peto, ut tu me exaudias in mea *veritate & justitia*, quia nulla est in me. Primò, in me nulla est *veritas*: quia factus sum tibi mendax, quando transgressus sum, & violavi Legem tuam, quam in Baptismo servare promisi. Item, factus sum injustus, quando transgrediendo præcepta, à tua voluntate deviavi, & charitatem amisi: & sic nihil mansit meum in me, nisi solum peccatum. Et sic non H sum dignus exaudiri: quia nulla *veritas*, aut *justitia* est in me. Et ideo *exaudi me in tua veritate*, quâ promisisti pœnitentibus veniam: & *exaudi me in tua justitia*, observando veritatem in promissis: & *exaudi me in tua justitia* factâ per tuam passionem, quam suscepisti ad justificandum omnes peccatores pœnitentes; ex qua passione pœnitentia habet virtutem justificandi peccatores. Ergo *exaudi me in tua justitia* passionis, faciendo me participem tuæ passionis, & applicando merita ejus, & per talia merita remitte mihi culpam, & reatum, & pœnam, quam mereor ex peccatis perpetratis. Et quia in me nulla est *veritas*,

tas, nec aliqua *justitia* propter peccatum; ideo rogo, *ne intres in judicium cum* isto inutili & indigno *servo tuo*. Nam ego primò fui factus tibi filius adoptivus per Baptismum. Sed quia perdidi illam gratiam propter peccatum actuale quod perpetravi: ideo *jam non sum dignus vocari filius tuus*. Et ideo recipe me in servum tuum, & *fac sicut unum de mercenariis tuis*: & *non intres in judicium cum servo tuo*, recordando & imputando peccata mea, & secundùm peccata mea me puniendo: quia *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: quia propter naturam corruptam, & vitium concupiscentiæ nullus potest peccatum vitare, nec Dei præcepta implere, nisi tuâ gratiâ fuerit adjutus & præventus. Et sic nullus potest confidere in viribus suis, nec quis potest *in conspectu tuo* justitiam suam allegare; cùm nil habeat proprium, nisi peccatum, & vitium, & inclinationem ad peccandum.

Nota: non proprietate naturæ, sed inspecta ejus corruptione.

Deinde cùm dicit: *Quia persecutus est inimicus animam meam &c.* retorquet culpam suam in diabolum persuasorem & tentatorem. Unde ait: O Domine, bene possum dicere, & ideo dico, quòd *non intres mecum in judicium*, & quòd non possum apparere justificatus *in conspectu tuo*: & causa est, quia inimicus humanæ naturæ diabolus semper persecutus est animam meam, me tentando, & ad luxuriam, avaritiam, superbiam, & cætera peccata alliciendo. Et sic iste *inimicus*, quia ipsi consensi, *humiliavit*, & dejecit *in terra vitam meam*; quia cecidi à gratiâ, per quam spiritualiter vivebam, sequendo ista terrena: & sic cecidi à vitâ in mortem peccati.

Et sic iste *inimicus me collocavit in obscuris* tenebris peccatorum inter *mortuos sæculi*, id est, inter diabolos *mortuos*, & destinatos ad mortem æternam. Unde ego eram collocatus per gratiam inter vivos Angelos & justos; sed iste *inimicus* alliciendo ad peccatum, *me collocavit* inter *mortuos* peccatores & dœmones, ad pœnam & mortem æternam destinatos. Et sic semper *spiritus meus est anxiatus*, & angustiatus, & afflictus ab isto inimico: & *cor meum*, id est, voluntas mea, quæ deberet Deo semper obedire, semper *est turbata*, & infestata ab isto inimico. Item, *spiritus meus est anxiatus*: quia culpa assiduè remordet conscientiam meam, & perturbat cor meum &c.

Allegat misericordiam Dei.

Deinde cùm dicit: *Memor fui dierum antiquorum &c.* petit remissionem peccatorum, allegando consuetam & antiquam Dei misericordiam, qui consuevit antiquis temporibus misereri semper & parcere pœnitentibus, & sucurrere & subvenire afflictis clamantibus ad se. Unde ait: Ego *fui memor*, & recordatus sum *dierum antiquorum*, & præteritorum: & *meditatus sum in omnibus operibus tuis*, quæ fecisti in tempore antiquo: & *in factis manuum tuarum meditabar*: quia semper consuevisti miseris subvenire. Nam liberasti me de diluvio, & filios Israel de servitute Ægyptiaca, & de submersione in mari Rubro: & pluisti eis Manna de cœlo: & eduxisti aquam de petra, & multotiens liberasti eos de manu inimicorum tempore *Judicum*: & remisisti David peccatum adulterii & homicidii per pœnitentiam, & peccata multa Magdanenæ condonasti, & pepercisti Latroni in extremis &c.

Et ideo *memor* omnium istorum, confidens de tua consueta misericordia, *expandi ad te manus meas*, omni alio auxilio destitutus, & tamquam aridus & siccus. Nam *anima mea* sine gratia est facta sicca & arida *tibi*, id est, in conspectu tuo, *sicut terra sine aqua*, quæ nullo modo potest fructificare, nec plantas germinare: & sic *anima mea* sine tua gratia facta sicca & inepta, nullo modo potest opera meritoria facere. Et ideo *velociter exaudi me*, ne peream: quia jam *defecit spiritus meus*, nisi per gratiam vivificetur, & resurgat, & recuperet vitam, quam perdidit per peccatum. Et ideo *non avertas faciem* misericordiæ tuæ *à me*, veniam denegando: quia si tuam faciem avertis, sicut avertisti à *Juda proditore*; tunc *ero similis* diabolis & damnatis *descendentibus in lacum* inferni. Ergo *non avertas*, sed converte, & flecte *faciem tuam* ad me; & respice me, sicut respexisti *Petrum*, & *Magdalenam* & *Latronem*. Nam conversus ad *Magdalenam*, dixisti: *Remittuntur tibi peccata tua*. Et conversus ad *Latronem* dixisti: *Hodie mecum eris in paradiso*. Ergo converte faciem tuam ad me, sicut convertisti ad illos, ut non *sim similis descendentibus in lacum*, sed simiilis ascendentibus in cœlum.

Et *auditam fac mihi manè misericordiam tuam*, id est, fac ut ego audiam vocem misericordiæ tuæ, sicut audivit *Chananæa*, & *Magdalena*, & *Latro*: & audiam quòd dicas mihi: *fiat tibi sicut vis*, sicut dixisti *Chananææ*: &, *Remittuntur tibi peccata*, sicut dixisti *Magdalenæ*: &, *Nec ego te condemnabo*, sicut dixisti mulieri *Adulteræ*. *Fac mihi* ergo *manè*, id est, per pœnitentiam, *auditam misericordiam tuam*, sicut fecisti omnibus supradictis: quia ego in te speravi, & non in altero. Nam considerando & meditando, quòd omnibus supradictis subvenisti & pepercisti, & peccata remisisti: ideo *in te speravi* liberari; & in te spem & fiduciam posui, ut mihi remittas, sicut & illis.

Et ideo *notam fac mihi viam* pœnitentiæ, *in qua ambulem*, ut possim perficere pœnitentiam. Quasi dicat: postquam dedisti mihi gratiam prævenientem, ut velim facere pœnitentiam, da mihi gratiam cooperantem, ut perficiam pœnitentiam: & gratiam confirmantem, ut possim deinceps ambulare immaculatus in via & Lege tua:

quo-

quoniam ad te levavi, & levare intendo *animam meam* per contemplationem orando, ut me semper in tali gratia conserves. A

Eripe ergo *me de inimicis meis*, tàm visibilibus, quàm invisibilibus, ne ampliùs incidam in peccatum, postquam egero pœnitentiam: quoniam semper *ad te confugi*, & confugere & recurrere intendo in omnibus operationibus & periculis meis. Et ideo *doce me facere voluntatem tuam*, Legem Euangelicam observando, & in me gratiam inspirando, ut possim mala cavere, & bona operari: *quia Deus meus*, & protector, & rector, & gubernator *es tu*, & te in gubernatorem & directorem accipio.

Sed quia tu hoc non facis, nisi per latentem inspirationem Spiritus sancti tui, qui in animabus hominum inspirat, & inspirando, & disponendo eos per gratiam, amicos Dei, & Sanctos, & Prophetas, & bonos & justos facit: ideo mitte mihi illum Spiritum tuum bonum, & ille *Spiritus tuus bonus deducet* & diriget *me in terram rectam* viventium per viam rectam Legis Euangelicæ. Et sic per istum Spiritum bonum *vivificabis me in æquitate tua*: id est, facies me vivere per gratiam secundùm justitiam tuam Euangelicam. Et hoc facies *propter nomen tuum*, quod est Salvator: eò quòd *salus* idem est quod vita integra & æterna, sicut dictum est *Psalm.* 8. ergo si tu es *Jesus*, & *Salvator*, & dator salutis, ad te pertinet vivificare, & justificare. Et sic propter nomen tuum *Jesus*, quod est nomen *salutis*, & *vitæ* perfectæ, *vivificabis me in æquitate* & justitia *tua*. B

Et si omnia supradicta egeris, id est, si exaudieris me, & converteris faciem misericordiæ tuæ ad me, & feceris mihi auditam misericordiam tuam, & docueris me facere voluntatem tuam, & Spiritus tuus bonus deduxerit me per viam rectam, & tu vivificaveris me à peccato per gratiam & pœnitentiam propter nomen tuum: tunc *educes animam meam de tribulatione* mortis, & peccati servitute: & sic *disperdes* omnes dœmones *inimicos meos*, & fugabis eos à me, qui antè mihi dominabantur, & me in servitute tenebant: quia adveniente gratiâ fugatur peccatum cum diabolo auctore suo, & sic in præsenti *disperdes* & fugabis *inimicos meos* à me: sed in die Judicii *perdes* & damnabis eos omnes dœmones, *qui* in hac vita *tribulant animam meam*. Quasi dicat: nunc *disperdes* & fugabis à me per pœnitentiam meam: sed tunc *perdes* & damnabis eos, cùm dices: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus &c.* Sed *ego servus tuus sum*, & intendo esse in æternum, ut sim de numero justorum, quibus dices: *Venite benedicti Patris mei &c.* C D

Tota etiam ista ultima & quarta pars potest legi deprecativè, ut sit sensus: O Domine Jesu Christe, *educ de tribulatione* peccari *animam meam* per pœnitentiam, & *disperde* diabolos *inimicos meos*, ut fugiant à me: & *perdes* eos in die Judicii: quia *ego servus tuus* volo esse, & non servus peccati, sicut fui usque modò, & ante pœnitentiam factam. E

Ex toto isto Psalmo, tàm secundùm Expositionem propheticam, quàm moralem, possunt recolligi decem conclusiones.

Nota: attenta ejus corruptione contracta ex peccato originit.

Prima conclusio: quòd *nullus homo vivens potest justificari* de se apud Deum in hac vita, nec cum eo contendere. Probatur: Quia nihil veritatis & justitiæ habet homo de jure suæ naturæ, nisi solum peccatum, & pœnalitates ejus.

Secunda conclusio: quod antiquus serpens inimicus naturæ persecutus est primum hominem in principio, tentando ipsum mediante muliere: & per esum ligni prohibiti dejecit ipsum in mortem corporis & animæ; & sic homo ex consequenti factus est mortalis, & morbo concupiscentiæ in carne corruptus: ex qua corruptione spiritus semper anxiatus à carne, & totus ordo fuit in eo perturbatus: quem morbum, & corruptionem, & necessitatem moriendi, Adam transtulit in omnes posteros. F

Tertia conclusio: quòd eundem ordinem servat diabolus in tentando omnes homines, quem tenuit in tentando primos parentes. Nam sicut ibi primò tentavit Evam, incipiendo in parte fragiliori; & postea Eva seduxit, & tentavit virum; sed cùm vir consentiens mulieri comedit fructum vetitum, fuit peccatum consummatum, per quod *introivit mors in orbem terrarum*: Ita pariter, diabolus primò movet sensualitatem in quolibet homine, objiciendo ipsi aliquod delectabile, vel utile apparens bonum: & tunc sensualitas objicit, & suadet voluntati & rationi, ut sequatur, & admittat: si autem voluntas rationalis consentit sensualitati, tunc peccatum est consummatum: quod quidem peccatum præcipitat hominem in mortem spiritualem, & manet *spiritus* hominis *anxiatus*, & perturbatus à culpa peccati. Et sic patet, qualiter diabolus plantavit concupiscentiam in sensualitate loco ligni prohibiti: cujus fructus sunt luxuria, & avaritia, scilicet, concupiscentia carnis, & pecuniarum, & honorum, & vindictæ &c. quæ occidit hominem. G

Tentando hominem diabolus servat ordinem, sicut fecit in Adam &c.

Quarta conclusio: quòd *anima* sine gratia Dei est *sicut terra sine aqua*, quæ non potest fructificare. H

Quinta conclusio: quòd anima nostra vivit per gratiam: & ideo deficiente gratiâ, deficit spiritus vitæ in ea.

Sexta conclusio: quòd omnes illi, quibus Deus *avertit faciem*, negando gratiam, descendunt in lacum inferni.

Septima conclusio: quòd Lex Euangelica, quam Christus tulit, docet viam in patriam, & facere divinam voluntatem.

Octava conclusio: quòd Pater & Filius per

per Spiritum sanctum spiravit Apostolis dona gratiarum, & dirigit omnes justos in terram rectam.

Nona conclusio: quòd Christus per prædicationem Apostolorum & Baptismum dispersit & fugavit diabolum de mundo, & desimulacris idolorum.

Decima conclusio: quòd Christus perdit & destruit peccatum in quolibet pœnitente per pœnitentiam, & Ecclesiastica sacramenta.

Sed contra primam Conclusionem, in qua fundatur tota sententia hujus Psalmi: Et dicitur, quòd *nullus vivens se potest apud Deum justificare*, arguitur: & videtur, quòd illud dictum Prophetæ non sit universaliter verum. Nam *Joannes Baptista*, & Sancti *Innocentes*, de quibus dicitur in *Apocalypsi*, quòd *sine macula sunt ante thronum Dei*; & multi alii, qui numquam actualiter peccarunt, possunt justificari apud Deum, & cum eo in judicio contendere. Item, *Virgo Maria* non solùm potest se justificare apud Deum à peccato actuali & veniali, sed etiam de originali, quod numquam habuit, nec ad ipsam transivit, ut probatum fuit *Psalm.* 45. Igitur conclusio est falsa.

In oppositum est Propheta in præsenti Psalmo, dicens: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Nullus se apud Deum potest justificare.

Respondetur: quòd notanter dicit Propheta; *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: Nam licèt multi possint justificare se apud homines de peccatis, quæ non commiserunt, & intrare securi in judicium, & contendere cùm Judice, defendendo suam justitiam: tamen apud Deum nullus potest se justificare à peccato de jure suæ naturæ.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd licèt homo possit justè defendere apud quemlibet Judicem ea quæ sunt de jure naturæ: tamen non semper ea quæ sunt largita ex mera gratiâ, sive gratis. Nam si aliquis naturaliter servus liberatur gratis à domino, & ultra libertatem recipit aliqua bona temporalia ab illo domino; licèt apud alios possit defendere injustè suam libertatem, & illa bona collata; tamen hæc non posset defendere in judicio apud dominum: quia non potest se negare esse servum à naturâ, & liberatum per gratiam; & dominum posse ipsi auferre omnia bona collata, postquam retinuit sibi tale jus. Et sic licèt talis servus libertate donatus, cum cæteris possit contendere in judicio, suam justitiam allegando & defendendo; tamen non cum domino, nec apud dominum. Ita pariter est dicendum. Nam cùm in Adam omnes posteri fuerint perpetuæ servituti peccati obnoxii, & obligati, & mancipati, & incurrerint corruptionem naturæ, per quam liberum arbitrium est vulneratum, & libertas bene agendi impedita, & declinatio in malum inflicta, ut probat *Augustinus*, *lib. de Perfectione justitiæ hominis*; sic nulla manet justitia in homine, nisi per gratiam donetur & perficiatur. Ergo sequitur, quòd nullus homo vivens apud Deum potest allegare aliquam justitiam propriam de jure suæ naturæ, quia omnes justi fuerunt ab illa servitute per gratiam, & justitiam Fidei Christi liberati. Et sic licèt *Innocentes*, & multi sancti viri non commiserint multa peccata & scelera actualia, & fecerint multa bona; non est eis apud Deum simpliciter imputandum: quia hoc non fecerunt ex propriis viribus, nec ex naturâ suâ corruptâ, sed ex gratiâ Christi præveniente, & præservante à peccato, & adjuvante ad bona facienda: quia si fuissent relicti in suâ naturâ corruptâ, pejora facinora potuissent perpetrare, quàm *Nero*, & *Judas &c.* & ideo dicit *Augustinus*, *in Homilia de Peccatrice & Pharisæo*: Quòd *non est peccatum quod fecit homo, quin faciat alter homo, nisi juvetur à Deo, à quo factus est homo.* Item, *in libro de Virginibus* dicit: Quòd *Virgines non possunt in se gloriari, si servarunt virginitatem, & vitarunt vitia carnis: nec debent minùs diligere Deum, si non remissa sunt eis peccata multa, sicut mulieri peccatrici, & Latroni: quia licèt Deus non remiserit eis peccata quæ non commiserunt; tamen remisit eis peccata quæ commisissent, si Deus per gratiam eos non prævenisset, & in sua natura corrupta dereliquisset.* Ideo concludendo dicit eis *Augustinus*, *Deputate vobis à Deo esse dimissum, quidquid à vobis non est illo regente commissum &c.*

Item, licèt omnes supradicti sancti possent gloriari apud homines se non peccasse actualiter; tamen non possent gloriari, se non fuisse obnoxios culpæ originali, ut inquit *Augustinus* 2. *de Baptismo parvulorum*, & libro *de Natura & Gratia.* Item, licèt *Virgo Maria* numquam habuerit in persona peccatum originale; tamen hoc non habuit ex natura, sed ex gratia Christi præveniente, & sanctificante ipsam in primo instanti sui esse, qui prohibuit ne peccatum naturæ transiret in personam, ut dictum est *Psalm.* 45. & 140. Undè fuit per gratiam præservata. Et sic patet, quòd nec *Virgo Maria* potest introire in judicium apud Deum allegando naturalem justitiam; cum ipsa secundùm naturam fuerit obligata cum cæteris in Adam. Ex quibus omnibus patet, quòd nec justi, nec peccatores possunt intrare in judicium cum Deo. Nam peccatores non possunt conqueri de Deo, nec imputare Deo scelera sua, sed sibi ipsis, & naturæ suæ corruptæ: quia Deus bonam naturam creavit in Adam; sed ipse peccator corrupit eam: & sic unusquisque *tractus & illectus à concupiscentiâ sua* peccat: quia *Deus actor malorum non est*, *Jacob* 1. Nec justus potest gloriari de justitia sua: quia *Non est currentis, nec volentis, sed Dei ferentis.* Et sic ô Deus, *numquam justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

PSAL-

PSALMUS CXLIII.

Supr. 17. eod. 95. d. c. Ecce.

1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

16. q. 1. c. Vos autem.

2. *Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus.*

13. q. 1. c. His ita.

3. *Protector meus, & in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.*

TITULUS: *Psalmus David. Hieronymus* in *Prologo* hujus libri dicit, quòd David fecit hunc Psalmum, quando stetit contra *Goliath*: ideo in aliquibus *Bibliis* additur ista particula, scilicet *Psalmus David cum stetit contra Goliath.* Unde legitur, 1. *Reg.* 17. quòd cùm venissent Philistæi contra Saul, & filios Israel, antequam prælium committeretur, surrexit *Golias Gethæus* de genere giganteo, & incœpit blasphemare verbis, & contemnere Deum Israel, & Legem Moysi, dicens: *Eligite ex vobis virum, & descendat mecum ad singulare certamen: qui si percusserit me, erimus vobis servi: & si percusero eum, vos servietis nobis &c.* contra quem David juvenis venit indutus armis regalibus ipsius Saul: sed cùm non esset talibus armis assuetus, exutus illis armis, cepit quinque lapides de torrente, & posuit in perâ, & exivit contra Gethæum in baculo & funda. Golias autem erat munitus casside ferreâ, & loricâ æreâ, & lanceâ robusta grandi ad modum liciatorii: contra quem David projecit lapidem in nomine Domini, & infixit eum in fronte ipsius Goliæ, & dejecit ad terram, & proprio gladio evaginato caput ipsius Goliæ amputavit: quo viso Philisthæi prostrati sunt, & dispersi fugerunt. Et sic David liberavit Israel de opprobrio servitutis, & vindicavit injuriam Dei.

De Christi victoria.

Per hoc, & per hanc victoriam prævidit David in spiritu & revelatione totum mysterium pugnæ Christi cum diabolo. Nam sicut David adolescens vicit *Goliam*, & abstulit ipsi caput, & liberavit Israel à servitute, & subjecit Philisthæos: ita Christus depositis armis regalibus, id est, occultatâ divinitate, apparens in humanitate, congressus est cum diabolo: & cum perâ & lapide obedientiæ, & patientiæ, & humilitatis se objecit contra diabolum, & abstulit ipsi caput: nam primò abstulit ipsi gladium, quo erat armatus & præcinctus, & solebat interficere omnes homines: qui quidem gladius erat peccatum originale, quo omnes vulnerabat diabolus, & sibi subjiciebat: hunc gladium abstulit Christus, & cum eo ipsum decapitavit, & abstulit ipsi caput, id est, potestatem: & sic liberavit genus humanum, & subjecit populum Gentilem ad Fidem. Unde baculus Christi in isto certamine fuit Crux: & lapis fuit humilitas, & patientia. Quare David prævidens hoc mysterium post habitam victoriam, dum fuit in quiete, fecit hunc Psalmum. In quo quatuor facit: Nam primò, agit gratias de victoria habita contra Goliam. Secundò, petit adventum Christi, ut veniat ad pugnam contra diabolum, quam ipse prævidit in spiritu per pugnam suam, & victoriam. Tertiò, promittit se gratias acturum. Quartò, petit, ut liberetur Ecclesia de persecutione Tyrannorum & Hæreticorum. Secunda ibi: *Domine inclina.* Tertia ibi: *Deus canticum.* Quarta ibi: *Et erue me.*

Dicit ergo David: *Benedictus* sit *Dominus Deus meus, qui docet*, & docuit *manus meas ad prælium* contra Goliam, & direxit *digitos meos ad bellum*, cum essem adolescens, & inexpertus, & insuetus in armis: nam ego non eram sufficiens, nisi ipse me direxisset: & ideo ipse est *misericordia mea, & refugium meum*, ad quem semper refugio: & ipse est *susceptor meus* in omni casu, & *liberator meus* de omni periculo: quia ipse ex sola misericordiâ suâ, & non meis meritis me liberavit. Et probo quòd hoc factum est ex Dei misericordia, & non meis viribus: nam

4. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei? Aut filius hominis, quia reputas eum?* *Sup. 8. 5*

ID est, *quid* sum ego, cùm sim adolescens, & rusticus, & pauper, cui tam grandem victoriam dedisti, & tam grande mysterium *innotuisti* & revelasti: nam per meam victoriam de Golia revelasti & *innotuisti* mihi victoriam, quam tu es habiturus de diabolo in cruce: qua revelatione ego non sum dignus meis meritis: *aut quid* sum ego *filius* hominis, scilicet *filius Isai*, *quia reputasti* me in tanto honore, supple, tantam victoriam tribuendo, & quod maximum est, tam magnum mysterium mihi revelando? Et loquitur de se in tertia persona. Et subdit:

* * * * * * *



5. *Homo*

Job 8. & de Pœ. d. 2. c. fin.

5. *Homo vanitati similis factus est:* A *dies ejus sicut umbra prætereunt.*

NAM *Homo* in sua natura, & in suis viribus constitutus, *vanitati similis factus est*, & fragilis, & mortalis: nam *dies ejus sicut umbra prætereum.* Ex quo patet, quòd David se reputat indignum tantâ victoriâ, & revelatione tanti mysterii futuri per Christum. Potest etiam dici, quòd hîc David loquitur in persona *corporis mystici*: nam per hoc mysterium & victoriam suam, quam habuit contra Goliam, prævidit etiam in spiritu, qualiter Christus in adventu suo debebat nos ita armare, ut etiam vinceremus diabolum, & conculcaremus: B Nam Christus dedit nobis primò *baculum* spei, cùm quo audemus ire contra diabolum: & *lapidem* fidei, quem ipsi objicimus, & cum eo ipsum occidimus: Et dedit nobis *gladium* charitatis, quo caput & potestatem ejus abscindimus: Quam victoriam figurativè per suam prævidit.

Ideo dicit totum *corpus mysticum*: *Benedictus Dominus Deus meus &c.* quia tantam misericordiam & dilectionem homini ostendit, & tantam dignitatem ipsi concessit: cùm homo sit fragilis & parvi momenti: & pro homine, qui est tam parvi pretii, velit de cœlo descendere &c. ideo ait: *quid est homo &c.*

C

De Summa Trin. & Fide Catholica c. Damnamus.

6. *Domine inclina cœlos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.*

1. q. 1. c. Multæ.

7. *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.*

8. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis; de manu filiorum alienorum,* D

11. q. 3. c. Ira sepe. Et 16. q. 1. c. Visis.

9. *Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.*

David petit Christi adventū.

HIC petit adventum Chaisti sibi revelatum: nam postquam adventus Christi ad pugnandum, & vincendum diabolum, & liberandum nos de potestate ejus *innotuit* ipsi per revelationem & figuram suæ victoriæ de *Golia* dicit: O Domine Jesu Christe, *inclina cœlos*, id est, majestatem tuam de cœlo ad terram, & *descende* per humilitatem, ut tu qui ab æterno es Deus in sinu E Patris, efficiaris homo in utero Virginis Matris: & qui es immortalis per divinitatem, efficiaris mortalis secundùm humanitatem: & qui ab æterno es in forma Dei & Deus, appareas nobis in forma servi: & sic *tange montes*, id est Apostolos, dando eis potestatem, & Spiritum sanctum: *& fumigabunt* Legem tuam Euangelicam, per mundum prædicando. Et emitte fulgura & coruscationes, mittendo fulmina Euangelica: *& dissipabis eos*, scilicet diabolos, & infideles, & totam idololatriam. Et *emitte sagittas tuas*, scilicet Apostolos, qui sunt *sagittæ in manu potentis*, & verba Euangelica, quæ sunt *sagittæ acutæ* missæ *in corda inimicorum regis*: *& conturbabis eos*, & F confundes omnes infideles: quosdam convertendo: quosdam perdendo. Item, *tange*, cum tua potentiâ, & virtute, *montes*, id est, diabolos superbos, & membra eorum, scilicet Reges & Principes, & Paganos, & Tyrannos, *& fumigabunt:* & cremabuntur puniti. Et *fulgura*, id est, fulgurando mitte *coruscationes* & fulmina Euangelica per Apostolos tuos, *& dissipabis eos*, scilicet, diabolos, ejiciens à simulacris, & Gentiles ab idololatria: quosdam convertendo, & quosdam perdendo & puniendo. Et *emitte sagittas tuas &c.* scilicet Euangelicas, *& conturbabis eos*, ut supra.

Et *emitte manum*, id est, potentiam & virtutem *tuam de alto* cœlo, *& libera* G *me de aquis* & persecutionibus *multis*, scilicet, de tentationibus, & servitute diaboli, & *de manu* & potestate *filiorum alienorum*, scilicet, Tyrannorum, qui non sunt de filiis Dei, sed diaboli; & non sunt filii virtutum, sed vitiorum; qui sunt *filii alieni* à te: & etiam *libera me* de manu Judæorum, qui facti sunt alieni, negando te; & facti sunt filii mundi & diaboli, cùm dixerunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Ideo sequitur: *Quorum os locutum est vanitatem*, dicendo blasphemias contra te, & improperia in domo Annæ & Caiphæ, & ante Pilatum, & in *Cruce*, cùm dicebant: *Si filius Dei es, descende de cruce &c.* & etiam *os eorum locutum est vanitatem* contra te, quan- H do dicebant, quòd Discipuli furati erant corpus tuum de sepulchro &c. Item, quando persequebantur Apostolos in primitiva Ecclesia, loquentes blasphemias contra Paulum &c. Et de hac persecutione petit Ecclesia per Christum liberari, scilicet, per mortem & passionem petit liberari à diabolo: & per resurrectionem & Spiritus sancti missionem à persecutione Judæorum.

* * * *
* * *
* *
*

10. *Deus canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi.*

HIC pollicetur se gratias acturum pro beneficio redemptionis recepto, dicens: *O Deus* cùm feceris hoc, scilicet, resurgens à mortuis, & viceris diabolum, & liberaveris me de ejus potestate, & ascenderis in cœlum, & miseris Spiritum sanctum, & armaveris Apostolos diversis donis gratiarum; tunc *canticum novum cantabo tibi*: non canticum veteris Testamenti, quia postquam venerit Christus veritas figurata, dimittam figuras & cærimonias, & offeram novum sacrificium Eucharistiæ, & prædicabo Legem novam Euangelicam, & nova sacramenta, abolitis veteribus sacramentis: & *psallam tibi in psalterio decachordo*, scilicet, decem chordarum & præceptorum, simul cum consiliis Euangelicis: quia tunc verè servabuntur præcepta data in monte Sinai, quæ usque ad adventu Christi nunquam fuerunt perfectè intellecta, nec servata, ut patet *Matth.* 5. quia antiqui non respiciebant affectum & voluntatem, per quam justificamur, sed solùm effectum, & actum ad extra. Ideo nunquam verè sciverunt cantare, nec psallere in psalterio decem chordarum, usquequo Christus docuit nos noviter psallere & cantare cum sacramentis novæ Legis. Ideo hoc est *canticum novum*, quod cantabunt tibi, scilicet Legem Euangelicam, quæ declarat psalterium decem chordarum veteris Legis.

Lex Euangelica est canticum novum.

Item, Lex Euangelica dicitur etiam *psalterium decachordum*: sive decem chordarum: eò quòd nihil aliud continet & explicat, nisi decem mysteria novæ Legis, quæ per Christum erant explicanda, scilicet mysterium Trinitatis, & Incarnationis, & Prædicationis Christi, & miraculorum operationis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis, & Spiritus sancti missionis, & Ecclesiæ congregationis, & finalis nostræ glorificationis. Unde hoc est *canticum novum*, quòd continuè cantat tota Ecclesia, & confitetur, & prædicat: & hoc est *psalterium decem cordarum*, quod continuè sonat, & prædicat, & pulsat.

Item, cantat etiam Ecclesia *canticum novum*, & *psalterium* Virginis Mariæ, scilicet *Magnificat anima mea Dominum*: quod quidem Canticum & psalterium continet decem chordas, id est, decem versus, ut patet intuenti.

Triplex psalterium.

Est ergo triplex psalterium, scilicet, decachordum, & canticum novum, scilicet psalterium decem præceptorum moralium: & psalterium decem mysteriorum novi Testamenti: & psalterium Virginis Mariæ. Hoc ergo tripiex psalterium promittit cantare David in persona totius Ecclesiæ pro gratiarum actionibus, dicens: *Deus canticum novum cantabo tibi*, id est, totam Legem Euangelicam: *& in psalterio decachordo psallam tibi*, id est, decem mysteria novi Testamenti, per Christum explicata, prædicabo & confitebor tibi: & etiam *cantabo*, *& psallam tibi* psalterium & Canticum Virginis in Officio quotidiano Vesperarum: & etiam *cantabo tibi canticum novum*, celebrando novas festivitates, scilicet, Nativitatis, Passionis, & Resurrectionis &c. in quibus constituam nova officia Ecclesiastica, & cessabunt veteres festivitates, quæ erant figuræ novarum festivitatum. Hoc ergo *Canticum novum* cantabo tibi, agendo gratias: eò quòd dedisti salutem regibus Christianorum, eos per fidem à nefando ritu idololatriæ liberando. Et nota, quòd idem psalterium cantabant antiqui, quod & nos: sed illi cantabant hoc psalterium in figura & propheticè: nos autem cantamus in re, & Euangelicè: quia jam omnes illæ decem chordæ sunt completæ per Christum.

11. *Qui das salutem regibus : qui redemisti David servum tuum de gladio maligno : eripe me.*

12. *Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.*

HIC incipit alia sententia & petitio: nam postquam *corpus mysticum* petit liberari de servitute diaboli, & promisit cantare canticum &c. hîc petit liberari de potestate & persecutione Tyrannorum & Hæreticorum. Nam hoc etiam prævidit David in spiritu per victoriam suam: nam sicut amputato capite Goliæ & superato, Philisthæi fuerunt dispersi & fugati, & tandem ipsi David subjecti: ita prævidit David in spiritu, quòd Tyranni, & Imperatores, & Gentiles persecutores Ecclesiæ erant superandi, & Ecclesiæ jugo subjiciendi: & hoc petit hîc David in personą totius Ecclesiæ, dicens: O Domine Jesu Christe, *qui* quondam *das* & dedisti *salute regibus* Israel, & victoriam contra Paganos: & *redemisti* specialiter *David servum tuum de* potestate Goliæ, *eripe me* nunc in hac persecutione *de gladio maligno*, & crudelitate Tyrannorum, & Infidelium, & Hæreticorum.

Nota: quòd sicut Verbum Dei dicitur *gladius benignus* penetrans corda hominum, & amputans sentes peccatorum: Ita per oppositum culpa & peccatum dicitur gla-

Peccatum dicitur gladius.

gladius malignus & venenosus, occidens animas hominum morte perpetuâ: nam isto gladio diabolus occidit animas. Ita specialiter culpa originalis dicitur *gladius diaboli*, quo occidit & interimit animas ad mortem damni, privans eas vitâ æternâ. Et concupiscentia & fomes inflictus carni, est alius *gladius malignus* diaboli, quo occidit animam per consensum ad mortem & pœnam sensus. Et de hoc *gladio maligno* petit hîc primò liberari. Et etiam alius *gladius malignus*, qui dicitur potestas Tyrannorum & crudelitas: quo gladio Tyranni persecuti sunt Martyres: & de isto gladio specialiter petit Ecclesia liberari, à resurrectione Christi usque ad *Constantinum*: quia tunc ille gladius fuit fractus. Est etiam alius *gladius malignus*, qui fuit pravitas & perversio Hæreticorum, quæ invaluit contra Ecclesiam post Magnum *Constantinum*: & de hoc etiam Ecclesia petit liberari virtute Christi. A B

Dicit ergo: *De gladio maligno eripe me, & erue me de manu*, & potestate, & gladio *filiorum alienorum*, scilicet Tyrannorum & Hæreticorum filiorum diabolorum, quia illorum sunt filii quos sequuntur, quorum opera faciunt: *os quorum*, scilicet Tyrannorum, *locutum est vanitatem* blasphemando Christum &c. & *os* Hæreticorum pervertendo scripturas ad falsum sensum, & proferendo hæreses & falsas sectas: & ideo *dextera eorum*, scilicet potestas & prosperitas est *dextera*, id est, potestas tenebrarum & *iniquitatis*, quæ non potest durare, immò auferetur per adventum lucis, & justitiæ, & punitionis Dei. C

De Pœ. d. 3 Quamquam. & c. Quid ergo turbamur.

13. *Quorum filii, sicut novellæ plantationem in juventute sua.*

Et 23. q. 1. Paratus.

14. *Filiæ eorum compositæ: circumornatæ, ut similitudo templi.*

15. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* D

16. *Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassæ.*

E 17. *Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.*

18. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

AD cujus declarationem est notandum, quòd gladius, & potestas, & crudelitas Tyrannorum consistit in dominio, & tyrannide, & copiâ divitiarum, & filiorum, & prosperitate mundana: nam cum quis videret se in tali prosperitate positum, & maximè illi Tyranni, ponebant felicitatem suam in hac mundanâ prosperitate, & confidentes in suo dominio & tyrannide, & in suis divitiis & prædiis, & copiâ filiorum, quibus assumebant uxores filias alienorum Regum & Principum, & suas pulchras filias dabant in uxores cæteris Regibus, & Principibus, & sic fortificabant, & conciliabant, & roborabant potentias suas: & in hoc confidentes contemnebant Deum, putantes nihil eis posse nocere: & sic persequebantur pauperes, & committebant omne nefas, nec volebant audire Legem Euangelicam, quæ præcipit omnem justitiam, scilicet, nulli nocere, & omnibus prodesse &c. & ideo persequebantur Christianos, & conabantur cum promissionibus, aut minis & tormentis eos ad suam perfidiam adducere. Ex quo patet, quòd gladius & dextera & potentia eorum consistebat, secundùm opinionem eorum, in prosperitate hujus mundi, in qua constituebant felicitatem & beatitudinem: & hos *beatos* vocabant, quibus supradicta prosperitas aderat. F G

Prosperitas est causa crudelitatis.

Quid sit beatitudo?

Sed dicit David, quòd falsa erat eorum opinio: nam *beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*: sed habentes talia, sunt mali & flagitiosi, alieni ab omni virtute: ergo non sunt beati. Item, *beatitudo est bonum per se sufficiens contentans habentem*; sed possidentes talia, numquam contentantur; immò semper cupiunt plura habere, sicut patet de *Alexandro*: Ergo nullus talis est beatus, nec felix. Item, *beatitudo est bonum proprium, quod non potest auferri*: sed omnia supradicta bona temporalia faciliter auferuntur, ut filii, & regnum &c. sicut patet de *Cræso* ditissimo, qui perdidit primò infeliciter filium, & postea regnum &c. Ergo nullus talis est felix. Item, *beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult*: sed nullus talis habet quidquid vult, & vult & committit omne malum, ut patet de *Sardanapalo*, *Pharaone*, *Nerone*, & cæteris Græcis. H

cis. Ex quo patet, quòd solus ille populus est *beatus*, qui colit Deum: nam talis contemnit omnem prosperitatem mundanam, A quæ affert omne malum; & delectatur in contemplatione divinorum, & operatur secundùm virtutem, & justitiam, præcepta Euangelica: cui datur in præmium in cœlo illa summa beatitudo, qui est *status omnium bonorum aggregatione perfectus, & bonum per se sufficiens, quod non potest auferri.*

Et hoc est, quòd hîc dicit David, cùm dicit: *dextera eorum*, scilicet mundanorum & tyrannorum, & potestas & prosperitas est *dextera iniquitatis*, in qua ponunt suam beatitudinem: nam putant beatos, supple, *quorum filii* sunt in magna copia *in juventute sua*, *sicut novellæ plantationes* olivarum, aut aliorum virgultorum, id est, habent copiam filiorum juvenum, scilicet, habent oliveta novella in circuitu, ut dic- B tum est *Psalm.* 137. & *filiæ eorum* sunt pulchræ *& compositæ, & circumornatæ* in vestibus & jocalibus *sicut similitudo*, id est, ad similitudinem unius *templi* bene ornati: hos ergo putant felices. Item, putant se esse felices in possessione multorum prædiorum, & vinearum &c. & sic *promptuaria*, & torcularia, & cellaria, & horrea *eorum* sunt *plena* vino & frumento & oleo. Et sic sunt *eructantia* ista promptuaria, id est, effundentia *ex hoc in illud*, id est, ex ista vegete in illam, ex hoc horreo in illud, & ex hoc cellario in illud, id est, quòd sufficiat ad implendum multa cellaria & horrea &c.

Item, putant se *beatos* in possessione multorum armentorum, & gregum pecu- C dum. Ideo dicit: tunc se putant *beatos*, si *oves* in magno sunt numero & *fœtosæ*, & plenæ fœtibus, & prægnantes, & *abundantes in egressibus* & partibus *suis*; & *boves* & vaccæ eorum sunt *crassæ* in numero & carne. Item; quarta beatitudo eorum est, quia habent civitates, & domos fortes & inexpugnabiles, & bene muratas; non dirutas, ne per eas inimici possint habere ingressum, *neque transitum* ad capiendas civitates & oppida: ut sit *clamor in plateis eorum* per ingressum inimicorum ruptâ maceriâ & muro, sicut solet fieri *clamor* mulierum & virorum, cùm inimici capiunt violenter civitates, & trucidant infantes, & interficiunt viros, & expoliant domos D &c.

Beatum ergo *dixerunt* homines mundani *populum*, *cui* hæc bona supradicta *insunt*, & prosperitates temporales. Sed dicit Propheta: Ego dico tibi quòd solus ille *populus* est *beatus*, *cujus* verus *Deus* est *Dominus ejus*: id est, qui colit verum & unum Deum trinum in Personis, & unum in Essentia: quia talis populis vivit secundùm Deum, & secundùm Legem Euangelicam, quæ præcipit omnem virtutem & justitiam; cujus præmium est summa & ve- E ra beatitudo in cœlo: nam qui in supradictis bonis temporalibus constituunt suam beatitudinem, semper falluntur, & eis accidit infelicitas & miseria per amissionem talium bonorum temporalium, & per adversitates, quæ jugiter interveniunt & accidunt: *beatus* ergo solus *populus*, *cujus Dominus Deus ejus.* Libera ergo me Domine à tali *gladio maligno* & à tali *dexterâ* & potestate & prosperitate *iniquitatis*, & de tali potestate tenebrarum.

Sed tamen advertendum est, quòd tota ista littera istorum sex versuum ultimorum, scilicet, ab illo loco: *Quorum filii sicut novellæ &c.* Contrarium sensum videtur habere in Hebræo, & in Translatione *Hieronymi*, nam dicit sic: *Et sint filii nostri quasi plantatio crescens in pueritia sua: filiæ nostræ sicut Angeli ornati ad similitu-* F *dinem templi: promptuaria nostra &c. & tauri nostri pingues &c. & non est egressus, nec ejulatus in plateis nostris: beatus populus cui talia sunt. Beatus populus cujus Dominus Deus suus.* & sic tota ista littera videtur referri ad populum Dei, ponentis felicitatem, seu partem felicitatis in copia bonorum temporalium, & in cultu divino.

Sed hoc videtur suspectum & tollit sensum spiritualem & propheticum pro statu Ecclesiæ Christi, & de verba beatitudine: & confirmat perversam opinionem Gentilium, & Tyrannorum, & contradicit ei, quod dictum est: *Dextera eorum dextera iniquitatis.* Ideo putant multi hanc litteram vitiatam in hac parte, & in aliqui- G bus aliis locis cum suis punctis, quam vitiarunt & perverterunt Rabbini eorum tempore *Constantini*, congregati in Ægypto, cùm viderunt omnes Gentiles, & multos Judæos converti ad Fidem Christi. Et sic volunt dicere, quòd tempore *Hieronymi* jam erat Biblia, sive Scriptura veteris Testamenti in aliquibus locis vitiata per apices & puncta, quæ totaliter mutant sensum. Et ideo *Translatio Septuaginta* Interpretum est in dubiis magis amplectenda, quia minus suspecta propter rationes supradictas: nam illa interpretatio fuit facta per ducentos annos ante adventum Christi: & tunc littera veteris Testamenti nondum potuit esse vitiata, nec suspecta.

H Etiam possemus exponere litteram Hebraicam modernam ad bonum sensum spiritualem: ut dicat David, & corpus mysticum petens adventum Christi, & prosperitatem Ecclesiæ: *Sint filii nostri*, id est, Apostoli, Martyres, & Fideles in magna copia virentes in virtutibus & gratia, *sicut plantationes* novellæ olivarum. *Et filiæ nostræ*, scilicet Virgines, sint speciosæ & ornatæ virtutibus *sicut Angeli ad similitudinem templi*: & *promptuaria* & torcularia sacramentorum Ecclesiasticorum sint *eructan-*

tantia & profundentia copiam vini & olei, id est, operum misericordiæ, *ex hoc* populo *in illum*: *& oves nostræ* sint *fœtosæ* & *abundantes in egressibus* & parturibus suis, regenerando filios per Baptismum, & copiam meritorum animæ nostræ generent per bona opera: & sint *boves* nostræ *crassæ*, scilicet animæ nostræ, & opera nostra sint crassa pinguedine gratiæ & meritorum, & anima nostra sit fortis, ne capiatur ab inimicis diabolis: *nec* sit *ejulatus in plateis* animæ nostræ ex pœnis inferni. Nam *beatus populus cui* talia bona spiritualia *sunt*: & *beatus populus cujus Dominus Deus suus*. Et isto modo bene potest ista littera aptari ad bonum sensum. Sed in veritate littera *Septuaginta* Interpretum videtur magis consona litteræ præcedenti: ideo tene quod placeat.

Totus etiam iste Psalmus potest esse vox Christi, qui in principio loquitur in persona capitis, agens gratias Patri: qui direxit manum & potentiam suam contra diabolum, & triumphavit de illo, sicut David triumphavit de Golia. Sed postea loquitur in persona corporis, petendo ut Pater mittat Filium in carne ad liberandum ipsum de manu & potestate diaboli: & postea petit, ut liberet ipsum de persecutione Tyrannorum, & omnium Infidelium.

Ex quo Psalmo possunt recolligi duæ principales conclusiones.

Quarum *prima* est: quòd sicut David triumphavit de Goliâ, & liberavit illud populum de manu Philisthinorum; ita Christus descendens in carne liberavit genus humanum: Primò, de potestate diaboli. Secundò, liberavit Ecclesiam de manu omnium persecutorum.

Secunda: quòd licèt homines Infideles & mundani, & alieni à fide ponant suam felicitatem in copia filiorum, & bonorum temporalium; tamen solus est *beatus* in veritate, qui colit unum Deum: quia ille expectat veram, & æternam beatitudinem in cœlo.

PSALMUS CXLIV.

ALEPH.

1. *Exaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in sæculum & in sæculum sæculi.* — *Laudatio ipsi Davidi*

BETH.

2. *Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum & in sæculum sæculi.* — *16. q. 1. Reverti-mini.*

GIMEL.

3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis.* — *Sup. 47.*

HUic Psalmo præponitur talis Titulus, scilicet *Hymnus David*, ad denotandum, quòd David fecit hunc Psalmum ad laudandum Deum in Templo cum cantico & exultatione. Nam, ut supra dictum est *in Prologo*, hymnus dicitur: *Laus Dei cum exultatione & cantico.* Nam laus quæ dirigitur creaturæ non potest dici hymnus propriè. Item, si talis laus non fit cum exultatione non potest etiam dici hymnus, sicut sunt Tragœdiæ, & Threnorum liber *Jeremiæ*, & carmina ipsius Job, quæ omnia potius dicuntur *Tragœdiæ* & *Lamentationes*. Et ideo quia David intendit laudare Deum in hoc Psalmo cum lætitia, agendo gratias de beneficiis quæ contulit mundo à principio usque ad finem: ideo intitulatur iste Psalmus *Hymnus David*. Ideo procedit per ordinem Alphabeti Hebraici ab *Aleph* usque ad *Tau*. Itaque tot sunt versus in hoc Psalmo, quod sunt litteræ in Hebræo: & sic sunt viginti duo versus juxta numerum litterarum Hebraicarum. Et sic unusquisque versus incipit à sua litterâ distinctâ. Est verum quòd una littera omittitur, loco cujus altera geminatur: & sic manet numerus perfectus: quod non factum est absque mysterio.

Ad cujus intellectum est notandum, prout dictum est *Psalm.* 98. quòd sicut unaquæque littera Hebræa significat aliquod mysterium in Lege; ita totus discursus alphabeti Hebraici significat totum discursum divinæ Legis, & totum discursum hominis mystici peregrinantis per istam Legem in utroque Testamento ab Adam usque ad

ad finem mundi. Et ideo quia David in persona *hominis mystici* peregrinantis per istam Legem in utroque Testamento, intendit laudare Deum, & agere gratias de omnibus beneficiis à Deo receptis, & memorare omnia opera mirabilia, quæ Deus fecit in utroque Testamento à principio mundi usque in finem, discurrendo per omnes ætates, & omnia sæcula, & omnes generationes: hinc est, quòd scripsit hunc Psalmum secundùm ordinem & discursum Alphabeti Hebraici: quia in utroque Testamento semper unus Deus fuit laudatus, & cultus, & invocatus. A

Cultus Latriæ Fidè præsupponit.

Secundò est notandum secundùm *Augustinum*, lib. *de Vera Religione*, quòd cultus *Latriæ* præsupponit fidem: ideo unusquisque colit Deum, secundùm fidem quam habet de Deo. Et ideo dicit, quòd omnes Patres veteris Testamenti crediderunt Deum Creatorem & Redemptorem, & per consequens Trinum & Unum. Nam articulus creationis præsupponit articulum Trinitatis. Quæ quidem fides incœpit ab Adam primo cultore Dei: nam Adam per ordinem creationis potuit nosse in spiritu mysterium Trinitatis. Nam per hoc quòd Deus per Verbum creaverat omnia, quia dicendo: *Fiat lux*, facta ex lux &c. Ergo Deus habet Verbum sibi consubstantiale: & sic potuit nosse Patrem & Filium. Sed per hoc quòd *spiritus Domini ferebatur super aquas* ad vivificandum omnia creata, novit Spiritum sanctum in Divinis: & sic novit in spiritu tres Personas in Divinis, scilicet, Patrem & Filium & Spiritum sanctum cum unitate substantiæ. Et hoc potuit habere Adam ex doctrina Angelorum. Rursus ait *Augustinus super Genes. & super Joan.* quod mysterium Incarnationis fuit revelatum ipsi Adam in illo sopore, licèt non fuit præscius sui casus. Et sic ante lapsum jam habuit Fidem Trinitatis, & Incarnationis. Rursus dicit *Augustinus*, lib. *Cur Deus homo*, *quòd Adam post lapsum prænovit totum mysterium humanæ redemptionis*: Nam quando Deus ejecit eum à paradiso promisit ipsi de sua progenie carnem assumere, & in illa humanitate mortem & passionem subire, ut posset *Adam* cum tota sua posteritate redimere, & ei immortalitatem & felicitatem quam perdiderat, restituere. Et sic dicit *Augustinus*, *quòd ab Adam & ejus successoribus jam Domini in carne præstolabatur adventus: ut si de instanti miseriâ doleret; tamen de suo suæque posteritatis remedio jam de longinquo gauderet.* Et sic patet, quòd *Adam* expectabat Christum Deum & hominem generis humani Redemptorem, & humanæ ruinæ restauratorem: & sic credidit Deum Trinum & Unum Creatorem, & Gubernatorem, & Redemptorem, & Glorificatorem: & sub tali fide incœpit colere Deum, & ipsi *Latriam* exhibere: & hanc fidem & ritum colendi Deum docuit filios suos & nepotes. B C D E

Adam novit quatuor essentialia in Deo.

Novit ergo *Adam* quatuor essentialia in Deo. Primò, summam omnipotentiam, quâ mundum creaverat: & summam sapientiam, quâ omnia creata gubernat & conservat: & summam misericordiam, quâ genus humanum dedebat redimere & restaurare, & angelicam ruinam reparare: & summam justitiam, quâ diabolum reprobaverat, & bonos Angelos beatificaverat, per quam etiam justitiam malos homines debebat punire, & justis suam gloriam dare. Et ideo sub tali quadruplici ratione *Adam* Deum coluit & adoravit, scilicet in quantum Trinus & Unus, & Creator & Gubernator, & Redemptor, & Præmiator. F

Sed quia prævidit *Adam* in spiritu & revelatione, qualiter Filius Dei, Verbum incarnandum, secunda in Trinitate persona, debebat omnia supradicta complere, & mundo notificare; quia debebat notificare Dei Patris Omnipotentiam in miraculorum operatione, & generis humani reparatione, & inferni expoliatione; & dedebat notificare Dei summam sapientiam in Legis Euangelicæ datione, & summam misericordiam in nostra redemptione per mortem & passionem; & debebat notificare summam justitiam in finali judicio: Ideo appellavit ipsum Verbum incarnandum *Nomen Domini*: eò quòd omnia supradicta debebat in se ostendere, & mundo notificare, sicut dictum est *Psalmo* 8. Et ideo *Adam*, qui omnibus creaturis nomina imposuerat, invocavit Deum incarnandum sub nomine quatuor litterarum, scilicet, *Jod*, *He*, *Vau*, *He*, quæ significant illa supradicta mysteria in Christo, ut dictum est *Psalm.* 8. Et sub tali fide & ratione *Adam*, & *Abel*, & *Seth* invocabant *Nomen Domini*: scilicet Christum in Lege promissum. Et sic *Enos incœpit invocare nomen Domini*, id est, confecit aliquas orationes ad invocandum Christum futurum Redemptorem. Et sic omnes successores usque ad *Moysen* invocaverunt *Nomen Domini*, & exinde usque ad Christum. G

Materia Psalmi.

Quia ergo David in hoc Psalmo in persona totius *corporis mystici* incipiendo ab *Adam*, & discurrendo per omnes generationes, intendit laudare *Nomen Domini*, qui est *Jesus*, Verbum Dei, per quem supradicta quatuor sunt mundo notificata: Ideo tria principaliter facit in hoc Psalmo: Nam primò laudat Deum, sive *Nomen Domini* de omnipotentiâ & sapientiâ, quam Deus ostendit in veteri Testamento in mundi creatione, & gubernatione sui populi. Secundò, laudat Deum de misericordiâ, & potentiâ, & sapientiâ, quam maximè Deus ostendit in nostra redemptione per Verbum incarnatum. Tertiò, laudat Deum de justitiâ; quam maximè Christus ostendit in fine sæculi, malos æternaliter puniendo, H

&

& juſtis æternam gloriam largiendo. Et ſic in toto iſto Pſalmo laudat Deum tamquam Creatorem, & Gubernatorem, & Redemptorem, & Glorificatorem: quæ omnia pertinent ad cultum Latriæ. Secunda pars erit ibi: *Miſerator & miſericors.* Tertia ibi: *Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis.*

Quantum ergo ad primum, dicit iſte *homo myſticus* pro ſtatu veteris Teſtamenti: *O Deus meus*, per creationem, ego ſemper *te exaltabo*, id eſt, exaltatum prædicabo, & laudabo, *& benedicam nomini tuo* benedictione laudis: per quod Nomen nobis notificatur tua omnipotentia in creatione & miraculorum operatione; & notificatur tua ſumma ſapientia in gubernatione totius univerſi. Et quia non deſiſtis in tuâ omnipotentiâ ſemper creata conſervando, & mirabilia operando, nec ceſſas per tuam ſapientiam omnia creata diſponendo & gubernando ſucceſſivè: ideo *benedicam* te, non in uno ſolo ſæculo & ætate, ſed *in ſæculum ſæculi* per omnes ætates: immò *per ſingulos dies* & ætates, ſine intervallo & intermiſſione *benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum ſæculi.* Nam ſicut tu in nulla ætate ceſſaſti à beneficiis: ita ego non ceſſabo benedicere & laudare Nomen tuum, & gratias agere, & cultum Latriæ tibi exhibere, tamquam Creatori, & Gubernatori, & Redemptori, & Glorificatori. Et hanc laudem & Latriam exhibebo tibi in ſignum ſummæ Omnipotentiæ, & majeſtatis, & ſapientiæ, & miſericordiæ, & juſtitiæ: quoniam tu es *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis* tuæ *non eſt finis:* ideo tibi debetur cultus Latriæ. Sed quia iſtam tuam magnitudinem oſtendiſti ſucceſſivè ab initio mundi per omnes generationes, tàm in novo, quàm veteri Teſtamento: ideo

DALETH.

4. *Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.*

Generatio veteris Teſtamenti, *& generatio* novi Teſtamenti *laudabit opera tua* mirabilia: *& potentiam tuam pronuntiabunt* & prædicabunt. Nam Patriarchæ & Prophetæ pronuntiabunt, & ſcribent ea quæ feciſti in veteri Teſtamento, ut patet in libris Legis *Moyſi*, *Joſue*, *Judicum*, *Regum*, & omnium Prophetarum: & Apoſtoli, Martyres, & Doctores prædicabunt ea mirabilia quæ feciſti in novo Teſtamento.

HE.

5. *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.*

VAU.

6. *Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.*

ZAIN.

7. *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt: & juſtitia tua exultabunt.*

PRimò generatio veteris Teſtamenti *narrabunt & loquenter magnificentiam ſanctitatis & gloriæ tuæ*, quam oſtendiſti in monte *Sinai* in datione Legis: & quando apparuiſti *Moyſi* in rubo: & quando duxiſti illum populum in columna nubis in die, & tota nocte in illuminatione ignis: *& dicent virtutem* operum *terribilium*, quæ oſtendiſti in Ægypto, & in tranſitu maris Rubri: & ſic *magnitudinem tuam narrabunt* in illo cantico: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus eſt &c.* Item, *memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ dicent*: quando dediſti eis Manna, & coturnices de cœlo in abundantia: *Et tuâ juſtitiâ exultabunt:* quia proſtraſti omnes inimicos eorum: Unde Patres veteris Teſtamenti, non ſolùm *exultabunt*, & exultabant, & exhibebant tibi Latriam propter illa beneficia temporalia; ſed principaliter propter myſteria humanæ redemptionis, quæ in novo Teſtamento per Chriſtum facienda & complenda figurabant. Et ſic omnia ſacrificia & oblationes, & cætera, quæ fiebant & offerebantur in veteri Teſtamento, tàm in Lege naturæ, quàm ſcriptæ, non erant, niſi quædam proteſtationes, quæ fiebant in ſignaculum fidei de Chriſto futuro: ut dictum eſt *Pſalm.* 39. & 50. Et ſic in omnibus colebatur & invocabatur *Chriſtus Jeſus*, qui eſt *Nomen Domini*, ut dictum eſt *Pſalm.* 8.

Deinde cùm dicit:

HETH.

HETH. A

De Pœ. d. 8. c. Speres

8. *Miserator & misericors Dominus: patiens, & multùm misericors.*

TETH.

9. *Suavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus.*

Iste *homo mysticus* laudat Deum de Misericordia, quam maximè notificavit per B Verbum incarnatum in nostra redemptione: in qua quidem redemptione Christus non solùm ostendit summam Dei misericordiam, sed etiam summam omnipotentiam, & sapientiam, & justitiam: quam primò Christus notificavit mundo per se efficienter, carnem assumendo, & Legem Euangelicam dando, & genus humanum liberando, & in se justificando: sed postea omnia ista notificarunt & prædicarunt Apostoli, & Martyres, & Doctores per universum orbem.

Dicit ergo Propheta: Dominus Jesus Christus Deus & homo est, & erit *misericors* habitualiter & essentialiter, *& miserator* effective: & erit, & est *patiens* mortem & passionem per toto genere humano. Et sic est *multum* & magis *misericors* in Testamento novo, genus humanum redimendo de potestate & servitute diaboli, & morte æternâ, quàm in veteri Testamento liberando filios Israel de Ægypto, & de omnibus aliis periculis & captivitatibus temporalibus: quia ibi Deus solùm fuit *suavis* illi populo particulari, liberando ipsum de illa temporali & particulari captivitate, sed Dominus noster Jesus Christus in Testamento novo fuit *suavis & misericors universis* populis, & nationibus, & linguis: quia omnes per mortem & passionem de captivitate & morte æternâ liberavit. Et ideo redemptio ejus dicitur *copiosa*, ut dictum est *Psalm.* 129. Ex quibus patet, quòd *miserationes ejus* sunt laudabiles nobis *super omnia opera ejus*: quia licèt ista quatuor, scilicet *Potentia, & Sapientia & Misericordia, & Justitia* sint æqualiter in Deo, in quantum sunt essentialia; tamen omnia ista magis sunt ostensa in nostra redemptione per *misericordiam*: quia majus opus fuit genus humanum justificare, quàm mundum creare, ut inquit *Augustinus super Joan.* Et prout declaratum est *Psalm.* 102. Sed quia Christus numquam laudavit se, immò semper se humiliavit, omnia opera sua Patri attribuendo, ut patet per totum discursum Euangelicum: sed opera & miracula quæ fecit laudabant E eum, & ostendebant ipsum esse verum Deum, & dabant testimonium de ipso: ideo subdit Propheta:

IOD.

10. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi.* 44. d. c. Quando.

CAPH.

11. *Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.* F

LAMED.

12. *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.*

MEM.

13. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in* 11. d. Nolite. G *omni generatione & generationem.*

Confiteantur tibi omnia opera tua: & ostendant tuam omnipotentiam in miraculis: & tuam sapientiam in datione Legis Euangelicæ, & tuam misericordiam in passione, & tuam justitiam, & judiciariam potestatem in ascensione. Sed quia Christus non solùm ostendit ista supradicta effectivè in *Hierusalem* & terra promissionis, per se ipsum operando; sed etiam voluit quod ista per Apostolos, & Martyres, & Doctores notificarentur, & prædicaretur Euangelium per universum mundum omni creaturæ: ideo subdit: *Et sancti tui,* H scilicet Apostoli, & Martyres, & Doctores *dicent*, & prædicabunt *gloriam regni tui*, scilicet, qualiter resurrexisti in corpore glorioso, & qualiter ascendisti in cœlum, & accepisti à Patre potestatem judiciariam in cœlo & in terra &c. & sic Apostoli, & omnes fideles *loquentur* & prædicabunt *potentiam* & majestatem & *gloriam tuam*; omnibus filiis hominum, & omnibus nationibus per prædicationem Euangelii. Et *notam facient magnificentiam regni tui*, & quomodo regnum tuum non est regnum particulare & temporale, sed regnum uniuniversale in cœlo, & in terra, & in inferno, & *regnum omnium sæculorum* & æternum, *& dominatio tua* non est in una gene-

neratione, nec in una ætate, sed *in omni generationem & generationem.* Et hoc regnum tu Christe fuisti adeptus propter tuam humilitatem, & veritatem, & obedientiam usque ad mortem crucis. A

14. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus tuis.*

25. q. 1. c. Firmissimè.

RES.

15. *Allevat Dominus omnes qui corruunt: & erigit omnes elisos.* B

QUia fuisti *fidelis in omnibus verbis* tuis: quia omnia quæ erant in Lege & Prophetis scripta & promissa, compleviſti: & sic fuisti *sanctus* & justus *in omnibus operibus tuis*: quia sicut docuisti verbis, ita operibus fecisti: *quia incœpisti facere* & *docere*; quia non solùm docuisti verbis, sed etiam factis. Fuit ergo Christus *fidelis in omnibus verbis suis*, vera docendo; *& sanctus in omnibus operibus*, justa & sancta operando: quia ipse *allevat* & sublevat *omnes qui corruunt*, id est, sublevavit à morte æterna *Adam*, & omnes qui per peccatum corruunt, & *erigit* & sanat per Ecclesiastica sacramenta *omnes elisos*, & vulneratos per peccatum. Et sic, ô C Domine Jesu Christe, tunc ante tuum adventum omnes expectabant te, ut venires ad redimendum, & dares eis *escam* & refectionem redemptionis *in tempore opportuno*, quod est tempus merendi & pœnitendi.

AIN.

16. *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.*

21. q. 3. Ad mensam & d. 56. Nasci

PHE. D

17. *Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.*

OCuli *omnium sperant in te*, ut des eis *escam* gratiæ spiritualem Ecclesiasticorum sacramentorum ad refectionem spiritualem. Et sic *tu* Christe *aperis manum tuam*, & thesaurum divitiarum & meritorum tuæ passionis: & sic *imples omne animal* rationale tua *benedictione.* Quasi dicat: Tu Christe non solùm es largus & benignus & misericors omnibus animalibus, tàm rationalibus, quàm irrationalibus, quia E omnibus provides de cibo ad conservandam vitam corporalem; sed magis ostendisti tuam misericordiam erga genus humanum: nam *oculi omnium* hominum Patriarcharum, & Prophetarum, & fidelium sperabant *in te*, ut dares eis escam redemptionis: sed *tu aperuisti manum tuam*, id est, latus tuum, unde emanavit pretium nostræ redemptionis, & virtus omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum, quibus imples omne animal rationale benedictione spirituali: nam per *Baptismum* sanas ab originali, & confers Fidem & Spem & Charitatem: & per *Confirmationem* confers septem dona Spiritus sancti: & per *Pœnitentiam* confers remissionem omnium mortaF lium & venialium: sed per *Eucharistiam* totaliter confers vitam spiritualem &c. Deinde cùm dicit:

SADE.

18. *Justus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.*

De Pœn. d. 2. Si enim

LAudat Deum de justitia, quam Christus ostendit in hac peregrinatione per judicium occultum, & quam maximè ostendet & notificabit in fine mundi judiG cio manifesto: nam antem finale judicium Deus dat gloriam bonis, & punit malos, tàm temporaliter, quàm æternaliter: sed hoc facit justo & occulto judicio, sicut videmus, quòd punivit Judæos & Tyrannos: sed in finali judicio manifestè destinabit omnes malos & obstinatos in pœnam perpetuam, & justos in gloriam æternam. Dicit ergo: *Justus* est *Dominus* Jesus Christus *in omnibus viis suis*, *& sanctus*, & benè ordinatus *in omnibus operibus* & judiciis *suis*, tribuens uniquique secundùm opera ejus, & secundùm bonam, aut malam intentionem & voluntatem suam.

COPH. H

19. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.*

RES.

20. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & salvos faciet eos.*

21. q. 4. c. Omnis.

SIN. A

21. *Custodit Dominus omnes diligentes se : & omnes peccatores disperdet.*

IPse *est prope*, id est, propitius, *omnibus invocantibus eum*, non autem omnibus invocantibus, petendo falsa & frivola bona temporalia; sed est propitius *invocantibus eum in veritate*, id est, petentibus vera bona spiritualia ad vitam æternam: sicut petunt sancti & justi. Et ideo *voluntatem*, & votum, & petitionem justorum *timentium se faciet*, & orationem B *eorum exaudiet*, conferendo eis gratiam in præsenti, & gloriam in futuro : & sic *salvos faciet eos* : sicut patet de sanctis viris, qui non petebant temporalia, sed spiritualia : ideo licèt paterentur in præsenti; tamen Deus exaltavit eos in gloria, & custodivit *omnes diligentes se*, liberando eos à morte æterna. Sed oppositum fecit de pravis & peccatoribus, tàm Judæis, quàm Tyrannis, quàm hæreticis qui persecuti sunt Ecclesiam : nam *omnes* illos *peccatores*, & obstinatos, & Infideles destruxit, & dispersit, & *disperdet* in judicio finali. Nam primò, destruxit & dispersit totum populum Judaicum crucifixorem C Christi, & persecutorem Apostolorum. Secundò, destruxit *Neronem*, *Domitianum*, & *Diocletianum*, & omnes Tyrannos. Tertiò, destruxit & dissipavit omnes hæreticos. Sed punitio omnium istorum magis erit manifesta in finali judicio, quando omnes istos destinabit in pœnam æternam, cùm dicet Christus : *Ite maledicti in ignem æternum &c.* Deinde cùm dicit:

TAU.

16. q. 1. *Revertimini.*

22. *Laudationem Domini loquetur os meum : & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.* D

IN hoc ultimo versu, qui incipit à littera *Tau*, significat *signum*, sive *terminum*, sive *finem*; per quam vult significare regnum cœlorum, sive vitam æternam: nam sicut littera *Tau* est ultima, ultra quam nulla est alia littera apud Hebræos : ita vita æterna est ultimus finis intentus ab omnibus fidelibus; & est finis omnium actuum humanorum. Unde sicut Sagittarius dirigit saggittam in signum : ita omnes fideles dirigunt actus suos in Deum, propter vitam æternam consequendam. Item, sicut post litteram *Tau* non est alia littera : ita E post vitam æternam nulla est vita. Item sicut finis non est finis, sed finit & terminat illud cujus est finis : ita regni cœlorum non est finis, sed est finis omnium temporum, & omnis vitæ, & omnium actuum humanorum, & omnis humani & rationalis appetitus: ideo recte significatur per litteram *Tau*. Et ideo in hoc ultimo versu ponit ultimum finem omnium actuum humanorum, qui est laudare Deum in æternum sine fine : nam omnes Beati postquam consecuti sunt ultimum finem, qui consistit in fruitione summi boni; tunc ex immenso gaudio omnes prorumpunt in perpetuas laudes Dei, sicut dictum est *Psal.* 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.* Item, *Psalm.* F 149. *Exultabunt sancti in gloria &c.* & sic illa exultatio cum canticis divinæ laudis computatur in beatitudine sanctorum.

Nota, de littera Tau significante finem nostrum.

Et ideo David in persona totius *corporis mystici*, in fine totius peregrinationis hujus vitæ ab *Adam* usque ad finem mundi, sicut hîc semper laudavit Deum per gratiam, ibi promittit laudare Deum sine fine, & in æternnm per gloriam : ideo concludit dicens: *Laudationem Domini loquetur os meum*, in illâ cœlesti gloria cantando Deo, & agendo gratias de beneficio creationis, & redemptionis, & nostræ glorificationis. Et sic *omnis caro* humana G per Christum redempta *benedicat nomini ejus*, qui est Jesus Christus filius Dei, per quem sumus creati, gubernati, & redempti, & finaliter glorificati & sanctificati. Et talis laus & benedictio non erit temporalis, sed æterna sine fine *in sæculum, & in sæculum sæculi* : quæ est æternitas, & *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.*

Ex dictis in toto isto Psalmo patet, qualiter homo mysticus, scilicet *Adam* cum tota posteritate fidelium per unam Legem ambulavit, & peregrinatus est ab *Aleph* usque ad *Tau*, id est, à principio mundi usque ad finem : discurrendo per omnes ætates sub una fide Christi: in quo discur- H su iste homo per singulos dies & ætates absque intermissione laudavit Deum, tanquam omnipotentem, & Creatorem, Redemptorem, & Glorificatorem; & sub tali ratione exhibuit Deo cultum Latriæ. Et semper in utroque Testamento invocavit *nomen Domini*, scilicet Verbum incarnatum, qui est Jesus Filius Dei, Deus & homo. Est verum quod iste *homo mysticus* semper per totum Testamentum vetus invocavit nomen Domini sub hoc nomine *Adonai*, quatuor litteris scripto, scilicet *Jod*, *He*, *Vau*, *He*: sed in toto novo Testamento invocat ipsum sub hoc nomine *Jesus*, agendo gratias de beneficio redemptionis, & petendo beneficium glorificationis. Et sic Deus semper fuit laudatus & cultus, & Jesus Chris-

tus

tus invocatus in utroque Testamento absque intermissione: unde nulla fuit ætas, in qua Deus non fuerit laudatus.

Objectio. Sed contra totam Expositionem hujus Psalmi posset argui. Nam à *Noe* usque ad *Abraham* fuit secunda ætas mundi. Sed in Sacra Scriptura non reperitur, quòd aliquis coluerit verum Deum, nec invocaverit nomen Domini post *Noe* usque ad *Abraham*, quem Deus vocavit, & eduxit de *Ur Chaldæorum*, & de cultu idolorum, quæ pater ejus *Thare* adorabat, ut patet *Genes.* 11. & 12. Ergo sequitur, quòd per aliquod tempus verus Deus non fuit adoratus, nec nomen Domini invocatum usque ad *Abraham*, qui in terra *Chanaam* ex præcepto & nutu Dei ædificavit altare, & invocavit nomen Domini: ibi *Genes.* 12.

Ad hanc quæstionem respondet *Augustinus* 15. *de Civitat. Dei*, *cap.* 2. dicens: *Responsio.* „Quòd licèt à *Noe* usque ad *Abraham* per „annos ampliùs quam mille, non sit facta „memoratio in Sacra Scriptura de aliquo „justorum, qui Deum coleret: tamen non „est credendum, quod aliquando aliquis „defuerit, qui Deum coleret in civitate „Dei, quæ semper fuit continuata ab *Adam* „usque ad Christum. Sed *Moyses* scriptor „libri *Geneseos* solùm scripsit ea gesta, quæ „non solùm narrant præterita, sed etiam „prænuntiabant & figurabant futura myste„ria de Christo & Ecclesia propter vitan„dam prolixitatem. Ex quibus verbis *Augustini* patet, quòd per totum illud spatium temporis semper Deus revelavit aliquibus fidem unius Dei Creatoris & Redemptoris, & per consequens fidem Christi futuri, per quam exhibebant cultum Latriæ, & salvabantur. Et sub hac fide *Adam*, *Seth*, *Abel*, & *Enos*, & omnes successores invocabant *nomen Domini* in prima ætate: & in secunda *Noe*, & omnes successores usque ad *Abraham*.

Hoc etiam potest confirmari *Genes.* 13. Nam ante quam Abraham vocaretur & exiret de *Caldæa* & *Mesopotamia* ex præcepto Dei, jam *Melchisedech Rex Salem* erat *Sacerdos Dei Altissimi*, & colebat unum Deum Creatorem, & Redemptorem; quia in figura Christi obtulit Deo panem & vinum pro *Abraham*, & recepit decimas ab eo, & benedixit ei: immò benedixit Christum in illo, in quantum prævidit in spiritu Christum ex *Abraham* secundùm carnem nasciturum. Et tamen Melchisedech non erat de genere *Abrahæ*, nec *Thare*. Et sic sequitur, quòd *Melchisedech* habuit ritum colendi unum verum Deum, & fidem Christi futuri per doctrinam parentum descendentium à *Noe*, vel ex singulari & speciali revelatione. Et sic patet, quòd præter *Abraham*, fuit aliis facta revelatio de fide Christi futuri: & sic non defuit aliquis in illa ætate, qui coleret unum verum Deum, & invocaret *nomen Domini* sub fide Christi futuri, ut *Civitas Dei* sine intermissione perseveraret sub vero cultu Dei, & fide Christi: per quam fidem dicitur una civitas & Ecclesia ab *Adam* usque ad finem mundi.

Sed nunc restat dubium: An *Abraham* ante quam à Deo vocaretur, & exiret de *Ur Chaldæorum*, adoraverit idola secundùm consuetudinem patriæ, & patris ejus *Thare*? Super hoc dubio sunt duæ contrariæ opiniones. Nam quidam dicunt, quòd *Abraham* adoravit idola, ante quam à Deo vocaretur: & pro parte sua allegant illud quod Dominus dixit per *Josue ultimo*, *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio: Thare pater Abraham, & Nachor servierunt diis alienis &c.* Ex quo habent isti, quod *Abraham* simul cum patre, & patribus suis prædecessoribus adoraverunt idola in Chaldæa.

Sed alii tenentes oppositum, allegant pro se illud quod dixit *Achior Ammonites Holoferni*, narrando progeniem, & progressum, & ortum populi Israel, *Judith* 5. *Populus iste ex progenie Caldæorum est. Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque cærimonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, unum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis, ut exirent inde, & habitarent in Charan &c.* Ex his verbis volunt quidam innuere, quod *Abraham* nunquam adoravit idola in *Chaldæa*, sed semper adoravit unum Deum cœli: sed ut fugeret cærimonias & ritus patrum & prædecessorum suorum, ex vivit de Chaldæa, nolens adorare multitudinem Deorum; & hoc ex præcepto Dei. Et sic manet ista quæstio ex utraque sui parte dubia propter auctoritates adductas. Et ideo *Augustinus* reliquit ipsam indeterminatam, ut patet 16. *de Civitate Dei*, *cap.* 12. eò quòd ex Sacra Scriptura non reperitur alia aliqua auctoritas, quæ confirmet alteram partem. Sed unaquæque opinio potest respondere ad contrariam auctoritatem, ut patet intuenti. Est verum quod *Augustinus* magis videtur adhærere secundæ opinioni, scilicet quòd *Abraham* numquam adoravit idola, per hoc quod dicit ibidem, quòd *una remansit domus Thare, in qua custodita est plantatio civitatis.* Sufficit ergo quod non defuit illa ætate, qui Deum verum coleret & laudaret, & *nomen Domini* sub fide Christi futuri invocaret, ut dictum est.

PSALMUS CXLV.

Sup. 103. 16. q. 1. c. Revertimini.

1. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu fuero.*

TITULUS: *Alleluia.* (In vulgatis habetur sic: *Alleluia, Aggæi, & Zachariæ.*) Et ita intitulantur quinque sequentes: ad denotandum, quòd David fecit istos sex Psalmos ad laudandum Deum in certis festivitatibus. In hoc Psalmo primò, excitat animam suam ad laudandum Deum. Secundò, exhortatur omnes, ne ponant spem suam in aliquo homine: sed in solo Deo, ibi: *Nolite confidere.*

Dicit ergo: O *anima mea, lauda Dominum*, à quo tot beneficia recepisti, scilicet esse per creationem ad imaginem suam: quia te fecit aptum ad participandum suam beatitudinem: & ideo *laudabo Dominum in vita mea*, narrando omnia beneficia: & *psallam Deo meo*, id est, simul laudando exercebo opera Legis, implendo divina præcepta *quandiu fuero*: & vivam hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.

95. dist. c. Ecce in Glos.

2. *Nolite confidere in principibus: in iis hominum, in quibus non est salus.*

13. q. 2. c. In Ecclesiastico.

3. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

HIC excitat alios ad ponendum spem in solo Deo, & adventu Christi, per quem erat futura vera redemptio. Et primò exhortatur omnes, ne confidant, nec ponant spem suam in aliquo homine: etiam *Principibus.* Secundò, dicit, quòd ponant spem suam in solo Deo & Christo futuro: Nam in fide Christi futuri omnes salvabantur.

Dicit ergo: O fideles, *nolite confidere in principibus* hujus mundi, nec *in filiis hominum, in quibus non est salus*, nec redemptio; nec ullus eorum vos poterit salvare, nec redimere, cùm ipsi sint peccatores, & fragiles, & transitorii: ut patet de omnibus qui voluerunt ponere spem suam in Regibus & Principibus, tamen in fine perierunt: quia eos non potuerunt liberare, sicut patet de *Manasse* & *Sedecia*, qui ex confidentia Regis Ægypti perierunt capti à Rege Babylonis. Et ratio est: Nam omnes Principes mundi sunt mortales, & faciliter possunt perdere regnum: & ideo licèt in vitâ suâ dent favorem alicui, tamen post mortem non possunt favere: & sic affliguntur qui in eis confisi sunt, ut patet de curialibus *Saul*, qui post mortem ejus dispersi sunt perdentes omnia bona temporalia, & etiam vitam cum favore. Ideo dicit: *Exibit spiritus illius* principis, in quo confidebant, & mortuus *revertetur* corpus *in terram suam*, de qua homo assumptus & compaginatus est, & sic incinerabitur & putrescet: & *in illa die* mortis *peribunt omnes cogitationes* & affectiones *eorum* principum, & eorum qui in eis confisi sunt: quia perdent favorem, & ea quæ possidebant, scilicet dignitates, & omnia quæ expectabant: & sic manebunt confusi, & etiam fugati & dispersi, sicut satellites ipsius *Saul.*

Act. 14. c. Apoc. 14. b. & 23. q. 4. c. Post infideles.

4. *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.*

HIC ostendit, quòd in solo Deo est confidendum, & in solo Christo sperandum, qui habet omnipotentiam, & est *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Dicit ergo: *Beatus* est ille homo, vel ille populus *cujus Deus Jacob*, scilicet Christus, qui promissus est ipsi *Jacob*, cùm vidit scalam &c. *Genes.* 26. & 49. & dixit: *Non auferetur sceptrum &c.* ergo *beatus* est ille populus *cujus* Christus est protector & *adjutor*, id est, acepit Christum in protectorem & adjutorem: & *beatus* est ille cujus *spes ejus* est *in Domino Deo ipsius* Jacob: *qui* quidem Deus *fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt.* Nam licèt appareat in carne humana; tamen ipse *fecit cœlum &c. qui* quidem Deus, sive Christus *custodit veritatem in sæculum.* Nam ea quæ promisit in Lege ante incarnationem, omnia fuerunt impleta in Lege Euangelica: & omnia quæ promisit in Lege Euangelicâ, implebuntur in cœlo: propterea subditur:



5. *Qui-*

Dist. 56. ca. Nasci. 11. q. 3. Ad mensam.

5. *Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus.* A

CUstodit *veritatem*, cùm ipse sit ipsa *veritas*: & *facit judicium* pauperibus, & afflictis *patientibus injuriam*, vindicando de persecutoribus eorum, & puniendo eos, & *dat escam esurientibus*: Ergo in eo est ponenda spes. Unde Deus in Testamento veteri fecit veritatem, cùm eduxit Israel de Ægypto, sicut promiserat *Moysi*. Et in Testamento novo, cùm eduxit, & redemit genus humanum de tenebris inferni & peccati. Item, in Testamento veteri *fecit judicium injuriam patientibus*, cùm punivit Ægyptios, & submersit in mari: & *dedit escam esurientibus*, cùm dedit filiis Israel manna ad manducandum, &c. & in Testamento novo punivit dœmones, & Judæos crucifixores Christi; & dedit escam Eucharistiæ fidelibus esurientibus: & *Dominus* Jesus *solvit compeditos* & ligatos in corpore & in anima, scilicet, peccatores &c. & *Dominus* Christus *illuminat cœcos* in corpore & in anima: ut patet per totum discursum Euangelicum. Illuminavit enim cœcum à nativitate: & duos cœcos in Jericho, & illuminavit nos omnes, fugando tenebras peccatorum, & ignorantiæ. B

C

6. *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cœcos.*

7. *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.*

8. *Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.*

ERigit *elisos*, & curvos, & paralyticos: & dirigit etiam & *diligit justos*. Et ideo sicut *erigit* & rectificat *elisos*, & curvos, & obliquos in anima, & dirigit eos removendo obliquitatem peccati; ita diligit & amat justos & rectos: quare ex elisis, & obliquis, & curvis per peccatum, facit justos & rectos per gratiam; & *Dominus* Jesus Christus *custodit advenam*, & populum Gentilem: & *suscipiet pupillum & viduam*, quia omnibus subvenit: & suscipiet ad fidem populum Gentilem, qui erat *pupillus* sine patre, & sine lege: & erat *vidua* sine viro, quia non habebat virum, D nec sponsum, nec legem; sed Christus suscepit illum populum, & factus est sponsus ejus: & Christus *vias peccatorum* Judæorum obstinatorum *disperdet* per mundum, & civitatem eorum succendet &c. Nam reprobatâ Synagogâ, elegit populum Gentilem. Et ideo David convertitur ad Ecclesiam, dicens: E

9. *Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion in generationem & generationem.* 11. d. ca. Nolite.

O *Sion*, Christus *Deus tuus regnabit* in cœlo, & *in sæcula*, id est, in æternum per gloriam, & in hac Ecclesia *in generationem & generationem* usque ad Judicium, per gratiam & fidem. Nam ejus cives hîc vivent per fidem usque ad Judicium, & in cœlo in æternum per gloriam. Ex quo patet, quòd licèt iste Psalmus realiter enumeret beneficia facta à Deo temporalia in Testamento veteri; tamen principaliter intelliguntur beneficia spiritualia nobis collata à Christo in Testamento novo: quod patet manifestè per id quod dicit: *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos*. Et sic Psalmus iste non est alienus à prophetia: immò principaliter excitabat illum populum ad ponendum spem, & ad expectandum Christum futurum Redemptorem, in cujus fide salvabantur. F

Psalmus CXLVI. G

1. *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus: Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.* 23. q. 5. cap. 1. 92. d. ca. 1. In gl.

LIcèt huic Psalmo non præponatur Titulus (*In Vulgata edit. præponitur* Alleluia) tamen ipse est de se *Alleluiaticus*: quia incipit ab *Alleluia*. Nam *Alleluia* interpretatur *Laudate Deum*, ut sæpiùs dictum est: sed iste Psalmus incipit sic in Hebræo: *Alleluia quoniam bonus est Psalmus &c.* qui quidem Psalmus si litteraliter exponatur, in quantum David invitat populum suum ad laudandum Deum, primò propter beneficia quæ specialiter contulit illi populo; secundò propter beneficia, quæ universaliter contulit & confert toti humano generi in dando pluviam, & escam, & victum omnibus: tunc facilis est expositio, & intellectus ejus: sed quia iste Psalmus non est alienus à prophetia & mystico sensu, sicut cæteri: ideo præsuppositâ litterâ, quæ potiùs est figura, exponendus est propheticè, prout continet beneficia à Christo collata Ecclesiæ. Nam H

ad

ad hunc sensum legitur in Ecclesia nostra.

In quo Psalmo duo facit: nam primò excitat omnes ad laudandum Christum propter beneficium redemptionis. Secundò specialiter Christianos jam redemptos, & congregatos in Ecclesia propter beneficia, & dona gratiarum, & sacramentorum ipsi Ecclesiæ collata. Ibi: *Præcinite Domino.*

Dicit ergo ad primum: O vos omnes redempti *laudate Dominum* nostrum Jesum Christum, *quoniam Psalmus est bonus* ipsi; id est, quæcumque laus & honor est ipsi decorus & debitus; nec possumus ipsi sufficienter gratias agere, nec satisfacere pro tantis beneficiis ab eo receptis. Ideo sequitur: *Sit* ergo *Deo nostro jucunda laudatio* ex devotione cordis, *& decora*, & munda ex puritate à peccato. Quasi dicat: Sit cum devotione & affectu & puritate cordis. Nam *decorum* & *jucundum* ad virtutem pertinent justitiæ, ut patet 5. *Ethicorum.* Et enumerat beneficia redemptionis, dicens:

[3.q.1.ca. Loquitur; & c. Omnibus.

2. *Ædificans Hierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.*

DOminus Jesus *ædificans* per redemptionem *Hierusalem*, scilicet, Ecclesiam fidelium, & desponsans eam sibi, *congregabit dispersiones Israelis*, id est, à quatuor ventis congregabit exules filios *Adam* ex Judaismo & Gentilitate, & faciet eos in Ecclesia filios Israel spirituales secundùm promissionem.

5.quæs.1. Suggestù. Et deCon. d.4. Propriè, in fi.

3. *Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.*

CHristus etiam per eamdem virtutem passionis *sanat contritos corde*, & pœnitentes, ab infidelitate cujuslibet peccati: *& alligat contritiones* & fracturas eorum cataplasmate & medicinâ sacramentorum, & sic facit eos Israel, licèt essent antè Gentiles, & alieni, & Idololatræ.

[3 2.d.Erubescant.

4. *Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat.*

TErtiò Christus *numerat multitudinem stellarum &c.* Ista enim *multitudo stellarum* est numerus electorum, & prædestinatorum, quem in figura ostendit Dominus *Abrahæ*, *Genes.*15. cùm dicit: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Item *Genes.*22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris &c.* quem numerum solus Christus novit, ut dictum est supra *Psalm.* 138. Ideo iterum dicit hîc David de Christo, *qui numerat multitudinem stellarum*, id est, numerum electorum & prædestinatorum: *& omnibus eis nomina vocat*, ut ipse Christus ait, *Joann.* 10. *Ego cognosco oves meas &c. Nam bonus pastor vocat eas nominatim &c.* Unde sicut Deus electos omnes ab æterno prædestinavit & elegit; ita ex tempore omnes vocat nominaliter & justificat, ut ait *Apostolus ad Roman.*9. *Quos prædestinavit, hos & vocavit & justificavit.* Ex quo patet, quòd soli Christo est datum, numerare *multitudinem* istarum *stellarum*: & *vocare nomina eorum.* Ideo sequitur de Christo:

De Conse. d.2.c.Accesserunt.

5. *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus.*

6. *Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.*

GMAximè in quantum Deus &c. quam *magnitudinem* & *sapientiam* ostendit Christus Dominus: qui suscepit *mansuetos* & *humiles* corde ad Ecclesiam & fidem, & veniam, quos exaltavit in gloria; & *humiliavit peccatores* superbos & obstinatos *usque ad terram*, & centrum inferni ad pœnam perpetuam. Nam primò suscepit Apostolos & Discipulos ex Judæis, & *constituit eos principes super omnem terram*: & superbos Judæos *humiliavit*, & dejecit *usque ad terram*, destruendo eorum Civitatem, & Regnum, & Sacerdotium; & etiam usque ad infernum: & sic dejecit eos in corpore & anima.

16. q.1. Revertimini.

H 7. *Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.*

HIC excitat Ecclesiam ad laudem Christi, propter beneficia donorum & gratiarum, & sacramentorum ipsi collata ad escam & cibum, & vitam animæ. Dicit ergo: O vos fideles, *præcinite*, id est, præcipuè & specialiter canite Domino *in confessione* laudis, & *psallite Deo* in cithara fidei, spei, & charitatis, quæ sunt tres chordæ ipsius citharæ, sicut decem præcepta sunt decem chordæ psalterii: ideo

non

non solùm cantate voce, sed & corde & opere ipsi Christo. A

92. d. c. 1. in Glos. 8. *Qui operit cœlum nubibus : & parat terræ pluviam.*

NAM sicut cœlum obtegitur nubibus, sed nubes constrictæ & compressæ emittunt pluviam in terram ; ita Deus obtexit scripturam veteris Testamenti *nubibus* figurarum & cærimoniarum : sed venit Christus, & compressit *nubes* virtute donorum Spiritus sancti, & misit & paravit pluviam intelligentiæ, & sensus scripturarum aperuit nobis per se, & per Apostolos suos, dando eis dona Spiritus sancti &c. B Item, Christus obtexit sacramenta Ecclesiastica *nubibus* sensibilium formarum : & tamen pluunt nobis pluviam invisibilis gratiæ, dum sacramenta Ecclesiastica sunt comprehensa & credita per fidem, & compressa per charitatem. Et ideo sequitur:

Sup. 103. 9. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum.*

NAM Christus ex tali pluvia Sacræ Scripturæ *produxit in montibus*, id est, in Apostolis, & Doctoribus *fœnum* & C bonam *herbam* pascualem doctrinæ *ad servitutem*, id est, usum & cibum hominum simplicium. Nam Apostoli, & Doctores, & Prælati pascunt homines, & oves simplices illâ herbâ doctrinæ. Item pascunt etiam simplices illâ herbâ, & escâ, & gratiâ sacramentorum, putà, *Eucharistiæ* & cæterorum. Ideo sequitur:

56. d. c. Nasci. 10. *Qui dat jumentis escam ipsorum: & pullis corvorum invocantibus eum.*

QUI *dat jumentis*, id est, populis simplicibus, & ovibus Christi, qui sunt *jumenta*, id est, adjumenta Ecclesiæ : quia laborant pro Ecclesia, ut temporaliter ipsi provideant, *dat escam* spiritualem, scilicet Eucharistiam, quæ est *esca* ipsorum jumentorum, sicut habetur in littera *Hieronymi* : *Qui dat jumentis panem suum.* Ideo ly *ipsorum*, refertur ad ly *jumentis* : & *dat* etiam *escam pullis corvorum invocantibus eum.*

Pulli corvorum. Unde est advertendum, quòd *pulli corvorum*, quando egrediuntur ab ovo sunt albi per aliquot dies : & ideo parentes dimittunt eos, putantes non esse filios suos, usquequò fiunt nigri : & sic pulli per illos dies semper habent ora aperta versus cœ- E lum, & pascuntur rore cœli : per quod figurantur Gentiles ad fidem Christi conversi. Nam cum essent filii infidelium, & nigrorum per peccatum & infidelitatem; tamen renati sunt albi & puri per fidem & regenerationem baptismalem : & licèt tales fideles conversi, fuerint privati hæreditate temporali, & bonis temporalibus à parentibus infidelibus, ut patet de *Cæcilia*, & *Agatha &c.* tamen Christus pavit eos in Ecclesiâ istâ bonis sacramentorum, & doctrinæ legis, & gloriæ in futuro. Ideo dicit : & *dat escam pullis corvorum*, id est, filiis infidelium ad fidem conversis, *invocantibus eum*, quibus non defuit gratia Christi : quia Deus non acceptat divites F hujus sæculi, & robustos corpore, nec magnates, nec superbos ad Ecclesiam & gratiam suam, & vitam æternam, sed mites, & humiles corde, & timentes eum: & istos vocavit, & his dedit prædictam escam & gratiam, licèt sint privati bonis temporalibus : quia tales sunt Deo chari & accepti ad vitam æternam ad fruendum illâ escâ cœlesti. Ideo sequitur:

11. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit : nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* 11. q. 3. c. Ira sæpè & 12. q. 1. Futuram.

G 12. *Beneplacitum est Domino super timentes eum : & in eis qui sperant super misericordia ejus.*

ITEM, Christus non eliget Principes & Reges ad Apostolatum, nec ad gloriam: *nec erit beneplacitum in tibiis viri*, id est, in fortitudine corporum : quia à nobis non quærit ista, sed fortitudinem spiritualem, & humilitatem, & timorem : ideo sequitur: *Beneplacitum est Domino super timentes se, & in eis qui sperant super misericordia*, id est, de misericordia *ejus*; id est, non acceptat superbos & potentes hujus sæculi, nec confidentes in viribus suis : sed timentes eum, & humiles, & pœnitentes, & H justos, qui non ponunt spem in divitiis, & bonis temporalibus, nec confidunt de viribus suis : sed constituunt spem suam in Deo, & sperant in misericordia Dei : & confidunt de ea, omni auxilio humano & temporali postposito.



PSAL-

PSALMUS CXLVII.

16. q. 1. c. Revertimini.

1. *Lauda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.*

ISTE Psalmus licèt in Hebræo sit omninò sine titulo ; tamen de se monstrat quod est Alleluiaticus; eò quòd incipit ab *Alleluia*, scilicet, *Lauda Hierusalem &c.* ideo in quibusdam Bibliis præponitur *Alleluia* ut titulus : & quia visum est aliquibus, quòd iste Psalmus videtur memorare reædificationem ipsius *Hierusalem* post relaxationem captivitatis Babylonicæ factam per *Aggæum* & *Zachariam* : ideo præponitur *Aggæi* & *Zachariæ* cum *Alleluia*.

Sed talis Expositio videtur non cohærere. Nam manifestum est, quòd *Hierusalem* post reædificationem numquam fuit in tanta pace, nec prosperitate, ut in eo prædicitur: immò semper fuit in tribulatione, ut patet in libris *Esdræ*, & *Nehemiæ*, & *Machabæorum*: nisi velint dicere, quòd illa reædificatio fuit figura ædificationis Ecclesiæ, & renovationis per Christum futuræ: vel quia in illa Hierusalem & Sion terrena erat incipienda & inchoanda Ecclesia Christi: & quia ad illam erat Christus venturus, & in ea universalem Ecclesiam incœpturus per suam prædicationem, & mortem, & passionem, & resurrectionem &c. Ex quo patet, quòd David invitat ad laudandum Deum *Hierusalem* & *Sion* spiritualem, in qua sunt bona spiritualia hìc memorata, quæ Ecclesia à Christo recepit in ejus adventu: quæ quidem bona futura in Ecclesia David prævidit in spiritu. Ideo excitat Ecclesiam ad gratiarum actiones & laudem pro tantis & tot beneficiis receptis. Unde primò excitat ad laudem: secundò dat rationem, quare Ecclesia debet Christum laudare, enumerando beneficia. Ibi: *Quoniam confortavit.*

Dicit ergo primò : *O Hierusalem*, id est Ecclesia, quæ verè es visio pacis, *lauda* Christum *Dominum tuum* in suo adventu ; & *ò Sion* vera, ex quâ, & de quâ Deus videtur & speculatur, *lauda* Christum *Deum tuum* : quia ipse est Dominus & Deus tuus per spiritualem cultum : quia in te sola, & non extrà, colitur Deus : & quia ad te venturus est in carne, & multa bona collaturus, ideo præcipuè ipsum laudare teneris. Item etiam tertiò concitat omnes cives cœlestes, & illam *Hierusalem* & *Sion* cœlestem, ut laudent Dominum Deum in sæcula sæculorum cum gloria & felicitate.

Et potest etiam dici, quòd primò David excitat ad gratiarum actiones illam *Hierusalem* materialem, ut agat Deo gratias, eò quòd Christus in eam erat venturus, & in ea totum mysterium nostræ redemptionis operaturus, & in ea *Hierusalem* spiritualem ædificaturus, & omnia bona spiritualia infra memorata collaturus : quia ibi omnia ista bona fuerunt data & inchoata. Et exinde exhortatur ad gratiarum actiones *Hierusalem* spiritualem, ex illa Hierusalem materiali exortam, & toto orbe diffusam, in qua perseverant omnia ista bona spiritualia. Et ex consequenti excitat ad hujusmodi laudem *Hierusalem supernam*, in qua in æternum perseverant bona gloriæ.

24. q. 1. c. Omnibus. De Consec. d. 2. Christus.

2. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum : benedixit filiis tuis in te.*

24. q. 1. Alienus. 1. q. 1. c. Ex Catholica.

3. *Qui posuit fines tuos pacem : & adipe frumenti satiat te.*

24. q. 1. Quia a sola.

4. *Qui emittit eloquium suum terræ : velociter currit sermo ejus.*

HIC reddit causam hujusmodi laudis, & enumerat omnia bona quæ Ecclesia Christi recepit in adventu ejus. Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd ad felicitatem & nobilitatem civitatis inter cætera sex requiruntur : primò, quòd sit bene murata. Secundò, quòd sit fortissimis portis & seris clausa. Tertiò, quòd sit frequentiâ civium populata. Quartò, quòd sit bene armata. Quintò, quòd sit copiâ victualium munita. Sextò, quòd sit copiâ aquarum abundans : quibus omnibus istis sex munitionibus Christus dotavit Ecclesiam suam in adventu suo. Nam primò munivit ipsam triplici muro inexpugnabili, scilicet, fide, spe, & charitate. Secundò, fortissimis portis Ecclesiasticorum Sacramentorum. Tertiò, frequentiâ civium, & filiorum fidelium. Quartò, fortissimis armis donorum Spiritus sancti. Quintò, abundantiâ cibi spiritualis Sacramenti *Eucharistiæ*, & aliorum spiritualium donorum. Sextò, abundantiâ aquarum intelligentiæ Sacræ Scripturæ ad potandam & reficiendam animam.

Ad nobilitatem & felicitatem civitatis sex requiruntur.

Hoc ergo prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum : in quo enumerat omnia supradicta sex bona : & invitat Ecclesiam ad laudandum Deum pro talibus bonis receptis.

Dicit ergo David : O *Hierusalem lauda Dominum* : *quoniam* ipse Christus cùm ædificavit te, *confortavit* taliter, & fortificavit *seras*, & vectes *portarum tuarum*,

rum, ſcilicet, Eccleſiaſticorum Sacramentorum, quòd portæ inferi numquam prævalebunt adverſum te. Nam ſicut ſeptem vitia capitalia ſunt portæ inferni, per quas intrant damnati: ita Sacramenta ſunt portæ, per quas intrant fideles ad Eccleſiam; quæ Sacramenta deſtruunt portas inferni, & abolent eorum culpas. Ideo ſequitur: *Benedixit filiis tuis in te.* Nam peccatores, qui per ſeptem vitia erant maledicti & extra *Hieruſalem*, ſunt benedicti à Chriſto per Sacramenta Eccleſiaſtica, & facti cives, & filii hujus *Hieruſalem*, in qua benedicuntur omnes fideles &c. qui quidem Chriſtus *poſuit pacem* tamquam muros tuos: quæ quidem pax eſt fides formata charitate, ex qua ſequitur firma ſpes; & ſic nihil poteſt tibi nocere. Nam iſta fides & charitas firmat & unit filios tuos cum Chriſto capite: ideo finis ejus eſt *pax.*

Et poſtquam providit tibi de fortitudine murorum, ſic voluit etiam tibi providere de victualibus, & cibis ſpiritualibus. Nam primò providit tibi de pane *Euchariſtiæ*, in quo corpus Chriſti ſumitur &c. ideo ſequitur: *Et adipe frumenti*, id eſt, de pinguedine ſpirituali Corporis Chriſti ſub forma panis, *ſatiat te* & reficit quoad animam, & dat tibi vitam ſpiritualem: & ad potandum dat tibi aquam ſapientiæ & intellectus Sacræ Scripturæ. Ideo ſequitur: *Qui emittit eloquium ſuum terræ*, id eſt, Legem Euangelicam à Chriſto prolatam, quæ in brevi fuit prædicata per univerſum orbem ab Apoſtolis: & ſic velociter dilatata eſt Eccleſia per totum mundum. Ideo ſequitur: *Qui emittit verbum ſuum* Euangelicum *terræ*, id eſt, toti orbi terrarum per Apoſtolos & Diſcipulos ſuos; & hoc non pigrè, ſed *velociter currit ſermo ejus.* Nam in brevi tempore *in omnem terram exivit ſonus* & prædicatio Apoſtolorum, *& in fines terræ verba eorum.* Nam *Matthæus* prædicavit Euangelium in *Æthiopia*, & *Bartholomæus* in *India*, & *Andræas* in *Cilicia*, & *Petrus & Paulus* in *Europa.* Et ſic *velociter* cucurrit ſermo Chriſti per univerſum mundum, ut patet in hiſtoriis Apoſtolorum.

5. *Qui dat nivem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.*

6. *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?*

99. d. ca. Sciendum & 9. diſ. Quiſne ſciat.

7. *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.*

QUIA dixit, quòd Chriſtus dedit nobis corpus ſuum in cibum, & ſermonem ſuum, id eſt doctrinam Euangelicam in potum, qui velociter currit per mundum: ideo hîc demonſtrat eminentiam quam tenet Lex Euangelica ſupra veterem, quantum ad claritatem & utilitatem.

Unde eſt advertendum, quòd ſcriptura veteris Teſtamenti habet quaſi tres defectus reſpectu Legis Euangelicæ. Nam ipſa eſt coagulata, ut nix. Secundò, obſcura, ut nebula. Tertiò, indurata, ut glacies. Nam ſicut *nix*, licèt ſit aqua, tamen eſt coagulata propter frigiditatem; ideo mutat colorem: quia eſt alba, & volatilis *ſicut lana*: & ſic licèt ſit aqua, tamen propter frigiditatem & coagulationem fit impotabilis, & inutilis. Ita pariter ſcriptura veteris Teſtamenti, ſicut jacet, videtur frigida, & impotabilis, & inutilis. Item, licèt nebula ſit quædam aqua; tamen quia non eſt coadunata, ſed ſparſa per vapores & obſcura, ideo eſt impotabilis & inutilis: ita pariter ſcriptura veteris Teſtamenti eſt obſcura de ſe, & ſparſa, ſi ad litteram intelligatur: quia non videtur conſona rationi, nec verba inter ſe conſonare, nec aliquam utilitatem afferre, ut patet in libris *Moyſis* & *Prophetarum*, & in cærimoniis legalibus: & ſic eſt inutilis & impotabilis ſicut nebula. Item ſicut glacies, licèt ſit aqua, tamen quia eſt ſummè frigida & indurata, ideo redditur impotabilis & inutilis: quia nullus poteſt ſuſtinere ejus frigiditatem & duritiem: ita pariter ſcriptura veteris Teſtamenti de ſe eſt frigida & dura ad intelligendum: & etiam cærimoniæ ſunt duræ ad ſervandum & ſuſtinendum, ſicut dicit Beatus *Petrus*, *Act.* 15. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum. Quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?* & ſic redditur de ſe inutilis & infructuoſa.

Ex quo patet, quòd licèt *nix*, *nebula*, & *cryſtallus*, ſive *glacies* ſit aqua; tamen propter ejus indiſpoſitiones redditur inutilis, & impotabilis. Tamen quando flat Auſter, vel Zephyrus, qui eſt calidus & humidus, reſolvit nives, & nebulam, & glaciem in aquam: & tunc illa aqua eſt & redditur utilis ad potandum: ita pari ratione licèt ſcriptura veteris Teſtamenti nihil aliud ſit niſi veritas Euangelica ſub figuris & ænigmatibus & cærimoniis, & indurata & obſcura: tamen redditur inutilis & infructuoſa, niſi reſolvatur per calorem & flatum Spiritus S. ideo Deus miſit Verbum ſuum, ſci-

licet Christum, qui liquefecit nobis nivem & nebulam & glaciem scripturæ veteris A Testamenti removendo frigiditatem & tenebras & duritiem ab ea, cùm aperuit Apostolis sensum & Scripturas: & sic post ascensionem suam Christus misit Spiritum sanctum super eos; qui flatu suo calido resolvit & liquefecit duritiam Legis, & lumine suo fugavit obscuritatem: & sic resolvit nivem & nebulam & glaciem in aquam potabilem, quæ dicitur Lex Euangelica, quæ nihil aliud est, nisi aqua fluens, & liquefacta ex illa nebula & glacie & nive. Et hanc aquam promisit Christus ad potandum mulieri *Samaritanæ*, *Joan.* 4. & hanc dedit toti Ecclesiæ in potum salubrem in vitam spiritualem & æternam.

Et hoc est, quod dicit David, *qui*, scilicet Deus, *dat* Legem veterem, sup- B ple, quasi *nivem* frigidam coagulatam & volatilem, *tanquam lanam*, & ad modum lanæ: & *nebulam* & obscuritatem ejus *spargit sicut cinerem*. Et ideo erat inutilis Lex, & amara & obscura *sicut cinis*. Et *mittit crystallum* & glaciem Legis *sicut buccellas*, & frusta dura & impotabilia, cujus frigus nemo potest sustinere, nec bibere eam propter frigiditatem & duritiem. Ideo subdit: *Ante faciem frigoris ejus*, scilicet Legis sic duræ & coagulatæ, *quis sustinebit*? Quasi dicat: nullus poterit eam bibere sic cum tali dispositione, nisi liquefiat nobis, & aperiatur sensus ejus, & removeatur frigiditas, & obscuritas, & durities, & resolvatur in aquam potabilem spiritualiter C per sensum spiritualem: quod solus Deus potest facere. Ideo sequitur, quòd licèt Deus sic olim dederit Legem veterem ad modum nivis, & nebulæ, & crystalli duræ & frigidæ: tamen ipse *mittet Verbum suum*, scilicet Christum, *& liquefaciet ea*, scilicet, nivem, & nebulam, & glaciem, exponendo Scripturas, & aperiendo sensum earum ipsis Apostolis: & post Ascensionem *flabit spiritus ejus* sanctus in die Pentecostes, dona gratiarum largiendo; & tunc *fluent* veræ *aquæ* ex nive, & nebulâ, & glacie. Et sic scriptura veteris Testamenti reddetur potabilis & intelligibilis: cujus aqua resoluta, & fluens ex ea, est ipsa Lex Euangelica.

Ad majorem intellectum hujus partis D est notandum: quód David hîc comparat Legem Euangelicam ad veterem, sicut aquam liquefactam ad nivem, & ad glaciem, & ad nebulam, ex quibus aqua liquefacta resolvitur & fluit. Et comparat Christum ad Solem; & Spiritum sanctum ad ventum Australem. Et comparat statum veteris Testamenti ad hiemem; & statum gratiæ ad tempus vernum. Nam sicut in hieme ningit Deus super montes *nivem* coagulatam, & *spargit nebulam* super montes, & cadit grando super eosdem montes; quæ quidem *nix* nil aliud est, nisi aqua leviter coagulata; & grande nil aliud est nisi aqua, E sive vapor aqueus non fortiter coagulatus, nec congelatus: sed quando venit tempus vernum dupliciter resolvuntur ista tria, scilicet *nebula*, & *nix*, & *grando*; uno modo per fortiorem calorem Solis accedentis ad nos: aut per ventum Australem: aut per zephyrum flantem super nivem, & nebulam, & grandinem, & glaciem: Ita ergo pariter accidit in datione Legis, & Prophetarum. Nam in tempore hiemali naturæ & legis, sive in veteri Testamento Deus pluit & sparsit super montes veteris Testamenti, scilicet super Patriarchas & Prophetas, scripturam Legis & Prophetarum, ad modum nivis, & glaciei, & nebulæ. Nam illa scriptura erat coagulata sicut grando & glacies, & erat tenebrosa sicut ne- F bula. Sed venit tempus vernum gratiæ, in quo Christus Sol Justitiæ apparuit supra nostrum horizontem, & misit radios suos super Scripturam Legis & Prophetarum coagulatam, & glaciatam, & duram, & nebulosam, & obscuram, & liquefecit nivem, & nebulam, & glaciem Sacræ Scripturæ, removendo duritiem & frigiditatem, & tenebrositatem Scripturæ; & sic liquefacta est in aquam Euangelicam claram, & calidam, & suavem: & sic facta est potabilis omnibus fidelibus.

Item, postea Christus misit ventum Australem, & zephyrum Spiritus sancti in die Pentecostes, qui liquefecit & resolvit fortiùs & perfectiùs eamdem Scripturam per Christum liquefactam, & dispositit men- G tes Apostolorum, imprimendo veritatem Scripturæ in mentes eorum. Ex quibus patet, quòd sicut aquæ decurrentes ex montibus in tempore verno, nil aliud sunt, nisi nives, aut nebulæ, aut glacies liquefactæ per Solem, aut ventum Australem, sive zephyrum: Ita pariter Lex Euangelica nil aliud est, nisi Scriptura Legis & Prophetarum liquefacta, & resoluta per Christum & Spiritum sanctum, remotâ tenebrositate, & duritie, & frigiditate cærimoniarum. Et hoc est quod intendit dicere David in hoc Psalmo, cùm ait: *Qui dat nivem &c.*

Deinde cùm dicit:

* * * *
* * * *
* *



161. d. c. Testamentum.

8. *Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias & judicia sua Israel.* A

9. *Non fecit taliter omni rationi: & judicia sua non manifestavit eis. Alleluia.*

CONcludit, quòd Ecclesia Christi, quæ incœpit ab Apostolis, dicta *Jacob* & *Israel* secunndùm spiritum & promissionem, maximè dicitur Deum laudare: eò quòd soli ipsi per Christum collata sunt omnia dona supradicta. B Nam Deus annuntiavit *Verbum suum* incarnatum ipsi *Jacob*, & *judicia* prædicta annuntiavit ipsi *Israel*. Nam mysteria, quæ per figuras priùs *annuntiavit ipsi Jacob*, *& Israel* patri illius populi in veteri Testamento, postea annuntiavit & declaravit per Christum Verbum incarnatum ipsi Ecclesiæ, quæ est *Jacob & Israel* secundùm promissionem & spiritum. Sed *non fecit taliter omni* alteri *nationi* carnali: quia *judicia* & mysteria *sua non manifestavit eis*: quia solis Apostolis, & Discipulis, & Gentilibus conversis factis Israel secundùm spiritum, *datum est nosse mysterium regni Dei*, id est, veritatem Legis & Prophetarum: *cæteris autem*, scilicet obstinatis, & infidelibus datum est nosse *in* solis *parabolis*, id est, nosse solam superficiem litteræ, ut patet *Matth.* C 13. & *Lucæ* 8.

Ex supradictis patet, quòd propter septem beneficia tenetur Ecclesia, & civitas Dei, scilicet omnium fidelium, & maximè Religio Christiana, laudare Deum præ cæteris nationibus: Primò, quoniam Christus confortavit portas ejus per Ecclesiastica Sacramenta. Secundò, quia benedixit, & absolvit à maledictio omnes cives & filios in ea. Tertiò, quia muravit eam muro pacis, & fidei, & charitatis. Quartò, quia satiavit eam cibo Eucharistiæ & cæteris bonis spiritualibus. Quintò, quia velociter eam congregavit prędicatione Apostolorum. Sextò, quia per Verbum suum liquefecit scripturam veteris Testamenti, D & per Spiritum sanctum fecit eam fluere in montibus Apostolorum, à quibus veritas Sacræ Scripturæ defluxit per orbem. Septimò, quia soli Ecclesiæ Christi & religioni Christianæ data sunt supradicta dona.



E PSALMUS CXLVIII.

1. *Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.*

2. *Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.*

HUIC Psalmo præponitur Titulus *Alleluia*. Eò quòd totus iste Psalmus est laudatorius. Nam *alleluia* idem est, quod *laudate Deum*: quia David in hoc F Psalmo invitat omnes creaturas ad laudandum Deum: ut patet ex toto discursu Psalmi.

Ad cujus intellectum est primò advertendum: quòd hæc est differentia inter *honorem*, & *laudem*: Nam *honor* est præmium virtutis, & tribuitur bonis, 4. *Ethic.* Aut ex exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis, secundùm *Ciceronem*. Sed *laus est commemoratio beneficiorum*. Et sic honoramus bonos & virtuosos: sed laudamus benefactores, agendo gratias pro beneficiis receptis. Sed quia quidquid boni est in nobis, recepimus à Deo: jam non solùm tenemur honorare Deum, eò quòd est bonus de se; sed etiam jugiter tenemur laudare eum, commemorando beneficia: eò qnòd omnia bona accepimus à Deo. Sed quia non solùm homines, & intellectuales creaturæ, sed G etiam omnes creatnræ, tàm animatæ, quàm inanimatæ; tàm cœlestes, quàm terrestres, & elementales, quidquid boni habent, receperunt à Deo; & ideo omnes creaturæ, tàm rationales, quàm irrationales; tàm cœlestes, quàm elementales tenentur Deum laudare: Ideo David invitat omnes creaturas ad laudandum Deum in hoc Psalmo.

Honor, & laus differunt.

Ad cujus majorem evidentiam est iterum advertendum: quòd quatuor bona receperunt creaturæ à Deo. Nam quædam receperunt bona naturæ: & hoc convenit omnibus creaturis, tàm cœlestibus, quàm terrestribus; tàm inanimatis, quàm animatis: quædam verò receperunt bona fortunæ: & hoc convenit solis hominibus quibusdam, H tàm fidelibus, quàm infidelibus. Tertiò, quædam receperunt bona gratiæ: & hoc convenit solis fidelibus. Quartò, quædam receperunt bona gloriæ: & hoc convenit solis electis & prædestinatis.

Quatuor bona à Deo receperunt creaturæ.

Quatuor ergo facit David in hoc Psalmo: Nam primò, invitat indifferenter omnes creaturas superiores & inferiores ad laudandum Deum propter beneficia naturæ, quæ receperunt in sua creatione. Secundò, specialiter invitat omnes homines, & populos, tàm fideles, quàm infideles, propter bona fortunæ & temporalia, quæ

à Deo receperunt unusquisque in suo gradu, & conditione, & ætate. Tertiò, & quartò, invitat specialiter omnes fideles ad laudandum Deum propter bona gratiæ, quæ receperunt in hoc sæculo, & propter bona gloriæ, quæ recipient in patria cœlesti. Secunda ibi: *Reges terræ.* Tertia & quarta ibi: *Confessio ejus &c.*

Deus causa omniũ.

Quantum ad primum est notandum: quòd cùm Deus sit causa omnium in triplici genere causæ, scilicet formalis, efficientis, & finalis secundùm *Philosophum*, & *Commentatorem*, 12. *Metaphys.* tria receperunt à Deo omnes creaturæ, scilicet *essentiam*, & *esse*, & *naturalem proprietatem.* Primò enim traxerunt *essentiam*: & sic unaquæque creatura dicitur *ens*, & *vera*, in quantum imitatur illam ærernam ideam: quia ut sic habet entitatem, & dicitur verè ens.

Secundò, unaquæque creatura recepit à Deo suam *proprietatem & perfectionem naturalem* consequentem formam suam propriam & specificam: & sic omnis creatura dicitur *naturaliter bona*, in quantum habet inditam aliquam proprietatem naturalem, & imitatur, & participat aliquam divinam perfectionem, per quam consequitur finem proprium, & ordinatur in Deum Creatorem suum: quæ quidem proprietates licèt nobis sint ignotæ; tamen ejus effectus quandoque nobis notificantur. Nam videmus, quòd *Rha barbarum* attrahit & purgat choleram; & *Magnes* atrahit ferrum, & sic de singulis: quod non fit nisi ab illa naturali proprietate, & perfectione toti speciei à principio creationis inditâ, licèt nobis sit ignota. Ratione cujus proprietatis, & naturalis perfectionis unaqueque res & species dicitur *naturaliter bona*: quia propter illam proprietatem & perfectionem est naturaliter appetibilis. Unde non appetimus *Rha barbarum* & medicinam propter se, sed propter illam proprietatem & perfectionem, quam in se habet. Unde per illam naturalem proprietatem unaquæque res naturalis dicitur habere principium sui motus, & suæ actionis: eò quòd talis proprietas consequitur formam: & ideo ejus effectus dicuntur *naturales*, sive à naturâ, ut patet 2. *Physic.* Et sic propter tales proprietates unaquæque res dicitur *bona* secundùm naturam & naturaliter. Ideo dicitur *Genes.* 1. quòd *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*: naturaliter, supple.

Tertiò, unaquæque creatura recepit *esse actualis existentiæ*, quia aliter non posset actualiter existere, nec operari. Nam solus Deus existit & operatur per suam essentiam & substantiam: eò quòd sua operatio est sua substantia & essentia: & ideo oportet, ut Deus inspiret *esse actuale*, ad hoc quod essentia existat in actu, & exerceat opera vitæ: quia vivere viventibus, est *esse*: quia *aliud est unitas, & unitatem esse*, 2. *Posterior.* & *aliud est magnitudo, & magnitudinem esse*; 3. *de Anima.* Nam sicut motus est actus mobilis in quantum mobile, & differt à re immobili; ita *esse* est actus entis in actu, in quantum in actu: & per consequens differt realiter ab essentia, quam actuat, secundùm *Boetium in Libello de Hebdomadibus*: quia *esse* non est sed essentia; & individuum, sive persona, est illud esse actuale: ut inquit *Boetius.* Et sic unaquæque creatura dependet à Deo in triplici genere causæ propter hoc triplex *esse.* Nam per *esse essentiale*, & *ideale* dependet à Deo in genere causæ *formalis*: & per *esse actualis existentiæ influxum*, dependet in genere causæ *efficientis*: sed per *esse naturale*, id est, per illam naturalem proprietatem, dependet à Deo in genere causæ *finalis*: eò quòd per illam ordinatur in suum *finem primarium*, qui est homo: quia omnia facta sunt propter hominem; & *ultimum*, qui est Deus: quia omnia sunt propter hominem, animata, & inanimata, & homo propter Deum: & sic omnia finaliter ordinantur in Deum. Et sic concludit *Augustinus*, in lib. *de Natura boni*: quòd omnia sunt bona naturaliter, & secundùm naturam sui, & quòd omnis natura & essentia est bona: Primò, in quantum est à Deo: Secundò, in quantum habet talem bonam propietatem & perfectionem concreatam, propter quam est appetibilis. Quomodo autem natura diaboli facta est mala, & natura hominis corrupta? postea dicetur: sed naturaliter omnia sunt bona & vera, secundùm quòd participant illam primam entitatem, 2. *Metaphysic.* & omnia sunt bona, in quantum participant bonitates & perfectiones illius primi, in quo continentur perfectiones omnium rerum, 5. *Metaphysic.*

Omnis natura & essentia est bona.

Item, sicut omnes numeri procedunt ab unitate: ita omnes species, quæ *sunt sicut numeri*, dependent ab illo primo, secundùm magis perfectum, & minus perfectum, 7. & 10. *Metaphysicæ*, & 1. *de Cœlo.* Ex quo patet, quòd omnes creaturæ sunt naturaliter bonæ.

Videns ergo David, quomodo omnes creaturæ receperunt à Deo supradicta bona in sua creatione, scilicet *esse essentiale*, & *actuale*, & *esse naturale*, scilicet illas naturales proprietates & perfectiones, propter quas dicuntur naturaliter bonæ: ideo in hac prima parte hujus Psalmi invitat seriatim omnes creaturas ad laudandum Deum, agendo gratias pro beneficiis naturalibus receptis. Et primò invitat creaturas superiores & cœlestes: secundò inferiores & terrestres. Ibi: *Laudate Dominum de terra.* Incipiens er-

ergo David ab ordine naturæ invitare creaturas, dicit: O vos creaturæ *de cœlis*, id est, de numero cœlestium, *laudate Dominum*. Nam sicut tenetis primum ordinem in naturâ, ita primò debetis laudare Deum, & excelsiori modo. Ideo *Laudate eum in excelsis* locis mundi, scilicet in cœlo. Nam sicut altiora & majora beneficia recepistis à Deo; ita in primis, & in excelsis, & excelsiori modo debetis eum laudare gratias agendo. Et ideo vos *omnes Angeli ejus*, scilicet Cherubim & Seraphim, & Troni, *laudate eum*: & vos *omnes virtutes ejus*, scilicet omnes Intelligentiæ, quæ exercetis ejus virtutem movendo cœlestia corpora ad generationem, & conservationm istorum inferiorum: & hoc facitis propter Deum amatum & desideratum, ut patet 12. *Metaphysic.* ideo *laudate eum*, qui tantam virtutem vobis concessit, ut regatis & gubernetis totum universum: quia *opus naturæ est opus Intelligentiæ*, libro *de Animalibus*. Deinde cùm dicit:

Dan. 3. c. Supr. 32. b. Judith, 16.

3. *Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.*

INvitat corpora cœlestia. Et primò corpora luminosa nobis magis nota, dicens: *Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ* cœli, *&* omne *lumen* mundi, tàm corporeum, quàm incorporeum. Et forsan facit *Hendiadim*, ponendo substantivum pro adjetivo, dicendo: *Omnes stellæ & lumen*, id est, *laudate eum omnes stellæ* luminosæ, & omnia astra, & Planetæ: & comprehendit cùm Sole, & Luna, & stellis luminosis omnes Orbes eorum, & Epicyclos planetarum, in quibus astra feruntur & continentur. Deinde cùm dicit:

De Conf. d. 2. c. Jejunium, in Glos.

4. *Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.*

INvitat duos cœlos superiores, nobis ignotos ad sensum, eò quòd non deferunt astra luminosa. Quorum primum dicitur *Cœlum Empyreum*: & dicitur in plurali *Cœli cœlorum*, propter excellentiam: eò quòd est locus Beatorum, & in se continet tres Hierarchias, & novem ordines Angelorum, & innumeras mansiones Beatorum, sicut dictum est *Psalmo* 103. Aliud est *cœlum aqueum*, vel *crystallinum*, quod dicitur *primum mobile* super polos mundi: dictum *aqueum* à diaphanitate & summa velocitate; quod collocatur inter cœlum *Empyreum* & *Sidereum*, sicut dictum est ibidem. Hos ergo duos cœlos invitat ad laudem Dei, dicens: O *cœli cœlorum*, id est, cœlum *Empyreum*, cum omnibus Hierarchiis, & ordinibus Angelorum, & mansionibus Beatorum, *laudate eum*. Deinde cùm dicit: *Et omnes aquæ*, invitat cœlum *crystallinum*, & primum mobile, & nominat ipsum in plurali, eò quòd dividitur per duodecim signa, sub quibus moventur sidera & planetæ: ex quorum diversitate causantur diversi effectus in istis inferioribus, ut patet manifestè. Ideo dicit David: *Et omnes aquæ, quæ super cœlos sunt*, id est, *cœlum aqueum* cum duodecim signis, *quæ sunt super cœlos* astrorum, *laudent nomen Domini*. Deinde cùm dicit:

De Conse. d. 2. c. Revera.

5. *Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.*

6. *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.*

ASsignat triplicem rationem, quare tàm cœlum *Empyreum* cum Angelis & Beatis, quàm cœlum *aqueum* cum duodecim signis, quam cœlum Astrorum cum omnibus stellis & planetis, debent laudare Deum: quarum prima causa est, quia Deus creavit omnia ista ex nihilo; in qua creatione acceperunt omnia bona naturalia supradicta, scilicet *esse essentiale, & naturale, & actuale*, sive substantiam, virtutem, & operationem, sive principium, medium, & finem, quod idem est. Secundò, istæ creaturæ cœlestes acceperunt aliud bonum præ cæteris, scilicet incorruptibilitatem, & æternitatem, *à parte post*; quia creavit ea incorruptibilia. Tertiò, quia regunt omnia ista inferiora, & movent omnia propter Deum amatum & desideratum, 12. *Metaphysic.* quia semper implent voluntatem Dei.

Quare omnia debent Deũ laudare

Dicit ergo David: Omnia ista cœlestia laudent Deum. Primò, propter beneficium creationis: *Quoniam ipse* Deus *dixit, & facta sunt; mandavit, & creata sunt*: quia ad solum dictum & præceptum omnia sunt creata & facta. Nam dicendo: *Fiat lux*, illicò *facta est lux*, id est, tota Angelica natura. Et dicendo: *Fiat firmamentum, factum est firmamentum in medio aquarum*, & sic de singulis, ut patet *Genes.* 1.

Item,

Item ſecundò, iſta cœleſtia tenentur laudare Deum, eò quòd fecit ea incorruptibilia, & æterna. Nam *ſtatuit* & firmavit A *ea in ſæculum ſæculi*, quia numquam corrumpentur, nec deficient quantum ad ſubſtantiam & exiſtentiam.

Item tertiò, creaturæ cœleſtes tenentur laudare Deum propter dignitatem, & officium, & regimen quod habent ſuper omnia inferiora. Nam primò, *Intelligentiæ* movent omnes cœlos propter Deum amatum & deſideratum, ad generationes iſtorum inferiorum, & ad vitam, & conſervationem eorum, & ut natura exerceat omnia opera ſua: quia *opus naturæ eſt opus Intelligentiæ*, ut dictum eſt. Et ideo impreſſit in mentibus Angelorum ſpecies omnium inferiorum ad ſcientiam artificialem eorum, ut ait *Auguſtinus ſuper Gen.* B & etiam impreſſit in cœlis & aſtris virtutes activas ad generationes illorum inferiorum, ſicut impreſſit in materia phyſica rationes ſeminales paſſivas, ut idem *Auguſtinus* dicit ibidem. Item etiam Deus poſuit Angelos cuſtodes ſuper civitates, & regna, & homines particulares. Et ſic creaturæ cœleſtes regunt omnia inferiora ad nutum & *præceptum* Dei: quod *præceptum* à Deo poſitum & ſtatutum *non præteribit*, nec deficiet uſque ad finem mundi: quia ſemper impletur divina voluntas.

Sed hîc ſunt tria notanda propter verba David. Nam primò poſtquam prænominavit Angelos cum cœlis, ſubdit: *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt; mandavit,* C *& creata ſunt.* Hoc autem dixit ad explicandam mentem ipſius *Moyſi*. Nam *Moyſes* licèt implicitè, tamen non explicitè explicavit creationem Angelorum inter cæteras creaturas; ſed voluit intelligere naturam Angelicam per *lucem*, cùm dixit Deus: *Fiat lux &c.* ſecundùm *Auguſtinum*. Et forſan *Moyſes* hoc fecit, eò quòd loquebatur populo rudi & groſſo, ne putaret & intelligeret pluralitatem deorum per Angelos. Sed David quia loquebatur populo jam magis erudito, & etiam quia propheticè loquebatur populo Chriſtiano, jam multò magis illuſtrato: ideò explicat creationem Angelorum ſimul cum creatione cœlorum & aſtrorum in hoc Pſalmo, D dicens: *Quoniam ipſe dixit & facta ſunt &c.*

Nota.

Secundò eſt notandum ſecundùm *Platonem* in *Timæo*, quòd licèt Angeli, & etiam cœli ſint æterni, & incorruptibiles; tamen non *ſimpliciter*, ſed ſolùm *à parte poſt*: quia ex tempore & à principio ſunt creati & facti, nec incorruptibiles de ſe, & abſolutè, ſed ex ſola Dei voluntate & præcepto. Unde ait David nomine Dei: Vos quidem opera mea indiſſolubilia, mea tamen voluntate ſolubilia: quia nati creatique eſtis; numquam tamen diſſolvemini.

Quomodò Angeli ſunt æterni.

Ex quo patet, quòd ſi Deus ſubtraheret E influxum ab Angelis, illicò deficerent: ſed numquam deficient, ex divina voluntate & præcepto: ideo ait David, quòd Deus *ſtatuit* & firmavit omnia cœleſtia *in ſæculum ſæculi* ex mera voluntate. Et ideo *poſuit* in eis *præceptum* & ſtatutum, quod *numquam præteribit*: quia ſemper permanebunt.

Tertiò eſt advertendum, quòd licèt corpora cœleſtia præteribunt poſt judicium, eò quòd Chriſtus ait, *Matth.*33. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* (hoc autem eſt intelligendum quoad motum: quia non ampliùs movebuntur, poſtquam non erunt generationes, nec corruptiones) tamen non defi- F cient, nec *præteribunt* quantum ad ſubſtantiam & exiſtentiam: immò Sol & Luna lucebunt ſeptempliciter: & omnes Angeli & Beati laudabunt Deum in ſæcula ſæculorum. Item, licèt tunc ceſſabunt Angeli quantum ad præceptum regiminis iſtorum inferiorum; tamen non ceſſabunt clamare in æternum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* nec quantum ad fruitionem. Deinde cùm dicit:

7. *Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyſſi.*

De Conſe. d.2.c.Panis eſt.

INvitat ad laudem Dei omnes creaturas inferiores, tàm elementata, quàm ele- G menta; & tàm inanimata, quàm animata. Et primò irrationabilia; ideo ait: O vos omnes creaturæ *de terra*, id eſt, de numero terreſtrium, *laudate Dominum*. Et primò vos *dracones*, *& omnes abyſſi*, id eſt, aquæ abyſſales & marinæ, cum omnibus piſcibus & natantibus, *laudate Dominum*: & intelligit per *dracones* cete, & balenas, & omnes grandes piſces, ut patet *Geneſ.*1. Nam ubi noſtra Translatio habet: *Creavit Deus cete grandia*: in Hebræo habetur: *Creavit Deus dracones magnos*. Deinde invitat omnia elementa, & metheorica, quæ generantur in aëre, cùm dicit:

* * * *
* * *
* *
*



8. *Ig-*

Ibidem. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.*

UNDE per *ignem* non solùm intelligit elementum ignis, sed etiam fulmina & coruscationes, quæ incenduntur & generantur in ventre nubis ex exhalationibus calidis & siccis in medio interstitio aëris: sicut *grando*, & *nix*, & *glacies* generantur ex vaporibus humidis & frigidis. *Spiritus* autem *procellarum* sunt venti causati ex aëre agitato lateraliter per exhalationes calidas impellentes aërem: vel quia ipsæ exhalationes impelluntur lateraliter à contraria frigiditate aëris. Sed quia omnia ista semper fiunt ex divina voluntate & ordinatione permissivè, & quandoque præceptivè ad terrorem, aut punitionem hominum: ideo subdit: *Quæ faciunt verbum*, id est, præceptum *ejus*; quia omnia ista faciunt, & implent præceptum Domini.

92. d. c. 1. In Glos. 9. *Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.*

10. *Bestiæ, & universa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.*

DEinde invitat terram cum partibus suis, cùm ait: *Montes, & omnes colles.* Deinde invitat plantas, & omnes arbores, cùm subdit: *Ligna fructifera, & omnes cedri.* Deinde invitat omnia animalia bruta & irrationabilia, cùm subdit: *Bestiæ, & universa pecora* quadrupedia; *serpentes*, id est, omnia reptilia: *volucres pennatæ*, id est, omnia volatilia, *laudate Dominum &c.*

Sed hîc potest dubitari: quare David invitat ad laudem Dei ista supradicta inanimata, & irrationabilia, cùm sint inepta ad laudandum Deum?

Quomodo inanimata laudet Deum. Ad hoc respondet *Augustinus*, quòd licèt ista non laudent Deum linguâ propriâ, tamen laudant Deum repræsentativè, in quantum in eis lucet divina bonitas, & repræsentantur in eis divinæ perfectiones & virtutes: unde movent nos ad laudandum & benedicendum Deum, propter illas virtutes & proprietates, quas Deus in eis creavit ad obsequium & utilitatem nostram. Et sic Deus laudatur & benedicitur in eis à nobis: & sic omnia inanimata & irrationabilia laudant Deum effectivè.

Item, omnia supradicta tenentur laudare Deum, agendo gratias propter bona naturalia, quæ à Deo receperunt: sed quia non possunt laudare Deum linguâ, laudant eum effectivè per nos, qui tenemur assiduè laudare Deum, qui tribuit illis rebus talia bona naturalia ad nostrum obsequium: & principaliter in quantum in eis lucet & apparet vestigium Trinitatis, & divinarum perfectionum, & potentia, & sapientia, & bonitas artificis, 11. *de Animalibus.* Et hoc est quod intendit dicere Propheta in hac parte.

11. *Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes judices terræ.*

12. *Juvenes, & virgines; senes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen ejus solius.*

IN hac secunda parte invitat totam humanam naturam ad laudem Dei quoad omnes dignitates, & conditiones, & sexus, & ætates; & hoc propter bona majora quæ à Deo accepit.

Homo accepit à Deo esse pulchrum & præesse. Ad cujus intellectum est primò notandum secundùm *Augustinum*, quòd homo non solùm accepit à Deo *esse naturale*, sicut cæteræ creaturæ: sed *pulchrum esse*, & *præesse*. Nam esse naturale in homine, est illud, per quod convenit cum cæteris creaturis, tàm animatis, quàm inanimatis, putà, esse *naturale*, & *vegetativum*, & *sensitivum*, & secundùm locum *motivum*. Sed *pulchrum* est illud, per quod dicitur ad imaginem Dei specialiter factus, per quod attingit scientiam & notitiam omnium rerum, tàm spiritualium, quàm corporalium, & attingit omnes virtutes, tàm Theologales, quàm Morales: & attingit omnia dona gratiarum, & Sacramentorum: & finaliter attingit veram beatitudinem. Et hoc est *pulchrum esse*, quod à Deo accepit homo ultra cætera animantia. Sed ultra hoc *pulchrum esse*, accepit *præesse*: quia præfecit eum Dominus omnibus animantibus & cæteris creatis, ut patet *Genes.* 1. & 2. cùm dixit: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus, & bestiis terræ &c.* Ex quo patet, quòd plura dona accepit homo à Deo, quam cætera animantia.

Hominis tria dona à Deo. Secundò est advertendum secundùm *Augustinum*, prout dictum est, quòd homo tria dona accepit à Deo in hoc mundo, scilicet, dona *naturæ*, & *fortunæ*, & *gratiæ*: quæ intelliguntur per illa bona quæ tra-

tradidit *Paterfamilias* servis suis ad negotiandum, & peregrè profectus est, *Matth.* 25. Nam per *quinque talenta* intelliguntur quinque bona naturæ, qui sunt *quinque sensus* exteriores, scilicet, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, dati ad necessitatem vitæ hominis. Et *quinque potentiæ interiores cognoscitivæ*, datæ ad discurrendum, & ratiocinandum, & fruendum; scilicet, *imaginativa*, & *sensus communis*, & *phantasia*, & *cogitativa*, & tota *pars rationalis* continens *intellectum*, *memoriam*, & *voluntatem*. Ista autem quinque, tàm interiora, quàm exteriora, dicuntur bona naturæ, de quibus tenetur homo reddere rationem Deo in novissimo die. Bona autem fortunæ homini data, intellecta per *unum talentum*, sunt dignitates, & potestates, & divitiæ temporales, quæ dicuntur *bona fortunæ*: non quod dentur à casu, nec à dea dicta *Fortuna*, sicut putabant Gentiles; quia à solo Deo omnium Creatore dantur, & ab eo solo sunt petenda, ut inquit *Augustinus* lib. *contra Academicos*, & primo *de Civitate Dei*, *cap.*8. Sed in tantum usitato vocabulo dicuntur *bona fortunæ*, quia causa eorum ignoratur à nobis. Nam bene noscimus, quòd à solo Deo dantur, aut præceptivè, aut permissivè: & scimus quod *sunt bonis bona*, *& malis mala*: sed ignoramus quare Deus permittit quandoque pravos regnare, & præesse, & prosperari, & justos deprimi, & subesse, prout dictum est *Psal.*72. Et ideo propter eorum causam latentem, & nobis ignotam dicuntur *bona fortunæ*. Bona verò gratiæ, per illa *duo talenta* intellecta, dicuntur dona gratiarum Spiritus sancti, & dona Ecclesiasticorum Sacramentorum; per quæ quidem dona gratiæ recepta in hoc sæculo homo recipit & adipiscitur dona gloriæ in futuro.

Quia ergo homo præ cæteris creaturis recepit à Deo ista tria genera bonorum, scilicet, *naturæ*, *fortuuæ*, & *gratiæ*: ideo magis tenetur Deum laudare, & gratias agere. Ideo David enumeratis cæteris creaturis, in hac ultima parte invitat omnes homines ad laudem Dei; & hoc quoad omnes status, & dignitates, & sexus, & ætates. Dicit ergo: O vos omnes *Reges terræ*, qui præ cæteris à Deo accepistis majora dona fortunæ, qui loco Dei praestis omnibus populis & regnis: *&* vos *omnes populi*, sub jure, & legibus, & magistratibus, & regibus sociati: & vos *Principes*, *& omnes Judices*, & Præsides *terræ*: & vos *juvenes* masculi, *& virgines* fœminæ: & vos omnes *senes* simul *cum junioribus*, laudate Deum, supplè: & omnes isti prædicti *laudent* Christum, qui est *nomen Domini*. Nam hoc *nomen Jesus*, quod est nomen solius Dei, *est exaltatum* in cœlo, & in terra. Nam eò quòd Christus *seipsum exinanivit formam servi accipiens*, *& humiliavit seipsum factus obediens* Patri *usque ad mortem crucis*: ideo Pater dedit Filio istud nomen, quod *est super omne nomen*, & exaltavit ipsum, in tantum quòd *in nomine Jesu omne genu flectatur*, *cœlestium*, *terrestrium*, *& infernorum*: & tandem *in gloria est Dei Patris*. Ex quo patet, quòd hoc nomen *Jesus solius* Dei est ibi exaltatum. Ergo omnes status hominum tenentur Christum laudare.

13. *Confessio ejus super cœlum & terram: & exaltavit cornu populi sui.*

11.d. ca. Nolite.

SI ergo ita est, quòd hoc nomen *solius* Dei, quod est *Jesus*, est exaltatum super omnes status, & conditiones hominum, & in cœlo, & in terra, & in inferno: ergo sit *confessio* laudis *ejus super cœlum & terram*: eò quòd ipse Christus *exaltavit cornu*, scilicet, regnum & honorem populi sui per suam mortem, & passionem, & resurrectionem, & ascensionem. Nam per omnia ista meruit Christus exaltare humanam naturam, & Ecclesiam suam, in tantam dignitatem, ut membra ejus mereantur felices mansiones in cœlo inter, & super Angelos.

Laus Christi super Angelos.

Dupliciter ergo Christus meretur, ut *confessio* laudis ejus sit *super cœlum*, id est, super omnes Angelos & Beatos, *&* super *terram*, id est, super omnes homines hujus Ecclesiæ, & super utramque Ecclesiam, scilicet Triumphantem & Militantem. Primò: *quia nomen ejus solius est exaltatum* à Patre, qui dedit ipsi illud *nomen*, *quod est super omne nomen* in omnipotentiâ, & sapientiâ, & misericordiâ, & justitiâ. Secundò: quia ipse Christus meruit *exaltare cornu populi sui*, eo modo quo dictum est. Debet ergo sic ordinari, & construi ista littera: *Reges terræ &c. laudent nomen Domini*, scilicet, Jesum Christum, qui est nomen Domini *Tetragrammaton*, prout dictum est sæpiùs &c. Et sit *confessio ejus*, scilicet Jesu Christi, *super cœlum & terram*: *quia nomen ejus solius est exaltatum* à Patre. *Et* quia ipse Christus *exaltavit cornu populi sui*. Nam nomen Christi fuit exaltatum in terra in miraculis factis, & in inferno, ipsum expoliando: & fuit exaltatum in cœlo, quia in die ascensionis sedit à dextris Patris. Sed ipse *exaltavit cornu populi sui*, quando ipsum de captivitate diaboli liberavit, & in cœlo inter Principes & Angelos collocavit. Deinde cùm dicit:

*** *** ***

14. *Hym-*

92. d. ca. In Gloſ.

14. *Hymnus omnibus ſanctis ejus: A filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi. Alleluia.*

SPecialiter invitat populum Dei : eò quòd præ cæteris accepit à Deo dona gratiæ & gloriæ. Et nominat ipſum tribus nominibus, ſcilicet, *populum ſanctorum*, & *filios Iſrael*, & *populum appropinquantem Deo.*

Ad quorum intelligentiam eſt primò notandum, quòd ſanctus dicitur de *ſancio, ſancis*, quod idem eſt quod *bene ordinare*: & ideo *ſanctus* dicitur, quia benè ordinatus in vita: & ſic omnes qui vivunt ſub Lege Divina, dicuntur *ſancti*. Et iſto modo omnes B juſti utriuſque Teſtamenti, qui vixerunt ſub Divina Lege & ſanctione, dicti ſunt *ſancti*, ab Adam uſque ad ultimum juſtum. Et totus iſte cœtus dicitur *populus ſanctorum*. Et non ſolùm dicuntur ſancti in hac vitâ, ſed etiam dum jam fruuntur in cœleſti. Totum ergo iſtum populum ſanctorum utriuſque Teſtamenti, & utriuſque Eccleſiæ, tàm Militantis, quàm Triumphantis, invitat David ad laudem Dei, cùm ait: *Hymnus omnibus ſanctis ejus.*

Deinde cùm ſubdit: *Filiis Iſrael populo appropinquanti ſibi*, eſt advertendum, prout dictum eſt *in Prologo*, quòd *Jacob* filius *Iſaac* habuit duo nomina; ſcilicet *Jacob*, & *Iſrael*. Primum nomen, ſcilicet *Jacob*, habuit à nativitate carnali, licèt C non fuerit abſque myſterio & ſignificatione. Secundum nomen, ſcilicet *Iſrael*, fuit ipſi impoſitum in nativitate & regeneratione ſpirituali, quando fuit benedictus à Deo, & luctatus eſt cum Angelo, ut patet *Gen.* 32. ubi quatuor notantur myſteria. Nam primò *Jacob* tenuit fortiter Angelum in perſona Dei, nec voluit ipſum dimittere. Secundò, fuit benedictus ab eo. Tertiò, fuit directus ab eo. Quartò vidit Dominum in illo Angelo, qui ſecum luctabatur. Et ideo propter iſta quatuor myſteria Deus voluit, quòd deinceps appellaretur *Iſrael*. Primò, quia fuit fortis cum Deo, ipſum tenendo & non dimittendo. Secundò, quia fuit à Deo benedictus & regeneratus. Tertiò, D quia fuit à Deo directus. Quartò, quia vidit Dominum facie ad faciem: & iſta quatuor ſignificat hoc nomen *Iſrael*: & ideo ille populus fuit *binomius* in Scriptura.

Jacob vocatur duobus nominibus.

Nam uno modo dicitur *Jacob*, in quantum eſt filius *Jacob* ſecundùm carnem, & nativitatem carnalem. Alio modo dicebatur *Iſrael*, ſive filius *Iſrael*; & hoc ſecundùm ſpiritum, in quantum erat directus à Deo per legem, & videbat Dominum per fidem. Et ideo per illa duo nomina, ſcilicet *Jacob* & *Iſrael*, figurabatur, quòd in adventu Meſſiæ ille populus erat dividendus in duas partes. Nam una pars eorum debebant manere filii *Iſrael* E ſecundùm carnem tantùm, & debebant perdere nomen *Iſrael* ſecundùm ſpiritum: quia debebant dimittere Deum, negando Chriſtum, & non debebant benedici, nec dirigi à Chriſto, nec videre Deum per fidem: immò debebant claudicare à via veritatis, & *errare ab utero* legis, & alienari *à vulvâ*, & loqui falſa contra veritatem Sacræ Scripturæ. Unde dictum eſt in *Prologo*, quòd *Jacob* poſtquam luctatus eſt cum Angelo, manſit claudus uno pede: per quod fuit figuratum, quòd una pars filiorum ejus debebat claudicare à rectitudine & veritate legis, negando Chriſtum eſſe Meſſiam: ſed alia pars debebat recipere Chriſtum, & tenere eum, & benedici ab eo F per Baptiſmum, & Eccleſiaſtica Sacramenta, & dirigi ab eo, & viâ rectâ procedere, & pede recto, per legem Euangelicam; & videre Deum, & *appropinquare* ipſi per fidem & gratiam, ſicut fuerunt Apoſtoli, & omnes qui receperunt Chriſtum. Et ſic omnes iſti erant dicendi & appellandi *filii Iſrael*: & *Iſrael* ſecundùm veritatem, & per repromiſſionem.

Et ſic patet, quòd Judæi moderni, & tota illa pars, quæ negavit & repudiavit Chriſtum, licèt ſint *filii Jacob* ſecundùm carnem; tamen falſo modo nominantur *Iſrael*, ſeu *filii Iſrael*: quia tale nomen eſt ſecundùm ſpiritum & promiſſionem impoſitum ipſi *Iſrael* in illa benedictione regenerativa per illa quatuor myſteria. Sed quia G ipſi nullum ipſorum habent, primò, quia non fortiter tenuerunt Chriſtum, nec appropinquaverunt ipſi; immò negaverunt & fugerunt eum; nec voluerunt dirigi ab eo per legem Euangelicam; nec regenerari, nec benedici per Baptiſmum & Eccleſiaſtica Sacramenta: nec voluerunt ipſum videre per fidem, ſed in ſua cœcitate permanere: Ideo nullo modo poſſunt dici *Iſrael*, nec *filii Iſrael*. Sed nos licèt non ſimus *filii Jacob* ſecundùm carnem; tamen quia recepimus, & tenemus Chriſtum, & appropinquamus ipſi per gratiam, & adhæremus per fidem, & ſumus ab eo benedicti per Baptiſmum, & Eccleſiaſtica Sacramenta, & ſumus directi per legem Euan- H gelicam: ideo ſumus veri *Iſrael*, & *filii Iſrael* ſecundùm veritatem, & repromiſſionem, & regenerationem: quia *Iſrael* non eſt nomen carnis, nec generationis, ſed nomen regenerationis & repromiſſionis.

Nota quomodo Chriſtiani, & non Judæi ſunt filii Iſrael, ſeu Jacob.

Hoc ergo prævidens David in ſpiritu, concludendo invitat hunc populum regeneratum ad laudem Dei, dicens: Sit *Hymnus* & cantus lætitiæ *filiis Iſrael*, non carnalibus negantibus & fugientibus Chriſtum, ſed *populo appropinquanti ſibi* per regenerationem, & fidem, & gratiam, ſicut dictum eſt.

Ex supradictis patet, non esse veram positionem illorum qui dicunt, quòd David solùm invitat populum veteris Testamenti ad laudem Dei in hoc Psalmo. Nam primò hoc est manifestissimè contra textum, qui dicit: *Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Judices terræ* laudate Dominum. Nam solus ille parvus populus laudabat Deum, qui erat minimus inter omnes populos alios. Item, in illo populo non erat nisi unus Rex &c. Ex quo sequitur, quòd David propheticè invitat & excitat omnes Reges, & populos, & Principes totius terræ Gentilium, ad laudandum Christum, quos in spiritu prævidebat ad fidem Christi venturos. A

Item secundò, manifestè videmus secundùm supradicta, quòd David invitat *filios Israel* secundùm spiritum & repromissionem, qui est *populus appropinquans sibi*: sed talis est populus Christianus: Ergo non solùm invitat patres, nec populum veteris Testamenti. B

Item, ex tali positione sequeretur, quòd David non esset Propheta in hoc Psalmo: quod est falsum, quia ita locutus est prophetico spiritu in hoc Psalmo, sicut in cæteris, ut sæpiùs dictum est. Ex supradictis ergo patet, qualiter David invitat in hoc Psalmo omnes creaturas, tàm superiores, quàm inferiores; tam irrationales, quàm rationales; tàm novi Testamenti, quàm veteris: sed specialiter invitat verum *Israel* secundùm spiritum & promissionem, *populum appropinquantem sibi*, qui est populus Christianus, quem in spiritu prævidit per Christum regenerandum, & benedicendum, & dirigendum &c. C

Objectio. Sed hîc dubitatur: nam videtur, quod Propheta non invitat omnes creaturas ad laudandum: nam non invitat avaritiam, nec luxuriam, nec invidiam, nec cætera hujusmodi ad laudandum Deum.

Responsio. Ad hoc respondet *Augustinus*, quòd ista non sunt creata à Deo, nec de se sunt aliqua substantia, nec habent aliquam essentiam: ideo non invitantur ad laudandum Deum: quia non computantur, nec numerantur inter creaturas.

Nota quomodo peccatum nò habet esse à Deo. Ad cujus intellectum est advertendum secundùm *August. lib. de Natura boni*, & in omnibus tractatibus quos fecit *contra Manichæos*, & *Pelagianos*, & prout dictum est *Psal.*13. & 14. & 118. quòd omnis res, & omnis substantia est bona naturaliter. Primò, quia est creata ad instar & exemplar illarum æternarum idearum. Secundò, quia in omni essentia Deus concreavit aliquam virtutem, & proprietatem utilem ad conservationem universi, per quam res dicitur bona, & appetibilis: ut patet de auro, argento, & lapide pretioso, & Agarico, & Rha barbaro &c. Et sic essentia & substantia hominis naturaliter est bona; immò melior est omni aliâ creaturâ irrationali: quia non solùm accepit à Deo *esse*, sed *pulchrum esse*, ut supra dictum est. D E

Sed homo ex frequentibus actibus indebitis & inordinatis, ex proprio libero arbitrio commissis, potest generare in se aliquem malum habitum & vitium: sicut sunt avaritia, luxuria, odium, & pigritia &c. quæ quidem vitia non sunt creata à Deo, sed ab homine perpetrata, & ex proprio arbitrio elicita: & ultra hoc vitium, infligitur culpa & peccatum in anima, per quod dicitur dissimilis Deo, & Deo odiosa, & obligata ad pœnam æternam, ut sæpiùs dictum est. Unde talis actus in tantum dicitur malus, in quantum deviat à divina lege & voluntate, quæ est metrum, & mensura, & regula omnium actuum humanorum. Unde actus venereus in tantum dicitur peccatum, in quantum fit contra divinam legem, ut putà, cum uxore alterius, & sic dicitur *adulterium*: vel aliter quam cum propria uxore, aut modo ordinato; & sic dicitur *fornicatio*. Ex quo patet, quòd sola inordinatio, & modus indebitus & prohibitus facit actum, vel concupiscentiam esse peccatum, & damnabilem. Et sic patet, quòd vitium & peccatum, ut putà, avaritia, & adulterium, & homicidium, non sunt substantia aliqua: nec habent essentiam: nec sunt creata à Deo, sed à malâ & perversa hominis voluntate perpetrata, deviando à divina lege & voluntate, & deficiendo ab illa. Et sic non habent causam *efficientem*, sed *deficientem*, ut inquit *Augustinus* 12. *de Civ. Dei*, *cap.*7. Cum ergo ista vitia & peccata non sint à Deo creata, immò contra ejus regulam & voluntatem perpetrata, ideo non possunt laudare Deum, sed blasphemare. Hæc est ergo causa quare Propheta non invitat ea ad laudandum Deum inter creaturas. F G

Ex dictis in isto Psalmo insurgunt etiam aliæ duæ mirabiles quæstiones: *Quarum prima est:* Unde est, quòd solus Deus solo verbo & præcepto absque omni motu & adminiculo, dicendo *ad extra*, produxit cœlum, & terram, & Angelos, & totam universitatem creaturarum; quia *ipse dixit & facta sunt: mandavit & creata sunt*: quod nulla creatura citra Deum potest facere? H

Secundò quæritur: Quare *Jesus* Filius Dei, *Verbum* incarnatum, secunda de Trinitate Persona magis dicitur *Nomen Dei*, & intelligitur per *Nomen Dei* in tota Sacra Scriptura, quam Persona Patris, aut Spiritus sancti, de qua Persona Filii dicitur: *Exaltatum est nomen ejus solius*?

Quomodo Deus Verbo omnia creavit. Quantum ad primum absque argumentis Philosophorum est dicendum, sicut jam dictum est *Psal.*110. quòd causa quare Deus ex solo Verbo dicendo creat omnia abs-

abſque aliquo alio exteriori, eſt: quia quælibet creatura quoad totum ſuum eſſe dependet à Verbo Divino & voluntate. Nam quoad *eſſe eſſentiale & ſubſtantiale*, dependet à Verbo, in quantum eſt ſimilitudo illius æternæ ideæ & exemplaris formæ exiſtentis æternaliter in Verbo Divino: & ſic dependet à Deo in genere cauſæ formalis. Sed quoad *eſſe exiſtentiæ actualis*, dependet à divina voluntate, in quantum divina voluntas ſpirat & influit *eſſe actualis exiſtentiæ* in illa eſſentia & ſubſtantia, deducendo ſimilitudinem illius ideæ ad actualem exiſtentiam *ad extra*. Unde *loqui* Dei *ad extra*, nihil aliud eſt, niſi multiplicare ſimilitudines idearum exiſtentium in Verbo, ſpirando actualem exiſtentiam: & ſic creantur creaturæ ad ſimilitudinem illarum idearum. A B

Unde ſicut ad locutionem humanam concurrit intellectus, & voluntas: nam primò intellectus educit & exprimit *ad extra* ſimilitudines ſcientiæ, & cogitationis idæalis, quam diu ante habebat; ſed voluntas movet organa ad formandam vocem, in qua imprimitur cogitatio intellectus, & ſic illa vox manifeſtat *ad extra* cogitationem intellectus: & ideo ſicut humana locutio, ſive verbum vocale, vel ſcriptum, eſt effectus intellectus & voluntatis, totaliter dependens ab eis: ita pariter quælibet creatura nihil aliud eſt niſi divina locutio *ad extra*, totaliter dependens à Divino Verbo & voluntate. Itaque ſicut in verbo & locutione humana conſiderantur duo, ſcilicet *ſonus*, & *ſignificatio*; nam ille ſonus importat ſignificationem verbi mentalis impreſſam, & ſic notificat cogitationem mentis *ad extra*: ita pariter in qualibet creatura conſiderantur duo. Primò eſſentia, ſive ſubſtantia, quæ eſt ſimilitudo ideæ divinæ. Secundò conſideratur *eſſe* inſpiratum & influxum à divina voluntate: quod quidem eſſe ſuſtentat, & actuat, & perſonat, & ſuppoſitat eſſentiam & ſubſtantiam. Et ideo multi Doctores Scholaſtici pro majori parte tenent, quòd iſtud *eſſe actualis exiſtentiæ* diſtinguitur realiter ab eſſentia in creaturis: eò quòd eſt actus, & perfectio eſſentiæ. Ex quibus patet, quòd *locutio* Dei *ad extra* nihil aliud eſt niſi eductio & expreſſio ſimilitudinum divinarum idearum cum influxu actualis exiſtentiæ: & iſta dicitur *creatio rerum*. Et ideo dicit Author *cauſarum*, quòd prima rerum creatarum eſt *eſſe*. C D

Ex ſupradictis fundamentis ſequuntur quatuor corollariæ concluſiones.

Prima concluſio: quòd Deus ex ſolo Verbo, dicendo, potuit producere totam univerſitatem creaturarum ex nihilo præſuppoſito. Probatur: nam cùm Deus ſit *primum Ens*, continens virtualiter in ſuo Verbo & voluntate totum eſſe & omnes perfectiones omnium creaturarum: quia omnia dependent ab eo in genere cauſæ formalis ratione idearum, & in genere cauſæ efficientis ratione voluntatis; & ſic omnia ſunt entia, & vera ab illâ *primâ entitate & veritate*, 2. *Metaph.* & omnia ſunt perfecta ab illa prima perfectione, 5. *Metaph.* & omnia procedunt & multiplicantur ab illa *unitate*, ſicut numeri, 8. *Metaph.* & omnia menſurantur ab illa ſimplici *menſurâ*, 10. *Metaph.* Ex quibus patet, quòd poſtquam omnia dependent à Divino Verbo & voluntate quoad totum ſuum eſſe, & per omnem modum: ergo ſolo Verbo Deus poteſt omnia producere. E

Item, cauſa quare agens naturale & artificiale non poteſt ex ſolo verbo producere res *ad extra*, eſt, quia non continet in ſe res, & effectus ſuos quoad totum eſſe earum: nec ipſæ res dependent quoad totum ſuum eſſe; nam materia phyſica non dependet ab agente naturali, immò præſupponitur ab eo: ita materia artificialium non dependet ab artifice; immò artifex præſupponit lignum, vel metallum factum à natura. Unde ſi materia artificialium totaliter dependeret ab artifice, & artifex contineret eam virtualiter, ſicut Deus continet creaturas virtualiter quoad totum ſuum eſſe: tunc domificator ex ſolo verbo dicendo faceret domum, & artifex ſolo verbo faceret calicem &c. F

Secunda concluſio: quòd Deus potuit ſolo Verbo producere creaturas *ad extra*, non communicando eis ſubſtantiam. Probatur: nam ſicut domificator producit domum *ad extra* communicando ipſi ſimilitudinem artis, quam habet in intellectu, non communicando ſubſtantiam propriam; eò quòd producit domum, non de ſubſtantiâ, ſed ex arte: ita pariter Deus produxit creaturas, communicando ſimilitudines idearum, non communicando ſubſtantiam divinam. Et ſicut Magiſter & Doctor communicat, & manifeſtat Diſcipulis ſcientiam ſuam loquendo & dicendo, non communicando ſubſtantiam: ita pariter Deus in creando communicat creaturis ſimilitudinem perfectionum, & idearum, non communicando ſubſtantiam. Et ratio eſt: quia Deus producit creaturas per modum artis, & non per modum naturæ. Sed quia Pater in divinis loquendo *ad intra* & dicendo producit Filium & Verbum Divinum per modum naturæ: ideo communicat ipſi eamdem ſubſtantiam & eſſentiam. G H

Tertia concluſio: quòd mundus non eſt productus ex neceſſitate ab æterno: ſed Deus potuit ex tempore ipſum producere & creare. Probatur: nam ea omnia quæ producuntur per artem, ſunt temporalia: ſed Deus produxit omnia artificialiter, & non naturaliter; quia omnia procedunt ex illa divina arte, ut ait *Commentator*, 12. *Metaph.* & *Auguſt.* 15. *de Trinitat.* Aliter pa-

patet: nam cùm ars ſit principium & menſura rerum artificialium quantum ad formam; & voluntas ſit principium effectivum; ideo voluntas & ars ſemper præcedunt effectus artificiales: & ſic ars poteſt eſſe ante res artificiales. Unde artifex per magna tempora poteſt habere artem, & poſteà quando ſibi placet, producit res artificiales. Ita pariter Deus ab æterno habuit ideas rerum; ſed quando ſibi placuit, produxit creaturas ex eis quando ſibi placuit ex tempore per modum artis & voluntatis. Sed quia Pater producit, & dicit Verbum & Filium per modum naturæ, & non per modum artis; ideo producit Filium ab æterno, & non ex tempore. Ex quo patet, quòd dupliciter loquitur Deus: uno modo *ad intra*, & per modum naturæ, & producit, & dicit Filium ab æterno, communicando ipſi eamdem ſubſtantiam. Secundo modo loquitur *ad extra*, & per modum artis: & ſic producit creaturas ex tempore, non communicando eis ſubſtantiam, ſed ſolas ſimilitudines ſuæ artis, & ſuarum idearum, & perfectionum.

Loquitur Deus dupliciter.

Ex ſupradictis patet eſſe falſam opinionem & hæreſim *Manichæorum*, qui dicebant, quòd Deus *Princeps lucis* creavit Angelos & animas rationales de ſubſtantia ſuâ, communicando eis partem ſuæ ſubſtantiæ: & ita diabolus *Princeps tenebrarum* creavit animas ſenſibiles, & omnia corpora de ſua ſubſtantia.

Item ſecundò ex hoc patet eſſe falſam opinionem *Avicennæ*, qui dicit, quòd ſecunda *Intelligentia* creat tertiam, & tertia quartam &c. & ultima *Intelligentia* creat animas intellectivas, & omnes alias formas generabilium & corruptibilium: quia nulla *Intelligentia* continet virtualiter aliquam creaturam quoad totum ſuum eſſe, niſi ſola prima, qui eſt Deus.

Tertiò ſequitur, poſitionem *Ariſtotelis*, & *Commentatoris* eſſe falſam, qui dicunt, mundum ex neceſſitate eſſe à Deo cauſatum ab æterno formaliter & efficienter: nam Deus non produxit mundum per modum naturæ, ſed per modum artis & voluntatis. Et ideo licèt ars Creatoris ſit æterna in ſuis ideis, & in Verbo; tamen productio rerum eſt temporalis, facta ad placitum & nutum divinæ voluntatis, dicendo res *ad extra*. Hoc ergo videns David in ſpiritu, dicit in hoc Pſalmo, quòd *ipſe* Deus *dixit & facta ſunt: mandavit & creata ſunt* omnia iſta ex tempore, quando dixit: *Fiat lux &c. Geneſ.* 1.

Quarta concluſio: quòd in Divinis eſt Trinitas Perſonarum cùm unitate ſubſtantiæ. Probatur: nam ibi eſt Deus, qui dixit omnia creata *ad extra* ex tempore: & ibi eſt Verbum, per quod dixit omnia illa, in quo erant idealiter creaturæ *ab æterno*, & à quo formaliter dependent quoad eſſe eſſentiale: & ibi eſt Spiritus ſanctus, per quem Pater & Verbum ſpirant eſſe actualis exiſtentiæ in rebus creatis, qui *ferebatur ſuper aquas*. Sed omnes iſtæ tres Perſonæ ſunt una ſubſtantia, & una eſſentia, & unum eſſe: Ergo ſunt unus tantùm Deus ſubſtantialiter & eſſentialiter. Hoc probatur: nam ſicut *intelligere* Dei eſt ſubſtantia; ita *dicere* Dei ab æterno eſt ſubſtantia: & per conſequens Verbum, quod ab æterno producit de ſua ſcientia, eſt ſua eadem ſubſtantia. Et per conſequens licèt Verbum à Patre productum & dictum diſtinguatur perſonaliter ab eo: tamen eſt idem eſſentialiter & ſubſtantialiter cum eo. Hoc idem eſt dicendum de *Amore* ſpirato & producto ab utroque. Et ſic patet, quòd tota Trinitas Perſonarum, tamquam una ſubſtantia, & unus Deus, & unus Creator, concurrit ad creationem rerum.

Trinitas Perſonarum.

Et hoc voluit explicare *Moyſes*, *Gen.* 1. cùm dixit, quòd unus *Deus creavit cœlum & terram in principio*: & explicat tres Perſonas, dicens, quòd *Deus dixit*: *Fiat lux*: *&* illicò *facta eſt lux*. Ergo ſi Deus *dixit*, per aliquod Verbum *dixit*: & per conſequens antequam iſta diceret ex tempore jam habebat Verbum dictum & productum ab æterno de totâ ſcientiâ & ſubſtantiâ ſuâ: per quod quidem Verbum æternum Pater ex tempore dicit iſta. Item ſubdit poſtea *Moyſes*, quòd *terra erat inanis & vacua*, ſed *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, conferendo, ſupple, eſſe actuale omnibus rebus creatis. Ex hoc patet, quòd tres Perſonæ Divinæ explicantur in creatione rerum, ſcilicet, Pater dicens, & Verbum quod dicit res, & Spiritus ſanctus, per quem ſpirat eſſe rebus, & vivificat eas. Et tamen dicit *Moyſes*, quòd iſtæ tres Perſonæ non eſt niſi unus Creator, qui creavit omnia. Hoc ergo idem dicit *David*, *Pſal.* 32. cùm ait: quòd *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et hoc idem dicit in hoc Pſalmo, cùm ait: *Ipſe* Deus *dixit*, *& facta ſunt*: per quod explicatur Pater dicens, & Verbum per quod dixit omnia. Deinde explicat Perſonam Spiritus ſancti, cùm ſubdit: *Mandavit, & creata ſunt*: nam ſicut Pater dicit per intellectum & Verbum; ita mandat, & dat *eſſe* per voluntatem & Spiritum ſanctum: nam ſicut *dicere* denotat, & connotat actum intellectus; ita *mandare* connotat actum voluntatis. Et ſic explicatur tota Trinitas Perſonarum concurrentium ſub una ſubſtantia ad actum creationis. Sed miſeri Judæi id non percipiunt.

Jeſus dicitur nomen Dei.

Quantum ad ſecundam quæſtionem eſt advertendum: quòd *nomen* dicitur à notificando, 7. *Metaphyſicæ*. Ideo illud per quod magis notificatur res, dicitur *nomen* rei, & habet rationem nominis rei. Sed quia tota plenitudo divinitatis, & omnium di-

divinarum perfectionum, & etiam Trinitas perſonarum, magis notificantur in Verbo, quæ eſt perſona Filii, quam in aliâ perſonarum: ideo dicitur *nomen Dei*. Et hoc non eſt intelligendum quoad eſſe, quaſi plenitudo divinarum perfectionum magis ſit in una perſona, quam in alia; nec Pater ſit magis in Filio, quam in Spiritu ſancto, nec econverſo: quia hoc eſſet erroneum dicere: ſed quantum ad notificationem dicitur, quòd plenitudo Divinitatis & Trinitatis perſonarum magis notificatur in perſona Filii, quam in aliâ: & hoc, non ſolùm ex tempore, ſed etiam ab æterno. Et ideo per *nomen Dei* ſemper intelligitur perſona Filii, prout dictum eſt *Pſalm.* 8. & 112. & per totam Expoſitionem hujus libri.

Ad cujus intellectum eſt piè & fideliter, & ſemper cum correctione Eccleſiæ advertendum ſecundùm *Auguſtinum* 15. *de Trinitate*: quòd Deus Pater ab æterno intelligit & novit ſe ſecundùm totam plenitudinem ſuæ divinitatis: & ſic intelligendo ſe, dicit Verbum de tota ſua ſcientia & ſubſtantia; & per conſequens communicat Verbo totam ſuam ſubſtantiam & eſſentiam, & plenitudinem ſuæ divinitatis. Et ſic Pater ſicut eſt in Verbo ſecundùm totam plenitudinem ſuæ divinitatis; ita novit in Verbo, & diffininit ſe per Verbum ſecundùm plenitudinem divinitatis, & omnium divinarum perfectionum: & per conſequens Pater notificatur in Verbo. Et ſic Filius non ſolùm dicitur *Verbum*, & conceptus diffinitivus Patris, in quantum explicat totam eſſentiam Patris; ſed etiam dicitur *nomen Dei*, in quantum notificat totam plenitudinem perfectionum divinarum: vel in quantum in ipſo, & per ipſum notificantur. Rurſus: ſicut Pater ſe novit in Filio ſecundùm totam plenitudinem divinitatis, & omnipotentiæ, & ſapientiæ, & miſericordiæ, & juſtitiæ, & bonitatis: ita diligit ſe in Flio, & Filium in ſe, & ſic Pater ſimul cum Filio ſpirat Amorem, qui eſt Spiritus ab utroque procedens. Et ſic ſicut Pater dicendo communicat Verbo totam ſuam ſubſtantiam & eſſentiam & plenitudinem divinitatis: ita pariter Pater & Filius ſpirando, communicat Spiritui ſancto totam eamdem ſubſtantiam & eſſentiam & plenitudinem divinitatis. Et ſic patet, qualiter Pater in Verbo novit ſe ab æterno eſſe Deum, & eſſe Patrem, & in Verbo novit Spiritum ſanctum procedentem ab utroque. Et ideo licèt tota plenitudo divinitatis ſit æqualiter in tribus perſonis: & licèt non magis Pater ſit in Verbo & in Spiritu ſancto, quam econverſo: tamen quantum ad modum notificandi, quia omnia ſupradicta notificantur in Filio, aut per Filium: ideo Filius dicitur *diffinitio & nomen Dei*.

Sed iſta notificatio divinarum perfectionum facta per Filium magis fuit mundo manifeſtata ex tempore *ad extra*, prout dictum eſt in præcedenti quæſtione. Nam Pater habens in ſuo Verbo ideas & exemplaria omnium rerum ab æterno, & ſuſpiciens illa exemplaria tamquam in arte, ex tempore dixit omnia ad extra: quia dicendo *Fiat lux*, facta eſt lux, ſcilicet tota natura Angelica: & dicendo, *Fiat firmamentum, factum eſt ita*. Et ſic patet, qualiter per Verbum ſuum Deus notificavit ex tempore *ad extra* multitudinem perfectionum divinarum, quam habet ab æterno *ad intra*: & per conſequens Filius Dei, per quem facta & notificata ſunt omnia, debet dici *nomen Dei*.

Item, per Verbum Filium Dei non ſolùm fuerunt nobis notificatæ divinæ perfectiones eſſentiales in opere creationis; ſed etiam myſterium Trinitatis: nam per hoc quod Deus dixit, *Fiat lux &c.* oſtendit Deus Pater ſe habere Verbum, & per conſequens Filium, per quem fecit & notificavit omnia: & per hoc quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, oſtendit ſe ſimnl cum Filio habere Spiritum ſanctum: & ſic per Filium fuit notificatum etiam myſterium Trinitatis in opere creationis.

Chriſtus mundo notificavit Trinitatē.

Sed multò magis omnia ſupradicta fuerunt mundo notificata per Filium incarnatum in opere noſtræ recreationis & Redemptionis. Nam primò, Chriſtus magis clarè notificavit mundo myſterium Trinitatis, oſtendens qualiter ipſe procedebat à Patre, quando dixit: *Ego à Patre proceſſi, Joan.* 8. Item, quando dixit: *Exivi à Patre, & veni in mundum, Joan.* 15. Item, oſtendit & notificavit nobis, qualiter Spiritus ſanctus procedit à Patre, cùm dixit: *Cùm venerit Paraclitus qui à Patre procedit, Joan.* 15. Item, oſtendit, quòd procedit à Filio, cùm dixit: *Ille de meo accipiet, Joan.* 16. Et cùm inſufflavit in diſcipulos, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, Joan.* 20. Item, oſtendit, quòd licèt iſtæ tres perſonæ diſtinguantur realiter & perſonaliter; tamen ſunt unius ſubſtantiæ, & conſubſtantiales, cùm dixit: *Pater & ego unum ſumus &c. Joan.* 14. Ex quibus patet, quòd Jeſus Chriſtus notificavit mundo myſterium Trinitatis perſonarum cum unitate ſubſtantiæ in ſuo adventu: & per conſequens verè dicitur *nomen Dei*.

Item, magis clarè notificavit mundo divinas perfectiones, ſcilicet ſummam omnipotentiam Dei, & ſapientiam, & miſericordiam, & juſtitiam: notificavit enim ſummam Dei omnipotentiam in miraculorum operatione, inferni expoliatione, & generis humani liberatione. Secundò, notificavit ſummam Dei ſapientiam in Legis Euangelicæ datione. Tertiò, ſummam miſericordiam in morte & paſſione. Quartò, ſummam juſtitiam oſtendet in finali judicio. Et ſic patet, quòd ſi omnia ſupradicta ſunt facta & notificata mundo per Jeſum Chriſtum

tum Filium Dei: ergo ipsa persona Christi incarnata meretur dici *nomen Dei*: quod quidem *nomen Dei* est nomen omnipotentiæ, & sapientiæ, & misericordiæ, & justitiæ, & virtutis; eò quòd in virtute hujus nominis omnia sunt facta & creata & recreata. Unde sicut Deus Pater in virtute hujus nominis dicendo, creavit mundum, vificando omnia per Spiritum sanctum: ita in virtute hujus nominis induxit diluvium in terram. Et in virtute hujus nominis *Moyses* eduxit Israel de Ægypto, & fecit signa & prodigia, & divisit mare Rubrum, & traduxit illum populum per desertum *in manu potenti, & percussit petram, & fluxerum aquæ &c.* Item, in virtute hujus nominis *Josue* introduxit populum in terram promissam &c.

Et ideo *Adam* primus homo, qui ex nutu Dei imposuerat nomina omnibus rebus creatis juxta suas naturales proprietates & virtutes, videns in spiritu, quòd Deus Pater per Verbum Filium suum creaverat omnia, & notificaverat suam omnipotentiam & sapientiam: & prævidens in spiritu, qualiter Deus Pater per Filium suum Verbum incarnatum, & per ejus virtutem debebat mundo magis notificare suam omnipotentiam, totum genus humanum de potestate diaboli liberando; & debebat notificare suam sapientiam, Legem veterem per Legem Euangelicam declarando; & suam misericordiam, pro genere humano mortem patiendo; & suam justitiam, malos puniendo, & justos glorificando: Ideo propter has quatuor virtutes & proprietates, quas Christus de Deo mundo manifestavit & notificavit; appellavit & vocavit ipsum *nomen Dei*: & voluit scribere, & significare ipsum per illas quatuor litteras; scilicet *Jod*, *He*, *Vau*, *He*. Nam per *Jod*, quæ significat *principium*, voluit significare in Christo summam virtutem & omnipotentiam, quam mundo notificavit in miraculorum operatione, & inferni expoliatione, & triumpho, quem habuit de diabolo. Et per *He*, quæ significat *esse*, voluit significare summam sapientiam, quam ostendit in Legis Euangelicæ datione. Et per *Vau*, quæ significat *virtutem* & *bonitatem*, voluit significare in Christo summam misericordiam, quam ostendit in nostra Redemptione. Et per *He*, voluit significare summam justitiam in Christo, per quam *reddet unicuique juxta opera sua.* Per quas quatuor litteras voluit significare in persona Christi incarnata illas quatuor virtutes quas in se ostendit, & mundo notificavit: scilicet summam Dei omnipotentiam, sapientiam, misericordiam, & justiciam.

Nota de Invocatione nominis Domini.

Et sic Adam sub illis quatuor litteris incœpit colere Deum, & invocare *nomen Domini*, scilicet Filium Dei, ut veniret ad redimendum ipsum cum totâ suâ posteritate. Et sic docuit filios suos invocare *nomen Domini*, qui est Jesus Christus Filius Dei, Verbum incarnatum, ut dictum est *Psalmo* 8. & 144. Et sub tali ratione invocavit nomen Domini, & exhibuit Deo cultum Latriæ *Abel.*

Et sub tali ratione *Enos* filius *Seth* incœpit invocare nomen Domini, *Genes.* 4. id est, confecit aliquas orationes & ritus ad invocandum *nomen Domini*, id est, Jesum Christum Filium Dei, ut veniret ad salvandum mundum. Et sub hac ratione *Noe* invocavit nomen Domini, *Genesis* 8.

Item, sub tali ratione *Abraham* invocavit nomen Domini, *Genes.* 12. & sic est dicendum de *Isaac*, & *Jacob.* Item, sub tali ratione Moyses invocando virtutem hujus nominis, & in virtute hujus nominis eduxit Israel de Ægypto, & fecit omnia signa & miracula. Et in virtute hujus nominis *Josue* introduxit illum populum, & transivit Jordanem: prostravit muros Jericho, & triumphavit de omnibus Regibus illius terræ. Et hoc est illud nomen Dei quod David memorat, & invocat in omnibus Psalmis; & hoc nomen invocabant omnes Prophetæ & fideles veteris Testamenti.

Sed *quando venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum*: & tunc venit *nomen Domini de longinquo* missum, & *de longinquo* tempore invocatum, & expectatum; & notificavit, & fecit, & complevit in mundo omnia supradicta: quia in virtute quam in se Christus habebat tamquam *nomen Domini*, fecit miracula, & redemit mundum, & expoliavit infernum, & triumphavit de diabolo. Et in virtute hujus nominis, scilicet Verbi incarnati, in quo est tota plenitudo deitatis, Apostoli, & Discipuli, & successores ejecerunt principem hujus mundi foras, & subjecerunt omnes Reges terræ, & omnia regna mundi jugo Christi: & in virtute hujus nominis faciebant miracula, & resuscitabant mortuos, & sanabant ægros, ut patet in *Actibus Apostolorum*, & in historiis & gestis eorum. Et sic patet, qualiter Verbum incarnatum dicitur *nomen Domini* per totam Sacram Scripturam: & quare est nomen tantæ virtutis. Quod quidem *nomen* in veteri Testamento scribebatur illis quatuor litteris; & in novo Testamento nos invocamus ipsum sub hoc nomine *Jesus*, prout dictum fuit *Psalm.* 8.

Sed contra nos arguunt Judæi moderni dicentes: quod si *Adam*, qui imposuit omnia nomina rebus, invocavit & scripsit *nomen Domini* sub illis quatuor litteris Hebraicis: ergo quare nos Christiani non scribimus & invocamus ipsum sub illis quatuor litteris, sed sub hoc nomine *Jesus*?

Ad hoc respondetur: quod sicut Sacramenta & sacrificia veteris Legis non erant gratiâ sui, nec nisi in quantum significabant futura de Christo mysteria fuerunt inst-

inſtituta : ita pariter *Adam* nominavit Jeſum Chriſtum *nomen Domini* ſub illis quatuor litteris, in quantum illæ quatuor litteræ ſignificabant in Chriſto illa quatuor myſteria, quæ debebat in ſe complere in adventu ſuo. Ideo ſicut quando venit Chriſtus, ceſſarunt omnia ſacramenta & ſacrificia veteris Legis, eò quòd erant data in ſignum : ita pariter ceſſarunt illæ quatuor litteræ poſtquam Chriſtus implevit in ſe earum ſignificata. Ergo *nomen Domini* non ampliùs debet ſcribi cum illis quatuor litteris : ſed debet ſcribi ſub hoc nomine *Jeſus*, cujus ſonum & proprietates ſignificabant illæ quatuor litteræ, prout dictum fuit *Pſalmo octavo* : eò quòd eſt nomen virtutis & ſalutis, *ſicut vocatum eſt ab Angelo*, *Matth.* 1. & *Lucæ.* 1.

A

Ex quibus patet, eſſe fatuam, & erroneam opinionem illorum Chriſtianorum, qui ſcribunt nomen Dei cum illis quatuor litteris, & ſub hoc nomine *Adonai* portantes in collo, aut perſonâ ſuâ, putantes habere majorem virtutem : quod non ſolùm eſt erroneum, ſed etiam Hæreticum; cùm omnia quæ ſignificabant illæ quatuor litteræ, ſint in Chriſto completa : & ſic debet ceſſare ſcribi *nomen Domini* illis quatuor litteris, & pronuntiari ſub nomine *Adonai* : immò ſub hoc nomine *Jeſus*. Et non ſolùm debet, & poteſt ſcribi litteris unius linguæ, ſed omnium linguarum : quia omnibus linguis & nationibus fuerunt notificata hujuſmodi myſteria, & omnibus nationibus eſt notificatum *nomen Domini*, & Euangelium : Chriſtus enim omnes redemit, & eſt univerſalis, & non ſolùm Judæorum, Redemptor. Ex hoc etiam appareret eſſe falſum & vanum laborem *Necromanticorum*, qui quærunt illud *nomen Domini* quatuor litterarum, putantes eſſe majoris virtutis, quàm aliud nomen ; cùm iſtud nomen *Jeſus* ſit illud *nomen quod eſt ſuper omne nomen*, ut dictum eſt *Pſalm.* 8. Et ſic patet, quare *nomen Domini* qui eſt *Jeſus* Filius Dei, eſt tantæ virtutis : quia in ſe continet totam plenitudinem divinitatis, & in virtute ejus facta & creata ſunt ſunt omnia, & redemptum & liberatum genus humanum, & diabolus victus & ſuperatus : & hæc eſt cauſa quare diabolus fugit iſtud nomen & timet.

B

C

Ex his ſupradictis omnibus patet : quòd *nomen Domini*, quod eſt *Jeſus*, notificat nobis omnia principaliter conſiderata in tota ſacra Theologia viatorum. Nam eſt nomen omnipotentiæ, & ſapientiæ, miſericordiæ, & juſtitiæ, ut dictum eſt ſupra in *Pſalm.* 8. Et ideo notificavit mundo, & notificat myſterium creationis, & gubernationis, & noſtræ redemptionis, & glorificationis, & per conſequens notificat nobis myſterium Trinitatis, & Incarnationis. Nam myſterium creationis præſupponit myſterium Trinitatis. Nam ſi Deus dicendo & præcipiendo creavit mundum : ergo habet Verbum, per quod dixit omnia ; & Spiritum ſanctum, per quem omnia vivificat, & gubernat, & movet, ut dictum eſt.

D

E

Item, myſterium Remptionis præſupponit myſterium Incarnationis, in qua humanitate & carne aſſumptâ Deus eſt paſſus, & nos redemit. Et etiam hoc nomen *Jeſus*, quod eſt nomen ſalutis, & reſtaurationis, & integræ vitæ, importat, & notificat in ſe myſterium noſtræ glorificationis, per quam vitam æternam recuperamus, & ultimatam ſalutem conſequimur. Et ſic patet, quòd ſicut illa Perſona incarnata eſt reale *nomen Dei*, ſignificatum per illas quatuor litteras veteris Teſtamenti, eò quòd omnia ſupradicta Chriſtus in ſe, & per ſe mundo notificavit : ita pariter hoc nomen *Jeſus* mentale, vel vocale, vel ſcriptum, quo nos Filium Dei nominamus, quod eſt interpretatum per illas quatuor litteras, & ſonant illæ quatuor litteræ in Hebræo : hoc, inquam, nomen *Jeſus* notificat & ſignificat nobis in Deo quatuor omnia ſupradicta ; ſcilicet omnipotentiam in creando, & recreando ; & ſapientiam in gubernando mundum, & in datione utriuſque Legis ; & miſericordiam in redimendo ; & juſtitiam in præmiando, & nos beatificando.

F

Et ſic hoc nomen *Jeſus* comprehendit in ſe omnem rationem, ſub qua Deus principaliter conſideratur in Sacra Scripturâ utriuſque Teſtamenti, & per conſequens in tota ſacra Theologiâ. Et ideo non eſt mirum, ſi eſt nomen tantæ virtutis, & dignitatis, & excellentiæ : & ſi Apoſtoli, & ſancti viri ad invocationem hujus nominis, operabantur miracula ineffabilia, nec ceſſant hodie miracula fieri : nam in virtute hujus nominis conferunt gratiam omnia Eccleſiaſtica Sacramenta : Nec eſt mirum, ſi Patres veteris Teſtamenti cum tanto deſiderio deſiderabant ſcire virtutem hujus *nominis*, & videre effectus & opera ejus. Nec eſt etiam mirum, ſi David in ſuis *Pſalmis* tantum frequentat iſtud ſacrum *nomen*, cui attribuit omnem virtutem & perfectionem : de quo dicit & concludit in hoc Pſalmo, quòd omnes ſtatus & conditiones mundi *laudent nomen Domini*, *quoniam exaltatum eſt nomen ejus ſolius* : quia omnia bona, & omnem perfectionem & virtutem includit & continet in ſe.

G

H

PSAL-

Psalmus CXLIX.

92.d.1.in Glos.

1. *Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum.*

95. d. c. Ecce.

1. *Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege suo.*

Titulus: *Alleluia*, per quod denotatur, quòd David fecit hunc Psalmum ad laudandum Deum: in quo prædicit gaudium & exultationem electorum in primo & secundo adventu Christi. Unde est advertendum: quòd quandocumque David invitat ad cantandum *canticum novum*, intendit populum Christianum in Christo renovatum, & per *canticum novum* intendit Legem Euangelicam, quæ in se continet observantiam præceptorum, & fidem articulorum, & gratiam Sacramentorum sub spe futurorum & cœlestium bonorum promissorum: & intendit etiam gloriam Sanctorum in cœlesti beatitudine.

Dicit ergo: O vos fideles in Christo renovati, jam non cantetis canticum vetus, nec Legem *Moysi*. *Recedant vetera* jam *de ore vestro*, scilicet abjicite cærimonias & figuras. Sed cantate *canticum novum*, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Et jam non oportet cantare exitum Ægypti, nec Agnum paschalem in Synagoga: sed cantate mysterium Incarnationis & Nativitatis, & celebrate festum Resurrectionis, & Ascensionis: & de istis mysteriis sit *laus ejus*, scilicet Christi, *in Ecclesia Sanctorum*, Apostolorum, Martyrum, & Doctorum, quæ est Christiana Religio & congregatio. Et *Israel*, scilicet prædicta Ecclesia, *lætetur in eo, qui fecit eum*, non solùm creando, sed per regenerationem & renovationem. Et Ecclesiæ mundi, id est, omnes animæ devotæ, quæ dicuntur *filiæ Sion*, *exultent*, *in rege suo* Christo in ejus adventu.

13. q. 1. His ita.

3. *Laudent nomen ejus in choro: in tympano & psalterio psallant ei.*

Jam enim dictum est, quomodo Psalmi cantabantur cum aliquibus instrumentis, non solùm ad delectationem, sed etiam ad mysterium: nam *chorus*, qui est concordia vocum, significat concordiam vitæ cum doctrina; vel concordiam appetitus cum ratione, & concordiam morum. *Tympanum* autem significat passionem Christi: *Psalterium* verò, harmoniam decem præceptorum, & articulorum. Ad ista ergo nos invitat Propheta, quòd cantemus Christo *canticum novum* cum prædictis. Et etiam, ut in Ecclesia cantemus *canticum novum*, scilicet, nativitatis, prædicationis, passionis, & resurrectionis; & horum festa celebremus. Et dat rationem quare debent cantare illud *canticum novum*, & dicit: quia

11. q. 3. Ad mensam.

4. *Beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.*

Id est, *quia* jam non placent Domino cærimoniæ veteris Legis, nec veteres festivitates, quæ celebrabantur in figura: quia jam omnia sunt renovata per adventum Christi. Jam ergo non est voluntas Domini, nec placitum in sacrificiis veteris Legis, sed in festivitatibus novæ Legis, & in sacrificiis. Ideo dicit: *beneplacitum est Domino in populo suo* Christiano, & vero Israel: quia jam *dispersit superbos* Judæos obstinatos, & *deposuit* reges Gentiles *potentes de sede* idololatriæ, & *potentes* Scribas & Pharisæos, & Judæos *de sede* regni & sacerdotii, & *exaltavit* Apostolos & Discipulos *humiles*, qui secuti sunt humilitatem Christi: ideo *constituet eos Principes super omnem terram &c.* & etiam *exaltabit* omnes fideles *mansuetos in salutem* gratiæ, sanando eos à peccato: quia soli mansueti & humiles salvi facti sunt: eò quòd depositâ superbiâ, & vanitate, & divitiis hujus mundi, Christum secuti sunt.

Lex Euangelica canticum novum dicitur.

Ad majorem evidentiam est notandum: quòd Lex Euangelica, quam nunc nos cantamus, & prædicamus, quadrupliciter dicitur *canticum novum*. Primò, quia omnia antiqua cærimonialia & legalia abjicit & repellit, scilicet festivitates, & sacrificia, & sacramenta veteris Legis &c. eò quòd omnia compleverunt cursum & officium suum in Christo. Secundò, Lex Euangelica dicitur *canticum novum*, eò quòd Christum novum Regem recepit in antiqua Lege promissum. Tertiò, quia repudiatis antiquis legalibus, novas festivitates, & nova Sacramenta celebrat, & novum & Deo placitum & acceptum offert sacrificium Eucharistiæ, prout jam prædixerat *Isaias* 66. *Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi*, per totum cap. Item, *Malach. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & non dicetur ultra: Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægyp-*

Ægypti &c. Quartò, dicitur *canticum novum*: quia exaltat manſuetos & humiles, & deprimit ſuperbos. A

Omnia ergo iſta quatuor tangit David in hac prima parte: nam primum, tangit cùm dicit: *Cantate Domino canticum novum.* Secundum verò cùm ſubdit: *Et filiæ Sion exultent in Rege ſuo.* Tertium, ibi: *Laudent nomen ejus in choro &c. quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo.* Quartum cùm ſubdit: *Exaltabit manſuetos in ſalutem.*

15. q. 1. c. Firmiſſime in Gloſ.

5. *Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.*

IN hac ſecunda parte prædicit *canticum* B & gloriam ſanctorum, & juſtorum in ſecundo adventu Chriſti: qui quidem adventus, licèt terribilis damnatis; tamen erit delectabilis juſtis & ſalvatis, & maximè Apoſtolis, & Martyribus. Et ratio eſt: Nam primus adventus Chriſti fuit terribilis Apoſtolis & Martyribus.

Nam in primo adventu Apoſtoli & Diſcipuli fuerunt vexati & afflicti; primò, à Judæis; ſecundò, à Tyrannis, & uſque ad *Conſtantinum* multa millia Martyrum interfecti ſunt propter Chriſtum: Ergo ratio eſt, quòd in ſecundo adventu per oppoſitum Apoſtoli & Martyres gaudeant & recipiant ultimatum præmium; & perſecutores eorum tunc patiantur ultimatum ſupplicium & pœnam æternam. Et ideo promiſit Chriſtus Apoſtolis, quòd judicarent C malos in die judicii, & ſederent ſuper duodecim ſedes &c.

Item, *Sapient.* 5. dicit, quòd *tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt &c.* Et tunc Tyranni & mali *turbabuntur timore horribili* videntes felicitatem & gloriam juſtorum &c.

Gloria ſanctorum in duobus.

Secundò eſt notandum ex ſententia ſupradicta, quòd gloria Sanctorum in duobus conſiſtet tunc. Primò, quia videntes ibi Chriſtum in majeſtate, videbunt Crucem, & ſpineam coronam, & clavos, & totum triumphum Chriſti ad judicium damnationis: & videbunt etiam ſuos perſecutores condemnatos ad mortem æternam. Tunc, quia voluntas beatorum beatificatur, & lætatur conformando ſe voluntati divinæ: ideo juſti duplici lætitiâ lætabuntur; primò de gloriâ, quam ipſi poſſident; ſecundò, de juſtitiâ Dei, & ſententiâ datâ damnatis: quia *lætabitur juſtus cum viderit vindictam* ibi factam de perſecutoribus Chriſti, & ſuis: & ſic judicabunt malos duplici judicio; primò, eos accuſando, petendo ultionem: ſecundò, ſetentiam Chriſti approbando: & D ſic juſti prorumpent in laudes vocales illa die, & laudabunt Chriſtum, explicantes triumphum & victoriam ejus, commemorantes ejus Incarnationem, & prædicationem, & converſationem quam habuit in hoc mundo, & ejus Paſſionem, & Reſurrectionem, & Aſcenſionem: & iſtud *canticum novum* cantant aſſiduè ſancti in gloria cœleſti, ut patet *Apocalipſ.* 5. & iſta ſunt inſtrumenta muſicalia, cum quibus cantant & *exultant ſancti in gloria*: ſicut vidit *Joannes Apocal.* 5. Unde dicit, quòd *quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores habentes citharas & phialas aureas plenas odoramentis, quæ ſunt orationes ſanctorum, ceciderunt in conſpectu Agni, & cantabant canticum novum, dicentes: Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere gloriam* F *&c.* Ex quo patet, quòd Beati in ſuis laudibus commemorant triumphum Chriſti, & myſteria Incarnationis, & Paſſionis, & totius noſtræ Redemptionis.

Et hoc eſt, quod dicit David in hac parte: nam quia in primo adventu fuimus renovati per gratiam; ideo in hac Eccleſiâ nos monet David cantare *canticum novum* gratiæ: ſed quia in ſecundo adventu erimus renovati per gloriam; ideo dicit, quòd *ſancti* tunc cantabunt *canticum novum* gloriæ, & cantant ſemper. Dicit ergo David, quòd tunc in ſecundo adventu ad judicium quando ſancti recipient ultimatum præmium *exaltabunt ſancti in gloria*, & *lætabuntur in cubilibus*, & ſedibus, & manſionibus *ſuis*: quas G Angeli mali per ſuperbiam perdiderunt, & ipſi *ſancti* per humilitatem & manſuetudinem poſſidere meruerunt.

50. diſtinct. c. Si quis draconet. & 92. d. c. 1.

6. *Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.*

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* H

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum manicis ferreis.*

23. q. 4. *Displicet.*

9. *Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Alleluia.* A

NON solùm exultabunt lætitiâ & gaudio interno, sed etiam exteriori per laudes vocales Deum laudando, cantando *exultationes Dei*, id est, mirabilia opera Dei, scilicet, mysterium creationis, & redemptionis, & resurrectionis. Et iterum *exultationes Dei in gutture eorum* : nam ibi corpora glorificata veras voces formabunt, ut aliàs est probatum. Unde in tali *exultatione* Sancti non solùm laudabunt & commendabunt triumphum Christi : sed B etiam ejus justitiam, & judicium, & sententiam contra damnatos datam à Christo approbabunt. Ideo sequitur : Et *gladii ancipites in manibus eorum* : nam *gladii* Sanctorum in illa die dicentur *ancipites*, quia duplex acumen habebunt : quia cum uno accusabunt suos persecutores, & cum alio sententiam Christi approbabunt. Et ideo sequitur, quòd *gladii* isti *ancipites* erunt *in manibus eorum* : ad duo, supple, scilicet ; primò, *ad faciendam vindictam in nationibus*, sententiam Christi confirmando. Secundò, ad faciendas *increpationes in populis*, eos accusando : & *ad alligandos reges*, & principes, & tyrannos *eorum* populorum infidelium *in compedibus* : & ad C alligandos *nobiles* & superbos *in manicis ferreis* inferni : quia erunt obstinati tantùm in malum, quòd numquam poterunt bene agere : dicuntur etiam isti *gladii ancipites* & bicipites : quia Angeli & Sancti duplici pœnâ condemnabunt reprobatos, scilicet, pœnâ damni, & sensus : quia numquam Deum videbunt, & in æternum patientur : & sic erit eis pœnâ vermis & ignis. Habebunt ergo Sancti, & Angeli istos gladios *ancipites in manibus ad faciendam vindictam &c.* & *ad alligandos reges eorum &c.* finaliter *ut faciant judicium conscriptum*, id est, à Christo decretum & determinatum : quia in tantùm Sancti & Angeli dicuntur *facere judicium*, in quantum complacent, & approbant sententiam conscriptam & determinatam à Christo, & per D Christum : & *hæc est gloria omnibus sanctis ejus*, scilicet, sententiam Christi approbare, & ejus voluntati complacere, & se conformare. Et etiam *hæc est gloria*, & in hoc consistit *gloria* Sanctorum, scilicet, in omnibus prædictis in hoc Psalmo : scilicet, in judicando malos, approbando Christi sententiam : & in laudando Deum in æternum, triumphos ejus cantando, & memorando, & exultando *in cubilibus suis* in gloria cœlesti. Item etiam, *hæc* erit *gloria omnibus sanctis* Dei, scilicet, accusare damnatos, & approbare sententiam eorum : & videre, & lætari in vindicta facta de ipsis : E quia *lætabitur justus, cùm viderit vindictam* : quia *tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, Sap.* 5. sed talis gloria non erit sanctis essentialis, sed accidentalis. Nam gloria essentialis consistit in visione divinæ Essentiæ, ut dictum fuit *Psalmo primo.*

Psalmus CL.

1. *Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.* *Extra de Relig. & Ve. Sanct. cap. unic. in Cle.*

F

ISTE est centesimus quinquagesimus Psalmus ultimus in ordine collocatus : cui præponitur Titulus *Alleluia* : eò quòd David fecit ipsum ad laudandum Deum in Templo. Unde quia Psalmo antepenultimo invitat omnes creaturas, tàm corporales, quàm incorporales ; tàm irrationales, quàm rationales ad laudandum Deum : & Psalmo præcedente specialiter invitat creaturas rationales ad recipiendum Christum in hac Ecclesia, & cantandum ipsi *canticum novum* hîc per gratiam, & in patria per gloriam : nunc in hoc ultimo Psalmo invitat omnes fideles utriusque Ecclesiæ, & maximè Ecclesiæ Militantis ad laudandum G Deum trinum & unum, Creatorem, & Redemptorem, assignando modum laudandi. In quo duo facit : nam primò docet, ubi debemus Deum laudare. Secundò, cùm quibus instrumentis iste Psalmus cantabatur in Templo : per quæ instrumenta figuraliter docebat, quomodo in Testamento novo tenemur Deum & Christum nostrum laudare. Ibi : *Laudate eum in sono tubæ.*

Sed quantum ad primum est notandum secundùm *Augustin. de Verbis Apostoli*, & 22. *de Civitate Dei*, quòd oppositio modo cognoscitur Deus in patria, & in via. Nam in patria cognoscitur in seipso, & omnia alia in ipso ; eò quòd omnia lucent in eo : sed in via cognoscitur in creaturis, eò quòd ipse lucet in eis.

H Et ideo aliter laudatur Deus in via ; aliter in patria. Nam in via laudamus Deum in creaturis, eò quòd lucet in eis ; & in patria Beati laudant Deum in se, eò quòd vident eum per essentiam, & omnia in eo. Cùm ergo in hac vita non possimus videre Deum per essentiam, nisi in creaturis per vestigium & imaginem : ideo laudamus Deum per creaturas, sive in creaturis, in quantum perfectiones quæ reperiuntur in Sole, & Luna, & stellis, & in cæteris creaturis nos excitant ad magnificandum & laudandum Deum, qui eas creavit. Et sub tali prætextu Propheta invitavit omnes crea- *Cognitio Dei in via & patria, & ejus laus.*

creaturas irrationales ad laudandum Deum in Pſalmo antepenultimo, non quòd ipſæ poſſint Deum laudare, eò quòd non habent A intellectum & rationem; ſed in quantum per eas cognoſcimus omnipotentiam & bonitatem Dei: ideo monent nos ad laudandum Deum in eis, aut per eas. Ideo quando Propheta dicit: *Laudate eum Sol & Luna, & omnes ſtellæ & lumen.* Et, *Laudate eum ignis, & grando, & nix &c.* nihil aliud intendit dicere, niſi: O vos creaturæ rationales, contemplamini Solem, & Lunam, & ſtellas &c. & conſiderate, quòd magna eſt Dei omnipotentia, & bonitas Dei, qui iſta creavit propter vos: & laudate eum, gratias agendo pro tantis beneficiis &c.

Bona ſua Deus communicat fidelibus.

Ulteriùs eſt notandum, quòd licèt B Deus à principio creationis communicaverit omnibus creaturis ſimilitudines ſuarum perfectionum naturalium ſecundùm magis perfectum, & minus perfectum, ut dictum eſt: tamen quia Chriſtus Deus & homo eſt Caput Eccleſiæ ab *Adam* uſque ad ultimum electum: à quo derivantur omnia dona gratiarum & membrorum in omnia membra ſua: ideo per ampliùs & perfectiùs communicavit, & communicat continuè perfectiones, & dona gratiarum ſupernaturalium membris ſuis fidelibus, & ſanctis. Et ſic communicavit innocentiam, & puritatem ipſi *Abel*; & fidem & juſtitiam *Noe* & *Abrahæ*, & caſtitatem ipſi *Iſaac*, & charitatem ipſi *Jacob*, & manſuetudinem ipſi *Moyſi*, & zelum divini cultus ipſi *David*, & ſpiritum propheticum omnibus Prophetis: & per ampliùs & perfectiùs C communicavit dona gratiarum ipſis Apoſtolis in die Pentecoſtes, & fortitudinem, & conſtantiam ipſis *Martyribus*, & integram virginitatem & ſanctitatem *Confeſſoribus*, & intelligentiam ſcripturarum ipſis ſacris *Doctoribus*: per quas quidem perfectiones Deus fecit omnes electos & ſanctos ſuos quaſi Deos per participationem, ut dictum eſt *Pſalm.* 81. Ex quo patet, quòd Deus per ampliùs & perfectiùs lucet in viris ſanctis.

Item, Chriſtus etiam in quantum homo lucet in viris ſanctis, quantum ad labores, & perſecutiones, & mortem, & paſſionem: nam paſſio ejus jam lucebat in *Abel*, & *Abraham*, & *Jacob*: quia jam D illi patiebantur in figura Chriſti propter veritatem & juſtitiam, ut ait *Ambroſius*, & *Leo Papa*: immò Chriſtus jam patiebatur in eis figuraliter, ut ipſe ait *in ſermone de Paſſione Chriſti*: ſed per ampliùs & perfectiùs paſſio Chriſti lucebat in Apoſtolis & Martyribus, qui realiter propter Chriſtum patiebantur expreſſe, immò Chriſtus in Martyribus & membris ſuis patiebatur, ut ipſe dixit *Actu. 6. Saule, Saule, quid me perſequeris &c.* Ex quibus patet, quòd Chriſtus Deus & homo, Salvator & Redemptor noſter maximè manifeſtatur nobis in ſanctis & electis ſuis in hac Eccle- E ſia, & per conſequens in ſanctis & electis ſuis eſt laudandus in hac Eccleſia.

Et ſic eſt dicendum, quòd quando nos laudamus & magnificamus aliquem Apoſtolum, aut Martyrem, aut Confeſſorem & Sanctum, & celebramus & colimus feſta pro eis, & in nomine ipſorum; non laudamus eos per ſe, ſed laudamus, & magnificamus Deum, ſive Chriſtum caput noſtrum in eis: & ſic colimus & celebramus paſſionem Chriſti in Beato *Laurentio*, & *Vincentio*, in quantum iſti Martyres participarunt paſſionem Chriſti in ſuo martyrio, & in ſuis tormentis; immò gerebant imaginem paſſionis Chriſti: & ideo pro- F priè laudamus & colimus Chriſtum in eis.

Hoc ergo prævidens & contemplans Propheta David in ſpiritu, invitat ſpecialiter in hoc Pſalmo omnes fideles hujus Eccleſiæ, ut *laudemus Deum in ſanctis ſuis*, eo modo quo dictum eſt. Dicit ergo: O vos fideles, *laudate Dominum in ſanctis ejus*, id eſt, conſiderate primò beneficia, quæ Deus contulit viris ſanctis veteris Teſtamenti, ſcilicet *Abel*, *Noe*, *Abrahæ*, *Iſaac*, & *Jacob*, & *Moyſi*, & *David*, & omnibus Prophetis; quæ omnia erant figura Chriſti, & Eccleſiæ: & ſic laudate Deum in eis, qui talia dona communicavit eis. Et vos fideles novi Teſtamenti conſiderate & contemplamini dona gratiarum, quæ Chriſtus communicavit Apoſtolis, & Martyribus, & Confeſſoribus, & Doctoribus, & Virginibus, & cæteris vi- G ris ſanctis: quæ dona fuerunt ſupra humanam facultatem: per quæ Deus oſtendit *in ſanctis ſuis* ſuam omnipotentiam, & ſapientiam, & bonitatem, & cæteras perfectiones. Et ſic *laudate Dominum in ſanctis ſuis*, gratias agendo, & dies feſtos celebrando, & triumphos Martyrum prædicando, & omnia iſta dona ad Chriſtum referendo: quia *laudare Deum in ſanctis ſuis* nihil aliud eſt, niſi triumphos & virtutes eorum in Chriſtum laudando, & gratias agendo referre.

Sed quia inter cæteros, dona gratiarum & virtutum Chriſti maximè viguerunt in Apoſtolis, qui fuerunt firmamentum & fundamenta Eccleſiæ. Ideo ſubdit: *Lauda-* H *te eum in firmamento virtutis ejus*, ſcilicet, in Collegio Apoſtolorum, ſuper quos Chriſtus fundavit & firmavit Eccleſiam ſuam, & qui firmarunt Eccleſiam miraculis, & ſignis, & doctrinis. Et etiam per *fundamentum* & *firmamentum* virtutis Chriſti intendit totam Eccleſiam, quæ dicitur *firmamentum virtutis Chriſti*: ubi virtutes prædicantur, & Eccleſiaſtica Sacramenta (in quibus virtus paſſionis Chriſti continetur) celebrantur, & exercitantur, & frequentantur. Quaſi dicat: *Laudate eum* in Eccleſia, quæ eſt *firmamen-*

tum virtutis ejus per Ecclesiastica Sacramenta. Sed quia Apostoli & sancti viri operati sunt multa signa & miracula virtute nominis Christi, ut patet in *Actibus* & historiis *Apostolorum*, & Martyrum, & aliorum Sanctorum. Ideo subdit: A

De Conse. d. 2. Accesserunt.

2. *Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.*

QUASI dicat: Omnia dona gratiarum, & omnia signa, & miracula, & bona opera quæ sancti fecerunt in hac vita, referatis ad Christum: quia ipse tamquam caput Ecclesiæ contulit & communicavit eis omnia: & ideo *Laudate* Christum *in sanctis suis.* B

Totum hoc etiam potest referri ad statum & gloriam Sanctorum. Quasi dicat: O vos fideles, *laudate Deum*, qui est *in sanctis suis*, & in cœlo Empyreo, quod est *firmamentum virtutis ejus*: & *laudate eum in virtutibus ejus* Angelicis: quia ibi Deus *est omnia in omnibus &c.* Deinde cùm dicit:

Arg. 93 d. cap. 1. In Glo.

3. *Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.* C

4. *Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.*

16. q. 1. c. Revertimini.

5. *Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.*

DOCET, cum quibus instrumentis musicis cantabatur iste Psalmus in Templo: quia cum octo instrumentis cantabatur, scilicet, *in sono tubæ*: & cum *psalterio & cithara*, & *tympano & choro*, cum *chordis*, id est, cum monochordio, & cum *organo* fistularum, & cum *cymbalis benesonantibus*, & cum *cymbalis jubilationis*: cum his ergo octo instrumentis dicit David, quòd debemus cantare hunc Psalmum: & præcipiebat ipsum cantari in Templo. Per quæ instrumenta materialia figurabantur octo mysteria, sub quibus laudamus Deum in Ecclesia Christi. Nam dictum est *in Prologo*, *Tractatu* 5. qualiter illa octo instrumenta, cum quibus cantabantur Psalmi in Templo Salomonis, significabant mysteria Euangelica de Christo & Ecclesia, quæ nos hodie prædicamus & celebramus. D E

Et ideo David in hoc Psalmo per *tympanum* factum de corio animalis mortui baculis percussum, intelligit passionem Christi. Et per *psalterium* intendit triplex psalterium: scilicet, *psalterium morale* decem Præceptorum: & *psalterium Euangelicum* decem Articulorum humanitatis Christi: & *psalterium Anagogicum* & beatificum decem gaudiorum, qui habent, & quibus beatificantur sancti in gloria. Nota.

Nam sicut *psalterium Euangelicum* continet decem chordas Euangelicas; scilicet, Christi Incarnationem, & Legis dationem, & Passionem, & Redemptionem, & Resurrectionem, & Ascensionem, & Spiritus sancti missionem, & Sacramentorum institutionem, & Ecclesiæ ex utroque populo congregationem, & futuri Judicii retributionem: ita pariter *psalterium Anagogicum*, quod cantant & pulsant sancti in gloria, continet decem chordas beatificas, scilicet, visionem essentialem divinæ Trinitatis, & unitatis, & dilectionem, & fruitionem, & immortalitatem, & claritatem, & subtilitatem, & agilitatem, & summam delectationem, & satietatem, & securitatem. F

Item, per *citharam*, quod est instrumentum triangulare habens septem chordas principales, intendit: primò, Trinitatem Divinarum Personarum in una simplici essentia. Secundò, intendit trinitatem virtutum Theologalium, cum quibus laudamus Deum, scilicet, Fidem Articulorum, & charitatem decem Præceptorum, & omnium consiliorum, & spem gratiæ septem Sacramentorum: & ideo *cithara* continet septem chordas significantes septem Ecclesiastica Sacramenta, quibus renovamur, & sanamur, & reficimur, & roboramur, & insignimur. Per *sonum* autem intendit prædicationem Apostolorum, per quam congregarunt Ecclesiam in unum &c. G

Per *chorum* intendit Dei omnipotentiam in opere nostræ creationis, & redemptionis. Per *monochordium* intendit concordiam vitæ, quam debemus habere cum doctrina. Per *organum* autem intendit consonantiam corporis immortalis ad animam, quam consequemur per resurrectionem. Per *cymbala benesonantia* intendit vocationem populi ad audienda Divina Officia in Ecclesia. Per *cymbala* verò *jubilationis* intendit melodiam & jubilationem Divinorum Officiorum, quæ celebrantur in Ecclesia Militanti per gratiam, & in Triumphanti per gloriam. Nihil enim aliud est cum supradictis instrumentis Deum laudare, nisi omnia dicta mysteria de Christo & Ecclesia credere, & prædicare, & celebrare. H

Item etiam David per *monochordium* in-

intendit concordiam omnium membrorum corporis mystici Ecclesiastici ad suum caput, qui est Christus: quod quidem corpus Ecclesiasticum consistit in quodam ordine & subordinatione statuum, & prælationum, & officiorum, ut dictum est *Psal.* 67. & hoc est *monochordium Euangelicum*, significatum per illud materiale instrumentum. A

Item per *organum* etiam intendit consonantiam & concordiam novi ac veteris Testamenti, quia nihil gestum aut scriptum est in veteri Testamento, quin fuerit impletum per Christum in novo: & nihil factum est in novo Testamento, quin fuerit figuratum, aut vaticinatum in veteri Testamento, ut frequenter dictum est. Et ideo omnia instrumenta musicalia materialia, cum quibus cantabantur Psalmi in veteri Testamento, figurabant supradicta mysteria de Christo & Ecclesia: & sic quod illi cantabant propheticè & in figurâ, nos cantamus Euangelicè in veritate. Quasi dicat Propheta David: Vos fideles novi Testamenti, laudate Dominum nostrum Jesum Christum in suo adventu; primò, in *sono tubæ*, id est, prædicate Euangelium omni creaturæ, & exercete tubam Euangelicam &c. Item secundò, *laudate eum in psalterio* morali, decem præcepta moralia observando. Et *laudate eum in psalterio* Euangelico, Articulos Fidei firmiter credendo. Et etiam vos Beati, *laudate eum* cum *psalterio* decem cœlestium gaudiorum, Deum volendo & diligendo & fruendo &c. B C

Item tertiò: O vos fideles, *laudate eum* cum *cithara* Euangelica; scilicet, cum fide Trinitatis, & omnium Articulorum, & cum charitate decem præceptorum, & cum gratia Sacramentorum. Item quartò, *laudate eum* cum *tympano* mortis & passionis, contemplando mortem & passionem, quam pro vobis Christus passus est. Item quintò, *laudate eum in choro*, quod est instrumentum rotundum, per quod denotatur ejus æternitas & omnipotentia: id est, magnificate ejus omnipotentiam & æternitatem. Et ideo exhibete ipsi cultum & honorem Latriæ. Item sextò, *laudate eum in chordis*, id est, cum monochordio vitæ cum doctrina. Item septimò, *laudate eum in organo* consonantiæ corporis ad animam, quam adepti estis per resurrectionem. Item D octavò, *laudate eum in cymbalis benesonantibus*, Euangelica festa & triumphos Christi & Martyrum celebrando, & fideles ad Divina Officia vocando. Item nonò, *laudate eum in cymbalis jubilationis*, Hymnos & Psalmos, & Divina Officia dulciter septies in die decantando.

Quasi dicat Propheta: quòd cum his supradictis conditionibus tenemini omnes fideles Deum colere & laudare: quia aliter Deus non potest coli, nec verè credi, nec laudari, nisi trinus & unus, & incarnatus &c. prout Lex Euangelica prædicat. Et quia taliter Deum laudare convenit omnibus spiritualibus creaturis: ideo concludit E Propheta, dicens: *Omnis spiritus laudet Dominum*, id est, modo supradicto *laudet Dominum* trinum & unum, Creatorem, & Redemptorem, & Glorificatorem, prout dictum est.

Ex supradictis patet, quòd Judæi moderni non cantant hunc Psalmum, nec cæteros, nec verè laudant, nec colunt Deum. Nam David præcepit ut cantemus hunc Psalmum, & cæteros, & laudemus Deum cum instrumentis supradictis: sed Judæi nec laudant Deum cum supradictis instrumentis materialibus, nec spiritualibus, ut patet: Ergo nullo modo colunt, nec laudant Deum, nec cantant hunc Psalmum. *Quomodo Judæi non laudant Deum.*

F Ex quo sequitur, quòd soli Christiani verè laudant, & colunt Deum, & cantant istum Psalmum, & totum psalterium, eò quòd cantant ipsum cum supradictis instrumentis spiritualibus per instrumenta veteris Testamenti figuratis.

Hoc est ergo *Psalterium*, in quo David in principio promisit aperire propositionem suam: nam per omnia supradicta patet, qualiter David in hoc psalterio aperuit aliquam, vel aliquas propositiones, & mysteria figuralia veteris Testamenti, ex quibus elicuit & intulit semper propheticè aliquam, vel aliquas conclusiones Euangelicas novi Testamenti. Hoc enim *psalterium* Euangelicum est quadrangulare, quia G quatuor lineis & limitibus Euangelicis contentum & terminatum: quia quatuor authenticis Euangelistis est firmatum, & roboratum, & testificatum.

Hoc etiam psalterium continet quatuor angulos, scilicet, observantiam præceptorum & consiliorum, & fidem Articulorum, & gratiam Sacramentorum, & spem futurorum bonorum nobis promissorum: hoc autem psalterium Euangelicum dicitur *decachordum* ab ipso David: eò quòd continet decem chordas Euangelicas principales, quæ sunt decem mysteria de Christo, & Ecclesia ejus: vel sunt decem principales Articuli, quos principaliter confitetur Ecclesia. Quorum primus est articulus Trinitatis. Secundus, articulus Creationis. Tertius, articulus Incarnationis. H Quartus, articulus Prædicationis, & miraculorum operationis Christi. Quintus, Passionis & nostræ redemptionis. Sextus, articulus Resurrectionis. Septimus, articulus Ascensionis, & universalis Christi jurisdictionis. Octavus, articulus Spiritus sancti in Apostolos missionis. Nonus, Sacramentorum efficaciæ, & perfectionis. Decimus articulus est futuri Judicii examinationis, & retributionis.

Isti sunt decem Articuli principales quibus annectuntur alii articuli sub eadem fide credendi, scilicet, descensus Christi

ad

ad inferos, & liberatio Sanctorum & omnium fidelium veteris Teſtamenti, & authoritas unius Eccleſiæ ipſi tradita à Spiritu ſancto, & reſurrectio generalis, & remiſsio peccatorum per pœnitentiam & Eccleſiaſtica Sacramenta, & vita æterna juſtis promiſſa: qui quidem articuli continentur in decem primis & principalibus, ut patet intuenti: ſicut chordæ parvæ ponuntur inter principales in inſtrumentis muſicis. A

Unde iſti articuli dicuntur chordæ pſalterii Euangelici, eò quòd inter ſe continent quamdam concordiam, & harmoniam, & ordinem: quia unus articulus præſupponit alium ſecundùm ordinem. Nam articulus Creationis præſupponit articulum Trinitatis, & emanationis Perſonarum Divinarum. Et articulus Incarnationis præſupponit articulum Trinitatis, & Creationis: quia ſola ſecunda Perſona fuit incarnata, ſcilicet, Verbum Divinum; & talis Incarnatio facta eſt per novam creationem animæ Chriſti: nam tota Trinitas creavit illam animam Chriſti, & opere ſancti Spiritus illud corpus ex puris ſanguinibus Virginis in uno inſtanti formavit: & totum illud animatum corpus in eodem inſtanti in unitate ſuppoſiti, & perſonaliter Verbum aſſumpſit. Et ſic patet, quòd Incarnatio Verbi præſupponit Trinitatem Divinarum Perſonarum, & Creationem. Et etiam omnes alii articuli humanitatis Chriſti præſupponunt articulum Incarnationis: nam ſi Chriſtus non fuiſſet Deus & homo, non feciſſet illa miracula, nec ejus paſsio fuiſſet tàm valida, nec expoliaſſet infernum, B nec reſurrexiſſet in propria virtute &c.

C Hoc eſt ergo *pſalterium* decem principalium chordarum cum ſuis annexis ſequentibus, quod propheticè cecinit David in toto iſto libro Pſalmorum, & in omnibus centum quinquaginta Pſalmis ſuperiùs expoſitis: nam in quolibet Pſalmo cantavit, & pulſavit propheticè aliquam, vel aliquas chordas hujus pſalterii Euangelici, prout fuit expoſitum.

Et hoc idem pſalterium quod propheticè cantavit David in hoc libro Pſalmorum, nos cantamus Euangelicè in Eccleſia: quia tota Lex Euangelica continetur propheticè in hoc libro, ut frequenter dictum eſt. Ideo Eccleſia in omnibus officiis frequentat, & cantat Pſalmos David ſimul cum Euangelio, tenendo iſtum modum: nam in *Officio Matutinali* cantat tres Nocturnos cum Pſalmis David, & Lectionibus D de veteri Teſtamento: ſed in tertio Nocturno cantat Euangelium Chriſti: & communiter in laudibus Antiphonæ ſunt de novo Teſtamento. Et ita pariter in Miſſa introitus & Reſponſum & Graduale communiter ſumuntur de libro Pſalmorum: & Lectio legitur de Teſtamento veteri, vel de doctrina Apoſtolica: ſed finaliter legitur Euangelium: per quod denotatur concordia & conſonantia Legis Euangelicæ cum veteri Teſtamento: quia Euangelium nihil aliud eſt, niſi veritas Legis veteris. Et ſic patet, quòd tota Lex Euangelica eſt *pſalterium illud decachordum*, quod David propheticè cantat in Pſalmis.

Deo gratias. Amen.

* ** *
* *

Finis Expoſitionum Ven. D. Fr. Jacobi Perez de Valentia Chriſtopolitani Epiſcopi in Pſalmos.

PROTESTATIO AUCTORIS.

SUPERNO tandem ſuffragante præſidio: opus mihi impoſitum & aſſumptum, prout potui pio labore peregi, & conſummavi. In qua quidem Expoſitione magis ſtudui votis & devotionibus ſimplicium Sacerdotum, & Religioſorum, ac Fidelium Chriſtianorum, prout ex me expoſcebant, ſatisfacere, quàm ſubtilibus diſputationibus inſudare. Rurſus in ea Expoſitione malui verum ſenſum, & ſanum intellectum propheticum juxta mentem Prophetæ litteraliter referare, quam falſas & ineptas gloſſas modernorum Judæorum imitari. Qua in re non modò inutile & inane, verùm ſacrilegum & impium exiſtimavi, propheticam dignitatem auferre, quam Spiritus ſanctus ipſi David, prout in Regum libris legimus, novimus contuliſſe. Quem non ſolùm veritas Euangelica in ſpiritu locutum fuiſſe teſtatur, verumetiam ipſa univerſalis Eccleſia eum *Eximium omnium Prophetarum* ubique terrarum præconizare non ceſſat. Verumenimverò quia in multiloquio, ut inquit Spiritus ſanctus, non deeſt peccatum: ideo ſi quid in opere ſcriptum, vel repertum fuerit, quod Catholicæ Fidei directè, aut indirectè diſſonare videatur: nolo, ut quis arbitretur me aliquid tale obſtinato animo aſſeruiſſe; ſed ex ignorantiâ, aut inadvertentiâ fuiſſe locutum: aut codicem ex Impreſſorum defectu in illa parte fuiſſe mendoſum, & incorrectum. Quapropter omnia in hoc opere & in cæteris per me dicta, atque dicenda, auctoritati Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ omni cum humilitate relinquo emendanda & corrigenda. Relinquum eſt, ut pro iſto pio labore præmium in hoc ſæculo non exigam temporale: ſed ut portio mea ſit in terra viventium, ubi Chriſtus caput noſtrum Redemptor & Præmiator cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

AMEN.

VEN.

VEN. DOMINI JACOBI PEREZ DE VALENTIA,

ORDINIS DIVI AUGUSTINI PROFESSI, & Christopolitani Episcopi in Canticorum officialium Expositionem

PRÆFATIO.

CONSUMMATA & peracta Expositione Libri Psalmorum, iterum sui rogatus & excitatus per Sacerdotes & devotos Presbyteros, ut exponerem Cantica, quæ in diebus ferialibus cantantur ad Laudes, ut majori devotione orarent, si ea quæ in ore versantur, sanè & fideliter intelligerent. Eorum ergo devotioni cupiens satisfacere, suffragante divino præsidio, ad hujusmodi expeditionem accedere tentavi; & quid sibi velint Cantica ferialia, investigatione aggressus sum: Et ideo initium sumamus à *Cantico trium puerorum*, quod in Laudibus Dominicalis Officii & omnium festivitatum decantatur.

IN CANTICUM TRIUM PUERORUM.

Dan. 3. 93. d. c. in Gloss.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

HOC Canticum intitulatur *Canticum trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, Misaelis.* In quo isti tres pueri invitant A omnes creaturas ad benedicendum Deum. Pro cujus Tituli & Cantici declaratione sunt duo prævidenda, antequam ad Expositionem Cantici accedatur.

Primò, quâ ex causa, & quo spiritu ducti & moti fuerunt isti tres pueri ad conficiendum, & cantandum istum Canticum?

Secundò, quare isti tres pueri non solùm invitant Angelos, & creaturas rationales ad benedicendum Dominum, sed etiam invitant, non solùm omnes bestias & pecora, que carent tatione, sed etiam ignem, & imbrem, & cætera elementa & mineralia, quæ non solùm carent ratione, sed etiam sensu?

§. I.

B QUantum ergo ad primum est advertendum, prout legitur *Danielis* 3. quòd postquam *Nabuchodonosor* obtinuit totam Monarchiam Orientis, scilicet regnorum *Assyriorum*, *Persarum*, *Medorum*, *Chaldæorum*, & totius *Syriæ*, postquam expoliaverat, & destruxerat civitatem *Hierusalem*, & Templum, & duxerat totum illum populum captivum in *Babylonem*: tunc elevatus in superbiam se-

fecit se adorari tamquam Deum ab omnibus Regibus, & Principibus, & populis A ipsi subditis.

Et inter cætera fecit sibi statuam auream, & collocavit eam in foro, & fecit venire omnia genera musicorum ad cantandum & sonandum coram statuâ. Et tunc fecit edictum publicum per omnia regna sua, ut omnes venirent ad adorandum statuam ejus. Et fecit fieri vastam fornacem ignis ardentis in alia parte fori: ut si quis contemneret adorare statuam, illicò projiceretur in caminum ignis ardentis. Tunc autem accusati sunt apud Regem isti tres pueri Judæi, scilicet de semine regio regum *Hierusalem*, de filiis captivitatis, quos Rex in domo sua familiares habebat: qui edicto regio rebelles, contemp- B

Nota de tribus pueris.

serant venire ad statuam adorandam. Qui cùm à Rege interrogarentur: quare spreto regio præcepto, statuam non adorassent? Responderunt se non esse paratos adorare, nisi unum solum *Deum Israel*, qui fecit cœlum & terram, qui poterat eos liberare de fornace ignis ardentis.

Tunc Rex repletus furore, præcepit eos ligatis manibus & pedibus projici in fornacem ignis. Ignis vero combussit vincula eorum, corpora autem eorum non læsit, nec vestes: sed soluti ambulabant laudantes Dominum per medium fornacis ignis, & confitentes peccata populi Israel, propter quæ ille populus affligebatur in illa captivitate. Et tandem *Angelus Domini* in forma viri descendit de cœlo in medium C fornacis, & *excussit flammam ignis* extra fornacem, & combusit omnes ministros regis circumstantes. Illos autem tres pueros non læsit, nec contristavit: immò affuit ibi ventus ad modum roris flantis, qui refrigeravit eos, & expulit omnem calorem à fornace.

Per quod quidem mysterium viderunt illi tres pueri in spiritu prophetico, qualiter *Filius Dei* debebat descendere de cœlo in uterum Virginis, & absque læsione virginitatis sumere carnem humanam ex ea, & relinquendo eam Virginem, Deus & homo nasci ex ea. Et præviderunt, qualiter *Filius Dei* factus homo, debebat liberare totum genus humanum de fornace D ignis, & captivitate peccati: & qualiter debebat liberare Sanctos Patres de fornace & limbo inferni. Et sic omnes illi tres uno spiritu prophetico illustrati, non solùm pro eorum corporali liberatione, sed pro liberatione per Christum Verbum incarnatum faciendâ, quam in spiritu præviderant, omnes tres uno ore agendo gratias decantarunt istud Canticum in medio fornacis, dicentes: *Benedictus Deus Patrum nostrorum &c.* Unde priùs benedixerunt Dominum, & posteà invitarunt omnes creaturas ad benedicendum Dominum, & agendum gratias, dicentes: *Benedicite omnia opera Domini* E *Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula*, prout in hoc Cantico continetur. Et sic patet, qualiter isti pueri non solùm moti sunt ad faciendum hoc pro sua liberatione jam factâ; sed etiam pro liberatione Ecclesiæ faciendâ, quam præviderant in spiritu per illam temporalem liberationem suam?

§. II.

SED nunc restat videndum de secundo qnæsito, scilicet quare in hoc Cantico, non solùm invitant creaturas rationales, sed etiam irrationales ad benedicendum Deum; cùm illa careant ratione, & F solus homo sit redemptus & liberatus per Christum.

Ad quod respondetur, quod quinque viderunt in spiritu illi tres pueri in illo mysterio. Nam primò, viderunt *mysterium Trinitatis* divinarum Personarum in una simplici & individua substantia: per hoc quod ipsi tres fuerunt indivisi & inseparati in una simplici & individua fide unius veri Dei: & ideo omnes tres uno ore laudarunt Deum.

Illi tres pueri viderunt quinque in spiritu.

Secundò, præviderunt in spiritu prophetico mysterium *Incarnationis*, scilicet qualiter *Filius Dei*, secunda persona in *Trinitate* debebat assumere humanitatem in unitate suppositi, per hoc quod viderunt illum *Angelum* descendentem de cœlo in G forma viri: de quo postea dixit *Nabuchodonosor. Video quatuor viros solutos, & species quarti similiis est filio Dei.*

Tertiò, præviderunt mysterium nostræ *Redemptionis* & universalis liberationis, scilicet qualiter *Filius Dei* in forma hominis debebat liberare genus humanum à perpetua servitute peccati, & de manu diaboli, & perpetuâ pœnâ, & igne inferni; per hoc quod ille *Angelus* in forma viri absolvit eos, & confregit vincula eorum, & liberavit eos ab illo igne, qui non læsit, nec contristavit eos.

Quartò, præviderunt in spiritu prophetico *destructionem* futuram omnium idolorum, & *conversionem* omnium Imperato- H rum & Principum totius populi Gentilis ad Fidem Christi: & per consequens præviderunt futuram *liberationem* Ecclesiæ de persecutione Tyrannorum: quæ quidem destructio idolornm fuit facta per conversionem Magni *Constantini*. Et hoc prævideruntin spiritu illi tres pueri per hoc quod *Nabuchodonosor* videns illum Angelum, qui liberaverat illos tres pueros de camino ignis ardentis habentem speciem similem Filio Dei, comminuit statuam auream, & publicè laudavit Deum cœli, qui liberavit illos tres pueros: & confessus est ejus omnipotentiam & magnificentiam super omnes principatus & potestates mundi,

di, ut patet *Danielis* 3.

Quintò, isti tres pueri manifestè viderunt in sua liberatione *obedientiam* omnium A creaturarum ad suum Creatorem: & quomodo omnes creaturæ non solùm rationales, sed etiam irrationales obediunt divinæ voluntati. Nam non solùm ille *Angelus*, qui erat creatura rationalis, obedivit divinæ voluntati, in quantum descendit de cœlo, & liberavit eos: sed etiam ignis illius fornacis contra naturam suam obedivit Deo, in quantum suspendit actionem suam naturalem, & non combussit illos pueros, nec contristavit eos. Item ille *ventus roris flantis* ad nutum & voluntatem Dei descendit de cœlo, & refrigeravit eos in medio ignis; & sic ignis, & aqua, & aër obedierunt divinæ voluntati. Et non solùm Angeli, & B cœlum, & elementa obedierunt Deo in illo mysterio, sed etiam *Nabuchodonosor* cum toto suo populo, eò quòd laudavit & magnificavit Dominum cœli, & eduxit tres pueros de fornace: & promovit eos, & præfecit eos Rectores in suo regno. Et sic illi pueri in sua liberatione manifestè viderunt obedientiam, quam Angeli, & cœli, & homines, & omnia elementa, & elementata servarunt & gestarunt erga suum Creatorem in illa liberatione. Per quod mysterium præviderunt in spiritu prophetico, quomodo omnes creaturæ, tàm irrationales, quàm rationales debebant Christo obedire in suo adventu, & in nostra universali redemptione, & Christi passione, & resurrectione, & ascensione, & in secundo adventu ad Judicium. Nam præviderunt, qualiter C Angeli debebant cantare, *Gloria in excelsis Deo* in sua nativitate: & pastores ex præcepto Angelorum erant venturi ad adorandum ipsum in præsepio: Et qualiter nova stella debebat in cœlo apparere, & Magos ad Christum adorandum ducere: Et qualiter non solùm cœlum, sed etiam omnia elementa debebant Christi nativitatis signa ostendere, scilicet, qualiter Romæ in *Campo Martio* fons olei erat emanaturus: Item qualiter mare & venti debebant ipsi parêre, & omnes ægritudines & infirmitates, & dœmones, & mors à suo nutu & conspectu debebant fugere & cedere. Item præviderunt, qualiter Sol, & Luna, & cœli, & omnes stellæ debebant dare signa in sua passione, D & infernus obedire in sua resurrectione, & sanctorum Patrum liberatione, & omnes cœli in sua ascensione: ut manifestè fuit impletum & visum ab Apostolis, & omni populo. Et ita pariter præviderunt isti pueri, qualiter Angeli, & cœli, & omnia astra, & elementa, & elementata, & omnes creaturæ dabunt signa obedientiæ in secundo adventu ad Judicium. Et ideo isti tres pueri in hoc Cantico multipliciter invitant omnes creaturas ad laudandum & benedicendum Deum, secundùm quod creaturæ multipliciter possunt Deum laudare.

Creaturæ possunt tripliciter laudare Deum.

Nam tripliciter possunt Deum laudare. E Uno modo vocaliter: & sic solæ creaturæ rationales laudant Deum; eò quòd solum ipsæ habent sermonem: & sic laudant Deum in utraque Ecclesia, scilicet, *Triumphanti*, & *Militanti*.

Secundò, laudant Deum creaturæ *excitativè*, in quantum vestigium Trinitatis & divinæ perfectionis lucet in omnibus creaturis: & sic omnes creaturæ, tàm inanimatæ, quàm animatæ, & tàm irrationales, quàm rationales excitant Angelos & homines ad laudandum & benedicendum Deum in eis propter divinas perfectiones, quæ in eis lucent. Nam Angeli & homines contemplando vestigium *Trinitatis*, & divinæ veritatis, & contemplando similitudinem di- F vinarum perfectionum, quæ lucent in omnibus creaturis secundùm magis & minus perfectum, laudant Deum in omnibus creaturis, in quantum bonitas artificis lucet & apparet in artificiato, sicut ait *Arist.* 11. *de Animalibus*. Et sic omnes creaturæ dicuntur laudare Deum, in quantum ostendunt similitudines divinarum perfectionum, quas Deus in eis impressit: & sic excitant Angelos & homines ad laudandum & benedicendum Deum, prout dictum est *Psal.* 148.

Tertiò, dicuntur laudare Deum, non solùm rationales creaturæ, sed irrationales, in quantum supra suam naturam ostendunt obedire Deo in suis operationibus. Et sic laudavit Deum *Mare Rubrum*, quando ad percussionem virgæ Moysi fuit divisum, & præbuit iter filiis Israel. Eodem modo obe divit Deo, & benedixit Deo *petra*, quando G percussa protulit aquas in *Horeb*, & in deserto. Item, aquæ *Jordanis* laudaverunt & benedixerunt Deum, quando obediendo Deo, reversæ sunt retrorsum, ut pede sicco transirent filii Israel in terram promissam. Item, Angeli & cœlum, & elementa, & elementata omnia laudaverunt & benedixerunt Deum, quando obediendo Christo dederunt signa suæ nativitatis. Item, venti & mare *Galilææ* laudaverunt Deum, quando obedierunt Christo: & ideo dixerunt homines illi: *Quis est hic, quia mare & venti obediunt illi?* Item, quinque panes, & duo pisces laudaverunt Deum, quando obediendo Christo fuerunt multiplicati in deserto H ad refectionem totius populi. Et sic infernus, & mors, & omnes infirmitates laudaverunt Deum obediendo Christo: & sic est dicendum de omnibus creaturis, quæ obedierunt Christo in sua Passione, & Resurrectione, & Ascensione, & obedient in secundo adventu.

Ex quibus patet, quòd tripliciter creaturæ laudant & benedicunt Deum. Uno modo *mentaliter* & *vocaliter*, & sic convenit solis Angelis, & hominibus. Secundo modo *excitativè*, repræsentando divinas perfectiones, excitando homines, & Angelos ad laudandum Deum: & sic convenit omnibus creaturis.

turis. Tertio modo *obedientialiter :* & sic etiam convenit omnibus creaturis, in quantum non solùm naturalibus operationibus, A sed etiam supra naturam obediunt divinæ voluntati in electis temporibus secundùm suam ordinatam dispositionem.

Istis ergo tribus modis supradictis isti *tres Pueri* cum tota Ecclesia invitant & appellant omnes creaturas ad laudandum & benedicendum Deum. Nam uno modo invitant omnes Angelos & homines, ut veniant ad laudandum & benedicendum Deum *mentaliter & vocaliter*, scilicet corde, & voce, & opere pro beneficio creationis, & gubernationis, & nostræ redemptionis & glorificationis. Secundò, invitant omnes creaturas, tàm inanimatas, quàm animatas & irrationales, ut laudent Deum *excitativè*, id est, ut repræsentando similitudines di- B vinarum perfectionum, excitent homines & Angelos ad laudandum Deum. Quæ quidem invitatio potiùs dirigitur hominibus & Angelis, ut contemplentur divinas perfectiones, quæ lucent in omnibus creaturis, & laudent & benedicant Deum in eis. Tertiò, invitant omnes creaturas, ut laudent Deum, obediendo ipsi in operationibus miraculosis supra naturam. Et isto modo istud *Canticum* partim fuit propheticum: quia illi *pueri* non solùm agebant gratias, quòd omnes creaturæ obedierant Deo in liberatione eorum; sed adhuc propheticè invitabant & excitabant Angelos, & homines, & omnes creaturas, ut obedirent Christo in suo adventu in miraculis faciendis, & darent signa suæ nativitatis, & passionis, & obedi- C rent ipsi in sua resurrectione, & ascensione, & in secundo adventu.

Et sic ad omnes istos tres respectus Ecclesia cantat istud Canticum in diebus Dominicis, & festivis, agendo gratias pro beneficio *creationis*, & *gubernationis*, & nostræ *redemptionis*, quia omnia creata Christo obediverunt, & fuerunt quasi instrumenta Christi in nostra redemptione; & invitarunt easdem creaturas ut obediant Christo in secundo adventu, & in nostra glorificatione. Et per hoc patet responsio ad secundum quæsitum.

His ergo habitis, habetur tota intelligentia hujus *Cantici*: nec oportet immorari in ejus Expositione, eò quòd totum conti- D netur in *Ps.* 148. Et ideo ibi patet ejus litteralis intelligentia & Expositio. Sed ut servetur forma specialis Expositionis, dividitur hoc *Canticum* in duas partes principales. Nam primò invitantur generaliter omnes creaturæ ad laudandum & benedicendum Deum. Secundò, invitantur singulariter & particulariter omnes creaturæ divisim & successivè secundùm dignitates, & conditiones, & naturas suas. Ibi:

Benedicite Angeli
&c.

E

§. III.

QUantum ergo ad primum est priùs advertendum, quòd *benedicere* uno modo, idem est quod aliquid boni, sive aliquid gratiæ conferre, sive gratificare, & sanctificare. Et sic major benedicit minorem: putà, Creator creaturam. Et sic Deus benedixit primis parentibus, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram: Et dominamini piscibus maris &c. Gen.* 1. & 2. quia tunc dedit eis virtutem generativam, & dominium super omnia creata inferiora. Item *Genes.* 2. dicitur, quòd Deus *benedixit diei Sabbati, & sanctificavit illum*, id est, ad opera sancta fa- F cienda dedicavit. Et sic etiam Episcopus benedicit Ecclesias, & Altaria, & ornamenta Ecclesiastica, id est, dedicat ea ad usus & opera sancta facienda, & hoc invocando divinam potentiam. Et sic etiam ex parte Dei Episcopus benedicit populo, indulgentias conferendo tamquam Minister Dei: quia solus Deus per se dat gratiam, & gratificat, & sanctificat hominem: juxta illud quod ait Dominus: *Ponite manus super filios Israel: ego autem benedicam eis.* Et quia solus Deus est ille qui gratificat, & benedicit, & sanctificat per se: ideo ait David, *Psal.* 66. *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*

Benedicere quid sit.

Secundo modo *benedicere*, idem est G quod commendare, aut beneficia referre & commemorare, aut pro talibus beneficiis receptis gratias agere. Et isto modo minor benedicit majorem & superiorem, & creatura *Creatorem*, ejus omnipotentiam, sapientiam, misericordiam, & justitiam commendando & prædicando; aut beneficia recepta ipsi & aliis referendo & memorando: aut pro talibus beneficiis gratias agendo. Et isto modo David, *Psalm.* 102. dicit: *Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas &c.*

H Et isto etiam modo isti *tres Pueri* in hoc *Cantico* invitant & appellant omnes creaturas ad benedicendum Deo *Creatori* suo, & ad agendum gratias pro beneficio creationis, & gubernationis, & conservationis, eo modo quo supra dictum est. Et quia illi loquebantur, non solùm in persona sui pro illa temporali liberatione, sed etiam in persona totius Ecclesiæ pro generali redemptione: ideo Ecclesia cantat hoc Canticum, invitando omnes creaturas ad benedicendum Deo.

Unde ait: Vos *omnia opera Domini*, tàm invisibilia, quàm visibilia, superiora & in-

inferiora, *benedicite Domino*, ejus omnipotentiam, & sapientiam, & misericordiam, & cæteras perfectiones; primò commendando & prædicando; secundò, beneficia vobis ab eo collata memorando; tertiò, pro talibus beneficiis receptis gratias agendo: & sic *laudate & superexaltate*, id est, longè lateque in sæcula commendatum & exaltatum proclamate. Quasi dicat: Unumquodque vestrum *laudet & superexaltet Deum* in ordine suo, & secundùm naturam & conditionem suam: putà; rationabilia & intellectualia laudent Deum *mentaliter*, & *vocaliter*: cætera autem laudent Deum, id est, excitent homines ad laudandum Deum, divinas perfectiones ostendendo. Et laudent Deum, in miraculis obediendo, & in primo adventu Christi super naturam signa demonstrando. A B

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol & Luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino. C

HÆC est secunda pars principalis, in qua specialiter & divisim omnia genera creaturarum invitantur ad benedicendum & laudandum Deum: & hoc unumquodque in ordine suo, incipiendo à superioribus, & procedendo ad inferiora usque ad hominem, qui est finis omnium creaturarum corporearum. Et ideo primò invitant Angelos & corpora cœlestia. Secundò, invitant ignem, & aërem, & omnia metheorica, quæ in aëre generantur. Tertiò, invitant terram, & aquam, & omnia quæ in eis generantur. Quartò, specialiter invitant populum Dei. Secunda ibi: *Benedicite imber & ros Domino.* Tertia ibi: *Benedicat terra Dominum.* Quarta ibi: *Benedicat Israel.* D

Quantum ad primum dicunt: O vos *Angeli Domini benedicite Domino*, agendo gratias; primò, pro beneficio *creationis*: quia tenetis primum gradum in ordine creaturarum. Secundò, quia fuistis per gratiam præservati, ne cum dœmonibus apostaticis caderetis. Et sic *laudate, & superexaltate eum in sæcula*, non solùm pro beneficio creationis, sed etiam pro beneficio redemptionis: quia in Christo futuro fuistis redempti, & gratificati, in quantum ipsi adhærere, & obedire ab initio decrevistis. Ideo quando venerit Christus in carne, *benedicite, & laudate, & superexaltate eum in sæcula*, ipsi ministrando & obediendo in sua nativitate, *Gloria in excelsis* canendo, & Magos ad ipsum adorandum dirigendo, & in omnibus miraculis submini-strando, & in sua passione totam terram commovendo, & vectes ferreos, & portas æreas inferni ante ipsum confringendo: & in sua resurrectione lapidem ab ostio monumenti aperiendo, & custodes exterrendo, & resurrectionem mulieribus annuntiando: & in sua Ascensione cum nobili pompa ipsum tamquam Dominum in cœlum recipiendo: & in secundo ejus adventu Antichristum perimendo: & cœlum, & omnia elementa commovendo, & omnes mortuos ad judicium vocando, & finaliter diabolum cum omnibus suis sequacibus in infernum præcipitando. E

Item, vos omnes *cœli benedicite Domino: & laudate & superexaltate eum in sæcula.* Et primò cœlum *Empyreum* emittat illum suavissimum & felicissimum splendorem ad gloriam omnium Beator. Secundò, cum cæteris cœlis mittat suam influentiam & virtutem ad esse, & conservationem omnium istorum inferiorum. F

Et nota, quòd in quolibet versu reperitur ly *laudate & superexaltate eum in sæcula.* Item, quia cœlum crystallinum, sive aqueum est primum mobile super polos mundi, trahens secum omnes cœlos inferiores ab Oriente in Occidentem, complens gyrum suum in viginti quatuor horis: ideo specialiter invitat ipsum ad laudandum Deum, dicens: *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino*: & fit mutatio personæ, per figuram quæ dicitur *Synerefis.* Sed quia Angeli, sive Intelligentiæ de ordine Virtutum movent cœlos propter Deum amatum & desideratum, ut dicitur 12. *Metaph.* & dictum est *Psal.* 103. & 148. ideo subdit: *Benedicite omnes virtutes Domini Domino.* Et intelligit etiam per *virtutes* omnes vires & influentias, quas cœli per suum motum mittunt in hæc inferiora. Item sequitur: *Benedicite Sol & Luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino*, scilicet, perfectiones à Deo vobis collatas ostendendo, & Christo in utroque adventu serviendo & obediendo &c. Littera ista est clara: ideo non oportet immorari, quia jam exposita est *Psal.* 103. & 148. G H



16. q. 1. c. Revertimini.

Benedicite omnis imber & ros Domino : benedicite omnis spiritus Dei Domino.

De Conse. d. 2. Revera.

Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite frigus & æstus Domino.

De Conse. d. 2. c. Papis est.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino : benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura, & nubes Domino.

HIC invitat aërem, & omnia metheorica, quæ in eo generantur. De quibus tractat *Arist.* 1. & 2. *Metheoro.* Unde invitat omnia ista ad benedicendum & laudandum Deum: primò, per virtutes & perfectiones, quas Deus in sua creatione contulit, ut homines excitent ad laudem Dei. Secundò, ut omnia ista serviant & obediant Christo in utroque adventu, prout dictum est. Dicit ergo : *Benedicite omnis imber & ros Domino* : eò quòd generantur in aëre ad servitutem & utilitatem nostram. *Benedicite omnes spiritus Dei Domino* : & intelligit per *spiritum* omnes ventos, & differentias eorum. *Benedicite ignis & æstus*, id est, elementum ignis, & calor Solis & stellarum. Et ideo subdit: *Benedicite frigus & æstus.* Et intelligit etiam per ista, quatuor tempora anni, scilicet, *Ver*, *Æstatem*, *Autumnum*, & *Hiemem.* Et subdit: *Benedicite rores & pruina Domino*: *Benedicite gelu & frigus Domino :* eò quòd ista generantur in Hieme. Et subdit: *Benedicite lux & tenebræ: Bened. fulgura & nubes Domino*: eò quòd ista generantur non solùm in Hieme, sed etiam in æstate. Omnia autem ista dupliciter laudant Deum. Uno modo virtutes ostendendo : alio modo, Deo in utroque Testamento obediendo in miraculis faciendis, prout dictum est.

*** *** ***
*** *** ***

Benedicat terra Dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula. 92. d. ca. In Glos.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis Domino : benedicite omnes volucres cœli Domino. Disti. 56. ca. Nasci.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino : benedicite filii hominum Domino.

HIC invitat terram cum omnibus quæ in ea generantur, ad laudandum Deum : eò quòd terra est mater omnium generabilium, & corruptibilium ; & recipit à cœlo omnes activas influentias excitantes rationes seminales in principio ipsi terræ inditas, ad utilitatem hominum, & omnium animalium. Ideo ait : *Benedicat terra Dominum &c.* Sed quia tota dispositio terræ consistit in montibus, & collibus, & vallibus, & campis declivibus, prout dictum est *Psal.* 103. ideo subdit: *Benedicite montes & colles.* Sed quia terra sic disposita potest recipere influentias à cœlo, & ex suis rationibus seminalibus germinare plantas, & arbores, & omnia mineralia: ideo subdit : *Benedicite universa germinantia in terra Domino*, scilicet, plantæ, & arbores, & omnia mineralia. Sed quia ex montibus oriuntur communiter fontes, & ex fontibus fiunt flumina decurrentia per valles & campos declives ; & ex fluminibus generantur, & fiunt maria, quæ sunt *congregationes aquarum*: ideo subdit: *Benedicite fontes Domino : benedicite maria & flumina Domino.* Sed quia ex aquis fluminum, & marium, & stagnorum generantur omnia genera piscium, prout Deus contulit à principio aquis illam virtutem generativam, & nutritivam, & conservativam piscium : ideo subdit: *Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis Domino.* Sed quia aves, & omnia volatilia vivunt in aëre : ideo subdit : *Benedicite volucres cœli Domino.* Sed quia Deus creavit omnes bestias in sexta die, & omnia pecora, quæ gradiuntur & vivunt in terra : ideo subdit : *Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino.* Sed quia ultimò creatus est homo ; & omnia generabilia, & corruptibilia

lia facta sunt ad utilitatem hominum : quia plantæ creatæ sunt propter animalia , & A ad cibum animalium , & omnia mineralia, & plantæ , & animalia facta sunt ad usum & servitutem hominum , eò quòd sumus nos finis omnium , ut inquit *Aristot. 2. de Anima* , & *Psal.* 146. dicitur , quòd Deus *operit cœlum nubibus , & parat terræ pluviam : qui producit in montibus fœnum , & herbam servituti hominum &c.* Ideo subdit : *Benedicite filii hominum Domino.* Quasi dicat : O filii hominum , *benedicite Domino* , quia præ cæteris obligamini agere gratias Deo : primò , quia ad suam imaginem vos creavit , & animam rationalem , & aptam ad felicitatem dedit , & omnia alia propter vos ad servitutem vestram creavit; & carnem sumendo vestram humanam na- B turam nobilitavit , & pro vobis fuit mortuus & passus , & sic vos à peccati servitute redemit , & finaliter vos in cœlo collocabit : Ergo præ cæteris laudate eum corde , & linguâ , & opere.

91. d. ca. Presbyter. 1. quæ. 1. Necesse.

Benedicat Israel Dominum : laudet &c.

Et 3. q. 7. In gravibus.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino : laudate.

Et 5. q. 3. Quia Episcopus.

Benedicite servi Domini Domino : laudate.

Benedicite spiritus & animæ justorum Domino : laudate. C

Benedicite sancti & humiles corde Domino : laudate.

QUIA superiùs omnia creata simul cum hominibus invitavit ad laudem Dei, ut agant gratias pro omnibus beneficiis receptis ; nunc specialiter invitat populum Dei utriusque Testamenti : eò quòd specialiter voluit ipsum eligere ad cultum veræ Latriæ , & secreta cœlestia per successionem temporum secundùm misericordiam suam manifestare. Ideo ait : *Benedicat Israel Dominum* , præ cæteris agendo gratias propter majora & specialiora beneficia recepta , & *laudet & superexaltet eum in* D *sæcula.* Sed quia in hoc populo duæ sunt conditiones fidelium : Primò , Sacerdotes & Ministri , qui administrant divina ad cultum Dei : ideo subdit : *Benedicite Sacerdotes Domini Domino* : &, *Benedicite servi Domini Domino.* Sed quia in secundo gradu sunt omnes Christi fideles populares , & laici : ideo subdit : *Benedicite spiritus* , id est , homines spirituales , & non carnales: *& animæ justorum Domino : benedicite sancti & humiles corde Domino.* Sed quia isti *tres Pueri* præ cæteris receperunt be- E neficium liberationis de camino ignis ardentis , per quod præviderunt in spiritu mysterium Incarnationis & nostræ Redemptionis : ideo specialiter excitarunt seipsos ad benedicendum Deum pro tantis beneficiis gratias agendo , dicentes:

Benedicite Anania Azaria Misael Domino : laudate , & superexaltate eum in sæcula. *16. q. 1. Revertimini.*

Qui eruit vos de inferno , & salvos vos fecit de manu mortis : & liberavit de medio ardentis flammæ : & de medio ignis eruit vos. F

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. *Danie. 3.*

Benedicite omnes Religiosi Domino Deo Deorum : laudate , & confitemini ei , quia in omnia sæcula misericordia ejus. *De Pœd. 1. Serpens 12. q. 1. Quia tua.*

HUcusque dixerunt Pueri : sed Ecclesia interponit duos versus loco *Gloria Patri* , scilicet , *Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu : laudemus & superexaltemus eum in sæcula : Benedictus* G *es Domine in firmamento cœli &c.* Sed ex verbis istorum trium *Puerorum* ostenditur, quòd ipsi non solùm agunt gratias pro illa temporali & corporali liberatione de illo camino ignis ardentis , quando dicunt: *Benedicite Anania Azaria &c. qui liberavit vos de medio ardentis flammæ , & de medio ignis eruit vos ;* sed primò & principaliter laudant Christum Deum & hominem , & agunt gratias pro beneficio generalis redemptionis , & liberationis de inferno & morte æternâ , per hoc quod dixerunt : *Benedicite Domino , qui eruit vos de inferno , & salvavit vos de manu mortis.* Et sic patet , quòd egerunt gratias de beneficio Incarnationis , & universalis re- H demptionis , quem præviderunt in spiritu per Christum faciendum. Et sic præviderunt etiam liberationem Ecclesiæ futuram de persecutione Tyrannorum , prout dictum est. Et ad hunc respectum & propositum, & propter omnia supradicta istud *Canticum* canit Ecclesia in Officio Matutinali. Et ideo advertat Sacerdos, cùm in Officio Canonico invitat omnes creaturas ad laudandum Deum in hoc Cantico , ut habeat respectum & dirigat mentem & intentionem ad omnia supradicta.

IN

IN CANTICUM ISAIÆ.

PROOEMIUM.

Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.

HOC *Canticum* cantatur *in Laudibus secundæ Feriæ*, quod cecinit *Isaias* Propheta in persona totius Ecclesiæ Christi, *Isaiæ* 12. Ad cujus intelligentiam duo sunt videnda.

Primò, unde sumpsit causam Isaias, ad cantandum hoc *Canticum*: & de modo prophetandi.

Secundò, videnda est materia de qua est hoc Canticum.

§. I.

QUantum ad primum est primò notandum, prout dictum est in *Prologo* Expositionis psalterii, *Tractatu secundo*: quòd inter cætera, quatuor sunt necessaria in omni prophetia, scilicet visio, & objectum, in quo repræsentatur mysterium propheticum, & lumen propheticum ad interpretandam visionem: quia intelligentiâ opus est in visione, *Daniel.* 14. quartò, quòd mittatur à Deo ipse Propheta: quia aliter non diceretur Propheta, nisi haberet istas quatuor conditiones. Per ista ergo quatuor Isaias ostendit se esse verum Prophetam. Unde *cap.* 6. dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c.* per quod se ostendit habuisse veram visionem & verum objectum. Tertiò, ostendit se esse à Deo missum, cùm subdit infra: *Vade, & dic populo huic.* Quartò, ostendit se habuisse verum lumen propheticum supernaturale, cùm unus de Seraphim purgavit labia ejus &c.

Secundò est notandum, quòd Deus ad duplicem finem mittebat Prophetas ad illum populum. Primò & immediatè ad annuntiandum scelera, & peccata, & punitiones illius populi, ut metu comminationis converteretur ad Deum: & ad annuntiandum liberationem futuram, si converteretur. Ultimatus autem finis, & principaliter intentus erat ad prænuntiandum generalem redemptionem totius generis humani futuram per adventum Christi. Et ideo Propheta per duplex lumen propheticum prævidebat in spiritu futuram redemptionem, & liberationem generis humani per liberationem temporalem illius populi, prout Spiritus sanctus inspirabat mentem Prophetæ, & etiam prout Deus loquebatur ipsi Prophetæ doctrinaliter, ut patet in textu, & scripturâ Prophetarum. Et sic Isaias tripliciter prævidit futura mysteria de Christo & Ecclesia. Primò, per imaginariam visionem: & sic vidit Dominum sedentem. Secundò, per gesta contingentia in illo populo: & sic prævidit expoliationem inferni, per expoliationem *Samariæ*, ut patebit. Tertiò, prævidit futura mysteria, per familiarem doctrinam, & locutionem Dei, & Angelorum, ut patet *cap.* 7.

Tertiò est notandum secundùm *Augustinum contra Adversarium Legis & Prophetarum*, quòd quia mysterium Incarnationis, & nostræ Redemptionis, & Glorificationis fuit maximum, & ineffabile, & incomprehensibile: ideo oportuit, quòd multis figuris, & mysteriis, & exemplis, & modis, & per multos Prophetas prædiceretur & prognosticaretur, ut redderetur probabile & credibile apud mundum. Et ideo *Isaias*, qui inter cæteros Prophetas potiùs texuit Euangelicam historiam de Christo, quàm prophetiam, non unâ solâ revelatione & visione, sed & pluribus visionibus & exemplis prævidit & prædixit mysterium Incarnationis Christi, & nostræ redemptionis: cujus visio & prophetia semper processit de imperfecto ad magis perfectum, & de minus claro ad magis clarum, secundùm quod lumen propheticum ipsi augebatur in visionibus & revelationibus.. *Nota Isaiæ cogitationes.*

Unde secundùm communem opinionem prima visio & revelatio fuit in principio suæ legationis, *Isaiæ* 6. quando visione imaginariâ vidit *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & plena erat domus à majestate ejus: & ea*, id est, fimbriæ, & vestimenta, *quæ sub ipso erant, replebant Templum.* Et *duo Seraphim stabant super illud* Templum, *& clamabant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloriâ ejus &c.* per quod mysterium prævidit Isaias in lumine prophetico totum mysterium *Trinitatis Personarum* in una substantia & essentia. Nam per *Dominum sedentem* prævidit personam *Patris*: & per *duo Seraphim* intellexit *Filium* & *Spiritum sanctum:* & per *Templum* intellexit humanitatem Christi, quam Verbum assumpsit personaliter: & per hoc quod dixit ter *Sanctus*, intellexit tres Personas Divinas: & per hoc quod dixit, *Dominus Deus exercituum*, intellexit, quòd illæ tres Personæ sunt unus Deus & Dominus substantialiter. Et per hoc quod unus de Seraphim *volavit*, & mundavit labia *Isaiæ*, intellexit, quòd secunda Persona *Trinitatis* debebat in hunc mundum volare per incarnationem, & peccatum totius mundi purgare. Et per hoc quod Dominus dixit: *Excæca cor populi hu-*

hujus &c. prævidit, qualiter populus Judaicus erat obcœcandus in sua obstinatione & malitia, ne posset apprehendere, nec credere mysterium Incarnationis, & nostræ Redemptionis, & quomodo debebat Christum repudiare, & crucifigere: sed per hoc quod subdit: *Adhuc decimatio &c.* prævidit, qualiter una pars minor illius populi erat Christum receptura, & secutura. Sed ista visio fuit ipsi Isaiæ aliqualiter obscura: sed postea Deus revelavit ipsi mysterium Incarnationis magis clarè & distinctè in cap. sequenti. Unde cùm *Achaz* timeret *Rasin* Regem Syriæ, & *Phacee* filium *Romeliæ* Regem Samariæ venientes contra *Hierusalem & Judæam*, Deus misit *Isaiam* ad *Achaz* dicens, ne timeret illos duos Reges: immò quod liberaretur ab eis. Sed cùm *Achaz* non crederet, dixit Isaias ex parte Dei: *O Achaz pete signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Cui dixit *Achaz*: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Tunc dixit Deus per Isaiam: *Audite ergo domus David: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel &c.* Quasi diceret: Tu non vis credere, quòd Deus absque aliquo auxilio humano te potest liberare de manu istorum duorum Regum; nec vis petere signum: sed ego volo probare, quod Deus faciet majus opus quàm istud, & majus signum quàm istud: quod erit signum in cœlo, & in terra, & in inferno. Nam quædam Virgo de domo David concipiet, & pariet Filium, & vocabitur *Emmanuel*, quod interpretatur *nobiscum Deus*, id est, qui erit Deus & homo, scilicet, Deus junctus nobiscum, assumens nostram humanitatem. Et iste liberabit genus humanum, & expoliabit infernum: & sic faciet signum in inferno, & ascendet triumphator cum illa prædâ in cœlum: & sic faciet signum in cœlo. Ecce ergo quomodo jam fuit revelatum mysterium Incarnationis Isaiæ magis clarè & distinctè.

Item *cap.* 8. fuit ipsi revelatum hoc mysterium Incarnationis magis clarè & distinctè, cùm dixit ei Deus: *Sume tibi librum grandem: & scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia, detrahe, citò prædare. Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: Festina prædari. Quia antequam puer sciat vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci &c.* Quasi diceret Deus: Ego *accessi ad prophetissam*, scilicet, *Virginem Mariam* virtute Spiritus sancti illustrando & obumbrando, & ex puris sanguinibus corpus pueri Christi disponendo: quæ quidem Virgo concepit solâ virtute Spiritus sancti, & peperit Filium: & vocabitur, *Velociter accelera spolia detrahere, citò prædare*: quia celeriter, & in instanti formabitur in utero virgineo, & spoliabit infernum, & detrahet prædam antiquam, & deducet in cœlum: quod quidem mysterium erit figuratum per expoliationem *Damasci & Samariæ.* Quia sicut post modicum tempus Rex Assyriorum expoliavit Damascum & Samariam: ita tempore statuto à Deo incarnabitur Verbum æternum, & expoliabit infernum, & prosternet omnia idola mundi. Ecce quomodo per expoliationem Damasci & Samariæ prævidit Isaias expoliationem inferni &c.

Quartò autem magis clarè & distinctè fuit revelatum Isaiæ mysterium Incarnationis, & regni universalis Christi. Unde *cap.* 9. ait: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali &c.* & infra: *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus &c.* Ecce quomodo jam magis explicavit personam, & regnum Christi futuri.

Quintò tandem multo clariùs explicat generationem Christi secundùm carnem, & sapientiam, & prædicationem, & dationem Legis Euangelicæ, & miracula, & mortem, & sepulturam, & resurrectionem Christi gloriosam, & vocationem, & congregationem omnium Fidelium & Gentilium in unam fidem, ut patet per totum 9. *capit.* ubi magis videtur texere historiam Euangelicam, quàm prophetiam.

§. II.

HIS ergo habitis, dicit Deus ipsi Isaiæ, quòd postquam omnes istæ prophetiæ, & revelationes, & visiones fuerint impletæ in adventu Christi: tunc Ecclesia Christi agens gratias de omnibus supradictis, scilicet, de beneficio Incarnationis, & Legis dationis, & nostræ Redemptionis, & Resurrectionis, cantabit hoc Canticum Euangelicum, scilicet, *Confitebor tibi Domine &c.*

Ex quibus patet, primò, unde habet causam Isaias cantandi hoc Canticum: quia ex revelationibus & promissionibus ipsi factis de Christo futuro, & redemptione totius generis humani. Secundò patet, quòd istud Canticum non solùm est propheticum, sed etiam Euangelicum; eò quòd Deus dixit ipsi Isaiæ: *Et dices in illa die*, id est, in die gratiæ, quando hæc fuerint impleta per adventum Christi, dices: *Confitebor tibi &c.* In quo quidem *Cantico* introducitur ad loquendum, non solùm Isaias, immò tota Ecclesia Christi agens gratias Deo, eò quòd im-

implevit omnia promissa & revelata Isaiæ à principio libri usque ad hoc 12. *cap.* de Christo Redemptore, & Ecclesia redemptâ. A

In quo *Cantico* tria facit: nam primò agit gratias confitendo divinam misericordiam, quam Deus ostendit erga genus humanum per suam Incarnationem & Passionem. Secundò, confitetur divinam largitatem, enumerando fructus sui adventus & passionis. Ubi enumerat beneficia, quæ recepimus in Christi adventu. Tertiò, exhortatur & excitat specialiter Hierusalem ad agendum gratias: eò quòd in ea Christus operatus est mysterium nostræ redemptionis & salutis. Secunda ibi: *Haurietis aquas.* Tertia ibi: *Exulta & lauda &c.*

Quantum ergo ad primum dicit Isaias B in persona Ecclesiæ & totius corporis mystici: *In illa die*, scilicet, in tempore gratiæ, quando omnia supradicta mihi revelata & promissa fuerint impleta, id est, postquam illa *virga de radice Jesse*, scilicet, *Virgo Maria* de genere Jesse & David fuerit egressa, & ipsa Virgo conceperit ex opere Spiritus sancti, & pepererit Filium, scilicet, Jesum Christum vocatum *Emmanuel*, scilicet, Deum nobis per carnem unitum: & postquam iste parvulus vocatus *Admirabilis*, *Deus*, *Fortis*, & *Princeps pacis*, fuerit nobis datus & natus: & postquam iste *flos de radice Jesse* steterit in cruce in signum omnium populorum, & sepulchrum ejus fuerit glorioſum per resurrectionem: & postquam fuerit impletum mysterium nostræ redemptionis, & reparationis humanæ, sicut promissum est in isto 11. *cap.* & in C omnibus præcedentibus: tunc agendo gratias dicit:

11. q. 3 *Æstimatur; & c. Nò solum. De Pœn. d. 1 Serpens, in Glos. De Confe. d. 2. Iteratur. 95. d. c. Ecce.*

COnfitebor tibi Domine: quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus & consolatus es me.

Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam, & non timebo.

Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. D

CONfitebor, inquit, *tibi Domine*, non solùm confessione fidei: quoniam verificasti, & adimpleviſti quod promisisti & mihi revelasti; sed etiam *confitebor tibi* confessione laudis pro tantis beneficiis receptis: *quoniam* tu in principio *iratus es mihi*, quando *Adam* peccavit: quia tunc à facie tuâ me projeciſti: & de illo paradiso delitiarum expuliſti, & ad duplicem mortem destinasti: & sic incidi in latrones, qui me bonis gratuitis expoliarunt, & in corpore & anima sauciarunt, & gravibus vulneribus affecerunt; & sic *semivivus relictus* in E hac lacrymarum valle ultra quinque millia annorum expectando medicum, jacui infirmus & ægrotus. Sed licèt per tot tempora fueris mihi iratus: tamen nunc conversus est furor tuus in benignitatem & misericordiam, Filium tuum mittendo Medicum mihi expectatum & promissum. Et sic consolatus es me per ipsum. Unde causa quare consolatus es me est ista. Nam *ecce*, id est, jam adest Jesus Christus, qui est *Deus Salvator meus*, mihi totiens promissus ad salvandum: quia ideo dicitur Jesus, id est, Salvator, quia *salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, *Matth.* 1. Et ideo deinceps ambulando in lege libertatis & justificationis *fiducialiter agam* opera legis Euangelicæ, quæ immediatè & per se liberant à F peccato, & conferunt gratiam gratificantem & justificantem ad vitam æternam. Et ideo ultra *non timebo* diabolum, nec membra ejus. Nam in lege Euangelica sunt tot auxilia & arma contra diabolum ad resistendum & sanandum ex omni parte, quòd ampliùs non timebo ipsum. Et sic *fiducialiter* & cum firma spe *agam* & operabor: quòd *non timebo* pœnas inferni, nec perpetuam captivitatem; sed illicò post hanc vitam in virtute Sacramentorum evolabo in vitam æternam. Et sic *non timebo* captivitatem diaboli, sub qua fuit totum genus humanum usque ad Passionem Christi & Resurrectionem: de qua captivitate fui liberatus per ipsum Christum.

Et bene dico, quòd *fiducialiter agam* G *& non timebo* diabolum: *Quia* ipse *Dominus* Jesus Christus est *fortitudo & laus mea, & factus est mihi in salutem* per Mortem ac Passionem & Resurrectionem. Nam per Mortem & Passionem & Resurrectionem me salvavit: per quam Passionem superavit diabolum, triumphavit de ipso, & liberavit me de ejus potestate, expoliando limbum inferni. Et sic ipse Christus fuit *fortitudo mea.* Et etiam fuit fortitudo mea: quia per Ecclesiastica Sacramenta me fortificavit, & armavit contra diabolum: & ideo non solùm Christus est fortitudo mea, sed etiam *laus mea*: quia teneor ipsum laudare, quia *factus est mihi in salutem*, me redimendo. Et non solùm Jesus Christus est laus mea, H in quantum teneor ipsum laudare propter beneficia recepta; sed etiam est *laus mea*, in quantum per ipsum sum laudatus & honoratus, & beatificatus. Quia nomen Christiani quod habeo per eum, est nomen dignitatis, & laudis, & honoris, & felicitatis. Et sic ipse est *laus mea*, & honor meus: quia quicquid boni habeo ab ipso habeo. Deinde cùm dicit:

* * * *
* * *
*

Hau-

Exod. 15. & Psalm. 107. & 104. & 1. Paral. 15.

De Conf. d. 2. c. Acceſſerunt. 16. q. 1. Revertimini.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & dicetis in illa die: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus.

Notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelſum eſt nomen ejus.

Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in univerſa terra.

INvitat omnes gentes mundi ad recipiendum Chriſtum, & Legem Euangelicam cum fructibus ſuis.

Ad cuius intelligentiam eſt notandum: quòd tres ſunt generales fructus legis Euangelicæ, ſcilicet gratia Sacramentorum, per quam ſanamur, & reficimur: & fides articulorum, per quam divina myſteria credimus & cognoſcimus: & doctrina & obſervantia præceptorum & conſiliorum, per quam ſimul cum fide articulorum regulamur, & juſtificamur. Et ideo Propheta exhortatur omnes gentes, ut recipiant iſtos tres fructus Euangelicos, & per conſequens recipiant Chriſtum & Legem Euangelicam. Et primò exhortatur, ut recipiant gratiam Sacamentorum.

Unde quia dixit ſupra, quòd Chriſtus *factus eſt nobis in ſalutem* per ſuam paſſionem; & quia Eccleſiaſtica ſacramenta ſumpſerunt virtutem, & fluxerunt ex paſſione & quinque vulneribus Chriſti: ideo ſubdit: O vos omnes fideles & omnes gentes *haurietis*, id eſt, haurite, & ſumite *in illa die aquas* ſacramentales de fontibus, ſcilicet de quinque vulneribus *Salvatoris*: quia ex illis quinque fontibus & vulneribus fluent ſeptem Eccleſiæ ſacramenta. Nam exinde primò fluet aqua Baptiſmalis, & aqua Pœnitentialis, & virtus extremæ unctionis, & univerſaliter virtutes omnium Sacramentorum: & *ex fontibus* hujus *Salvatoris* fluent omnes aquæ ſapientiales. Et ideo *omnes ſitientes venite ad* auriendum iſtas *aquas*, quæ ſanant ab omni infirmitate, & refrigerant ab omni calore peccati, & reficiunt conferendo gratiam in præſenti, & gloriam in futuro.

Sacramenta à quinque Chriſti vulneribus.

Deinde cùm ſubdit: *Et dicetis in illa die &c.* invitat omnes ad recipiendam fidem articulorum Euangelicorum, ſcilicet, ut credant myſterium Trinitatis, & Incarnationis, & prædicationis, & miraculorum operationis, & paſſionis, & reſurrectionis, & aſcenſionis, & Euangelicæ publicationis &c. Ideo dicit: O vos Apoſtoli, & Doctores, & Sacerdotes, *in illa die dicetis* & prædicabitis omnibus gentibus: *Confitemini Domino* Jeſu Chriſto, & *invocate nomen ejus*, quod eſt *Jeſus*, & colite ipſum Jeſum Chriſtum, tamquam verum Deum & hominem, & Salvatorem, & Meſſiam in Lege promiſſum. Et confitendo ipſum eſſe *nomen Dei*, & Verbum incarnatum, ſicut dictum eſt *Pſalm.* 8. tunc credetis omnibus articulis fidei, tàm divinitatis, quàm humanitatis. Nam tota fides noſtra eſt *credere Jeſum eſſe Filium naturalem Dei Patris*, 1. *Joan.* 4. quia credito hoc articulo, creduntur cæteri.

Deinde cùm ſubdit: *Notas facite &c.* exhortatur omnes Apoſtolos & prædicatores ad prædicandum præcepta, & doctrinam Euangelicam omnibus populis & linguis; & per conſequens exhortatur omnes gentes, ut recipiant doctrinam Euangelicam. Ideo dicit: O vos Apoſtoli, *Notas facite*, & prædicate *in* omnibus *populis* & gentibus omnes *adinventiones ejus*, ſcilicet omnia profunda myſteria, & omnia præcepta, & conſilia Euangelica, quæ proveniunt ex inventione illius ſummæ & ex ineffabili altitudine ſcientiæ & ſapientiæ Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et notos facite admirabiles modos, quos divina ſapientia adinvenit ad ſalvandum genus humanum: quia mirabilia remedia adinvenit ad ſanandas noſtras infirmitates per gratiam ſacramentorum, & ad ſupplendum noſtros defectus per fidem articulorum, & ad dirigendam noſtram viam, & actus noſtros per doctrinam præceptorum & conſiliorum. Et ideo *mementote, quoniam exceſum eſt nomem ejus*, quod eſt *Jeſus* & *Salvator*. Nam ſi eſt Salvator & dator ſalutis, ſequitur, quòd ipſe eſt ſalus, & vita integra & æterna, & per conſequens ipſe eſt dator vitæ & eſſe ſimpliciter, quod ſoli Deo convenit: ut probatum eſt *Pſalm.* 8. Ergo ſequitur, quòd *excelſum eſt nomen ejus*, qui tales profundas inventiones ſalutis adinvenit, & talia mirabilia operatus eſt.

Et ideo vos omnes populi & gentes *cantate Domino* Jeſu Chriſto, gratias agentes pro tantis beneficiis receptis, & confitentes ipſum eſſe Deum & Meſſiam in Lege promiſſum, *quoniam magnificè fecit* omnia opera noſtræ redemptionis; & magnifica opera fecit, mortuos ſuſcitando, & infirmos ſanando, & ventis & mari imperando, & dæmones de corporibus obſeſsis abjiciendo, & omnia idola conterendo, & principem hujus mundi foras mittendo, & infernum expoliando, & de diabolo triumphando. Et ideo *annuntiate* omnia iſta opera magnifica, quæ Chriſtus fecit, *in univerſa terra*. Quaſi dicat: *Prædicate Euangelium omni creaturæ &c.* Et ſic videtur, quòd Propheta per *aquas de fontibus Salvatoris* intelligit gratiam ſacramentorum, & aquas ſacramentales: & *per invocationem nominis* Jeſu Chriſti, intelligit fidem omnium articulorum: & per

adinventiones ejus, intelligit doctrinam præceptorum, & consiliorum Euangelicorum: & per *opera magnifica*, intelligit omnia opera miraculorum Christi, & etiam omnia mysteria nostræ redemptionis. Deinde cùm dicit:

11.d.cap. Nolite.

Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

SPecialiter excitat & exhortatur illam *Hierusalem & Sion* materialem ad agendum gratias, & laudandum Christum: eò quòd in ea fuit & apparuit præsentialiter & personaliter Christus in carne, & in ea operatus est omnia supradicta opera nostræ redemptionis. Nam in hac *Sion* & *Hierusalem*, primò in Templo fuit præsentatus, & prædicavit, & miracula fecit, & fuit mortuus & sepultus, & resurrexit, & in *monte Sion* Eucharistiæ Sacramentum instituit, & super Apostolos Spiritum sanctum misit, & exinde tota Ecclesia incœpit, & fuit per universum orbem derivata & diffusa: & ideo tota Ecclesia dicitur *Hierusalem* & *Sion*. Unde sicut in illa Sion tunc operatus est nostram salutem, visibiliter apparens in carne: ita nunc in Sion spirituali toto orbe diffusá, semper & jugiter operatur nostram salutem per Ecclesiastica Sacramenta, quæ à suâ passione fluxerunt. Ideo dicit Propheta: O tu *habitatio Sion* materialis, *exulta & lauda* specialiter Christum, *quia* Jesus *sanctus Israel*, id est, Messias ipsi Israel promissus, est *magnus*. Nam erit *magnus in medio tui*: quia in medio tui apparebit in carne, & operabitur omnia opera nostræ redemptionis, ubi incipiet, & unde egredietur universalis Ecclesia, & diffundetur per universum orbem. Et etiam, ò tu *Sion habitatio* spiritualis toto orbe diffusa, *exulta*, & *lauda*: *quia* Jesus Christus Deus & homo *sanctus Israel* habitat *in medio tui* invisibiliter per gratiam, & *in medio tui* jugiter operatur effectum redemptionis per Ecclesiastica sacramenta. Ideo age gratias & lauda Deum cum exultatione & lætitia.

Ex supradictis patet, quòd hoc *Canticum* potiùs est Euangelicum, quam propheticum. Primò, quia Deus præcepit, ut cantaremus hoc Canticum in tempore & in die gratiæ post noctem Legis repulsam, & postquam omnia promissa erant per Christum impleta. Secundò, quia hoc *Canticum* est gratiarum actio pro beneficiis jam peractis nostræ redemptionis. Et ideo jugiter Ecclesia cantat hoc *Canticum*: quia jugiter confitetur ea quæ in eo continentur, sicut jugiter recipit beneficia supradicta per Ecclesiastica sacramenta. Ex quibus etiam patet, quòd Isaias duplicem spiritum prophetiæ habuit: quia in duplici lumine & spiritu propheticò loquitur in hoc *Cantico*, sicut in toto residuo sui libri.

IN CANTICUM EZECHIÆ.

PROOEMIUM.

Ego dixi in dimidio dierum meorum.

HOC *Canticum* cantatur in *Laudibus feriæ tertiæ*: & scribitur *Isaiæ* 38. cui *Cantico* præponitur talis Titulus, scilicet *Scriptura Ezechiæ Regis Juda, cùm ægrotasset, & convaluisset de infirmitate sua.*

Ex quo Titulo apparet quod Ezechias cantavit & fecit hoc *Canticum*, agens gratias Deo postquam convaluit, & liberavit eum de sua infirmitate.

§. I.

AD cujus intelligentiam est primò notandum, ut legitur 4. *Regum* 20. & *Isai.* 38. quòd postquam *Ezechias* cum civitate *Hierusalem* fuit liberatus de manu *Sennacherib* Regis Assyriorum, Deus misit *Isaiam* ipsi *Ezechiæ*, dicens: *dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives*: quod forsan accidit, ut autumant Judæi, propter in gratitudinem *Ezechiæ*: eò quòd non egerat speciales & solemnes gratias Deo pro tanto beneficio recepto: quia cum grandi miraculo liberaverat eum, & punierat exercitum Regis Assyriorum. Quod audiens *Ezechias*, scilicet mortem propinquam esse sibi nuntiatam; tunc convertit faciem suam ad parietem, & flevit fletu magno, orans Deum, ut averteret sententiam mortis, & prolongaret sibi vitam. Tunc autem videns Deus humilitatem *Ezechiæ*, misericordiâ motus misit ipsi *Isaiam*, dicens: *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te, & adjiciam super dies tuos quindecim annos.* In cujus signum Deus fecit retrocedere solem per decem lineas, ut apparuit per umbram horologii ipsius *Ezechiæ*. Et sic illa dies fuit triplicata secundùm *Dionysium in 7. Epistola ad Polycarpum*. Tunc *Ezechias* videns se sanatum, & videns jam admirabile signum in cœlo per retrogradationem Solis, cecinit hoc *Canticum*, agens Deo gratias de tam grandi beneficio sa-

Nota de Ecclesia.

sanitatis, & prolongationis vitæ sibi collato, & de tam admirabili signo in cœlo demonstrato propter ipsum. De quo quidem signo & retrogradatione Solis sunt varii modi dicendi & intelligendi, in quibus non est modò immorandum. Sed sequendo veritatem litteræ secundùm *Dionysium* in loco præallegato, quòd Sol retrocesserit realiter per decem horas, à decima hora usque ad primam diei illius, sic per triginta horas fuit supra hemisphærium; & per consequens fuit illa dies artificialis triplicata in illo hemisphærio secundùm *Dionysium*. Et ita est dicendum, quòd nox fuit etiam triplicata in opposito hemisphærio: quòd fuit Deo possibile & facile. Nam eâdem facilitate quâ intelligentia primi mobilis movit primum mobile ab oriente in occidentem per illas decem horas propter Deum amatum & desideratum, potuit movere cœlum primum mobile ab occidente in orientem cum omnibus orbibus inferioribus per alias decem horas, ad nutum ipsius Dei, cui desiderat parère illa Intelligentia: & hoc, absque injuriâ naturæ, quæ tota dependet à voluntate ipsius Dei. Et ideo in hoc nullus Catholicus & sanæ mentis debet dubitare, nec quærere evasiones, & vanos modos excusandi miraculum.

Sol &c.

Nec sunt etiam audiendi illi qui dicunt, quòd si cœlum cessaret moveri per momentum & horam, tunc omnia ista inferiora cessarent in suis naturalibus operationibus: hoc enim est manifestè falsum: nam tempore *Josue* Sol stetit in medio cœli per unam diem: & tamen exercitus Domini non cessavit à pugna; immò in illo spatio vicit Reges Chanaan: nec etiam cessarunt opera naturæ in cæteris partibus orbis: quia cum opus naturæ principaliter sit opus per se intelligentiæ: ideo Deus absque motu cœlorum potest agere in hæc inferiora. Et etiam cœli sine motu possunt influere virtutes in ista inferiora nutu Dei &c. Sed quia dictum est in *Prologo Psalmorum*, quòd nullum est scriptum nec gestum in Testamento veteri præcisè gratiâ sui, nisi inquantum figurabat, aut prognosticabat aliquod mysterium de Christo & Ecclesia: ideo in Expositione hujus *Cantici* principaliter sunt quærenda mysteria de Christo & Ecclesia, quæ figurabantur per gesta supradicta, & per signum de retrogradatione Solis: quæ mysteria principaliter intenduntur in hoc *Cantico*. Nam per gesta contingentia in illo populo Prophetæ prævidebant in spiritu futura mysteria de Christo & Ecclesia, ut dictum est in *Prologo*.

Nota.

*** ***
*** ***

§. II.

AD cujus intelligentiam est iterum advertendum, quòd quinque mysteria præcesserunt, quibus *Ezechias* fuit motus ad faciendum hoc *Canticum*. *Primum* fuit superbia & ingratitudo *Ezechiæ*, quia cor ejus fuit elevatum post punitionem & recessum *Sennacherib*, ut patet 2. *Paral.* 32. Unde dicunt Judæi, quòd non egit gratias Deo, tribuens ipsi gloriam victoriæ: & sic Deus fuit iratus contra *Ezechiam* & *Hierusalem*, ut patet ibidem: propter quod Deus misit *Isaiam* ad annuntiandum mortem ipsi *Ezechiæ*. In quo mysterio vidit *Isaias* in spiritu, qualiter *Adam* peccavit per ingratitudinem & inobedientiam; propter quod peccatum incurrit duplicem mortem, scilicet, corporis & animæ, simul cum totâ suâ posteritate, & incurrit infirmitates, & defectus, & passiones corporis & animæ, sicut *Ezechias* incurrit illam gravem infirmitatem scabiei & ulcerum immedicabilium. Et sic patet, quòd gravitas infirmitatis, & comminatio mortis *Ezechiæ* facta propter peccatum superbiæ & ingratitudinis, erat figura corruptionis & sententiæ mortis datæ in *Adam*.

Secundum mysterium fuit pœnitentia Ezechiæ, quam fecit videns se ulceratum, & sibi mortem denuntiatam: per quod prævidit Isaias in spiritu pœnitentiam populi Dei ab Adam usque ad Christum, qui continuè erat in jugi pœnitentia, plangendo peccata, & expectando Messiam, ut veniret ad liberandum ipsum: ut patet per totum discursum veteris Testamenti. Unde Adam primus homo, fuit primus qui incœpit agere pœnitentiam, ut patet *Sapient.* 10. ubi dicitur: quòd *hæc sapientia illum, qui primus factus est homo pater orbis terrarum, custodivit, & eduxit à delicto suo.* Et sic successivè omnes fideles fuerunt in continua pœnitentia usque ad Christum, placando Deum per oblationes & sacrificia & jejunia & eleemosynas.

Tertium mysterium fuit: quia Deus misit *Isaiam* ad sanandum & instruendum *Ezechiam*: per quod fuit figuratum, & prævidit Isaias totum mysterium Incarnationis & prædicationis Christi, & nostræ redemptionis. Nam *Isaias* interpretatur *salvatio Domini*: & *Ezechias* interpretatur *auxiliatus à Domino*: & sic Isaias gerebat typum Jesu Salvatoris, & Ezechias typum Ecclesiæ auxiliatæ à Deo: sic prævidit Isaias, qualiter Jesus Christus erat mittendus à Deo Patre ad annuntiandam vitam & salutem mundo, & ad sanandum genus humanum *ab infirmitate, & morte perpetrata in Adam.*

Quartum mysterium fuit: quia in signum fidei Deus fecit Solem retrocedere per decem lineas & horas ab Occidente versus ortum ; & posteà redegit cursum suum usque ad Occasum : Ex quo patet, quòd Sol ter pertransivit lineam meridianam illa die , & fuit super illud hemisphærium & horizontem per 32. horas , & ultrà. Nam eundo & redeundo usque ad decimam horam , fluxerunt triginta horæ : sed posteà perfecit cursum suum usque ad Occasum per duas horas , & ultra , secundùm quod Sol erat citra Æquinoctialem : & sic fuit illa dies triplicata secundùm Dionysium. Per quod prævidit Isaias , qualiter Verbum æternum Sol Justitiæ debebat retrocedere à cœlo in terram per Incarnationem : quæ quidem missio Filii Dei metaphoricè potest dici retrocessio. Nam ille qui erat ab æterno in sinu Dei Patris Deus immortalis, factus est homo mortalis. Unde *cum in forma Dei esset , seipsum exinanivit , formam servi accipiens , & habitu inventus ut homo: ad Philip.*2. Et ideo sicut Sol in eundo & redeundo stetit triginta duabus horis , & modicum ultrà : ita Christus à cœlo retrocessit in mundum per Incarnationem , & stetit in hoc mundo triginta duobus , vel tribus annis cum dimidio , & posteà reversus est ad Patrem in die Ascensionis : sed in fine mundi revertetur cum potestate magna & majestate ad judicandum omnes. Et sic patet , quòd illa retrogradatio Solis verè fuit figura adventus Christi.

Retrogradatio Solis fuit figura adventus Christi.

Et per hoc patet esse falsam & temerariam positionem quorumdam dicentium, quòd illa retrocessio Solis non fuit realis, sed solùm in apparentia radiorum Solarium in horologio. Dicunt enim , quòd realis retrocessio est majus miraculum , quàm resurrectio mortuorum , & quam quodlibet aliud miraculum factum in novo Testamento. Sed sanatio Ezechiæ non indigebat tanto miraculo. Et ideo dicunt , quòd solum fuit apparentia radiorum Solarium in horologio. Sed iste Neophytus non considerabat mysterium Incarnationis & adventus Christi , cujus illa retrogradatio Solis fuit signum & figura : quod mysterium est ita ineffabile & incomprehensibile , quòd adhuc erat dignum majori signo figurativo, quàm erat retrocessio totius machinæ mundi. Item , tale signum non factum est propter sanationem Ezechiæ , sed propter sanationem & redemptionem totius generis humani : quod est maximum mysterium post Incarnationem. Et ideo erat digna tali signo figurativo : & sic semper est multò & sine proportione magis dignum figuratum quam figura , & signatum quàm signum. Item , quòd illa retrogradatio fuit verè realis in cœlo , & non in sola apparentia in horologio , patet: quia illud portentum non solùm visum fuit in *Hierusalem* , sed etiam in *Chaldæa* : quia Rex Babylonis misit nuntios ad Ezechiam cum muneribus , ut interrogarent ipsum de portento viso in cœlo : ut patet 2. *Parali.* 27. & *Isai.*39.

Quintum mysterium fuit : quia *Isaias* fecit cataplasma de massa ficorum , & apposuit ulceribus & vulneribus , & illo fuit sanatus Ezechias : per quod prævidit Isaias cataplasma & medelam Sacramentorum Ecclesiasticorum trahentium virtutem ab arbore & ficulnea Crucis Christi , quo cataplasmate continuè sanantur vulnera peccatorum.

Figura Sacramentorum.

Prævidens ergo Ezechias omnia supradicta per doctrinam & revelationem Isaiæ , qui ipsum informabat de mysteriis futuris Christi & Ecclesiæ , fecit hoc Canticum , agens gratias de sanitate sibi collata: sed principaliter agit gratias de salute & generali redemptione totius generis humani , & de mysterio Incarnationis , quod prævidit in mysterio per suam sanationem & liberationem , & in mysteriis quinque supradictis. Et ideo Ezechias cantat hoc Canticum , primò in persona sui , in quantum fuit sanatus ab infirmitate , & liberatus à morte. Secundò , in persona totius corporis mystici , in quantum homo mysticus fuit sanatus & liberatus per Christum ab infirmitate & morte peccati. Et isto secundo modo Ecclesia cantat hoc Canticum in Laudibus Feriæ Tertiæ: & ideo pro utroque est exponendum Canticum illud.

§. III.

Ezechiæ commendatio.

EST tamen iterùm notandum , quòd *Ezechias* floruit & maximè fuit solicitus in duobus. Primò , floruit in sanctitate post David &c. quia fuit valdè solicitus circa cultum divinum ; immò cùm jam cultus divinus esset turbatus & dissipatus per *Achaz* patrem suum , & multos Reges præcedentes , solus *Ezechias* in principio sui regni restauravit , & ampliavit divinum cultum , & reordinavit Cantores , & Sacerdotes , & Levitas in ordinibus suis, sicut disposuerat David in principio , ut patet 2. *Paral.*29. Item , fecit celebrari phase & alia festa , quæ diu retrò fuerant omissa , ut patet *Psal.*130. Secundò , fuit solicitus circa studium Legis & Prophetarum; immò restauravit multas scripturas hinc inde dispersas , & congregavit in unum ; & maximè congregavit partem *Proverbiorum* Salomonis , quæ erant dispersa in schedulis & membranis , & conjunxit cum prima & secunda parte *libri Proverbiorum* Salomonis : & est tota illa pars à xxv. capit. usque in finem libri. Unde illud xxv. cap. incipit sic : *Hæ quoque parabolæ Salomonis , quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda.* Et sic totum residuum libri Proverbiorum usque in finem dicuntur additiones Ezechiæ. Ex quo patet , quòd Ezechias

chias habebat Doctores & Magistros in Lege & Prophetis, qui ipsum docebant. Et ideo dicunt multi, quòd *Ezechias* in A hac parte habuit spiritum propheticum. Et si non habuit lumen & spiritum propheticum de se; tamen ad minus potuit doceri per supradictos Magistros, & maximè per *Isaiam:* & sic potuit prævidere futura mysteria de Christo & Ecclesia, figurata per supradicta mysteria; & potuit propheticè componere istud Canticum.

Item, ipse sciebat ex Sacra Scriptura, & promissione factâ ipsi David, 2. *Reg.* 7. ex interpretatione Psalmorum, quos ipsi interpretabatur *Isaias*, & alii Magistri, qualiter Messias in Lege promissus erat nasciturus secundùm carnem de genere David per Salomonem & successores suos. Et ideo *Ezechias* lætabatur & gaudebat, quòd mundi Redemptor erat venturus de sua progenie, & sic expectabat ipsum. Sed B cùm vidit mortem propinquam sibi pronuntiatam per *Isaiam*, & videbat se sine filio & generatione moriturum; tunc perdidit totam spem futuri Redemptoris: immò putabat universalem redemptionem esse impeditam & cassam, postquam nullus maneret successor de genere David per Salomonem & ipsum Ezechiam, cui facta erat promissio. Sed postquam fuit sententia mortis mutata, id est, vita supra naturam restituta, & spatium quindecim annorum ipsi additum, in quo poterat prolem generare: tunc recuperatâ spe, agens gratias fecit hoc Canticum. In quo tria facit.

Nam primò explicat damna, quæ futura erant sibi, & toti generi humano, si C *Materia Cantici.* *Ezechias* fuisset tunc mortuus sine liberis. Secundò, explicat miseriam, in qua erat totum genus humanum expectando Messiam. Tertiò, petit Christum accelerare suum adventum ad salvandum populum. Secunda ibi: *Sperabam usque ad mane.* Tertia ibi: *Si sic vivitur.*

Quantum ad primum est advertendum, quòd quinque damna sequebantur, si tunc fuisset mortuus Ezechias. Primò, quia moriebatur juvenis in medio spatii vitæ humanæ, scilicet, in 39. anno cum potuisset vivere usque ad 83. secundùm usum communem. Secundò, quòd ibat ad infernum, sive ad limbum inferni, ubi non poterat videre homines habitatores hujus mundi: & D sic perdebat Regnum, & Civitatem, quam decoraverat & prosperaverat. Tertiò: quia putabat numquam ex inferno se fore exiturum, nec Deum in gloria visurum. Quartò: quia moriebatur sine prole; & ita regnum suum erat ab extraneis possidendum post tot labores, quos fuerat passus in obsidione *Sennacherib.* Quintò, sequebatur impedimentum totius humanæ redemptionis. Nam totus ille populus expectabat Redemptorem Messiam de genere David per Salomonem & Ezechiam: in quo deficiebat tota generatio David, si Ezechias fuisset tunc mortuus sine liberis: & per con- E sequens nec Ezechias, nec aliquis alius potuisset videre Deum per essentiam in terra viventium: quia solus Christus erat Sanctos Patres de Limbo, & totum mundum de captivitate peccati liberaturus. Istas ergo quinque damnationes Ezechias dicit in principio sui Cantici. Postquam ego audivi mortem mihi nuntiatam per *Isaiam*, tunc videns ista quinque damna mihi imminere,

EGO dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas inferi. *Isaiæ 38. 13. q. 2. In Ecclesiastico.*

F *Quæsivi residuum annorum meorum: dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viventium.*

Non aspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, & convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum. *In autem de Monachis, §. Porrò. Job. 4.*

Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me: De mane usque ad vesperam finies me.

G

DIXI *ego* juvenis *in dimidio dierum meorum*, scilicet, in 39. anno, quæ est medietas vitæ naturalis, *Vadam ad portas inferi*, scilicet, ad Limbum Patrum, qui est in porta inferi, eò quòd est primus circulus inferni. Quasi dicat: Intempestivam putari mihi evenire mortem, & ire ad locum, ubi Deus non videtur. *Quæsivi residuum annorum meorum:* quia adhuc restabant mihi 40. anni vitæ secundùm communem usum naturæ. Et ideo dixi in meipso: *Non videbo Deum meum in terra viventium*: & legitur interrogativè, & indignativè. Quasi dicat: In tanta juventute *vadam ad portas inferi* moriendo, & *non* H *videbo Dominum Deum meum in terra viventium*; sed ero privatus divinâ visione, & numquam exibo ex inferno, & nullus Salvator me exinde liberabit? Quasi dicat: Ad pessimum infortunium hoc imputo mihi. Item, aliud malum prospicio mihi evenire. Nam si nunc morior, *non aspiciam hominem ultra, nec habitatorem quietis.* Quasi dicat: Ego expectabam vivere in quiete & pace, postquam Deus liberaverat me de manu *Sennacherib*, & exercitus ejus; & nunc morte præventus, non videbo pacem

&

& quietem mei regni & civitatis: ſed alius extraneus poſsidebit eam in quiete & pace. Et poteſt totum hoc legi interrogativè, ut ſupra. A

Deinde explicat & aſsignat damnum generale, ſcilicet, impedimentum humanæ redemptionis, ſi tunc fuiſſet mortuus ſine liberis, per quos Meſsias in lege promiſſus erat deſcenſurus: ideo dicit: Bene habeo cauſam indignationis & doloris: nam *generatio* & proles *ablata eſt à me* morte intempeſtiva præveniente. Et *generatio mea convoluta eſt à me quaſi tabernacula paſtorum.* Nam ſicut paſtores convolvunt, & ligant, & complicant ſua tabernacula poſtquam oves conſumpſerunt herbam unius montis, & oportet eos mutare locum: ita tota mea generatio eſt conſumpta & convoluta in me: & ſic oportet B me exire ab hoc mundo & mutare locum ad portas inferi, poſtquam non reſtant mihi ampliùs dies vitæ meæ: quia omnes dies vitæ meæ ſunt depaſti, & conſumpti, & convoluti &c. quia deficiet in me progenies Regum, & per conſequens non eſt ampliùs expectandus Meſsias Redemptor mundi, qui liberet me, & omnes ſanctos fideles, qui hucuſque ipſum expectarunt in limbo: & per conſequens nec ipſi videbimus Dominum *in terra viventium* & beatorum; ſed ſemper erimus in hac terra & loco mortuorum, & per conſequens tota humana redemptio erit impedita, ſi C moriar ſine liberis, & ſine generatione in tanta juventute, & *in medio dierum*: nam in medio dierum & juventutis *præciſa eſt vita mea, velut* tela præciditur *à texente* antequam perficiatur: immò ipſe Deus *ſuccidit me*, & vitam meam, *dum adhuc ordirer*: id eſt, dum eſſem in fieri & in fluxu.

Et loquitur modo poëtico: nam fingunt Poëtæ, quod tres Parcæ filant & texunt vitam & durationem hominis. Et hoc dicunt per quamdam ſimilitudinem: nam in veritate Sol & cæteri cœli menſurant vitam & durationem hominum, & rerum viventium, per ſuos circulos, ut ait *Ariſt.* 2. *de Generatione.* Et hoc faciunt ſecundùm divinam ordinationem. Et ideo dicit D *Ezechias*, quòd ſicut textor quandoque ſuccidit telam in medio antequam perficiat eam: & ſicut orſor ſcindit quandoque filum antequam perficiat tramam ſtaminis: ita Deus, vel cœlum tamquam inſtrumentum *ſuccidit* vitam meam in medio ſui ſpatii, & ſui curſus. Et ideo indignatus de tali infortunio & eventu infelici, ſubdit: O Domine *de manè uſque ad veſperam finies me*: & conſummabis vitam meam, & non dabis mihi ultra ſpatium vitæ.

*** *** ***

E *Sperabam uſque ad mane: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea.* 13. q. ult. Quã præpoſterum.

De mane uſque ad veſperam finies me: ſicut pullus hirundinis ſic clamabo: meditabor ut columba. 13. q. 2. c. In Eccleſiaſtico.

Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum. 21. q. ult. cap. ult.

Domine vim patior: reſponde pro me: Quid dicam, aut quid reſ- Diſt. 56. c. Naſci.

F *pondebit mihi, cùm ipſe fecerit?*

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. De Pœn. d. 1. §. 1.

EGO *ſperabam* vitam uſque ad manè futurum. Et tu vis me finire in hac die de iſto manè uſque ad veſperam hujus diei? quia iſta infirmitas *contrivit omnia oſſa mea quaſi leo*: nam ſicut leo conterit omnia oſſa alicujus ovis, vel alterius animalis: ita iſta ægritudo *contrivit omnia oſſa mea.* Et ideo amaricatus & indignatus iterùm, ſubdit: O Domine *de manè uſque ad veſperam*, id eſt, in una die *finies me*? Sed eſt advertendum, quòd quando dicit G *expectabam uſque ad manè*, ly *manè* poteſt intelligi pro tempore gratiæ, & adventus Chriſti: quod ſemper appellatur *manè* reſpectu temporis Legis veteris, ut patuit in Expoſitione Pſalmorum, in pleriſque locis. Et tunc eſt ſenſus. Ego *ſperabam* Jeſum Salvatorem meum *uſque ad manè*, id eſt, uſque ad tempus gratiæ: ſed iſta infirmitas *quaſi leo contrivit omnia oſſa mea*: unde perdidi totam ſpem ſalvationis & redemptionis meæ per cauſas jam dictas: quia ſecundùm revelationem & annuntiationem mihi factam per Iſaiam dicentem: *Cras morieris, & non vives*, in hac die *de manè uſque ad veſperam finies me.* Et ſic non me oportet expectare aliud manè temporis, nec gratiæ: quia ſicut deficit H mihi tempus vitæ, ita deficit mihi tempus gratiæ & ſalutis, poſtquam morior ſine generatione, per quam ſperabam ſalvari. Et tunc in ly *ſperabam uſque ad manè* poteſt incipere ſecunda pars, in qua per dolorem mortis ſuæ explicat miſeriam, & dolorem, in quo erat genus humanum expectando Chriſtum. Ideo ſubdit: Ego *clamabo* expectando Jeſum Salvatorem meum *ſicut pullus hirundinis* clamat, ut veniat mater ad paſcendum ipſum in nido: ſic ego clamo & clamabo aſſiduè in limbo, & in hoc mundo uſquequò veniat Salvator meus. Item, ſemper *meditabor* cum gemitu, *ſicut* gemit *columba* expectando maſculum & conſortem ſuum, ſive maritum.

Et

Et ideo *oculi mei*, scilicet mentis & corporis, *sunt attenuati*, & lassati, & A fessi expectando quando veniat Salvator meus, qui me debet liberare de omni miseria corporis & animæ. Isti mei, inquam, *oculi* sunt *attenuati* & fessi suspicientes in cœlum excelsum versus Dominum meum, ut mittat Filium suum in carne ad salvandum me: quia continuè clamando & gemendo dico ipsi: *O Domine vim*, & dolorem, & miseriam *patior* in corpore quantum ad infirmitates & defectus pœnales, & in anima quoad peccatum: quæ omnia mala eveniunt mihi per peccatum primorum parentum. Ideo tu Domine *responde pro me*: quia non habeo excusationem. Sed *quid dicam* ego lutum contra figulum, & creatura contra creatorem? *Aut quid mihi respondebit* Deus, *cum ipse fecerit* B & plasmaverit me? Et ideo sicut fecit me, ita ad libitum potest me destruere, vel non mihi subvenire. Nec in hoc facit mihi injuriam, si retrahit manum quando vult.

Alia autem Translatio habet: *quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* Cum ego ipse fecerim peccatum. Ideo non potest respondere nisi quòd ego sum in culpa, & sum causa mei peccati, & non ipse. Ideo subdit: *Recogitabo tibi* in tali meditatione & clamore *omnes annos* & dies *meos in amaritudine animæ meæ*: quia semper fui pronus ad peccandum, cadendo de uno vitio & peccato in aliud: quia nil invenio meum nisi peccatum & defectum. Nam si quid boni feci, non feci ex me, sed ex gratia tua. Et ideo (*si* pro *postquam.*) C

22. d. cap. De Constantinopolitana.

Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

De Pœn. d. 3. §. Quăquă.

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

De Pœn. d. 1. §. Itĕ si. D

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

13. q. 2. Episcopus 37. d. Sedulo.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

8. q. 1. Olim.

E *Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.*

HÆC est tertia pars hujus Cantici, in qua Ezechias invocat Christum Salvatorem, ut veniat ad liberandum genus humanum, & sanandum ipsum ab omni infirmitate & miseria corporis & animæ, prout præviderat in spiritu per suam sanationem & liberationem à morte corporali. Ideo dicit: *O Domine, si* pro *quia, sic vivitur* in hoc mundo, id est, quia talis, & miserabilis, & corrupta, & fragilis est vi- F ta hominis in hoc mundo: *& in talibus* miseriis, & infirmitatibus, & defectibus versatur *vita spiritus mei* propter peccatum primorum parentum, & propter peccata propria uniuscujusque: ideo tu Domine *corripies me.* Et ponitur futurum pro imperativo, vel optativo: eò quòd Hebræi non habent optativum, ut frequenter dictum est. Quasi dicat, tu Domine Jesu Christe veni in carne, & corripe me, sive *corripies me* per Legem Euangelicam, quæ prohibet omne peccatum & vitium, & jubet virtutem, & docet declinare ab omni malo, & facere omne bonum. Et sic per talia præcepta Euangelica *corripies me*, *& vivificabis me* à morte peccati per Ecclesiastica Sacramenta, putà, per G Baptismum vivificabis me ab originali, & per Pœnitentiam ab actuali & veniali, & per Confirmationem me fortificabis in donis Spiritus sancti, & per Eucharistiam me reficies in bonis spiritualibus &c. quia *ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd licèt vita hominis videatur quandoque procedere cum quiete & pace; tamen semper est misera & amarissima ratione corporis & animæ. Et primò ratione corporis. Nam vita humana est periculosa & variabilis: quia semper est homo in continuo timore, ne prosperitas mutetur in adversitatem, aut propter amissionem bono- H rum, aut dignitatum, ut patet de *Priamo* rege Trojanorum, & de *Cresо* rege Lydorum: aut propter graves infirmitates, & amissionem bonorum, & filiorum: ut patet de *Job* & *Tobia.* Et sic talis continuus timor futurorum infortuniorum nullum hominem finit esse felicem in hac vita. Et licèt per aliquod parvum tempus videatur aliquis in prosperitate: tamen pro majori parte temporis est in miseria & adversitate propter supradicta, maximè in senectute, cui accidunt multæ passiones & infirmitates. Unde *Seneca* in Thyeste:

Vita hominis semper est misera.

Do-

Dolor & voluptas invicem cedunt:
Brevior voluptas quem dies vidit
Veniens ſuperbum hunc dies vidit
Fugiens jacentem &c.——

Ex quo patet, quòd ratione corporis & vitæ temporalis ſemper vita humana eſt amariſſima. Ita etiam eſt magis amariſſima ratione animæ. Nam quantum majores ſunt homines, & in altiori grandu & dignitate ſunt conſtituti, tàm Sæculares, quàm Eccleſiaſtici, tantò ſunt majorem rationem reddituri, ut inquit *Gregorius*. Et ideo continua cogitatio de reddenda ratione poſt hanc vitam, & in futuro judicio, non ſinit eos eſſe felices: ſed ſemper vita eorum eſt amariſſima, licèt videantur vivere in pace, & quiete, & proſperitate. Item, homines hujus mundi non percipiunt infelicitatem animæ, dum vivunt in hac vita: eò quòd peccata non inferunt eis dolorem ſenſibilem: tamen vita eorum eſt amariſſima; quia cumulant & theſaurizant ſibi dolorem & pœnam perpetuam in futurum, niſi agant pœnitentiam dum vivunt: & vita eorum ſemper eſt amariſſima.

Ideo ait Ezechias: O Domine, veni in carne, & *corripies & vivificabis me*: quia vita mea & *amaritudo mea* ſemper eſt *amariſsima*, dum vivo in hoc mundo, per rationes jam dictas, licet apud alios videar vivere in pace & quiete. Et ideo ſubdit: *Tu autem eruiſti*. Et ponitur præteritum pro futuro, ſive pro imperativo: quaſi dicat: ſic tu Domine *eruiſti animam meam*, me de morte liberando, *ut non periret* anima mea: & *projeciſti poſt tergum omnia peccata mea*: per quod myſterium ego prævidi in ſpiritu futuram redemptionem & liberationem generis humani. Ideo tu Domine Jeſu Chriſte veni in carne, & comple & verifica hanc figuram & revelationem, & erue animam meam de porta inferi, & à morte perpetua, ut non pereat æternaliter: & projice poſt tergum tuum omnia peccata mea, ne ampliùs reminiſcaris delictorum meorum, ſed ſolve pro me in ligno crucis, ſicut promiſiſti pati pro omnibus nobis. Et non permittas fideles veteris Teſtamenti manere in Limbo inferni: nec permittas viventes ampliùs permanere in infidelitate, & deſcendere in infernum; ſed da eis Legem gratiæ & vivifica eos per Eccleſiaſtica Sacramenta, ne deſcendant in infernum: ſed deduc omnes in regnum cœleſte, ubi laudent te per ſæcula ſæculorum: *Quia infernus non confitebitur tibi, neque mors laudabit te*: id eſt, mortui qui ſunt in inferno ad perpetuam pœnam deſtinati, non confitebuntur tibi confeſſione fidei, nec laudis, nec confeſſione peccatorum: quia ibi non eſt locus pœnitentiæ. Et ſic *qui deſcendunt in lacum* inferni *nunquam expectabunt veritatem tuam*, id eſt, redemptionem & ſalutem quam promiſiſti: quia in eis non verificatur talis promiſſio & redemptio: quia *in inferno nulla eſt redemptio*. Et ideo veni in carne, ante quam populus Gentilis moriatur in infidelitate ſua, ut poſſit confiteri fidem tuam, & confiteri peccata ſua, & agere pœnitentiam, & exinde poſſit confiteri & te laudare & colere tamquam Deum & Meſſiam, & vivere in Lege gratiæ. Quia *ipſe vivens*, id eſt, dum vivit in hac vita, *vivens* per gratiam *confitebitur tibi* confeſſione fidei & laudis, & confeſſione pœnitentiæ: *ſicut & ego hodie* dum vivo in hac vita confitebor tibi. Ita omnis *vivens confitebitur tibi*.

Confeſsio, ut ſit bona oportet quod quis vivat duplici vita.

Ex hoc patet, quòd ad hoc quod confeſſio alicujus ſit valida, & accepta apud Deum, oportet quod vivat duplici vitâ. Nam primò oportet quòd vivat vitâ naturali, & temporali. Nam poſt hanc vitam non eſt tempus fidei, nec pœnitentiæ, ſed punitionis, aut divinæ ultionis. Et ideo oportet quòd quis confiteatur Chriſtum per fidem in hac vita, & confiteatur peccata ſua per pœnitentiam: quia poſt hanc vitam, nec fides, nec pœnitentia habent locum, nec eſt fructuoſa: quia *diaboli* & damnati *credunt* Chriſto *& contremiſcunt*, cùm per ipſum puniuntur propter ſcelera ſua: & tamen talis fides & confeſſio peccatorum potiùs eſt eis in pœnam, quàm in remedium: quia *vermis eorum non morietur, nec ignis extinguetur*, *Iſai.* 66. Ideo eſt neceſſaria vita gratiæ, quia ſine tali vita gratiæ, nec confeſſio fidei, nec confeſſio peccatorum eſt valida, nec fructuoſa, nec laus peccatoris eſt ſpecioſa: ergo iſta triplex confeſſio, ſcilicet fidei, & laudis, & peccatorum, oportet quòd fiat in hac duplici vita, ad hoc quod ſit fructuoſa: quia in inferno, & poſt hanc vitam non eſt fructuoſa iſta triplex confeſſio: & ideo Propheta dicit: *Vivens vivens ipſe confitebitur tibi*, ſcilicet vivens in vita gratiæ ſpiritualiter.

Deinde cùm ſubdit: *Pater filiis*, confirmat quod dixit. Nam ſi ſoli viventes confitentur fidem, & peccata, & laudant Deum; ideo ſi tu Chriſte veneris ad vivificandum & ſalvandum nos, tunc omnis *pater* vivens *faciet notam veritatem tuam filiis ſuis*, id eſt, annuntiabit Legem & fidem Euangelicam filiis & ſucceſſoribus ſuis: quod impletum fuit in Apoſtolis & Diſcipulis, qui prædicarunt Euangelium omni creaturæ, & notam fecerunt veritatem & fidem Euangelicam filiis ſuis per Baptiſmum regeneratis.

Pater doceat filios

Et ita etiam quilibet bonus pater, non ſolùm ſpiritualis, ſed carnalis, notificat, & tenetur notificare Fidem Euangelicam filiis ſuis, & docere orationem Dominicam, & articulos fidei, ut ſciant confiteri fidem Chriſti, & laudare Deum: & ſciant

sciant confiteri peccata sua, & agere pœnitentiam de peccatis commissis.

Unde est advertendum, quòd ly *sicut & ego hodie*, indifferenter potest ordinari cum particula præcedenti; ut sit sensus: *Vivens vivens confitebitur tibi, sicut & ego hodie* confitebor tibi, supple. Vel potest ordinari cum particula subsequenti; ut sit sensus: *Vivificabis me*, ut quilibet *pater faciat notam veritatem tuam filiis* suis, annuntiando Legem Euangelicam, *sicut ego hodie* propheticè notifico & prædico futuram salvationem & redemptionem in hoc Cantico. Quasi dicat: Ut illi annuntient & prædicent redemptionem præsentem, & Euangelizent salutem & Salvatorem præsentem: *sicut ego hodie* prænuntio & prophetizo ipsum futurum.

Quinque bona ex Christi adventu.

Quinque ergo bona provenerunt nobis ex adventu Christi. Primò, quia correxit nos, & direxit per Legem & doctrinam Euangelicam, ut declinaremus à malo & & faceremus bonum. Secundò, vivificavit nos à morte peccatorum per Ecclesiastica Sacramenta, & per mortem & passionem: quia *mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Tertiò, liberavit Fideles veteris Testamenti de limbo inferni, ut possent Deum in cœlo laudare. Quartò, dedit nobis vitam gratiæ: ut omnis confessio tàm fidei, quàm laudis, quàm peccatorum & pœnitentiæ esset fructuosa, & sibi chara & accepta. Quintò, dedit Apostolis, Sanctis, & Sacerdotibus, ut possent prædicare & notificare Fidem & veritatem Euangelicam per totum mundum: & quilibet pater doceret filium suum veritatem Euangelicam.

De primò ergo dicit: *Corripiens me.* De secundò dicit: *Vivificabis me.* De tertiò autem dicit: *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* De quartò autem ait: *Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie* confitebor tibi. De quintò verò dicit: *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

Et ideo ad confirmationem omnium dictorum concludendo suum Canticum, apostraphat ad Christum, dicens: *O Domine* Jesu Christe, postquam vocaris Jesus & Salvator, veni in carne, & *salvum me fac* cum tota Ecclesia fidelium. *Et* tunc *cantabimus Psalmos nostros in domo Domini*, id est, in Ecclesia fidelium, *omnibus diebus vitæ nostræ*, id est, cantabimus Psalmos & Hymnos de tua Incarnatione, & nativitate, & prædicatione, & miraculorum operatione, & de morte & passione, & resurrectione, & ascensione, & glorificatione. Et hoc faciemus *omnibus diebus vitæ nostræ*, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.

Alia Expositio.

Ex supradictis patet, quòd licèt hoc *Canticum* possit litteraliter exponi de persona Ezechiæ, sicut Judæi, & quidam Catholici exponunt: tamen non est sistendum in tali literatura: nam si in hoc Cantico non prædiceretur mysterium nostræ redemptionis, non poneret ipsum *Isaias* inter suas prophetias, nec pertineret ad Sacram Scripturam, nec cantaretur hodie in Ecclesia inter Scripturas veteris Testamenti, quæ non leguntur, nisi per prophetiam & figuram novi Testamenti, ut inquit *Hieronymus in majori Prologo Psalmorum*, & *Augustinus, de catechizandis rudibus.*

Item, multo magis exponitur hoc Canticum, & magis ad propositum de Christo, & nostra redemptione, quam de liberatione *Ezechiæ*: quod patet, nam quando *Ezechias* fecit hoc Canticum, jam erat liberarus ab infirmitate & morte: sed in hoc Cantico de futuro petit liberari, cùm dicit: *Corripies me, & vivificabis me*: &, *Vivens vivens confitebitur tibi, sicut ego hodie.* Et cùm dicit, *sicut ego hodie: ita Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Item, finaliter salutem totius generis humani petit, cùm dicit: *Domine salvum me fac, & Psalmos nostros cantabimus omnibus diebus vitæ nostræ in domo Domini.* Et sic patet, quòd non solùm loquitur in persona sui, sed in persona totius corporis mystici, petens universalem redemptionem & liberationem, quam prævidit per liberationem suam. Sed hoc non capiunt miseri & cæci Judæi, ideo decipiuntur. Et ad hunc sensum cantat ipsum Ecclesia, petendo salutem animæ in præsenti, ne decedamus sine pœnitentia, & petendo gloriam in futuro.

Cantat etiam Ecclesia hoc Canticum in *Agenda defunctorum* in persona cujuslibet fidelis defuncti existentis in Purgatorio, cùm adhùc pertineat ad istam Ecclesiam, postquam decessit cum charitate, & adhuc non sit in termino. Nam sicut Ecclesia orat pro vivis, ut corripiantur, & vivificentur à peccato, ne descendant in infernum, sed agant pœnitentiam fructuosam, ut possint Deum laudare, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam: Ita orat pro existentibus in Purgatorio, ut liberentur per merita passionis Christi, & suffragia Ecclesiæ. Ideo in persona cujuslibet eorum dicit Ecclesia in hoc Cantico: *Domine vim patior, responde pro me:* & infra: *Tu autem Domine* erue animam meam, ut non pereat. Et infra: *Domine salvum me fac & Psalmos nostros cantabimus* in gloria cœlesti &c.

Dubium.

Sed hîc potest dubitari de locutione Dei, & prophetia *Isaiæ*: quia Deus dicit Isaiæ: *Vade ad Ezechiam, & dic: Dispone domui tuæ: quia cras morieris, & non vives:* quæquidem prophetia non fuit completa: quia Ezechias supervixit quindecim annos: Ergo illa locutio Dei & prophetia fuit falsa, & voluntas Dei fuit variabilis.

Responsio. Ad hoc respondetur, quòd prophetica Dei locutio potest habere respectum ad tria. Primò ad demerita hominum, & populorum: & sic dicitur prophetia comminationis. Et sic dixit Deus *Josue*: *Quadraginta dies erunt, & Ninive subvertetur.* Quasi dicat: Nisi agant pœnitentiam infra quadraginta dies, subvertentur: quia sic merentur scelera sua. Secundò, locutio prophetica habet respectum ad limitationem naturæ. Et sic quia *Ezechias* non poterat vivere secundùm naturam ex illa infirmitate, ideo dixit Deus: *Cras morieris, & non vives*, secundùm naturam, supple. Et ideo Deus fecit retrocedere cœlum per decem lineas; ad ostendendum, quòd ultra cursum naturæ Deus addebat illos 15. annos supra spatium naturale vitæ. Et ideo illa fuit prophetia secundùm naturalem limitationem. Tertiò autem prophetica locutio respicit æternam prædestinationem: & talis semper litteraliter impletur, sicut fuerunt omnia dicta Prophetarum de Incarnatione & Passione & Resurrectione Christi &c. Et ista dicitur prophetia æterni propositi & prædestinationis.

IN CANTICUM ANNÆ.

PROOEMIUM.

Exultavit cor meum in Domino &c.

HOC Canticum cantatur in Laudibus *quartæ Feriæ*. Et communiter intitulatur *Oratio*, sive *Canticum Annæ matris Samuelis*: eò quòd Anna post susceptam prolem cantavit hoc Canticum.

§. I.

AD cujus intelligentiam est præadvertendum, prout legitur 1. *Reg.* 1. quòd cùm *Elcana*, homo de genere Levitico, haberet duas uxores, quarum una vocata est *Phenenna*; altera autem *Anna*, *Elcana* ex prima susceperat liberos; sed ex *Anna* nullos susceperit liberos, cùm esset sterilis per magnum tempus. Et ideo *Phenenna* sæpè improperabat *Annæ* sterilitatis maledictionem, eò quòd Dominus concluisset vulvam ejus. Et sic frequenter *Phenenna* affligebat *Annam*, maximè tempore Paschæ, quando ascendebat ad adorandum Dominum in *Silo*. Unde accidit, quòd Phenenna cum cæteris epulabatur; Anna tristis & afflicta sola mansit in Templo orando Dominum, ut auferret ab ea opprobrium sterilitatis, vovens quòd si Deus daret sibi prolem masculinam, consecraret filium ad serviendum Domino in *Silo* cunctis diebus vitæ tamquam Nazarænum. Cùm autem *Heli* Sacerdos putaret ipsam temulentam: eò quòd tali horâ sola mansisset in Tabernaculo; ipsa exposuit ipsi *Heli* causam suæ afflictionis. Cùm verò *Heli* eam fuisset consolatus, reversa est in domum suam, & concepit Samuelem, qui fuit sanctissimus Propheta in Israel, serviens jugiter in Tabernaculo. Posteà autem *Anna* concepit & peperit tres filios, & duas filias. Rursus autem cum filii *Heli* fuissent interfecti, & Arca Domini capta, Heli hoc audito cecidit de sella, & mortuus est. Et tunc translatum est Sacerdotium ab Heli, & à filiis suis ad *Samuelem*, qui simul Sacerdos & Judex judicavit Israel per annos sex quousque unxit *Saulem*: sed cum *Saul* prævaricatus esset præceptum Domini, tunc Samuel ex præcepto Domini reprobato Saule, unxit David in Regem Israel, qui posteà reduxit Arcam Domini in Hierusalem, & tetendit Tabernaculum juxta domum suam, in quo reposuit Arcam Domini. Et sic in parvo tempore fuerunt factæ tres translationes. Nam primò fuit facta translatio Sacerdotii, & judicii de filiis *Heli* ad *Samuelem*. Secundò, fuit facta translatio Regni de *Saule* in *David*. Tertiò, fuit facta translatio Arcæ Domini de *Silo* in *Gabaa* & *Hierusalem*. Anno ergo postquam peperit Samuelem, & consecravit eum Domino in Silo, ibi agens gratias pro beneficio recepto, oravit Dominum & dixit totum Canticum istud: scilicet, *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo &c.*

§. II.

PRIMA EXPOSITIO.

HIDEO Judæi moderni, & multi Catholici sequentes eos, exponunt hoc Canticum præcisè, ut est gratiarum actio ipsius *Annæ* pro beneficio prolis susceptæ, per quam Anna fuit in honorem elevata per virum, & *Phenenna* æmula fuit infirmata, & depressa, & contempta: unde secundùm eos dicit Anna: Postquam Deus abstulit opprobrium sterilitatis meæ, & dedit mihi prolem masculinam, *cor meum exultavit in Deo*: *& cornu*, id est, honor meus, est *exaltatus in Domino meo*, *& os meum dilatatum super inimicos meos*, scilicet, super *Phenennam* æmulam meam, & super filios ejus, qui mihi improperabant opprobrium ste- 1. Reg. 1.

sterilitatis, quibus non audebam respondere. Sed postquam recepi prolem, *lætata sum in salutari tuo*, id est, salvatione & A salute mihi collata, ò Deus, quia *non est sanctus ut est Dominus &c.* Et ideo, ò *Phenenna* & filii tui, *nolite loqui sublimia*, id est superbia, *gloriantes* de fœcunditate prolis vestræ, improperando mihi sterilitatem. Sed *recedant vetera*, id est, verba malitiosa & inveterata *de ore vestro*: *quia Dominus est Deus scientiarum*, qui scit futura infortunia, & *ipsi præparantur cogitationes*, id est, scit secreta cordis: quia est *scrutans corda & renes Deus.* Quasi dicat: nemo elevetur in superbiam in prosperis: quia nescit casus futuros nisi solus Deus.

Unde *arcus fortium superatus est*, id B est, dominium quod habebat *Phenenna* cum filiis suis in domo *Elcanæ* viri mei, dejectum est per novam nativitatem filii mei *Samuelis*, qui erit Judex & Dominus in Israel: & *infirmi accincti sunt robore*, id est, ego quæ eram contempta & opprobriis afflicta, nunc recuperavi dominium viri mei. Unde *Phenenna* & filii ejus *prius* erant *repleti* & saturati cibis & divitiis domus: sed postquam ego habui copiam filiorum, ego & filii mei, qui eramus *famelici*, *sumus saturati*: sed ipsi qui prius erant *repleti*, modò pauperes facti *locaverunt se* ad laborandum *pro panibus* acquirendis. *Donec* pro *quia*: quia Anna *sterilis peperit plurimos*, & Phenenna, *quæ multos habebat filios*, *infirmata est*, id est, debilitata, & minuta, & orbata est filiis. C

In Hebræo habetur: *Donec sterilis peperit septem.* Et ideo hîc dubitant Hebræi: quia *Anna* non peperit nisi quinque, scilicet, tres filios cum *Samuele*, & duas filias: ut patet infra in textu.

Ad quod dicunt quidam Hebræorum, quòd duo filii *Samuelis* computantur cum quinque filiis Annæ: & sic dicuntur septem.

Alii autem dicunt, quòd *Phenenna* habuit decem filios: per hoc quod dixit *Elcana* ipsi *Annæ*, volens eam consolari: *Numquid melior ego sum tibi*, *quòd decem filii*? Et ideo dicunt isti, quòd quotiens- D cumque *Anna* pariebat unum filium, tunc *Phenenna* sepeliebat duos. Et sic in quarto filio *Annæ* non restabant nisi duo ipsi *Phenennæ*: tunc autem Phenenna videns voluntatem Dei, rogavit *Annam*, ut oraret Deum, ne morerentur duo filii remanentes, & dedit eos ipsi in filios: & tunc illi duo filii Phenennæ connumerati sunt cum filiis quinque ipsius Annæ. Et sic filii Annæ dicti sunt septem. Ideo dicit: *Donec sterilis peperit septem.*

Alii autem dicunt, quòd ibi ponitur numerus septenarius determinatus pro indeterminato, sicut frequenter fit in consuetis locutionibus. Unde dicimus: *Decies dixi tibi*, *& non credidisti*, id est, pluries E dixi tibi. Et hoc est etiam consuetum in Scriptura: ut patet *Isai.* 4. *Apprehendent septem*, id est, plures *mulieres*, *virum unum.* Item, *Matth.* 18. *Non dico tibi septies*: *sed septuagies septies.* Et sic in hoc loco ponitur *septem* pro plurimis. Et ideo nostra Translatio dicit: *donec sterilis peperit plurimos*, transferendo sensum ex sensu. Et est hoc verisimile. Et ideo subdit, quòd Dominus mortificat & minuit filios *Phenennæ*: sed vivificat filios *Annæ*, & multiplicat eos, & *deducit* filios *Phenennæ ad inferos*, id est, ad fossam; & filios Annæ ad vitam: & *Dominus fecit pauperem* Phenennam, *& ditat* Annam: *& humiliavit* Phenennam & sublevat Annam: Et *suscitat de pulvere*, *& elevat de stercore*, id est, de miseria & sub- F jectione, *egenum & pauperem* Samuelem: *ut sedeat cum principibus*, *& teneat solium gloriæ* tamquam Judex in Israel: eò quòd judicavit post *Heli.* Et sic fuit ultimus Judex in Israel.

Deinde cùm subdit: *Domini enim sunt cardines terræ*: *& posuit super eos orbem &c.* commendat omnipotentiam & magnificentiam Dei: qui sicut mundum creavit, ita potuit facere omnia ista. Ideo Deus *servabit*, id est, diriget pedes Samuelis & aliorum sanctorum: *& impii*, scilicet infideles, *conticescent* & tacebunt in tenebris ignorantiæ. Sed *omnes adversarii ejus formidabunt Dominum*, *& super ipsos in* G *cœlis tonabit*: quod impletum fuit quando Philisthæi venerunt contra Israel: sed orante Samuele Dominus intonuit de cœlo mittendo fulgura, & fulmina, & obscuritatem super Philisthæos; & sic turbati & dissipati victi fugerunt. Et ideo finaliter concludit, quòd *Dominus judicabit fines terræ* per Samuelem, sed postea dabit imperium & regnum regi suo *Sauli* per Samuelem, qui unxit Saulem in Regem ex præcepto Domini: sed postea reprobato Saule *sublimavit cornu*, id est, regnum *Christi*, & uncti *sui* David, ut patet 1. *Regum* 15. Isto modo ergo cœci & miseri Judæi moderni exponunt præcisè litteraliter hoc Canticum sine aliquo alio sacramento.

De Confe. d. 2. cap. Acceſſerun in Gl.

H *Joathan* autem *Abenuziel* in suo *Targum* jam magis elevatus & accedens aliqualiter ad veritatem, dicit, quòd *Anna* fuit in hoc Cantico à Spiritu sancto illustrata; & quòd ex persecutione & exaltatione sua prævidit totum discursum illius populi usque ad Christum Messiam: ubi prævidit septem adversitates, & prosperitates, sive liberationes futuras in populo. Primò prævidit, qualiter orante Samuele Philisthæi debebant dissipari & fugere, ut patet infra, *Cap.* 7. Secundò, prævidit qualiter *Eman* nepos Samuelis erat sublimandus in principem Cantorum, ut patet 1. *Paral.* 25. Tertiò, prævidit qualiter

Materia hujus Cãtici.

Philisthæi erant graviter puniendi propter captionem Arcæ Domini. Et ideo cum honore debebant ipsam reducere in terram A Israel, ut patet, 1. *Reg.* 6. Quartò, prævidit stragem & fugam *Sennacherib*, ut patet 3. *Reg.* 19. Quintò prævidit punitionem ipsius Nabuchodonosor pro pter destructionem Hierusalem, ut patet *Daniel.* 4. Sextò, prævidit victoriam *Machabæorum* contra *Antiochum* & suos. Septimò, prævidit victoriam regis Messiæ: quia erat sibi subjecturus totum Romanum Imperium. Et sic iste *Joatan* exponit totum hoc Canticum, applicando ipsum, & adaptando ad supradictas septem victorias, seu prosperitates usque ad Messiam. Et sic ultimum versum applicat ad Messiam, scilicet *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium* Romanorum *Regi suo* Messiæ, & *sublimabit cornu* & regnum *Christi sui* Messiæ.

Ista autem Expositio magis accedit ad B veritatem, in quantum ultimam partem hujus Cantici exponit de Christo in Lege promisso, qui erat subjugaturus Romanum Imperium. Item, dicit verum, in quantum dicit, quòd *Anna* per suam prolem, & partum, & sublimatione prævidit in spiritu prophetico futura mysteria: & in quantum dicit, quód hoc Canticum est prophetia de futuris usque ad Christum. Sed errat, in quantum illud quod jam est impletum per Christum, expectat futurum. Est verum quòd quidam dicunt, quòd fuit tempore *Octaviani* per octodecim annos ante nativitatem Christi: & tunc locutio sua esset vera pro tunc: quia Christus erat subjugaturus Romanum Imperium, quod in veritate jam subjugavit, ut patet ad ocu- C lum. Sed ejus Expositio est insufficiens, in quantum non evacuat, nec explicat omnia mysteria in hoc Cantico propheticè contenta.

Et ideo in hac Expositione magis est sequendus & credendus eximius prophetarum David, qui *Ps.* 92. interpretatur totum hoc Canticum ad litteram, & quasi sub eisdem verbis, de reprobatione Synagogæ, & electione, & exaltatione populi Gentilis in hac Ecclesia per fidem & gratiam, & in superna per gloriam. Unde consolando & magnificando populum Gentilem dicit: *Laudate pueri Dominum &c.* Item infra subdit: *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus.* D *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Ex quibus patet, quòd David sub eisdem verbis videtur interpretari hoc Canticum in illo Psalmo de electione & exaltatione Gentilium in Ecclesia Christi, quam prævidit David, contemplando exaltationem *Annæ*, E & desprefsionem *Phenennæ*, & contemplando hoc Canticum, sicut largè dixi in Expositione illius *Psalm.* 112. Hanc etiam Expositionem sequitur *Augustinus* 17. *de Civitate Dei*, *cap.* 4, ubi per longum sermonem exponit & interpretatur totum istud Canticum: ubi admiratur *Augustinus* spiritum propheticum, tam profundum illius fœminæ, quæ tot, & tanta, & tam manifesta mysteria de Christo & Ecclesia, & de vocatione & electione populi Gentilis propheticè cecinit in hoc Cantico.

Sequendo igitur mentem *David*, & ipsius *Augustini*, est in primis valdè advertendum, quòd postquam *Anna* peperit *Samuelem*, & duxit ipsum ad Tabernaculum Domini in Silo, & consecravit & dedicavit ipsum Domino, & recommisit ipsum ipsi *Heli* summo Sacerdoti & Judici Israel; F tunc existens in Templo orando, contemplabatur beneficium sibi collatum. Et primò contemplabatur superbiam & prosperitatem ipsius *Phenennæ* propter copiam filiorum, & dominium quod habebat in domo viri anteà: & exinde considerabat opprobrium, & afflictionem, quam ipsa patiebatur à *Phenenna* & filiis suis, & quotidiana improperia: sed postquam ipsa concepit *Samuelem*, & alios filios, considerabat, qualiter *Phenenna* fuit orbata & diminuta in filiis, & qualiter *Elcana* transtulerat amorem Phenennæ ad Annam & filios ejus: & quomodo illa fuit spreta & contempta, & ipsa dilecta, & prosperata in domo cum filiis suis: & quomodo Deus humiliaverat & depresserat superbiam Phe- G nennæ, & exaltaverat humilitatem suam in illa domo. Tunc *Anna* in tali meditatione & contemplatione agendo gratias intra se, fuit rapta à sensibus, & in extasi posita, & Spiritu sancto & lumine prophetico illustrata: ubi prævidit multa mysteria de Christo futuro & Ecclesia. Prævidit enim dejectionem & reprobationem Synagogæ & populi Judaici, & electionem Ecclesiæ ex populo Gentili.

Nota de Anna prophetissa.

Per hoc enim quod *Phenenna* gloriabatur ex prole & fœcunditate filiorum, & copiâ divitiarum favore prosperitatis, & contemnebat se, & improperabat sibi quotidie opprobrium sterilitatis, prævidit *Anna* in spiritu, qualiter Synagoga & cætus H Sacerdotum & Scribarum & Pharisæorum debebant contemnere Christum in paupertate venientem, & spernere Apostolos simplices & pauperes. Per hoc etiam quod ipsa concepit & peperit *Samuelem* & alios, & *Phenanna* fuit orbata filiis, & contempta & spreta à viro & depressa ipsa vero exaltata & dilecta in domo cum filiis; prævidit in spiritu, qualiter Christus debebat repudiare Synagogam cum toto populo Judaico propter superbiam, & regenerare Collegium Apostolorum, & populum Gen-

ti-

tilem in unam Ecclesiam: & sic repudiatâ, & mortuâ Synagogâ cum filiis suis, Ecclesia erat regeneranda & multiplicanda ex populo Gentili, & prosperanda in copia A filiorum regenerandorum per Baptismum & debebat habitare in hac Ecclesia per gratiam, & in futura per gloriam. Item, prævidit de propinquo futurum, qualiter filii *Heli* erant in bello interficiendi propter scelera sua, & Arca Domini erat capienda & reducenda in *Gabaa*, & exinde transferenda in Hierusalem: & quomodo mortuo *Heli* cum filiis suis, Sacerdotium, & officium judicandi erat transferendum in *Samuelem* propter suam sanctitatem: & quomodo reprobato *Saule*, regnum in David erat transferendum. Per hoc ulterius in duplici spiritu prævidit *Anna*, qualiter reprobatâ Synagogâ cum illo populo propter B suam infidelitatem & in gratitudinem, & scelera, sceptrum & sacerdotium erat in Christum & Ecclesiam transferendum. Sed quia translato Sacerdotio necesse est ut Legis translatio fiat: ideo tota intelligentia & veritas Legis erat transferenda in Christum & Ecclesiam, Judæis cœcis manentibus in sua obstinatione. Item, sicut filios *Phenennæ* vidit mortificari, & in limbum inferni descendere: ita prævidit in spiritu, filios Synagogæ in infernum descendere, & filios Ecclesiæ per Baptismum & cætera sacramenta regenerari, & vivificari à morte peccati. Et sic prævidit de populo Gentili filios Ecclesiæ vivificari, & Sacerdotes ordinari, & inter Principes C Ecclesiæ collocari, & solium & prælaturam in Ecclesia tenere, & finaliter in cœlo sublimari. Prævidit etiam ampliationem regni Christi in primo adventu, & manifestationem regni Christi in secundo adventu, quando veniet in potestate magna & majestate. Et sic patet, qualiter per *Phenennam* figurabatur Synagoga: eò quòd *Phenenna* interpretatur *abdicata*, aut *spreta:* sed per *Annam*, quæ *gratia* interpretatur, figurabatur Ecclesia Christi: per *Samuelem* autem figurabatur Christus, qui fundavit Ecclesiam, & natus est in ea, sicut dictum est *Psalm.* 86.

Omnia ergo ista supradicta prævidens *Anna* in spiritu prophetico fecit hoc Canticum, agendo gratias, non solùm de prole susceptâ, & prosperitate acquisita in do- D mo viri, ut præcisè intelligunt cœci Judæi; sed principaliter agendo gratias de beneficiis futuris nostræ redemptionis sibi revelatis.



§. III.

E

SECUNDA EXPOSITIO.

IN quo quidem Cantico in persona totius Ecclesiæ Christi duo facit. Primò, explicat suum gaudium. Secundò, explicat futura beneficia ipsi revelata, ex quibus movetur ad gaudium, & gratiarum actiones. Ibi: *Arcus fortium superatus est.*

Quantum ad primum duo facit. Nam primò, facit quod dictum est. Secundò, exhortatur populum Judaicum, ut relicta legali vetustate recipiat Christum, & ejus Legem Euangelicam. Et per eamdem rationem exhortatur populum Gentilem, ut relictâ vetustate idolorum, & superbiâ ina- F nis Philosophiæ, recipiat Christum, & Legem Euangelicam, quæ docet æternam veritatem & salutem. Ibi: *Non est sanctus.* Dicit ergo *Anna* prout gerit typum Ecclesiæ in Christo regeneratæ, & prout vidit in spiritu:

EXultavit cor meum in Domino: & exaltatum est cornu meum in Deo meo. 1. *Reg.* 2. 2. *q. ult. c. ultimo.*

Dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo. G

COR *meum* ex nimio gaudio interiori *exultavit*, ad extra movendo & ostendendo gestum in corpore: quæ quidem exultatio tota fuit à Domino, à quo cuncta procedunt, & mihi beneficia provenerunt, non ex meis meritis, sed ex ejus bonitate & misericordia. *Ex exaltatum est cornu meum in Deo meo*, id est, quia honor meus exaltatus est in Deo meo, quoniam filius, qui est Deus meus, assumpsit humanitatem & carnem humanam de mea specie & natura: & sic exaltavit & honorificavit totam humanam naturam, quando *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Sed maximè H *exaltatum est cornu meum*, & honor meus, quoniam ipse Christus Deus & homo factus est Salvator meus, me sibi in populum eligendo, & me regenerando per Ecclesiastica sacramenta, & Legem Euangelicam conferendo: quia ut sic factus est caput, sponsus meus, & Salvator, Synagogâ repudiatâ. Et ideo postquam talibus armis & donis Spiritus sancti sui munitus & armatus, & doctrinâ Euangelicâ instructus, tunc *os meum dilatatum est* ad loquendum semper contra *inimicos meos* dæmones, Judæos, Reges, & Præsides, quia in die Pentecostes & in Baptismo dedit mihi

hi os ad loquendum contra omnes inimicos meos. Et ideo *lætata sum in Christo salutari tuo*, ò Deus, id est, in Jesu Christo, qui est Filius tuus & salvatio tua, in quantum misisti eum ad salvandum nos: & ideo est *salutare tuum* activè, & nostrum passivè, in quantum per ipsum sumus salvati: & sic non sum lætata, nec exultavi in me, sed in te: quia talia beneficia non attribuo meis meritis, sed tuæ benignitati & misericordiæ: quia tu non eges bonis meis, sed ego tuis. Ideo tu es honor meus & lætitia mea & exultatio. Deinde cùm subdit:

Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te; & non est fortis sicut Deus noster.

Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.

Recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.

INvitat omnes nationes, ut veniant ad Christum, ut sanctificentur ab eo, & recipiant ejus doctrinam, eò quòd ad Christum pertinet sanctificare, salvare, & docere: eò quòd ipse est *sanctus* per essentiam: ideo est sanctus sanctificans. Item, est summa sapientia per essentiam: quia est Verbum & Sapientia Patris: ergo ad ipsum pertinet instruere & docere alios in Lege, & per consequens à Christo derivatur omnis vera sanctitas & sapientia tanquam à vero fonte & capite: & sic omnis alia sanctitas & sapientia est falsa.

Dicit ergo: quia *non est alius sanctus, ut est Dominus* noster Jesus Christus, qui est nomen Dei, ut dictum est *Psalm.* 8. *Nec est alius Deus extra te*, ò Christe, *& non est fortis* in potentia, *sicut* Christus *Deus noster*: ideo, ò vos Judæi & Scribæ & Pharisæi, qui putatis scire Legem & Prophetas, & vultis alios docere, venite ad Jesum Christum, ut sanctificemini ab eo: quia *non est* alius *sanctus*, à quo valeatis sanctificari, *sicut Dominus* Jesus Christus; & recipite ejus doctrinam Euangelicam, in qua declaratur veritas, & vera intelligentia Legis & Prophetarum: quia *non est* alius *sanctus* extra Christum; & venite ad eum, ut liberet vos & redimat: quia *non alius fortis*, nisi Jesus Christus *Deus noster*, qui possit nos liberare.

Ideo vos Scribæ & Pharisæi *nolite loqui sublimia* de Lege & Prophetis *gloriantes*, & præsumentes de vestra intelligentia; nec velitis intelligere scripturas in solo sensu litterali, nec manere in vetustate litteræ: sed *recedant* cærimonialia & sacrificia, & omnia *vetera* legalia *de ore vestro*; sed recipite doctrinam Christi Euangelicam, in qua declarantur sacramenta clausa in littera Legis: quæ sacramenta aperuit nobis Christus: *quoniam ipse est Deus & Dominus omnium scientiarum* cum sapientia Patris per essentiam, *& cogitationes*, id est, revelationes Patriarcharum & Prophetarum *ipsi* Christo *præparantur*: Nam ipse est finis Legis. Et ideo omnes Patriarchæ & Prophetæ locuti sunt de Christo, & in ipsum tendunt omnes visiones & prophetiæ tamquam in finem: & ideo nullum mystrium, & nulla revelatio scribitur in Lege gratiâ sui, sed gratiâ Christi. Nam tota Lex vetus nil aliud est nisi præparatio ad Christum & Euangelium, ut ait *Eusebius* per totum librum *de Præparatione Euangelica*. Et ideo uullus potuit declarare melius, & verificare Legem & Prophetas, quàm Christus, sicut promisit Deus, *Deut.* 18. *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum: ponam verba mea in ore ejus, Loquetur que ad eos qnæcumque præcepero illi.* Unde ad hoc venit Christus in mundum, ut testimonium prohiberet veritati Legis, & Prophetarum: quia *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Christum facta est.* Et ideo dicit hæc prophetissa: quòd Christus est *Deus & Dominus*, & interpres omnium *scientiarum*, *& omnes cogitationes* & revelationes *præparantur ipsi*, & ordinantur, & diriguntur in ipsum tamquam in finem & terminum: quia omnes revelationes & cogitationes Patriarcharum & Prophetarum fuerunt in eo completæ, & manifestatæ, & reseratæ. Et ideo dixit *Simeon*, *Lucæ* 2. Hic *erit in resurrectionem, & ruinam, & in signum cui contradicetur, ut revelentur ex multorum cordibus cogitationes*, id est, manifestentur in eo revelationes & vaticinia Prophetarum.

Lex vetus est præparatio ad Euangelium.

Unde est advertedum, quòd tria dicit ista prophetissa de Christo. Primò, quòd *non est* alius *sanctus* per essentiam. Nam licèt multi fuerint sancti in utroque Testamento: tamen omnes fuerunt ab isto sanctificati: ideo solus Christus est *sanctus sanctorum*, *Daniel.* 9. ideo dicitur solus sanctus sanctificans: & per consequens ad ipsum solum pertinet omnes alios sanctificare. Et ideo ipse *dedit potestatem omnibus filios Dei fieri, qui ex Deo nati sunt. Joan.* 1. Ideo ad solum ipsum pertinebat, primò docere, & interpretari, & declarare Legem: quia est medius interpres inter nos & Patrem. Tertiò dicit, quòd ipse Christus est solus *fortis*. Et ideo ad solum ipsum pertinebat liberare genus humanum de potestate diaboli, & omnes redimere. Et ideo ista prophetissa omnes vocat ad Christum, ut ab eo sanctificentur, & doceantur, & liberentur. Ideo dicit: *Nolite loqui sublimia gloriantes &c.*

Sed

Sed est advertendum, quòd quando dicit, *Non est alius* Deus, & fortis, & sapiens &c. non excludit personam Patris & Spiritus sancti: eò quòd una est sapientia & sanctitas & fortitudo per essentiam in tribus personis.

Iterum est advertendum, quòd non solùm vocat Judæos ad doctrinam & Legem Christi: sed etiam Gentiles, & Sapientes, & Philosophos hujus mundi. Unde dicit: O Philosophi, & Poetæ, & Oratores, & Sacerdotes Gentilium, *nolite loqui sublimia* & alta in Philosophia, & cæteris Artibus, tàm rationalibus, quàm realibus *gloriantes* in vestra sapientia & doctrina, præsumentes de vestra intelligentia. Nam omnis scientia est falsa in se, nisi derivetur ab illa summa sapientia. Ideo venite ad Christum: quia ipse est Deus fortis, & Dominus scientiarum, & sanctus. Ideo solus ipse potest vos docere, sanctificare, & liberare.

Postquam superiùs ostendit Christum solum esse sanctum, & sapientem, & fortem, qui solus potest sanctificare, & docere, & alios liberare, & roborare, & malos per consequens punire: ideo in hac secunda parte hoc monstrat per experientiam, explicando omnia beneficia, quæ nobis contulit per suam sanctitatem & sapientiam & fortitudinem. Et sic probat, quòd solus Christus est fortis & sapiens & sanctus.

Solus Christus fortis, & sapiens.

Et probat primò, quòd solus Christus, & non alius, est ita fortis. Nam arcus & potestas diaboli non poterat superari, nisi ab aliquo alio fortiori: sed *arcus*, sive potestas diabolorum & dœmonum *fortium superatus est* à Christo: quæ quidem potestas & arcus erat peccatum originale & actuale, quo vulnerabat omnes gentes, & suo dominio omnes subjiciebat. Ergo sequitur, quòd solus Christus est fortissimus super omnes fortes: quia superavit omnes dœmones, & confregit arcum & potestatem eorum, & *dirupit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, & expoliavit infernum, & obstruxit & ligavit diabolum. Ergo *non est fortis, sicut* Christus *Deus noster*. Item, superavit & confregit arcum superstitionis idololatriæ, & confregit & comminuit omnia idola, & ejecit diabolum & principem hujus mundi foras: & ejecit ipsum de corporibus obsessis, & de animabus hominum per Baptismum & Ecclesiastica sacramenta. Ergo *arcus fortium superatus est* à Christo: quia omnes fuerunt subjecti jugo ejus.

Item, *arcus* & sapientia Pharisæorum, & falsa superstitio sacerdotum Gentilium fuit confusa per Apostolos Christi, & omnes sapientes hujus mundi fuerunt superati, & Christo subjecti, ut patet *Act.* 18. Item, *arcus* & potestas sacerdotalis, & sceptrum regale & judiciale Judæorum fuit superatum & ablatum per Christum, & tota scientia eorum confusa in conspectu Apostolorum, ut patet per totum discursum *Actuum Apostolorum*. Ideo subdit, quòd Apostoli *infirmi*, & simplices, & ignari, & plebei *accincti sunt*, & armati *robore* & fortitudine septem donorum Spiritus sancti in die Pentecostes: per quos Apostolos sic accinctos & roboratos Christus subjecit totum orbem, & in virtute armorum Christi confregerunt arcum dœmonum, & Principum mundi, & ejecto diabolo foras, sujecit Reges, & populos Gentilium jugo suo. Unde per Imperatorem non piscatorem, sed per piscatorem subjecit & lucratus est Imperatorem & Philosophum. Ex quo patet, quod in hoc ostendit Christus, suam fortitudinem esse super omnes, & esse divinam: quia accinxit fortitudine & robore infirmos & simplices, & per eos superavit arcum dœmonum, & Principum, & Philosophorum, & Judæorum. Deinde cum dicit:

Repleti priùs pro panibus se locaverunt: & famelici saturati sunt.
Donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.
Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.
Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat & sublevat.
Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem.
Ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.

8. q. 1. c. Audaciter. 93. d. c. Legimus. Tob. 13. Sap. 19. Ro. 13. & 22. q. 1. c. Magnum de Conf. d. 4. Propr.

Ostendit qualiter Christus est *Dominus scientiarum*, & bonorum spiritualium: quia transtulit bona spiritualia gratiæ à Synagoga in Ecclesiam. Et sic Ecclesia agit gratias, quia recepit à Christo bona spiritualia, scilicet Ecclesiastica sacramenta, & intelligentiam Legis & Prophetarum, quam antè possidebat Synagoga: Et sic Christus obcœcavit Synagogam propter ejus malitiam, & illuminavit Ecclesiam ex populo Gentili. Unde Synagoga, quæ antè erat repleta bonis spiritualibus, nunc obcœcata mendicat scientiam & intelligentiam Sacræ Scripturæ, sed Ecclesia est saturata. Ideo dicit: Judæi qui *priùs* erant *repleti* bonis spiritualibus, modò post publicationem Euangelii *locaverunt se pro panibus*, id est, pro cibis spiritualibus: quia continuè laborant, & non possunt attingere intelligentiam scripturæ, nec alia bona gratiæ. Sed Gentiles *famelici*, qui numqnam habuerunt Legem, nec Prophetas, nunc saturati sunt, postquam se Christo & fidei subjecerunt. Et ita pariter Apostoli, qui erant ignari & idiotæ, postea sunt saturati intelli-

ligentiâ Sacræ Scripturæ. Judæi autem vadunt mendicando: de quibus dictum *Psalm.* 58. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint futurati, murmurabunt.* Item, in Cantico Virginis Mariæ, *Luc.* 1. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.*

Dicit ergo, quòd Judæi *priùs repleti*, mendicaverunt panes carnales, & privati sunt panibus spiritualibus: sed Gentiles *famelici saturati sunt*; *donec*, pro *quia* sive pro *postquam*, id est, postquam, aut quia Gentilitas quondam *sterilis peperit plurimos* filios Christo per regenerationem baptismalem; & Synagoga, *quæ multos habebat filios*, scilicet Patriarchas & Prophetas & Fideles, nunc autem postquam negavit Christum *infirmata* & orbata *est*: quia nullum filium generat Deo, sed carni tantum. Ecclesia autem Christi jugiter generat filios Christo per Baptismum; & ideo successit Synagogæ in hæreditatem, & bonis spiritualibus, de qua *Isai.* 54. *Lætare sterilis, quæ non parturis: quia multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum &c.* Et sic Synagoga mortificata fuit in partum, & Ecclesia vivificata. Ideo subdit: *Dominus mortificat* Synagogam cum filiis suis, sed *vivificat* Gentilitatem ad vitam gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: & Dominus *deducit* Judæos *ad inferos*: quia condemnat eos ad pœnam æternam: sed Gentiles, qui erant in potestate diaboli *reducit* de inferno & morte ad vitam. Et etiam Dominus *deducit* Judæos *ad inferos* post publicationem Euangelii; sed *reduxit* de inferno omnes fideles veteris Testamenti, unde reduxit illos qui expectarunt suum adventum: sed *deducit* istos, qui ipsum non receperunt.

Item, *Dominus* Jesus Christus *facit pauperem* populum Judaicum, auferendo ipsi regnum, & bona gratiæ: sed *ditat* populum Gentilem, & Ecclesiam suam, conferendo bona gratiæ, & gloriæ: & *humiliat* populum Judaicum, in captivitatem temporalem & spiritualem subjiciendo; sed *sublevat* populum Gentilem, legem libertatis conferendo, & à peccato liberando: quia abstulit ab illo, & dedit ipsum genti facienti fructum: Judæi autem, qui antè erant filii regni, postea privati & abdicati, missi sunt in tenebras exteriores, *Matth.* 22. Et sic Judæi fuerunt mortificati & humiliati, Gentiles autem vivificati, & exaltati, & sublevati. Item, Dominus Jesus Christus, non solùm transtulit bona spiritualia gratiæ à Synagoga in Ecclesiam, sed etiam regnum & sedem sacerdotalem: quia de conversis ex populo Gentili fecit Sacerdotes in Ecclesia, & Judices habentes spiritualem jurisdictionem, & fecit Reges habentes sæcularem potestatem. Et non solùm transtulit à Synagoga bona gratiæ in Ecclesiam, sed etiam bona gloriæ.

Unde subdit, quòd Dominus Jesus Christus in suo adventu *suscitat* populum Gentilem *de pulvere* idololatriæ: & *elevat* ipsum populum Gentilem *pauperem de stercore* & spurcitia idolorum, conferendo ipsi regnum & sacerdotium: *ut sedeat* in Ecclesia *cum principibus*: quia Prælati Ecclesiæ tenent locum Apostolorum, qui fuerunt Principes Ecclesiæ. Et sic Prælati conversi de populo Gentili sedent in Ecclesia in sede Apostolorum tanquam eorum successores. Et non solùm Christus sublevavit istum pauperem, & sublimavit, ut sedeat in hac Ecclesia Militanti; sed etiam ut *teneat solium gloriæ* in Ecclesia Triumphanti post hanc vitam. Et sic populus Gentilis, non solùm successit in bonis gratiæ, sed etiam in bonis gloriæ. Deinde cùm dicit:

Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. — 23. q. 5. c. Prodest.

Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir. — 22. q. 1. Movet.

Dominum formidabunt adversarii ejus: & super ipsos in cœlis tonabit. — 23. q. 1. Quid culpatur.

Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. — 32. d. Eruditis.

CONfirmat omnia supradicta. Nam dictum est, quòd Dominus Jesus Christus confregit arcum fortium, & accinxit infirmos robore, & saturavit famelicos, & privavit repletos bonis spiritualibus, & multiplicavit Gentilitatem sterilem, & minoravit & infirmavit secundam Synagogam, & orbavit eam filiis: & quòd Dominus mortificavit & humiliavit Synagogam, & vivificavit & sublimavit Gentilitatem. Et dictum est etiam, quòd Dominus Jesus Christus sublimavit populum Gentilem in regnum & sacerdotium in Ecclesia: quia ex populo Gentili fecit Doctores & Martyres, & Prælatos, & Sanctos, & sublimes viros in scientia, & vita, & doctrina. Hîc autem confirmando supradicta ostendit, quod Christus hoc non fecit ex meritis præcedentibus illius populi, sed de summa misericordia & bonitate, qui voluit eos eligere: & quia voluerunt Christo obedire, ideo Apostoli & Gentiles, qui venerunt ad fidem, non sunt exaltati ex propria fortitudine, nec ex propriis meritis, sed ex sola Dei misericordia & omnipotentia: ideo subdit, quòd Dominus Jesus Christus ele-

elevavit illum populum de ſtercore idolorum, & elevavit pauperem cœtum Apoſtolorum de pulvere ignorantiæ, & ſublimavit Eccleſiam de pauperibus congregatam in ſedem poteſtatis ſacerdotalis & gratiæ & gloriæ: quia *cardines terræ ſunt Domini*, id eſt, quia Jeſus eſt Dominus cardinum terræ, *& poſuit ſuper eos orbem*: & loquitur hîc metaphoricè. Quaſi dicat: Sicut Dominus in principio creavit cardines mundi, ſcilicet, *Polum Arcticum* & *Antarcticum*, & conſtituit orbem ſuper eos; quia totus orbis vertitur ſuper iſtos duos cardines: ita pariter Dominus noſter Jeſus Chriſtus conſtituit Apoſtolos & Prælatos tamquam cardines, & poſuit orbem Eccleſiæ ſuper eos. Nam tota Eccleſia vertitur, & gubernatur, & regitur ſuper Prælatos, & Doctores, & Sacerdotes tamquam cœlum ſuper cardines, & ſuper cardinum polos: & ſicut janua vertitur & conſervatur; ſic Sancti, & Prælati, & Sacerdotes dicuntur cardines terræ, ſuper quos Chriſtus fundavit & poſuit orbem Eccleſiæ. Dicit ergo, quòd Apoſtoli, & Prælati, & Sacerdotes, & ſancti viri ſunt cardines terræ, id eſt, Eccleſia Domini: quia Dominus *poſuit ſuper eos orbem* terræ ad gubernandum & regendum: nec tamen ipſi Prælati poſſunt regere & gubernare Eccleſiam ex ſuis propriis viribus, ſed ex ſolo auxilio Chriſti.

Prælati ſunt cardines.

Ideo ſubdit, quòd Dominus Jeſus Chriſtus *ſervabit* & diriget *pedes Sanctorum*, & Prælatorum, & Sacerdotum, & *ſuorum* fidelium in regendo ſeipſos & Eccleſiam: & dabit eis os, & linguam, & ſapientiam ad loquendum ante Reges & Præſides, & ad confundendum Judæos, & Reges, & Tyrannos. *Impii* autem Judæi, qui Chriſtum noluerunt recipere, nec ejus doctrinam Euangelicam, *conticeſcent in tenebris* ignorantiæ obcœcati: hoc autem fuit impletum *Act.* 2. Nam *Petrus*, homo piſcator & ſimplex, fecit tacere omnes Scribas & Phariſæos, & per Sacras Scripturas probavit eis Chriſtum eſſe Meſſiam in lege promiſſum. Unde Principes Sacerdotum, & Scribæ & Phariſæi abierunt confuſi tamquam cœci & tenebroſi. Item quando *Stephanus* diſputavit cum eis, *non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur:* & hoc accidit Judæis, quia confidentes in ſua ſcientia, noluerunt recipere doctrinam Euangelicam. Ideo ſubdit: *quia non in fortitudine ſua roborabitur vir*; ſed Apoſtoli, qui proceſſerunt ad bellum armati armis Chriſti Euangelicis, ideo confuderunt Judæos, & Tyrannos, quia Chriſtus *ſervavit* & direxit pedes eorum.

Et ideo ſubdit, quòd *Dominum* Jeſum Chriſtum *formidabunt* omnes *adverſarii ejus*: tàm Judæi, quàm Reges, & Principes, & Tyranni, *& ſuper ipſos in cœlis tonabit*: quia ſonus & tonitruus Legis Euangelicæ tonuit ſuper omnes populos mundi cum ſignis & prodigiis. Et ſic incubuit timor ſuper eos, in tantùm quòd totus populus Gentilis ſe ſubjecit jugo Chriſti. Ideo ſubdit: *Dominus* Jeſus Chriſtus *judicabit fines terræ*, quia Dominus Pater *dabit imperium* Chriſto *Regi* Filio *ſuo*, & exaltabit *cornu* in regnum *Chriſti* Filii *ſui*.

Unde eſt advertendum, quòd Chriſtus in primo adventu judicavit mundum judicio diſcretionis, & Deus Pater dedit ipſi imperium, & poteſtatem in cœlo & in terra in die Aſcenſionis, & exaltavit cornu ejus, cùm fecit ipſum à dextris ſuis ſedere. Sed tale dominium & imperium magis erit manifeſtum in ſecundo adventu, quando veniet Chriſtus in poteſtate magna & majeſtate: & tunc judicabit omnes Gentes & Nationes; & cognoſcent, & videbunt Judæi *quem pupugerunt* & crucifixerunt: & cognoſcent Tyranni quem perſecuti fuerunt: & indifferenter omnes cognoſcent, & manifeſtè videbunt Chriſtum eſſe verum Deum & Redemptorem, & Meſsiam in lege promiſſum: & qualiter Deus Pater dedit ipſi imperium univerſale, & qualiter exaltavit regnum ſuum in cœlo, & in terra, & in inferno.

Chriſtus mundum judicavit judicio diſcretionis.

Ex ſupradictis patet etiam, quòd iſta mulier prophetiſſa duplicem ſpiritum propheticum habuit in hoc Cantico, de quo dictum eſt *in Prologo*, *tractatu ſecundo*, *& tertio*. Sed cœci Judæi hoc nequeunt attingere: ideo manent in ſolo ſenſu materiali.

IN CANTICUM MOYSIS.

PROOEMIUM.

CAntemus Domino. Hoc Canticum cantat Eccleſia in Laudibus *Feriæ quintæ*: quod quidem Canticum cantavit *Moyſes* cum toto populo poſtquam illæſus tranſierat inter aquas maris Rubri, & *Pharao* cum ſuo exercitu fuerat ſubmerſus, ut patet *Exodi* 15. in quo agit gratias de mirabili liberatione ſua, & de victoria habita de *Pharaone* & exercitu ejus. In quo duo facit. Primò enim agit gratias, narrando liberationem ſuam de mari Rubro, & ſubmerſionem *Pharaonis*, & exercitus ejus. Secundò, prædicit futuras victorias, quas ille populus habuit poſtea de *Philiſthæis*, & *Exod.* 15.

& *Moabitis*, & *Chananæis* in ingressu terræ promissæ. Et prædicit possessionem illius terræ, & ædificationem templi futuram. Ibi: *Dux fuisti in misericordia &c.* Quod quidem Canticum est ita clarum in narratione victoriarum ad litteram, quòd non indiget expositione volenti legere quæ scripta sunt *Exo.*14. & per totum librum *Numerorum*, & *Josue*, & in *libris Regum*: quia omnia quæ ibi prædicuntur, fuerunt impleta in illo populo. Et ideo licèt *Moyses* non videatur Propheta in prima parte hujus Cantici, in quantum narrat gesta præterita, scilicet, liberationem factam, & victoriam habitam: tamen non potest negari, quin sit Propheta in secunda parte, in quantum prædicit victorias futuras de *Moabitis* & *Philisthæis* & *Chananæis*. A

Dubium. Videtur tamen dubium: An in tali prophetia habuerit duplicem spiritum prophetiæ: putà, si per futuras, & etiam præsentes victorias prævidit futura mysteria de Christo & Ecclesia? Unde dictum est in *Prologo libri Psalmorum*, qualiter Prophetæ non eodem modo, nec secundùm eumdem gradum habuerunt lumen, sive spiritum propheticum. Nam quidam eorum habuerunt spiritum simplicem tantùm, & quidam habuerunt duplicem spiritum prophetiæ. Unde illi habuerunt simplicem spiritum, qui tantùm præviderunt futura mysteria in illo populo, sicut *Nathan* ex revelatione prævidit regnum *Salomonis*, & templum ædificandum per ipsum: sed de eodem mysterio *David* habuit duplicem spiritum propheticum. Nam per illam promissionem in spiritu, non solùm prævidit successionem regni sui usque ad captivitatem Babylonis, sed etiam prævidit regnum suum perpetuandum per Christum in æternum in filiis promissionis. B C

Item, *Isaias* prævidit in spiritu prophetico captivitatem Babylonis per *Chaldæos*, & prævidit liberationem futuram per *Cyrum* Regem Persarum: sed per illam prævidit ultrà redemptionem generis humani futuram per Christum. Et ideo utramque liberationem prædicit *Isai.* 45. ut patet ibidem. Ex quo patet, quòd Isaias duplicem spiritum habuit in illo capite, & in cæteris. D

Item, filii Prophetarum, & Patres eorum præviderunt *Eliam* esse tollendum, cùm dixerunt ibi *Eliseo: Numquid nosti, quia Dominus tollet hodie dominum tuum à te?* 4. *Reg.*2. sed in hoc tantùm habuerunt simplicem spiritum, & forsan tantùm simplicem habuit de illo mysterio *Eliseus*, cùm respondit: *Ego novi, silete.* Sed forsan pro tunc *Eliseus* non habebat duplicem spiritum de illo raptu, quia tantùm prænoverat *Eliam* illa die fore rapiendum; sed non prænoverat illum raptum esse figuram Ascensionis Christi &c. & ideo *Eliseus* dixit Eliæ: *Obsecro ut fiat in* E *me duplex spiritus tuus*, id est, ut prævideam, quid figuret iste raptus tuus, & quid erit posteà de te? Cui respondit *Elias*: *Rem difficilem postulasti &c.* Et tunc in ascensu *Eliæ* factus est duplex spiritus super *Eliseum*: quia per illum raptum Eliæ prævidit in spiritu, qualiter Christus post Passionem & Resurrectionem erat ascensurus in cœlum: & qualiter *Elias* debebat prævenire Christum in secundo adventu ad prædicandum contra *Antichristum*, & fortificandum populum Christianum in fide Christi.

Ex quibus patet, quòd *spiritus propheticus duplex* dicebatur ille, per quem Prophetæ interpretabantur, & prævide- *Quid sit spiritus duplex propheticus.*
F bant futura mysteria de Christo & Ecclesia per contingentia, quæ accidebant in veteri Testamento, sive essent eis præsentia, sive futura. Lumen autem, sive *spiritus simplex* erat ille, qui tantùm se extendebat ad futura mysteria veteris Testamenti, & ultrà tranfibat cognitionem Prophetæ. Sed lumen, sive *spiritus duplex propheticus* per mysteria veteris Testamenti ducebat intellectum Prophetæ in prægnitionem mysteriorum novi Testamenti de Christo & Ecclesia: & talem duplicem spiritum habuit *David*, & omnes quatuor Prophetæ majores, & duodecim minores, quia semper inter gesta futura in illo populo prædicebant aliqua mysteria de Christo & Ecclesia, figurata in gestis veteris *Nota de Moys.*
G Testamenti, ut patet in *Isaia*, & *Hieremia*. Et ideo est querendum, an Moyses in hoc Cantico, & in cæteris habuit duplicem spiritum, postquam sumus certi de uno spiritu? putà, si per liberationem Israel de Ægypto prævidit in spiritu liberationem generis humani futuram per Christum?

Ad quod respondetur, sicut dictum est in *Prologo Psalmorum*, quòd nil est scriptum, nec gestum in veteri Testamento præcisè gratiâ sui, sed in quantum figurabat aliquod mysterium de Christo, qui erat finis totius legis: quia *omnia contingebant illis in figura*, 1. *Cor.* 10. Et ideo dicit *Ambrosius*, quòd ille rubus ubi
H erat Deus, de quo Deus vocavit *Moysen*, qui ardebat & non comburebatur, figurabat commercium Incarnationis admirabile, & figurabat virginitatem *Mariæ*. Et illa virga conversa in colubrum, & è converso, cum qua Moyses fecit miracula, figurabat Verbum incarnatum, & humanatum, in qua humanitate Filius Dei liberavit mundum. Item, illa missio *Moysis* ad liberandum, & educendum populum Israel de captivitate Ægypti figurabat, qualiter Deus Pater erat missurus Filium in carne, & debebat educere fideles veteris Testamenti de Limbo inferni, & de cap-

ti-

tivitate diaboli, & introducere eos secum in terram viventium, id est, in cœlestem patriam. Item, per transitum maris Rubri A figurabatur, qualiter Christus nos debebat transferre per aquas baptismales. Unde sicut aquæ maris Rubri præbuerunt iter & viam Hebræis ad alterum littus salutis, & salvaverunt Hebræos, & submerserunt Ægyptios: ita aquæ baptismales mundant, & liberant hominem à peccato, & ducunt ad statum gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: sed suffocant & extinguunt peccatum.

Et sic populus Gentilis per Baptismum liberatus & deductus est de captivitate diaboli ad libertatem gratiæ, & ingressus terræ promissionis, & subjectio ejusdem, & victoria habita de *Chananæis* & *Philisthæis*, figurabat, qualiter Apostoli debebant ingredi, & superare populum Gentilem, & subjicere eum jugo fidei Christi; & quomodo Ecclesia erat ædificanda, & multiplicanda in populo Gentili &c. & ad hunc sensum leguntur libri *Moysi* in Ecclesia in Officio Canonico, scilicet, prout in eis continetur figura, & mysterium figurativum nostræ Redemptionis, & liberationis factæ per Christum. Et sic non leguntur illi libri gratiâ sui, sed prout tota principalis intelligentia ordinatur in Christum. Et sic verisimile videtur, quòd *Moyses*, qui fuit ductor illius populi in persona Christi, præviderit in spiritu mysterium Incarnationis, & nostræ Redemptionis, & Ecclesiæ ampliationis per C illa gesta & signa, quæ fecit in Ægypto, & in transitu maris Rubri, & in progressu deserti, & per acquisitionem terræ *Chanaam*, & subjectionem illorum populorum.

Et sic est dicendum, quòd *Moyses* non fecit præcisè hoc Canticum pro illa liberatione temporali, nec pro illa punitione Pharaonis; sed primò & principaliter intendit cantare, & gratias agere de universali Redemptione futura per Christum, & triumpho, quem Christus habiturus erat de diabolo, prout *Moyses* prævidit in duplici lumine & spiritu prophetico, considerando illam temporalem liberationem Israelis de Ægypto, & de mari Rubro: quod quidem lumen aut spiritus D *Moysi*, licèt non esset ita clarus & distinctus sicut lumen *David*, ut dictum est in *Prologo*: tamen non tollitur, quin dicatur spiritus duplex, postquam ducebat intellectum Moysi in præcognitionem Christi, & nostræ Redemptionis per illa mysteria tunc gesta, licèt non viderit ita clarè & distinctè sicut *David*: eò quòd in illo lumine & spiritu prophetico sunt multi gradus, ut dictum est. Et ideo totum hoc Canticum est exponendum non secundùm unicum solum spiritum prophetiæ de gestis in illo populo, sed secundùm duplicem

spiritum de universali liberatione & redemptione facta per Christum, quam præ- E vidit *Moyses* per illam liberationem temporalem particularem.

Secundò est notandum secundùm Apostolum *Judam* in *Canonica* sua, ut dictum est in *Prologo*, quòd Jesus Christus eduxit populum Israel de captivitate Ægypti. Unde dicit *Hieronymus* in *Sermone de Assumptione Virginis*, quòd idem Jesus, qui post Incarnationem operatus est nostram Redemptionem, ante Incarnationem operatus est illa miracula in Testamento veteri. Et sic est dicendum, quòd in Testamento veteri Jesus operabatur in figura: sed post Incarnationem operatus est nostram Redemptionem in re. Ideo est dicendum, quòd Jesus primò expoliavit Ægyp- F tum, & liberavit Israel de captivitate: quæ expoliatio & liberatio licèt fuerit realiter facta respectu illorum; tamen fuit figura futuræ expoliationis inferni, & liberationis & Redemptionis nostræ spiritualis. Et ideo Jesus sicut nunc expoliavit Ægyptum in figura: ita postea expoliavit Limbum, & liberavit genus humanum. Et ideo *Moyses* non solùm cantavit hoc Canticum propter illam temporalem liberationem, sed etiam propter futuram spiritualem, quam prævidit in illo duplici spiritu, ut dictum est: sed Ecclesia hodie perfectiùs cantat istud Canticum principaliter propter spiritualem Redemptionem & liberationem per Christum factam.

Not. quòd Jesus eduxit populum de Ægypto.

G Dicit ergo Ecclesia: Postquam Patres veteris Testamenti cantarunt hoc Canticum in memoriam illius temporalis liberationis, & in figuram nostræ Redemptionis, cantemus nos jam nunc, ipsi agendo gratias de nostra Redemptione jam facta &c. Unde

Exod. 15. Psa. 117. Exod. 14.

CAntemus Domino: gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem dejecit in mare.

CAntemus Domino nostro Jesu Christo: *enim* pro *quia*: quia *gloriosè*, id est, triumphaliter *magnificatus est*: non solùm H tunc Ægyptum, sed etiam postea infernum expoliando & fideles veteris Testamenti inde liberando. Item, *equum & ascensorem*, scilicet, Pharaonem, & *equum* ejus *projecit in mare*. Et ponitur singulare pro plurali, id est, equos *Pharaonis* cum militibus submersit in mari. Quasi dicat, quòd Dominus Jesus sicut tunc submersit in mari equos & milites, & totum exercitum Pharaonis: ita postea submersit diabolum & populum infidelem, super quem sedebat, & dominabatur diabolus.

Ad cujus intellectum est notandum,

Populus Gentilis dicebatur equus diaboli.

quòd totus populus Gentilis dicebatur *equus diaboli*. Nam ſicut miles ſedens ſuper equum cum fræno dominatur equo, & regit, & vertit ipſum ad libitum ad omnem partem : ita pariter diabolus in tantùm dominabatur populo Gentili, quòd concitabat ipſum ad omnem ignominiam & ritus nefandos, & ad omnem deteſtabilem ſuperſtitionem, & ad omnia ſcelera, ut ait Apoſtolus *ad Rom.* 1. & Euſebius in fine 5. *de Præparatione Euangelica*, & *Auguſt.* per totum 8. 9. & 10. *de Civ. Dei.* A

Item, omnis peccator obſtinatus dicitur *equus diaboli* : eò quòd cum fræno peccati tenet diabolus peccatorem ligatum, vertens ipſum ad omne ſcelus. Unde per frænum ſuperbiæ movet hominem ad invidiam, & homicidium &c. & per B avaritiam movet hominem ad uſuram, & rapinam, & furtum : & per luxuriam tamquam per frænum & camum ducit hominem ad adulterium, & ſtuprum, & fornicationem, & ad ſortilegia, & maleficia &c. Et ſic omnis peccator obſtinatus dicitur *equus diaboli*. Sed maximè ſedet hodie diabolus ſuper populum Judaicum, poſtquam non recepit Chriſtum: & ſic impellit diabolus ipſum ad graviora, ut dictum eſt *Pſal.* 13. Et ideo dicit *Moyſes* in perſona Eccleſiæ, quòd ſicut tunc Dominus Jeſus *projecit equum & aſcenſorem in mare* : ita in ſuo adventu projecit diabolum & equum ejus, id eſt, Gentilem ſuperſtitionem, & perfidiam Judaicam, ſu- C pra quam diabolus ſedebat, poſtquam non recepit Chriſtum : hos omnes infideles & peccatores, cum diabolo aſcendente ſuper eos, Jeſus projecit in mare Rubrum, id eſt, igneum & infernalem : ideo pro tali victoria *cantemus Domino*. Item, *cantemus Domino* Jeſu Chriſto : quia

Iſai.12. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.*

AD cujus intelligentiam eſt notandum, quòd tria beneficia recepit ille populus à Deo poſt tranſitum maris Rubri. Nam primò recepit fortitudinem D contra inimicos, & vicit Amalecitas, & Moabitas, & Chananæos. Secundò, accepit religionem, & legem, & modum colendi & laudandi Deum. Tertiò recepit terram promiſſionis ad ſalutem & quietem eorum. Sed multò ampliùs & perfectiùs accepit iſta tria populus Chriſtianus à Chriſto. Primò accepit dona Spiritus ſancti, per quæ ſubjecit ipſi totum orbem. Secundò, accepit Legem Euangelicam, quæ docet verum cultum ad laudandum Deum. Tertiò, accepit ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta ad ſalutem animæ, per quæ vivit in hac Eccleſia per gratiam, & in ſuperna æternaliter per gloriam. De primo E ergo dicit : quia *fortitudo mea*. De ſecundo autem : quia *laus mea*. De tertio vero: quia *factus eſt Dominus mihi in ſalutem*. Et ſic Eccleſia in generali enumerat quinque beneficia recepta, pro quibus tenetur cantare hoc Canticum. Primò, pro beneficio liberationis de Limbo. Secundò, pro beneficio Redemptionis. Tertiò, pro beneficio ſubjectionis Gentilium. Quartò, pro beneficio Legis Euangelicæ. Quintò, pro beneficio Sacramentorum, ſive ſalutis Sacramentorum. Deinde cùm dicit:

Diſt. 56. c. Naſci. *Iſte Deus meus, & glorificabo* F *eum : Deus Patris mei, & exaltabo eum.*

Prov.18. *Dominus quaſi vir pugnator omnipotens nomen ejus : currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare.*

Exod.14. *Electi Principes ejus ſubmerſi ſunt in mari Rubro : abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.*

G EXplicat omnia ſupradicta in ſpeciali. Et primò explicat miracula facta in exitu Ægypti, & in tranſitu maris Rubri, quæ fuerunt figura expoliationis inferni, & noſtræ Redemptionis. Secundò explicat miracula, & victorias, quæ fecit Deus in illo populo poſt tranſitum maris Rubri: quæ fuerunt figura eorum quæ fecit Chriſtus poſt ſuam Paſſionem. Ibi: *Dux fuiſti in miſericordia.*

Quantum ad primum dicit Eccleſia: Bene debemus cantare Domino. *Nam iſte eſt Deus meus* : & ideo *glorificabo eum* in omnibus. Et iſte Jeſus eſt *Deus Patris mei*, Abrahæ, Iſaac, & Jacob promiſſus: & ideo *exaltabo eum* in meis laudibus. Item, *iſte* Jeſus ſemper fuit *quaſi vir pug-* H *nator* pro me. Nam *nomen ejus Omnipotens*, quod eſt Jeſus, *projecit currus Pharaonis, & exercitum ejus in mare*. Unde notanter dicitur, *Dominus quaſi vir pugnator* : ad denotandum, quòd Deus in forma viri & hominis erat in mundum venturus &c.

Notanter etiam dicitur *Omnipotens nomen ejus*. Nam *Jeſus*, quod eſt nomen Dei, eſt nomen omnipotentiæ, & ſummæ ſapientiæ, & juſtitiæ, & miſericordiæ, in cujus virtute, & ad cujus invocationem *Moyſes* fecit omnia miracula. Et ideo dicit, quòd *nomen* Dei eſt *Omnipotens*, quod

eſt

Jesus nomen omnipotentiæ.

est *Jesus*: quia *projecit* primò *currus Pharaonis*, *& exercitum ejus in mare*: & A hoc in Testamento veteri, sed postea in novo Testamento idem Nomen Dei *Jesus*, qui est Filius, & Nomen Dei, sicut dictum est *Psal.*8. idem Nomen Dei *projecit currus Pharaonis*, id est diaboli, scilicet perfidiam Judæorum, & superstitionem Gentilium *projecit in mare* inferni. Nam sicut infideles dicuntur *equi diaboli*: ita etiam dicuntur *currus*, in quibus fertur & equitat diabolus.

Item perfidia & obstinatio, & falsa doctrina Judæorum dicuntur *currus*, in quibus diabolus ducit Judæos ad mare, sive per mare damnationis: ita pariter idololatria, & divinationes, & artes magicæ, & cæteræ detestabiles superstitiones & ri- B tus nefandi, erant *equi* & *currus* diaboli, in quibus ducebat diabolus Gentiles per mare hujus mundi: sed hos currus, & hos equos Christus demersit in inferno similiter cum diabolo auriga & ascensore eorum.

Item, sicut *electi Principes Pharaonis submersi sunt in mari Rubro:* ita Reges & Principes Gentilium, & Principes Sacerdotum, qui Christum crucifixerunt, *submersi sunt in mari Rubro*, & igneo inferni, & *abyssi* inferni *operuerunt eos*, & *descenderunt in profundum* inferni, *quasi lapis* expondere suorum peccatorum.

Item, ipse idem Jesus submersit, & ligavit, & detrusit ipsum diabolum cum principibus suis in profundo inferni, & C expoliavit Limbum, & eduxit sanctos Patres. Unde Ecclesia ad Dominum conversa dicit:

*Exod.*14. *Dextera tua Domine magnificata in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.*

23. q. 5. §. ult. *Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam: & in spiritu furoris tui congregatæ sunt* D *aquæ.*

Stetit unda fluens: congregatæ sunt abyssi in medio mari.

DOmine Pater, *dextera tua*, id est Jesus Christus, *magnificata est in fortitudine* illius victoriæ in expoliando Ægyptum, & infernum: quia ista *dextera tua percussit* tunc *inimicum* Pharaonem, & postea diabolum: *& in multitudine* victoriæ tuæ *deposuisti* diabolos *adversarios tuos*. Item, sicut tunc *misisti iram tuam, quæ devoravit Ægyptios sicut* ignis devorat & comburit *stipulam*: & sicut E *in spiritu* & vento *furoris tui congregatæ sunt aquæ* ad duas partes, & *unda fluens* & fluxibilis *stetit* tamquam paries, & *abyssi*, & aquæ abyssales *congregatæ*, id est, divisæ *sunt in medio mari* ad duas partes, relinquentes iter medium, ut transirent filii Israel, & postea reversæ sunt ad locum suum, & congregatæ sunt in unum, & cooperuerunt Ægyptios: ita pariter *misisti iram tuam* super Judæos & Gentiles obstinatos, *quæ devoravit eos*. Nam primò *Titus* cum exercitu *Romanorum* devoravit Judæos: sed pestilentiæ & guerræ devoraverunt Gentiles persecutores Christi. Unde

F

*Exod.*14. 16. q. 2. c. *Visis.* *Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.*

*Exod.*14. *Evaginabo gladium meum: interficiet eos manus mea.*

Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

22. q. 2. c. *Magnū.* *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in* G *sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?*

1. q. 4. *Homini.* *Extendisti manum tuam & devoravit eos terra.*

SICUT tunc Pharao *inimicus dixit* & proposuit in corde suo: Ego *comprehendam* istum populum, & *dividam spolia*, & *implebitur anima*, id est, desiderium meum ex bonis istorum: & *evaginabo gladium &c.* Sed *spiritus tuus flavit*, id est, commovit ventum, *& operuit eos mare*, *& submersi sunt* Ægyptii *quasi plumbum in aquis vehementibus* & cur- H rentibus: ita pariter diabolus diviserat sibi spolia totius mundi, in quo regnabat per idololatriam. Nam in Ægypto regnabat *Serapis*, & in Lybia *Ammon*, & in Græcia *Jupiter*, & in Italia *Saturnus*, & Romæ *Mars*, & isto modo diabolus sibi *diviserat spolia* totius mundi, & gladio peccati originalis interfecerat simul omnes filios Adam: sed cum gladio peccati actualis quosdam occiderat per superbiam, & quosdam per luxuriam, & sic de singulis. Sed *spiritus* prædicationis Christi *flavit* super mare hujus mundi, & *submersit* omnia idola mundi, & ejecit foras diabolum, & commovit omnia idola: & *submersi sunt*

sunt Judæi & Gentiles obstinati *in aquis* infernalibus *quasi plumbum.* Item, diabolus dominabatur toti mundo, & tamquam A fortis armatus custodiebat atrium suum: sed venit Jesus fortior diabolo, & *flavit* suo spiritu Euangelicæ prædicationis per universum orbem, & abstulit arma diaboli, id est, omnes superstitiones, & ritus nefandos, in quibus diabolus confidebat: & sic ejecit ipsum foras, & detrusit ipsum in inferno.

Primò ergo spiritus & potestas Christi insufflavit in inferno, & confregit portas æreas, & vectes ferreos, & expoliavit infernum. Secundò, insufflavit super populum Judaicum, & destruxit ipsum. Tertiò, super idola & populum Gentilem, & destruxit idola, & subjecit populum Gentilem. Et ideo subdit: *Quis similis tui in* B *fortibus*, ò Domine Jesu Christe? *quis similis tui, magnificus in sanctitate*? quia tu es factus etiam principium omnis sanctitatis: & sic es sanctus cum sanctis, & terribilis contra diabolum & membra ejus Judæos, Gentiles, & peccatores obstinatos; & es *laudabilis* factus à bonis: & *faciens mirabilia*, non solùm in puniendo malos, sed etiam justificando pœnitentes. Primò, tu *extendisti manum tuam* super *Pharaonem.* Secundò super Judæos obstinatos. Tertiò, super Gentiles & dœmones, & *devorasti eos.*

C

Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.

Et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.

Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

Tunc conturbati sunt Principes Edom: robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes ha- D *bitatores Chanaan.*

Irruat super eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui:

Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Ut patet Exod. 15. & c. seq. & num. quasi per totum.

Num. 20. & 31.

3. quæs. 1. Nulli dubium, in Glossa.

E *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine:*

Sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ: Dominus regnabit in æternum & ultra.

93. d. Legimus. Et 24. q. 1. Loquitur.

24. q. 1. & sola. 11. d. c. Nolite.

HIC prædicit *Moyses* victorias, & beneficia quæ fecit Deus post transitum maris Rubri, prout fuerunt figura beneficiorum quæ fecit Christus post suam F Passionem. Nam sicut tunc Jesus fuit dux illius populi, & introduxit ipsum in terram promissam, & subjecit ipsi omnes habitatores illius terræ: ita post Incarnationem & Passionem idem Jesus, postquam eduxit & liberavit sanctos Patres de Limbo, fuit dux eorum usquequò introduxit eos in gloriam cœlestem. Item, postquam liberavit Judæos conversos de jugo legis, & Gentiles de idolorum servitute, & omnes peccatores de captivitate diaboli, introduxit eos in istam Ecclesiam per gratiam, & in futuram per gloriam.

Dicit ergo Ecclesia: Domine Jesu G Christe bene fuisti fortis & terribilis contra diabolum & membra ejus, & *magnificus in sanctitate* erga fideles. Nam devorato diabolo cum membris ejus, tu semper *fuisti dux populo tuo*, *quem* tuo sanguine & misericordia *redemisti*: *& portasti* ipsum *ad habitaculum sanctum tuum*, scilicet, in hanc Ecclesiam per gratiam, & in supernam per gloriam. *Ascenderunt*, id est, sicut tunc populi Amalecitarum ascenderunt, & victi sunt, ut patet *Exod.* 17. & sicut *habitatores Philisthiim obtinuerunt dolores* ex timore: & sicut *tunc conturbati sunt Principes Edom*, dum transiret Israel per terminos eorum, *Numeri* 20. Et sicut *tremor obtinuit robustos* H *Moab*, videntes tentoria Israel, in tantùm quod vocarunt *Balam* ad maledicendum illum populum: Et sicut *obriguerunt* & obstupuerunt *habitatores Chanaan*, quia non mansit spiritus in eis videntes Israel: Ita pariter fuit turbatus, & obriguit totus populus Gentilis, & omnes reges terræ, audientes prædicationem Apostolorum, & signa & miracula quæ faciebant: & sic omnes fuerunt subjecti jugo fidei Christi.

Et quia in omnibus his *Moyses* loquebatur de futuro, non solùm de victoria illius populi per futurum ingressum terræ promissionis: sed loquebatur de futura victoria Christi & Apostolorum, & de futura subjectione populi Gentilis: Ideo subdit: *Irruat super eos formido* &

& pavor in magnitudine & fortitudine Christi *brachii tui*: & super omnes Reges & Principes populi Gentilis. Et etiam A omnes dœmones *fiant immobiles sicut lapides*, ne possint nocere fidelibus, *donec iste populus, quem* per gratiam *possedisti transeat* de idololatria & infidelitate ad fidem & legem libertatis, & de peccato ad gratiam per Baptismum & Pœnitentiam. Et *introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ*, scilicet, in hac Ecclesia per gratiam, & in *firmissimo habitaculo*, & templo hujus Ecclesiæ fundato supra duodecim articulos, & supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum: *quod* habitaculum tu primó *operatus es* per Salomonem materialiter in Testamento veteri, posteà spiritualiter per Christum B *sanctuarium* humanitatis, & posteà *sanctuarium* Ecclesiæ, *quod firmaverunt manus tuæ* hîc per gratiam, & in cœlo per gloriam: in quo sanctuario cœlesti *Dominus regnabit in æternum & ultra*, id est, non solùm per sæculum, sed per infinita sæculorum sæcula. Unde in sanctuario hujus Ecclesiæ *Dominus* Jesus Christus *regnabit in æternum*, id est, per totum hoc sæculum hujus mundi usque ad Judicium: sed in sanctuario cœlesti regnabit ultra hoc sæculum, immò per sæcula sæculorum. Sed ut jungat finem cum principio unde sumpsit principium, ideo dicit:

Exod. 14.

Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare: & reduxit super eos C *Dominus aquas maris.*

Filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.

ET exponitur ut supra. Ex supradictis patet, quòd totum istud Canticum currit duplici spiritu: quia licèt ad litteram fuerint realiter & materialiter gesta in illo populo: tamen quia non fuerunt gesta præcisè gratiâ sui, sed prout figurabant liberationem & redemptionem futuram per Christum: ideo principaliter debet exponi de generali redemptione & li- D beratione: quia ad hunc sensum cantat modò Ecclesia Canticum istud: Ideo advertat lector, ut sciat adaptare singula gesta veteris Testamenti singulis mysteriis novi Testamenti.

* * * *
* * *

*** *** ***
*** *** ***

E

IN CANTICUM HABACUC.

PROOEMIUM.

Habac. 3.

DOmine audivi. Hoc Canticum cantatur *Feria sexta* in *Laudibus*: cui præponitur talis Titulus, scilicet, *oratio* F *Habacuc Prophetæ pro ignorantiis*: qui quidem *Habacuc* secundùm *Hieronymum* fuit ille Propheta, quem Angelus Domini rapuit de *Judæa*, & eduxit ipsum in *Babylonem* ad ferendum cibum *Danieli* existenti in lacu leonum, *Dan.* 14. Ex quo patet, quòd iste *Habacuc* prophetavit tempore Babylonicæ captivitatis. Sed hoc Canticum collocatur in *tertio* & ultimo *capitulo* prophetiæ ipsius *Habacuc*: quod quidem Canticum est difficillimum ad intelligendum: Primò, quia est de rebus altissimis. Secundò, quia procedit per verba & vocabula metaphorica. Et ideo est valde insudandum in expositione & intelligentia hujus Cantici: sed quia tota ejus intelligentia dependet ex duobus præcedentibus capitulis: ideo necessariò est præ- G habenda intelligentia duorum præcedentium capitulorum.

Ad cujus evidentiam est notandum secundùm *Hieronymum* in *Prologo* hujus prophetiæ: quod Judæi existentes in captivitate Babyloniæ, & etiam pauperes manentes in Judæa sub servitute dura, videntes stragem & excidium Hierusalem & templi factum per *Nabuchodonosor* & Chaldæos: & videntes se indignè & durè vexari & affligi in illa captivitate: & videntes *Nabuchodonosor* hominem impurum & sceleratum mirabiliter prosperari, & sibi omnes Nationes & Reges subjugare: & videntes eum in tantam superbiam elevatum, quòd fecerat statuam auream in qua se præceperat ab omnibus Nationibus H adorari, *Dan.* 13. & 14. Tunc ergo multi fragiles de populo Judæorum incœperunt dubitare de divina providentia, & justitia: Quare permittebat hominem tam sceleratum regnare, & Judæos Deum colentes per inimicos Dei Idololatras affligi, in tantum quòd multi Judæorum declinabant ad superstitiones Gentilium?

Nota: multi deviant propter exemplum malum.

Tunc ergo *Habacuc* Propheta videns fragilitatem & errorem illius populi ex debilitate fidei, non in persona sui, cùm esset sanctus & Propheta, sed in persona fragilium illius populi, appellat Deum ad dis-

disceptandum cum eo, quare vult talia?

Unde dicit in *primo capitulo: Usquequo Domine clamabo*, in hac captivitate, A supple, *& non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & injustitiam contra me? Quare respicis* contemptores, *& taces conculcante impio justorem se?::: &c.* Et sic in toto isto *capitulo* videtur arguere Deum, quare permittit malum hominem, & sceleratum regnare & prosperari & conculcare populum Judæorum *justiorem se*, scilicet *Nabuchodonosor:* Nam populus Judæorum colebat verum Deum: & *Nabuchodonosor* colebat idola nefanda, & deprædabatur, & expoliabat, & interficiebat bonos & justos, & exaltabat & ditabat injustos & pravos ex bonis justorum. Ex hoc patet, quod *Abacuc* non loquebatur in persona sui, cùm esset sanctus B & Propheta: sed hæc dicebat in persona fragilium illius populi, qui loquebantur ex ignorantia & temeritate, non considerantes, quomodo majorem pœnam meruerant scelera & peccata quæ perpetraverant contra Deum.

Item, ignorabant, qualiter *virtus in infirmitate perficitur*, & examinatur sicut aurum & argentum in igne: & quomodo istæ afflictiones cedebant in punitionem malorum, & in augmentum meritorum bonorum. Et ignorabant, quomodo Deus, licèt ad tempus permittat malos prosperari, & justos conculcari propter rationes jam dictas; tamen finaliter non obliviscitur malos punire, & liberare & C consolari bonos, & tribuere præmium pro meritis & patientiâ habitâ in adversis. Et sic *David* in persona talium fragilium fecit *Psalm.* 72. qui incipit: *Quam bonus Israel Deus his quæ recto sunt corde!* Ubi dicit: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: quia celavi super iniquos pacem peccatorum videns &c.* Tamen postea David in persona sui in quantum fidelis, dicit: *Mihi adhærere Deo bonum est &c.*

Ita pariter fecit hîc Propheta *Habacuc.* Nam postquam in primo capitulo exposuit querimoniam ex parte illius populi afflicti; in *cap.* secundo ponit responsionem Dei consolantis ipsum, & promittentis punitionem *Nabuchodonosor*, & om- D nium sceleratorum, & promittentis liberationem illius populi, & omnium justorum. Et ideo in *tertio cap.* ponitur Canticum ipsius *Habacuc*, agentis gratias de universali redemptione & liberatione ipsi promissâ. Ibi: *Domine audivi &c.*

Quantum ergo ad secundum ponitur divina responsio. Unde dicit *Habacuc. Super custodium meam stabo.* Quasi dicat: Postquam exposui querimoniam ex parte populi afflicti, ego *stabo super custodiam meam*, id est, in altitudine contemplationis, expectando divinum responsum: E sicut stat speculator in alta turri, & speculatur expectando si venerit aliquis contra civitatem: ita ego expectabam, quid foret futurum, & quid mihi responderet Dominus. Nam Prophetæ *speculatores* dicuntur in populo, *Ezec.* 3. & 33. Ideo subdit: *Et respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in fide sua vivet &c.*

Ex verbis Domini respondentis se- F quuntur quatuor conclusiones.

Prima: quòd *Habacuc* fuit verus Propheta, per hoc quod dicit: quòd ipse erat fixus in custodia, & altitudine contemplationis: & Dominus respondit ipsi. Ex quo patet, quòd revelavit ipsi futura mysteria super his quæ quærebat: & contulit ei lumen propheticum ad interpretandum & explanandum verba Domini, per hoc quòd subdit: *Explana super tabulas &c.*

Secunda sequitur: quòd ista quæ Deus hîc prænunciat & revelat, non erant de propinquo, sed in fine mundi facienda; per hoc quòd subdit: quia *adhuc visus procul, & apparebit in finem.*

Tertia sequitur: quòd iste Messias, G quem promittit venturum, bis erat venturus in mundum; primò ad liberandum & salvandum fideles & justos: secundò in fine mundi ad judicandum bonos & malos, daturus bonis præmium, & malis pœnam æternam; per hoc quod subdit: *Si moram fecerit, expecta illum: quia ccce veniens* in primo adventu, *veniet* in secundo, supple.

Quarta sequitur, quòd Christus in suo adventu erat daturus vitam gratiæ & gloriæ credentibus in eum, per hoc quod subdit: *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus: quia justus ex fide vivit.* Iste ergo supradictus Judex promissus est à Deo ipsi *Habacuc* venturus ad satisfaciendum querimoniæ suæ, scilicet ad puniendum malos, & liberandos fideles H de potestate infidelium, & impiorum.

Sed est advertendum, quòd ille populus captivus non curabat de afflictionibus aliorum populorum, nec de captivitate spirituali, in qua totum genus humanum jacebat sub potestate diaboli. Nec curabat de patribus existentibus in limbo inferni: sed solum curabat de afflictione sua temporali. Et ideo non petebat, nisi vindictam corporalem de *Nabuchodonosor*, & de *Chaldæis* eos affligentibus, & de liberatione temporali eorum, ut libere possent

sent redire in *Hierusalem* illam materialem. Sed Deus quia est omnium hominum creator & conservator, ideo omnes debebat liberare, non solùm in corpore, sed principaliter in anima : & ideo plura promittit, quàm populus ille petebat. Et sic Deus non solùm punivit *Nabuchodonosor*, & Chaldæos, qui affligebant illum populum ; sed etiam diabolum, qui tyrannicè tenebat totum genus humanum in captivitate : & non solùm liberavit illum populum de illa Babylonica captivitate temporali, sed etiam liberavit totum genus humanum de captivitate diaboli spirituali. Et ideo primò de propinquo promittit vindictam contra *Nabuchodonosor*, & filium ejus *Evilmerodach*, & *Balthasar* nepotem ejus, simul cum civitate & regno Babyloniæ : exinde promittit liberationem illius populi per *Cyrum* Regem Persarum. Sed postea Christus in primo adventu liberavit spiritualiter genus humanum per mortem, & passionem suam, & punivit diabolum, & ejecit ipsum foras. Et postea in secundo adventu totaliter puniet in æternum diabolum cum membris ejus, & præmiabit bonos in æterna felicitate. Et sic expoliatio & destructio *Babylonis* fuit figura expoliationis & destructionis regni diaboli.

Civitas terrena dicitur Babylon.

Ad cujus majorem intellectum est iterum notandum, quòd sicut tota Ecclesia Christi, & civitas Dei dicitur *Hierusalem*, eò quòd est visio pacis, & quia incœpit & derivata est ab illa Hierusalem materiali, ut sæpiùs dictum est : Ita pariter civitas terrena, & regnum diaboli dicta est *magna Babylon*, eò quòd est civitas confusionis & discordiæ : & quia ex illa Babylone materiali diffusa est per totum orbem tempore divisionis linguarum : & quia in illa Babylone incœpit superbia & violenta dominatio, & tyrannis, primò per *Nemrod*, & *Belum*, & *Ninum* ; & sic perseveravit usque ad Nabuchodonosor &c. & sic diffusa est tyrannis per universum orbem. Ideo communiter in Sacra Scriptura per *Babylonem* spiritualiter intelligitur regnum diaboli : & per *Hierusalem* intelligitur civitas Dei, scilicet Ecclesia : quia una fuit figura alterius. Nam sicut illa civitas *Babyloniæ* cum suis principibus semper afflixit, & persecuta est, & destruxit illam *Hierusalem* cum Templo : ita regnum diaboli & civitas infidelium semper persecuta est Ecclesiam.

Et ideo Deus primò revelavit ipsi *Isaiæ*, & *Jeremiæ*, & *Habacuc* destructionem illius civitatis *Babyloniæ* cum Principe suo, & liberationem & reædificationem ipsius *Hierusalem* materialis. Sed per istam revelavit eis futuram destructionem, & punitionem diaboli & regni ejus, & futuram redemptionem, & liberationem, & reædificationem spiritualem Ecclesiæ per Christum faciendam. Et ita novit, & prævidit ex revelatione & spiritu prophetico utramque destructionem, scilicet illius *Babyloniæ* particularis, & universalis, scilicet diaboli : & prævidit utramque liberationem, scilicet illius populi per *Cyrum*, & totius Ecclesiæ per Christum faciendam.

Ex quibus patet, quòd *Habacuc* habuit duplicem spiritum prophetiæ in hoc libro. Nam per tale lumen & spiritum propheticum, non solùm attigit futuram destructionem *Babyloniæ* faciendam de propinquo per *Nabuchodonosor*, & liberationem faciendam per *Cyrum*, quod pertinet ad unicum spiritum ; sed ille spiritus duplex transivit ultra illam destructionem, & liberationem, & attigit usque ad Christum, & Ecclesiam universalem.

Omnia ista ergo prævidens *Habacuc* per divinam responsionem, & liberationem ; duo facit. Primò enim explicat divinam responsionem in hoc *secundo Capitulo*. Secundò, agens gratias, explicat intellectum divinæ revelationis sibi factæ : & hoc, in *Cantico* scripto in *tertio Capitulo*.

Divisio Cantici.

Quia ergo in principio *secundi Capituli* Deus promisit mittere supradictum punitorem malorum, & liberatorem justorum, & datorem vitæ ipsis credentibus, & pœnæ ipsis incredulis : Nunc in secunda parte enumerat vitia quæ debet extirpare, & gentes quas debet punire. Aut explicat peccata quæ regnabant in *Babylone*, & in universo mundo, propter quæ illa civitas erat de propinquo punienda per *Cyrum*, & *Darium* : & ex consequenti universalis *Babylionia* erat punienda & destruenda per Christum in primo, & secundo adventu.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd cùm superbia sit initium omnis peccati ; ideo omnia ista peccata nascuntur ex superbia. Unde cum superbus non velit compati majorem, illico prorumpit in rebellionem & inobedientiam, nec compatitur æqualem. Ideo prorumpit in violentiam, quia omnes vult suppeditare ; & exinde in rapinam, & avaritiam, alienа rapiendo : & exinde in homicidia, possessores occidendo : & exinde venit in contemptum Dei & proximi, & etiam in gulam & luxuriam ex abundantia & pinguedine bonorum. Sed ex contemptu Dei prorumpit superbus in detestabiles superstitiones, putà, in idololatriam, & divinationes, & observationes, & alios ritus nefandos. Sed quia in *Babylonia* & Principe ejus ab initio suæ fundationis regnavit superbia, ut patet *Genes.* 11. Ideo semper regnarunt ex consequenti omnia vitia sequentia. Et ideo *Nabuchodonosor* postquam subjecit sibi *Babyloniam*, in

Superbia peccati initium.

magnam ſuperbiam elatus, ſubjecit ſibi omnia regna finitima cum multo ſanguine hominum effuſo: & in tantum fuit cor ejus elatum, quòd contempſit Deum & homines; & ſic deſtruxit civitatem *Hieruſalem*, & Templum incendit, & ſacra vaſa in *Babylonem* aſportavit: & ſic ſecutus eſt ritus nefandos, & ſuperſtitiones; immò fecit ſtatuam auream, in qua ſe fecit adorari. Et in hac ſuperbia ſecutus eſt eum filius ejus *Evilmerodach*, & *Balthaſar* nepos ejus. Quæ quidem ſuperbia cum vitiis ſequentibus & ſuperſtitionibus derivata eſt à *Babylonia*, & diffuſa eſt per totum orbem: & ſic regnabat in toto mundo in populo Infideli. Ideo totus populus Infidelium & peccatorum dicitur *Babylonia* in Sacra Scriptura: cujus caput eſt diabolus. Et ideo Deus miſit *Cyrum*, & *Darium* ad puniendum illam *Babyloniam* particularem cum Principe ejus, in quibus regnabant vitia ſupradicta: ſed poſtea miſit Filium ſuum ad puniendam univerſalem *Babyloniam* hujus mundi, & ad liberandum Eccleſiam, ut patebit. Et hoc eſt, quod Deus intendit dicere ipſi Prophetæ in reſiduo *ſecundi Capituli.*

Superbia derivata à Babylonia.

Unde dicit: Tu *Habacuc* in perſona populi conqueris, quòd ego video contemptores Dei & hominum, & laceratores Legis, & quòd taceo *impio conculcante juſtiorem ſe &c.* Et ego reſpondeo tibi, & promitto mittere punitorem malorum, & liberatorem juſtorum, qui non ſolùm puniet *Babyloniam* iſtam particularem, ſed etiam univerſalem, in qua regnat ſuperbia cum omnibus vitiis ſequentibus. Et ideo primò puniet in ea ſuperbiam. Nam ſicut vinum decipit poteſtatem, & vituperat, & minuit honorem Principis: ita ſuperbia obcœcat, & deſtruit, & vituperat Principem. Et ſic *Nabuchodonoſor*, & quilibet ſuperbus, qui dilatavit regnum, & rapuit aliena, cadet per ſuperbiam, & punietur ab iſto Judice; primò, Judicio particulari; ſecundò, Judicio univerſali in corpore & animâ. Et ideo in adventu hujus Judicis, *væ illi* Principi, & cuicumque *qui multiplicat non ſua &c.* quia punietur hîc temporaliter, & in Judicio generali æternaliter. Item, *væ* cuique avaro *qui congregat avaritiam.* Item, *væ* cuique homicidæ *qui ædificat civitatem in ſanguinibus &c.* Item, *væ* Nabuchodonoſor, & cuique contemnenti Deum & proximum, & cuique ſacrilego, quia punietur ab hoc Judice, ſicut punitus eſt *Nabuchodonoſor*: quia combuſit Templum, & laceravit Legem. Item, *væ* cuique idololatræ qui quærit, & expectat auxilium ab idolo ligneo, vel argenteo, in quo non eſt ſpiritus vitæ. Quaſi dicat: quod omnia peccata ſupradicta punientur ab iſto Judice venturo. Ideo concludit: *Dominus in Templo ſancto ſuo: ſileat à facie ejus omnis terra.* Quaſi dicat: quòd *Babylonia* & totus mundus colit idola lignea *cooperta auro & argento*, in quibus non eſt anima; ſed veniet *Dominus in Templo ſancto* ſuæ humanitatis, ſcilicet carne indutus: qui deſtruet omnia idola, & peccata ſupradicta, & *ſilebit à facie ejus univerſa terra*: quia deſtructis idolis ſubjiciet ſibi totum orbem: & adorabitur ipſe ſolus *in Templo ſancto ſuo* incarnatus & humanatus: quia ſæpè dictum eſt, quòd illa humanitas eſt proprium Templum Dei, in quo habitat perſonaliter &c.

Ex ſupradictis poteſt patere benè conſideranti & contemplanti totum hoc *ſecundum Capitulum*, quòd Deus non ſolùm comminatur punitionem *Nabuchodonoſor*, & illius particularis *Babyloniæ;* ſed principaliter intendit comminari punitionem *magnæ meretricis* univerſalis *Babyloniæ.* Nam licèt illa *Babylonia* cum ſuo Pricipe tunc fuerit punita per *Cyrum*, & ille populus Judaicus fuerit liberatus: tamen hoc fuit in figura univerſalis liberationis & redemptionis factæ, ſive faciendæ per Chriſtum, quam principaliter prævidit, & intendit prædicere Propheta in hoc *Capitulo.* Nam conditiones quas Deus promittit & aſſignat in hoc Capitulo, non conveniunt illi liberationi particulari, nec illi punitioni: quia punitio Babylonica, & liberatio Judæorum facta eſt de propinquo: ſed in textu promittitur ille punitor & liberator procul & de longinquo, cùm dicitur: quia *adhuc viſus procul; & ſi moram fecerit, non tardabit.*

Item, ille Cyrus, qui liberavit Judæos, & punivit *Balthaſarem* Regem Babylonis, non dedit vitam credentibus, nec pœnam incredulis; nec erat neceſſaria fides ad credendum in eo, ſicut dicitur in textu, ſcilicet *Juſtus in fide vivit &c.* Item, in illa liberatione non apparuit Dominus *in Templo ſancto ſuo*, ſcilicet humanitate & carne, nec ſiluit *à facie ejus omnis terra*, ſicut dicitur in textu: immò regnavit idololatria cum omnibus aliis vitiis & ſuperſtitionibus uſque ad Chriſtum. Et ideo tota iſta comminatio & punitio dirigitur ad univerſalem *Babylonem meretricem magnam*, cujus punitionem & damnationem deſcripſit *Joannes, Apocal.* 17. & 18. Nam ſi quis diligenter vult contemplari & ſpeculari, videbit, quòd eadem punitio Babylonis deſcribitur hîc, & ibi; & idem punitor & liberator, & eadem vitia deſcribuntur per Chriſtum punienda in judicio hîc, & ibi.

Unde primo venit Chriſtus *in Templo ſancto* ſuæ humanitatis, & punivit caput & Principem hujus magnæ Babylonis: quia infernum expoliavit, & ipſum diabolum foras miſit, quando omnia idola con-

confregit, & omnia vitia ſupradicta in populo Gentili extinxit, & totum orbem Euangelicæ fidei ſubjecit: & ſic *ſiluit à facie ejus univerſa terra.*

Caput Babyloniæ diabolus.

Sed quia diabolus, caput & princeps hujus Babylonicæ civitatis adinvenit ſibi alias vias, ſcilicet, ſectam Saracenicam, & alias hæreſes, & enormia, & deteſtabilia ſcelera, quibus dilatavit & ampliavit regnum & civitatem ſuam, cum qua fornicati ſunt Reges, & Principes, & populi Infideles, & Judæi obſtinati, & cæteri peccatores & impœnitentes hujus mundi: ideo veniet Chriſtus in fine mundi, & condemnabit iſtam *magnam meretricem* cum principe ſuo ad pœnam æternam, & liberabit civitatem ſuam, ſcilicet Eccleſiam, ab omni perſecutione, & miſeria corporis & animæ per glorioſam reſurrectionem, tribuendo ipſi vitam æternam, ut patet per *Joann. in Apoc. cap.* 17. uſque in finem. Et hanc eamdem damnationem & punitionem comminatur Deus per Prophetam *Habacuc* in hoc Capitulo contra diabolum & civitatem ſuam per Chriſtum faciendam.

Sed miſeri & cœci Judæi non poſſunt capere, nec percipere hoc ſacramentum: Ideo totum hoc Capitulum ſolum intelligunt de punitione illius particularis *Babyloniæ*, & totum Canticum in Capitulo ſequenti exponunt de dicta punitione, & de liberatione particulari illius populi Judaici. Et hoc accidit, quia non percipiunt duplicem ſpiritum propheticum, ſicut dictum eſt in *Prologo*, *Tractatu* 2. & 3. Nos autem Chriſtiani, quibus *datum eſt noſſe myſterium regni Dei* clauſum in Lege & Prophetis, habitâ catholicâ intelligentiâ prædictorum duorum capitulorum, procedamus ad Expoſitionem hujus Cantici, quod *Habacuc* ſcribit in tertio Capitulo: in quo licèt Eccleſia tremat divinum judicium, & punitionem, & damnationem impiorum ſibi revelatam: tamen gaudet, & agit gratias de univerſali redemptione, & Salvatore ſibi promiſſo. Cui Cantico præponitur talis titulus, ſcilicet, *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantiis.*

Oratio multiplex

Unde cum omnis oratio ſit, aut deprecativa, aut laudativa, aut gratiarum activa, aut narrativa: iſta continet omnes modos orationis: quia omnia iſta obſervat Propheta in hac Oratione. Nam primò deprecatur Deum, ut mittat Salvatorem promiſſum. Secundò, laudat & commendat majeſtatem hujus Salvatoris. Tertiò, narrat ejus victoriam. Quartò, agit gratias, ut patebit. Ideo hoc Canticum intitulatur: *Oratio* ipſius *Habacuc Prophetæ*. Sed quia ille populus ex ignorantia judiciorum Dei conquerebatur contra Deum; unde Deus revelavit Prophetæ adventum Chriſti Judicis, qui erat malos puniturus, & juſtos liberaturus & ſalvaturus, quæ omnia iſta erant ignorata in illo populo: ideo Propheta pro myſteriis ſibi revelatis, & in illo populo ignoratis fecit iſtam Orationem, agendo gratias. Ideo dicitur *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorantiis* illius populi, ſupple, id eſt, pro myſteriis ignoratis toti mundo, & ſibi revelatis in ſpiritu & lumine prophetico. Alia autem littera habet: *Pro ignorantibus*, popularibus fragilibus, ſupple.

Unde cum iſta oratio ſit deprecativa, & commendativa, & narrativa, & gratiarum activa: quatuor facit Propheta. Nam primò orat Deum Patrem, ut mittat Salvatorem promiſſum. Secundò, commendat majeſtatem & dignitatem hujus Salvatoris in ſuo adventu, & ejus victoriam contra diabolum. Tertiò, explicat, & narrando prædicit victoriam ejus contra populum Gentilem. Quartò, prædicit conſolationem prophetiæ, & totius Eccleſiæ, gratias agendo. Secunda ibi: *Deus ab Auſtro veniet.* Tertia ibi: *Pro iniquitate vidi.* Quarta ibi: *Audivi, & conturbatus eſt venter meus.* Dicit ergo Propheta ad primum:

Domine audivi auditionem tuam, & timui.

22. q. 2. *cap. Quælibet.*

Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.

In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

O *Domine* Deus, ego *audivi*, id eſt, duplici ſpiritu intellexi *auditionem*, id eſt, reſponſionem, & locutionem, & revelationem tuam: & *timui.* Unde ſicut eadem lectio dicitur doctrina & diſciplina (dicitur enim *doctrina* reſpectu magiſtri docentis, & *diſciplina* reſpectu diſcipuli; quia eadem eſt via ab *Athenis* ad *Thebas*, & è converſo) ita pariter eadem vox dicitur *locutio* reſpectu Dei, & *auditio* reſpectu Prophetæ in hoc loco. Quaſi dicat: O Domine, ego *audivi* & intellexi in tua reſponſione multa admiranda, quæ ſunt ſupra humanam facultatem, ſicut eſt myſterium Incarnationis, & *audivi* multa quæ ſunt tremenda: ſicut eſt Judicium, & punitio malorum. Et ideo *timui*, & expavi.

Nam primò ego audivi & intellexi ex tua reſponſione, qualiter debes mittere iſtum Salvatorem & liberatorem hujus populi; & quomodo debet punire *Nabuchodonoſor*, & *Babylonem* cum omnibus *Chaldæis*, qui incenderunt Hieruſalem cum Templo, & affligunt continuè populum tuum juſtiorem eis: & hoc propter ſuperbiam

biam & sequentia peccata & scelera, quæ ibi regnant. Sed quia ex hoc, & per talem particularem destructionem & punitionem *Babylonis* particularis prævidit in duplici spiritu & lumine prophetico, qualiter iste Salvator in finali Judicio debet punire & condemnare magnam meretricem *Babylonis*, scilicet, civitatem diaboli cum principe suo, & membris suis, qui fornicati sunt cum ista magna meretrice per superbiam, & avaritiam, & violentiam, & homicidia, & luxuriam, & idololatriam, & alias nefandas superstitiones: ideo *timui* judicium tanti Judicis. A

Sed quia in tali responsione audivi multa utilia beneficia, quæ generi humano debet afferre iste Salvator: ideo fui consolatus. Nam non solùm debet liberare populum Judaicum de ista particulari captivitate, sed etiam promisisti, qualiter debet venire in carne, & habitare *in templo sancto* suæ humanitatis; & *omnis terra* debet silere *à facie ejus*, quia totum mundum debet sibi subiicere, & vivificare, & justificare peccatores: quia *justus in fide vivit*. Quapropter rogo, ut venias ad vivificandum, & justificandum nos. Nam totum genus humanum jacet mortificatum propter peccatum primi parentis, qui descendit ab *Hierusalem* in *Jericho*, & incidit in latrones, qui ipsum expoliaverunt bonis gratuitis, & percusserunt, & sauciaverunt, & plagaverunt, & semivivo relicto abierunt. Et sic *opus tuum* quod creasti, & manus tuæ formaverunt, jacet in via hujus mundi sauciatum & mortificatum: ergo *vivifica illud* per tuam mortem & passionem & resurrectionem. B C

Et quia dixisti superius in *secundo Capitulo: Quia adhuc visus est procul, & apparebit in finem, & non mentietur*: ideo rogo, quòd non differas opus tuum vivificare in fine annorum, & in fine mundi. Sed veni primò in carne in fine annorum ante finem mundi in primo adventu, & *vivifica* illud *opus tuum* quantum ad animam à morte peccati: & postea venies in fine annorum in potestate magna & majestate; & tunc vivificabis nos quantum ad corpus per gloriosam resurrectionem.

Medium capitur dupliciter

Et nota, quòd *medium* non sumitur hîc pro medio geometrico, nec etiam arithmetico: sed sumitur pro medio excludente principium & finem: sicut dicimus, quòd quicquid est inter *Valentiam* & *Romam* est in medio earum. Et ita rogat & orat Propheta Dominum, ne differat adventum suum ad salvandum genus humanum usque ad finem mundi: sed veniat *in medio* ante finem. Potest etiam dici *medium rationis*, respectu Dei, qui novit in sua ineffabili providentia, quando fuit opportunum mittere Filium suum &c. Ideo dicit Propheta: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud*, id est, ante finem mundi. D E

Item, quia istud non fuit sauciatum & mortificatum ex culpa tua, sed ipsius: quia potius voluit credere diabolo & obedire, quàm tibi: unde tu fuisti iratus contra ipsum, in potestate diaboli relinquendo, & à facie tua abiiciendo. Tamen licèt per magna tempora fueris iratus, talis ira non erit perpetua: immò finaliter *misericordiæ recordaberis*, & *notum facies* Salvatorem operis tui *in medio annorum*, id est, ante finem mundi, in tempore à te statuto: quia quando veniet plenitudo temporis per tuam providentiam constituti, mittes Filium tuum natum ex muliere secundùm carnem &c.

Translatio autem ipsorum Septuaginta habet: *In medio duorum animalium cognosceris*. Et tunc est sensus, id est, cognosceris in medio duorum Testamentorum, quæ per duo animalia designantur & figurantur. Nam *Testamentum vetus* designatur per asinum: eò quòd semper fuit sub jugo servitutis, & portabat onera importabilia præceptorum cærimonialium. Et *Testamentum novum* designatur per vitulum liberum sine jugo. Et etiam Christus fuit notus & inventus in *Bethlehem* in medio duorum animalium, scilicet bovis, & asini in præsepio. Et etiam duo Testamenta dicuntur *duo anni divinæ legis*. Nam Testamentum vetus dicitur annus servitutis & iræ: sed Testamentum novum dicitur annus misericordiæ, & gratiæ, & liberatis, & benignitatis, ut dictum est *Psalmo* 64. Et ideo dicit Propheta: *In medio* duorum *annorum* legis, scilicet iræ, & misericordiæ *notum facies* Salvatorem: quia *cùm iratus fueris* per totum annum veteris Testamenti *misericordiæ recordaberis* in fine illius anni veniens in carne, & institues *annum* gratiæ, & misericordiæ, & benignitatis: & sic *notum facies* Salvatorem, & *opus* tuæ salutis *in medio* istorum duorum *annorum*, sive *animalium*. F G

Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. H

De Const. d. 3. cap. ultimo.

Operuit cœlos gloria ejus: & laudis ejus plena est terra.

De Summa Trinit. & Fide Catholic. cap. 1.

Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus:

De Conse. d. 2. Sacrificium.

Ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors.

Et

Et egredietur diabolus ante pedes ejus.

HÆC est secunda pars, in qua Propheta commendat majestatem hujus Salvatoris, prædicendo primum adventum ejus in carne ; & prædicit etiam victoriam Christi contra diabolum in sua morte & passione.

Christi Nativitas duplex.

Ad cujus intellectum est primò notandum, quòd cùm Christus sit Deus & homo, duplex legitur ejus nativitas & ortus: nam una est æterna à Patre sine matre, & altera temporalis à Matre sine patre. De nativitate humana temporali dicitur *Micheæ* 5. *Tu Bethlehem terra Ephratha* Juda *parva es in millibus Juda : ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Sed de nativitate divina & æterna subdit: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Has ergo easdem duas nativitates memorat *Habacuc* de Christo, dicens: *Deus*, id est, Jesus Christus Deus & homo secundùm divinitatem, & æternam generationem *veniet ab Austro*, & à Meridie, id est, ab æternitate, quæ semper est tota simul in Meridie, non habens manè, nec vesper, nec principium, nec finem, sed semper est in Meridie. *Et* idem Christus *sanctus* sanctorum sine macula secundùm humanam & temporalem nativitatem, veniet *de monte Pharan*, id est, de monte denso & umbroso. *Pharan* enim *umbrosum* & *densum* interpretatur.

Hoc dicit: quia Christus licèt fuerit lucidus sine peccato, tamen descendit secundùm carnem de monte tenebroso, id est, ab *Adam* peccatore, & ab *Abraham* & *David* per Reges & Duces, qui omnes fuerunt umbrosi quoad originale, & multi eorum fuerunt umbrosi in multiplici genere peccatorum. Et etiam dicit, *de monte umbroso* : quia tota humana generatio fuit infecta & umbrosa in Adam : unde notanter dicitur : *Sanctus veniet de monte Pharan.* Quasi dicat : licèt iste Salvator Deus & homo secundùm humanitatem descendat & veniat *de monte* & generatione humana umbrosa per peccatum: tamen ipse erit *sanctus*, & immunis ab omni peccato secundùm naturam : eò quòd non concipietur de opere Adam, id est, per naturalem generationem ; sed ex opere Spiritus sancti formabitur in utero virginali. Et quia secundùm divinitatem veniet à meridiana æternitate, sed secundùm carnem veniet de umbrosa generatione ipsius Adam : tamen ex opere Spiritus sancti; ideo erit *sanctus sanctorum*, qui omnes alios poterit sanctificare. Item, licèt veniat *in similitudinem carnis peccati:* tamen erit *sanctus* sine umbra peccati.

Christus dicitur Filius Legis veteris.

Item, secundùm *Augustinum*, ut dictum est *Psal.* 57. Christus est, & dicitur *Filius Legis veteris* : eò quòd latebat obumbratus in utero legis, & sub umbra legalium cærimonialium, & antiquorum mysteriorum : & sic tota Lex vetus dicitur *mons umbrosus*, in quo Christus latebat ante adventum suum. Et ideo dicit Propheta, quòd *Dominus* Jesus Christus *veniet ab Austro* ; & meridiana æternitate secundùm divinitatem : sed secundùm humanitatem *veniet de monte* umbroso, id est de lege veteri umbrosa, in qua latebat, & fuit promissus. Et ideo Translatio Septuaginta dicit: *Dominus de Teman*, id est de meridie ; *veniet, & sanctus de monte umbroso*, aut denso, id est, umbrosa generatione ipsius Adam, & de lege umbrosa, in qua latebat.

Et ideo sequitur, quòd licèt iste Christus venerit de monte umbroso ; tamen quia ortus sine peccato, & quia Deus veniens à luce meridiana & divina, ideo *gloria ejus operuit cœlos* ; quia in die nativitatis cantarunt Angeli : *Gloria in excelsis Deo :* & apparuit nova stella in cœlo, & multa alia signa glorioſa fuerunt facta. Nam in illa hora omnia idola mundi clamaverunt, Regem pacis esse natum. Et ideo subdit, quòd *laudis ejus plena est terra.* Item, *gloria* & virtus hujus Christi *operuit cœlos*, id est Apostolos in die Pentecostes, distribuens eis omnia dona gratiarum: de quibus dicitur in *Job: Spiritus Domini ornavit cœlos.* Et ideo *laudis ejus plena est terra* per prædicationem Apostolorum : quia *in omnem terram exivit sonus eorum &c.* Item, dum Christus peregrinatus est in hoc mundo, *operuit cœlos*, & superavit cœlos gloria ejus in sapientia doctrinæ, & miraculorum operatione : & sic *laudis ejus plena est terra.*

Ideo sequitur : *Splendor ejus*, id est, virtus miraculorum, & doctrina Euangelica *erit ut lux*, præbens iter vitæ omnibus, & fugans omnes tenebras vitiorum & peccatorum. Cujus lux non solùm fugavit, & vicit peccata quoad doctrinam, sed etiam ipse per mortem crucis & passionem delevit omnem culpam, & triumphavit de diabolo. Ideo sequitur: Et *cornua* triumphi & trophæi *in manibus ejus.* Nam conclavatus & affixus cornibus crucis, expugnabit & debellabit diabolum. Nam ibi dabit vitam & sanguinem in pretium generis humani. Et sic descendet & expoliabit infernum : & ex sua passione conferet virtutem Sacramentis ad omnia peccata delenda. Ex quibus patet, quòd *cornua* triumphi erunt *in manibus ejus* cruci affixis.

Ideo subdit, quòd *ibi*, scilicet in cruce, fuit *abscondita fortitudo ejus.* Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est *Psalmo* 21. quòd Christus in illo tri-

Christus inter duo in potestate Judæorum est derelictus

triduo fuit derelictus in potestate Judæorum: quia Christus noluit uti sua potestate. Ideo dixit *Petro*: *An putas quia non possum rogare Patrem: & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? &c.* Quapropter fortitudo Christi ibi erat abscondita, cum qua poterat eos annihilare & dissipare. Sed pro illa hora noluit exercere virtutem suam contra Judæos. Et ideo putantes Judæi ipsum à Deo esse derelictum, dixerunt: *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, & liberet eum si vult.* Verumtamen exercebat ipsam contra diabolum, & contra mortem: quia moriendo vincebat diabolum, & vivificabat nos. Ideo fortitudo Christi in absconso, & non manifestè operabatur in cruce: quia diabolum & *mortem nostram moriendo destruxit* in abscondito.

Ideo dicit Propheta: quòd *ibi* in cruce *abscondita est fortitudo ejus* quoad Judæos, & operabatur in absconso, mortem & diabolum occidendo. Ideo subdit, quód *ante faciem ejus ibit*, & fugit, & fuit mortua *mors*, & *diabolus egredietur*, & fugiet victus *ante pedes ejus*: quia pede conculcavit tartara, & confregit vectes ferreos, & portas æreas, & expoliavit infernum, & trusit diabolum in eum. Ex quo patet, quòd ly virtus & *fortitudo* Christi fuit abscondita Judæis in cruce: tamen fuit manifesta in inferno. Deinde cùm dicit:

7. q. 1. Suggestiũ, & de Consec. d. 4. Propriè.

Stetit, & mensus est terram.
Aspexit, & dissolvit Gentes: & contriti sunt montes sæculi.
Incurvari sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.

HIC incipit versus & sententia in Hebræo. Sed hoc potest dupliciter intelligi. Uno modo sequendo victoriam quam Christus habuit de inferno. Secundo modo potest intelligi de subjugatione Gentilium. Quoad primum dicit Propheta: quòd licèt Christus absconderit fortitudinem in cruce: tamen mors fugit ante faciem ejus, & vicit eam per resurrectionem: quia *mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit: & diabolus egredietur* & fugiet *ante pedes ejus*, quando descendet in infernum. Et iste Christus postquam ingressus est infernum *stetit* ibi per quadraginta horas: & sedit tamquam Judex & Dominus, & *mensus est*, & mensuravit totam terram inferni, scilicet omnes quatuor circulos inferni, putà, Limbum Patrum, Purgatorium, Limbum puerorum non baptizatorum, nec circumcisorum, & Infernum damnatorum.

Omnia ista loca mensuravit & peragravit per potentiam, & *aspexit* eam, & *dissolvit* eam, & liberavit *Gentes* Patrum & Fidelium veteris Testamenti existentium in illa terra. Vel *dissolvit* & dissipavit Gentes dœmoniorum. Et tunc *contriti sunt montes sæculi*, id est, montes inferni, & majores dœmones, qui à sæculo erant ibi, fuerunt contriti & perterriti ex præsentia Christi: & *colles mundi curvati*, & humiliati, & victi *sunt*, & depressi *ab itineribus æternitatis ejus*, id est, ex itinere & ingressu Christi æterni. Quasi dicat: quòd sicut montes & altitudines terræ applanantur, & curvantur, & deprimuntur ex æterno & continuo itinere gentium transeuntium, maximè quando transit aliquis magnus exercitus: ita fuit curvata, & depressa, & facta plana superbia & potestas inferni in ingressu & transitu Christi.

Hoc etiam quasi idem dicit *David Psalm.* 75. Unde ait, quòd *ibi confregit potentias* dœmonum, *arcum, scutum, gladium, & bellum*: *illuminans* tunc *mirabiliter à montibus æternis*, *turbati sunt omnes insipientes corde*: quod fuit expositum de ingressu Christi in infernum, & de victoria habita de diabolo. Unde *montes* inferni dicuntur itinera æternitatis, per quæ postea Christus est ingressus. Ideo dicitur, quòd *colles mundi* infernalis *sunt curvati ab itineribus æternitatis ejus*, scilicèt inferni æterni, & æternitatis inferni. Et sic ly *æternitatis ejus* refertur ad æternitatem inferni, per cujus itinera non intrabunt nisi damnati & scelerati: & ideo fuerunt contriti & curvati ex ingressu Christi sancti & justi.

Christus spoliavit Purgatorium.

Unde dicunt quidam quod Christus non solùm expoliavit Limbum, sed etiam Purgatorium, propter adventum tanti Regis & Domini. Item dicunt, quòd etiam abstraxit aliquos de Limbo incircumcisorum & imbaptizatorum, & etiam de inferno damnatorum, ut ostenderet se habere verum dominium super omnia loca inferni, sicut habet dominium super omnes cœlos, & super omnes partes terræ. Et ideo dicitur, quod *dissolvit gentes*, & *mensus est terram.*

Item secundo, hoc ibidem potest exponi de prædicatione Christi. Nam in tribus annis cum dimidio mensus est, & perlustravit terram promissionis prædicando, & miracula faciendo, & vitia carpendo & destruendo, usque ad partes *Tyri* & *Sydonis*, ubi liberavit filiam *Cananææ*, quæ erat de populo Gentili. Et ideo dicit, quòd *dissolvit Gentes* & *aspexit Gentes*, & sic *contriti sunt montes sæculi*, & *curvati sunt colles mundi*, id est, diaboli, & majores hujus sæculi & minores fuerunt *contriti ab itineribus æternitatis*, id est Deitatis Christi.

Item

Item tertiò, potest intelligi de prædicatione Apostolorum, & conversione populi Gentilis. Nam Christus *stetit & mensus est*, & perlustravit totam terram per Apostolos suos, *& aspexit* oculo misericordiæ ad populum Gentilem, *& sic dissolvit Gentes* à vinculo idololatriæ, & omnis superstitionis. *Et contriti sunt montes*, id est, Imperatores, & Reges *sæculi:* & *incurvati sunt colles*, id est, Philosophi, & populi hujus mundi humiliati sunt ad Fidem Catholicam, sicut *Dionysius*, & cæteti Philosophi, & Imperium Romanorum cum cæteris Regnis & Provinciis, sicut prius prophetaverat *Isaias* 40. *c. Omnis collis exaltabitur, & omnis mons humiliabitur; & erunt prava in directa, & aspera in vias planas &c.*

A

Et nota etiam, quòd ly *stetit*, *& mensus est terram*, potest referri ad diabolum victum, & expulsum à populo Gentili per Christum, & Apostolos. Nam postquam diabolus fuit expulsus de populo Gentili, lustravit *& mensus est terram*, & omnes nationes mundi, *quærens requiem*, *& non invenit*: quia *in omnem terram exhivit sonus* & prædicatio Apostolorum. Et sic diabolus à toto populo Gentili expulsus, dixit: *Revertar in domum meam*, *unde* priùs *exivi* tempore Abrahæ & Moysis. Et *immundus spiritus* assumptis septem nequioribus se, ingressus & regressus est in populum Judaicum, & in Synagogam, in quam habitat usque ad consummationem & finem sæculi cum septem spiritibus nequioribus, scilicet cum blasphemia, & sacrilegio, & homicidio, & ingratitudine, & cæcitate, & obstinatione &c. & sic patet, qualiter diabolus fugiens ante pedes Christi mensus est terram.

B

C

Christus homo de mõte Pharam &c.

Ad majorem autem evidentiam eorum quæ dicta sunt est ulterius notandum, quòd Christus in quantum homo multipliciter dicitur venisse *de monte Pharam*, id est, umbroso. Primò, in quantum sine umbra peccati, sed sub umbra pœnalitatum traxit carnem de generatione umbrosa ipsius *Adam*. Secundò, quia venit de monte Sacræ Scripturæ Legis, & Prophetarum, & sub mysteriis umbrosis & vaticiniis fuit promissus. Tertiò, venit *de monte umbroso*, & secretissimo, & incomprehensibili, ratione modi incarnationis: quia non ex opere Adam, sed ex opere Spiritus sancti conceptus est. Ideo dixit Angelus ipsi Joseph: *Noli timere: quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est.* Quartò, venit *de monte umbroso*, ratione suæ nativitatis: quia ex Virgine natus est naturâ mirante, conferendo matri fæcunditatem, & non auferendo virginitatem. Quintò, fuit *umbrosa* & incomprehensibilis tota vita Christi usque ad resurrectionem, in quantum quandoque operabatur ut Deus, miracula faciendo: quandoque ut homo, esuriendo, & comedendo, & patiendo, in tantum quòd non solùm homines, sed etiam diabolus mirabatur, & hæsitabat, non valens comprehendere ejus conversationem, ut patet *Matth.* 4. Sextò, venit *de monte umbroso*, ratione suæ resurrectionis: quia custodientibus & ignorantibus custodibus resurrexit, & exivit de sepulchro clauso & sigillato. Septimò, venit *de monte umbroso*, quando reversus de inferno & hoc mundo umbroso, ascendit in cœlum cum triumpho & præda recuperata, quam in gloria collocavit.

D

E

Omnia ergo ista prævidens *Salomon* in spiritu, *Proverb.* 30. dicit: *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro*, scilicet *via aquilæ in cœlo*, id est, quomodo descendit Deus in Virginem. *Et via navis in medio maris*, id est, conversatio Christi inter homines hujus mundi. *Et via colubri super petram*, id est, quomodo Christus exivit de sepulchro clauso. *Et via viri in adolescentia* sua, id est, quomodo Christus vir perfectus in omni scientia, & sapientia, & virtute potuit concipi sine viro, & nasci ex virgine adolescentula & secreta sine corruptione, relinquendo eam virginem: quæ septem omnia sunt umbrosa & incomprehensibilia super humanam facultatem & naturam. Et sic patet, qualiter Christus *venit de monte umbroso* secundùm humanitatem.

Tria Salomonidificilia.

F

G

Quia ergo Christus venit *ab Austro* & meridie Dei Patris secundùm divinitatem, & de *monte umbroso* septem modis prædictis secundùm humanitatem: ideo Propheta volens hoc explicare, dicit quòd Christus tamquam *Dominus venit ab Austro* Divinitatis: sed *sanctus* sine peccato venit de *monte umbroso* generationis Adam, opere Spiritus sancti. Et ideo non fuit obnoxius peccato Adæ, prout dixit Angelus *Mariæ*: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et ideo quia Christus est Deus & homo *sanctus* sine peccato, subdit Propheta, quòd *operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra*, propter operationem miraculorum: & sic *splendor ejus ut lux erit*, per suam prædicationem mundum illuminando: & *cornua in manibus ejus*, in cruce de diabolo triumphando.

H

Unde licèt ibi in cruce fuerit abscondita gloria ejus & fortitudo, & maximè quoad opinionem Judæorum, quando viderunt ipsum mortuum: tamen *ante faciem ejus ibit*, & abjit, & fugit mors cum diabolo ejus autore, tamquam victa & destructa: quia *mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Et sic diabolus victus *egressus est* conculcatus & fugatus *ante pedes* ipsius

Chris-

Christi : quia fugatus & ejectus est foras à populo Gentili, & hoc modo per Apostolos, qui sunt *pedes Christi* euangelizantes pacem, & bona gratiæ. Et sic *diabolus stetit*, & cessavit ab idololatria, *& mensus est*, & lustravit *terram*, fugiendo prædicationem Apostolorum. Et tunc Christus *aspexit Gentes* oculo misericordiæ, *& dissolvit* eas à vinculo peccati, & jugo & servitute diaboli, & detestabilis idololatriæ. Et tunc omnes *montes*, id est, Imperatores, Reges, & Principes terræ *contriti* & humiliati *sunt*, & subjecti jugo Christi. Et populi, id est, populi Gentilium superbi, *incurvati* sunt Christo: & cessarunt *ab itineribus æternitatis*, id est, ab idololatria, quam à multis sæculis & longis temporibus fuerunt secuti: & omnes Reges & Principes terræ, qui propter idola ante persequebantur Christianos, idola propter Christum postea deleverunt. Et sic fuit incurvata & subjugata omnis potestas jugo Christi, ut dicit *Augustinus*. Et sic patet intelligentia hujus primæ partis secundùm nostram Translationem. Est verum quòd littera Hebraica, secundùm quod jacet punctuata, multum discrepat in verbis & sententia à nostra Translatione. Sed jam dictum fuit in *Prologo libri Psalmorum*, qualiter non est danda fides litteræ Hebraicæ sic punctuatæ propter causas ibi assignatas.

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ : turbabuntur pelles terræ Madian.

Dan. 5. *2. Paralyp.* 14. *Judic.* 7.

HÆC est tertia pars, in qua Prophe-ta explicat, & prædicat victoriam & triumphum, quem Christus habuit de diabolo & populo Gentili. Judæi autem, & quidam Catholici totam istam partem & præcedentem exponunt de triumpho, quem habuit *Cyrus* de Chaldæis & Babyloniis: & quomodo divisit magnum flumen *Euphraten* in 333. alveos. Et quasi pede sicco ingressus est *Babylonem*, & interfecit *Balthasarem* Regem Babylonis, & destruxit civitatem, & transtulit regnum Babylonis ad Persas, *Daniel.* 5. quam captionem & destructionem latius describit *Herodotus*, & *Trogus Pompejus*, & *Justinus*. Unde quia iste *Cyrus* cepit, & punivit Chaldæos, & Babylonios cum Rege suo, & liberavit Judæos de captivitate, dans eis licentiam revertendi in *Hierusalem*, & reædificandi civitatem & templum, ut patet *Esdræ* 1. Ideo totum hoc Canticum exponunt de illa captione particularis *Babyloniæ* præcisè, & de liberatione illius populi Judaici ab illa captivitate.

Sed quia dictum est, quòd utrumque prævidit propheta (nam ipse cum toto populo petebat ultionem de Chaldæis & Regibus eorum affligentibus Judæos, & petebant liberari ab illa captivitate, & redire in *Hierusalem*) Deus majora & plura promisit Prophetæ. Primò, mittere eis *Cyrum* Regem Persarum & Medorum ad puniendum *Babylonios*, & liberandum Judæos de illa captivitate. Sed cum Deus non sit acceptor personarum, sed sicut est creator omnium hominum, & Judex generalis; ita debet totum genus humanum de generali captivitate diaboli redimere & liberare, & diabolum Principem Tyrannum hujus mundi cum suis membris & cum suo regno punire: ideo Deus in duplici lumine & spiritu prophetico ostendit, & revelavit ipsi *Habacuc* redemptionem futuram totius generis humani faciendam per Christum: & revelavit ipsi damnationem *magnæ meretricis* & universalis *Babylonis* cum Principe suo faciendam in finali Judicio. Et sic Propheta per liberationem propinquam & particularem illius populi figuraliter & propheticè prævidit universalem redemptionem generis humani per Christum. Et de hac universali redemptione, & de hoc Redemptore & Salvatore erat decens ut faceret Canticum, de quo habuit altiorem spiritum prophetiæ.

Et ideo licèt hoc Canticum possit applicari ad illam particularem liberationem, in quantum fuit figura universalis redemptionis: tamen non est ibi sistendum: sed semper est transeundum ad principalem, & finalem intentionem ipsius Prophetæ. Immò multa scribuntur in hoc Cantico, quæ valdè extortè & ineptè, immò cum grandi injuria Sacræ Scripturæ possent applicari illi particulari liberationi Judæorum.

Ideo sequendo Catholicam doctrinam *Augustini*, qui hoc Canticum de Christo Salvatore exponit 18. *de Civitat. Dei*, *cap.* 7. est notandum, quòd sicut David *Psalm.* 17. 73. 76. & 83. & in cæteris Psalmis adducit mysteria figurativa, petendo Christum figuratum, & nostram redemptionem figuratam per illa mysteria veteris Testamenti; ita pariter *Habacuc* in isto Cantico adducit sex mysteria veteris Testamenti figurantia Christum & nostram redemptionem: per quæ mysteria petit, ut Christus acceleret adventum suum ad liberandum genus humanum. Et hunc ordinem & consuetudinem servant quasi omnes Prophetæ. Ideo advertat Lector in hoc loco. Et sequendo doctrinam *Origenis*, & *Hieronymi*, & aliorum sacrorum Doctorum, exponenda est etiam ista tertia pars cum sequenti de modo nostræ Redemptionis.

Duplex spiritus propheticus differt à simplici.

Ad cujus intelligentiam est notandum, quòd in hoc differt *duplex spiritus propheticus* à *simplici*. Nam Prophetæ per *sim-*

simplicem prævidebant gesta veteris Testamenti non attingentes futura mysteria de Christo & Ecclesia, sicut dictum est 4. *Reg.* 2. de filiis Prophetarum & *Eliseo* antequam daretur ipsi duplex spiritus prophetiæ. Sed Prophetæ in lumine duplicis spiritus prophetici non solùm prævidebant futuros eventus in illo populo, sed etiam per illos futuros eventus propinquos prævidebant longinquiora futura mysteria de Christo & Ecclesia. Et etiam per mysteria præterita & præsentia veteris Testamenti quasi interpretativè prævidebant futura mysteria de Christo & Ecclesia, sicut frequenter dictum est de *David*.

Et ita iste Propheta *Habacuc*, quia receperat à Deo duplicem spiritum prophetiæ, licèt non in tam alto gradu sicut *David*: tamen in suo gradu & ordine, sicut per propinquam destructionem *Babylonis*, & liberationem, prævidit de longinquo futuram generalem redemptionem per Christum faciendam: ita pariter hoc prævidit interpretando mysteria præterita scripta in veteri Testamento, quæ adventum & triumphum Christi universalem figurabant. Unde sicut *David* allegando mysteria Sacræ Scripturæ, in quibus noverat figuraliter futura mysteria de Christo & Ecclesia appellat Christum, ut veniat in carne ad complendum quod promisit per illa figurativa mysteria, ut patet *Psal.* 63. 76. 79. & 88. &c. ita pariter *Habacuc* in hac tertia parte duo facit. Primò adducit & allegat quædam mysteria veteris Testamenti, in quibus figurabatur adventus Christi, & nostra redemptio, & subjugatio populi Gentilis ad fidem, & triumphus Christi de diabolo & membris ejus, compellendo Christum ut impleat in illis figurata promissa. Secundò, comparat victoriam Christi ad illa mysteria. Ibi: *Egressus es in salutem populi tui.*

Quantum ergo ad primum, Propheta intendit tale argumentum erga Dominum, dicens: O Domine Deus, ego *vidi* in Sacra Scriptura, quòd multotiens populus tuus fuit afflictus ab infidelibus: tamen semper misisti aliquem liberatorem & salvatorem ad liberandum populum: per quos salvatores figurasti, & in figura promisisti mittere Salvatorem totius generis humani. Ergo ne differas mittere eum: nam licèt quandoque tu esses iratus contra illum populum propter aliquod scelus & peccatum commissum, & affligeres populum tuum per infideles propter peccata sua: tamen finaliter *recordabaris tuæ misericordiæ*, & mittebas aliquem salvatorem & liberatorem. Patet per totum librum *Judicum*, & per totum discursum veteris Testamenti. Unde primò, Ego *vidi tentoria Æthiopiæ*, id est, qualiter *Zara* Rex Æthiopum venit cum decies centum millibus hominum contra Hierusalem. Sed *Asa* Rex Hierusalem invocato nomine Domini, exivit contra eum, & vicit eum, & dissipavit exercitum ejus, & fugavit, ut patet 2. *Paral.* 14. per quod fuit figuratum, qualiter Christus Rex & Caput populi Dei, & totius *Hierusalem* spiritualis debebat exire contra diabolum regem Æthiopum, & omnium denigratorum per peccatum, & debebat ipsum vincere & fugare, & fidelem populum de ipsius potestate liberare.

Sed est advertendum, quòd in Hebræo habetur: *Vidi tentoria Chusan.* Et tunc esset intelligendum, qualiter quando populus Israel peccavit in conspectu Domini adorando idola, & tradidit illum populum in manus *Chusan Rasathaim* Regis Syriæ: sed cum populus ductus pœnitentiâ clamaret ad Dominum, tunc misit eis salvatorem, scilicet *Othoniel*, qui liberavit eos, ut patet *Judic.* 3. quod fuit figura, qualiter Deus Pater debebat mittere Christum Salvatorem ad liberandum mundum de captivitate peccati.

Item, in secundo loco adducit historiam figurativam, qualiter *Gedeon* liberavit illum populum de manu Madianitarum, qui venerant contra eos cum tentoriis, ut patet *Judic.* 7. per quod prævidit Propheta generalem redemptionem. Dicit ergo Propheta: *Pro iniquitate* & peccato populi ego *vidi tentoria Æthiopiæ*, sive *Chusan*, turbata, & dissipata, & victa cum toto exercitu. Et *pelles Madian turbabuntur*, id est, tentoria Madianitarum facta ex pellibus & coriis animalium, *turbabuntur* & dissipabuntur, ut patet in locis præallegatis. Quasi dicat: Ego vidi in spiritu per illas victorias præteritas futuram victoriam Christi de mundo & diabolo. Ergo mitte Salvatorem ad liberandum totum genus humanum à peccato & captivitate diaboli, sicut tunc misisti salvatorem ad liberandum illos. Deinde cùm dicit:

Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos: & quadrigæ tuæ salvatio.

Genes. 6. 24. q. 1. c. *Alienus*, & c. *Quecumque. Et de Pœn.* d. 6. §. 1. *Vers. Ideoque.*

HIC adducit tertium mysterium de inundatione diluvii. Unde dicitur *Genes.* 6. quòd videns Deus corruptionem universæ carnis per enormia peccata, iratus contra genus humanum, induxit diluvium super universam terram, & interfecit omnem animam vivam, præter animas quæ ingressæ sunt Arcam, in qua fue-

runt salvatæ super aquas: sed postea Deus recordatus misericordiæ, recordatus est A *Noe*, cunctorumque viventium: & adduxit spiritum misericordiæ suæ super terram, & diminutæ sunt aquæ, & cessaverunt aquæ reversæ in loca sua: & sic restauratum est genus humanum per illam Arcam. Per quod mysterium fuit figuratum, qualiter Christus erat venturus in *quadriga* humanitatis, & debebat ædificare & construere Arcam Ecclesiæ, in qua sola populus fidelium erat liberandus per Christum à diluvio peccatorum, & mortis æternæ: quæ quidem Ecclesia dicitur etiam *quadriga* ducta per quatuor Euangelistas: in qua *quadriga* Euangelica consistit tota nostra *salvatio*.

Ecclesia dicitur quadriga.

Hoc ergo prævidens Propheta in spiritu, dicit: O Domine, *cùm iratus fueris* contra nos in *Adam*, & propter peccata B nostra: tamen finaliter *misericordiæ recordaberis*, sicut recordatus fuisti misericordiæ tuæ post inundationem diluvii: unde O *Domine numquid iratus es in fluminibus*? id est, in aquis fluentibus super terram tempore diluvii: *aut* tunc *furor tuus in fluminibus* aquarum: *aut in mari* & congregatione aquarum fuit tunc *indignatio tua* contra totum genus humanum? quia cataractæ cœli apertæ sunt & pluit super terram quadraginta diebus cum suis noctibus, in tantùm quòd aquæ ascenderunt super altiores montes quindecim cubitis. Et sic tota habitatio facta est unum mare, ubi apparuit *indignatio* & *furor* tuus contra genus humanum. Sed recordatus postea misericordiæ, *ascendisti* C *super equos tuos*, quia misisti spiritum tuum super terram: tunc *quadrigæ* tuæ fuerunt *salvatio* universæ carni.

Unde nota, quòd Deus dicitur sedere super Cherubim tamquam super quadrigam. Et sic Angeli dicuntur equi & quadriga Dei, quando aliquid operatur in mundo. Et sic dicitur ascendisse *super equos & quadrigam* Angelorum, quando descendit super aquas diluvii, ut minuens & fugans aquas, salvaret genus humanum. Item, Angeli fuerunt *equi & quadrigæ*, in quibus ferebatur Arca super aquas. Ideo dicitur: *Quadrigæ tuæ* ferentes Arcam fuerunt *salvatio*.

Angeli dicuntur equi, & quadriga Dei.

Alia Translatio habet: *Et equitatio* D *tua salus*. Unde Christus equitavit, primò super equos humanitatis: & *equitatio* ejus, & cursus per Hierusalem, & terram promissionis, fuit nostra *salvatio*. Sed post Ascensionem equitavit super Apostolos equos suos, & peragravit totum mundum; cujus equitatio in Apostolis equis & quadrigis fuit mundi *salvatio*. Quasi dicat Propheta: O Domine, sicut tunc licèt fueris iratus in fluminibus & aquis contra genus humanum: tamen recordatus misericordiæ, ascendisti equos & currus Angelorum, & descendisti ad tollendum diluvium: & *tuæ quadrigæ* fuerunt *salvatio* E ferentes illam Arcam: ita pariter recordatus misericordiæ tuæ, ascendes equos humanitatis in quadrigam Ecclesiæ, quæ quatuor equis Euangelicis, & quatuor rotis fertur: quæ quidem quadriga & equitatio erit *salvatio* toti generi humano contra diabolum & peccatum. Deinde cùm dicit:

Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es. *Genes. 9.*

F ADducit quartum mysterium figurativum. Unde legitur *Genesis* 9. quòd postquam cessavit diluvium Deus dixit ipsi *Noe*: *Arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit signum inter me & terram: cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis quod pepigi vobiscum: & non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam terram &c.* per hoc mysterium & fœdus prævidit *Habacuc* in spiritu totum mysterium Incarnationis.

Nam illa Iris, sive ille arcus nil aliud est, nisi imago Solis impressa in concavo nubis rorate digestæ. Ideo est signum, quòd pluvia jam cessavit, & ideo causat diversitatem colorum in diversis partibus nubis, secundùm diversitatem partium nubis jam digestæ: sed principaliter causat G tres colores, scilicet, rubeum in suprema parte, & viridem in medio, & cæruleum in profundo: per quod prævidit Propheta, qualiter Deus Pater, qui est fons & principium divinitatis, debebat imprimere imaginem suam in nube humanitatis: id est, mittere Filium, qui est imago Patris, in carne, qui debebat latere in nube humanitatis: in qua Persona sunt tres substantiæ, scilicet Verbum, anima, & caro; ex quibus constituitur unica Persona sub unico esse personali & divino: qui quidem arcus divinus debebat fugare omnem tempestatem, & totum diluvium peccatorum, & sedare omnes tenebras veteris H peccati, & ducere lucem, & serenitatem gratiæ. Ad quem arcum respiciens Pater, non ampliùs debebat recordari veteris peccati: immò Deus respiciens illum arcum, qui est Filius incarnatus, illicò recordatur fœderis promissi inter ipsum & genus humanum. Et sic Pater respiciendo illum arcum in cruce, recordatus fœderis promisi, remisit peccatum toti generi humano &c. Itaque quotiens Filius offert pro nobis suam passionem, Pater numquam negat suam veniam pro nobis. Hoc ergo prævidens *Habacuc* in spiritu, dicit:

Quid sit Iris, seu arcus cœlestis.

cit: O Domine, tu *fuscitans fuscitabis arcum* fœderis tui, quando mittes Filium tuum in carne: tunc *fuscitabis* & verificabis *juramenta* & fœdera, *quæ locutus es*, & promisisti *tribubus*: id est, *Noe*, & omnibus generationibus suis, quando juratsi, quòd quotiens appareret ille *arcus* in nubibus cœli: id est, Verbum in carne, tunc respiciens ad illum *arcum*, non induceres ampliùs diluvium peccatorum super terram. Quasi dicat: Ergo recordare misericordiæ tuæ, & fœderis promissi, & mitte imaginem; scilicet Filium tuum, in nubem humanitatis &c. Deinde cùm dicit: A

Fluvios scindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum transiit. B
Exod. 14.
Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit.

ADducit quintum mysterium de divisione maris Rubri, quando *Moyses* percussit aquas maris Rubri cum virga, & divisit & *scidit* mare Rubrum in divisiones, & transivit Israel illæsus. Sed *abyssus*, id est mare, *dedit vocem suam*, quando Deus intonuit super mare, inducens fulmina & grandinem, & *reduxit aquas maris* super Ægyptios. Et sic *doluerunt*, & submersi sunt *Pharao* & principes ejus: per quod prævidit *Habacuc* totum mysterium Baptismi. C

Christus virga humanitatis divisit aquas.

Nam per hoc quòd *Moyses percussit aquas maris* cum virga, prævidit in spiritu, qualiter Christus, qui est de *radice Jesse*, & *radix & virgultum de terra sitienti*, debebat cum virga humanitatis percutere & tangere aquas; & per ejus contactum debebat præbere virtutem regenerativam aquis ad delendum peccatum. Unde sicut illæ aquæ maris Rubri tactę per virgam *Moysi* præbuerunt iter & viam tutam filiis Israel, ut securè transirent ad aliud littus; sed eædem aquæ in se reductæ per ventum & tempestatem submerserunt Ægyptios: ita pariter aquæ baptismales tactæ virtute passionis Christi mundant hominem à peccato, & præbent viam ad vitam æternam; sed eædem aquæ baptismales submergunt, & extinguunt, & fugant diabolum & peccatum in homine. D

Hoc ergo prævidens *Habacuc* in spiritu, dicit: O Domine, sicut tu *scidisti* & divisisti mare Rubrum, & transivit populus; & *montes*, id est, principes Ægypti, *viderunt* transeuntes Hebræos, & *doluerunt* quando *abyssus dedit vocem suam*, id est, quando Dominus intonuit super mare, & *altitudo* maris, id est, profunditas *levavit manus* & fluctus, & *gurges transiit* super Ægyptios, & submersit eos: ita tu in adventu tuo *scindes fluvios terræ*; id est aquas baptismales, virtutem eis præbendo; & ipsæ aquæ præbebunt iter ad gloriam fidelibus. Et tunc *montes*, id est principes dœmonum, *dolebunt*: quia *gurges* aquarum baptismalium *transibit* super eos, & submerget, & extinguet eos. Et hoc accidet quia *abyssus* aquæ Jordanis *dedit vocem suam*, & *altitudo* maris *levavit manus suas*: quando *vox Patris intonuit* super aquas, dicens: *Hic est Filius meus dilectus &c.* quia tunc aquæ receperunt virtutem regenerativam propter vocem Patris, & contactum carnis Christi, & propter virtutem Spiritus sancti apparentis in signo columbæ: quia tunc *altitudo* & dignitas baptismalis *levavit manus*, id est, potestatem & virtutem suam. E F

Quidam autem referunt illud: *Numquid in fluminibus &c.* ad divisionem maris Rubri, & transitum filiorum Israel. Et istam partem, scilicet, *Fluvios scindes terræ*, referunt ad retrogradationem aquæ Jordanis, & ingressum filiorum Israel in terram promissionis &c. sed isto modo occultarentur multa profunda mysteria. Sed quomodocumque sit, tàm transitus maris Rubri, quàm ingressus terræ promissionis figurabant mysterium Baptismi, & liberationem totius generis humani à peccato. Et sic Propheta semper adducit supradicta mysteria in figuram, petendo Salvatorem humanum. Deinde cùm subdit: G

Sol & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. *Josue 10.*

ADducit sextum mysterium. Unde legitur *Josue* 10. quòd videntes Gabaonitæ victorias & virtutes, quas Dominus fecit per *Josue*, & filios Israel, confœderati sunt cum eis. Sed videntes quinque Reges illius terræ, quòd Gabaonitæ, qui erant Gentiles, confœderati essent cum filiis Israel; tunc congregati venerunt simul cum exercitibus eorum ad destruendos & delendos Gabaonitas. Et sic castrametati sunt circa *Gabaon*, oppugnantes eam. Sed Gabaonitæ miserunt nuntios ad *Josue*, ut veniret ad auxiliandum, & liberandum eos: tunc autem *Josue* cum exercitu suo venit de *Galgalis*, & irruit super quinque Reges, & percussit eos plaga magna, & persecutus est eos usque ad *Azeca* & *Maceda*. Et tunc Dominus misit super Chananæos lapides grandinis de cœlo. Unde mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam gla- H

gladio. Tunc ad preces *Josue* steterit Sol in medio cœli, & Luna ex adverso per totam diem non decumbentes ad occasum, præbentes lumen filiis Israel præliantibus, usquequo dissiparunt exercitum quinque Regum: quos quinque Reges postea Josue præcepit suffocari, & suspendi. Et sic Gabaonitæ fuerunt liberati, & tota terra *Chanaam* cum Regibus suis fuit subjecta filiis Israel &c. Per hoc mysterium prævidit *Habacuc* in spiritu totam victoriam Ecclesiæ, & subjugationem totius populi Gentilis ad fidem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi.

A

Unde prævidit primò, qualiter Christus debebat mittere Apostolos & Discipulos per universam regionem & orbem, ut docerent, & instruerent, & prædicarent Euangelium omni creaturæ, tàm Paganis, quàm Gentilibus, & cæteris nationibus &c. Et quomodo una pars de populo Gentili, videntes virtutes & signa, quæ faciebant Apostoli in virtute Nominis Christi, debebant confœderari cum Apostolis in Ecclesia Christi, sicut Gabaonitæ. Prævidit etiam, qualiter Reges & Prnicipes terræ, videntes Ecclesiam de populo Gentili ad Fidem conversam, debebant ipsam persequi crudeliter, & multa millia Martyrum occidere in ea usque ad Magnum *Constantinum*. Sed Christus per Solem figuratus, debebat stare in medio cœli, & respicere Ecclesiam, figuratam per Lunam, & illustrare eam contra Reges Gentium. Et prævidit etiam, qualiter Christus debebat mittere tempestates, & pestilentias, & terræmotus, & multa alia incommoda contra populum Gentilem in vindictam Martyrum: sed finaliter Ecclesia, figurata per *Josue*, in lumine & virtute Nominis Jesu, qui est *Sol Justitiæ*, debebat subjugare omnes Reges terræ cum toto populo Gentili ad Fidem Christi.

B

C

Hoc ergo prævidens *Habacuc* in spiritu, dicit: O Domine, sicut *Sol & Luna steterunt* unusquisque *in habitaculo suo* tempore Josue, non declinando ad occasum; in cujus lumine *Josue* vicit quinque Reges, & dissipavit exercitum eorum per lapides grandinis missos de cœlo; & postea subjugavit totam terram *Chanaam* cum Regibus suis: ita in tuo adventu *Sol*, qui est Christus, & Luna, quæ est Ecclesia, *stabunt* firmiter *in habitaculo suo*, nec poterunt vinci, nec deleri à populo Gentili: immò Apostoli & Martyres *ibunt in luce sagittarum tuarum*, & fulminum Euangelicorum. Et *in splendore tuæ hastæ*, & fortitudinis Euangelicæ, *fulgurantis* & mittentis radios Euangelicos per universum mundum, illustrando Apostolos, & terrendo Gentiles & Infideles signis & miraculis. Et sic.

D

E *In fremitu conculcabis terram: & in furore tuo obstupefacies Gentes.* *Actor. 3.*

IN *fremitu* & sonitu prædicationis Apostolorum *conculcabis terram* universam, *& in furore* tuo, scilicet cum miraculis & punitionibus, *obstupefacies* & terrebis *Gentes*: & sic venient, & convertentur ad fidem. Nam *Constantinus* percussus leprâ, cognovit virtutem Christi, per Baptismum sanatus; & sic fuit conversus. Ad cujus exemplum pro majori parte omnes Reges & Principes Europæ fuerunt ad fidem conversi, & Christo subjugati. Hoc idem factum est in partibus
F Aquilonaribus & Orientalibus, ut patet per Ecclesiasticam historiam. Deinde cùm dicit:

Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.
Percussisti caput de domo impii: denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

EXplicat veritatem supradictarum figurarum. Nam ipse dixit, quòd in supradictis sex mysteriis prævidit figuraliter in spiritu futurum Salvatorem mundi,
G & mysterium Incarnationis, & generalis Redemptionis, & conversionis populi Gentilis. Ideo nunc applicando figuratum figuræ, explicat veritatem. Unde ait: O Domine Deus, sicut exivisti in salutem populi tui per *Asa*, qui liberavit *Hierusalem* de manu *Zara* Regis Æthiopum, 1. *Paralip.* 24. & liberasti populum de manu *Chusan* per *Othoniel*, *Judicum* 3. Et liberasti illas octo animas per *Noe* de diluvio; & liberasti filios Israel per Moysen, & liberasti Gabaonitas per *Josue*, & subjugasti omnia regna Chanaam &c. Ita ergo realiter tu *in medio annorum* eris *ingressus in salutem* & redemptionem generalem & spiritualem *populi tui* fidelis.
H Et non venies in salutem populi tui, & ad salvandum populum tuum cum *Othoniel*, nec cum *Gedeone*, nec cum *Noe*, nec cum *Josue*, nec cum *Moyse*, sicut quondam fecisti: sed *egressus es in salutem populi*, id est, ad salvandum populum tuum, *cum Christo tuo* Jesu in Lege promisso, cui propriè convenit salvare: quia ideo dicitur *Jesus*, id est, Salvator. Quasi dicat: Tunc misisti illos supradictos ad liberandum illum populum temporaliter; sed in plenitudine temporis mittes filium tuum Jesum Christum, ad salvandum & redimendum genus humanum spiritualiter de mor-

morte æterna, & captivitate diaboli.

Et loquitur de futuro per verba de præterito, propter certitudinem prophetiæ : sed quia Christus debellando & conterendo diabolum & membra ejus, liberavit genus humanum ; ideo subdit : Tu Christe Salvator in tuo adventu *percussisti* & contrivisti *caput de domo impii*, id est, percussisti diabolum, qui est caput *domus impiæ*, & civitatis terrenæ Babylonis magnæ meretricis, cum qua fornicantur omnes Reges terræ, & infideles, & obstinati peccatores. *De* ista ergo *domo impii percussisti* ejus *caput*, scilicet diabolum, & *denudasti fundamentum ejus usque ad collum.*

Falsa superstitio fecit regnare diabolum.

Ad cujus intellectum est notandum secundùm *Eusebium* 5. *&* 6. *de Præparat. Euang.* & secundùm *Augustinum* per totum 8. 9. *&* 10. *de Civit. Dei* : quòd totum fundamentum diaboli, qui dominabatur toti mundo, erat falsa superstitio. Nam omnes Sacerdotes idolorum erant dediti magicis artibus : & sic omnes Necromantici & Divinatores & Horoscopi, & Hauruspici, & Hydromantici, & Geomantici, & Observatores astrorum, mensium, & dierum. Et sic cum his falsis artibus, quæ non continent in se, nisi mendacium, decipiebant Reges, & populos: immò Sacerdotes arte humana faciebant quosdam occultos subterraneos meatus, & ibi loquebantur, & per quasdam fistulas & rimulas mittebant vocem usque ad concavum idoli, aut statuæ : & sic videbatur populo, quòd idola loquerentur, & darent responsa de quæsitis, ut apparet *Daniel.* 14. de Idolo *Bel.* Et de isto modo illa idola dabant falsa & deceptoria responsa, & præcipiebant fieri nefanda sacrificia, & ludos scenicos, & nefandos ritus in populo Gentili : & cum hoc fundamento diabolus adorabatur & dominabatur in toto mundo. Sed venit Christus, & misit Apostolos suos per totum orbem ad prædicandam veritatem Euangelicam omni creaturæ : qui quidem Apostoli detexerunt falsitatem & deceptionem omnium superstitionum falsarum ipsorum Sacerdotum. Nam in præsentia Apostolorum non poterant idola dare responsa, ut patet in historia Beati *Bartholomæi* & *Matthæi* : immò idola ruebant & comminuebantur ; & sic apparebat deceptio & artificium, quod ibi latebat ad decipiendos populos. Et tunc populi visâ manifestâ deceptione idolorum, & visâ veritate Euangelicâ, convertebantur ad Christum. Sed superstitiosa deceptio magis patuit, & fuit manifesta post conversionem Magni Constantini per totum orbem. Et ideo omnes Reges terræ, qui ante propter idola persequebantur Christianos, tunc propter Christum deleverunt omnia idola mundi. Et sic illa falsa superstitio, quæ erat diaboli ad decipiendum inventa, quæ per tot tempora fuerat cooperta & occulta, tunc fuit denudata & manifesta : & sic diabolus princeps hujus sæculi ejectus est foras. Et hoc est quod intendit dicere Propheta.

Unde ait : O Christe, quándo *egressus es in salutem populi tui*, tunc *percussisti caput* diabolicum *de domo impii*, & *denudasti* & detexisti *fundamentum ejus usque ad collum.* Et loquitur metaphoricè. Nam sicut mulier quandoque habet multas indispositiones & imperfectiones, sed cooperit se cum vestibus & caligis à planta pedis usque ad collum, quia faciem non potest tegere, & sic cooperit omnes defectus occultos ; sed si quis denudat & detegit eam à planta pedis usque ad collum, tunc videbuntur omnes ejus defectus, qui sub veste latebant : Ita pariter est dicendum de illa falsa superstitione: quia erat velata & tecta multis falsis apparentiis ad extra, in quantum quandoque fingebant religionem & virtutem in apparentia ; sed intus latebant multa nefanda, abominanda, & detestabilia. Ut patet in Bacchanalibus *Bacchi*, & in nocturnis deæ *Vestæ*, & *Veneris &c.* Sed venit Christus & detexit & *denudavit* istam falsam superstitionem per omnes partes *usque ad collum*, & faciem, ubi apparet veritas rei.

Bis ergo Christus *percussit caput de domo impii*, *& denudavit fundamentum ejus usque ad collum.* Primò, quando descendit ad infernum, qui est *domus* diaboli *impii.* Ibi enim percussit, & contrivit, & judicavit eum, & nudavit & expoliavit Limbum, & etiam Purgatorium, quod erat *fundamentum ejus.* Secundò, percusit diabolum, *caput* impiæ domus, & civitatis terrenæ, quando ejecit ipsum à populo Gentili, & nudavit & manifestavit falsitatem superstitionis. Sed quia diabolus cum Angelis suis apostaticis non fuit ejectus de mundo, nec ejicitur ab homine, nisi per Baptismum & exorcismum, ubi dicitur ipsi : *Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & recede ab hoc famulo Dei &c.* Ideo subdit Propheta in persona Ecclesiæ:

Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus, ut turbo ad dispergendum me. *Osee 7. Matth. 231. & 25, d. Per lectiis.*

O Christe, tu per Baptismum, & Exorcismum *maledixisti* diabolo *capiti* omnium *bellatorum*, & omnium tentatio-

tionum, & vitiorum, quæ pugnant contra nos. Et *maledixisti sceptris ejus*, id A est, omnibus dœmonibus subditis sub sceptro & dominio ejus, *venientibus ut turbo* ventorum, & acies & turba *bellatorum ad dispergendum* & dissipandum *me*. Omnia ista dicit Propheta: quia in Baptismo, & Pœnitentia non solùm ejicitur diabolus & maledicitur; sed etiam omnia peccata & tentationes, quæ jugiter pugnant, & conantur dispergere nos. Item, Christus non solùm maledixit diabolum, sed etiam sceptra ejus, scilicet omnes Judæos, & infideles obstinatos, qui jugiter conantur dispergere & destruere Ecclesiam. Et ideo subdit:

Exultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. B

EXultatio *eorum*, impugnando contra Ecclesiam & populum Christianum, & contra quemlibet justum, est *sicut exultatio ejus*: id est, illius latronis, *qui devorat* aliquem *pauperem in abscondito*. Quasi dicat: quòd sicut latro lætatur & exultat, quando in abscondito reperit aliquem, & expoliat eum, & ex divite facit pauperem: ita lætatur diabolus tentare hominem, & deducere eum ad peccandum, exspoliando ipsum bonis gratiæ. Et ita exultavit populus infidelium persequendo, & expoliando Ecclesiam, & populum Christianum. Et ita lætatus est & exultavit diabolus, quando exspoliavit *Adam* omnibus C bonis gratuitis, & percussit eum in corpore & anima, quando inobediens divino præcepto descendere voluit ab *Hierusalem* in *Jericho*, & incidit in latrones &c. Et sic pariter exultavit diabolus quando per supradictas falsas superstitiones occupaverat totum populum Gentilem. Sed quia Christus misit Apostolos suos ad debellandum & ejiciendum ipsum de mundo: ideo subdit:

Exod. 14. 15. q. 1. Non est. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* D

O Domine Jesu Christe, tu *fecisti viam equis tuis*, scilicet Apostolis, qui sunt *equi tui*, per quos lustrasti & perambulasti totum mundum. *Viam* ergo *fecisti*, & aperuisti eis *in mari* hujus mundi; *& in luto aquarum multarum* fecisti eis viam, ut transirent ad debellandum diabolum, & ad auferendum ipsi prædam, quam tyrannicè, & cum falso fundamento, & superstitione detestabili possidebat.

Et nota, quòd Propheta in hoc Cantico communiter utitur verbis metaphoricis: & ideo appellat Apostolos *equos Christi*, cum quibus peragravit mundum: sicut E *Isaias* appellat eos *pedes*, cùm dicit: *Quàm pulchri sunt pedes euangelizantium pacem*! Item, appellat eos *nubes*, in quantum ferebant, & pluebant pluviam euangelicam, *Isai.* 60. *Qui sunt hi, qui ut nubes volant*? *&c.* Et isto modo *Habacuc* appellat eos *equos* transeuntes maria, & flumina lutosa hujus mundi, ad subjiciendas Insulas jugo Christi. Et hunc modum servat *Isaias* 11. cùm dicit: quòd tunc *Dominus* Jesus Christus *desolabit linguam maris Ægypti, & levabit manum suam super flumen in fortitudine Spiritus sancti: & percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. Et erit* F *via residuo populo meo &c.*

Apostoli dicuntur equi.

Audivi, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea. *24. q. 8. Legi.*

HÆC est quarta & ultima pars principalis hujus Cantici, in qua agit gratias, & explicat consolationem & gaudium, quod Ecclesia justorum habuit de beneficio redemptionis in primo adventu Christi; & etiam de gaudio quod est habitura in secundo adventu post Judicium. Et ideo ista quarta pars primò exponetur de gaudio primi adventus. Secundò, de gaudio secundi adventus.

Quoad primum est ergo prænotan- G dum, sicut dictum est suprà, quòd *Habacuc* in simplici spiritu prævidit destructionem illius particularis Babyloniæ cum Rege suo, de propinquo futuram per *Cyrum*: & prævidit propinquam liberationem particularem & temporalem populi Judæorum: sed in duplici spiritu prophetico per illam particularem punitionem prævidit generalem punitionem magnæ meretricis *Babylonis*, & generalem redemptionem faciendam per Christum de longinquo. Sed in prima punitione & propinqua prævidit, qualiter *Cyrus* erat facturus generale edictum per omnia regna sua, scilicet, Medorum & Asyriorum, & Persarum & *Chaldæorum*: ut omnes H Hebræi duodecim Tribuum, tàm illi, qui fuerunt captivati per *Salmanasar* & *Tethaglaphar*, & transmigrati & captivati per *Nabuchodonosor*, possent liberè redire in *Hierusalem*, & reædificare Templum & Civitatem, reddens eis sacra vasa templi, & magnam copiam auri & argenti pro templo ædificando. Sed licèt ista generalis libertas esset data omnibus Israelitis habitantibus per illa regna: tamen major pars renuit redire. Nam de decem Tribubus captivatis per *Salmanasar*, aut pauci, aut nulli redierunt: eò quòd jam

erant

erant collocati & radicati in possessionibus & vineis in regno Medorum, & Assyriorum, & Persarum. De Judæis autem A transmigratis & captivatis major pars remansit: tamen quia ibi possidebant domos, & vineas, & oliveta, & prædia, & cæteras possessiones, ideo noluerunt illa relinquere, & quia timebant laborem & pericula itineris: & sic plures manserunt in *Babylonia*, quàm redierunt: quod patet. Nam *Esther*, & *Mardocheus* fuerunt per magnum tempus post relaxatam captivitatem per *Cyrum*: quo tempore habitabant in *Chaldæa*, & *Media*, & *Assyria*, & *Persida*, & etiam in *Æthiopia* magna multitudo Hebræorum & Judæorum de illa captivitate, ut patet per totum discursum libri *Esther*.

Nota benè contra nolentes facere bonũ propter pigritiam.

Ex quibus patet, quòd amore bono- B rum temporalium, & ex timore laborum itineris major pars voluit remanere in illa captivitate, & minima pars venit ad libertatem. Sed illi qui manserunt in *Babylonia* bene fuerunt puniti: nam post destructionem factam per *Cyrum* & *Darium* tota Provincia *Chaldæorum* passa est gravem sterilitatem, & pestilentiam hominum & animalium, & multa alia miseranda discrimina & tribulationes, sicut dicunt omnes Historiographi Orientales, & prout prophetaverat *Isaias*, & *Ezechiel*, & quasi omnes Prophetæ Minores. Et sic patet, quòd Judæi remanentes in Babylonia ex amore bonorum temporalium, & volentes vitare labores & pericula itineris & con- C temnentes libertatem & cultum divinum, justo Dei judicio inciderunt in majora pericula & tribulationes: & passi sunt sterilitatem, & famem, & penuriam bonorum temporalium.

Per hoc profecto mysterium prævidit *Habacuc* in duplici spiritu prophetico totam cœcitatem, & obstinationem, & iniquitatem in qua manet populus Judaicus. Unde prævidit, qualiter Christus in Lege & Prophetis promissus erat venturus inter eos, & debebat eos absolvere à jugo legis, & captivitate peccati, & dare eis legem libertatis & gratiæ, & vocare eos ad *Hierusalem* spiritualem, quam ipse ædificaverat. Sed prævidit, qualiter major pars Judæorum debebat contemnere Christum Messiam, & legem libertatis; & hoc D propter amorem bonorum temporalium: & sic sponte erat mansura sub jugo legis, & sub captivitate diaboli perpetua & confusione Babylonis mansura. Et sic prævidit, qualiter minor pars illius populi erat Christum & Legem Euangelicam suscepturа: & prævidit, qualiter illa parva pars, quæ fuit Collegium Apostolorum & Discipulorum, debebat ædificare novam *Hierusalem* & Ecclesiam supra firmam petram, quæ est Christus. Et prævidit etiam, qualiter Judæi remanentes in sua obstinatione non solùm debebant perdere omnia bona temporalia, sed etiam spiritualia & æterna. Nam primò per quatuor annos E passi sunt seditiones, & bella intestina, & furta, & homicidia, ut ait *Josephus lib. de Bello Judaico*. Et postea fuerunt obsessi, & intolerabilem inediam passi, & tandem fuerunt capti, & partim interfecti & trucidati, & partim capti & dispersi per mundum, & civitas fuit eversa, & templum incensum: & sic perdiderunt bona temporalia, & etiam spiritualia: quia perdiderunt sacerdotium & sacrificium, & lex fuit desiccata, & arida facta: quia non ampliùs facit fructum, cùm sit mortua; & non solùm mortua, sed etiam eis mortifera, ut dictum est *Psal.* 50.

Omnia ergo supradicta prævidens F *Habacuc* in spiritu, primò perdolet & expavescit talem obstinationem, & sententiam, & damnationem temporalem & spiritualem obstinatorum Judæorum. Secundò, gaudet & consolatur, se esse de illa societate Judæorum & Fidelium, qui Christum erant recepturi, & etiam de illis, qui cum Christo in cœlum erant ascensuri, & de Limbo liberandi.

Dicit ergo Propheta in persona sui, & Ecclesiæ: O Domine, ego vidi ex revelatione, qualiter major pars populi Judaici debet damnari, & in sua obstinatione permanere. Nam quando tu fueris *egressus in salutem populi tui*, ipsi non recipient te, nec doctrinam tuam; immò per- G sequentur & crucifigent te. Et sic sponte permanebunt in sua perfidia, & obstinatione, & captivitate diaboli, propter quod condemnabis eos ad pœnam & captivitatem perpetuam in corpore & anima: itaque minor pars eorum recipiet legem tuam, ex quibus facies populum tuum & Ecclesiam simul cum conversis de populo Gentili.

Ideo cùm ego *audivi* ingratitudinem, & obstinationem, & damnationem illius populi sic alienati, *conturbatus est venter meus*, id est, interiora mea: & *à voce* tuæ revelationis *contremuerunt labia mea*, ne possint talia proferre & scribere in hoc Cantico. Sed quia ex alia parte video me esse de grege & societate illius populi, H quæ te receptura est, & debet tecum ascendere in *Hierusalem* spiritualem per gratiam, & in supernam per gloriam: ideo

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.

Ut requiescam in diem tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum.

7. q. 1. Suggestũ. Et 6. q. 1. Sunt plurimi.

NON timeo labores, nec pericula, nec passiones, & non curo si *ingrediatur putredo* & dolor *in ossibus meis*, & *sub-*

ſubter me ſcateat & ſerpat quicumque dolor & labor : *ut*, id eſt, dummodo *requieſcam* tecum *in die tribulationis* & damnationis Judæorum, & *aſcendam* tecum *ad populum noſtrum accinctum* & præparatum ad ambulandum in lege tua Euangelica, & *accinctum* ad pugnam contra diabolum, & inimicos fidei. Quaſi dicat : Dummodo ego ſim de ſocietate & numero tui populi fidelis, ego ſum præparatus ad perferendas & tolerandas omnes perſecutiones uſque ad mortem inclusivè. A

Et nota, quòd Propheta appellat *diem tribulationis*, non ſolùm futurum ſtatum Judæorum in inferno, ſed etiam præſentem ſtatum in hac vita. Nam de futuro ſtatu non eſt dubium ; quia in ſæcula ſæculorum cruciabuntur. Sed etiam præſens ſtatus dicitur *dies tribulationis* eorum. Nam primò ſunt in captivitate temporali & ſpirituali, ſine regno & ſacerdotio exules à ſua patria, & ultra hoc ſunt ſine lege, & fructu legis, quia nullum fructum habent ex obſervantia : quia non ſolùm eſt eis mortua, ſed mortifera. Ideo oratio, & jejunia, & oblationes, & omnia opera legis quæ faciunt, vertuntur eis in peccatum, ut dictum eſt *Pſal.* 49. & 50. & 108. Ideo licèt non ſemper patiantur ſterilitatem bonorum temporalium ; tamen ſemper patiuntur ſterilitatem legis, & bonorum ſpiritualium. Ideo eorum ſtatus dicitur *dies tribulationis*, ſicut dies legis Euangelicæ dicitur *annus benignitatis* & fœcunditatis, propter abundantiam bonorum ſpiritualium, *Pſal.* 63. Sed quòd ſtatus Judaicus ſit dies tribulationis & ſterilitatis, probatur : quia poſt adventum Chriſti, B C

Matth. 7. *Lucæ* 6. 24. *q.* 3. *Deus. Dan.* 9. *c. Oſeæ* 1.

Ficus enim non florebit : & non erit germen in vineis.
Mentietur opus olivæ : & arva non afferent cibum.
Abſcindetur de ovili pecus : & non erit armentum in præſepibus.

D

FIcus, id eſt, lex vetus figurata per ficulneam, non florebit : quia jam fuit maledicta per Chriſtum, ne amplius faceret fructum, *Matth.* 22. *Et non erit germen*, nec fructus, nec palmes *in vineis* illius populi & legis ; id eſt, præcepta cærimonialia non germinabunt.

Unde nota, quòd Lex divina, & Eccleſia Dei ab *Adam* uſque ad ultimum juſtum, dicitur una ſecundùm *Gregorium* & omnes Doctores, ut dictum eſt in *Prologo*. Sed iſta Lex, aut Eccleſia in Sacra Scriptura quandoque appellatur *vinea*, cujus palmites ſunt Chriſti fideles : quandoque appellatur *oliva*, cujus rami ſunt fideles : quandoque dicitur *arvum*, ſeu ager, cujus fructus & ſegetes ſunt fideles : quandoque appellatur *ovile Dei*, cujus oves ſunt fideles. Sed poſt adventum Chriſti omnes Judæi obſtinati fuerunt abſciſi ab hac oliva, & vinea, & agro, & ovili : in quorum locis fuerunt inſerti converſi de populo Gentili, ut ait *Apoſtolus ad Rom.* Ideo iſta vinea, & oliva, & ager non facit eis amplius fructum : quia lex jam fecit & protulit fructum in tempore determinato, ſcilicet in adventu Chriſti. Et ideo fuerunt ipſi abſciſi rami cærimonialium ; & nati & orti ſunt in eodem trunco legis rami Euangelici, qui proferunt fructus Euangelicos Eccleſiaſticorum Sacramentorum, & fructus gratiæ. E F

Ex quibus patet, quòd lex vetus cum illis ramis & palmitibus veteribus jam abſciſis & aridis nullum jam fructum profert. Ideo dicit : *Non erit germen in vineis* : &, *Mentietur opus olivæ*. Nam ſicut vinea Legis non facit uvas, ſed labruſcas : ita oliva legis non facit olivas, ſed amurcas, & mentita eſt in fructu ſuo. Et eâdem ratione *arva* legis *non afferunt cibum*, ſed venenum mortiferum. Item, cùm ille populus ante adventum Chriſti eſſet populus peculiaris, & de ovibus Dei, poſtea fuit abſciſus ab ovili Dei, & jam non paſcitur, nec comedit in præſepibus Dei : quia Deum negavit, *Daniel.* 10. Unde populus Gentilis, qui non erat plebs Dei, factus eſt plebs Dei per Baptiſmum ; & populus Judaicus factus eſt non plebs Dei, & *abſque miſericordia* per infidelitatem, *Oſeæ* 1. Ideo dicit, quòd populus Judaicus, qui ex ove factus eſt *pecus*, *abſcidetur de ovili* Dei ; & factus *armentum* beſtiarum, *non erit in præſepibus* cum ovibus Chriſti. G

Ego autem in Domino gaudebo : & exultabo in Deo Jeſu meo.

Deus Dominus fortitudo mea : & ponet pedes meos quaſi cervorum. H

Et ſuper excelſa mea deducet me victor in palmis canentem.

92. d. c. 1. in Gloſ. 95. d. c. Ecce. 13. q. 1. His itaq. 16. q. 1. Vos autem

QUaſi dicat in perſona populi fidelis : Poſtquam Judæi ſponte abjecerunt Chriſtum, & voluerunt manere ſub jugo legis, & abſcindi ab ovili Chriſti, *ego autem* gaudens in præſenti per gratiam, & fructus Euangelicos, *gaudebo* in futuro per gloriam *in* Chriſto *Deo Jeſu* & Salvatore *meo*, quem recepi per fidem.

Quia

Quia ipse Jesus, qui est *Deus* & *fortitudo mea*, *ponet*, & præparabit *pedes meos* aptos & veloces *quasi cervorum* ad ambulandum in Lege Euangelica, & ad ascendendum *Hierusalem* supernam per gloriam: *&* ipse *deducet me* gratia sui *super excelsa mea*, id est, super cacumina cœlestia mihi promissa. Et ipse *victor* contra diabolum *deducet me canentem in Psalmis* gratiæ in præsenti, & *in Psalmis* gloriæ in futuro. Quasi dicat: Judæis, & omnibus infidelibus manentibus reprobatis & damnatis in sua obstinatione, *Ego gaudebo* cum *Jesu Deo* Redemptore & Glorificatore, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.

SECUNDA EXPOSITIO.

SEcundo modo ista ultima pars ab illo loco: *Audivi*, *& conturbatus &c.* potest exponi de pœna damnatorum, & gaudio justorum post judicium. Unde dicit Propheta: O Domine, Ego *audivi* ex revelatione mihi facta in 2. *cap.* damnationem magnæ meretricis & civitatis diaboli, quam facturus es in ultimo judicio de persecutoribus justorum: & ideo *conturbatus est venter meus &c.* Sed quando audivi gloriam, quam daturus es justis in meritum & præmium persecutionum, tunc fui consolatus; & volo quod *ingrediatur putredo in ossibus meis*, id est, paratus sum pati omnes persecutiones & adversitates in hac vita, *ut requiescam in die tribulationis*, id est, in die Judicii: & *ascendam ad populum nostrum* justorum *accinctum*, & liberatum, & expeditum ab istis miseriis hujus mundi, cum quo ascendam in cœlum.

Unde post diem Judicii *ficus* istorum divitum mundanorum *non* ampliùs *florebit*, *nec erit* ampliùs *germen in vineis* eorum: & *opus olivæ mentietur* eis, *& arva non afferent* fructum eis. Quasi dicat: Omnia ista bona mundana perdent in illa die, nec poterunt eis prodesse.

Ego autem quia ista bona mundana contempsi propter Christum, & propter cœlestia, & in illa die *gaudens gaudebo*, *& exultabo in Deo Jesu meo* Messia in lege promisso: quia ipse est *Deus* & *fortitudo mea*, *& ponet pedes meos* veloces *quasi cervorum* ad ascendendum in cœlum: *& deducet me super excelsa* cœlestia *canentem in Psalmis gloriæ*. Ipse enim *victor* & triumphator de mundo & diabolo *deducet me* secum cum populo victoriæ *canentem* victoriam suam *in Psalmis* gloriæ.

*** *** ***

ADMONITIO AUTHORIS.

HÆC ergo supradicta in hac Expositione sunt quæ divino auxilio fretus potui haurire & extorquere ex intelligentia hujus Cantici secundùm sanam fidem & doctrinam. Ideo oro & obsecro fratres meos Fideles & Catholicos, ut velint cum charitate attendere ad intelligentiam hujus Cantici: quia difficillimum est ad intelligendum. Primò, quia est de rebus altissimis. Secundò, quia procedit per vocabula metaphorica, & usurpata, & extranea. Tertiò, propter diversitatem Translationum. Nam quasi omnes Interpretes fuerunt diversi in interpretatione & traductione hujus Cantici: eò quòd in Hebræo procedit per verba metaphorica, & multum æquivoca.

Et ideo dicunt Hebræi, quòd quatuor partes sunt in Sacra Scriptura multum difficiles ad intelligendum, quas non debent legere nisi provecti, & antiqui Doctores. Quarum prima est primum, & secundum, & tertium Capitulum *libri Geneseos*. Secunda est *liber Canticorum Salomonis*. Tertia est *liber Ezechielis* in primo capitulo, & quadragesimo capitulo usque ad finem. Quarta autem est istud *Canticum Habacuc*: quia ideo intitulatur *Oratio Habacuc pro ignorantia*, sive *pro ignorantibus*: eò quòd ab omnibus ignoratur ejus vera intelligentia, usquequò veniat Rex Messias ad declarandum ipsum. Et sic patet, quòd non solùm apud nos, sed etiam apud Hebræos hoc Canticum reputatur difficillimum. Et ideo si lector fidelis non valeat attingere plenam intelligentiam ex hac supradicta Expositione, rogo quòd pergat ad alios Catholicos Expositores: quia Deus voluit communicare & revelare singulis divisim thesauros sapientiæ suæ, prout ipsi placuit. Ideo oportet lectorem cum charitate accedere, & studium adhibere.

***

IN CANTICUM MOYSIS

PROOEMIUM.

Audite cœli quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

HOC Canticum cantat Ecclesia *in Laudibus diei Sabbati:* quod Canticum reperitur scriptum *Deuteron.*32. & fecit ipsum *Moyses* ex præcepto Domini, & præcepit ut reponeretur in Arca fœderis, ut esset in testimonium contra filios Israel, quotiens peccarent & apostatarent, & recederent à Domino, ut patet in capitulo præcedenti 31. Unde dicit Dominus ad *Moysen*: *Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos &c. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem: & invenient eum omnia mala & afflictiones &c. Nunc itaque scribite vobis Canticum istud, & docete filios Israel: ut memoriter teneant, & ore decantent, & mihi sit carmen istud pro testimonio inter filios Israel &c.* Ex supradictis inferuntur quatuor conclusiones.

Prima conclusio: quòd Moyses fecit hoc Canticum ex præcepto Domini.

Secunda conclusio: quòd Deus prænovit & revelavit ipsi *Moysi*, qualiter ille populus debebat fornicari, & sequi deos alienos dum esset in terra promissa, postquam essent incrassati, & impinguati.

Tertia conclusio: quòd Moyses posuit hoc Canticum in Arca fœderis, ut esset testimonium contra filios Israel: ut quando viderent punitiones in eis, cognoscerent hoc eis fuisse prædictum.

Quarta conclusio: quòd Moyses prænovit ex revelatione omnes punitiones venturas illi populo propter peccatum usque ad extremum tempus. Unde concludit in illo 31. *cap. Novi enim, quod post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò à via quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini &c.*

Ex dictis in hoc capit. & ex dicendis in hoc Cantico patet manifestè, *Moysen* fuisse verum Prophetam: eò quòd novit in spiritu ex divina revelatione futuram rebellionem & idololatriam illius populi: & prævidit pariter futuras punitiones, & destructiones, quas ille populus erat passurus propter supradicta peccata: & qualiter illæ maledictiones datæ supra in *cap.*27. debebant illum populum comprehendere. Et ideo Moyses fecit hoc Canticum, in quo continentur, & prædicit beneficia, quæ Deus fecit illi populo; & prædicit ingratitudines, & scelera, quæ ille populus erat perpetraturus contra Deum, & punitiones quas erat passurus. Et sic patet, *Moysen* fuisse verum Prophetam & habuisse spiritum prophetiæ de futuris contingentibus.

Si Moyses habuerit duplicem spiritum.

Sed est quærendum, an *Moyses* habuerit duplicem spiritum prophetiæ in hoc Cantico? scilicet, an spiritus & lumen propheticum *Moysis* attigerit & pervenerit usque ad Christum & Ecclesiam? an fuerit terminatus in gestis veteris Testamenti? Dictum est enim in *Prologo, Tractatu* 2. & 3. quòd *spiritus simplex propheticus* est ille qui tangebat mentem Prophetæ tantùm de futuris contingentibus in illo populo in veteri Testamento, in quibus terminabatur notitia Prophetæ: sed *spiritus propheticus duplex* erat qui transcendebat futura contingentia veteris Testamenti, immò per gesta præterita & præsentia & futura veteris Testamenti manuducebat mentem & notitiam Prophetæ usque ad mysteria Christi & Ecclesiæ: quem duplicem spiritum & lumen propheticum habuit, & adeptus est *David*, & *Isaias*, & cæteri tres Majores, & duodecim Prophetæ Minores, ut pluries dictum est. Et ideo est videndum, an *Moyses* in hoc Cantico habuit hunc & talem spiritum, & lumen duplex propheticum? & an notitia sua prophetica pervenerit usque ad Christum & Ecclesiam?

Duæ destructiones Hierusalē, & Templi.

Ad cujus intelligentiam est prænotandum, quòd duæ fuerunt punitiones generales illius populi, & duæ destructiones, & eversiones, & incensiones generales illius Templi & Civitatis *Hierusalem.* Prima fuit facta per *Nabuchodonosor* & Chaldæos. Secunda fuit per *Titum* & Romanos. Prima autem fuit propter peccatum idololatriæ. Secunda propter odium, & homicidium perpetratum contra Messiam in Lege & Prophetis promissum: quia non solùm ipsum negaverunt, & audire noluerunt, sed etiam occiderunt. Ideo prima captivitas & destructio fuit remissa & restaurata per *Cyrum*, & Civitas & Templum reædificatum per *Zorobabel*, & *Jesum* Sacerdotem magnum. Secunda autem fuit irremissibilis & irreparabilis, ut patet ad oculum.

Has profectò duas captivitates & destructiones noverunt & prædixerunt quasi omnes Prophetæ. Primò enim David prævi-

dit, & prædixit captivitatem primam per *Babylonios* & ejus remissionem, ut patet *Psalm.* 78. 79. & 125. Sed perpetuam captivitatem secundam & irreparabilem prædixit *Psalm.* 27. dicens : *Destrues illos, & non reædificabis eos.* Item, de secunda captivitate dicit *Psalm.* 93. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra &c.* Item, *Isai.* 43. *Educ foras populum cœcum, & surdum &c.* Item, *Isai.* 50. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram : quia veni, & non erat vir : & vocavi, & non erat qui audiret.* Hoc idem *capitulo* 65. Item, *Daniel.* 9. de prima captivitate, & ejus remissione, & reædificatione dicitur : *Rursum reædificabitur platea, & muri in angustia temporis.* Sed de secunda captivitate & destructione dicitur : *Post hebdomadas septem occidetur Christus ; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio, & usque ad consummationem & finem præservabit statuta desolatio.*

Sufficit ergo, quod omnes Prophetæ in hoc concordant : quòd secunda destructio & captivitas erat ventura illi populo, eò quòd erat negaturus Deum, & non debebat recipere, nec audire Messiam in Lege & Prophetis promissum ; immò erat ipsum occisurus. Et omnes concordant in hoc, scilicet, quòd illa secunda captivitas erat irreparabilis & perpetua; & quòd populus Gentilis erat eligendus, & loco populi Judaici substituendus, ut patet per totum discursum Prophetarum: quæ omnia ista prænoverunt & prædixerunt in duplici spiritu omnes Prophetæ. Quam etiam ultimam perpetuam desolationem & reprobationem propter peccatum negationis Christi prævidit Moyses in duplici spiritu prophetiæ, *Deuteron.* 18. cùm dicit ipsi Deus : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum simile tui : & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Et quicumque verba quæ loquetur audire noluerit, ultor existam.*

Ex quibus patet, quòd *Moyses* prævidit ex divina revelatione in duplici spiritu Christum nasciturum de illo populo secundùm carnem ; in cujus ore Deus Pater debebat ponere verba sua ; immò Deus Pater erat locuturus nobis per os Christi: quia quidquid habet, habet à Patre nascendo. Et sic prævidit, qualiter ille populus, id est, major pars ejus, non erat ipsum auditurus immó negaturus. Et sic prævidit ultimam & perpetuam ultionem & destructionem eorum.

Ex quibus patet, quòd *Moyses* non solùm prævidit primam captivitatem Judæorum futuram propter peccatum idololatriæ, sed etiam prævidit secundam captivitatem, & perpetuam destructionem secundi Templi propter peccatum infidelitatis, & odii, & homicidii perpetrati contra Christum. Et hanc duplicem captivitatem, & destructionem populi Judæorum, & Templi, & civitatis prædicit Moyses in hoc Cantico ; & præcepit ipsum reponi in Arca, ut esset testimonium contra illum populum, ne allegarent ignorantiam, quin Deus præmonuisset eos, & prædixisset eis punitionem sui peccati, appellando cœlum & terram in testimonium. In quo Cantico duo principaliter facit. Primò enim præmittit Proœmium & Exordium. Secundò, exequitur narrationem. Ibi : *Date magnificentiam Deo nostro.*

Quantum ad primum : quia superius dixit *Moyses*, quòd faciebat hoc Canticum in testimonium contra filios Israel; ut ipsum nulla deleret oblivio, contra quos invocabat cœlum & terram: Ideo nunc in Exordio hujus Cantici obtestatur cœlum & terram, & appellat eos in testimonium contra illum populum : & petit divinum auxilium, invocando nomen Domini. Dicit ergo Moyses:

AUdite cœli quæ loquor : audiat terra verba oris mei. *Deuteron 32.*

O Cœli audite quæ loquor, scilicet sententiam Dei datam contra populum Judaicum : & sicut estis immobiles à loco, sitis mihi testes contra istum populum, qui rebellaturus est contra Deum suum. Et *terra*, quæ est immobilis, *audiat verba oris mei*, & sit mihi testis de immobili sententia data à Deo contra istum populum : & tàm cœli, quàm terra sitis mihi testes, qualiter volo prædicere sententiam Domini, & punitionem contra istum populum propter futurum peccatum idololatriæ, & infidelitatis, quod perpetraturus est contra Dominum & Messiam suum, ne possint allegare ignorantiam, quando evenerint ipsi ista mala. Item, vos cœlestes & Angelicæ creaturæ *audite quæ loquor*, ut sitis mihi testes. Et *terra*, id est, omnes habitatores terræ, *audiant verba oris mei*, quæ ego annuntio ex parte Dei contra illum populum rebellem. Deinde cùm dicit:

Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum,

50. dist. Quid ergo hoc, & c. Cum exaudiero & 35. q. 6. in fine, & 8. q. 1. Olim.

Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina : quia nomen Domini invocabo.

A

CAptat benevolentiam Dei, & petit auxilium & gratiam : Primò, ut ipse abundè possit loqui. Secundò, ut faciat fructum in populo : & ad hoc invocat Nomen Domini *Tetragrammaton*, quod est Verbum incarnatum, scilicet Jesus Christus Messias in Lege promissus, in cujus virtute *Moyses* fecerat omnia miracula; in cujus fide & spe omnes fideles veteris Testamenti salvabantur. Unde ait: Ego Moyses *invocabo Nomen Domini*, qui est Dominus Jesus in carne futurus B & venturus ; sine quo nullum donum, nulla gratia potest nobis dari à Patre luminum : hoc, inquam, *Nomen Domini invocabo*, ut *doctrina mea* moralis & prophetica in hoc Cantico prænuntianda *crescat* & abundet, *ut pluvia* solet abundare, & *eloquium meum fluat* affluenter *sicut ros*, & *fluat* & *crescat* ista doctrina super mentes hominum ad intelligendum, & super voluntates eorum ad operandum, *quasi* & sicut *imber* fluit *super herbam*, & facit eam germinare, & *sicut stillæ* cadentes *super gramina* faciunt ea crescere & prosperari : ita pariter *doctrina mea* faciat fructum fidei in mentibus audientium, & fructum charitatis in voluntatibus eorum.

Unde est advertendum, quòd rectè C *Moyses* invocat Jesum, qui est *Nomen Domini*, ad gratiam impetrandam : quia ex revelatione sciebat, eum esse in omnibus mediatorem Dei & hominum, per quem Deus erat remissurus peccata hominum, & daturus omnem gratiam, & in virtute cujus, & ad cujus invocationem *Moyses* fecerat omnia miracula in Ægypto, & in mari Rubro &c.

6. q. 1. c. Si omnia in Glos.

Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia:

Luc. 18.

D

Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus. Peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus:

PRæmissa invocatione divini auxilii in exordio, hìc incipit suam narrationem : In qua tria facit, secundùm quod habet tres partes principales. Nam primò, prædicit primam punitionem illius populi futuram propter peccatum idololatriæ. Secundò, prædicit punitionem secundam propter peccatum odii & mortis E Christi. Tertiò, prædicit electionem & substitutionem populi Gentilis ad Ecclesiam loco populi Judaici. Secunda ibi: *Et dixi : Ubinam sunt?* Tertia ibi : *Laudate gentes.* In prima parte tria facit. Primò enim explicat breviter beneficia, quæ specialiter ille populus recepit à Deo præ nationibus. Secundò, prædicit ingratitudinem & apostasiam, quam ille populus erat perpetraturus contra Deum propter idololatriam. Tertiò, prædicit futuram punitionem & destructionem eorum propter illud peccatum. Secunda ibi : *Incrassatus.* Tertia ibi : *Vidit Dominus, & ad iracundiam.*

Quantum ad primum est advertenF dum : quòd propter quatuor Deus est de se magnificandus ab omnibus. Primò, quia est perfectus, & perfecta opera creavit & fecit. Secundò, quia sapiens in condendo Legem naturæ. Tertiò, quia fidelis in promissis : quia neminem fallit. Quartò, quia rectus & justus in judicando : quia tribuit unicuique secundùm opera sua: unde propter ista quatuor tenetur magnificare Deum, non solùm populus Judaicus, sed etiam omnes populi : quia omnes æqualiter ista receperunt à Deo. Dicit ergo *Moyses*: O populi, *date magnificentiam Deo nostro* propter beneficia generalia recepta : quia omnia *opera Dei sunt perfecta*, in sua natura : & sic fecit hominem perfectum in sua natura, *& omnes* G *viæ* Legis *ejus*, in quibus præcipit homines ambulare, sunt vera *judicia* & justa: & sic est *justus* in condendo Legem, & *fidelis* in promissis, & *justus & rectus absque ulla iniquitate* in judicando, & reddendo unicuique punitiones & præmia secundùm merita, aut demerita. Ex quo patet quòd omnes tenentur Deum magnificare.

Deus magnificandus ab omnibus propter quatuor.

Sed per ampliùs Israel recepit à Deo Legem & beneficia : quia magis Deus se ostendit eis amicum, dando Legem specialem &c. Ideo subdit : *Peccaverunt, & non filii ejus.* Quasi dicat : Iste populus magis tenebatur Deum magnificare & laudare : eò quòd elegerat ipsum tamquam fiH lium, dando ipsi Legem specialem : tamen ipsi *non filii*, id est, non tamquam filii, *peccaverunt in sordibus* & spurcitiis idololatriæ, & aliorum scelerum. Quasi dicat: Quod licèt debebant Deum magnificare tamquam Patrem ; tamen ipsi tamquam *non filii* blasphemaverunt eum in sordibus idololatriæ, & superstitionis detestabilis. Et ideo *Moyses* incipit reprobare & objurgare totam successionem illius populi, dicens:

Ge-

23. q. 4. cap. 6.

Generatio prava atque perversa. A
Hæccine reddis Domino, populе stulte & insipiens?

56. d. c. Nasci.

Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?

De Pœn. d. 5. c. Confideret.

Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas:

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.

Job 8.

Quando dividebat Altissimus Gentes, B
quando separabat filios Adam,

Genes. 49.

Constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel.

O *Generatio prava & perversa* in fide, *hæccine reddis Domino*, id est has gratias reddis Domino pro tantis beneficis receptis? O *populе stulte* in eligendo, & *insipiens* in judicando, & cognoscendo: quia contempsisti bonum & elegisti malum, & tamquam *insipiens* oblitus es beneficiorum receptorum, & non C cognovisti creatorem tuum, & elegisti creaturam vanam & falsam, contemnendo verum Deum omnium Creatorem: *Numquid ipse* Deus *non est Pater tuus, qui* primò *fecit te* quoad corpus de terra, & *creavit te* quoad animam de nihilo, spirando in corpus formatum de terra spiraculum vitæ: & postea *possedit* tamquam populum peculiarem & proprium præ cæteris populis?

Memento dierum antiquorum à principio mundi, & *cogita generationes singulas* ab *Adam* usque *Noe*, & *Abraham*, & maximè ab *Abraham* quem separavi de *Caldæa* usque ad exitum de *Ægypto*: & *interroga Patrem tuum* quemcumque carnalem, & Patrem tuum *Abraham*, qui fuit principium hujus populi: & *majores tuos*, scilicet *Isaac*, & *Jacob*, & D omnes duodecim Patriarchas, & omnes duces & Sacerdotes, & *dicent tibi* totum discursum tuæ generationis, & beneficiorum à Deo receptorum per successionem. *Et dicent* tibi principium & modum electionis hujus populi ad Deum: & *dicent tibi, quando*, & quomodo *dividebat Altissimus Gentes*, & quando *separabat filios Adam.*

Ad cujus intellectum est notandum secundùm Historiographos: quòd descendentes à tribus filiis *Noe* post diluvium fuerunt divisi per *Asiam*, *Europam*, & *Africam* in septuaginta generationes, seu E populos, sive nationes, aut regiones. Item, cùm ante ædificationem *turris Babel* omnes generationes essent *labii* & linguæ & idiomatis *unius*: tamen post confusionem linguarum divisi sunt in septuaginta linguas. Item, legitur *Gen.* 49. quòd omnes animæ filiorum *Jacob*, quæ ingressæ sunt in Ægyptum cum Jacob patre suo fuerunt septuaginta. Ex quo patet, quòd numerus populorum, tàm in divisione generationum filiorum *Noe*, quàm in divisione linguarum, fuit juxta numerum filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum *Jacob* patre suo.

Et hoc est, quod dicit hîc: *interro-* F *ga patrem, & majores tuos, & dicent tibi, quando* & quomodo *Altissimus dividebat Gentes* post diluvium, & in ædificatione *turris Babel*; & quomodo *separabat filios Adam* in illis duabus divisionibus: quomodo *constituit* & distinxit *terminos populorum*, id est, divisit eos in septuaginta populos & linguas *juxta numerum filiorum Israel*, qui ingressi sunt in Ægyptum cum *Jacob* patre suo.

Pars autem Domini, populus ejus: 11. q. 3. Ad mensam.
Jacob funiculus hæreditatis ejus

G ET tamen ex illis septuaginta linguis & populis Deus solùm elegit sibi unum, scilicet populum Israel: quia *Jacob* fuit *pars Domini* & *populus*, & fuit *funiculus*, & sors, & portio *hæreditatis ejus*. In Translatione autem ipsorum septuaginta habetur: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Dei*: quod idem est, eò quòd soli filii illius populi dicebantur *filii Dei*. Alia Translatio habet: *Secundùm numerum Angelorum*: & tunc intellectus potest esse satis conformis litteræ sequenti. Nam unusquisque populus, sive natio, aut regnum habet proprium Angelum custodem: & quot sunt populi, tot sunt Angeli custodes, qui dicuntur *Archangeli*, in quantum sunt Principes regnorum, quibus dantur in custodiam, ut patet de Angelo H & Principe regni Persarum, *Dan.* 10.

Ex quo patet, quòd numerus populorum qui fuerunt divisi per linguas & nationes post diluvium, aut in confusione turris *Babel* fuit secundùm numerum Angelorum ad custodiam illorum populorum deputatorum. Sed licèt Deus deputavit unicuique illorum proprium Angelum & Principem ad custodiam: tamen Deus voluit sibi eligere illum populum in proprium, & ipsemet voluit esse proprius Princeps & custos illius populi: licèt haberet *Michaelem Archangelum* in ministrum, ut patet *Dan.* 10. & hoc intendit dicere Moyses in

hoc

hoc passu secundùm istam Translationem. Unde ait: *Interroga patrem tuum, & majores tuos: & dicent tibi*, qualiter *quando Altissimus dividebat Gentiles, & separabat filios Adam* post diluvium, & in confusione linguarum turris Babel: tunc *constituit terminos populorum*, id est, nationum & provinciarum mundi, *juxta numerum Angelorum* deputatorum ad custodiam regnorum. Sed *Jacob* cum prole sua fuit *pars Domini, & populus ejus* sibi, ad custodiam & regimen electus; & fuit *funiculus*, & sors, & portio *hæreditaria ejus*: quia ipse specialiter elegit sibi populum in hæreditatem. Unde probo quòd Dominus elegit sibi populum in hæreditatem & propriam custodiam & regimen. Nam

Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis:

Gen. 12

Circumduxit eum, & docuit: & custodivit quasi pupillam oculi sui.

Exod. 4.

DOminus *invenit* istum populum *in terra deserta &c.* Quia primò invenit *Abraham* in *Chaldæa*, terra deserta, & semota à vero cultu divino, & reduxit in terram *Mesopotamiæ*; & exinde in terram *Chanaam* ubi ædificavit altare Domino: & incœpit invocare nomen Domini, *Genes.* 12. Et exinde *invenit* filios Israel *in loco horroris*, id est, in horrido loco *Ægypti* sub dura servitute: & postea *invenit Moysen in loco vastæ solitudinis* juxta montem *Horeb* custodientem oves soceri sui *Jethro*, & vocavit ipsum de rubo & misit ipsum ad *Pharaonem*: & cum multis signis & prodigiis eduxit illum populum de Ægypto. Et *circumduxit ipsum per desertum, & docuit eum* Legem & præcepta in monte *Synai*. *Et custodivit* eum ab omni periculo, *sicut pupillam oculi sui*. Primò, *custodivit* eum in mari Rubro. Secundò, *custodivit* ipsum, & liberavit ab inedia & fame & siti, dando ipsi aquam de rupe *Horeb* dulcorando aquas *Marat*, & mittendo manna. Et

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans,

Ut patet Num. per totum.

Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.

AD cujus intellectum est notandum secundùm Naturales, & secundùm experientiam: quòd aquila præ cæteris avibus & animalibus nutrit filios suos: unde quatuor mirabilia beneficia ostendit filiis præ cæteris. Nam primò, splendidè pascit eos, & nobilibus cibis, id est, perdicibus, & leporibus, & cuniculis, &c. Secundò, sapienter custodit, collocando nidum in altis rupibus, ne quis possit accedere ad tollendum filios. Tertiò, prudenter docet eos volare, & venari, & cibum quærere, volitans super eos, ostendendo eis venationem: ut rapiant & discant cibum procurare. Quartò, collocat filios in loco fertili & copioso ciborum: unde quando filii sunt jam provecti & habiles ad venandum & quærendum cibum; tunc pater & mater quærunt eis locum & terminum semotum & aptum, & portant filios illuc, scilicet, masculum & fœminam, & dimittunt & collocant eos ibi in illo loco fertili & copioso, & ipsi revertuntur ad terminos suos. Ita ergo pariter fecit Deus erga illum populum. Nam primò, custodivit eum ab omni periculo. Secundò, cibavit ipsum manna de cœlo, & coturnicibus. Tertiò, docuit ipsum dando Legem. Quartò, collocavit ipsum in terra promissa fluente lacte & melle. Et sic Deus fuit similis aquilæ in custodiendo, & cibando, & docendo, & collocando illum populum.

Aquilæ circa pullos quatuor beneficia.

Dicit ergo *Moyses*, quòd Deus *circumduxit, & docuit, & custodivit* illum populum *sicut facit aquila provocans ad volandum pullos suos, & volitans super eos:* ut custodiat, & ipsi addiscant volare: & sic Deus ad modum aquilæ *expandit alas suas*: extendendo nubem super eos in die, ne urerentur ardore solis: *& assumpsit eum*, quasi *super humeros*, & *asportavit* eum per totum desertum. Et

Dominus solus dux ejus fuit: & non erat cum eo Deus alienus.

Exod. 14.

SOlus Deus *absque alio Deo alieno fuit dux illius* populi per quadraginta annos in toto illo itinere & peregrinatione: tandem autem *constituit eum* super illam terram *excelsam*, quam ipsis promiserat, quæ quidem terra promissionis primò dicitur *excelsa*, eò quòd est sita in alto loco, respectu *Ægypti* & *Arabiæ*, & *Chaldææ*: & etiam erat *excelsa*, respectu deserti Arabiæ in copia aquarum, & fructuum, & omnium ciborum.

* * * *
* * *
*

Cons-

Num. 33. & 34.

Constituit eum super excelsam terram : ut comederet fructus agrorum,

Ut sugeret mel de petra : oleumque de saxo durissimo.

Butyrum de armento , & lac de ovibus cum adipe agnorum , & arietum filiorum Basan:

Et hircos cum medulla tritici , & sanguinem uvæ biberet meracissimum.

IDEO Deus *constituit* & collocavit *eum* in illa terra , & super illam terram fertilem : *ut comederet fructus agrorum*, quibus illa terra abundat. Et *sugeret* ille populus *mel de petra*, quia ibi apes mellificant in cavernis petrarum & rupium : & *sugeret* & colligeret *oleum de saxo durissimo* : quia in terra lapidosa & saxosa crescunt olivæ , quæ reperiuntur abundanter in illa terra. Et *ut sugeret butyrum de armento* vaccarum , *& lac de ovibus* , quæ erant in magna copia in illa terra : quia Chananæi erant maximi cultores terræ. Et ideo plantaverant olivas , & vineas, & cæteras arbores , & seminaverant agros, & nutrierant greges ovium , & armenta boum in magna copia: quas quidem oves & arietes ducebant Chananæi de terra *filiorum Basan* ultra Jordanem furto , aut pretio : eò quòd terra Basan illis temporibus abundabat in pascuis , & gregibus ovium.

Et ideo dicit, quòd *constituit* Dominus illum populum super illam terram copiosam , ut *sugeret mel de petra* , *oleumque de saxo durissimo* , *& butyrum de armento* , *& lac de ovibus* , *cum adipe* & pinguedine *agnorum*, *& arietum filiorum Basan*: quia terra filiorum Basan abundabat in his. *Et* ut comederet *hircos* , non cum hordeo , nec cum furfure , sed *cum medulla* & farina *tritici* : *&* ut *biberent sanguinem uvæ* , id est vinum *meracissimum* & purissimum. Itaque Deus dedit eis illam terram , & constituit eos dominos super eam , ut comederent fructus, quos non plantaverant, & frumentum quod non seminaverant , & agnos & arietes quos non nutriverant , & biberent vinum de vineis quas non plantaverat : quæ omnia supradicta patent per totum discursum *Exodi* , & *Levitici* , & *Numeri* , & *Josue*. Deinde cùm dicit:

Incrassatus est dilectus , & recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus.

Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.

Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

Immolaverunt dæmoniis , & non Deo , diis , quos ignorabant.

Novi recentesque venerunt , quos non coluerunt patres eorum.

Deum , qui te genuit , dereliquisti : & oblitus es Domini creatoris tui.

De Pœn. d. 3. Quid ergo. Exod. 32. & 33. 24. q. 3. Sex. De Pœn. d. 5. Consideret , §. Dolendū. 15. q. 1. c. Merito, §. 1. ante fine.

PRædicit futuram ingratitudinem & scelera , & peccatum idololatriæ ipsius populi. Unde dicit , quòd ille populus præ cæteris Deo dilectus, cui Deus tot beneficia contulerat , & tot signa amoris ostenderat , *incrassatus* est ex abundantia delitiarum , & *impinguatus* ex abundantia divitiarum , & *dilatatus* in dominio & honore ; & sic oblitus beneficiorum à Deo receptorum , *recalcitravit* contra Deum , sicut equus pinguis & delitiosus contra dominum. Unde *dereliquit Deum factorem* , & creatorem , & benefactorem *suum* , *& recessit*, & apostatavit *à Deo salutari suo* , qui totiens salvaverat & liberaverat eum de captivitate Ægypti , & de aliis periculis. Obliti tot beneficiorum, *recesserunt à Deo* vero , & adhæserunt *diis alienis* : & sic *provocaverunt Deum* ad furorem & vindictam *in diis alienis* , id est, colendo deos alienos ; & *concitaverunt eum ad iracundiam in* suis *abominationibus*. Nam post mortem *Josue immolaverunt* sacrificia *dæmoniis* , *& non Deo* suo vero , sed dæmoniis *diis* suis falsis , *quos ignorabant* esse deos : qui quidem dii falsi *novi recentesque venerunt* inter eos , *quos patres eorum Abrahам* , *Isaac* , & *Jacob* , & *Moyses* , & *Aaron* , & cæteri antiqui *non coluerunt* , immò abominati sunt & exhorruerunt : quod quidem scelus perpetrarunt filii Israel in terra eis data : ut patet per totum discursum libri *Judicum*, & *Regum*.

Unde *Moyses* prævidens talia scelera futura illius populi , apostrophat ad eum, exprobrando & objurgando, & dicit : O popule scelerate *dereliquisti Deum* , *qui te*

te genuit & honorificavit : & *oblitus es Domini creatoris tui*, sequendo deos alienos. Quasi dicat : Non impunitus abibis A propter tantam ingratitudinem. Et ideo deinde cùm dicit:

4.Reg.25 De Pœn.d. 3.Productio, §. 1. & 15. q. 1. Revertimini.

Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est : quia provocaverunt eum filii sui & filiæ.

PRædicit illius populi punitionem & destructionem. Ad cujus evidentiam est primò notandum, quòd ille populus non semel, sed multotiens apostatavit à Deo, & secutus est deos alienos. Unde illicò post parvum tempus post mortem *Josue* fornicatus est cum diis terræ : sed B Deus incœpit eos opprimere per Reges finitimos : sed suscitavit eis *Othoniel*, qui liberavit eos. Et sic in ducentis annis decies apostatarunt, & decies Deus liberavit eos per *Judices*, quotienscumque revertebantur ad Dominum, ut patet per totum discursum *libri Judicum*. Et iterum tempore Regum, *Salomon* incœpit idolatrare, & tria templa idolorum fabricare, quæ perseveraverunt in *Hierusalem* usque ad tempora *Josiæ*.

Item, post *Salomonem* divisi sunt in duo regna. Unde regnum Israel semper perseveravit in idololatria : & pro majori parte Reges *Juda* & *Hierusalem* perseveraverunt in eadem. Sed cum tàm Reges C Israel, quàm Hierusalem frequenter moniti per Prophetas nollent desistere à via sua mala: ideo Deus incœpit primò attædiari contra Israel, & avertere faciem suam ab eis : & incœpit eos successivè punire. Nam primò venit *Thelgathphalnasar* Rex Assyriorum, & infestavit regnum Israel, & asportavit duas tribus cum dimidia, quæ habitabant ultra Jordanem, & etiam partem eorum, qui habitabant circa Jordanem, & transtulit eos in Assyrios, 1. *Paralip.* 5. quia semper perseverabant Reges Israel in eadem idololatria. Ideo venit *Salmanasar*, & transtulit & asportavit in captivitatem septem tribus cum dimidia, quæ remanebant citra Jordanem de regno Israel : & sic fuit penitus deletum illud regnum propter scelera sua, & D maximè propter peccatum idololatriæ, ut patet 4. *Reg.* 25.

Post mortem autem *Josiæ* incœpit Deus propter idem peccatum punire regnum Hierusalem & Juda per Reges Chaldæorum, videns obstinationem eorum. Nam primò venit *Nabuchodonosor*, & cepit Joachim Regem Hierusalem, & occidit eum, & duxit secum pueros omnes de semine regio in *Babyloniam*, inter quos duxit secum *Danielem*, & *Ananiam*, *Azariam*, & *Misaelem* cum multis aliis nobilibus. Et isti dicti filii obsides de *Hierusalem*. Iterum post tres annos reversus est *Nabuchodonosor*, & transmigravit E *Jechoniam* cum decem millibus nobilium in *Babyloniam*, & constituit *Sedeciam* in Regem Hierusalem. Sed cùm *Sedecias* in suis sceleribus cum omni populo perseveraret, permisit Deus ut contra Regem Babyloniæ rebellaret: & sic venit *Nabuchodonosor* in Hierusalem, & obsedit eam in gyrum decem & octo mensibus, in tantùm quòd matres ex inedia coactæ sunt comedere proprios filios : & sic capta & incensa est Civitas cum Templo, & à fundamentis eversa ; & Rex oculis orbatus, cum omni populo ductus est captivus in *Babyloniam*, & ibi miserabiliter interfectus. Et sic fuit finis miserabilis illorum F duorum regnorum propter peccatum idolatriæ, quos frequenter Deus per suos Prophetas monuerat, & multotiens eis pepercerat, & per magna tempora eos ad pœnitentiam expectaverat. Sed finaliter videns obstinationem eorum, decrevit à suis regnis eos ejicere, & in terras alienas in captivitatem & servitutem redigere, postquam maluerunt diis alienis quàm proprio Deo servire.

Hanc ergo futuram destructionem & captivitatem prædicit *Moyses* ex parte Dei, & comminatur illi populo. Et loquitur semper per verba de præterito propter certitudinem prophetiæ, & sententiæ Dei. Unde licèt Deus per magna tempo- G ra expectaverit correctionem illius populi: tamen quia finaliter *vidit* obstinationem & incorrectionem eorum, ideo *ad iracundiam concitatus est : quia filii sui & filiæ*, quos in filios & populum peculiarem sibi elegerat, *provocaverunt eum* ad iram & vindictam: quia est *generatio prava*, *& infideles* & rebelles *filii*: ideo

Et ait : abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum.
Generatio enim perversa est, & infideles filii.

45.d. cas Sed illud. Et 23. q. 5. cap. Si audieris.

H DEUS ait : Ego *abscondam faciem meam ab eis*, auxilium & favorem subtrahendo & negando. *Et considerabo novissima* scelera *eorum*, id est, secundùm novissimam obstinationem, & impœnitentiam eorum, reprobabo & puniam eos: eò quòd *est generatio perversa* & incorrigibilis, *& infideles filii*, & apostatæ, & idololatræ.

Unde notanter dicit: *Considerabo novissima eorum*, quia aliter se habet Deus in prædestinando hominem, & aliter in reprobando. Unde Deus non prædestinat ho-

Nota de Prædestinatione.

hominem, quia novit ipsum futurum bonum & justum: immò prædestinavit ipsum ab æterno, & præparavit gratiam ipsi, ut sit bonus & justus: quia *elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, ad Ephes.* 1. Sed per oppositum est de reprobatis. Nam non præscivit, nec reprobavit eos Deus ab æterno, ut essent mali & damnati. Sed quia præscivit eos semper & finaliter malos & impœnitentes, ideo eos reprobavit. Et ideo dicit Deus de illo populo, quem præscivit in sua idololatria obstinatum: *Considerabo novissima* scelera *eorum* incorrigibilia, & novissimam impœnitentiam & obstinationem eorum; & secundùm illa noviſſima puniam eos absque misericordia. Et ideo reddens causam, subdit: A B

28. q. 1. *Idololatria.*

Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus,

Sequendo deos alienos,

26. q. 1. *Sciendum*

Et irritaverunt in vanitatibus suis.

Et superstitionibus relinquendo verum cultum: ideo

45. d. *Sed illud. Et* 24. q. 1. *Nō turbatur.*

Et ego provocabo eos in eo qui non est populus;

ID est, subjiciam eos populo alieno, scilicet Babylonico, qui non est populus meus, sed alienus. C

Et in gente stulta irritabo illos.

ID est, contemnam illos, & ponam *in gente* inhumana & crudeli, quæ affligat eos sine misericordia. Quasi dicat: Sicut idololatrando, me negaverunt esse Deum suum, & adhæserunt diis alienis & falsis: ita ego negabo eos esse populum meum, & subjiciam eos genti alienæ, & stultæ, & crudeli; quemadmodum fuerunt Chaldæi, qui Civitatem & Templum incenderunt, & eos trucidaverunt, & captivos in Babyloniam duxerunt, & crudeliter eos & absque misericordia trucidaverunt & afflixerunt &c. Unde subdit: D

23. q. 5. §. ulti.

Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima:

IN illo Templo & Civitate, & comburet Civitatem & Templum usque ad infima fossæ fundamenta. Unde *scol* He-

braicè, idem est quod *fossa inferior* Latinè. Nam antequam muri ædificentur, priùs foditur & cavatur fossa, in qua jaciuntur fundamenta, super quæ ædificantur muri & parietes. Et sic dicit, quòd ille *ignis* combussit Templum & Civitatem usque ad sunflamenta, quæ latebant in fossa inferiori. Et ideo subdit: E

Devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.

IGnis ille *devorabit* totam *terram* Judææ *cum germine*, scilicet, cum omnibus arboribus, & vineis, & segetibus &c. *& comburet fundamenta montium*, scilicet, prædia & possessiones, quæ erant in montibus & radicibus montium: quia omnia combusserunt, & destruxerunt Chaldæi in illa obsidione. F

Et nota, quòd ille ignis non solùm intelligitur de igne materiali qui combussit Civitatem, & Templum, & totam terram; sed etiam intelligitur de igne furoris & iræ Dei, qui accensus & effusus est super illum populum propter supradicta scelera ejus: quia totaliter decrevit delere eos. Et ideo subdit:

Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. G

4. Reg. 35. 15. q. 1. *Reverti-mini. Et* 45. d. *Sed illud. Et* 24. q. 5. *Si audiero.*

Consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo:

Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

HEGO *congregabo super eos* multa *mala*, & prælia, & seditiones: & sic *sagittas meas*, id est, sagittas meę vindictæ *complebo in eis* per Chaldæos in illa obsidione; in tantùm quòd *consumentur*, & deficient, & peribunt *fame*; *& aves*, id est Chaldæi, veloces ad modum avium, *devorabunt eos morsu amarissimo.* Et *dentes bestiarum*, id est crudelitatem Chaldæorum, ad modum bestiarum, *immittam in eos cum furore trahentium*, id est reptilium, draconum, *atque serpentium*, id est, mittam contra eos Chaldæos, qui *devorabunt eos* tamquam bestiæ, & dracones, & serpentes, & gryphones, & aquilæ. Et sic

gladius cum machinis, & tormentis, & telis *vastabit eos foris*, continuè injiciendo arma bellica contra civitatem. *Et intus* vastabit eos *pavor* continuus: vastabit, dico, *juvenem simul ac virginem*, ac infantem *lactentem* in uberibus matris suæ, *cum homine sene*. Quasi dicat: quòd tantus erit strepitus armorum, & machinarum, & tormentorum in illa obsidione, quòd omnes status & conditiones ab *homine sene* usque ad infantem *lactentem* in sinu & ubere matris, trement & pavebunt, videntes imminere eis interitum, usquequò deveniant in finalem destructionem & captivitatem. Quæ omnia mala fuerunt completa in illo populo, & templo, & civitate, ut patet 4. *Regum ultimo*, & 2. *Paralipomenon, ultimo cap.*

10. q. 4. *Homini.*

Dixi: Ubinam sunt? cessare faciam &c.

HÆC est secunda pars hujus narrationis & comminationis, quam Judæi continuant cum præcedenti, exponentes totum de destructione Hierusalem facta per Chaldæos, nullam facientes mentionem de destructione secundi templi & civitatis, nec de ultima captivitate factâ per Romanos. Sed dictum est superiùs, qualiter *Moyses* prævidit in spiritu per revelationem totum discursum illius populi usque ad Christum, & substitutionem populi Gentilis; & prævidit destructionem utriusque templi. Et ideo postquam superiùs *Moyses* in persona Christi prædixit, & comminatus est destructionem primi templi & civitatis, quæ facta fuit per Chaldæos; nunc in hac secunda parte prædicit, & comminatur destructionem secundi templi & civitatis, & perpetuam captivitatem illius populi, quæ fuit facta per Romanos in vindictam mortis Christi.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd Judæi propter peccatum idololatriæ & obstinationis, merebantur non solùm deleri, & ejici de terra sua; sed totaliter deleri de mundo nullo remanente, nec umquam ad propria reverti; sed descendere ad inferni novissima. Sed Deus noluit Judæos totaliter de mundo delere, nec eos in perpetua captivitate detinere, ne *Nabuchodonosor*, & sui successores *superbirent* de victoria sua, putantes, Deum Judæorum esse victum ab eis, & Judæos non esse traditos suæ potestati propter peccata commissa contra Deum; sed in propriis viribus de ipsis Judæis obtinuisse triumphum. Et ideo Deus voluit post septuaginta annos reducere illum populum in terram suam, & excitavit spiritum *Cyri*, ut dimitteret captivitatem, & daret licentiam Judæis reædificandi civitatem & templum, ut ibi liberè Deo servirent usque ad adventum Messiæ, & deinceps à peccatis abstinerent & corrigerentur, & Messiam in Lege promissum fideliter reciperent in illo secundo templo reædificato. Sed ipsi pejus peccatum perpetrarunt & commiserunt contra Deum.

Nota de Dei misericordia.

Nam venit Christus Deus & homo Messias in Lege promissus, ut Legem declararet, & eos de captivitate liberaret; sed quia doctrina Christi erat eorum superbiæ contraria & avaritiæ; ideo conceperunt inexorabile odium contra eum: & obcœcati in sua malitia, contra Legem & omnem justitiam, ipsum morti tradiderunt; & quod pejus fuit, sponte in sua malitia & obstinatione manere voluerunt. Et sic *facta sunt novissima* populi illius *pejora* omnibus sceleribus *prioribus*. Ideo punitio eorum fuit æterna in corpore & anima. Nam per *Titum* & *Romanos* civitas cum templo fuit incensa: & ipsi partim fame consumpti & trucidati, & totum residuum in perpetuam captivitatem & servitutem fuit destinatum, & per totum orbem dispersum; & animæ eorum fuerunt ad æternam pœnam condemnatæ. Et sic in corpore & anima fuerunt puniti.

Et hoc est quod prædicit & comminatur Deus per *Moysen* in hac secunda parte, in qua tria facit. Primò enim explicat causam, quare Deus noluit totaliter eos in prima captivitate de mundo delere, sed eos à captivitate in *Hierusalem* revocare. Secundò, explicat irremissibile peccatum quod commiserunt contra Deum & Messiam ejus. Tertiò, perditionem eorum, & finalem destructionem, & perpetuam damnationem. Secunda ibi: *De Vinea Sodomorum.* Tertia ibi: *Nonne hæc condita sunt apud me.*

Quare Deus salvavit partem Judæorum.

Quantum ad primum est advertendum, quòd duplici de causa Deus voluit servare residuum illius populi, & non totaliter de terra extirpare & delere; immò voluit post septuaginta annos eos in terram suam revocare per *Cyrum*. Prima causa fuit, propter superbiam Regum Babyloniæ, & omnium Chaldæorum: ne putarent victoriam suam contra Judæos proveniisse ex viribus suis, & non ex peccato Judæorum: & ne propter hoc contemnerent Deum Israel, dicentes, eum esse impotentem, & victum. Unde *Balthasar* fecit convivium, & in vasis sacris templi dabat potum concubinis, & cæteris in contemptum Dei, ut patet *Dan.* 5. Secunda, ut remaneret tempus pœnitendi; ut recordati punitionis & captivitatis factæ, ne iterum peccarent, nec rebellarent contra Deum: sed per punitionem factam de præterito, caverent peccata de futuro, ne ampliùs rebellarent contra Deum in carne venturum, sed ipsum reciperent tamquam Salvatorem & Messiam,

&

& ejus doctrinam sequerentur. Et hoc est quod dicit Dominus per *Moysen* in hac parte. Unde ait : *Dixi : Ubinam sunt* isti Judæi scelerati? A

De Pœn. l. c. Taciturnitas, §. Deus enim.

Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Sed propter iram inimicorum distuli : ne fortè superbirent hostes eorum.

Et dicerent : Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia. B

CEssare *faciam memoriam eorum ex hominibus* : & delebo & extirpabo eos totaliter de mundo, ne ampliùs nominentur in memoria hominum, secundùm quòd merentur peccata eorum. Quasi dicat: Ita debuissem facere, scilicet, delere *memoriam eorum*. Sed ego *distuli* eorum vitam *propter iram*, & temeritatem, & superbiam inimicorum suorum Chaldæorum. *Ne fortè hostes eorum* Chaldæi *superbirent*, & gloriarentur de viribus suis, & de potentia sua ; *Et dicerent* : *Manus* & potestas *nostra excelsa fecit hæc omnia*, scilicet, superavit & captivavit Judæos, & incendit *Hierusalem* cum Templo, & *non* C fecit hoc *Dominus* Deus eorum ; immò fuit victus à nobis, nec potuit nobis resistere : quia ejus vasa sacra asportavimus in *Babyloniam*, & damus in eis bibere concubinis & familiaribus nostris, ut patet *Daniel.* 5. Secunda causa quare Deus noluit totaliter Judæos delere, sed eos de captivitate revocare, fuit : ut ex præterita punitione castigarentur, & corrigerentur, & præcaverent futuram & novissimam rebellionem ; sed quando veniret Messias reciperent eum. Sed quia hoc non fecerunt Judæi, immò totum oppositum ; ideo subdit Moyses:

14. q. 2. c. In Eccles. & 9. q. 3. cap. Aliorum.

Gens absque consilio est, & sine prudentia : utinam saperent, & D *intelligerent, ac novissima providerent.*

Quomodo persequatur unus mille, & duo fugent decem millia?

ISTA *Gens* Judaica *est absque consilio, & sine prudentia.* Unde est advertendum, sicut dictum est in principio, quòd ista doctrina simul est moralis & prophetica. Et ideo simul docet intelligere verum bonum, & cavere malum futurum. Ideo dicit, quòd ista *Gens* fuit sine *consilio*, in quantum nesciunt discernere inter E bonum & malum eorum quæ sunt ad finem ; & fuit *sine prudentia*, in quantum nescivit memorare præterita, & dispensare præsentia, & prævidere futura : immò semper in omnibus elegit pejorem partem, dimittendo Deum verum, à quo tot bona receperat, & sequendo deos falsos ; propter quod peccatum tot punitiones passa est. Et sic illa *Gens est*, & fuit semper *sine consilio* in non discernendo, *& sine prudentia* in male eligendo, & malum non cavendo, sed semper ad deteriora præcipitando & procedendo, usquequò Christum occiderunt. Et ideo subdit : Utinam F isti Judæi *saperent* Scripturas, id est, diligenter explorarent, & investigarent, & perscrutarentur cum sapore Scripturas: quia hoc pertinet ad sapientiam, quæ est de rebus divinis & altissimis, quæ in sola sacra Scriptura reperiuntur. Et *utinam intelligerent*, id est, ad intelligendum Scripturas cum humilitate & ratione se præparrarent, non ad sensum carnalem, sed spiritualem ; & sic *providerent*, id est, procul viderent *novissima* mysteria de Christo & Ecclesia, quæ in Scripturis latent & occultantur : & *providerent*, quomodo est Christus finis novissimus totius Legis, & quomodo omnes Scripturæ loquuntur de Christo tamquam de fine novissimo. *Christus est finis Legis.*

G Unde si Judæi fuissent usi bono consilio in discernendo, & bona providentiâ in eligendo, & sapuissent, & intellexissent sacras Scripturas ad verum sensum, & providissent novissima mysteria figurata per sacram Scripturam ; non negassent, nec occidissent Christum, partem pessimam & malam eligendo.

Item, si cum consilio & prudentia sapuissent & intellexissent victorias & punitiones præteritas, quomodò Deus puniverat eos propter peccata sua quotiens peccaverant : providissent novissima, & cavissent iterum peccare. Unde si sapuissent & intellexissent, & recordati fuissent, quomodo propter idololatriam totiens puniverat eos per finitimos tempore Judicum & Regum, & finaliter per Chaldæos H fuerunt afflicti, & destructi, & à finibus expulsi, & captivati in *Babylonia* : tunc providissent novissima, & non occidissent, nec negassent Christum.

Item, si sapuissent & intellexissent omnia supradicta, & cognovissent & cognoscerent, quomodo Civitas cum Templo fuit incensa per Chaldæos, & populus ductus captivus, & *quomodo* unus Chaldæus fugabat mille Judæos ; *& duo* fugarent decem millia Judæorum in illa obsidione : tunc cognoscerent, quòd hoc non evenit ex defectu & debilitate Dei, nec ex viribus & potentia Chaldæorum, & aliorum

rum adversariorum, sed ex peccato idolatriæ Judæorum. Unde A

Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?

Non enim est Deus noster ut dij eorum: & inimici nostri sunt Judices.

NOnne *ideo* Judæis evenit ista persecutio, *quia Deus suus vendidit eos*, & tradidit in manus inimicorum; *& Dominus conclusit illos* in illa obsidione propter peccata sua, supple, & non B ex impotentia Dei? Quasi dicat: Immò propter peccatam illius populi, *quia Deus noster non est* Deus victus, & impotens, *sicut dii eorum*, qui ab eis dicuntur quandoque victi & impotentes, ut patet in libro *Eneidos* 1. ubi dicit *Juno.*

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque penates.

Item in *libro* 2. ejusdem *Virgilii:*

Heu nihil in victis fas quemcumque fidere divis:

Ubi alii legunt, *invitis*, id est, nolentibus. C Ex quo patet, quòd dii *Trojanorum*, & aliorum Gentilium sunt impotentes & victi. Sed Deus noster non est impotens, sicut dii eorum; immò est omnipotentissimus: de quo *inimici nostri* infideles possunt esse *Judices*, & testes; eò quòd experti sunt multotiens omnipotentiam Dei nostri, ut patet in portentis & signis Ægypti, & in transitu maris Rubri, ubi dixerunt: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*, *Exod.* 15. Item, *Sehon* Rex *Amorrheorum*, & Og Rex Basan, & omnia regna *Chanaan sunt Judices* & testes de omnipotentia Dei nostri: quia in ingressu terræ D promissionis non mansit spiritus, nec vires in hostibus; in tantum quòd unus de populo Hebræorum fugabat mille de Chananæis. Item, *Nabuchodonosor* punitus à Deo dixit, quòd non erat alius Deus super terram, nisi Deus Hebræorum, *Danielis* 3. 4. & 5. Et ultimate *Cyrus*, & *Darius* Reges Persarum, qui interfecerunt *Baltharem* Regem Babyloniæ, & subjugarunt regnum, & relaxarunt captivitatem, *sunt judices* & testes de omnipotentia Dei: ut patet *Esdræ primo.* Ergo sequitur quòd destructio regni Judæorum non provenit ex viribus Caldæorum, nec ex impotentia Dei, sed ex peccatis Judæorum. E

Deus noster omnipotens.

In tota ergo supradicta particula ostendit *Moyses*, quòd licèt Judæi ex suis demeritis & peccato idololatriæ meruissent totaliter deleri à memoria hominum: tamen Deus voluit eis prolongare vitam, propter tria. Primò, ne inimici infideles superbirent & gloriarentur de viribus suis, & atribuerent victoriam diis suis. Secundò, ut Judæi *saperent & intelligerent* scripturas, & considerarent punitiones factas, & per illas caverent futura peccata, & *providerent novissima* mysteria de Christo & Ecclesia, & reciperent Christum in adventu suo, ne illi essent iterum rebelles, sicut priùs. Tertiò, ne Gentiles putarent Deum nostrum esse impotentem & victum, F & non potuisse juvare cultos suores: sed ut Judæi cognoscerent illam punitionem sibi fuisse inflictam propter scelera & peccata sua, & propter idololatriam, Deo permittente ipsos rebellare Regi Babyloniæ, & per ipsum affligi. Deinde cùm dicit:

Judæos vivere voluit Deus propter tria.

De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ:

Vua eorum uva fellis, & botri amarissimi.

Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. G

Jerer. 9. & 23. q. 1. c. ult. & ad Roman. 12.

PRædicit ultimum peccatum Judæorum commissum contra Deum & Messiam in Lege promissum. Unde supra dixit Deus, quòd ideo reliquit, & revocavit eos à captivitate ad terram suam; Primò, ut inimici non superbirent, & putarent Deum nostrum impotentem. Secundò, ut Judæi deinde saperent, & intelligerent scripturas; & providerent novovisima de Christo venturo, & non negarent, sed reciperent ipsum, & deinde caverent rebellare contra Deum. Sed ipsi Judæi fuerunt sine sapientiâ, & consilio, & providentiâ, quia pejora scelera com- H miserunt, quàm priùs. Nam ante destructionem primi Templi peccaverunt per idololatriam: sed post captivitatem in fine secundi Templi, non solùm fuerunt Deo rebelles negando Christum Messiam suum; sed etiam ex odio ipsum occiderunt, & in eadem infidelitate & obstinatione permanserunt: quorum peccatum, & ejus gravitatem explicat Deus per *Moysen* per comparationem vineæ, & vuæ, & vini.

Ad cujus intellectum est notandum, ut patet *Isai.* 5. quòd totus ille populus ab *Adam* & *Abel* usque ad adventum Christi dictus fuit *vinea Christi*; ut dictum

est

Vinea dicti sunt Judæi.

est *Psalm.* 79. & *Ezechiel* 17. Quam vineam coluerunt Patriarchæ, & Prophetæ, & omnes fideles veteris Testamenti A expectando ut faceret illam salutarem uvam & *botrum*, qui fuit Christus: qui quidem botrus & uva fuit torta & expressa in torculari crucis, ex qua expressum est vinum Sacramentorum ad salutem omnium fidelium, simul cum vino generalis redemptionis: & sub tali fide & spe omnes fideles veteris Testamenti colebant istam vineam & Legem Moysi. Sed ista *vinea Legis* jam protulit uvam suam in adventu suo: & Collegium Apostolorum & fidelium jam protulerunt fructum fidei. Sed Synagoga non fecit uvas fidei, sed labruscas amarissimas infidelitatis, & odii, & homicidii contra Christum. Et sic ex vinea Domini facta est *vinea Sodomorum & Gomorrhæ*. Et sic patet, quòd domus B Israel, quæ erat *vinea Domini exercituum*, divisa fuit in duas partes: Quarum minor recepit Christum per fidem; & sic fecit verum fructum, & collegit de vinea legis uvam salutarem, qui fuit Christus, ex qua expressit vinum redemptionis & Sacramentorum. Et sic ista minor portio mansit vera cum suo fructu. Altera autem pars minor non fecit vuas fidei, sed *labruscas* amarissimas infidelitatis, odii, & homicidii: quia non solùm non recepit Christum; sed negavit, & occidit eum. Et sic ex Lege non collegit fructum salutis & redemptionis, sed damnationis; & sic facta est pars vineæ *Sodomorum* tota Synagoga Judæorum, quæ Christum negavit usque in hodiernum C diem. Et ideo dicit Moyses: quòd Judæi non sapuerunt Legem, nec intellexerunt eam, nec providerunt novissima Christi, quæ in Lege erant figurata & promissa, & in Prophetis prænuntiata. Ideo vinea eorum facta est *de vinea Sodomorum*, id est sterilis & cœca.

Sodoma dicitur cœcitas.

Ad cujus intellectum est iterum notandum, quòd *Sodoma* interpretatur *sterilis*, & *cœcitas*, aut *pecus*, aut *declinatio*. Dicitur enim *cœcitas*; eò quòd ex passione vitiorum percussa fuit cœcitate mentis, in tantum quòd perdidit judicium rationis, & omnes effecti sunt bestiales in moribus: quia abutebantur vitio luxuriæ in masculos. Ideo *Sodoma* interpretatur *pecus* & *bestia*. Unde voluerunt abuti D duobus Angelis, qui ingressi sunt in domum *Loth*, nisi quod percussi sunt cœcitate; & sic facti sunt cœci corpore & mente. Unde *Sodoma* cum suburbanis & civitatibus adjacentibus submersa & combusta est, & sterilis facta, ut patet *Genes.* 19. Hoc idem factum est de *Gomorrha*, cum suis vicis, & ruribus & suburbanis: Ideo *Gomorrha* interpretatur *cœcitas* & *seditio*, aut *timor popularis*. Et quia populus Judaicus, sive Synagoga fuit percussa cœcitate mentis & odii in adventu Christi, & non fecit fructum fidei; ideo E dicitur *cœca*, *sterilis*, & *bestialis*: & seditiosa sicut *Sodoma* & *Gomorrha*. Et sic jam non dicitur *vinea Domini*, sed *vinea Sodomorum* & *Gomorrhæ*. Unde sicut societas Apostolorum, & Discipulorum, & omnium conversorum facta est *vinea Domini* per fidem: ita Synagoga per infidelitatem & cœcitatem facta est *vinea Sodomorum*, & *Gomorrhæ*.

In Vinea tria considerantur.

Tertiò est ulteriùs notandum, quòd sicut in *vinea* considerantur tria per ordinem, scilicet ipsa vinea, quæ est congregatio vitium, & palmitum viridium: secundò, uva quæ inde colligitur: tertiò, vinum quod ex uvis exprimitur: Ita pariter *vinea Ecclesiæ* fuit ipsa congregatio F Apostolorum sub virore unius fidei adunatorum. Fructus autem, sive uva hujus vineæ, fuit charitas, quâ Christum receperunt: vinum autem, gratia & effectus redemptionis. Et etiam vinum hujus vineæ fuit prædicatio Euangelica, & operatio miraculorum, quam Apostoli ex fide & charitate expresserunt. Per oppositum Synagoga. Nam quia illa vinea erat cœca, & in odio contra Christum inveterata: ideo peperit *uvas* & *botros amarissimos* mendacii & falsi testimonii contra Christum: & sic fecit Deum & Legem mendacem, quando Christum negaverunt.

Unde Judæi primò conceperunt odium contra Christum in corde, & cœcitate mentis. Secundò, protulerunt mendacium, & falsum testimonium, & blasG phemiam contra eum in ore. Tertiò, commiserunt homicidium in operatione, quando ipsum crucifixerunt. Quartò, manserunt in infidelitate, & obstinatione, damnatione perpetua. Radix ergo & vitis illius *vineæ Sodomorum* est cœcitas, & odium inveteratum: uva autem fuit mendacium, & falsum testimonium, & blasphemia dicta contra Christum: vinum fuit homicidium & mors Christi: acetum autem factum ex illo vino est obstinatio accerrima, & damnatio amarissima, & desolatio, quæ manet & perseverat in illo populo usque in finem.

Hoc est ergo quod intendit dicere *Moyses* in hac particula: scilicet, quòd Deus noluit totaliter delere istam viH *neam* in illa captivitate *Babylonis*; immò vocavit ipsam, ut saperet & intelligeret Legem, & novissima mysteria Christi provideret, & Christum in adventu suo per fidem reciperet, & veras uvas fidei, & verum vinum colligeret & faceret &c. Sed totum oppositum fecit. Nam *vinea* & *Synagoga* degenerans à Lege, & recedens à Deo, facta est *de vinea Sodomorum & suburbanis Gomorrhæ*, per odium & cœcitatem mentis. Et ideo *uva eorum* fuit *uva fellis*, & *botrus amarissimus*, quan-

quando negaverunt Christum, & Legem & Prophetas mendaces fecerunt, & falsum testimonium contra Christum dixerunt, & amara convitia & opprobria inflixerunt. Et *vinum eorum* fuit tamquam *fel draconum*, quando ipsum amarè morti & cruci tradiderunt, & ipsi acetum felle mixtum porrexerunt: acetum autem eorum fuit *venenum insanabile* obstinationis & infidelitatis, quod in eis perseverat: quia est eis *insanabile* sicut *venenum aspidum*.

Synagoga aspit.

Unde *Synagoga* quasi per omnia facta est *similis aspidi*: nam sicut aspis est surda & cœca; ita Synagoga post Christum mansit cœca & surda: quia nec potest, nec vult audire veritatem Sacræ Scripturæ: immò ponit sibi caudam obstinationis in aure dextra, ne audiat vocem Euangelicam, ut dictum est *Psal.* 57. Item, sicut *venenum aspidum* est *insanabile*: ita venenum obstinationis & odii Synagogæ & peccatum est insanabile usque ad Judicium. Ita eorum damnatio venenata, est insanabilis, & pœna irremissibilis & infinibilis, sicut peccatum *Sodomæ* fuit insanabile. Et sic patet, quomodo *Synagoga* facta est *de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ*, postquam negavit & crucifixit Christum. Unde notanter dicit, *de suburbanis Gomorrhæ*. Nam sicut Sodoma, & Gomorrha habebant suburbana, scilicet vicos & rura confinia, quæ participabant peccata & punitionem illarum civitatum, quia cum civitatibus fuerunt punita suburbana, & sic manserunt destructa & sterilia: Ita pariter omnia suburbana ipsius *Hierusalem*, quæ consenserunt in necem Christi, & omnes Judæi, qui manent in eadem obstinatione, dicuntur *de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ:* quia *Synagoga* cum suis suburbanis, & sequacibus obstinatis Judæis dicta est *Sodoma, & Gomorrha*, scilicet cœca, & sterilis, & bestialis, & damnata, ut patet *Isai.* 1. ubi appellat principes Synagogæ *principes Sodomorum* propter cœcitatem, & obstinationem, & bestialitatem. Item, sicut *Sodoma, & Gomorrha* habuerunt suburbana, quæ participarunt peccatum eorum: ita pariter peccatum cœcitatis & odii Judæorum habuit *suburbana peccata*. Nam ex illa cœcitate & odio proruperunt in mendacium & falsum testimonium, & blasphemiam, & homicidium, & infidelitatem, & obstinationem, & *venenum insanabile* odii & rancoris, quod habent contra Christum & Christianos. Et ista sunt *peccata suburbana* illius peccati Judæorum. Ideo dicit *Moyses: Vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ*. Deinde cùm dicit:

Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?

Mea est ultio, ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum.

Juxtà est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

32. d. c. Erubescat 22. q. 2. Si quælibet. Et 23. q. 4. c. Displicet.

PRædicit punitionem peccati supradicti, quæ fuit facta per *Titum* & exercitum *Romanorum* in destructione secundi Templi. Dicit ergo Deus: *Nonne hæc* scelera supradicta commissa contra Christum & Messiam, *condita* & reposita *sunt apud me*, & bene *signata* & sigillata *in thesauris meis*, id est, in memoriâ meâ, quæ est arca & thesaurus omnium præteritorum; præsentium, & futurorum: quia novi omnia antequam fiant? Quasi dicat: Non oblitus sum injuriam factam Christo Filio meo. Et ideo dico vobis, quòd *mea est ultio*, id est, ad me pertinet facere ultionem & vindictam hujus peccati de Judæis. *Et* ideo *ego retribuam* eis pœnam *in tempore* constituto: sed differo modò: *ut* magis *labatur pes eorum* ad alia scelera. Unde hoc dicit: quia in illis quadraginta annis, quos Deus dedit eis ad pœnitentiam, plura scelera commiserunt, ad majorem punitionem & pœnam eorum.

Judæi glossant ly *ut* per *quotiescumque*: hoc est: *Ego retribuam eis quotiescumque labatur pes eorum ad peccandum.* Vel ly *ut* potest poni pro *licèt*, id est, licèt in illis quadraginta annis *labatur pes eorum* ad peccandum; tamen non diu differetur eorum punitio: quia *juxtà est dies perditionis* eorum. Item, licèt modò concedatur eis potestas ut occidant Christum: tamen *juxtà* & propè est *dies perditionis* eorum. *Et tempora festinant* & properant *adesse*, id est, ut citò fiat, & compleatur eorum destructio & punitio per *Titum* & *Romanos*. Quia

Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis miserebitur.

15. q. 1. c. Firmissimè.

HOC dicit: Nam quando Deus statuit mittere *Titum* & *Vespasianum* cum exercitu Romano contra *Hierusalem*, priùs antequam obsideretur apparuit Angelus Domini, & præcepit omnibus fidelibus Christianis, ut recederent ab *Hierusalem*, & fugerent futurum excidium civitatis, ut ait *Eusebius in* 2. *Ecclesiasticæ Historiæ*.

Et

Et sic Christus condemnavit & punivit omnes Judæos obsessos in Hierusalem, sed misertus est Christianis, monendo, eos ut A fugerent illam stragem & punitionem: sed tota congregatio malorum Judæorum mansit, & fuit inclusa & obsessa in civitate, quorum partim fuerunt machinis bellorum in muris interfecti; partim fame consumpti; partim gladio in captione trucidati; & cæteri in captivitatem dispersi. Et ideo subdit, quòd Deus, & quilibet alius

8. q. 1. Sunt plurimi.

Videbit quòd infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt,

Jerem. 2.

Et dicet: Ubi sunt dii eorum, in B *quibus habebant fiduciam?*

Num. 28.

De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.

INfirmata & debilitata *sit manus* & potestas illius populi in illa obsidione, & *clausi* & obsessi *defecerunt* in virtutibus, victualibus, & in consilio, & omnibus necessariis: *& residui consumpti sunt* fame, & gladio, & captivitate. Et tunc *Romani* videntes Judæos obsessos & destitutos à C Deo, *dicent*: *Ubi sunt dii eorum*, scilicet Judæorum, *in quibus habebant fiduciam*? *De quorum victimis* & sacrificiis *comedebant adipes*, & pinguedinem, & *bibebant vinum libaminum* & oblationum. *Surgant* ergo dii vestri, ò Judæi, & *opitulentur vobis*, & *protegant vos* in hac vestra necessitate, & liberent vos de manibus nostris.

Et nota, quòd Romani & Gentiles loquebantur secundùm consuetudinem eorum: Nam sicut ipsi Gentiles colebant plures Deos, quibus offerebant diversa sacrificia: ita putabant, quòd Judæi colerent plures deos, propter multitudinem & diversitatem sacrificiorum, & holocaustorum, & oblationum, & libaminum. Item, putabant, quòd dii civitatis obses- D sæ & captæ pariter vincebantur cum civitate à diis exercitus vincentis & triumphantis, sicut dictum est de diis *Trojanorum*. Secundum ergo hanc consuetudinem dicebant Romani Judæis obsessis: *Ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam*? Quasi dicerent: aut dormiunt, aut sunt victi. Et maximè hoc dicebant Gentes exercitus, eò quòd sentiebant, quomodo populus obsessus continuè clamabat ad Dominum in templo, & offerebat oblationes & sacrificia; & tamen Deus non exaudiebat eos, sicut dictum est *Psalm.* 17. *Clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit* E *eos*: eò quòd jam erat clausum cœlum orationibus eorum. Et ideo Gentes exercitus habebant causam dicendi: dii vestri

Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. 15. q. 5. c. 1.

QUasi dicerent: Fortiores sunt dii Romanorum, quàm Judæorum. Sed ad hoc respondet Deus, dicens:

Videte quod ego sim solus, & non De Consec. d. 3. c. ult.
F *sit alius Deus præter me.*

QUasi dicat: Vos Romani putatis, quòd in Israel & Hierusalem sint plures dii, quòd dii vestri sunt fortiores diis Hierusalem, eò quòd non opitulantur eis, nec protegunt eos in hac necessitate & obsidione &c. Et ego dico vobis, ut videatis & consideretis bene, *quòd ego sim solus Deus, & non sit alius Deus præter me.* Et ideò si vellem liberare istum populum, ego bene possem liberare. Sed ego dimisi eum propter peccata sua: & sic permisi, ut rebellarent contra Romanos, ut venirent contra Hierusalem: G & abstuli & abstraxi auxilium meum & custodiam Angelorum ab eis, & tradidi eos in manus vestras puniendos. Et sic non gloriemini, nec putetis Deos vestros victores: *quia ego sum solus Deus, nec est alius Deus præter me*: quia dii vestri sunt falsi & impotentes. Et ideo ego per vos Romanos tanquam per ministros volui punire istum populum propter peccata sua. Unde

Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere. 61. d. c. Nasci. Sap. 5. & 10. q. 1. c. Magnũ

H

EGO *occidam* istum populum Judaicum, & *vivere faciam* populum Gentilem per fidem. Et ego *percutiam* istum populum cœcitate & livore, & *sanabo* populum Gentilem à peccato. *Et non est* aliquis *qui possit eruere* se, nec aliquem alium *de manu mea*. Item, quosdam de isto populo *occidam* per peccatum, & quosdam eorum *faciam vivere* per fidem & gratiam, sicut fuerunt Apostoli, & etiam multi, qui quotidie convertuntur. Et quosdam ego *percutiam* cœcitate,

tate, & quosdam *sanabo* per Baptismum & pœnitentiam: Et sic *nemo potest eruere de manu mea*, quem ego punio. Qua propter ego sum qui punio istum populum, & non dii Gentium, sicut vos putatis. Et ideo ego Deus A

23.q.5.c. *Prodest.*

Levabo ad cœlum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum.

23. q. 1. *Quid culpatur.*

Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea;

Et 23. Quòd 5.§ ult.

Reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. B

Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes,

De cruore occisorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.

LEvabo *manum meam in cœlum*, id est, cum jurejurando dicam: *Vivo ego in æternum*, id est, sicut vivo ego in æternum, ita sententia mea contra populum Judaicum est immobilis, & stabilis, & firma. Quod *si acuero* (& ponitur *si* pro *quando*) id est, quando ego *acuero gladium* sententiæ meæ *ut fulgur* contra Judæos, & *manus mea arripuerit judicium*, id est, proposuerit, & decreverit judicare eos & punire: tunc *reddam ultionem* & vindictam *hostibus meis* Judæis qui me crucifixerint; *Et retribuam* vicem *his qui oderunt* & negaverunt *me*. Et *inebriabo sagittas meas*, id est, Romanos, sanguine Judæorum; *Et gladius meus devorabit carnes* eorum in excidio Hierusalem. Et *inebriabo* & satiabo *sagittas* & gladios meos *de cruore* inimicorum *occisorum*, & *captivitate capitis nudati* & abscisi; & *captivitate* templi *nudati* & expoliati. Unde Judæi D glossant: *De captivitate nudati*, id est, *capitum abscisorum*, ponendo singulare pro plurali, ut sæpe fit in Scriptura. Unde *capita abscisa* dicuntur *nudata*, & *expoliata*, & *separata* à corpore. Et sic de cruore jugulatorum, & capitum abscisorum Romani satiarunt gladios suos. C

Exhortatio ad custodiam mandatorum.

Laudate Gentes populum ejus: quia sanguinem servorum suorum ulciscetur:

E *Et vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.* 15.q.1.c. *Firmissimè.*

HÆC est tertia pars principalis, in qua prædicit conversionem populi Gentilis ad Christum & ejus Ecclesiam. Unde postquam superiùs prædixit finalem destructionem illius templi, & reprobationem illius populi: quia post prædicationem Euangelii ipsa Synagoga jam non ampliùs fuit *de vinea Domini*, sed *de vinea Sodomorum*, & *de suburbanis Gomorrhæ*, & diaboli: Ideo Deus voluit sustinere populum Gentilem, & vocare ad Ecclesiam: ut ex conversis de F populo Gentili cum Apostolis, & conversis de Judaismo fieret una Ecclesia. Et quia populus Gentilis, qui antè abominabatur Deum cum populo suo, post conversionem laudavit Deum & populum ejus. Ideò conversus *Moysès* ad populum Gentilem, dicit: *O Gentes laudate* vos *populum Dei*, qui remanet conversus de Judaismo, postquam populus Judaicus reprobatus est: quia ex populo Dei factus est *de* populo & *vinea Sodomorum*.

In Hebræo habetur: *Exultate Gentes in populo ejus*. Translatio *Septuaginta* habet: *Lætamini Gentes cum plebe*. Et ita allegat hunc textum Apostolus *ad Romanos* 15.: Et sic littera est magis clara ad propositum. Unde dicit *Moysès*: Postquam Synagoga recessit, & est reprobata à populo Dei, ergo vos G Gentes venite ad fidem Christi, & lætamini cum plebe ejus, & gaudete beneficio redemptionis & gratiæ Sacramentorum, post quam Judæi indignos se fecerunt: Quia Christus *ulciscetur* & vindicabit *sanguinem servorum suorum*; scilicet *Stephani*, & *Jacobi*, & aliorum, quem Judæi effuderunt. *Et etiam retribuet vindictam in hostes* Tyrannos, & Reges Paganorum, qui persecuti sunt Ecclesiam, & effuderunt sanguinem Martyrum: & finaliter Christus *erit propitius terræ populi sui*: id est, totius Ecclesiæ toto Orbe diffusæ, quia finaliter Judæis trucidatis, & captis, & subjectis, & dispersis, & Tyrannis & infidelibus extirpatis & cor- H rectis, Deus prosperabit Ecclesiam suam: quod impletum est per conversionem *Constantini*.

Ex supradictis patet, qualiter doctrina *Moysi* in hoc Cantico, non solùm fuit moralis, & exhortatoria, & comminatoria, sed etiam prophetica, prænuntians gesta futura in illo populo. Et sic *Moysès* fuit verè Propheta in hoc Cantico; & non solùm habuit spiritum simplicem prophetiæ, prædicens solùm ventura in illo populo, (ut glossant Judæi, & quidam Catholici hoc Canticum usque ad captivitatem Babyloniæ inclusivè, & liberationem ejus:) sed habuit

buit duplicem spiritum prophetiæ, per quem sua prophetia se extendit usque ad Christum & Ecclesiam, & ad destructionem secundi Templi & civitatis, & electionem & substitutionem populi Gentilis in Ecclesia & populo Dei. A

Unde manifestè prædicit *Moyses* destructionem primi Templi & civitatis, & captivitatem factam per Chaldæos propter peccatum idololatriæ & ingratitudinis, ut patet ab illo loco: *Peccaverunt, & non filij ejus*, usque ad illum: *Et dixi: ubinam sunt?* Secundo prædicit destructionem secundi Templi & Civitatis propter aliud peccatum gravius; primò, quòd *vinea* illius populi facta est *de vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ* propter cœcitatem, & amarissimum odium: & venenum peccati eorum factum est insanabile & irremissibile: quod non potuit esse aliud in secundò Templo, nisi negatio & mors Christi, ut manifestè patet ab illo loco: *Et dixi, ubinam sunt?* usque ad illum locum: *Laudate Gentes populum ejus.* Unde post destructionem primi Templi, & tempus captivitatis Babylonicæ prædicitur revocatio eorum, & prorogatio status illius populi; ne inimici superbirent, & ut ipsi Judæi saperent & intelligerent, & providerent novissima mysteria de Christo & Ecclesia in lege & Prophetis promissa & prænuntiata. B

Sed post destructionem secundi Templi & Civitatis factam per Romanos, non C promittitur, nec prædicitur relaxatio hujus captivitatis, in qua perseverant: nec prædicitur reædificatio Templi & civitatis; sed prædicitur substitutio populi Gentilis, & vocantur Gentiles, ut veniant ad Ecclesiam ad laudandum Deum cum Apostolis, & recipiantur cum eis ad Ecclesiam, & gaudeant beneficio redemptionis, sicut fuit prophetarum *Zach.* 8. *circa finem*, ubi dicitur: *Venient populi multi, & Gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalem, & deprecandam faciem Domini.* Et, *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent decem fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim quòd Deus vobiscum est.* Quod fuit impletum, quando Gentiles videntes signa, & miracula, & doctrinam Apostolorum, sponte & cum gaudio quæsierunt & petierunt recipi in Ecclesiam Christi cum conversis de Judaismo, Synagogâ reprobatâ & abdicatâ. Unde de conversione & substitutione popoli Gentilis patet per totum discursum D legis & Prophetarum. Et hoc voluit dicere *Moyses*, cùm concludit:

Laudate Gentes populum ejus &c.

SUPER CANTICUM B. VIRGINIS MARIÆ

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

EX HISPANORUM REGUM ILLUSTRI propagine nobilissimæ filiæ, ac dilectissimæ Dominæ *Elisabeth de Billena*, Abbatissæ sancti Monasterii Sanctæ Trinitatis Urbis Valentiæ, *Jacobus Perez* Episcopus Christopolitanus in Filio Virginis, salutem.

INGENTI cum affectu orasti sæpenumerò imbecillitatem meam, Domina dilectissima, ut qui Commentarios in Psalmos David quondam edideram, & Cantica ferialia simul cum Cantico *Ambrosii* & *Augustini* non multo post tempore exposueram, nunc autem ad *Canticum Virginis* exponendum, animum appellere non negarem. Indignum enim ac reprehensibile existimabas, si inter tot labores mihi dudum assumptos Canticum tantæ Virginis maneret omissum. Addebas præterea: ne illius laudibus explicandis calamo parcerem, & ne prolixitatis metu, aut quovis alio siniſtro respectu cuncta ejus privilegia, dignitatesque à Deo eidem largitas silentio paterer pertransire; & hoc, ut habeant, quæ in tuo sacro Collegio tecum Domino serviunt virgines & filiæ, unde in laudibus Virginis die noctuque contemplentur. Quod quidem opus tam arduum & inextricabile mihi aggrediendum perdifficile existimavi. Hoc est enim illud *Psalterium decachordum*, quod David in suis Psalmis in persona Virginis Mariæ, & totius Ecclesiæ sæpenumerò cantandum pollicetur. Quod quidem Canticum ipsa intemerata Virgo afflata Spiritu Sancto decem brevibus versibus absolvit, & decantavit. Quis ergo dignè cogitare queat hujus Cantici inaccessibilem profunditatem, in quo non solùm cuncta mysteria, ac promissiones Patriarcharum, & vaticinia Prophetarum fuisse completa in Christo dignoscuntur; verumetiam tota veritas Euangelica brevi sermone referatur? Aut quis denique tantæ Virginis laudum immensitatem poterit humanis verbis explicare, & tot beneficia ipsi à Deo collata parvo libro conscribere: quæ illum suo virgineo gremio meruit gestare, cui Angeli serviunt, dœmones contremiscunt, cœli parent, & muta obediunt elementa? Quid ergo dicam pauper ingenio, egens eloquio, præsertim cum mihi ægritudine oculorum pergravato, non modò calami officio uti non conceditur; verumetiam legendi facultatem liberam videam denegari? Verumtamen tantæ Virginis devotione compulsus, & ea, quam erga me semper gessisti, charitate convictus, tuis devotis exhortationibus satisfacere, & prout mihi desuper fuerit condonatum, obedire conabor; & quid sibi velit Virgo Maria in hoc altissimo Cantico, superno semper fretus auxilio, & tuis, tuarumque filiarum orationibus præmunitus, perscrutari tentabo. Tandem autem ad Virginis Filium mea verba convertens, simul cum eadem Virgine tympanistria nostra hoc psalterium decem chordarum canere incipiam.

IN CANTICUM VIRGINIS MARIÆ

PROOEMIUM.

Magnificat anima mea Dominum.

Luc. 1. HUic Cantico præponitur talis titulus, scilicet *Canticum Virginis Mariæ*, eò quia ipsa ipsum edidit & primò cantavit, sicut dictum est. Sed quia totum istud Canticum, & ejus sententia & intelligentia fundatur in verbis *Angeli Gabrielis* quando salutavit *Virginem Mariam* in Incarnatione Filii Dei; & in verbis *Elisabeth* quando Maria salutavit eam: ideo ad consequendam intelligentiam hujus Cantici necessariò est præhabenda intelligentia illorum verborum. Et ideo antequam veniamus ad expositionem & divisionem hujus Cantici, breviter percurremus dicta Angeli & Elisabeth, Luc. 1.

§. I.

UNde ait *Lucas* Euangelista, quòd in mense sexto post conceptionem Joannis Baptistæ *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Næzareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David: Et nomen Virginis Maria.* In quibus verbis verificantur dicta Prophetarum: quòd Christus ex Virgine erat nasciturus, prout prædixerat *Isai. 7.*: *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium &c.* Et etiam verificantur promissiones Patriarcharum, quòd Christus erat nasciturus ex *David*, & per consequens de tribu *Juda*, & de genere *Jacob*, & *Abrahæ* secundum carnem, sicut eis fuerat promissus. Et ideo subdit *Lucas*, quòd *Gabriel* ingressus ad Virginem Mariam explicavit suam legationem ex parte Dei, dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.*

Quatuor nova, seu beneficia Angelus nuntiavit Mariæ.

In qua quidem legatione, & in quibus verbis quatuor bona nova, & magna beneficia annuntiat Angelus. Primò Virgini Mariæ, & ex consequenti toti generi humano annuntiat universalem redemptionem, & salutem generis humani, cum ait: *Ave.* Secundò annuntiat plenitudinem gratiæ, quam primò consecuta est Maria, & exinde tota Ecclesia, cum ait: *Gratia plena.* Tertiò annuntiat adventum Filii Dei in ejus uterum, & exinde in totam Ecclesiam, cum subdit: *Dominus tecum.* Quartò annuntiat benedictionem & dignitatem Mariæ super omnes mulieres, cum subdit: *Benedicta tu in mulieribus.*

Quatuor mala propter peccatum Adæ.

Ad quorum intellectum est notandum: quòd quatuor mala incurrerunt primi parentes ex transgressione præcepti Dei in esu cibi prohibiti. Primò incurrerunt mortem corporis & animæ. Secundò, iram & indignationem Dei. Tertiò, exilium. Quartò, *Eva* specialiter simul cum omnibus mulieribus incurrit maledictionem ærumnarum & miseriæ in conceptibus, & partubus suis. Quæ omnia quatuor mala fuerunt denuntiata in sententia data primis parentibus, quando Angelus ejecit eos de terrestri paradiso. Unde annuntiata fuit eis mors, quando Deus dixit *Adæ*: *Pulvis es &c.* Et tunc fuit annuntiata ira Dei contra eos, quando se noverunt nudos ab omni gratia, & audierunt vocem furibundam Dei *deambulantis ad auram post meridiem*: in qua voce timuerunt, & se absconderunt à facie Dei, cognoscentes, se iram & indignationem Dei incurrisse. Item, tunc fuit annuntiata *Evæ*, & omnibus mulieribus specialis maledictio, cum dixit ei: *multiplicabo ærumnas tuas &c.* Sed tunc fuit eis annuntiatum perpetuum exilium, & separatio à Deo, quando ejecti sunt de paradiso & in hanc vallem lacrymarum emissi & relegati.

Sed omnia supradicta quatuor mala fuerunt annuntiata primis parentibus à Deo per Angelum, tanquam per substantiam mediam, ut inquit *Augustinus*. Ideo per Angelum voluit Deus annuntiare Virgini *Mariæ* in hac legatione absolutionem generalem factam per Christum ab illis quatuor malis supradictis. Nam primò sicut Angelus primis parentibus annuntiavit mortem corporis & animæ: ita per oppositum nunc annuntiat Mariæ vitam & salutem, & perconsequens absolutionem à morte, cùm dicit ei: *Ave*, id est salve, & salus sit tibi, & toti generi humano. Unde *salus* idem est quod vita integra sine defectu contra omnem morbum & mortem, sicut dictum est in expositione *Psalm.* 8. & dicetur infra. Item secundò, illis Angelus denuntiavit iram & indignationem: sed *Mariæ* annuntiat gratiam, & per consequens absolutionem ab illa ira, cùm subdit: *Gratia plena.* Item tertiò, illis denuntiavit perpetuum exilium à facie Domini: sed *Mariæ* annuntiat reconciliationem & reunionem Dei ad nos, & per consequens revocationem ab exilio, cùm subdit: *Dominus tecum.* Item quartò, illis denuntiavit maledictionem, & specialiter ipsi *Evæ* cum omnibus mulieribus: sed *Mariæ* annuntiat benedictionem super omnes mulieres; & per consequens annuntiat ipsi præservationem & exemptionem ab omnibus maledictionibus & ærumnis super omnes mulieres, cùm subdit: *Benedicta tu in mulieribus.*

NOTA.

Et ideo *Virgo Maria* videns quòd ista salutatio & annuntiatio erat totaliter contraria denuntiationi & sententiæ datæ primis parentibus; hinc est quòd *turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio*, id est, cogitando istam novam salutationem contrariam denuntiationi factæ primis parentibus: turbata est in sermone ejus, non valens reddere responsum Angelo suæ legationis. Sed tunc Angelus videns ipsam turbatam præ cogitatione, ait ei: *Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum &c.* In quibus verbis nil aliud facit Angelus, nisi quòd sub verbis claris & manifestis explicat supradicta quatuor mysteria, quæ suprà dixerat implicitè quasi subverbis obscuris. Unde ait: *Ne timeas Maria*, id est, *ne timeas* istam salutationem esse fictam & vanam, aut fraudulentam: quia à Deo tibi missus sum. Et ne mireris quia dixi tibi, *Gratia plena*: quia tu præ cæteris *invenisti gratiam apud Deum*: quia non solum gratiam gratificæ unionis cum Deo, sed etiam maternalis unionis. Et ideò non mireris, quia dixi, *Dominus tecum.* Nam licet Deus cum cæteris sit per unionem gratificam; tamen tecum erit per unionem gratificam & maternam: Et sic tecum erit, non solum per gratiam in mente, sed etiam per Incarnationem in ventre. Nam *ecce concipies in utero, & paries Filium.*

Explicat Angelus dicta.

Et quia iste Filius tuus debet salvare totum *populum suum à peccatis eorum*, & afferre salutem toti generi humano: Ideo *vocabis nomen ejus Jesum*, quod interpretatur *Salvator*, & dator vitæ, & extinctor mortis & miseriæ. Et ideo ne mireris quod dixi tibi, *Ave*, id est, salve: quia tibi annuntio salutem, quam iste Filius tuus Jesus afferet toti mundo. Nam hoc nomen *Jesus*, id est, Salvator, est nomen potentiæ, & sapientiæ, & justitiæ, & misericordiæ: quæ quidem quatuor soli Deo conveniunt. Et ideo *hic* Filius tuus *Jesus erit magnus* in potentia juxta proprietatem sui nominis: & *Filius* naturalis *Altissimi vocabitur.* Et per consequens erit Deus: quia istud nomen *Jesus* soli Deo & Filio Dei convenit propter supradictas quatuor proprietates, quas comprehendit hoc nomem *Jesus*, id est Salvator, ut dictum est *Psalm.* 8. & dicetur infra. Et quia iste *Jesus* est verus Filius naturalis Dei Patris; ideo *Dominus* Pater *dabit ei sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis.*

Christus cujus sit Filius.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd Christus est Filius Dei naturalis, sed non carnalis. Et est Filius Virginis naturalis & carnalis: & est Filius ipsius *David* non naturalis, sed carnalis, id est, secundum carnem. Et sic etiam est Filius ipsius *Jacob*, & *Abrahæ* & ipsius *Adam*, in quantum ab eis descendit, & fuit eis promissus secundum carnem.

Et ideo est iterum advertendum, quòd duplex regnum fuit promissum ipsi *David*, scilicet, unum temporale, quod jam possidebat, & fuit promissum ejus successoribus per *Salomonem* & suos posteros: tantum quantum non deviaret à præceptis & lege Dei. Et sic perseveravit illud Regnum temporale usque ad captivitatem Babylonis: sed per figuram illius promisit ipsi Regnum æternum, spirituale & cœleste per Christum Filium suum futurum secundum carnem: eò quòd generatio David secundum carnem producta est usque ad Virginem *Mariam*, de qua natus est *Jesus* Rex æternus, qui obtinuit sedem Regni æterni tanquam hæres Dei Patris, cujus est Filius naturalis. Et ideo sedes Regni æterni dicitur *sedes David patris Christi*, in quantum fuit ipsi in Christo, & per Christum promissa 2. *Reg.* 7. cum dixit Dominus ipsi David: *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quòd egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus: ipse ædificabit mihi domum nomini meo: & stabiliam Regnum ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium &c.*

Nunc autem manifestum est, quòd ista verba non possunt intelligi præcisè de *Salomone*: quia *Salomon* antequam David dormiret cum patribus suis, jam fuerat suscitatus ad vitam, & in Regnum: & ejus Regnum non fuit æternum, sed temporale, & in brevi divisum, & finaliter destructum. Et *Salomon* licet fuerit filius David: tamen non Filius Dei. Et ideo ista promissio Regni æterni facta est in Christo, qui fuit Filius Dei naturalis, & Filius David secundum carnem, qui per multos annos post mortem *David* de utero Virginis Mariæ fuit suscitatus, & conceptus opere Spiritus sancti. Quæ quidem Maria, proveniebat ex utero & generatione *David* naturaliter & carnaliter opere *Adam*, & naturali generatione: & sic secundum omnes Prophetas Christus dicitur Filius David, & Regnum ejus æternum dicitur *Regnum David*; ut patet *Hier.* 22. & 33. & *Ezech.* 44. *&c.*

Et ad istum intellectum dixit Angelus *Mariæ*: quòd *dominus* Pater *dabit Christo sedem David Patris sui*, id est, sedem Regni æterni, ipsi *David* in Christo promissam, *Psalm.* 131. dicens: *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Sed quia istud Regnum æternum non solùm fuit promissum ipsi *David* per Christum, sed etiam ipsi *Jacob*, *Gen.* 28., & maximè 49. cum dixit: *Non auferetur sceptrum de Juda: & dux de fœmore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium &c.*

Ex quibus patet, quòd Regnum Christi promissum ipsi *Jacob* non erat præcisè pro-

pro filiis secundum carnem, sed pro filiis *Jacob* seu *Israel* secundum spiritum & promissionem in Christo regenerandis: A cujusmodi fuerunt, non solùm Judæi, sed etiam Gentiles ad fidem venturi. Et ideo subdit Angelus: quòd iste Jesus Filius Dei, Mariæ, & David, *regnabit in æternum* in Ecclesia, quæ est vera *domus Jacob* & Israel. Sed quia ista Ecclesia Militans est via ad triumphantem, & æternificatur per illam & in illa: ideo subdit: *Et Regni ejus non erit finis.*

Sed quia Virgo *Maria* voverat Virginitatem absolutè absque aliqua conditione: & cum tali & sub tali voto fuerat conjuncta conjugio ipsi *Joseph*, ut infra patebit: ideo dixit ad Angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* nec cognoscere intendo, cum sim alligata vo- B to virginitatis &c. Quoniam non sum juncta viro *Joseph* ad procreandam prolem, sed ad solum mutuum obsequium, semper intactâ & inviolatâ virginitate. Et tunc respondens Angelus, dixit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.*

Quatuor incompatibilia.

Ad quorum verborum intelligentiam est advertendum, quòd quatuor incompatibilia videbat *Maria* secundum naturam in hoc mysterio ex verbis Angeli. Primum, quòd posset concipere non violato voto virginitatis & posset habere prolem. Secundum, quòd simul posset esse virgo & fœcunda, & mater, scilicet, quòd fœtus posset ipsi afferre fœcunditatem, non au- C ferendo virginitatem, & è converso. Tertium, quòd ipsa posset habere prolem non de *Joseph* absque ejus injuria. Quartum, quomodo illud germen conceptum sub tali conjugio, & non de *Joseph*, posset esse non adulterinum, nec per consequens maledictum in lege. Et ideo dixit: *quomodo fiet istud? &c.*

Et ideo Angelus removet hanc dubitationem, declarando modum hujus ineffabilis mysterii Incarnationis: ostendens, quòd licèt ista quatuor sint incomponibilia, & incompatibilia secundum naturam apud homines: tamen ista per gratiam sunt compatibilia & possibilia apud Deum. Nam si generatio fuisset facta naturaliter ex semi- D ne viri, non potuisset fieri absque illa quadruplici in juria, scilicet absque violatione voti, & absque corruptione virginitatis, & absque injuria ipsius *Joseph* conjugis Virginis, & absque maledictione adulterina germinis concepti. Sed eo modo quo facta est ista benedicta incarnatio, nullum supradictorum inconvenientium fuit secutum. Et ideo ait Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Unde non interveniente adulterio, tollitur injuria ipsius Joseph, & sacri conjugii, & maledictio adulterina; sed interveniente solo Spiritu sancto, tollitur E violatio voti, & corruptio virginitatis, & tollitur generalis sententia, & obligatio facta in *Adam*. Et ideo tale germen fuit naturaliter liberum & sanctum, non solùm à maledictione adulterina, sed etiam ab obligatione *Adam* naturaliter liberum. Et ratione operationis Spiritus sancti etiam dicitur naturaliter sanctum, omnia sanctificantis. Et dicitur Filius Dei; primò, ratione Spiritus sancti formantis, qui est virtus Patris. Secundò, ratione unionis personalis Verbi, qui est Filius naturalis Patris.

Christus dicitur Filius Dei.

Dixit ergo Angelus: O Maria, tu dubitas de modo hujus sacratissimæ conceptionis, ne sit cum injuria tui voti F virginitatis, & cum injuria fidei conjugalis: Et ego dico tibi, quòd nulla sequitur injuria, nec inconveniens: quia ista conceptio non fiet modo humano, sed divino: nec fiet opere *Adam*, sed opere Spiritus sancti. Et sic nec derogabit voto, nec virginitati, nec fidei conjugali. Nam ille Spiritus, qui in tua creatione, & animatione venit in te, & sanctificavit te per gratiam præservantem te ab omni malo, & confirmantem in omni bono: ille idem Spiritus sanctus, qui tunc venit in te ad sanctificandum, nunc *superveniet* in te ad obumbrandum. Et sicut tunc per illam sanctificationem factam in primo instanti tuæ creationis & animationis te præservavit ab omni culpa originali, & veniali, & actuali: ita nunc per istam obumbrationem G te præservabit à violatione voti, & à corruptione virginitatis, & injuria fidei conjugalis. Nam iste Spiritus formabit corpus Filij tui in utero tuo ex puris sanguinibus, & simul creabitur in eo anima rationalis, omnibus perfectionibus habitualiter ornata. Et sic corpus illud simul tempore erit formatum & animatum, & per Verbum personaliter assumptum. Et ideo hoc germen *sanctum quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei.*

Verba Angeli notanda.

Unde est advertendum, quòd quatuor dicit Angelus, quæ sunt valde animadvertenda. Nam primò dicit: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Secundò dicit: *Vir-* H *tus Altissimi obumbrabit tibi.* Tertiò dicit: *Ideoque quod nascetur ex te Sanctum.* Quartò, *quòd vocabitur Filius Dei.* Et ideo est videndum de unoquoque, quia altissima important mysteria. Unde per primum quod dicit, scilicet *Spiritus sanctus superveniet in te*, denotat, quòd Spiritus sanctus jam ante venerat in eam, sed nunc debebat *supervenire* in eam: nam *supervenire*, præsuponit ante venire: per quod denotatur, quòd Spiritus sanctus jam venerat in Mariam in primo instanti suæ creationis & animationis: quia illa sanctissima anima simul fuit creata & sanctificata

&

& corpori infusa : quæ quidem sanctificatio in gratia præservavit eam ab omni malo & peccato tam originali & actuali, quàm A veniali, & confirmavit in omni bono, sicut dictum est in Exponsione *Psalm.* 45. & clarius dicetur infra. Item secundò dicit, quòd *virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Unde dicit *Augustinus* : *Virtutis Altissimi non solum obumbravit ipsi ventrem, sed etiam mentem.*

Non quomodo Maria caruit fomite.

Unde est advertendum : quòd sicut illa sanctificatio facta in creatione & animatione Virginis, non solum sanctificavit animam, sed etiam corpus & carnem, in ea fomitem penitus extinguendo, aut ligando; & per consequens nulla fuit unquam lucta, nec pugna carnis adversus spiritum ; & per consequens sicut per illam sanctificationem fuit præservata ab B originali culpa : ita etiam ab actuali, & veniali : quia sicut anima non potuit infici à carne in sua creatione, & infusione, & animatione per culpam originalem : ita postea in vita voluntas nec potuit contaminari, nec vinci à fomite concupiscentiæ carnis; quia jam erat extinctus, aut ligatus : Et sic nullam potuit facere pugnam. Ita ergo pariter sicut virtus Spiritus sancti sanctificavit corpus & animam Virginis, simul in illa sanctificatione præservando eam ab omni culpa, tam originali, quàm actuali & veniali : ita pariter quando Spiritus sanctus supervenit, & iterum venit super eam in sua annuntiatione, *obumbravit ipsi non solum ventrem, sed etiam* C *mentem.* Et fecit duos effectus : nam obumbrando ventrem, formavit corpus Christi ex puris sanguinibus ejus præter omnem viri concursum, aut commertium : & sic præservavit eam à violatione voti, & à corruptione virginitatis mentis & corporis, & ab omni injuria maritali & conjugali, excusando omne adulterium.

Sed quia non solum virtus Spiritus sancti obumbravit ventrem, sed etiam mentem Virginis, ideo præter effectum quem fecit in ventre Virginis, fecit alium effectum in ejus mente & anima. Nam in tantum illustravit, & elevavit, & sublimavit illam animam, quòd redidit ipsi intellectum purgatum ab omni ignorantia : ut posset penetrare cœlestia, & intelligere omnes Sacras Scripturas ad verum sensum D Euangelicum : & sic dedit ipsi spiritum Propheticum & Euangelicum, & facta est Prophetissa simul & Euangelista, ut patebit in hoc Cantico : quia simul prophetizavit de futuro, & euangelizavit de præsenti.

Et ad hunc intellectum dicit *Damascenus*, quòd *Spiritus sanctus supervenit in Mariam purgans eam* : quod non est intelligendum, ab aliquo peccato; sed quòd reddidit ipsi intellectum purgatum ad penetrandum ea quæ erant super naturam, & sic habuit intellectum adaptatum & purgatum (de quo loquitur *Commentator.* 3. *de* E *Anima*) ad intelligendas substantias separatas &c.

Sed ultra hoc habuit spiritum propheticum & euangelicum, quem fuit adepta in illa obumbratione Spiritus sancti. Et sic patet, quomodo *Spiritus sanctus supervenit* in Virginem, & quomodo Spiritus sanctus *obumbravit ipsi non solum ventrem, sed etiam mentem.*

Nullus liber à peccato præter Christum.

Tertiò autem est advertendum propter illud quod ait, *Ideoque quod nascetur ex te sanctum* : quòd nullum germen humanum potest dici naturaliter liberum à peccato, & sanctum & benedictum, præter Christum. Et ratio est. Nam omne germem humanum, præter Christum, descen- F dit ab *Adam* per libidinosam generationem, ut probat *Augustinus*, in 3. *de Bapt. Parvulorum*, sed libidinosa generatio fit ex inordinato appetitu, & fomite morbido inflicto in *Adam* propter peccatum, & translato in omnes posteros per libidinosam generationem : sed inordinatio opponitur sanctitati & justitiæ : quia sanctum dicitur benè ordinatum & justum; & peccatum dicitur, in quantum deviat ab ordine. Et ideo nullum germen humanum descendens ab *Adam* per naturalem libidinosam generationem potest dici naturaliter liberum à peccato, nec potest dici naturaliter *sanctum* nec benedictum: quia omnes ut sic descendunt ex illa inor- G dinata propagine peccati, ut inquit *Augustinus.* Sed quia Christus non descendit ab *Adam* eo modo per naturalem generationem, sed solo opere Spiritus sancti, prout dictum est; ideo solum illud germen est naturaliter liberum à peccato, & naturaliter *sanctum* & benedictum. Et ideo solus Christus potuit alios liberare, & benedicere, & sanctificare. Et ideo *Virgo Maria* non potest dici naturaliter libera, nec naturaliter sancta : eò quòd venit ex illa propagine & generatione peccati ipsius *Adam*, ut inquit *Augustinus.* Sed quia in primo instanti suæ creationis fuit sanctificata per gratiam Christi, ideo peccatum naturæ & maledictio non potuit transire à natura in personam, ut patebit : & sic non H potest dici naturaliter libera, sed liberata per gratiam, ut patebit.

Et ideo ipsa, nec aliquis alius sanctus, potuit alios liberare, nec sanctificare, sed solus Christus, qui est *inter mortuos liber*, & sanctus sanctorum. Ideo dicit *Augustinus super Joan.* quòd *solus ille infans innocens esse potuit, qui non ex opere Adam natus est, sed opere Spiritus sancti : & ideo solus ille Agnus innocens tollit peccata mundi.* Et sic patet, qualiter dupliciter Christus dicitur germen *sanctum.* Primò quia non ex inordinato opere *Adam* conceptus est. Et ad hunc intel-

Christus dicitur germen sanctum.

lec-

lectum dicit Angelus : *Ideoque quod nascetur ex te sanctum*, id est, quia germen quod nascetur ex te, non erit ex opere A Adam, sed opere Spiritus sancti; ideo *erit* germen *sanctum*. Et sic opus Spiritus sancti non solum excusavit illud germen ab adulterio, sed etiam ab opere Adam fecit liberum. Et sic fuit *naturaliter sanctum*, sumendo naturam pro generatione, non pro natura specifica.

Et ex hoc sequitur quartum, quod concludit Angelus, scilicet, quòd illud germen sanctum *vocabitur Filius Dei*. Et hoc dupliciter. Nam primò illud germen non est formatum opere Adam, sed opere Spiritus Sancti, qui est *virtus Dei* : ergo non erit Filius naturalis ipsius Adam, sed *Filius Dei naturalis*. Item, illud germen simul fuit formatum, & Filio Dei personaliter unitum : Ergo est naturalis Filius B Dei. Et ideo licèt istud germen sanctum sit filius Adam secundum carnem tantùm; tamen non secundum naturam: quia non naturaliter ex eo conceptus est, nec opere Adam, sed opere Spiritus sancti. Et ideo principaliter dicitur *Filius Dei* illud sanctum germen : quia à Filio Dei naturali personaliter assumptum est.

Et sic patet intelligentia verborum Angeli, scilicet, quomodo Spiritus sanctus sanctificavit Virginem, quando primò venit in eam in sua creatione, eam ab omni malo præservando, & in omni bono confirmando. Secundò quomodo *supervenit* in eam, ipsi ventrem & mentem obumbrando : & quomodo præservavit eam à C violatione voti, & corruptione virginitatis, & ab adulterino fœtu, & ab injuria conjugali; immò servavit in ea votum & virginitatem & fidem conjugalem & sanctitatem prolis simul cum fœcunditate. Item tertio patet, quomodo illud germen fuit *naturaliter sanctum*, & liberum, & benedictum. Quartò, qualiter est *naturalis Filius Dei*, licèt secundum carnem sit Filius *David* & *Adam* &c. Et sic etiam patet, qualiter Angelus absolvit dubitationem, & quæstionem *Virginis Mariæ*, scilicet, quomodo possunt se compati ista quatuor incomponibilia apud naturam, scilicet, quòd ipsa posset concipere & parere absque violatione voti, & corruptione virginitatis, & absque adulterino fœ-D tu, & injuriâ fidei conjugalis. Nam ostendit Angelus, quòd licèt ista sint incompatibilia & incomponibilia apud naturam; tamen sunt possibilia apud Deum. Et ideo dat ipsi exemplum de *Elisabeth* naturaliter sterili & sene : quæ concepe-rat *Joannem* in senectute sua sexto mense antè : per hoc ostendens *non esse impossibile apud Deum omne verbum* & factum, quod est impossibile apud naturam.

Quod audiens Maria, dixit : *Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum*. Et tunc sub tali assensu fidei supervenit Spiritus sanctus in eam, & E obumbravit ipsi ventrem, eo modo quo dictum est : & concepit Filium Dei, sicut dixerat ipsi Angelus; & obumbravit & illustravit ipsi mentem, & fecit eam Prophetissam & Euangelistam. Et ideo Filius Dei, qui erat in utero ejus, & continuè instillabat in eam radios divinorum secretorum : illicò movit eam, ut iret ad visitandum *Elisabeth* : ut sanctificaret *Joannem Baptistam* in utero matris. Et sic *Virgo Maria exurgens* inde *cum festinatione*, *abiit in montana* Judææ inter Hierusalem & Bethlehem. Et ingressa domum *Zachariæ*, salutavit *Elisabeth*, annuntiando illi salutem, sicut ante Angelus annuntiaverat sibi salutem totius F generis humani. Quæ quidem vox salutationis primò pervenit usque ad aures *Elisabeth*, & exinde pervenit usque ad Joannem existentem in ejus utero. *Salutat Maria Elisabeth.*

Et sic illa vox salutationis fuit quoddam instrumentum & vehiculum, per quod Christus ex utero Virginis emisit spiritum sanctificationis in *Joannem Baptistam* : quæ quidem sanctificatio mundavit ipsum ab originali, & confirmavit ipsum in gratia, & acceleravit in eo usum liberi arbitrii, ut cognosceret Dominum suum, prout communiter tenetur. Et ideo ilico auditâ tali voce, exultavit infans in utero *Elisabeth*.

Quæ quidem exultatio, ut dicunt aliqui, fuit talis, quòd cum naturaliter fœ-G tus habeat faciem versus dorsum matris; tamen tunc infans convertit faciem versus pectora matris, & versus *Virginem Mariam* amplectentem ipsam *Elisabeth*, ut ex utero faciliter posset adorare Christum existentem in utero Virginis : Et ideo fecit magnum motum in utero matris: qui quidem motus non fuit cum dolore & molestia matris, sed cum gaudio. Et ideo dicitur, quòd *exultavit infans* præ gaudio *in utero ejus* : & tunc repleta Spiritu sancto *Elisabeth* exclamavit voce magna, & dixit: *Benedicta tu &c.*

Ex quo patet, quòd priùs fuit repletus Spiritu sancto infans, quàm mater: quia priùs exultavit præ gaudio, quàm mater, licèt per prius transierit vox *Mariæ* H per aures *Elisabeth* ad infantem : sed hoc non est mirum. Nam radii solares prius transeunt per aërem ad terram; & tamen priùs generant calores in terra, quàm in aëre, eò quòd terminantur ad terram : & ideo ibi causant vehementem calorem, sed postea reflexi causant calorem in aëre, & eodem modo causant lucem : Ità pariter factum est ibi. Nam Christus existens in utero *Mariæ* emisit virtutem sanctificativam per vocem ejus in *Joannem Baptistam*, transeuntem per aures *Elisabeth* usque ad infantem : sed facta exultatione &

sanc-

sanctificatione in *Joanne Baptista*, tunc quasi per quandam reflexionem lumen Spiritus sancti replevit *Elisabeth*, & fecit A eam Prophetam de præterito, & præsenti, & futuro, secundum quòd de triplici tempore tetigit mentem ejus.

Et ideo de præsenti dixit: *Benedicta tu inter mulieres*, id est, super omnes mulieres: quia tu es, & fuisti, & eris præservata à maledictione aliarum mulierum in concipiendo, & gerendo, & pariendo Filium. Sed quia hoc non habuit Maria per naturam, sed per gratiam Filii ultra communem legem & sententiam datam in primis parentibus; ideo subdit: *& benedictus fructus ventris tui*, quasi dicat, quòd *fructus ventris tui*, scilicet Christus Filius Dei incarnatus in utero tuo, quem supernaturaliter concepisti, te benedixit per B gratiam: & quia ipse est naturaliter liber, & sanctus, & benedictus; ideo te in tua creatione sanctificavit & benedixit per gratiam, ab omni malo præservando, & in omni bono confirmando. Sed postea te benedixit, tibi ventrem & mentem obumbrando: & sic ab omni maledictione mulierum te præservavit.

Et nota, quòd Angelus in salutatione dixit: *Benedicta tu in mulieribus*: eò quòd jam erat benedicta per primam sanctificationem: sed non dixit, *Benedictus fructus ventris tui*: eò quòd Christus nondum erat conceptus, usquequo dixit Maria, *Ecce ancilla &c.* Sed quia hinc jam Christus erat conceptus in utero virgineo; ideo *Elisabeth* tanquam Propheta, & etiam Euangelista de præsenti dixit: *Benedictus* C *fructus ventris tui*, quasi dicat, omnes alii fructus mulierum fuerunt maledicti per naturam; sed *fructus ventris tui* est benedictus & sanctus per naturam: ideo potuit te sanctificare & benedicere per gratiam. Et quia vidit in spiritu ipsa *Elisabeth*, qualiter *Virgo Maria* erat Mater Dei, & habebat Filium Dei in utero; ideo subdit: *Et unde hoc mihi* tantus honor & gratia, *ut Mater Domini mei veniat ad me*: quasi dicat; Non mereor. Sed quòd tu sis Mater Domini mei, ego probo: Nam *ut* (per postquam) *facta est vox salutationis tuæ in auribus meis*, *ecce*, id est ilico & statim, *exultavit* præ gaudio *infans in utero meo*, non mihi aliquam molestiam nec dolorem, sed gaudium inferendo. Ex D quo novi in spiritu prophetico, qualiter Filius Dei est incarnatus in utero tuo: & novi, quomodo ipse per vocem salutationis tuæ misit virtutem & gratiam suam ad sanctificandum filium meum in utero meo.

Et ideo dico tibi in spiritu prophetico de præterito, quòd *beata es quæ credidisti* ipsi Angelo. Nam credendo verbis ejus, & dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: tunc concepisti Filium Dei.

Et sic etiam dico tibi in spiritu prophetico de futuro, quòd *beata es*, & eris: E *quoniam perficienter in te quæ dicta sunt tibi* ab Angelo Gabriele. Nam sicut jam sunt aliqua completa ex his quæ tibi dixit: quia jam *Spiritus sanctus supervenit in te, & obumbravit tivi* ventrem & mentem, & jam concepisti &c. ita pariter *perficientur in te* ea qui restant, scilicet quia *paries Filium Dei, & vocabis nomen ejus Jesum &c.* Et sic *tu es benedicta inter* omnes *mulieres*, & felix, & *beata* inter, & per omnes generationes. Tunc autem Maria audiens verba *Elisabeth* concordari cum verbis Angeli, ait: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit &c.*

§. II.

F ET supradictis verbis Euangelicis, tam Angeli, quàm *Elisabeth* possunt recolligi octodecim dignitates, & honores, & magna dona & beneficia, quæ *Virgo Maria* recepit à Deo super omnes alias puras creaturas.

Dona & beneficia dedit Deus Mariæ su. per omnes creaturas

Primò, quòd ipsa fuit illa virgo *de domo David*, quæ omnibus Patriarchis & Prophetis fuit in mundo promissa, ut esset Mater Redemptoris mundi.

Secundò, quòd sicut *Evæ* primò fuit annuntiata damnatio mortis totius generis humani: ita *Mariæ* primò est denuntiata vita, & salus, & universalis Redemptio.

Tertò, quòd sicut primis parentibus primò fuit denuntiata ira & indignatio: ita *Mariæ* primò fuit denuntiata gra- G tiæ plenitudo.

Quartò, quòd sicut primis parentibus fuit annuntiatum exilium: ita *Mariæ* universalis reconciliatio.

Quintò, quòd sicut *Evæ* primò fuit denuntiata maledictio omnium mulierum: ita *Mariæ* fuit annuntiata benedictio. Et sic tota maledictio *Evæ* fuit mutata in benedictionem *Mariæ*.

Sextò, quòd *Maria* meruit concipere in suo utero & parere Filium Dei, Regem æternum, & Imperatorem totis universi, de quo locuti sunt omnes Patriarchæ & Prophetæ.

Septimò, quòd *Maria* non concepit modo humano ex opere Adam, sed solo opere Spiritus sancti.

H *Octavò*, quòd simul cum voto virginitatis servavit votum fidei conjugalis: & sic vixit sub duplici voto contrario apud naturam, scilicet, Deo dedicata, & viro conjugata.

Nonò, quòd absque voti violatione, & virginitatis corruptione concepit & peperit.

Decimò, quòd simul facta est Virgo & fœcunda: quia fœcunditas non ipsi abstulit virginitatem.

Undecimò, quòd absque læsione fidei con-

conjugalis concepit, non de viro ipsi conjugato.

Duodecimò, quòd germen ex ea conceptum non solum fuit liberum ab adulterio, sed etiam ab omni culpa & peccato naturaliter fuit inter omnes mortuos & peccatores liberum & sanctum. A

Tertiodecimò, quòd Maria facta est mater carnalis & naturalis: & sic habuit Filium communem cum Deo Patre absque injuria *Joseph* viri sui.

Quartodecimò, quòd Spiritus sanctus non solum obumbravit ventrem ipsi *Mariæ*, faciendo ipsam Matrem Dei, & conservando in ea virginitatem, & fidem conjugalem, & sanctitatem prolis: sed etiam obumbravit ipsi mentem, faciendo ipsam Prophetam & Evangelistam.

Quintodecimò, quòd ex humilitate & obedientia meruit concipere Filium Dei. Et hæc sunt *Mariæ* annuntiata per Angelum. Cæteræ aunt dignitates fuerunt ipsi per *Elisabeth* nunciatæ. Et ideo B

Sextadecima, dignitas est, quòd postquam *Virgo Maria* conceperat Filium Dei, ipse existens in ejus utero revelabat latenter eidem divina mysteria: & sic movit eam ad visitandam *Elisabeth*.

Decimaseptima, quòd per vocem salutationis *Mariæ* Christus emisit spiritum sanctificationis in *Joannem Baptistam*, qui per reflexionem fecit *Elisabeth* prophetam de præsenti, & præterito, & futuro.

Dedimaoctava, quòd non solum per Angelum, sed etiam per *Elisabeth* fuit *Mariæ* annuntiatum, ipsam esse benedictam inter omnes mulieres, & fructum, & germen suum esse benedictum, & naturaliter sanctum, & ipsam esse Matrem Dei naturalem. Et sic *Elisabeth* in spiritu prophetico firmavit omnia quæ dicta fuerant ab Angelo. C

Videns ergo *Maria* Angelum & *Elisabeth* concordes in suis laudibus, & auditis supradictis dignitatibus sibi collatis, prorupit in laudem Dei, dicens: *Magnificat anima mea Dominum &c.* Lucæ 1.

§ III.

AD cujus intellectum est advertendum, quòd tam in novo, quàm in veteri Testamento, non est factum Canticum, nisi pro receptione alicujus magni beneficii à Deo toti populo collato. Sed est differentia: quia in veteri Testamento facta sunt Cantica pro beneficiis temporalibus tunc receptis, prout figurabant & promittebant beneficia spiritualia futura in novo Testamento. In novo autem Testamento facta sunt Cantica, agendo gratias pro beneficiis nostræ redemptionis jam receptæ: quæ quidem beneficia fuerunt præfigurata, & promissa in veteri Testamento. Et sic omnia Cantica veteris Testamenti fuerunt figura & prophetia Canticorum novi Testamenti. D E

Nota de Canticis.

Et sic primò *Moyses* cum toto populo cantavit Canticum glorioſum pro liberatione Israel de Egypto & mari Rubro, prout illa liberatio temporalis figurabat universalem redemptionem generis humani de servitute peccati, & potestate diaboli.

Secundò idem *Moyses* in fine vitæ cantavit & fecit Canticum, dicens: *Audite cœli quæ loquor.* In quo pronuntiat ingratitudinem, & reprobationem illius populi negaturi Christum Messiam futurum, & pronuntiat electionem & conversionem populi Gentilis ad fidem Christi, prout fuit expositum in illo Cantico.

Tertiò, cantavit Canticum *Debbora* cum *Barac* pro victoria habita de Chananæis: eò quòd in manu mulieris, scilicet *Jahel*, traditus est *Sisara* dux & princeps exercitus: quæ perforavit caput ejus cum clavo tentorii, & ipsum interfecit. Et ideo tota victoria attributa fuit illi mulieri, ut patet *Judic.* 4. quod quidem mysterium fuit figura, qualiter sola mulier, scilicet *Virgo Maria*, in virtute Dei debebat triumphare de antiquo serpente, ejus caput conterendo, prout Deus prædixit *Genes.* 3. Et sub tali figura *Debbora* cum *Barac* cantavit Canticum, dicens: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras &c.* ut patet *Judicum* 5. F

Quartò, cantavit Canticum *Anna* mater *Samuelis*: eò quòd post longam sterilitatem conceperat Samuelem virum sanctum: qui reprobatis fratribus, & pellice noverca, fuit hæres domus, & dilectus patri; & privato *Heli* cum filiis suis Sacerdotio, & officio Judicis, translatum est Sacerdotium & Judicium in *Samuelem*. Per quod fuit figuratum, qualiter Christus erat ex *Virgine Maria* nasciturus; ad quem erat transferendum Regnum & Sacerdotium, reprobatâ Synagogâ, prout in illo Cantico fuit declaratum. G

Quintò, cantavit David centum quinquaginta Cantica, sive Psalmos, in quibus in spiritu prædicit totum mysterium nostræ redemptionis, & omnia futura mysteria de Christo & Ecclesia, prout ibi expositum est. H

Sextò, cantavit *Salomon* decem Cantica: in quibus sub metaphora sponsæ, & pastoris, & gregis prædicit conceptionem & sanctificationem Virginis Mariæ figuraliter & literaliter per fabricam & sanctificationem Tabernaculi Moysi: & prædicit mysterium Incarnationis per fabricam Arcæ: & prædicit vocationem populi Judaici per prædicationem Christi: & prædicit mortem & passionem Christi, & ejus resurrectionem: & prædicit vocationem, & conversionem populi Gentilis per prædicationem Apostolorum: & prædicit ampliationem

nem & dilatationem Ecclesiæ per victoriam Martyrum, & doctrinam Sanctorum Doctorum: & prædicit ejus prosperitatem per conversionem *Constantini*, prout patebit in Expositione libri *Canticorum Salomonis*, si Deus mihi vitam incolumem dederit per intercessionem Virginis Matris suæ. A

Septimò, cantavit *Isaias* Canticum pro nostra futura redemptione, quæ ipsi fuerat revelata, dicens: *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi, & conversus consolatus es me, Isaiæ* 12.

Octavò, *Ezechias* cantavit Canticum, eò quòd fuit à morte ipsi denuntiatâ revocatus: prout figurabat liberationem generis humani à morte æterna, & revocationem ab inferno, dicens: *Ego dixi in dimidio dierum &c.* prout ibi fuit expositum. B

Nonò, cantavit *Habacuc* canticum pro liberatione futura generis humani de captivitate diaboli, prout ipsi fuit revelatum per liberationem populi Judaici de captivitate Babylonis, sicut ibi fuit expositum.

Decimo & ultimo, cantarunt Canticum tres pueri in camino ignis ardentis liberati ab omni læsione: ubi præviderunt Mysterium Incarnationis, & liberationis generis humani ab igne inferni, prout ibi fuit declaratum. Et sic patet, qualiter supradicta decem Cantica fuerunt facta in veteri Testamento agendo gratias pro beneficiis temporalibus, prout præfigurabant, & promittebant, & prophetabant futura beneficia nostræ redemptionis in novo Testamento. C

Et ideo *Virgo Maria* videns, quòd omnia quæ erant scripta in lege & prophetis, & omnia quæ antiqui cantaverant futura in supradictis canticis erant partim completa in ea per Incarnationem Filii sui, & cætera erant in brevi complenda: ideo prorumpens in laudem Dei, jam non cantat illa Cantica vetera; sed exultans in spiritu, agens gratias omnia illa esse completa, cantat Canticum Euangelicum & novum, dicens: *Magnificat anima mea Dominum &c.* Et ideo *Virgo Maria* posuit decem versus in hoc Cantico, juxta numerum decem Canticorum veteris Testamenti. Et ex hoc dicitur *Psalterium decachordum Euangelicum*, figuratum per Psalterium materiale & propheticum veteris Testamenti, prout supra dictum est. D

Causa triplex quare Maria cantavit.

Et sic patet triplex causa unde mota est *Virgo Maria* ad cantandum istud Canticum. Primò, propter beneficia, quæ specialiter ipsa recepit à Deo, prout ipsi dictum est ab Angelo & Elisabeth. Secundò, propter redemptionem totius generis humani de propinquo per Christum faciendam. Tertiò, quia Christus in lege & prophetis ex supradictis decem Canticis promissus toti populo Israel, jam erat in suo utero conceptus, & receptus pro toto Israel.

Tria facit in hoc Cantico.

Et ideo tria principaliter facit *Virgo Maria* in hoc Cantico. Nam primò agendo gratias, laudat & magnificat Deum pro beneficiis, quæ ipsa singulariter à Deo recepit super omnes creaturas. Secundò, *Magnificat* Deum pro generali beneficio redemptionis: quòd omnes generatos, & natos, & totum genus humanum recepit per Christum. Tertiò, *Magnificat* Deum in persona populi Israel, ex quo natus est Jesus secundum carnem, prout Patriarchis & Prophetis fuerat promissus. Secunda ibi: *Et misericordia ejus à progenie &c.* Tertia ibi: *Suscepit Israel puerum suum.* E

Quantum ad primum est notandum, quòd in sacra Scriptura quandoque reperitur, qualiter Deus magnificat, & sanctificat, & benedicit, & glorificat homines: & sæpè reperitur, qualiter homines magnificant, & sanctificant, & benedicunt, & glorificant Deum; sed aliter & aliter: Nam Deus magnificavit nos, ex parvis magnos faciendo, & magna dona nobis conferendo: & sanctificavit nos, sanctos & justos faciendo: & benedixit nos, nobis per sacramenta, vel quovis alio modo gratiam conferendo: & glorificavit nos, in cœlesti gloria collocando, & suæ gloriæ participes faciendo. Sed nos magnificamus, & sanctificamus, & benedicimus, & glorificamus Deum, ipsum magnificum, & sanctum, & benedictum, & glorioſum per essentiam prædicando; & magnifica opera & sancta & benedicta quæ fecit nobis, & ejus gloriam confitendo & præconizando. Sic ergo nos benedicimus Deum, quia priùs benedixit nos: & magnificamus & sanctificamus ipsum, quia priùs nos per gratiam magnificavit & sanctificavit. Et isto modo *Virgo Maria* magnificat Deum in hoc Cantico, quia Deus prius eam magnificavit, & magnam fecit, ipsi magna dona conferendo, prout dictum fuit ipsi ab Angelo & Elisabeth. F G

Nota de honorare laudare, &c.

Secundo est aduertendum, quòd ista octo se habent per ordinem, scilicet revereri, honorare, laudare, magnificare, sanctificare, benedicere, adorare. Unde *revereri*, idem est quod existimare majus bonum in altero, quàm in seipso. Et sic existimamus hominem justum & virtuosum meliorem nobis: & per consequens reveremur eum in corde nostro. *Honorare* autem est, reverentiam quam de altero in corde habemus, ipsi opere exteriùs indicare: ideo dicit *Cicero*, quòd *honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis. Aristoteles* autem 4. *Ethic.* dicit, quòd *honor est præmium virtutis, & tribuitur bonis & virtuosis. Laudare* verò est honoratum aliis verbis commendare. *Magnificare* autem est, magnifica opera alicujus cæteris publicè prædicare. *Glorificare* verò est, honoratum, laudatum, magni- H

fi-

ficum ſemper & ubique præconizare. *Sanctificare* autem, idem eſt quod ſanctitatem alterius confiteri, ſecundum quod ſanctitas A dicit ſpecialem modum & ordinem, & per conſequens continet in ſe ſapientiam, & juſtitiam, & bonitatem, & per conſequens miſericordiam. Et ideo Deum ſanctificare, idem eſt quod ejus ſummam ſapientiam, & juſtitiam, & miſericordiam, & per conſequens omnipotentiam confiteri. *Benedicere* autem, idem eſt quod pro beneficiis à Deo receptis gratiarum actiones exhibere. *Adorare* autem, idem eſt quod reverendum, honorandum, laudandum, magnificandum, glorificandum, propter eminentiam omnipotentiæ & ſanctitatis colere, & omnia bona ipſi tamquam datori ſoli attribuere; & omni aliâ ſpe & fiduciâ poſtpoſitâ, ſe totum illi ſubjicere & humiliare. Et ideo *adoratio* præſuppo- B nit omnia ſupradicta: & ſic dicitur *Latria*, quæ ſoli Deo convenit.

Ex ſupradictis & dicendis patet, quòd Virgo Maria omnia octo ſupradicta facit: & per conſequens exhibet Deo omnia quæ ſunt creaturæ poſſibilia & debita facere. Nam primò Virgo Maria in hoc Cantico *Magnificat* Deum, confitendo & prædicando omnia magna dona quæ ſibi, & toti generi humano liberè condonavit. Et ſic eſt dicendum quòd laudat, & honorat, & reveretur Deum. Secundò, ſanctificat Deum, dicendo: quoniam *potens eſt, & ſanctum nomen ejus &c.* & per conſequens benedicit, & glorificat ipſum, & magnificat. Tertiò, adorat Deum, & colit cultu Latriæ, ſe totam C Deo humiliando & ſubjiciendo, & omnia bona ſibi per Angelum & Eliſabeth nuntiata, & omnes honores & dignitates Deo tribuendo: & non in ſe, ſed *in Deo ſalutari* ſuo pro talibus bonis exultando, & gratias agendo, cum dicit: *Et exultavit &c.* Et ſic in hac prima parte magnificat, & ſanctificat, & colit Deum cultu Latriæ.

Auditis ergo laudibus, & honoribus, & dignitatibus per Angelum Mariæ nuntiatis, & per Eliſabeth ipſi tributis, tunc *Maria* non exultavit, nec gaviſa eſt in ſe, ſed *in Deo ſalutari ſuo*, à quo omnia ſupradicta bona gratis receperat, & qui eam magnificaverat, & talibus bonis dignificaverat: ideo non magnificat ſe ipſam laudatam & commendatam ab D Angelo & Eliſabeth, ſed exclamando magnificavit Deum, dicens:

Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

QUASI dicat: O Eliſabeth, tu putas quòd ego gaudeam ſolùm in corde meo, & in meipſa, & magnificem meipſam, propter honores & dignitates, quibus me commendaſti & mag- E nificaſti: & ego dico tibi, quòd tali commendatione non exultavi in meipſa, mihi talia bona ex meritis meæ naturæ tribuendo; nec tali exultatione magnifico me ipſam: ſed pro talibus bonis receptis *Spiritus meus exultavit* non in me, ſed *in Deo ſalutari* & ſalvatore *meo*, qui me talibus dignitatibus & honoribus dignificavit: & ideo non magnifico meipſam; ſed *anima mea magnificat Dominum*, qui me tantis & tam magnis donis magnificavit.

Unde notandum, quòd iſta eſt differentia inter ſuperbum & humilem juſtum. Nam *ſuperbus* cùm laudatur, & commendatur ab altero, totus gaudet & exultat in F ſeipſo: Etſic in ſuperbiam elatus ſeipſum glorificat & magnificat, omnia illa bona ſibi attribuendo: ſed per oppoſitum humilis & juſtus cùm à cæteris laudatur & commendatur, non exultat, nec gaudet in ſeipſo, quaſi à ſeipſo habeat illa bona; ſed gaudet & exultat in Deo, à quo talia bona recepit. Et ſic humiliatus, non commendat, nec magnificat ſeipſum, nec in ſe, nec coram aliis; ſed magnificat & laudat Deum, confitendo, nil boni ex ſe habere, ſed omnia bona à Deo recepiſſe.

Differentia inter ſuperbum & humilem.

Et ſic *Lucifer* cum ſuis, quando ſe vidit magnum & nobilem, non exultavit in Deo, ſed in ſeipſo. Et ſic per ſuperbiam elatus contempſit Deum, & legem ejus. Sed per oppoſitum boni Angeli, quia conſiderantes ſe à Deo taliter creatos, & om- G nia bona à Deo recepiſſe; ideo primò dilexerunt Deum ſuper omnia, & exconſequenti dilexerunt ſe in Deo. Et ſic non exultaverunt in ſe, ſed in Deo creatore eorum. Et ideo illi ceciderunt miſeri per ſuperbiam, & iſti manſerunt beati propter humilitatem, & magnificarunt Deum, ſicut dictum fuit in Expoſitione *Pſalm.* 81. & in Expoſitione ſuper *Te Deum laudamus.*

Ita ergo pariter *Virgo Maria* in talibus laudibus non fuit glorificata, nec exultavit in ſeipſa, ſed *in Deo ſalutari ſuo:* nec ex tali exultatione magnificavit ſeipſam, ſed Deum, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Quaſi dicat: Non magni- H fico me ipſam, ſed Deum &c. Et non ſolum vox mea magnificat Deum, ſed tota *anima mea* cum omnibus ſuis viribus & potentiis. Et ſic magnifico Deum ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima cum omnibus viribus ſuis. Et in talibus laudibus mihi dictis, non exultavit ſolùm vox mea cum toto corpore, ſed principaliter exultavit ſpiritus meus: & non in me, ſed *in Deo ſalutari meo.* Et ſic ex tali interiori exultatione anima prorupit ad magnificandum Deum per vocem. Et ſic patet, qualiter exultatio ſpiritus & magnificatio

ſpiritualis interior præceſſit vocem & magnificationem vocalem : quia priùs *Maria* magnificat Deum ſpiritu , quàm voce: quia priùs exultavit ſpiritus ejus in ſalutari ſuo. Et notanter dicitur : *Exultavit ſpiritus meus in ſalutari meo.* Nam ſub tali ratione , ſcilicet ſub ratione Salvatoris exultavit *in Deo.* Nam ſicut Deus , in quantum Deus Omnipotens , creavit & gubernat mundum : ita in quantum Salvator venit in carne ad recreandum , & reſtaurandum , & ſalvandum hominem , qui propter peccatum perierat , ut patet *Matth.9.* & *Lucæ* 5. Et ideo vocatum eſt nomen ejus *Jeſus* : eò quòd ſalvavit *populum ſuum à peccatis eorum* , ut patet *Matth.* 1. Et per conſequens ſub ratione Salvatoris accepit carnem ex Virgine , & eam magnis donis & dignitatibus magnificavit , & dignificavit. Et ſic redemptio noſtra fuit cauſa exultationis , & per conſequens exultationis Virginis Mariæ , ut communiter tenetur. Utrumque ergo volens exprimere, ait : *Et exultavit ſpiritus meus in Deo*, ſcilicet Creatore , & *ſalutari meo*, ſcilicet Redemptore : quia ut ſic magnificavit me: & ideo tamquam Creatorem & Redemptorem magnifico ipſum.

Nota.

A

B

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ &c.

38.d. Sedulò. Lucæ 1.

HÆC eſt tertia chorda hujus pſalterii virginalis : quia eò dicitur *pſalterium decachordum*, id eſt, decem chordarum , quia continet decem chordas , id eſt, decem verſus concordes in ſententia. Nam ſicut in cithara & pſalterio materiali ſemper media chorda concordat cum præcedente & ſequente in harmonia vocum: quia ſecunda eſt perfectio primæ , & principium ſequentis : ita pariter in hoc Pſalterio virginali & ſpirituali , unus verſus concordat cum præcedente & ſubſequente in ſententia. Et ſic quia prima particula hujus verſus concordat cum duobus verſibus præcedentibus , & cum particula ſequenti ejuſdem verſus : ideo poteſt ordinari in expoſitione & conſtructione cum duobus verſibus præcedentibus , & cum particula ſequenti : eò quòd humilitas Virginis cauſa fuit , quare exultavit *in Deo ſalutari ſuo* , & non in ſeipſa : & per conſequens fuit cauſa , quare magnificavit Deum , & non ſeipſam : & eadem humilitas fuit cauſa , quare Deus accepit carnem ex ea ; & per conſequens quare *omnes generationes dicunt eam beatam*, ut patebit.

C

D

Humilitas Mariæ cauſa Incarnationis.

Et ideo propter primum eſt advertendum , quòd ſicut ſuperbia eſt initium omnis peccati , & omnium peccatorum , & malorum : ita humilitas eſt principium & radix omnium virtutum , & bonarum operationum. Unde *humilitas* dicitur ab *humo* , quod eſt terra , quæ eſt infimum elementorum : & ſic dicitur *quædam virtus, qua quis cognoſcit & conſiderat ſeipſum*, ſcilicet , naturam & originem ſuam primam , & non ſecundùm fortunam præſentem ſuam. Et talis habebit duplicem reſpectum , ſcilicet unum ad Deum , à quo habuit bonam naturam per creationem , & habet omne bonum per gratiam : & alterum , ad primos parentes , à quibus traxit omne malum per culpam : & ſic talis cognoſcet, quòd ex ſe & naturâ ſui corruptâ, non habet niſi malum , & peccatum , & non poteſt habere aliquid boni , niſi à Deo : & per conſequens , ſi quid boni habet , illud eſt à Deo ; & ſic per talem cognitionem contemnet ſeipſum , & diliget Deum , & per conſequens ſervabit ejus præcepta : & ſic diliget proximum in Deo, & propter Deum : & ſic cupiet vitare omne vitium , & ſequi omnem virtutem ; & ſic fiet virtuoſus & juſtus.

E

F

Item , ex tali cognitione cognoſcet, quòd ſi aliquando vitavit , & vitat aliquod malum & peccatum , & facit aliquod bonum , hoc non facit ex viribus ſuis , nec naturæ corruptæ , ſed ex gratia Dei præſervante , & adjuvante : quia ſi derelinqueretur in ſua natura vitiata & corrupta, præcipitaretur in omnia mala , & peccata pejora , quàm Judas , aut Latro &c. quia *non eſt malum quod fecit homo , quin faciat alter homo , niſi juvetur à Deo à quo factus eſt homo* , ut inquit *Auguſtinus* in *Homilia de Magdalena* : & ſic iſte agens Deo gratias de ſe , compatietur cæteris peccatoribus , & orabit pro eis : & per eamdem rationem compatietur pauperibus, eis ſubveniendo , cognoſcens , bona etiam temporalia eſſe ipſi à Deo collata : & ſic erit miſericors & juſtus : & ſic iſte talis non deſperabit , nec blaſphemabit in adverſis ; quia omnia mala reputabit ad naturam ſuam miſeram & corruptam , & per conſequens ad culpam ſui : & ſic patienter tolerabit adverſa. Nec in ſe gloriabitur, nec elevabitur in proſperis : quia omnia bona attribuet Deo , à quo talia recepit: & ſic non exultabit in ſe , ſed in Deo. Et ſic patet , qualiter humilitas qua quis cognoſcit ſeipſum , eſt principium , & radix, & fundamentum omnium virtutum , & omnium bonorum.

G

H

Et ideo dicit *Juvenalis* , & omnes Poetæ , & Philoſophi : quòd iſtud proverbium , ſive conſilium , ſcilicet , *Cognoſce teipſum* , deſcendit , & fuit elapſum de cœlo in lamina aurea , & litteris aureis deſcriptum : eò quòd eſt cauſa & principium omnium virtutum , & bonorum in actibus humanis.

Et ſic patet , qualiter duæ ſunt virtutes , ſine quibus nulla virtus poteſt creſcere , nec perfici. Quarum prima eſt *humi-*

Nota.

li-

litas, quæ est principium & radix omnium aliarum virtutum. Ideo nulla alia virtus potest radicari, nec per consequens crescere, A nec augeri, nec perseverare sine humilitate. Secunda dicitur *charitas*, quæ est forma & perfectio omnium virtutum, sine qua nulla virtutis alia potest perfici, nec valere, nec mereri. Et sic dicit *August.* quòd istæ duæ virtutes, scilicet *humilitas* & *charitas*, continent cæteras virtutes inclusas.

Hinc est ergo quod *Virgo Maria* considerans, quòd nullum bonum traxerat ab *Adam* ex natura sui, sed quòd omnia bona & dignitates, quibus Angelus & Elisabeth eam magnificabant, habuerat à *Deo salutari suo*: ideo non exultavit in se per elationem, sed *in Deo salutari suo*, à quo illa bona receperat. Et ideo ex tali exultatione prorupit ad magnificandum Deum, & B non seipsam. Unde sicut diabolus in principio elatus in natura sua exultavit in se, & non in Deo Creatore suo, propter quam superbiam fuit depressus, & expulsus de cœlo: ita per oppositum Maria: quia ex humilitate non fuit elata in se, sed *in Deo salutari suo*, & sic magnificavit Deum; ideo fuit exaltata. Et ita est dicendum de primis parentibus: quia ex superbia exultarunt in se, volendo usurpare divinitatem, & ideo ejecti de paradiso perdiderunt felicitatem, ut inquit *Augustinus super Psalm.* 68. per oppositum autem Maria humiliando se, non se credebat, nec reputabat dignam, ut esset Mater Dei: sed quia obediens Deo dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; C ideo meruit fieri Mater Dei: & sic sicut sua humilitas fuit causa quare meruit fieri Mater Dei; ita eadem humilitas fuit causa, quare in tali dignitate non exultavit in se, sed in *Deo salutari suo*: & per consequens, quare in talibus bonis non magnificavit seipsam, sed Deum.

Et hoc est quod intendit dicere *Virgo Maria* in hac parte. Unde ait Maria: Ideo non exultauit spiritus meus in meipsa per superbiam, sed *in Deo salutari meo* per humilitatem; *eò quòd* Dominus salutaris meus *respexit humilitatem ancillæ suæ*, id est, me humilem fecit, & ex hoc me Matrem suam fecit: ideo non magnifico meipsam, sed Dominum, qui me magnam & D humilem fecit. Duo ergo habuit *Virgo Maria* ex humilitate. Primò, quia meruit esse Mater Dei. Secundò, quia propter talem humilitatem non fuit elata in superbiam, nec exultavit in se, sed in Deo salutari suo, & per consequens non *magnificavit* seipsam, sed Deum, qui eam magnificaverat.

Duo Maria habuit ex humilitate.

Sed hîc est valde advertendum: quòd Deus non respexit humilitatem in Maria, tamquam formam efficientem propriam ex natura ipsius Mariæ, sed tanquam formam dispositivam, quam ipse Deus in ea creavit, & impressit. Nam sicut in ea præter naturam in principio creavit gratiam & charitatem, per quam semper fuit Deo grata & E accepta: ita creavit in ea humilitatem, ut esset apta fieri Mater Dei: unde in bonis *respicere Dei*, idem est quod *facere*, aut præsupponit facere. Nam ideo *respexit* Deus Virginem Mariam bonam & humilem, eò quòd fecerat ipsam bonam & humilem. Et sic *respicit* in viris justis gratiam quam in eis creavit, & bona quæ in ipsis fecit: propter quam gratiam & bona merentur, & sunt Deo grati, & accepti in suis operibus. Et sic Deus dat eis præmium.

Secus autem est de malis: quia Deus *non respicit* mala & peccata in hominibus, eò quia ipse fecit, nec creavit talia mala in eis: sed ideo respicit in eis talia mala, F eò quòd ex propria voluntate illa mala perpetrarunt, & in culpam inciderunt. Et sic Deus, sicut culpam, quam homo ex se perpetravit, odit in eo; ita gratiam & humilitatem, quam in justis creavit, diligit in eis, & *respicit* in eis ad meritum & præmium.

Et hoc est quod intendit dicere Virgo Maria, cùm ait: *Quia respexit humilitatem &c.* quasi dicat: ideo *exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, & *magnificat anima mea Dominum*, & non magnifico meipsam; *quia* Dominus *respexit humilitatem ancillæ suæ*, quam ipse in me plantavit, & creavit cum cæteris bonis gratificis & gratuitis: quibus bonis me disposuit, ut essem Mater sua. Et sic omnia bona attribuo ipsi, & non mihi.

G Et ideo dicit *August.* in prima parte *de Fide ad Petrum, & contra quinque hæreses*: quòd Christus *talem Matrem elegit, & fabricavit, & fecit, & taliter ipsam disposuit, ut esset digna de qua carnem assumeret.* Item in *Sermone* qui legitur in Vigilia Epiphaniæ alloquitur Virginem Mariam, dicens: *O Maria lacta panem de cœlo venientem: lacta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te &c.* Et sic patet, qualiter sunt intelligenda verba Virginis Mariæ.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Lucæ 1. 30. dist. Hæc scripsimus.*

H ISTA particula & sententia potest ordinari cum particula & sententia superiori, tanquam sequela ejus, ut sit sensus, scilicet: *Quia* Dominus *respexit humilitatem ancillæ suæ*, me Matrem suam faciendo, & omnia bona supradicta conferendo; *ecce enim ex hoc*, id est, ob hoc *beatam me dicent omnes generationes*, me Matrem Dei prædicando. Et *ex hoc omnes generationes me dicent beatam: quia* Dominus *respexit humilitatem ancillæ suæ*, me Matrem suam faciendo. Vel potest etiam ista particula ordinari cum versu sequente tanquam sequela ejus: ut sit sensus: *Ecce enim*

ex

ex hoc beatam me dicent omnes generationes, A

Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.

93. dist. cap. Dominus & 9. q. 3. nullus.

QUIA Dominus qui *est potens, & nomen ejus*, quod est *sanctum*, fecit mihi magna, id est, bona multa supradicta; ideo *ex hoc beatam me dicent omnes generationes &c.* & sic ista particula *quia*, concordat cum utraque sententia, ita est intelligenda.

Tria asserit Maria.

In quibus verbis tria asserit Virgo Maria. Primò, quòd omnes generationes B dicunt ipsam beatam. Secundò, quòd Dominus fecit sibi magna. Tertiò, quòd ideo Dominus fecit sibi magna, quia potens est, & sanctum nomen ejus. Et sic patet, qualiter quia Dominus est potens, & nomen ejus sanctum, ideo fecit magna, & magnificavit ipsam Mariam. Et quia fecit ipsi magna, ex hoc dicent omnes generationes eam beatam.

Ideo sequendo potiùs ordinem sententiæ, quàm literæ, tria sunt videnda. Primò, quod est istud *nomen* Dei potens & sanctum? & quomodo est potens & sanctum? Secundò, quæ, & quot sunt ista *magna*, quæ *Dominus & nomen ejus sanctum* fecit Mariæ Matri suæ? Tertiò, quomodo di- C cent, aut dicunt *beatam* Mariam omnes generationes: cùm nos videamus impuros Judæos ipsam blasphemantes, & videamus immundos Saracenos, & omnes Mahometanos negantes ipsam esse Matrem Dei? Et ideo quia hîc latent multa profundissima mysteria, hinc est quòd oportet in his aliquantulum immorari, & talia mysteria non paucis verbis explicare: ut simplices Sacerdotes, & Religiosi, & mulieres Sanctimoniales, quibus ista Expositio dirigitur, possint planè & sanè capere & intelligere.

Nomen Dei sanctũ, & potens est VerbũDei.

Quantum ad primum est dicendum, sicut jam dictum & declaratum fuit in Expositione *Psalm.* 8. quod istud *nomen Dei potens & sanctum* est Verbum Dei incarnatum, sive Veritas incarnata. Dictum est enim secundùm *Aristot.* 3. *de Anima*, & D 7. *Meta.* & 1. *Perihermenias*, qualiter intellectus noster apprehendens rem per sua essentialia in prima sui operatione format conceptum diffinitivum rei, qui dicitur diffinitio, & ratio rei nota soli intelligenti: quem conceptum Græci appellant *logos*, quod Latine dicitur *verbum*: quiquidem conceptus, ad hoc quod ad extra cæteris notificetur, oportet quòd induat vocem. Et sic ille conceptus voce indutus, & factus vocalis, dicitur *nomen*, à notificando: eò quòd per talem vocem cæteris notificatur. Et sic *nomen vocale* nil aliud est, nisi conceptus intellectivus factus nomen. E Et ideo dicit *Philosophus*, quòd *nomen significat diffinitionem rei*: & 1. *Perihermenias* dicit, quòd *voces sunt notæ earum, quæ sunt in anima, passionum.*

Item rursus dictum est ibi per *August.* 15. *de Trinit.* qualiter Filius Dei est Verbum Patris, ipsi soli notum ab æterno, & in quo se Pater novit ab æterno: Et per consequens est conceptus diffinitivus Patris, quo se diffinivit secundùm totum pelagus & plenitudinem suæ Divinitatis: per quod Verbum tamquam per artem ex tempore dixit, & fecit omnia ad extra. Et dictum est rursum ibi, quòd sicut nos ad hoc quòd notificemus nostrum verbum cæteris, oportet ut induamus ipsum per vocem, & fiat no- F men per vocem; per quam vocem & nomen notificamus verbum nostrum, & secretam voluntatem nostram interiorem: Ita Deus Pater induit Verbum suum carne; & sic per Verbum incarnatum, tamquam per nomen, manifestavit mundo seipsum, & voluntatem suam. Et sic Verbum incarnatum est illud *nomen Dei*, per quod Deus Pater nobis locutus est, & notificavit mundo seipsum, & veritatem legis & prophetarum, & voluntatem suam. Et ideo dicitur *Joan.* 1. quòd per illud *Verbum quod erat in principio*, id est, ab æterno, *apud Deum*, postea ex tempore *facta sunt omnia*: & postea illud *Verbum caro factum est*, & *habitavit in nobis*: de cujus plenitudine G gratiæ & sapientiæ omnes accepimus. Et sic postea istud Verbum incarnatum per totum discursum Euangelicum dicit, quòd non venit propter aliud in mundum, nisi ad manifestandum Patrem, & voluntatem ejus dictis & factis.

Et sic in die Cœnæ dixit: *Clarifica me, ò Pater:* quia jam *manifestavi nomen tuum hominibus.* Et sic patet, qualiter Verbum incarnatum est *nomen Dei*, per quod, & in quo Deus mundo locutus est. Ideo *Apostolus ad Hebr.* 1. dicit; *Multifariè, multisque modis Deus locutus est olim Patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, per quem fecit & sæcula.*

Hoc est ergo illud *nomen Dei*, scilicet Verbum incarnatum, quod tantùm de- H siderarunt scire & videre omnes Patriarchæ & Prophetæ: de quo Deus dixit Moysi: *Nomen meum nondum revelavi Abrahæ, nec Isaac, nec Jacob &c.* Item, hoc est illud *nomen Dei*, de quo dicitur *Isa.* 30. *Ecce nomen Domini veniet de longinquo.* Nunc autem manifestum est, quòd per hoc Deus non promittebat aliquod nomen vocale, vel scriptum de cœlo in terram venire *de longinquo*; sed promittebat mittere Verbum suum in carne. Item, hoc est illud *nomen Domini quod os Domini nominavit, Isai.* 62. quia ex ore Altissimi prodiit. Item, hoc est *nomen Domini* incomprehensibile,

de

de quo dicitur *Proverb.* 30. *Quod nomen est* Dei, *aut Filij ejus, si nosti?* Item, hoc est *nomen Domini* soli Deo comprehensibile, & notum, & manifestum; de quo dicitur *Apoc.* 19. quòd Christus *habet nomen scriptum in diademate, quod nemo novit nisi ipse: & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen ejus Verbum Dei.* A

Ex quibus patet, quòd istud *nomen Dei* veniens de longinquo, quod os Domini nominavit, quod nemo novit nisi ipse, vocatum *Verbum Dei*; non est aliquod nomen vocale transitorium, nec scriptum in charta corruptibili: sed est illa persona Christus Deus & homo, & Verbum & Veritas incarnata.

Et quibus etiam patet, quòd istud *nomen Dei*, scilicet Verbum incarnatum, est sanctum per essentiam quoad Divinitatem, quia *per ipsum facta sunt omnia*: Et est sapiens per essentiam, quia per ipsum omnia gubernantur & disponuntur: Et est justum essentialiter, quia per ipsum omnia justificantur: Et est bonum, quia est finis omnium, & per consequens est misericors, quia relevat omnem miseriam: & per consequens istud nomen est sanctum per essentiam quo ad Divinitatem: nam dictum est *Psalm.* 9. & in Expositione super *Te Deum laudamus*, quòd *sanctum* dicitur à sanciendo: quod idem est quod benè & rectè ordinare res in suum bonum finem: & sic ille dicitur sanctus, qui sapienter, & rectè, & justè disponit & ordinat res, & operationes suas in debitum & bonum finem: & sic omnis sanctus est sapiens, & justus, & bonus, & per consequens misericors. Sed omnia ista soli Deo essentialiter conveniunt: Ergo solus Deus est sanctus per essentiam. Et ideo omnes Angeli & Beati inessabili voce proclamant in cœlo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus &c.* ut dictum est ibi. Sed quia in Verbo incarnato est tota *plenitudo Divinitatis*: ideo Verbum incarnatum, quod est *nomen Dei*, est Omnipotens & sanctum, & per consequens summè sapiens, & justum, & bonum: quod quidem nomen est nobis incomprehensibile, quod desiderarunt scire omnes Patriarchæ & Prophetæ, id est, desiderarunt ipsum in carne videre. B C

Sanctus quis dicitur.

Nota.

Sed est iterum advertendum quod istud *nomen Dei*, scilicet, Verbum incarnatum, non solùm est sanctum in quantum Deus secundùm deitatem, sed etiam est sanctum in quantum homo secundùm humanitatem assumptam. Sed est differentia: nam Christus in quantum Deus, est sanctus per essentiam; sed secundùm humanitatem assumptam est sanctus per naturam, id est, per sanctam conceptionem & generationem, in quantum non ex opere Adam, sed opere Spiritus sancti conceptus est. D

Ad cujus intellectum est valde notandum, sicut dictum fuit *Psalm.* 11. quòd tota sanctitas & justitia hominis consistit in debita ordinatione & conformitate ipsius ad Deum; scilicet, quòd tota ratio & voluntas sit subjecta & conformis Divinæ voluntati, & sensualitas sit conformis & subjecta rationi: & sic totus homo est Deo conformis, & tunc dicitur sanctus: & ita *Adam* in statu innocentiæ tamdiu fuit justus & sanctus, quamdiu ejus voluntas & ratio fuit conformis Divinæ voluntati, & ejus sensualitas fuit conformis & subjecta rationi: & sic dicebatur esse in originali justitia & sanctitate. Sed quando voluntas ejus fuit difformis, & deviavit à Divina voluntate, gustando cibum prohibitum suasu diaboli: ilico sensualitas ejus fuit difformis & deviavit à ratione; immo perversa & inclinata ad omne malum, ilico surrexit adversus spiritum sauciata & vulnerata morbo inordinatæ concupiscentiæ carni infictæ. Et sic *Adam* ex sancto factus est corruptus, & perversus, & iniquus in sua carne & natura: quia debitus ordo fuit in eo perversus & corruptus: & talem naturam & carnem morbo concupiscentiæ vitiatam transmisit in omnes posteros successivè per generationem libidinosam naturaliter genitos. Et sic nullus ejus successorum naturaliter genitus, potest dici naturaliter sanctus, immò perversus & injustus secundùm naturam & generationem. E F

Sanctitas hominis, in quo consistit?

Sed quia solus Christus inter homines non est conceptus naturaliter ex opere Adam, sed solo opere spiritus Sancti: ideo Adam non potuit transmittere in eum talem naturam & carnem corruptam, & vitiatam, & inordinatam. Et ideo Christus est solus *inter mortuos liber* naturaliter à tali morbo & culpa naturali: sed est solus sanctus in sua conceptione & generatione. Et ideo sicut omnes nos traximus carnem vitiatam & inordinatam ab *Adam* corrupto: ita caro & corpus Christi traxit sanctitatem à Spiritus sancto à quo formatum est. G

Christus solus inter mortuos liber.

Et sic patet, quòd Christus tripliciter dicitur sanctus naturaliter quoad humanitatem. Primò, ratione corporis à Spiritu sancto formati. Secundò ratione Animæ cum plenitudine omnis perfectionis, & virtutis, & gratiæ creatæ, & unctione Spiritus sancti præ consortibus suis creatæ. Tertiò, ratione unionis personalis ad Verbum, quod est sanctum essentialiter: & ideo istud *nomen Dei*, scilicet, Verbum incarnatum, dicitur *sanctum*, non solùm ratione deitatis, sed etiam ratione humanitatis assumptæ: cujus pars rationalis semper fuit, & est, conformis Divinæ voluntati; & caro semper fuit conformis & subjecta rationi, prout dictum fuit *Psalm.* 21. & sic semper Christus fecit voluntatem Patris, de quo dixit David *Psalm.* 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam &c.* & sic sicut solus Christus H

Triplicitèr Christus dicitur sanctus.

secundùm humanitatem est naturaliter liber à culpa & morbo ipsius Adam : ita solus est naturaliter sanctus , etiam secundùm humanitatem. Ideo de humanitate Christi sancta dicitur *Psalm.*98. *Adorate scabellum ejus , quoniam sanctum est* : eò quòd illa humanitas tripliciter sancta simul adoratur cum Verbo sibi personaliter unito , ut dictum est in *Tractatu contra Judæos , quæst.*5.

Et sic patet , qualiter *nomen Dei*, quod est Verbum incarnatum, est sanctum, non solùm quoad divinitatem , sed etiam quoad humanitatem : & sic quoad utrumque dicitur *nomen Dei sanctum* per totam Scripturam , & Omnipotens. Unde *Psal.* 110. *Sanctum & terribile nomen ejus.* Et hoc est *nomen Dei* , quod desiderabant videre Patriarchæ & Prophetæ : quod non potuit videri , nec revelari, nisi in novo Testamento.

Sed quia *Moysi* desideranti videre istud *nomen Dei* , fuit revelatum , qualiter istud *nomen Dei* , scilicet Verbum incarnatum , erat venturum in mundum cum omnipotentia , & summa sapientia , & justitia , & misericordia : ideo scripsit ipsum quatuor litteris Hebraicis, scilicet *Jod, he, vau , he.* Et sic cum istis quatuor litteris reperitur *nomen Dei* scriptum in tota Scriptura Legis & Prophetarum in Hebræo : quæ quidem quatuor litteræ solæ sumptæ non formant aliquam notam dictionem: ad denotandum nomen Dei , quod significabant esse incomprehensibile. Sed ubicumque reperitur nomen de istis quatuor litteris scriptum , ipsi Hebræi pronuntiabant & pronuntiant *Adonaï* , id est, Dominus omnipotens. Et ideo dicunt , quòd istud nomen *Tetragrammaton*, id est quatuor litterarum , est ineffabile quoad ea quæ comprehendit & significat : eò quòd significabat per quatuor litteras illa quatuor incomprehensibilia, quæ sunt in Christo , scilicet , omnipotentiam , sapientiam, misericordiam, & justitiam.

Sed si istæ quatuor litteræ rectè combinentur per puncta quibus Hebræi combinant litteras in Scriptura, tunc reddent istud nomen Hebræum *Jobesua :* quod Græcè dicitur *Jesous* , & Latinè *Jesus*, quod est *Salvatio* , sive *Salvator* : & sic ubicumque in Hebræo scribitur hoc nomen *Jobesua* , in Latino interpretativè scribitur *Salvator* , aut *Salutare* , sive *Jesus.* Et ideo sicut Hebræi per illud nomen *Tetragrammaton* , id est quatuor litterarum, nominant Deum , & nomen ejus : ita nos per hoc nomen *Jesus*, ex illis quatuor litteris combinatum , nominamus *Verbum incarnatum* , quod est *nomen Dei* reale, quo Deus se nominavit , & notificavit mundo. Et sic sicut illud Verbum incarnatum est nomen Dei reale , quo ipse Deus Pater nominavit seipsum mundo: ita hoc nomen *Jesus* vocale , vel scriptum, est nomen , quo nos nominamus illud Verbum incarnatum , Deum & hominem, quod est *nomen Dei* , quo ipse se nominat: quod quidem nomen non fuit mundo cognitum, nisi usque ad adventum Christi, quando Angelus dixit *Mariæ: Ecce concipies in utero, & paries Filium , & vocabis nomen ejus Jesum &c.*

Item , hoc idem nomen cum suo significato revelavit Angelus ipsi Joseph in somnis , dicens : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et sic patet, quòd illud idem Verbum incarnatum , quod significabant illæ quatuor litteræ Hebraicæ, significat hoc nomen *Jesus* vocale , vel scriptum. Et sic etiam patet , quòd quando nos proferentes hoc nomen *Jesus*, flectimus genua ; non adoramus adoratione Latriæ hoc nomen *Jesus* vocale habens duas syllabas breves : sed adoramus Verbum incarnatum Deum & hominem , per hoc nomen Jesus vocale significatum. Et ita etiam patet , quòd quando dicitur *Gen.* 4. quod *Enos incœpit vocare nomen Domini.* Et *Genes.*12. quando *Abraham* ædificavit Altare , & adoravit nomen Domini; ibi non est dicendum , quòd *Enos* invocaverit , nec *Abraham* adoraverit illud nomen vocale quatuor litteris prolatum , aut scriptum ; sed adoraverunt Verbum incarnatum Deum & hominem per illas quatuor litteras significatum. Et in hoc decipiuntur miseri & cœci Judæi.

Ex omnibus ergo supradictis patet, qualiter *nomen Dei* , scilicet Verbum incarnatum , qui est Filius *Virginis Mariæ* Deus & homo , est *nomen Omnipotens* , & *sanctum* , & per consequens sapiens , & justum , & misericors essentialiter quoad divinitatem ; & *sanctus* naturaliter quoad humanitatem. Et ideo quia Omnipotens, potuit *facere magna* Virgini Matri suæ, & ipsam magnificare supra naturam. Et quia *sanctum* ; ideo de facto magnificavit , & dignificavit eam omnibus illis dignitatibus per Angelum & Elisabeth ipsi nuntiatis : quia ad Filium sanctum pertinet , in quantum potest , Matrem suam sanctificare & magnificare , & omnibus dignitatibus possibilibus eam dignificare, ut magis infra patebit. Et hoc intendit dicere Virgo Maria , cùm ait : *Quia fecit mihi magna qui potens est , & sanctum nomen ejus* , id est , quia *nomen ejus* est potens & sanctum ; ideo *fecit mihi magna*, id est , me magnis donis magnificavit. Et hoc de primo quæsito.

Ad secundum autem quæsitum est dicendum, quòd duodecim dignitatibus , & magnis privilegiis dignificavit Christus Virginem Matrem suam super omnes puras creaturas. Quarum *prima* fuit singularis prædestinatio. *Secunda* , singularis sanc-

Privilegia Mariæ notanda.

sanctificatio, per quam ab omni peccato præservavit. *Tertia*, singularis usus rationis acceleratio. *Quarta*, singularis desponsatio cum voto virginitatis. *Quinta*, singularis cum virginitate conceptio & parturitio. *Sexta*, singularis Dei maternitas: quia Mater Dei naturalis effecta. *Septima*, singularis Spiritus sancti obumbratio: per quam facta est Propheta & Euangelista. *Octava*, quia singularis fuit Christi ministra & secreta cubicularia. *Nona*, quia singularem aureolam martyrii est adepta. *Decima*, quia absque incineratione in corpus glorioſum fuit resuscitata. *Undecima*, quia super omnes hierarchias & choros Angelorum fuit exaltata. *Duodecima*, quia inter nos & Filium singularis mediatrix est effecta.

Maria prædestinata.

Quantum ergo *ad primam dignitatem* est dicendum, quòd *prima dignitas singularis Virginis Mariæ* fuit; quia post Christum singulariter fuit prædestinata super omnes puras creaturas, & libro vitæ adscripta. Cujus ratio est. Nam cum prædestinatio sit *præparatio ad gratiam secundùm propositum æternæ voluntatis Dei*; ideo in ordine dignitatis per priùs Deus prædestinavit Christum hominem ad gratiam unionis personalis ad Verbum, ut esset Filius Dei naturalis, & primogenitus in hæreditate cœlesti, & ut esset caput super omnem Ecclesiam, tàm cœlestem, quàm Militantem, & omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro, ut ait *Apostolus ad Ephes.* 1. Et ideo Christus homo est primus prædestinatus simpliciter ad nobiliorem & primum gradum dignitatis, ut ipse ait per os David *Psal.* 39. *In capite libri scriptum est de me &c.* Et ex consequenti omnes Electi sunt prædestinati ab æterno in Christo in adoptionem filiorum, ut in eodem capitulo ait *Apostolus*, dicens: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo: sicut elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati: qui nos prædestinavit in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ, & gratiæ suæ: in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo &c.* Ex quibus patet, quòd Deus ab æterno per priùs prædestinavit Jesum Christum ad gratiam unionis filialis naturalis, ut esset Filius primogenitus naturalis & caput utriusque Ecclesiæ: & exinde prædestinavit omnes alios Electos in adoptionem filiorum secundùm ordinem dignitatis, secundùm quod postea ex tempore per Christum Filium suum eos vocavit, & justificavit, & gratificavit per gratiam, & magnificavit in gloria.

Ex quibus sequitur, quòd *Virgo Maria*, sicut ex tempore fuit dignior post Christum, & ad majores, & digniores dignitates ex tempore vocata: ita ab æterno fuit immediatè post Christum in primo gradu, & ad altiores dignitates prædestinata; & ad tot gratias & dignitates fuit prædestinata ab æterno, ad quot ex tempore successivè fuit vocata. Sed quia gratia unionis spiritualis, & sanctificationis, & gratificationis, per quam Deus habitat in creatura, præcedit omnes alias dignitates ordine præsuppositionis (quia gratia maternitatis præsupponit gratiam sanctitatis; quia *Maria* priùs concepit Christum mente, quàm carne, & priùs fuit Sponsa, quàm Mater Christi, & priùs habitavit in ea per gratiam, quàm per carnem:) ideo sicut Christus ab æterno fuit prædestinatus ad gratiam unionis personalis in sua creatione, ut esset Caput Ecclesiæ, & primogenitus naturalis: ita *Virgo Maria* ab æterno fuit prædestinata ad gratiam unionis spiritualis, ut esset filia Dei adoptiva, & sancta, & immaculata in sua creatione, ut esset apta ad gratiam maternalis unionis suo tempore.

Et sic est dicendum, quòd sicut Christus homo fuit ab æterno prædestinatus, ut in primo instanti suæ creationis esset Filius Dei naturalis per gratiam naturalis unionis (qui est primus gradus dignitatis post Deum in tota latitudine entium:) ita *Virgo Maria* fuit ab æterno prædestinata ad gratiam sanctificationis: ut in primo instanti suæ animæ creationis & infusionis esset simul cum corpore sanctificata per gratiam adoptionis filialis, ut in eodem primo instanti suæ creationis esset sancta, & immaculata, & filia Dei adoptiva, & sponsa Christi: ut esset apta, ut posteà fieret Mater Christi. Et iste fuit & est primus gradus dignitatis post Christum.

Et hanc dignitatem publicè confitetur & cantat universalis Ecclesia de *Virgine Maria* in Epistola, sive Lectione, attribuendo ipsi illud *Ecclesiast.* 34. in persona sui, dicentis: *Ab initio & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam &c.* per hoc volens ostendere Ecclesia, quod *ab initio*, id est, ab æterno, *Virgo Maria* fuit creata in gratia secundùm æternum propositum, id est, fuit prædestinata, ut simul esset creata, & sanctificata, & gratificata per gratiam præservantem ab omni malo, & confirmantem ipsam in omni bono.

Ad hoc idem propositum universalis Ecclesia Romana cantat ipsi illud *Proverb.* 8. in festo suæ Nativitatis, scilicet, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Et,

Ante omnes colles ego parturiebar &c. quasi dicat, quod Dominus Deus ab æterno in suo proposito *possedit me* per gratiam, A id est, proposuit me possidere per gratiam; & *ab æterno* proposuit, ne per aliquod instans & tempus diabolus possideret me per aliquam culpam: sed à primo instanti meæ creationis animæ essem semper Deo grata & accepta: quia *nondum erant abyssi* marinæ, nec erat facta aliqua creatura, & *ego jam concepta eram* in gratia in Divino proposito. Et etiam *abyssi*, id est aliquod peccatum, *nondum erat* in me, & *ego jam concepta eram* per gratiam: id est, antequam macularer aliquâ culpâ, fui per gratiam, & cum gratia concepta in mea conceptione animæ: quia anima mea simul fuit creata in gratia, & in carne concepta & infusa, ut patebit. Et sic isto B modo *ab initio* fui *creata*, & *ab æterno concepta*, & per gratiam possessa in divino proposito.

Objectio. Sed contra supradicta instaret aliquis: Nam verba supradicta tam in *Ecclesiastico*, quàm in *Proverbiis Salomonis*, sunt dicta de Sapientiâ æternaliter genitâ & conceptâ: & ideo non possunt verificari de *Virgine Maria*.

Not. hanc expositionem. Sed pro hujusmodi responsione & declaratione est valde advertendum, quòd supradicta verba essentialiter sunt dicta, & verificantur de Divina Sapientia increata, sed genita: sed secundùm prædestinationem, primò verificantur de humanitate Christi assumpta: & secundò de sola *Virgine Maria*. Et ideo quando Verbum Divinum, quæ est sapientia genita de tota memoria fecunda Patris, dicit: *Ab initio & ante sæcula creata sum &c.* ponitur ly *creata* vocabulo generali pro *producta* & *genita*, id est, ab æterno & ante secula sum *producta & genita*: &, *Ex ore Altissimi prodivi*. Et ita pariter dicit eadem Divina Sapientia genita: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum*: quia ab æterno Filius est in sinu Patris, tanquam verbum in dicente, & sapientia in memoria, de qua gignitur inseparabiliter. Et eadem sapientia dicit: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*: quia Verbum est conceptus æternus Patris, quo se D totum intelligit & diffinit. Et ideo subdit: *Cum eo eram cuncta componens*: quia Deus per Verbum suum & Sapientiam dixit omnia, & ea sapienter disposuit. Sed ista eadem verba secundùm prædestinationem, primo verificantur de humanitate Christi assumptâ, & personaliter unitâ Divinæ Sapientiæ genitæ. Unde iste homo, sive humanitas assupta, dicit: *Ab initio & ante sæcula creata sum* in Divino proposito, in gratia personalis unionis ad Verbum; & per consequens primogenitus Filius naturalis Dei, & caput utriusque Ecclesiæ, eo modo quo dictum est. Et sic *Dominus* Pater *possedit me ab initio viarum suarum*, E tanquam Filium naturalem & primogenitum. Et *nondum erant abyssi*, & *ego jam conceptus eram* tamquam Filius primogenitus in Divino proposito. Et sic etiam supradicta verba attribuuntur & verificantur de sola *Virgine Maria* in secundo gradu prædestinationis ad gratiam adoptionis, & spiritualis desponsationis, quam adepta est in sua creatione & conceptione, eo modo quo dictum est, & dicetur.

Objectio. Sed adhuc aliquis posset instare: quia verba supradicta pariter possunt verificari de quolibet justo secundùm prædestinationem: quia omnes electi sunt ab æterno prædestinati secundùm æternum propositum.

Responsio. Ad hoc autem respondetur: quòd licet omnes Electi ab æterno sint prædestinati ad F gratiam gratificam; tamen non omnes fuerunt prædestinati, ut conciperentur & crearentur in gratia, eo modo quo dictum est, sicut videntur sonare verba supradicta. Et ideo quia talia verba soli *Virgini Mariæ* conveniunt post humanitatem Christi: hinc est quòd bene meritò hanc scripturam cantat Ecclesia de sola *Virgine Maria*, & non de aliquo sancto, nec sancta: per hoc intendens talem excellentiam illi soli attribuere, & talem scripturam de sola *Virgine Maria* verificari. Et sic patet, qualiter *Virgo Maria* ab æterno fuit prædestinata ad gratiam gratificam & sanctificantem in principio suæ creationis & conceptionis, & exinde ad omnes alias dignitates, scilicet, ut esset Mater Dei &c. Et hoc de G prima dignitate Virginis Mariæ.

Mariæ sanctificatio. *Secunda* autem *dignitas* fuit gratia præviæ sanctificationis & gratificationis in sua creatione & conceptione. Nam sicut ab æterno fuit prædestinata in primo gradu dignitatis: ita ex tempore fuit in primo gradu dignitatis vocata & sanctificata.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd omnes Doctores Catholici, tam antiqui, quam moderni conveniunt in hoc, quòd *Virgo Maria* fuit sanctificata in utero Matris; sed inter Doctores modernos & Scholasticos est differentia de tempore hujus sanctificationis. Nam quidam dicunt, quòd *Virgo Maria* fuit sanctificata per mo- H rulam temporis post animationem. Et sic isti concedunt, quòd per totam illam morulam fuit sub culpa originali: & per consequens habent concedere, quòd fuit in ira & odio Dei per illam morulam usque ad gratiam sanctificationis.

Alii autem reputantes id magnum inconveniens, dicunt, quòd fuit sanctificata & gratificata in primo instanti suæ creationis, & sui esse: scilicet, quòd illa anima simul fuit creata & sanctificata per gratiam, & in illo corpore infusa: & simul fuit sanctificata anima cum corpore. Nam sicut illa sanctificatio gratificavit eam quoad animam; ita extinxit, aut ligavit in corpore

om-

omnem fomitem, & concupiſcentiam : & ſic ſimul fuit ſanctificata tota perſona per gratiam confirmantem, præſervantem eam A ab omni malo & culpa, & confirmantem eam in omni bono. Et ſic culpa originalis naturæ non potuit tranſire ad perſonam Virginis. Et ſic per talem primam ſanctificationem fuit præſervata à culpa originali in perſona. Et quia fomes in ea fuit totaliter extinctus & ligatus, & ipſa in gratia confirmata ; ideo nunquam potuit peccare mortaliter nec venialiter. Et ſic fuit ab omni culpa & peccato præſervata : quia quamdiu fuit individuum & perſona humana per animationem, ſemper fuit Deo grata & accepta per ſanctificationem factam in animatione, in qua anima fuit ſimul creata & infuſa, & in carne concepta. Et talis conceptio animæ in carne dicitur con- B ceptio gratiæ. Et ſic conceditur, quòd *Virgo Maria* quoad animam fuit concepta in gratia præter omnem culpam originalem, quam cæteri perſonaliter in ſua animatione ex carne libidinoſa traxerunt. Et hoc ſufficit ad præſervandam *Virginem Mariam* ab omni originali culpa, & veniali, & actuali.

Alii autem dicunt, quòd præter ſanctificationem ſupradictam factam in animatione, jam ante animationem fuerat ſanctificata illa caro, & fuit mundata & purificata à fœditate libidinis parentum, per quam ineſt ſeminalis fomes concupiſcentiæ in carne : & ſic ante animationem jam fuerat extinctus fomes, qui ſeminaliter erat C in carne. Et ſic poſtquam caro fuit taliter mundata, non potuit anima à carne maculari culpâ originali ex ejus conſortio in animatione. Nam ſecundùm *Auguſtinum* & *Ambroſium*, & omnes antiquos, anima in puris naturalibus creata ex conſortio carnis libidinoſæ trahit perſonaliter culpam in animatione carnis : quia per carnem infectam infligitur originalis culpa in anima.

Sed dicunt quidam, quòd illa caro ante animationem non potuit ſanctificari, cùm eſſet res inanimata. Et per conſequens non capax gratiæ ſanctificantis.

Sed ad hoc reſpondetur : quòd non eſt neceſſe quòd talis ſanctificatio fieret D per gratiam gratificantem, ſed per quandam virtutem Spiritus ſancti purgantem illum morbum carnis : ſicut oleum exorcizatur, & conſecratur, & ſanctificatur in chriſma, non per gratiam gratificantem, ſed per virtutem Spiritus ſancti expellentem omnem immunditiam & poteſtatem inimici ab illo oleo, & ab aqua, quando benedicitur. Et iſto modo reconciliantur Eccleſiæ pollutæ, & cimiteria, quæ ſunt res inanimatæ : & etiam per quandam ſanctificationem conſecrantur altaria, & Eccleſiæ, & dedicantur ad Divinum cultum. Ita pariter illa caro *Virginis* ante animationem potuit ſanctificari, & per talem E ſanctificationem dedicari ad receptionem illius ſacratiſsimæ animæ : quæ quidem anima ſimul fuit creata & ſanctificata, & omni gratiâ ornata, & in illo corpore ſanctificato infuſa. Et ſic patet, qualiter per iſtam duplicem ſanctificationem *Virgo Maria* fuit præſervata ab omni culpa in perſona. Et ſic ſequitur, quòd licet Virgo Maria fuit obligata in *Adam* ad culpam originalem tanquam in natura, eò quòd deſcendit ex illa propagine per naturalem generationem : tamen in illa obligatio naturæ non tranſivit ad perſonam, nec ad animam, propter prævium ſanctificationem factam in animatione, per quam ſemper fuit in gratia Dei, prout dictum eſt. Et iſta eſt ſecunda dignitas *Virginis Mariæ*, F quæ convenit, & eſt decens ipſi, tanquam Matri Dei : nec *Virgo Maria* debuit eſſe expers talis dignitatis, prout patebit. His habitis, ſit hæc

Prima Conclusio.

DEUS potuit à culpa originali perpetratâ in *Adam* Matrem ſuam præſervare, & immunem reddere.

Hæc autem tripliciter probatur. Primò, in quantum Deus eſt creditor, & *Adam* cum tota ſua poſteritate debitor. Nam creditor abſque præjudicio ſui juris & dominii poteſt diminuere debitum cuicunque debitori, & in quolibet tempore : ergo ſicut *Hieremiæ* & *Joanni* Baptiſtæ di- G miſit Deus debitum originalis juſtitiæ, & eos abſolvit ab originali culpa in utero matris poſt animationem : ita hoc idem potuit facere *Virgini Mariæ* in primo inſtanti creationis & animationis.

Item, hoc potuit facere in quantum eſt Omnipotens : quia ut ſic, ſicut potuit creare gratiam, & ſanctificare *Hieremiam* & *Joannem Baptiſtam* ante nativitatem, & omnes alios juſtos poſt nativitatem : ita potuit creare gratiam ſimul cum anima *Virginis*, & per talem gratiam ſimul totam Virginem ſanctificare, & gratificare, & per conſequens ab omni culpa in perſona præſervare. Et ſic peccatum naturæ nunquam poſſet tranſire ad perſonam.

H Item tertiò, hoc idem Deus potuit facere in quantum Dominus abſolutus. Nam dominus abſque præjudicio ſui juris & dominii poteſt libertate donare quemlibet ſervum & captivum ſuum in quolibet tempore & ætate illius ſervi : ſed nos videmus manifeſtè, quod aliquis dominus temporalis liberat ſervum, aut filium ſervi, non ſolum in ætate adulta, ſed adhuc in puerili, & quandoque in ventre matris, & quandoque in die conceptionis ejus ; immò quandoque ante conceptionem prout patet manifeſtè : ergo à fortiori hoc potuit Deus facere de Matre ſua : quia potuit

eam in sua animatione liberare, & præservare ab omni culpa, & spirituali servitute, ad quam in natura & *Adam* fuerat A obligata. Sed quia hoc nullus sanæ mentis potest negare; ideo hoc sufficiat ad hujusmodi probationem: quia Deus inquantum creditor, & Dominus absolutus, & Omnipotens hoc potuit facere Matri suæ.

Secunda Conclusio.

Decens fuit *Virginem Mariam* à tali originali culpâ præservari in principio sui esse per gratiam. Ista conclusio probatur tripliciter. Primò, ex parte ipsius Virginis. Secundò, ex parte Filii, qui eam fabricavit. Tertiò, ex parte nostri.

Primò, probatur sic. Nam illud est B decens attribuere *Virgini Mariæ* Matri Dei, quod cedit in ejus decorem & decus: & illud negandum & removendum quod cedit in ejus dedecus. Sed *Virginem Mariam* in principio sui esse fuisse sanctificatam, & ornatam omnibus gratiis sibi possibilibus, & gratificatam, & Deo semper gratam & acceptam, & factam habitaculum Dei, cedit in decorem & honorem ejus; & totum oppositum, scilicet, non fuisse ab originali culpâ taliter præservatam, cedit ipsi in magnum dedecus & vituperium contra ejus dignitatem: Igitur hoc est ab ea removendum & negandum, & illud præmium attribuendum ad ejus decorem & honorem. Major patet de se. Minor autem probatur. Nam non potest esse major decor, & decus, & honor alicui ra- C tionali creaturæ, quàm esse Deo semper gratam, & acceptam, & factam habitaculum Spiritus sancti: nec potest esse majus dedecus, & vituperium, & infelicitas pro illo tempore, quàm esse aliquando in ira & odio Dei, & servitute diaboli, prout tota scriptura testatur. Sed si *Virgo Maria* in primo instanti fuit sanctificata, sequitur primùm, scilicet, quòd fuit Deo grata semper, & accepta, & filia Dei adoptiva, & facta Tabernaculum Spiritus sancti: & si non fuisset præservata à tali culpa per præviam sanctificationem, sequeretur secundum, scilicet, quòd fuisset in odio & ira Dei, & ancilla in servitute dia- D boli pro illa morula: Ergo decens fuit ad ejus decorem & dignitatem, *Virginem Mariam* fuisse sanctificatam in sua creatione & animatione, prout dictum est.

Secundò hoc idem probatur ex parte Filij sui, qui eam fabricavit, ut esset Mater sua: & hoc multipliciter. Nam primò decens est ut filius decoret matrem suam, in quantum potest, & conferre ipsi omnia quæ faciunt ad decorem & honorem ejus. Sed omnia ista cedunt in honorem *Virginis Matris* ejus: Ergo decens fuit ut Christus hæc faceret erga Matrem suam, postquam ipse ad suum libitum potuit ipsam fabricare, & tali honore & ornatu E decorare: quia quicumque filius hoc faceret, si posset, scilicet, fabricare sibi domum, aut Matrem, aut sponsam sine aliquo defectu cum omni ornatu & decore.

Item, hoc pertinet ad Christum, inquantum est *Sanctus sanctorum:* Ergo ad eum pertinebat sanctificare Matrem suam præ cæteris, postquam veniebat ad sanctificandum omnes: Ergo singulari & excellentiori modo debuit sanctificare Matrem suam, de qua debebat carnem assumere, & in ea maternaliter habitare.

Item, hoc idem sic probatur. Nam si Deus in fabricando totam machinam mundi non defecit in necessario, & in his quæ F faciunt ad decorem Universi: Ergo minus defecit in fabricatione suæ Matris, de qua debebat carnem assumere ad recreandum genus humanum, & ad fabricandam Ecclesiam, & in qua carne de Matre assumpta nos debebat redimere. Et sic etiam in fabricatione illius sacri tabernaculi virginalis in nullo debuit Christus deficere, postquam in eo singulariter, non solùm per gratiam, sed etiam per carnem debebat habitare.

Tertiò autem hoc idem fuit decens ex parte nostri: ad removendum omne scandalum, tàm à Fidelibus, quàm ab Infidelibus, Nam magnum scandalum infert & generar in animo & auribus audientium dicere, Matrem Dei aliquando fuisse in odio & ira Dei, & in servitute & captivi- G tate diaboli. Unde anno Dñi. *M.CCCXXII.* præsidente *Joann.* 22. in sede Apostolica venit quidam *Soldani* filius Armeniæ, Græcâ & Latinâ linguâ eruditus ad nostras partes Latinas cum salvo conducto, ad videndum mores & ritus Christianorum: & fuit receptus *Avenione* in Curia Papæ cum magno honore, qui quotidie intererat in solemnitatibus divinorum officiorum, in quibus maximè delectabatur. Et accidit in *die Conceptionis Virginis Mariæ*, quòd quidam ascendit ad prædicandum: in qua prædicatione voluit probare per quasdam authoritates Sacræ scripturæ, Virginem Mariam contraxisse culpam originalem. H Quibus verbis auditis in tantum fuit scandalizatus ille filius Regis Armeniæ, quòd surrexit à loco, & cum magno furore dixit Papæ & Cardinalibus: quòd mirabatur de ipsis, qui erant capita Christianæ Religionis, ut talia tolerarent audire de Virgine Maria. Unde etiam dixit, quòd si quis talia dixisset in conspectu *Califæ*, aut *Soldani Egypti*, aut in conspectu aliorum Saracenorum, nullo pacto posset evadere, quin ab omnibus lapidaretur, quantumcunque ille esset magnus: immò si quis talis dixisset de matre Mahometi, nullo pacto evaderet mortem. Et sic ille taliter scan-

Not exem plum.

scandalizatus, reversus est in regionem suam, qui antè deliberaverat Baptismum A
suscipere.

Item, si ista contraria opinio non fuerit prohibita, scandalizabit multos tempore Antichristi: & sic nocebit multum christianæ Religioni contra dignitatem nostræ redemptionis. Et sic patet, qualiter multis modis fuit decens, ut Christus fabricator Matris suæ decoraret eam tali dignitate, ut esset apta & digna, de qua carnem assumeret, ne despiceretur ab infidelibus & Hæreticis.

Et hoc probat *Augustinus* in libro *contra quinque hæreses*, dicens in persona Christi: *Hæc quam despicis Manichæe, mater mea est: manu fabricata est mea. Ego Matrem ex qua nascerer feci. Ego viam itineri meo paravi &c.* In quibus B
verbis ostendit *Augustinus*, quòd postquam Christus, tamquam Deus & sapiens artifex ad libitum fabricavit Matrem suam, taliter eam fabricavit sine aliquo defectu, ne ab aliquo despiceretur, & cum tanto decore & perfectione, ut esset apta & digna, ut ex ea carnem assumeret, & ab omnibus veneraretur. Hoc idem asserit *de Fide ad Petrum, parte prima*, dicens, quòd *tali & singulari gratiâ fuit illa Virgo præventa, ut esset digna de qua Filius Dei carnem assumeret.* Hoc idem asserit *Anselmus, lib. de Conceptu virginali*, dicens, quòd *decebat ut illa virgo tali puritate niteret, quâ sub cœlo nequeat major intelligi.* Et sic patet, qualiter fuit decens Virginem Mariam in primo instanti C
suæ creationis fuisse sanctificatam, & ab omni culpâ præservatam: quia aliter sequerentur omnia supradicta inconvenientia, nec possent dicta *Augustini*, & *Anselmi* de ipsa verificari.

Tertia Conclusio.

Christus tenebatur & debuit Mariam præservare.

Christus tenebatur de debito, & debuit præservare *Virginem Matrem* suam à tali culpa per talem sanctificationem, & decorare eam tali dignitate.

Ista conclusio probatur primò, in quantum Filius, & *sanctus sanctorum.* Nam ad Filium sanctum pertinet de debito; immò obligatur, in quantum potest, D
& decens est, decorare & honorare Matrem suam. Sed Christus est verus Filius naturalis & carnalis *Virginis Mariæ*, ut dictum est, & dicetur: Ergo tenebatur & obligabatur honorare eam tali honore & dignitate, postquam potuit, & fuit decens, ut dictum est: quia aliter, non decenter honorasset Matrem secundùm decentiam suam.

Item, hoc idem pertinebat ad Christum in quantum *sanctus sanctorum*, quia ad *sanctum* pertinet omnia disponere, & in finem optimum secundùm decentiam ordinare: Ergo postquam Christus tamquam *sanctus sanctorum* venit ad sua membra sanctificanda, & in debitum finem ordinanda, debuit *Virginem Matrem* suam præ cæteris sanctificare, & in debitum & nobiliorem finem sibi possibilem ordinare: eò quòd ex ipsa debebat illam carnem assumere, cum qua instrumentaliter debebat omnia sanctificare. E

Item, hoc idem debuit facere Christus *tamquam Legislator*: nam ipse qui dederat legem de honore parentum, debuit illam legem observare, sicut in cæteris observavit: quia in omnibus primò *cœpit facere*, & postea *docere*, ut patet *Act.* 1. & *Lucæ* 2. Ergo sicut honoravit Matrem in servanda obedientia: ita magis debuit eam venerari, ab omni labe præservando, & omni gratiâ decorando in principio sui esse: unde omnes illæ decem rationes quas adducit *Augustinus* in libello *de Assumptione Virginis Mariæ*, ad probandum, quòd non fuit incinerata in sepulchro: magis probant hoc propositum, quàm illud. F

Christus Virginem ab originali præservavit.

Ex supradictis tribus conclusionibus infertur unum Corolarium, sive corolaria conclusio, scilicet, quòd *de facto Christus præservavit Virginem Matrem suam ab omni culpa, tàm originali, quàm actuali, & veniali per talem sanctificationem.* Hoc probatur. Nam Christus hoc potuit, & cum decentia debuit facere: Ergo fecit; quia potuit & debuit facere cum decentia Virginis, & sui, & nostri, ut probatum est per supradictas Conclusiones. G

Sed istam Consequentiam posset quis negare. Nam multa potuit Deus facere, quæ non fecit: putà, facere multos mundos, & facere hominem impeccabilem, & aliter hominem liberasse: sed tamen ista non fecit.

Ad hoc respondetur, quòd licèt Deus omnia illa potuisset facere: tamen quia non tenebatur, nec obligabatur facere, ideo non fecit: sed quia decebat eum, & tenebatur tamquam *Filius*, & *Sanctus*, & *Legislator* dignificare & honorare Matrem suam, eo modo quo dictum est; ideo fecit. Unde causa, quare in Christo valet H
illa consequentia, & non in nobis, est ista. Nam si homo dives potest decenter, & obligatur facere eleemosynam, & non facit; hoc accidit ex aliqua passione impediente, putà, avaritiâ: sed in Deo nulla potest esse passio impediens ad bonum: ergo si potuit hoc decenter, & debuit facere, de necessitate cogimur dicere, quòd fecit absque præjudicio suæ libertatis; immò cum decentia suæ majestatis, & officii suæ legationis. Et sic patet, qualiter illa sanctificatio facta in principio creationis & animationis *Virginis Mariæ* præservavit eam ab omni malo, & confirmavit eam in

om-

omni bono. Immò dicunt quidam, quòd illa sanctificatio acceleravit in ea usum liberi arbitrii ad merendum. Sed in hoc non A est sistendum.

Quarta Conclusiò.

Mariam fuisse præservatam probatur per Scripturam.

Virginem Mariam esse immunem & præservatam à tali labe, potest expresse, & probabiliter deduci ex Sacra Scriptura utriusque Testamenti.

Hoc primo probatur: Nam totum fundamentum primum unde habetur, quòd omnes filii Adam fuerunt obligati ad originalem culpam, deducitur ex peccato primorum parentum, & ex sententia eis inflicta propter illud peccatum: quia audientes vocem serpentis prævaricati sunt B præceptum Domini. Unde ex sententia ibi data, & ex dictis Sacræ Scripturæ recolligitur, quòd serpens antiquus quadruplici morsu momordit primos parentes cum tota sua posteritate: scilicet, morsu culpæ in anima, & morsu morbidæ concupiscentiæ in carne, & morsu ærumnarum, & miseriæ in conceptu & partu mulierum, & morsu doloris, & incinerationis, & putrefactionis corporis in morte. Et iste morsus ultimus cum duobus primis fuit communis filiis Adam per naturalem generationem propagatis. Sed antequam Deus promulgaret istam sententiam exceptavit & exemit *Virginem Mariam* ab hac sententia, ut patet in eadem Scriptura: Ergo *Virgo Maria* non subjacuit, nec fuit obnoxia C illi sententiæ.

Hoc patet in textu *Genes.*3. Nam antequam ferret sententiam contra hominem post maledictionem serpentis, dixit ipsi: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum. Et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Posteà verò dixit mulieri: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios. Et sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* Ex quo patet, quòd primò tulit sententiam contrà mulierem, eò quòd primò fuit seducta, & peccavit, & posteà seduxit virum. Ideo duplici pœnâ speciali fuit plexa & punita; scilicet, pœnâ ærumnarum in conceptu & D partu, & pœnâ subjectionis sub potestate viri. Exinde promulgavit sententiam generalem contra utrumque cum tota eorum posteritate, dicens: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi*: per quas spinas & tribulos non solùm intelliguntur spinæ & tribuli, qui generantur in terra ad laborem & tædium nostrum, & ad impediendam ejus ubertatem; sed etiam intelliguntur spinæ & tribuli fomitis, & spinosæ concupiscentiæ inflictæ in nostra carne ex morsu serpentis. Et posteà Deus subdit E sententiam mortis cum incineratione, dicens: *Donec revertaris in terram, de qua assumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Et sic patet quadruplex morsus serpentis, & sententia generalis promulgata contra primos parentes cum tota eorum posteritate.

Sed antequam promulgaretur ista sententia, facta fuit exceptio de *Virgine Maria*; per hoc quod dixerat Deus serpenti: *Ipsa* mulier *conteret caput tuum*: quod non fuit impletum in *Eva*, nec in alia muliere, nisi in sola *Virgine Maria*, prout omnes Doctores dicunt. Ergo si *sola Virgo Maria* contrivit caput serpentis, prout ante sententiam latam fuit prædictum, er- F go serpens non potuit mordere *Virginem Mariam* illo quadruplici morsu: quia aliter non contrivisset caput serpentis. Nam manifestum est, quòd non momordit eam morsu corruptionis ærumnarum & dolorum in conceptu & partu Filii Dei: nec morsu incinerationis, ut jam communiter tenet tota Ecclesia: Ergo minùs momordit eam morsu originalis culpæ, aut alterius peccati, quod maximè ipsam vulnerasset & despiciendam reddidisset: & sic non contrivisset caput serpentis, quod est contra Sacram Scripturam, & contra speciale privilegium ibi jam *Virgini Mariæ* collatum, & contra exceptionem factam ante legem latam.

Sed diceret aliquis, quòd ante illam *Objectio.* G legem latam, & exceptionem factam, jam *Adam* erat sauciatus in corpore & anima, & jam incurrerat sententiam mortis pro se, & omnibus posteris.

Ad hoc respondetur, quòd peccatum *Responsio.* primorum parentum fuit personale. Et ideo obligavit eos solos ad pœnam sensus æternam. Sed nondum erat lata sententia, quod illud peccatum cum tali onere, & quoad pœnam damni transiret ad posteros originaliter, nisi usquequo lata est supradicta sententia, cùm expresse Dominus dixit serpenti: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum: & tu insidiaberis calcaneo illius &c.* Ex quibus verbis patet, quòd illam senten- H tiam de novo tulit & promulgavit Deus contra semen & posteritatem primorum parentum: ut diabolus & semen ejus, qui sunt sequaces ejus, semper insidiaretur calcaneo, id est, ut morderet carnem & sensualitatem uniuscujusque in sua origine: à qua quidem carne transiret culpa originalis in *Adam* per solum consortium: & transiret peccatum mortale & actuale per consensum voluntatis annuentis concupiscentiæ carnis. A quo morsu & insidiis serpentis excipitur *Virgo Maria*, conterens caput serpentis per gratiam prævenientem, ne ipsam aliquo morsu posset

mor-

mordere, ut patet in littera secundùm communem Expositionem omnium Doctorum.

Hæc eadem Conclusio probatur authoritate Novi Testamenti, *Lucæ* 1. per verba Angeli dicentis Mariæ : *Ave gratia plena* : *Dominus tecum* : *Benedicta tu in mulieribus &c.* quæ quidem verba exponens *Augustinus* in primo *Sermone de Nativitate Virginis*, ait : *Quomodo gratia plena, nisi quia totaliter evacuata est à culpa ? Et quomodo benedicta in mulieribus, nisi quod maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ &c.* Item, hoc magis exprimens *Augustinus*, declarando eadem verba Angeli, ait in secundo *sermone Nativitatis ejusdem Virginis Mariæ. Si Maria gratia plena : quid justitiæ, quid sanctitatis hæc virgo indigere potuit, quæ efficacius ad omnia gratiæ plenitudinem accepit ? Aut quis unquam in ejus anima vel corpore locus potuit inveniri peccati : quæ ad instar cœli continentis omnia, templum Domini est effecta ? &c.* Item, propter eadem verba *Hieronymus* in *Sermone de Assumptione Virginis Mariæ* dicit, quòd *ideo dicitur gratia plena : quia in cæteris per partes; sed in Maria tota se diffudit gratiæ plenitudo &c.*

Ex quibus patet secundùm *Augustin.* quòd ideo dicitur *gratia plena*, quia nulla ipsi defuit gratia, & *nunquam in ejus anima & corpore locus potuit esse peccati:* Ergo per gratiam sanctificantem in sua creatione fuit præservata ab omni peccato. Et per consequens peccatum naturale non transivit in ejus animam quoad culpam, nec in ejus corpus quoad morbum concupiscentiæ actualiter post animationem, sicut transivit in cæteros. Item, secundùm *Hieronimum*, nulla fuit gratia data alicui creaturæ quin fuerit data *Virgini Mariæ* : sed primi parentes & Angeli fuerunt creati in gratia : Ergo hoc non defuit Virgini Mariæ. Et sic patet, quod sententia data in *Adam* & *Eva* de quadruplici morsu serpentis non transivit in personam Virginis, eò quòd ex singulari gratia & privilegio fuit excepta ante legem latam, prout dictum est. Ideo est dictum ipsi ab Angelo : *Ave gratia plena &c.* Nam *Bernardus*, & omnes Doctores asserunt, quòd sola *Virgo* contrivit caput serpentis, propter illud privilegium ante legem communem latam sibi collatum & promissum : quia aliter non contrivisset caput serpentis, nec fuisset *gratiâ plena*, nisi ab omni morsu serpentis fuisset præservata per gratiam, eo modo quo dictum est.

Doctores asserunt.

* * * * * * * * * * * * * * *

E Quinta Conclusio.

VIrginem Mariam fuisse præservatam ab omni culpa, tàm originali, quàm actuali, & veniali, fuit de expressa intentione *Augustini* & *Hieronymi.*

Pro cujus probatione est advertendum : quòd cum *Pelagiani* negarent, peccatum primorum parentum cum suis pœnis & onere in omnes posteros fuisse translatum; sed assererent unumquenquem ex libertate voluntatis, & propriis viribus naturalibus posse vitare omne malum & peccatum, & facere omne bonum, si velit : Contra hanc pestiferam doctrinam Pelagianam *Augustinus* confecit libros *de Baptismo parvulorum*, & plures alios, in quibus probat, illud peccatum primorum parentum originaliter transisse in omnes posteros per naturalem & libidinosam generationem propagatos. Et sic probat, neminem esse liberum secundùm naturam ab illo peccato, nisi solum Christum mediatorem Dei & hominum, qui non ex opere Adam natus est : & ideo non fuit obligatus in Adam. Et ideo omnes cæteri homines, præter Christum, fuerunt obligati peccato, & in se fuerunt peccatores secundùm naturam.

Sed cum *Pelagius* & *Julianus* arguendo contra *Augustinum* adducerent in exemplum complures Veteris Testamenti quos sacra Scriptura justos appellat, scilicet, *Abel*, *Enos*, *Noe*, *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob &c.* Ad hoc respondet *August. lib. de Natura & Gratia*, quòd licet Sacra Scriptura illos justos appellet ob ingentes virtutes, tamen non fuerunt liberi à culpa originali, nec aliquando à peccato actuali : & si aliquando vitarunt peccata actualia, hoc non fecerunt ex propriis viribus naturæ, cùm in eis esset natura vitiata & corrupta, sicut in cæteris : sed hoc fecerunt per gratiam præventi ad vitandum peccatum.

Objectio. *Responsio.*

Item, cùm rursus arguerent memorando *Joannem Baptistam*, *Simeonem* justum, & *Joseph*, quos justos Euangelica commendat authoritas, & innocentes; de quibus dicitur in *Apocalypsi*, quòd *sine macula sunt ante thronum Dei* : Ad hoc respondet *August.* quòd etiam illi non fuerunt sine peccato, saltem originali : sed quia fuerunt per gratiam justificati ab originali & præservati ab actuali; ideo eos justos Euangelica appellat authoritas.

Objectio. *Responsio.*

Sed cùm rursus *Pelagius* & *Julianus* memorarent *Virginem Mariam* Matrem Christi, cui dictum est ab Angelo : *Ave gratia plena &c.* Tunc ad hoc respondet *Augustinus* in eodem libro *de Natura & Gratia* : quòd *hac Virgine exceptâ, si omnes sancti & sanctæ congregari possent,* &

& quæreretur ab eis, an peccatum haberent? quid possent respondere, nisi quod Joannes ait: Si dixerimus quod peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est? Ex quibus verbis patet quod Augustinus non solum exceptat *Virginem Mariam* ab actuali peccato, sed etiam ab originali, & veniali. A

Sed dicunt aliqui quod *Augustinus* non loquitur hîc, nisi de peccato actuali.

NOTA. Sed hoc est irrisorie dictum. Nam *Augustinus* in hoc libro, & cæteris, loquitur de omni peccato, & specialiter de peccato naturæ, & originali, quod negabant Pelagiani. Item, *Augustinus* comparat *Virginem Mariam* Joanni Baptistæ, & innocentibus, de quibus est certum, quòd nunquam peccarunt actualiter: & dicit, quòd *nullus eorum potuit dicere se non habuisse peccatum, nisi sola Virgo Maria*: Ergo sequitur, quod exceptat & immunem dedit eam etiam ab originali. Modum autem per quem *Maria* fuit præservata exprimit *Augustinus*, cùm subdit in eodem libro: quòd *propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, de Virgine Maria nullam prorsus intendo agere mentionem. Scimus enim tantum gratiæ ad vincendum ex omni parte peccatum illi fuisse collatum, quòd illum meruit parere, quem constat nullum habuisse peccatum.* Sed hoc magis exprimit *Augustinus* in secundo Sermone *de* ejus *Nativitate*, cùm ait: quòd *numquam in ejus anima vel corpore locus potuit inveniri peccati*, prout dictum est in præcedenti Conclusione. Item, hoc idem satis exprimit Augustinus *contra quinque Hæreses*, cum ait: *Hæc quam despicis Manichæe, mater mea est: manu fabricata est mea: ego matrem ex qua nascerer, feci: ego viam itineri meo præparavi &c.* Tunc manifestum est quod singulariter & specialiter fabricavit eam ultra communem modum aliarum, non in peccato, sed in gratia, præparando viam itineri suo, ut ipsa esset apta & digna Mater Dei, de qua carnem assumeret. B C

Hieronimus. Item, hæc etiam satis exprimit *Hieronymus* in Expositione *Psalm.* 68. super illud: *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Ubi dicit *Hieronymus*, quod per istam nubem lucidam per totam noctem *possumus intelligere Sanctam Mariam. Ipsa enim numquam fuit in nocte, sed semper in die; & nunquam in tenebris, sed semper in luce.* Ex quibus omnibus patet, quod de intentione *Augustini* fuit, *Virginem Mariam* numquam fuisse personaliter sub culpa originali: sed semper in gratia. Nam *Augustinus*, dicit: quòd *nunquam in ejus anima aut corpore locus potuit inveniri peccati.* Et *Hieronim.* dicit: quòd *nunquam fuit in tenebris, nec in nocte peccati: sed semper in luce*, & die gratiæ. Ergo nunquam fuit alicui obnoxia peccato actuali, vel originali. D E

Contra dictam autem positionem arguunt quidam, dicentes: Ipsam esse contra Sacram Scripturam utriusque Testamenti, & contra Sacros Doctores: ex quo sequitur, ipsam esse falsam, & etiam erroneam. *Objectio.*

Unde primò arguunt ex doctrina Prophetica *Psalm.* 13. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, si est intelligens aut requirens Deum: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* id est, præter unum qui est Christus, ut communiter glossatur. Ex quibus verbis dicit *Apostolus ad Romanos*: quòd *omnes in Adam peccaverunt, & egent gratia Dei.* Item, *primæ ad Corinth.* 15. *sicut in Adam omnes moriuntur: ita in Christo omnes vivificabuntur.* Item, *ad Ephesios* 2. *Eramus aliquando omnes natura filii iræ &c.* Quæ quidem verba adducens *Augustinus* contra Pelagianos, probat in *secundo de Baptismo Parvulorum*, qualiter nemo fuit unquam liber à peccato, præter Christum: ubi concludendo dicit: *Solus ergo iste homo factus manens Deus, nullum peccatum unquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati.* Item 10. *super Genesi cap.* 24. glossans illud *Sapient.* 8. *Puer ingeniosus eram, & veni in corpus coinquinatum &c.* dicit *Augustinus* quod *caro Christi licèt de peccati propagine venit; non tamen de peccati propagine concepta est &c.* Item super *Psalm.* 54. *Maria ex Adam mortua propter peccatum: & caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata.* Item super *Psalm.* 50. *solus ille infans innocens esse potuit, qui non ex opere Adam natus est.* Item adducunt illam vulgatissimam regulam *Augustini de Fide ad Petrum, parte secunda*, qui ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, in originali peccato nasci, impietatique subditum, mortique subjectum*: & *ob hoc nasci naturaliter iræ filium: de qua dicit amplius: Eramus aliquando naturâ filii iræ, sicut & cæteri; de qua nullus liberatur, nisi per gratiam Dei & hominis Jesu-Christi.* Complures etiam alias authoritates adducunt: sed istæ sunt fortiores, quæ videntur impugnare præfatam positionem. F G H

Sed iterum arguunt per rationem ducentem ad inconveniens. Nam si *Virgo Maria* non peccavit in Adam, nec habuit peccatum: Ergo non indiguit redemptione, nec gratiâ Christi. Et per consequens Christus non fuit universalis Redemptor: quod

quod est contra *Leonem Papam in sermone Nativitatis Christi*, dicentem: quòd *Christus Filius Dei sicut neminem à peccato liberum reperit; ita pro omnibus liberandis venit.* Item: Sequeretur, quòd Christus non fuisset primus qui apparuit in mundo in carne facta præter peccatum, ad liberandam carnem peccati, si *Virgo Maria* fuisset totaliter immunis à peccato. Et istæ sunt rationes fortiores, quæ videntur concludere oppositum supradictæ positionis.

Sed in oppositum est veritas Fidei Catholicæ, quæ nulli veritati contradicit. Unde quia ex authoritate sacri Canonis, & sacrorum Doctorum probatum est, *Virginem Mariam* fuisse personaliter immunem, & præservatam ab omni peccato, tàm originali, quàm actuali, & veniali: ergo omnes istæ authoritates in oppositum adductæ non sunt supradictæ positioni contrariæ; immò stant simul cum supradicta positione in veritate: quia nunquam aliqua pars Sacræ Scripturæ contradicit alteri; immò ratificat & confirmat ipsam. Et sic nec etiam *Augustinus* contradicit sibi ipsi, immò confirmat dicta priora per hæc inducta in contrarium.

Responsio Nota benè sequentia.

Ad cujus intellectum est valdè advertendum, quòd illi qui ampliùs & latiùs locuti sunt de hac materia originalis peccati in novo Testamento, fuerunt *Paulus* & *Augustinus*, quorum uterque incidit occasionaliter in eam. Unde in primitiva Ecclesia fuit magna controversia inter conversos de Judaismo, & conversos de Gentilitate. Nam illi de Judaismo gloriabantur de natura sua, & generatione sua: eò quòd descendebant ex *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, quos Deus elegerat in populum peculiarem. Et sic putabant se habere majorem gradum hîc & in futuro, & præcellere conversos de Gentilitate in gratia & gloria: & sic despiciebant eos, improperantes eis detestabiles ritus & superstitiones prædecessorum suorum. E contra autem conversi de Gentilitate gloriabantur de natura sua, dicentes se habuisse Imperatores, & Reges, & Philosophos, & floruisse in dominio mundi, & omni scientia, & arte: & despiciebant Judæos, qui semper fuerant Deo rebelles, & apostatæ à lege pro majori parte, & occisores Prophetarum &c. Et sic utrique tàm Judæi, quàm Gentiles conversi gloriabantur de natura sua. Hoc autem præsentiens Apostolus, scripsit *Epistolam ad Romanos* conversos ex utroque populo, volens sedare hanc vanam altercationem: in qua conatur ostendere, quòd nullus potest gloriari de natura sua, sed de gratia, quam unusquisque per Baptismum accepit in Christo. Nam tàm Judæi, quàm Gentiles descendunt ex Adam per libidinosam generationem, *in quo omnes peccaverunt, & fuerunt venundati*, & obligati ad pœnam illius peccati: & sic secundùm naturam nil trahimus à parentibus, nisi malum, & peccatum, & pœnas ejus: quia tota humana natura fuit vitiata & corrupta in Adam: de qua corruptione & peccato nemo potest liberari nisi per gratiam Christi. Et sic concludit, quòd *omnes in Adam peccaverunt, & egent gratiâ Dei*, scilicet Christi. Et ideo tàm Judæi, quàm Gentiles conversi non possunt gloriari de natura sua peccatrice & vitiatâ: sed debent gloriari, & agere gratias de gratia Christi, per quam personaliter sunt liberati à peccato naturæ, quod ex Adam & parentibus contraxerunt. Et sic patet, qualiter *Apostolus* loquitur de peccato naturæ, & ejus pœnalitatibus, quod omnes originaliter traximus ex Adam secundùm naturam.

Posteà autem tempore *Augustini* surrexit quidam Monachus nomine *Pelagius*, qui cum duobus discipulis & complicibus, scilicet *Cœlestio* & *Juliano* inciderunt in similem errorem: qui negabant, peccatum primorum parentum transisse in omnes posteros, sed solis ipsis nocuisse: nec humanam naturam fuisse in eis corruptam & vitiatam: Immò attribuebant tantam nobilitatem naturæ, quòd asserebant, unumquemque ex propriis viribus cum sola libertate arbitrii posse omne peccatum vitare, & omne bonum operari, si vellet, absque omni gratia & auxilio. *Augustinus* autem sentiens hanc doctrinam esse pestiferam, & evacuantem mysterium totius nostræ redemptionis, & destruentem supradictam doctrinam *Apostoli*; ideo in defensionem Ecclesiæ, & Sacræ Scripturæ scripsit libros *de Baptismo parvulorum*, & *de Perfectione justitiæ hominis*, & *de Natura & gratia*: & *Hypognosticon*, & *de Nuptiis & concupiscentiis &c.* In quibus ostendit, quòd quando *Adam* peccavit, obligavit totam generationem, & naturam, & descendentiam peccato suo: & quomodo omnes posteri fuerunt obligati peccato, & venundati in eo: & quomodo tota ejus natura fuit in eo corrupta, & vitiata; in qua obligatione & venditione non potuit obligare Christum: eò quòd non ex opere ejus per libidinosam generationem, sed ex opere Spiritus sancti conceptus & natus est. Et sic in *secundo de Baptismo parvulorum*, & *lib. de Natura & gratia* probat, neminem esse liberum à peccato ipsius Adam, præter unum solum Jesum Christum Deum & hominem, & mediatorem: ideo potuit omnes alios liberare. Et sic ex fundamentis *Apostoli* concludit in *lib. de Natura & gratia*, quòd omnes peccaverunt in seipsis, vel in Adam; quia sine peccato non sunt: vel quod originaliter ex Adam contraxerunt: vel quod malis moribus addiderunt.

Augustinus contra Pelagium.

Sed modum quo illud peccatum pri-

primorum parentum transivit personaliter in posteros, explicat *Augustinus* in *lib. de Nuptiis*, & *ad Valerium*, & *de Fide ad Petrum*: & *Ambrosius*, *de Verbis Apostoli*, quos sequitur *Magister Sentent. lib. 2. distinct. 33.* Unde ajunt: quòd quando Adam peccavit, tota sua caro & sensualitas fuit corrupta vitio & morbo concupiscentiæ, & facta rebellis rationi, cui antè erat conformis & subjecta: & fuit perversa, & inclinata ad omne malum, & surrexit illicò ad luctandum adversus spiritum: & sic fuit corrupta in sua generatione, ne sine libidine posset filios generare. Et quia exinde absque libidine non potuit generare; ideo talem carnem corruptam transtulerunt primi parentes, & communicarunt posteris, qualem ipsi habebant: & sic transtulerunt peccatum suum cum suis pœnalitatibus ex personis in naturam, & in carnem. Et exinde translatum est in animam formaliter per consortium & personalem unionem. Unde illud peccatum in primis parentibus fuit personale & actuale: sed in carne dicitur *peccatum naturæ* & seminale, quia in carne ante animationem non inest peccatum formaliter, sed seminaliter, & materialiter: sed quando anima in puris naturalibus creata jungitur carni libidinosæ & corruptæ, cum qua fit una persona; tunc contrahit ex consortio carnis peccatum formaliter, quod dicitur originale: & sic tota persona dicitur filia iræ Dei propter Adam, à quo trahit carnem. Et sic peccatum Adæ reputatur ipsi ad culpam & pœnam damni, & non ad pœnam sensus æternam: eò quòd tale peccatum non est voluntarium, sicut fuit in Adam.

Quando Adam peccavit caro fuit corrupta.

Quomodo natura in Adam peccavit.

Est autem advertendum secundùm *Augustinum contra Julianum*, quòd quando dicitur, quod tota humana natura peccavit in Adam, & fuit obligata, & venumdata in eo, non sumitur ibi *natura* pro natura specifica, quæ est esse rei; quia tunc in Christo, & ubicumque reperiretur talis natura, fuisset talis obligatio: quod est falsum. Sed sumitur ibi *natura* pro generatione & descendentia ipsius *Adam*; sicut dicitur *natura*, id est, generatio *Scipionum* & *Claudiorum* &c. Item, quando dicitur, quòd tota humana natura fuit corrupta in Adam, non sumitur pro *natura* specifica; sed pro carne communicata per generationem naturalem: & sic tota propago ab Adam usque ad unumquemque dicitur *natura corrupta*, & caro & propago peccati. Et sic concedit *Augustinus*, quòd *Virgo Maria* descendit ex illa carne & propagine peccati secundùm naturam. Et cum hoc stat, quòd peccatum naturæ numquam transiverit ad animam, nec per consequens ad personam. Unde *Augustinus* totam propaginem, & totam illam massam & generationem, quæ fuit ab Adam usque ad *Virginem Mariam* appellavit carnem peccati, & propaginem peccati, & maternam carnem peccati: eò quòd semper talis caro fuit successivè communicata, fœdata, & corrupta fœditate libidinis: in qua quidem carne semper latebat peccatum seminaliter, per cujus consortium causabat culpam originalem in anima: & per consensum causabat actualiter peccatum mortale, aut veniale.

Dupliciter ergo dicit *Augustinus*, quòd omnes posteri peccaverunt in Adam. Primò, in quantum in eo omnes fuerunt obligati & venumdati. Secundò, quòd omnes propagantur ex illa propagine & carne peccati, in qua latet peccatum materialiter, & seminaliter. Et ideo utrumque istorum dicitur *peccatum naturæ in Adam*: quia aliud non trahimus ab Adam, nisi carnem sic vitiatam: sed quando tale peccatum naturæ transivit in animam nudam per consortium, aut consensum, jam dicitur peccatum personale & formale, obligans animam & totam personam ad pœnam damni, & iram & odium Dei: de qua ira & obligatione nemo potest liberari, nisi per gratiam Christi sanctificantem animam, aut præveniendo ante lapsum, aut subveniendo post lapsum.

Et sic dupliciter potest quis absolvi ab isto peccato naturæ, in quo omnes in Adam per obligationem & propaginem peccati peccaverunt. Uno modo præveniendo animam aut carnem per supradictam sanctificationem factam in creatione & animatione: & sic peccatum, & obligatio naturæ facta in Adam, & peccatum naturæ seminatum in carne, non potest transire ad animam, nec personam: & isto modo sola *Virgo Maria* fuit liberata & præservata à peccato personæ, tàm originali, quàm actuali: eò quòd per sanctificationem carnis fuit in ea fomes totaliter extinctus, aut ligatus; & per sanctificationem animæ fuit ab omni malo præservata, & in omni bono confirmata.

Dupliciter quis potest ab ipso peccato naturæ absolvi.

Et sic est dicendum, quòd licèt *Virgo Maria* peccaverit in Adam, id est, fuerit in eo obligata & venumdata secundùm naturam, & descenderit ab Adam per propaginem & carnem peccati seminaliter: tamen in anima & persona sua numquam contraxit, nec habuit formaliter culpam originalem, aut mortalem, aut actualem & venialem. Sic ergo quando *Apostolus* dicit *ad Romanos*, quòd *omnes in Adam peccaverunt*, non loquitur de peccato personæ, sed de peccato naturæ; de cujus naturæ nobilitate & dignitate ipsi gloriabantur: quia ut sic omnes in Adam peccaverunt, id est, fuerunt venumdati in eo, & ad culpam & pœnam damni illius peccati in eo obligati: à cujus peccati debito omnes fuerunt per Christum personaliter liberati, aut per gratiam prævenientem,

aut

aut ſubvenientem. Sed non aſſerit Apoſtolus, quòd omnes perſonaliter peccaverimus in Adam, quia nondum eramus: ſed quòd illud peccatum tranſivit ad nos & animas noſtras perſonaliter per conſortium animæ ad carnem libidinoſam ex Adam traductam: ſed ſuimus liberati in perſona per gratiam. A

Item *Auguſtinus*, quando dicit, quòd *Virgo Maria deſcendit ex propagine & materna carne peccati ex Adam*: non intendit dicere, niſi quòd ſecundùm carnem deſcendit ex illa propagine peccati; ſed poſteà negat, quòd peccatum naturæ & obligationis in Adam, & peccatum, quod ſeminaliter erat in propagine peccati ipſius Adam, tranſierit in animam & perſonam *Virginis*: immò aſſerit, quòd *numquam in ejus anima, aut corpore locus potuit inveniri peccati.* B

Et ideo conceditur, quòd *Virgo Maria* peccavit in Adam, in quantum in eo fuit cum cæteris obligata & venumdata in natura. Et aſſeritur, quòd ipſa deſcendit ex propagine & materna carne peccati ſeminaliter ex Adam: ſed negatur, quòd peccaverit, id eſt, fuerit obligata in perſona: & quòd peccatum naturæ, & propaginis, & carnis tranſierit formaliter & perſonaliter in animam & perſonam. Et ideo *peccare in Adam, & eſſe obligatam in Adam: non eſt peccaſſe, nec eſſe obligatam in perſona.*

Ex quibus patet, qualiter ſupradicta poſitio non contradicit Sacræ Scripturæ; immò confirmat & ratificat ipſam: nec omnes authoritates, quas adducit contra C illam poſitionem, militant, nec contradicunt illi. Nam iſtæ authoritates non probant, niſi quòd *Virgo Maria* peccavit in Adam, id eſt, fuit in eo obligata & venumdata cum cæteris in natura, & quòd venit ex propagine & carne peccati ipſius Adam ſeminaliter ſecundùm carnem: quæ omnia conceduntur. Sed ſupradicta poſitio aſſerit, quòd licèt *Virgo Maria* deſcenderit ſeminaliter ex illa propagine peccati ſecundùm carnem, & fuerit obligata & venumdata in Adam cum tota natura & deſcendentia: tamen illud peccatum, & obligatio naturæ non tranſivit perſonaliter & formaliter in animam, nec perſonam D *Virginis*, propter præviam ſanctificationem gratiæ Chriſti, qui præſervavit eam perſonaliter ab omni peccato, & confirmavit in omni bono. Et hoc fecit Deus, quia *potens eſt ſanctum nomen ejus*: & per conſequens, quia hoc potuit facere abſque contradictione & præjudicio Sacræ Scripturæ, & ſui juris: & decuit, & debuit facere in quantum Filius; ergo fecit quia *ſanctum eſt nomen ejus.* Et per hoc patet reſponſio ad omnes authoritates & rationes: quia omnes procedunt de peccato naturæ.

Ad primam ergo, quando dicitur: E quòd *omnes filii Adam declinaverunt, & inutiles facti ſunt &c.* Reſpondetur, ſicut dictum eſt in Expoſitione illius *Pſalm.* 13. quòd totum genus humanum, & omnes, fuerunt corrupti in Adam quoad naturam. Et ideo niſi ſancti viri fuiſſent præventi in perſona per gratiam, omnes corruiſſent in omnia illa ſcelera, quæ memorantur in illo *Pſal.* 13.

Ad ſecundam, cùm dicitur: quòd *omnes in Adam peccaverunt, & egent gratiâ Dei: Ergo Virgo Maria peccavit in Adam &c.* Conceditur eo modo quo *Auguſtinus* intelligit & exponit illam authoritatem, libro *Hypognoſticon*, & *de verbis Apoſtoli*, ſcilicet, quòd *omnes fuerunt tamquam in natura obligati & ve-* F *numdati in eo.* Et ſic conceditur, quòd *Virgo Maria* fuit obligata & venumdata in Adam: ſed fuit liberata in perſona per præviam ſanctificationem: & ſic numquam habuit aliquod peccatum formaliter in anima, nec perſona: & per conſequens numquam fuit perſonaliter in ira Dei, ſed ſemper in gratia. Et ideo quando arguitur, quòd *omnes in Adam peccaverunt*: non ſequitur niſi quod Maria peccavit, & Nota. obligata fuit in Adam. Sed cùm rurſus arguitur: *Ergo habuit culpam originalem &c.* negatur conſequentia: quia arguitur à natura ad perſonam: & ſic non arguitur uniformiter, ſed variatur ſuppoſitio: immò arguitur in quatuor terminis, propter variationem ſuppoſitionis terminorum. Et ſic eſt reſpondendum ad omnes authori- G tes *Apoſtoli.*

Sed ad authoritates & dicta *Auguſtini* reſpondetur, quòd ſicut *Apoſtolus* in prædictis non loquebatur niſi de peccato naturæ contra converſos de Judaiſmo & Gentilitate, gloriantes de ſua natura & generatione & deſcendentia: ita pariter *Auguſtinus* in omnibus libris ſuis loquitur de peccato, & corruptione naturæ humanæ traductæ ex Adam, contra *Pelagianos* præſumentes de viribus naturæ: & ideo dicit *Auguſtinus*, quòd cùm omnes veniamus ex illa radice, & propagine, & materna carne peccati per libidinoſam generationem: niſi per gratiam Chriſti prævenien- H tem, aut ſubſequentem, nullo modo poterimus liberari à peccato, nec vitare peccatum, nec agere bonum. Et ſic concedit, *Virginem Mariam* ſecundùm naturam & carnem veniſſe ex illa propagine & carne peccati: ſed aſſerit, quòd perſonaliter fuit præventa per gratiam ſingularem: & ſic peccatum propaginis & naturæ non tranſivit formaliter in perſonam: & ideo *numquam in ejus anima & carne perſonaliter locus potuit inveniri peccati.*

Ad aliud quando dicitur, quòd *Maria fuit mortua in Adam propter peccatum*: conceditur, quòd fuit mortua in

corpore, non propter peccatum suum, sed propter peccatum ipsius Adam: & ita A in omnibus nobis non inest mors propter peccatum nostrum, sed propter primorum parentum: & sic jam in nobis mors non dicitur naturalis, sed pœna peccati ipsorum primorum parentum: prout fuit determinatum in *Concilio Africano*, ut patet *de Consecrat. dist. 4. placuit.*

Ad regulam autem vulgatam ipsius *Augustini* dicendum: quòd si bene inspicitur illa regula, in se continet & importat responsionem. Nam ibi dicitur, quòd *omnes qui concipiuntur ex concubitu viri & mulieris, nascuntur natura filii iræ in peccato originali: de qua sententia nemo potest liberari, nisi per gratiam Christi.* Et hoc conceditur: quia nisi liberetur per gratiam Christi prævenientem, aut subve- B nientem, semper nascitur in peccato originali. Et sic *Hieremias*, & *Joannes Baptista*, nisi fuissent liberati per gratiam Christi prævenientem, utique fuissent nati in peccato, sicut fuerant concepti conceptione carnis & animæ: & sic *Virgo Maria* postquam fuit seminaliter concepta quoad carnem, si non fuisset sanctificata, & per gratiam prævenia in creatione & animatione, utique contraxisset peccatum originale formaliter in anima & persona: & sic verè fuit liberata per gratiam Christi singulariter super omnes alios. Nam ista regula dicit, quòd omnes sic concepti nascuntur in peccato: sed postea dicit, quòd *de tali sententia nemo potest liberari, nisi* C *per gratiam Christi.* Et sic sicut ab illa sententia omnes fuimus liberati per gratiam Christi subvenientem post lapsum; ita *Virgo Maria* fuit liberata per gratiam Christi prævenientem ante lapsum. Et sic permanet vera illa regula, nec contradicit huic positioni, nec è converso.

Ad primam rationem. *Ad primam* autem *rationem*, quando dicitur: quòd *sequeretur, quod Virgo Maria non esset redempta, nec Christus fuisset universalis Redemptor:* Respondetur, quod hoc est superflue dictum. Nam *Virgo Maria* ita fuit redempta in Christo, & liberata per gratiam prævenientem, sicut nos per gratiam subvenientem: nam illa gratia præveniens, qua fuit sanctificata ante D lapsum, ita fuit data ex meritis passionis Christi, sicut illa, quæ nobis subvenit post lapsum. Et ideo ita mortuus est Christus pro ipsa, sicut pro nobis: & ita ipsa participavit passionem Christi per illam gratiam, sicut & nos per Baptismum: & sic ipsa *non fuit libera*, sed *liberata*; eò quòd *liber* dicitur quis secundùm naturam: & sic solus Christus fuit *inter mortuos liber* secundùm naturam & personam: ideo potuit cæteros liberare.

Ad secundam. *Ad aliam* autem *rationem*, cùm dicitur, quòd *sequeretur, quod non solus Christus apparuisset primus in mundo prater carnem peccati ad damnandum peccatum cæterorum in sua carne libera à* E *peccato*: Respondetur, quòd *Virgo Maria* non apparuit in mundo in carne *libera* à peccato secundùm naturam, sed *liberata* secundùm personam per gratiam Christi: qui primo apparuit in carne libera secundùm personam & naturam. Et sic patet, qualiter ista sancta & devota positio nullo modo contradicit Sacræ Scripturæ, nec rationi: immò concordat cum Sacra Scriptura & ratione. Et sic patet secunda dignitas *Virginis Mariæ*, scilicet, qualiter singulariter fuit in sua creatione & animatione sanctificata, per quam sanctificationem fuit præservata ab omni malo, & confirmata in omni bono super omnes creaturas: & hoc est secundum F magnum privilegium, quo Christus magnificavit Matrem suam super omnes sanctificatos.

Maria super omnes creaturas meruit &c. *Tertia* autem *dignitas & privilegium Virginis Mariæ* fuit: quia Deus accelleravit in ea liberum arbitrium ad merendum super omnes creaturas, id est, quia incæpit uti libero arbitrio suæ voluntatis post suam creationem in sua infantia, & habere usum rationis, quàm aliquis homo mundi præter Christum.

Hoc autem dupliciter sic probatur. Primò, comparando *Virginem Mariam* ad omnes infantes & pueros. Secundò, comparando eam ad tempus.

Quantum autem ad primum quidam G arguunt sic. Nam quidquid gratiæ & sanctitatis consecuti sunt cæteri sancti in hoc mundo, multò altius & excellentius fuit consecuta *Virgo Maria*: sed quidam sancti consecuti sunt usum liberi arbitrii in sua nativitate, & quidam in utero matris ante nativitatem: Ergo hoc idem excellentius consecuta est Virgo Maria. Major hujus fundatur in verbo Angeli, scilicet, *Ave Maria gratia plena*: super quod dicit Hieronymus, quòd *cæteris per partes: sed Mariæ tota simul se diffudit gratia.* Item super idem verbum dicit *Augustinus in Sermone de Nativitate Virginis: Quid justitiæ, quid sanctitatis hæc virgo indigere potuit, quæ efficacis ad* H *omnia gratiæ plenitudinem accepit? aut quis unquam in ejus corpore vel anima locus potuit inveniri peccati?* Ex quo patet, quòd sicut nunquam fuit evacuata à gratia, sic nunquam peccato fuit obnoxia. Et ideo subdit: *Cui nullus unquam Patriarcharum, nullus Prophetarum potuit comparari: nec mirum si puritate altitudinem cunctorum superet mortalium, quia partu cunctorum celsitudinem transcendit Angelorum.*

Ex quibus verbis arguunt isti: quòd nulla gratia sanctitatis fuit collata alicui sancto in hac vita, quin illa excellentius fuerit collata *Virgini Mariæ*: cujus

cau-

causam assignat *Augustinus*, quia *Deus fabricavit illud tabernaculum, de quo Sanctus Sanctorum debebat carnem assumere, & in eo habitare*: Ergo in sui fabricatione sicut nulli peccato debuit subjacere: ita nulla gratiâ & sanctitate potuit indigere. Minor probatur. Nam multi sancti incæperunt uti libero arbitrio in sua nativitate, & per consequens incæperunt mereri: sicut fuit Beatus *Nicolaus*, qui ilico post nativitatem dum lavaretur, surrexit pedibus, & stetit erectus in pelvi, & ilico incæpit jejunare ter in septimana; scilicet, secunda, & quarta, & sexta feria. Quod non factum fuit sine usu liberi arbitrii: quia aliter non meruisset in tali jejunio. Ergo sequitur quod hanc gratiam merendi per amplius & perfectius consecuta est *Virgo Maria* in sua Nativitate. Item de *Joanne Baptista*, qui ante nativitatem *exultavit in gaudio in utero matris* ad præsentiam Salvatoris & Virginis Mariæ, dicit *Augustinus*, quòd *forsan fuit in eo acceleratus usus liberi arbitrii*: quæ quidem opinio postea habita est tanquam certa quasi apud omnes Doctores: eò quòd *Joannes Baptista* in tertio anno jam utebatur libero arbitrio: quia ingressus est desertum ad pœnitentiam agendam. Ex quibus patet, quòd si talem gratiam merendi consecutus est *Joannes Baptista* in sexto mense suæ conceptionis, & in quarto mense à sua animatione, ut patet *Lucæ* 1. Ergo perampliùs & perfectius consecuta est *Virgo Maria* in utero Matris, scilicet, quod si *Joannes* incæpit uti libero arbitrio in quarto mense suæ animationis: Ergo *Virgo Maria* incæpit ante quartum mensem: quia in aliquo debuit *excedere Joannem Baptistam*.

Quomodo Mariæ fuit acceleratus usus liberi Arbitrii.

Et ideo dicunt quidam viri contemplativi, quòd *Virgo Maria* in sua prima sanctificatione consecuta est hanc gratiam simul cum cæteris, & ilico incæpit uti libero arbitrio & mereri. Et hoc primo probant per rationem jam dictam: quia debuit excedere *Joannem Baptistam*, & omnes alios in tali gratia. Secundò, quia per nullum tempus debuit cessare ab actu merendi in vigilia. Et ideo dicunt isti, quòd *Virgo Maria* ilico post sanctificationem fecit votum perpetuæ virginitatis in utero matris, quod postea per successionem temporis ostendit. Nam statim tertio anno tamquam virgo se ad Dei famulatum dedicavit ad serviendum Deo in Templo Domini. Et absque auxilio ascendit quindecim gradus Templi, cunctis qui astabant mirantibus. Et sic jejuniis & jugi oratione & contemplatione servivit in Templo Domini usque ad diem desponsationis suæ. Et sic patet, qualiter fuit in ea acceleratus usus rationis, & liberi arbitrii perampliùs & perfectiùs, & citiùs quam in ulla creatura.

Objectio.

Sed contra hoc instant aliqui, dicentes: quòd sequeretur quod *Virgo Maria* esset æqualis Christo in dignitate, qui ab instanti suæ creationis habuit hoc privilegium: eò quòd ilico fuit viator & comprehensor.

Responsio.

Quibus respondetur secundùm istos contemplativos: quia nunquam propter hoc *Maria* fuit Christo æqualis in dignitate: quia multiplex fuit in hoc differentia. Primò: quia Christus à primo instanti fuit simul comprehensor & viator; *Maria* autem viatrix tantùm. Secundò: quia Christus habuit hoc per se ratione personalis unionis, tanquam caput & fons omnium gratiarum ad distribuendum: *Maria* autem tanquam membrum habuit derivativè à Christo tanquam à capite. Item, Christus semper utebatur libero arbitrio, & merebatur, tam in somno, quàm in vigilia: quia unicus fuit actus merendi in Christo continuus, & non interpolatus à principio in instanti incarnationis usque ad crucem inclusivè, ut dictum est *super Psalm.* 28. *Virgo* autem *Maria* solùm utebatur libero arbitrio in vigilia. Et sic fuit multiplex differentia absque proportione æqualitatis. Est verum quòd an *Virgo Maria* habuerit hanc gratiam ilico in sua prima sanctificatione, & statim incæperit uti libero arbitrio: an hoc fuerit ei concessum in secunda hora, vel die, vel mense post animationem; non est differendum, nec altercandum: quia totum absque contradictione Deus potuit facere. Sed sufficit nobis, quòd fuit in ea acceleratus usus liberi arbitrii citiùs, & perampliùs & perfectiùs quàm in *Joanne Baptista*, & quocumque alio sancto, propter rationes jam dictas. Et hæc est tertia dignitas, quam consecuta fuit *Virgo Maria* in hac vita super omnes alios Santos & sanctas, qua dignificavit & magnificavit eam Filius suus.

Mariæ conjugium &c.

Quarta autem *dignitas, & singulare privilegium*, quo Christus *qui potens est, & nomen ejus sanctum* magnificavit Matrem suam, fuit *singulare conjugium, quo eam magnificavit super omnes conjugatas, & sponsas præteritas, & futuras.* Quia nunquam fuit, nec erit tam mirum & dignum conjugium: eò quòd fuit factum & celebratum simul cum voto virginitatis utriusque conjugis, scilicet *Mariæ* & *Joseph.* Ideo dictum est *conjugium virginale*, cui nunquam simile factum est, nec servatum, & celebratum. Et ideo benè meritò quæsierunt omnes Doctores, tam Sacri, quàm Scholastici: utrum fuerit verum conjugium seu Matrimonium inter *Joseph* & *Virginem Mariam*, cùm uterque vovissent Virginitatem antequam desponsarentur? Sed quia in desponsatione uterque promittit alteri potestatem sui corporis ad prolem procreandam, & actum

tum venereum exercendum : ideo videtur quod cum voto virginitatis priùs facto non potuit fieri novum votum conjugale: cum tale votum videatur contrarium voto virginalis castitatis. A

Quomodo inter Joseph & Mariam fuit verum Matrimoniũ.

Ad hoc communiter respondent omnes Doctores : quòd illud fuit verum conjugium sub utroque voto : sed secundum votum non fuit affirmativum virginitatis, sed conditionatum , isto modo : Nam ante conjugium uterque fecerat votum virginitatis absolutè ; sed in conjugio iterum fecerunt votum cum voto conjugii , isto modo : scilicet , quòd volebant vivere in conjugio , non ad generandam prolem, nec propter actum venereum ; sed vivere sub virginali castitate , sicut ante promiserant , nisi Deus aliter disponeret & dispensaret. B

Sed ista conditio est valde generalis: quia omne votum factum Deo , semper fit cum tali conditione : quia unusquisque in vovendo firmiter promittit servare votum ex parte sui : reliquum autem relinquit & ponit in Dei arbitrio & voluntate. Et ideo responsio non videtur mihi evacuare , & explicare mysterium illius virginalis & sacri conjugii : Immò est dicendum , quòd illud conjugium fuit factum inter eos cùm absoluta & expressa confirmatione præteriti voti virginitatis ex parte utriusque : & factum fuit votum conjugale ex parte utriusque sub absoluta negatione actus venerei , manente vero conjugio.

Matrimonium ad triplicem finem fuit institutũ.

Ad cujus intellectum est valde advertendum , quòd conjugium , sivè Matrimonium , quòd est primum & naturale Sacramentum , ad triplicem finem & bonum fuit à Deo institutum à principio. Quorum primus finis fuit absolutus ad hominis felicitatem. Secundus fuit conditionatus propter necessitatem naturæ lapsæ. Tertius , propter necessitatem salutis & peccati evitandi. Vel potest dici , quòd conjugium fuit institutum ad triplex remedium. Primò ad remedium personæ quoad sui felicitatem. Secundò ad remedium & conservationem naturæ lapsæ. Tertiò , in remedium libidinis , & ad excusationem peccati. Primò ergo fuit institutum conjungium propter bonum mutuæ societatis & amoris , & mutui adjutorii & obsequii, ut patet *Genes.* 3. Nam Deus primò formaverat hominem & inspiraverat in eo spiraculum vitæ ; sed facto viro sine fœmina , dixit : *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.* Et sequitur postea : *Adæ verò non erat adjutorium simile ipsi: misitque Dominus soporem in Adam , tulitque unam de costis ejus , & replevit pro ea carnem , & ædificavit costam in mulierem : & adduxit eam ad Adam.* Unde surgens Adam à sopore , dixit : *Nunc os ex ossibus meis , & caro de carne mea : propter hoc dimittet homo patrem & matrem , & adhærebit uxori suæ : & erunt duo in carne una &c.* C D E

Ex quibus verbis patet , quòd conjugium de primaria intentione fuit à Deo institutum propter triplex bonum : scilicet, propter mutuam societatem , & mutuum amorem , & mutuum adjutorium & obsequium, sine quibus nulla potest esse felicitas: quia sine socio nulla potest esse jucunda possessio , ut inquit *Boetius.* Ideo dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum &c.* Ista ergo tria bona sufficiunt ad verum & perfectum conjugium propter hominis felicitatem. Et ista fuit primaria causa institutionis conjugii.

Secundò autem fuit institutum propter bonum prolis ad conservationem speciei , & naturæ lapsæ: & ad restaurandam ruinam Angelorum. Unde videns Deus sedes cœleites vacuas ex Angelorum ruina , & prævidens hominem peccaturum, & moriturum propter peccatum ; ideo ,ne species humana periret,& ut ex numero hominum electorum & justorum restauraretur ruina Angelorum , dedit generationem homini. Ex causa ergo peccati data est homini generatio : scilicet , propter peccatum hominis & Angelorum. Nam si Angeli non peccassent , non fuisset necessaria eorum reparatio ruinæ : & si homo non peccasset , non fuisset ipsi inflicta mors , nec corruptio : & sic non fuisset necessaria generatio ; quia in illis duobus potuisset humana species in perpetuum conservari, usquequò ascendisset in vitam meliorem & æternam , ut inquit *Augustinus.* Ex quibus patet , quòd generatio prolis accidit conjugio propter peccatum. Et ideo jam instituto vero & perfecto conjugio , prævidens Deus *Adam* & *Evam* peccaturos, dedit eis generationem benedictam , dicens : *Crescite & multiplicamini , & replete terram* : & tunc conjugium dictum est *Matrimonium* ratione prolis. Ex quibus patet , quòd primi parentes jam erant veri conjuges ante datam generationem: & per consequens conjugium fuit perfectum Sacramentum præter datam generationem. F G

Item , sequitur etiam , quòd generatio de primaria intentione fuit data ad restaurandam ruinam Angelorum. Et ideo fuit data cum benedictione. Et ideo primi parentes ante peccatum genuissent sine libidine , & per consequens filios sanctos, qui perpetuantes vitam in sanctitate per esum ligni vitæ , post longum tempus fuissent translati in vitam meliorem , ad reparandam ruinam Angelorum. H

Ex consequenti autem data fuit generatio in conjugio ad conservationem humanæ speciei , ne periret propter mortem individuorum. Sed quia generatio , quæ ante lapsum fuerat data benedicta , posteà propter peccatum fuit maledicta , & vitiata mor-

morbo libidinis (unde provenit corruptio in tota generatione humana, propter quod peccatum carnis venit diluvium super terram:) ideo post diluvium Deus iterum confirmavit matrimonium, dicens: *Crescite & multiplicamini, & replete terram, Genes.* 8. & tunc confirmatum est matrimonium in remedium libidinis, ad evitandum peccatum in conjugibus; scilicet, ne actus venereus, & officium generandi reputetur eis ad peccatum propter libidinem. Nam cùm libido sit inflicta propter peccatum ultra primariam institutionem generationis, & pervertat veram intentionem, & finem, & ordinem generandi: (quia generatio non fuit data nisi causa prolis generandæ, nec concubitus debet fieri nisi causâ prolis generandæ) tamen libido vertit illum ordinem, quia semper provocat ad implendum illicitum appetitum carnis: ideo solum Sacramentum Matrimonii excusat peccatum in actu venereo: & sic tertiò fuit institutum Matrimonium in remedium libidinis, prout dictum fuit super *Psalm.* 118. & ut latiùs patet per *Augustinum* in *libro de Nuptiis, & de Adulterinis conjugiis.*

Ex quibus omnibus patet, quòd aliquando fuit verum & perfectum conjugium sine matrimonio, id est, sine generatione: & aliquando fuit verum matrimonium sine libidine. Nam licèt primi parentes non genuerint prolem ante lapsum: tamen jam erat eis collata virtus generativa, & licentia generandi.

Ex quibus omnibus patet, & sequitur, quòd inter *Mariam* & *Beatum Joseph* potuit esse, & fuit de facto perfectum, & verum, & sacramentale conjugium simul cum absoluto & expresso voto virginalis castitatis cum negatione cujuscumque oppositi. Et sic quando *Joseph* & *Maria* convenerunt in conjugium, fecerunt duplex votum. Primò, voverunt inconcusse servare virginitatem Deo, & fugere omne consortium carnale: eò quòd in ambobus erat fomes extinctus per sanctificationem.

Maria & Joseph duplex fecerunt votum.

Secundò, voverunt mutuam & individuam societatem & amorem spiritualem, & mutuum obsequium & adjutorium. Et sic fuerunt reducti ad primum statum innocentiæ, quoad hoc, & ad primariam intentionem & finem conjugii, prout principaliter fuerat à Deo institutum. Et fuit etiam conjugium verum sacramentum, quia significabat sacramentum incarnationis, & unionis humanitatis ad Verbum. Et sic fuit celebratum sub bono fidei & sacramenti. Posteà verò secutum est bonum prolis; sed non ex officio conjugali, sed opere Spiritus sancti, prout infra patebit: & ideo non abstulit bonum fidei conjugalis, nec bonum sacramenti. Et sic patet ibi fuisse verum conjugium absque conditione. Quia illud conjugium *Mariæ* solùm fuit celebratum propter bonum societatis, & adjutorii, & mutui amoris inter eos, & finaliter ad servitium & ministerium Christi.

Et hoc explicat *Origenes*, quando quærit causam, quare voluit Deus, ut Mater sua esset desponsata ante mysterium Incarnationis? Ad quod respondet *Origenes* simul cum cæteris sacris Doctoribus: quòd hoc factum fuit multiplici ex causa. Primò ad custodiam, & adjutorium *Virginis Mariæ*, & ut *Joseph* esset testis suæ virginitatis: & esset socius & comes sui itineris, in eundo ad visitandum *Elisabeth:* & eundo in *Bethlehem* ad partum, & ad circuncidandum puerum: & in *Hierusalem, ut sisterent eum Domino*: & fugiendo in *Ægyptum*: & in redeundo in *Judæam & Nazareth &c.* Quæ omnia finaliter ordinabantur in servitium & obsequium pueri. Secundò autem hoc factum est ad conservandam terrenam famam Virginis: ne putaretur apud populum concepisse ex adulterio, & sic de cæteris causis. Sed principaliter illius conjugii causa assignatur, propter mutuam societatem & obsequium. Ex quibus omnibus patet, qualiter Christus *potens & sanctus* magnificavit Matrem suam singulari privilegio & dignitate super omnes conjuges in statu conjugali: quia illud fuit conjugium virginale simul cum voto virginitatis factum, & celebratum, & observatum.

Quinta dignitas singularis & magna Virginis Mariæ, fuit *virginalis conceptus & partus*, qua magnificavit eam Christus: quia absque omni sorde & corruptione concepit & peperit Christum servatâ virginali integritate: immunis & excepta ab illa sententia, & lege, & maledictione data in principio omnibus mulieribus concipientibus, & parturientibus: quibus omnibus in persona *Evæ* dictum est: *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos, & cum dolore paries &c.* Et per consequens fuit sola *Virgo Maria* illa mulier, de qua dixit Deus serpenti: *Ipsa conteret caput tuum &c.* In qua quidem conceptione & partu *Virgo Maria*, non solùm fuit immunis ab omni ærumna, & sorde, & dolore; sed etiam à suæ integræ virginitatis corruptione & violatione: quia ille sacratissimus conceptus & partus ita præbuit ipsi fœcunditatem & prolem, quòd non abstulit virginitatem, ut inquit *Augustinus*; & sic simul facta est Mater & Virgo.

Maria Virgo concepit & peperit Virgo.

Unde est advertendum, quòd quinque erant incompossibilia & incompatibilia apud naturam & existimationem hominum ante mysterium Incarnationis. Primò, quòd mulier conciperet sine viro. Secundò, quòd mulier conciperet, & pareret sine corruptione virginitatis; & per con-

Nota ista incompossibilia.

consequens, quòd simul esset virgo & fœcunda. Tertiò, quòd conciperet, & pareret sine sorde, & ærumnis, & dolore. A Quartò, quòd mulier posset concipere & parere ex altero absque adulterio, & fornicatione, & injuriâ, & violatione fidei conjugalis. Quintò, quòd tale germen non esset adulterinum, & maledictum, & peccato obnoxium. Sed omnia ista quinque fuerunt facta compossibilia, & compatibilia, & verificata in ista sacratissima Incarnatione Filii Dei ex Virgine Maria.

Nam ibi fuit vera conceptio prolis absque semine viri, & per consequens sine fœditate libidinis. Et ibi verus conceptus & partus absque amissione virginitatis. Et Maria fuit fœcunda & Mater simul cum virginitatis integritate; & concepit & peperit absque omni corruptione, & sorde, B & ærumna, & dolore cum omni lætitia & felicitate. Et concepit Filium Dei sine injuria Joseph, & fidei conjugalis. Et illud germen non solùm non fuit adulterinum, nec fornicarium, nec maledictum; sed etiam fuit liberum in natura & persona ab omni peccato: quia non ex opere Adam, nec ex adulterio; sed opere Spiritus sancti fuit formatum & conceptum. Et sic fuit germen naturaliter sanctum.

Modus autem quo supradicta quinque incompossibilia facta sunt possibilia & vera, explicatur *Lucæ* 1. Unde quando Maria dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, ex voto virginitatis cognoscere virum, non intendo. Ad C hoc respondit Angelus, dicens: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei &c.* Ex quibus patet, quòd Spiritus sanctus per suam obumbrationem illa quinque impossibilia apud naturam, fecit esse compossibilia in *Virgine Maria* super naturam. Unde dicit *Augustinus*, quòd Spiritus sanctus *non solùm obumbravit ipsi ventrem, sed etiam mentem.* Nam per obumbrationem ventris fecit illam fœcundam, illa quinque incompossibilia auferendo: sed obumbrando ipsi mentem, fecit ipsam prophetissam, & Euangelicam tympanistriam, ut patebit.

Spiritus sanctus Christi corpus organizavit.

Primò ergo Spiritus sanctus obum- D brando ventrem *Mariæ*, formavit & organizavit corpus Christi ex puris sanguinibus ejus. Et sic concepit sine viro absque opere Adam; & sine adulterio & fornicatione, & absque injuria fidei conjugalis, & sacramenti. Et tunc tota Trinitas creavit in eodem instanti animam in illo corpore formato & organizato, omni plenitudine gratiarum & perfectionum præditam. Et sic illud germen non solùm fuit ab omni culpa & peccato naturaliter & personaliter liberum, sed etiam fuit germen naturaliter sanctum, sumendo naturam pro modo productionis & liberationis. Et omnia ista voluit Angelus explicare, cùm di- E xit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te*, erit, supple, *sanctum.* Sed quia illa humanitas sic in utero conditionata, & formata in atomo in eodem instanti formationis & animationis fuit per Verbum personaliter assumpta; ideo subdit Angelus: *Ideoque*, id est, propter talem modum illud germen *sanctum quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei.* Quasi dicat, quòd illud germen erit *sanctum*, & nullo modo adulterinum, nec alicui peccato obnoxium propter modum conceptionis. Et *vocabitur Filius Dei*, propter gratiam personalis unionis ad Verbum. Et sic patet, qualiter ex obumbratione & ope- F re Spiritus sancti *Virgo Maria* concepit sine semine viri, & sine opere Adam, observatâ semper virginitate absque omni sorde & corruptione, & absque fidei conjugalis injuria & læsione, & cum prolis sanctitate, facta simul Mater, & fœcunda, & virgo: & posteà peperit sine dolore, & omni sorde virginitatis, tàm corporis, quàm mentis læsione: quia ille Dei Filius Dominus naturæ, qui ventis & elementis imperavit, & super aquas siccis pedibus ambulavit, & de sepulchro clauso & sigillato exivit; jam in sua nativitate voluit uti suâ potestate, nascendo ex Virgine clausto virginitatis illæso. Et hæc est quinta dignitas & quintum privilegium, quo Chris- G tus voluit magnificare Virginem Matrem suam super omnes concipientes & parturientes, reddendo ipsam immunem à communi lege & maledictione omnium aliarum mulierum. Ex quo patet, quòd ipsa fuit sola qui contrivit caput serpentis, prout Deus prædixit ante legem promulgatam.

Maria Dei Mater naturalis.

Sexta dignitas Virginis Mariæ, qua dignificavit & magnificavit eam Christus, fuit: *Quia in supradicto mysterio Incarnationis fuit facta naturalis & carnalis Mater Dei.* Per quam dignitatem non solùm altitudinem omnium mortalium, sed etiam celsitudinem transcendit omnium Angelorum, ut inquit *Augustinus in secundo sermone de Nativitate Virginis.*

H Unde est advertendum, quòd ista sexta dignitas est altera à quinta præcedente, & multò altior & sublimior. Nam major dignitas est esse Matrem Dei, quam concipere sine semine opere Spiritus sancti, & concipere & parere absque omni sorde & dolore, servatâ virginitate: quia Deus posset facere illud sine isto in aliqua alia muliere. Nam Spiritus sanctus absque viro posset formare fœtum ex sanguinibus alicujus mulieris in utero ejus absque consortio viri: & creare animam in illo fœtu, absque hoc quod Verbum, nec aliqua persona divina assumeret ipsum personaliter:

&

& per consequens ille homo non esset Deus. Et posset etiam facere, quòd illa mulier non corrumperetur in concipiendo, nec pariendo, sed maneret virgo post partum: & tamen illa mulier non esset ita digna sicut *Virgo Maria*, quæ est Mater Dei. Et sic est dicendum, quòd magna & grandis dignitas est concipere sine viro opere Spiritus sancti, & parere cum virginitate absque omni sorde & dolore: sed multò major est esse Matrem Dei. Nam sicut non potest excogitari major dignitas in aliqua creatura, quàm uniri Deo personaliter, & Deum esse personaliter, sicut est Christus homo: ita post Christum, & post illam dignitatem non potest major dignitas excogitari, quàm esse Matrem Dei. Et sic sicut non potuit aliquis homo magis sublimari & dignificari, quàm assumi personaliter à Deo in unitate suppositi: ita *Virgo Maria* non potuit magis dignificari post Christum, quàm quòd Verbum assumeret illam carnem ex ea, & per consequens faceret esse Matrem Dei in unitate maternali, quâ non potest esse major post unitatem personalem: & hoc, semper intelligendo cum gratia gratificâ. Et sic dignior est *Maria*, in quantum Mater Dei, quàm in quantum concepit & peperit virgo.

Nota. Unde in tantùm ista dignitas est major cæteris dignitatibus, tàm præcedentibus, quàm subsequentibus, in quantum omnes aliæ dignitates, vel ordinabantur ad istam, vel datæ sunt ipsi propter istam: quia decuit eam habere omnes alias dignitates, in quantum est Mater Dei. Quia ut esset Mater Dei, fuit in primo gradu post Christum prædestinata ab æterno, & in libro vitæ scripta: & ut esset apta Mater Dei, fuit in sua creatione sanctificata, & ab omni culpa præservata, & fuit in ea usus liberi arbitrii acceleratus ad merendum in infantia & pueritia: & sic de cæteris. Et sic posteà facta Mater Dei, meruit super omnes choros Angelorum in gloria collocari, & mediatrix singularis inter Filium & omnes homines fieri: quia Christus in quantum erat Filius ejus, & ipsa Mater ejus, voluit eam cæteris omnibus dignitatibus & privilegiis dignificare, & magnificare: quia est ejus Filius singularis.

Objectio. Sed hîc est valdè insistendum. Nam videtur, quòd Christus non sit singularis Filius Mariæ Virginis. Nam in Sacra Scriptura, maximè Euangelicâ, Christus non solùm dicitur Filius Mariæ Virginis, sed etiam Filius Dei, sicut dixit Angelus *Luc.* 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et dicitur *filius David* ibidem, cùm ait: *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus.* Item, dicitur *filius Joseph*, *Luc.*2. cùm ait Maria: *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te &c.* Et sic patet, qualiter omnium istorum quatuor Christus dicitur *filius*: & ideo cum Sacra Scriptura non possit mentiri, est valdè advertendum, & cum humilitate & charitate inquirendum, quomodo Christus dicatur filius uniuscujusque istorum?

Responsio. Ad cujus intellectum est valdè advertendum, quòd licèt Christus dicatur filius uniuscujusque istorum: tamen non eodem modo, sed aliter & aliter est filius uniuscujusque istorum. Nam Christus dicitur *Filius Dei naturalis*, sed non carnalis: & *Filius Mariæ Virginis naturalis & carnalis*: & *filius David*, & *Abrahæ*: & *filius Adam carnalis*; id est, secundùm carnem: sed non filius naturalis. Et dicitur *filius Joseph*, non carnalis, nec naturalis, sed legalis: & ideo differendum est de unoquoque istorum.

Christus quomodo est Filius Dei, & Virginis. Quantum ergo ad primum non est dubium quin Christus sit *Filius naturalis Dei Patris*, non solùm in quantum Deus, sed etiam in quantum homo personaliter assumptus. Nam in quantum Deus, & Verbum Patris, ab æterno naturaliter & per modum naturæ productum, & genitum de tota memoria fœcunda & substantia Patris, ut ostendit *Augustinus*, 15. *de Trinitate*, & *Contra Maximinum*; sic est verus filius naturalis ipsius Patris, ut frequenter dictum est in *Expositione Psalmorum*, & maximè *Psal.*44. Et etiam in quantum homo, est filius naturalis Patris ratione personalis unionis. Et sic Christus non habet alium Patrem naturalem in quantum homo assumptus, nisi Deum Patrem, ut dictum est super *Psal.*109.

Quantum autem ad secundum per eamdem rationem Christus Deus & homo dicitur *Filius naturalis Virginis*: & Virgo Maria dicitur *Mater Dei naturalis*. Nam manifestum est, quòd ipsa est vera mater naturalis illius hominis. Nam licèt non per consuetum modum naturæ ex semine viri ipsum concepit: tamen ex suis naturalibus sanguinibus fuit in ejus utero formatus opere Spiritus sancti: non ex menstruo, sed ex puris sanguinibus naturalibus, & ex illis fuit in utero per novem menses alitus. Et sic isto modo *Virgo Maria* naturaliter ipsum aluit ex proprio naturali sanguine. Item post nativitatem aluit ipsum, & proprio & naturali lacte lactavit. Et sic fuit vera Mater naturalis ipsius Christi. Et per eamdem rationem fuit vera Mater carnalis; quia ex suis purissimis sanguinibus illa caro fuit formata, & alita, & augmentata. Et ideo Christus singulariter, & magis, & perfectiùs fuit filius naturalis & carnalis *Virginis Mariæ*, quàm umquam fuerit aliquis homo filius matris suæ. Et ratio est: Nam cùm omnes alii homines fuerint coagulati, & formati in utero materno ex sanguine menstruoso

Nota.

& superfluo, & ex eodem fuerint aliti, tàm in utero, quàm extra: solùm corpus Christi fuit in instanti formatum ex puris A sanguinibus venarum Virginis Mariæ, & eodem puro sanguine alitum est & augmentatum in utero, & ex eodem puro sanguine in lacte dealbato Christus fuit alitus & lactatus post nativitatem. Et sic *Virgo Maria* singulariter est Mater Christi naturalis & carnalis: & per consequens est vera Mater Dei & hominis: quia Christus inseparabiliter est Deus & homo. Et sic non separantur idiomata; quia quicquid verificatur de Deo personaliter, verificatur etiam personaliter de illo homine assumpto: & è converso. Et ideo sicut *Virgo Maria* dicitur vera & naturalis Mater Christi; ita dicitur Mater Dei: quia Christus est Deus, & ille homo assumptus est Deus personaliter. Et ideo fuit determi- B natum in *Concilio Chalcedonensi* contra *Nestorium*, quòd Virgo Maria sicut est vera Mater Dei; ita semper in omni locutione proferatur absolutè *Mater Dei* à quocumque fideli. Est verum, quòd ipsa est Mater Dei, in quantum est naturalis & carnalis Mater Christi, qui est Deus & homo.

Christus quomodo dicitur Filius David?

Quantum ad tertium est dicendum, quòd Christus semper dicitur *Filius David* in tota Sacra Scriptura, non solùm novi, sed etiam veteris Testamenti; quia per omnes Prophetas Christus promissus fuit filius David de genere ipsius, ut patet 2. *Reg.*7. & *Psal.*71. & 58. & 131. Et *Isai.* 7. dicitur: *Audite domus David: Ecce Virgo concipiet &c.* Item *Hierem.*23. & 33. C *Et suscitabo David germen justum &c.* Et ideo *Matthæus* volens texere generationem Christi carnalem, incœpit, dicens: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham &c.* Hoc idem fecit *Lucas*, dicens: *Missus est Angelus ad Virginem desponsatam viro de domo David.* Et posteà subdit: *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus.* Et sic patet, quòd Christus dicitur *filius David*, & *filius Abraham*: & per consequens *filius Adam.* Et ideo Christus semper se nominat *filium hominis*, id est, filium Adam in toto discursu Euangelico: ad denotandum, quòd erat verus homo descendens ex Adam secundùm carnem: eò quòd venerat ad pa- D tiendum in illa carne pro liberandis omnibus filiis Adam.

Est tamen advertendum, quòd licèt Christus dicatur *filius Adam*, & *Abrahæ*, & *David* secundùm carnem: tamen non dicitur filius naturalis eorum: quia non naturaliter, id est, per generationem naturalem descendit ab eis, sed solo opere Spiritus sancti: sed in tantùm dicitur filius carnalis, & factus ex semine Abrahæ & David secundùm carnem, ut inquit *Apostolus ad Romanos* 1. in quantum accepit carnem ex Virgine Maria, quæ est filia naturalis illorum, & descendebat ab eis E per generationem naturalem: & ideo Christus licèt sit filius illorum carnalis; tamen non naturalis. Et sic aliter est Filius Virginis Mariæ, quia carnalis & naturalis: & aliter filius illorum, quia solùm carnalis, sed non naturalis, eo modo quo dictum est.

Quomodo Joseph dicitur pater Christi?

Sed nunc restat permagna, & pergrandis difficultas: quomodo *Joseph* dicatur pater Christi in Scriptura; cùm ipse nec sit pater Christi naturalis, nec carnalis, nec secundùm carnem? Et ideo dixerunt quidam, quòd *Joseph* erat *pater putativus* Christi, in quantum reputabatur Christus apud populum filius Joseph, prout dicitur *Lucæ* 3. *Ut putabatur filius Jo-* F *seph, qui fuit Eli &c.*

Sed ista non sufficiunt ad salvandam Euangelicam veritatem: quia *Maria* absolutè & affirmativè dixit Christo: *Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te &c.* Nam illa reputatio & opinio, quam populus habebat de Christo, erat falsa: quia populus putabat, Christum esse filium Joseph carnalem & naturalem, quando dicebant: *Nonne hic est filius Joseph & Mariæ, qui sunt apud nos?* Item, quando *Philippus* dixit ad *Nathanael*: *Invenimus Jesum Messiam filium Joseph à Nazareth &c.* putabant, Christum esse filium carnalem & naturalem ipsius *Joseph*: quod erat falsum. Ideo *Virgo Maria* sub tali falsa reputatione non appellavit *Joseph* patrem Christi. Ideo *Origenes* & *Hieronymus* di- G cunt, quòd *Christus ideo appellatur filius Joseph: eò quòd fuit filius ejus adoptivus, & Joseph pater ejus nutritius.*

Sed adhuc ista non sufficiunt ad evacuandum tantum sacramentum: quia quencumque alienum poterat adoptare *Joseph* in filium, & ipsum nutrire: & ideo major affinitas erat inter *Joseph* & Christum, quàm affinitas adoptiva & nutritia: quia talis affinitas sola non poneretur in genealogia Salvatoris: quia sola affinitas carnalis, aut legalis ponitur in genealogia Salvatoris, sicut sola talis affinitas, scilicet carnalis, aut legalis, consuevit ascribi in genealogia aliorum secundùm Scripturam veteris Testamenti.

H Et ideo est dicendum, quòd hîc latet aliud maximum sacramentum. Nam manifestum est, quòd Christus natus est ex illo sacro virginali & inviolato conjugio absque injuria ipsius *Joseph*, & fidei conjugalis: & natus est ex *Maria Virgine* indivisâ sponsâ ipsius *Joseph*: quia indivisibiliter erant duo in carne una: & in tali conceptu numquam Virgo Maria fuit divisa ab ipso Joseph, sed semper in fide conjugali conjuncta: quia caro conjugalis non dicitur divisa, nisi per adulterium: Ergo sequitur, quòd licèt Joseph non concur-

Nota bene.

curreret officialiter ad generationem Christi : tamen quia talis conceptio & generatio facta est in ejus conjuge , ipsi conjugaliter & indivisibiliter conjunctâ absque injuria fidei conjugalis : Ergo Joseph non fuit expers , ne per aliquem specialem modum esset Pater Christi , multò magis & dignius , quàm adoptivus & nutritius , maximè quia conjugium *Joseph* & *Mariæ* ordinabatur , ut Christus ex tali conjugio virginali nasceretur : ad denotandum, quòd Christus qui ex tali virginali & inviolato & sancto conjugio nascebatur , non carnaliter , sed spiritualiter ex spirituali conjugio Ecclesiæ debebat filios regenerare , ut inquit *Augustinus* : & dicit *Augustinus* , quòd *illud conjugium ordinabatur ad Mysterium Incarnationis.* Et dicit etiam *in libro de Bono Conjugali:* quòd *omnia bona requisita ad bonum conjugium fuerunt in illo sacro conjugio. Nam ibi fuerunt omnia bona sacramenti , quia nullum divortium ; & bonum fidei , quia non interveniente adulterio ; & bonum prolis , quia inde Christus natus est.* Ex quibus sequitur , quòd Joseph aliquo modo singulari & spirituali est Pater Christi, & Christus Filius ejus ; eò quòd de ejus conjugio.

Joseph Pater Christi secundum legem.

His igitur habitis , ponitur pro conclusione , semper salvâ Fide Catholicâ: quòd licèt *Joseph* non fuerit Pater Christi naturalis , nec carnalis : tamen fuit Pater Christi legalis , & secundùm legem ; & per consequens Christus fuit Filius Joseph legalis & secundùm legem.

Hæc autem conclusio sic probatur. Nam Deus præceperat *Deuteron.* 25. quòd si quis moreretur sine filiis , tunc secundus frater illius acciperet illam in uxorem , ad suscitandum semen fratri suo: quod sic est intelligendum. Nam quia ille mortuus decedebat sine generatione; ideo relinquebat propinquiorem successorem in vicarium , qui exerceret actum generandi vice & loco sui in ejus uxore. Ideo illa mulier semper erat uxor primi secundùm amorem & propositum ; sed erat uxor secundi secundùm carnem , in quantum exercebat carnalem & naturalem actum generandi loco illius. Et ideo illa prima proles non adscribebatur secundo , sed primo viro : & sic succedebat ipsi in nomine filiali , & in hæreditate , & secundùm legem. Et ideo illa proles dicebatur communis illorum duorum , scilicet, primi , secundùm legem & spiritum : & secundi secundùm carnem & naturam. Et ideo oportebat , quòd ille qui succedebat primo mortuo , esset propinquior illi inter omnes vivos : sed quia semper immediatus & secundò genitus erat propinquior: ideo ille succedebat in tali matrimonio vice & officio generandi , & prolis suscitandæ. Et ideo ille filius sic natus verè dicebatur filius legalis primi ; eò quòd natus ipsi ex vero conjugio secundum legem sic ordinatam , & non ex adulterio. Sed si forsan contingeret , quòd illa mulier post mortem viri fornicaretur cum aliquo alio , & ex illo haberet prolem: tunc ille filius numquam dicebatur filius primi viri : quia non ex lege , sed ex scorto & fornicatione natus erat.

A simili ergo est dicendum , quòd postquam Christus ex vero conjugio & uxore ipsius *Joseph* , absque adulterio , & injuriâ fidei supernaturaliter conceptus est & natus : Ergo fuit ejus verus filius legalis : quia ex ejus inviolato conjugio, nullo pacto per adulterium divisò , conceptus est , quam prolem suscitavit Deus filio suo Joseph.

Objectio.

Sed diceret aliquis , quòd ista non est vera similitudo. Primò , quia *Joseph* erat vivus & non mortuus. Secundò: quia in lege non fuit præceptum, ut pater suscitaret semen filio suo : sed quòd solus frater immediatus suscitaret tale semen fratri suo.

Ad primum respondetur : quòd licèt *Beatus Joseph* non esset mortuus quoad cætera opera vitæ : tamen erat mortuus quoad generationem , propter votum virginitatis : & erat mortuus quoad peccatum. Et ideo oportuit , ut Deus ipsi in illo modo suscitaret prolem legalem & spiritualem.

Ad secundum respondetur : quòd licèt non fuerit præceptum in lege , ut pater suscitaret semen filio suo : tamen in figura hujus mysterii hoc semel in Veteri Testamento fuit factum , & concessum , & in libro legis scriptum. Nam legitur *Genesis* 38. quòd *Thamar* ex divina inspiratione exivit in bivio ad *Judam* socerum suum ignarum , ut suscitaret ex ea semen duobus filiis mortuis absque prole : quod fecit *Judas :* quia ex uno concubitu genuit duos filios ex *Thamar* : quasi suscitans semen & prolem duobus filiis mortuis sine prole : quia genuit ex ea *Phares* & *Zaram* , per quem quidem *Phares* , qui genuit *Esron* , descendit Christus ex *Juda* & *Jacob* & *Abraham* secundùm carnem: qui quidem actus non fuit imputatus ipsi *Thamar* ad scortum , sed ad justitiam & mysterium : cui dixit *Judas* in judicio: *Justior me es.* Et tota Ecclesia reputat illud fuisse factum in propheticum & mysticum mysterium, in quantum *Thamar* prævidit in spiritu , qualiter Christus erat nasciturus de Tribu Juda secundùm carnem. Et quia vidit , quòd non poterat habere prolem ex duobus primis filiis *Judæ* , nec sibi dabatur tertius in virum ad suscitandum semen fratribus suis : ideo ne Christi generatio præteriret , & ut ex ea Christus nasceretur ; ideo ne perderet tantam dignitatem , intentavit suscipere prolem

ex socero suscitante prolem filiis suis, prout mysticè & sacramentaliter factum est.

Sed quia nil gestum est in Veteri Testamento, quin fuerit completum in Christo & Ecclesia : ad cujus mysterium & figuram omnia ibi contingebat, in quantum Christus fuit finis totius legis : ideo per illud mysterium figurabatur, qualiter mortuo *Joseph* quoad mundum & carnalem generationem, propter votum virginitatis, Deus Pater debebat ipsi suscitare prolem spiritualem ex *Virgine Maria* conjuge *Joseph*, & sponsa Dei Patris.

Item, figurabatur etiam, quòd sicut *Thamar* concepit geminam prolem, scilicet *Phares* & *Zaram* : ita pariter *Virgo Maria* erat conceptura, & de facto concepit geminam prolem, non secundùm personam, sed secundùm naturam : eò quòd Christus sub una persona habet duas naturas ; divinam scilicet, & humanam. Et ideo illud mysterium generationis *Phares* ex *Thamar* approbatur in scriptura, & ponitur in genealogia Salvatoris : eò quòd ordinabatur figuraliter & sacramentaliter ad Mysterium Incarnationis Christi factum ex *Maria Virgine* ex conjugio virginali & legitimo ipsius *Joseph*.

Christus filius legalis Joseph dupliciter ditur.

Dupliciter ergo Christus dicitur *Filius legalis* ipsius Joseph. Primò, quia in lege fuit per *Judam* & *Thamar* & *Phares* præfiguratum, & in Novo Testamento adimpletum illud mysterium. Secundò, quia Christus ex legitimo conjugio, & sponsa & conjuge ipsius *Joseph*, absque injuria conjugali fuit conceptus, & natus. Et ideo ad hunc intellectum *Matthæus* scribendo Christi genealogiam, dicit, & concludit in fine totius catalogi, quòd *Mathan genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Unde non dicit, quòd Joseph genuit Christum : Ad denotandum, quòd Christus non est filius naturalis, nec carnalis ipsius Joseph : sed dicit, quòd *Joseph* erat vir & conjux *Mariæ, de qua natus est Jesus Christus.* Ad denotandum, quòd licèt Christus non esset filius carnalis, nec naturalis : tamen fuit filius secundum legem, & filius legalis ipsius Joseph, postquam erat natus ex indivisa conjuge sua, salvâ fide conjugali absque omni nota adulterii, & peccati.

Et hæc voluit confirmare postea *Matthæus*, cum subdit : *Generatio Christi sic erat* : ut sequitur. Nam *cum esset desponsata Maria Mater Christi Joseph : inventa est in utero babens* germen *de Spiritu sancto* : & non ex Joseph, nec ex scorto, nec adulterio, sed *ex Spiritu sancto*, eo modo quo supra dictum est. Et ideo quando *Joseph* volebat ipsam traducere, dixit ei Angelus : *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quia quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est.* Quasi dicat : ipsa est verè conjux tua, non à te per adulterium divisa : quia non humano opere concepit, sed opere Spiritus sancti : ideo conjugium tuum nullo modo læsum est, immò magis confirmatum : quia per legem & Prophetas prænuntiatum, & per Spiritum sanctum in te confirmatum.

Item, ad hunc intellectum *Virgo Maria* dixit Christo : *Ego & pater tuus*, scilicet legalis, *dolentes quærebamus te.* Item, ad eundem intellectum *Lucas* frequenter appellat *Joseph* parentem & patrem Christi, scilicet, secundùm legem, eo modo quo dictum est. Et sic patet qualiter Christus est Filius naturalis Dei Patris, & filius naturalis & carnalis *Virginis Mariæ* : & *filius David & Abrahæ* secundum carnem, & non secundùm naturam : & *filius Joseph legalis*, sive secundum legem.

Hanc autem positionem ego aliquando prædicavi in vestra sede *Valentina* in conspectu Dominorum Canonicorum, & totius populi in festo Beatissimi Joseph Sponsi Virginis. Sed quia putabam me solùm in opinione, ideo dubitavi ipsam in prioribus meis scriptis relinquere. Sed quia postea noviter vidi Sermonem, quem venerabilis ac famosissimus *Joannes Gerson* Cancellarius Parisiensis habuit & fecit in *Concilio Constantiensi* coram toto Senatu Ecclesiastico, in quo ponit istam positionem quasi ad litteram : qui quidem sermo fuit pergratus & acceptus toti faciei Ecclesiæ ibidem congregatæ : propter quod jam publicè celebratur officium *Beati Joseph* in pluribus Ecclesiis Galliarum, & specialiter solemnizatur in Ecclesia nostra Valentina Hispaniæ : Hinc est quod ego non erubui scribere hanc positionem in hoc loco, ubi mihi videtur necessarium juxta materiam & propositum : semper tamen cum correctione Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ. Et hoc de sexta dignitate & privilegio Virginis Mariæ.

Maria Prophetissa & Evangelista.

Septima dignitas singularis Virginis Mariæ, qua dignificavit, & magnificavit eam Christus fuit : quia *singulariter fuit illustrata & inspirata per obumbrationem Spiritus sancti : unde adepta est spiritum propheticum & Evangelicum super omnes Prophetas & Euangelistas.*

Unde quia dictum est per *Augustinum*, quòd Spiritus sanctus in illa obumbratione non solùm obumbravit ventrem Mariæ, sed etiam mentem ; nam obumbrando ventrem, formavit corpus Christi in uno instanti ex puris sanguinibus Virginis ; & sic præservavit eam à fœditate libidinis, & à corruptione mentis & corporis, conservando virginitatem & faciendo ipsam simul virginem & fœcundam : & præservavit in ea fidem conjugalem ; & præservavit germen, non solùm à nota adul-

adulterina, sed etiam ab omni noxa peccati ipsius *Adam*; immò fecit illud germen sanctum plenitudine omnis sanctitatis & gratiæ, prout dictum est: Ita ergo pariter Spiritus sanctus obumbrando mentem *Virginis Mariæ*, illustravit eam lumine prophetico super omnes Prophetas, & lumine Euangelico super omnes Euangelistas: & sic fecit eam simul Prophetam & Euangelistam. A

Quid sit obumbrare.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd *obumbrare* idem est quod per umbram aliquid circumdare & comprehendere. Et ideo aliter obumbrat corpus opacum, & aliter corpus luminosum. Nam corpus opacum prohibet lumen & calorem, ne transeat: & sic qui vult protegi ab ardore & lumine solis, ponitur sub umbra domus, aut alicujus tecti. Et sic B etiam, si luna interponitur inter solem & terram, tunc per suam umbram causat eclipsim, & defectum luminis solis in terra. Et etiam terra interposita diametraliter inter solem & lunam, causat eclipsim in luna per suam umbram, eò quòd est corpus opacum; & ideo prohibet radios solares, ne perveniant ad illuminandam lunam. Sed oppositum facit umbra corporis luminosi, scilicet solis: quia sicut umbra corporis nil aliud est nisi lumen illius corporis luminosi: ita penetrat omne diaphanum, & pellit omnem tenebram, & illuminando ipsum diaphanum, simul illuminat & calefacit ex sui naturâ.

Sic ergo ad propositum: quia umbra C Spiritus sancti nil aliud est nisi lumen ejus & gratia: ideo quocumque intrat, pellit omnem tenebram ignorantiæ, & frigiditatem peccati, inducendo lumen veritatis, & calorem gratiæ. Nam sicut se habet sol per suum lumen corruptibile ad omne diaphanum corruptibile: ita Spiritus sanctus ad omne diaphanum spirituale, sicut est Angelus, vel anima hominis. Et ideo sicut sol penetrando omne diaphanum pellit omnem tenebram, & illuminat illud & calefacit: ita Spiritus sanctus obumbrando animam per suum lumen penetrat eam & illuminat, pellendo omnem ignorantiam; & gratificat eam pellendo omne peccatum, si insit. Ideo dicitur *Sapientiæ* 7. quòd iste spiritus *omnia penetrat, & omnia lustrat, & in* D *animas sanctorum se transfert, & eos Dei amicos & Prophetas facit.* Et sic patet, qualiter obumbratio Spiritus sancti nil aliud est nisi illustratio, & penetratio, & illuminatio, & purgatio ab omni tenebra ignorantiæ, aut à sorde & labe peccati.

Et ideo quando Spiritus sanctus *supervênit in Mariam*, & obumbravit eam sua virtute & lumine, non est dicendum, quòd purgaverit eam ab aliqua labe peccati: quia jam in sua animatione & creatione venerat ad eam, & sanctificaverat eam, præservando per gratiam ab omni peccato, & confirmando in omni bono. E Et ideo quando *supervênit*, id est, iterum venit in eam & obumbravit eam, non purgavit eam ab aliqua culpa, quia nulla erat; sed purgavit intellectum & mentem ejus ab omni ignorantia, ipsam rapiendo usque ad tertium cœlum, præbendo ipsi veram intelligentiam totius Sacræ Scripturæ, & patefaciendo ipsi divina arcana, & mysteria cœlestia, quæ non licet homini loqui.

Ad hunc ergo intellectum sunt intelligenda verba *Joannis Damasceni*, quæ recitat *Magister tertio Sententiarum, distinctione* 3. dicens, quòd *Spiritus sanctus venit in Virginem purgans ipsam &c.* F Unde non est intelligendum, quòd purgaverit eam ab aliqua labe peccati, sicut dictum est, & omnes Doctores tenent: sed quòd Spiritus sanctus in illa obumbratione illustravit mentem ejus, & purgavit ab omni nube ignorantiæ, quam habebat de modo mysterii Incarnationis, & de secretis Sacræ Scripturæ, prout ipsa se fatebatur ignorare, cùm dixit: *Quomodo fiet istud? &c.* & sic illa purgatio nil aliud fuit, nisi quòd reddidit ipsi intellectum & mentem purgatam & liberam ab omni nube ignorantiæ mysteriorum Sacræ Scripturæ, rapiendo eam a sensibilibus usque ad arcana cœlestia. Unde secundùm *Aristotel. & Commentatorem*, & G *Avicennam*, & omnes Philosophos, intellectus purgatus dicitur *intellectus adeptus*: & est ille qui pulsâ omni nube ignorantiæ, adeptus est habitualiter scientiam omnium intelligibilium usque ad intellectionem substantiarum separatarum inclusivè. Secundùm verò Theologos, talis intellectus purgatus dicitur *intellectus heroicus*: eò quòd excedens ista naturalia, perveniat usque ad ea quæ sunt supra facultatem naturæ, & sui: & sic dicitur intellectus desuper illustratus supra suum lumen naturale. Et sic *purgare* idem est quod desuper illuminare, & illustrare. Et isto modo dicit *Dionysius*, quòd Angeli superiores purgant & illustrant inferiores. Et isto modo dicit *Damascenus*, quòd Spiritus sanctus supervenit in Mariam, & H purgavit eam, scilicet ab omni nube ignorantiæ, rapiendo ipsam usque ad cœlestia mysteria, & faciendo ipsam Prophetam & Euangelistam, ut patebit.

Spiritus sanctus locutus est &c.

Ad cujus majorem evidentiam est advertendum secundùm *Augustinum Contra Faustum, & contra Adversarium Legis & Prophetarum*, ut dictum est in *Prologo* Psalmorum *Tractat.* 3. & *Regula* 7. quòd idem Spiritus sanctus, & idem Deus locutus est in utroque Testamento. Sed fuit ista differentia: nam in veteri

Tes-

Testamento Deus locutus est per ora Prophetarum, infundendo eis spiritum propheticum: sed in novo Testamento locutus est nobis per Filium incarnatum. Sed post suam ascensionem locutus est nobis per Apostolos, infundendo eis lumen Euangelicum. Et sic Deus semper locutus est nobis per hominem. Nam Verbum æternum per hominem ipsi personaliter assumptum locutus est mundo. Et sic ipsemet Christus, qui illustravit Apostolos spiritu Euangelico, illustraverat antè Prophetas spiritu prophetico. Et sic patet, qualiter tàm Apostoli, quàm Euangelistæ non sunt locuti nisi Spiritu sancto obumbrati & illustrati, sicut ait *Petrus in Canonica.*

Sed dictum est in illo *Prologo*, qualiter talis illustratio, tàm prophetica, quàm Apostolica, non potuit fieri nisi per mentis excessum, & aliquem raptum à sensibus: quia

Mens membris obruta cœcis,
Nequit oppressi luminis igne
Rerum tenues noscere nexus,

Nota de Raptu.

Sicut dicit *Boetius lib. 5. de Consolatione, Carmine* 4. Ergo oportet, quòd mens rapiatur à sensibus. Et sic tàm Prophetæ, quàm Apostoli fuerunt rapti à sensibus per obumbrationem Spiritus sancti. Sed fuit magna differentia in tali obumbratione & raptu ratione termini: nam spiritus propheticus solùm rapiebat Prophetas à sensibus usque ad cognitionem ænigmaticam futurorum mysteriorum de Christo & Ecclesia, prout repræsentabantur eis in aliquo objecto creato per ænigmaticam & imaginariam visionem, sicut ibi dictum est. Sed spiritus Euangelicus rapuit Apostolos in die Pentecostes usque ad tertium cœlum, & divinam essentiam, ubi per modum transeuntis viderunt arcana cœlestia, quæ non licet homini loqui: & ibi legerunt in illo sacro libro omnia quæ posteà prædicarunt in mundo: quia si Joannes non legisset in illo sacro libro, numquam explicasset mysterium Trinitatis, dicens: *In principio erat Verbum &c.* Et sic postea *Paulus* vas electionis ad portandum nomen Christi coram Gentibus & filiis Israel, fuit raptus usque ad idem tertium cœlum, ut patet *Act.7.* ubi *vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui*, ut ipse ait, 2. *ad Corinth.* 11. Quomodo autem fuit necesse ut Apostoli fuerint rapti usque ad tertium cœlum secundùm exigentiam suæ legationis, sicut *Paulus*; jam fuit dictum in Expositione *Psal.67.*

Ex quibus patet, sicut etiam ibi fuit dictum, quòd *Maria* non fuit expers à tali raptu in die Pentecostes simul cum Apostolis; immò antè in conceptione Filii Dei, per illam obumbrationem Spiritus sancti, quæ ipsis reddidit intellectum purgatum, ut dictum est, fuit rapta usque ad tertium cœlum divinæ essentiæ, ubi perfectiùs quàm Paulus & cæteri Apostoli vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui: & perfectiùs vidit mysterium Incarnationis, & totam intelligentiam scripturæ utriusque Testamenti. Et ibi non solùm accepit spiritum Euangelicum de præsentibus & præteritis, sed etiam de rebus futuris, & de modo futuræ propinquæ redemptionis de propinquo per Christum exercendæ, & de omnibus futuris contingentibus in Ecclesia usque ad diem Judicii, multò perfectiùs & clariùs, quàm *Joannes* Euangelista in *Apocalypsi.* Et sic *Virgo Maria* facta fuit tunc simul Propheta & Euangelista super omnes alios.

Unde iste raptus *Virginis Mariæ* multipliciter fuit perfectior, quàm raptus Apostolorum. Nam *Paulus* fuit tantùm semel raptus in sua conversione, & Apostoli semel rapti in die Pentecostes: sed *Virgo Maria*, ultra raptum factum per obumbrationem Spiritus sancti in sua annuntiatione, fuit rapta in die Pentecostes cum cæteris Apostolis: & ultra hoc contemplando Dominum incarnatum, quem in utero gerebat, sæpè rapiebatur ad arcana cœlestia: & multa revelavit ipsi Filius, tàm in somno, quàm in vigilia: & multa revelabat ipsi Filius post nativitatem familiari locutione, quæ posteà ipsa docuit Apostolos & Euangelistas. Nam ipsa docuit Beatum *Lucam* totum mysterium Incarnationis, prout communiter tenetur: quia sola ipsa noverat illud mysterium experientiâ & doctrinâ Angelicâ, & visione supernaturali in multiplici raptu. Et sic fuit facta vera Propheta & Euangelista super omnes Prophetas & Euangelistas: quia nullus Propheta consecutus est talem modum euangelizandi.

Nam *Virgo Maria* non solùm loquebatur, & prophetabat, & euangelizabat per spiritum insusum, sed etiam Christus Deus incarnatus existens in utero loquebatur per os & vocem ejus. Nam Christus per vocem ejus immisit spiritum sanctificationis in *Joannem Baptistam*, & spiritum propheticum in *Elisabeth*, sicut dictum est.

Et sic etiam in isto Cantico Christus Deus incarnatus locutus fuit per os & vocem *Virginis Mariæ*, faciendo ipsam simul Prophetam & Euangelistam. Et ideo *Virgo Maria* in isto Cantico partim fuit Euangelista, in quantum annuntiavit & euangelizavit, qualiter Israel jam receperat puerum suum: quia jam Deus erat incarnatus in utero, qui antè fuerat promissus in Lege & Prophetis: & euangelizavit etiam magna, quæ ipsi fecerat Deus potens & sanctus. Sed cum hoc prophetavit propinquam redemptionem per Christum faciendam: & prædixit futuram ruinam

nam & obstinationem populi Judaici propter suam infidelitatem: & exaltationem, & societatem populi Gentilis propter suam humilitatem & fidem, ut patebit per totum discursum & expositionem hujus Cantici. A

Ex supradictis ergo patet septima dignitas, quâ dignificavit & magnificavit eam Filius ejus; & qualiter singulariter per Spiritum sanctum obumbravit ipsi non solùm ventrem, faciendo ipsam Matrem Dei absque omni labe & corruptione mentis & corporis conservando virginitatem; sed etiam obumbravit ipsi mentem, rapiendo usque ad tertium cœlum, & faciendo ipsam Prophetam & Euangelistam super omnes alios, eo modo quo dictum est. Et ideo est dicendum, quòd ista est illa mulier quam vidit Joannes amictam sole, & B lunam sub pedibus ejus, *Apocal.*12. Nam per hoc quod erat amicta sole, denotatur, quod nulla fuit in ea nubes ignorantiæ, nec culpæ. Sed per hoc quod luna erat sub pedibus ejus, denotatur, quod fuit illuminata & obumbrata lumine Spiritus sancti super omnes Prophetas, & Euangelistas, & Apostolos in tota Ecclesia; & quòd fuit rapta supra lunam hujus Ecclesiæ usque ad solem divinæ Essentiæ. Et ideo nullum potuit pati defectum, sicut sol non potest pati defectum respectu sui.

Maria regis familiarissima secretaria

Octava dignitas singularis, qua Christus dignificavit *Virginem Matrem* suam fuit: quia *præ cunctis cæteris fuit ejus singularis, & familiarior ministra, & cubicularia, & secretaria.* C

Unde manifestum est, quòd in domo regia ille præ cæteris magis habetur dignus honore, qui familiariùs ministrat & seruit regi, & diutiùs cum eo manet & conversatur: sicut est Camerarius, & Cubicularius, & Secretarius. Quia istis rex majora signa amoris ostendit: quia eis credit, & sua secreta & arcana commendat. Et ita dixit Apostolis, *Joann.*15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos: quia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Item de ministerio dicit *Joann.*12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus &c.*

Ex quibus patet, quòd illi fuerunt D magis amici Christi, qui magis cum eo & familiariùs conversarunt, & quibus plura secreta commendavit. Et illi fuerunt digniores & magis honorati ministri, qui familiariùs & diutiùs Christo ministrarunt: sed *Virgo Maria* præ cæteris diutiùs, & familiariùs, & laboriosiùs Christo ministravit & servivit, & cum eo conversata est: Ergo sequitur, quòd præ cæteris fuit digna laude & honore, & fuit à Christo honorata. Major est nota per ea quæ dicta sunt. Sed Minor probatur per singula.

Nam *Virgo Maria* diutiùs Deo ministravit. Nam sicut in ea citiùs fuit acceleratus usus liberi arbitrii, quàm in cæteris E: ideo citiùs incœpit Deo servire & ministrare: quia jam in tertio anno fuit in Templo ad servitium & ministerium Templi dedicata, ubi Deo cum cæteris virginibus serviebat, & orationi, & contemplationi, & jejunio vacabat usque ad suam desponsationem, prout supra dictum est in *tertia dignitate* ejus. Hoc idem faciebat tempore suæ desponsationis simul cum sponso suo *Joseph.* Sed jam familiariùs ministravit Christo post Incarnationem: quia sola ipsa ipsi carnem ex suis sanguinibus ministravit & communicavit, & per novem menses in utero aluit & nutrivit. Item, post nativitatem sola ipsa ex suo sacro lacte lactavit. Item, sola ipsa ipsum lavabat, F & vestiebat, & exuebat, & pannis involvebat, & in cunas reponebat: & omnia ejus personæ secreta noverat. Et hoc in ejus infantia.

Sed in ejus pueritia ex pane & cæteris bonis proprio labore adeptis ipsum alebat, & ipsi de necessariis providebat. Item, semper in omnibus mysteriis ejus comes fuit. Nam sicut non defuit in partu cùm ipsum peperit; ita non defuit in ejus circuncisione, & in *Magorum* adoratione, nec in repræsentatione ad Templum: nec defuit in ejus persecutionibus, scilicet, quando fugit in Ægyptum, & quando reversus est in Judæam: nec in Nazareth: nec quando per singulos annos ascendebant in Hierusalem tempore festivitatum, ut patet *Lucæ* 2. Nec defuit quando fuit G invitatus ad nuptias, *Joan.*2. Nec defuit in itinere prædicationum, ut patet *Luc.*8. Nec defuit in ejus morte & passione: quia cum cæteri fugissent, sola ipsa cum *Joanne* & cæteris mulieribus erat juxta crucem, ut patet *Joann.*19. & in cæteris Euangelistis. Nec defuit dum fuit depositus de cruce, & positus in sepulchro.

Sed non legitur quòd *Virgo Maria* ampliùs fuerit reversa ad sepulchrum, sicut *Maria Magdalena*, & cæteræ Mariæ, & *Joannes*, & *Petrus*. Eò quòd *Virgo Maria* absque quovis dubio, aut hæsitatione erat certissima de resurrectione Christi. Et ideo non fuit necesse ipsam ire am- *Christus prius apparuit.*
H pliùs ad sepulchrum: quia prius apparuit ipsi Christus post resurrectionem, quàm *Magdalenæ*, nec alicui alteri, ut communiter tenetur. Et ratio est: nam sicut præ cæteris in Christi passione fuit doloribus afflicta, & præ cæteris in fide resurrectionis fuerat firma: ideo prius meruit videre Filium suum in gloria resurrectionis. Et ideo Christus non annuntiavit Matri suæ gloriam resurrectionis per Angelos, sicut *Magdalenæ*, sed per seipsum in persona eam lætificavit, juxta illud *Psalm.*29. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Item *Psal.*4. *Secundùm* *Mariæ post resurrectionem*

mul-

multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Et sic patet octava dignitas Virginis : quia sicut præ cæteris familiariùs , & diutiùs, & laboriosiùs Christo ministravit , & secretiùs fuit cum eo conversata : ita præ cæteris ipsam dignificavit , & magnificavit , & honoravit , & lætificavit.

Maria fuit martyr.

Nona dignitas & privilegium fuit singulare martyrium super omnes alios martyres: quia absque laniatione sui corporis atrocius passa est in anima in passione Christi , quàm aliquis aliorum martyrum passus unquam fuit in carne.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd *Martyr* Græcè tuno modo idem est quod *testis* Latinè : & sic martyrium idem est quod *testimonium.* Et sic omnes Martyres dicuntur *testes fidei Christi* : quia ut testarentur & confiterentur fidem Christi, passi sunt dira tormenta : per quæ tormenta inviolabili testimonio confitebantur fidem Christi. Et sic patiebantur propter Christum & ejus fidem. Alio autem modo *martyr* dicitur à *Marte* Deo bellorum & præliorum : & sic *martyr* idem est quod *præliator* , & *certator* , & *pugnator* , & *victor* : & sic *martyrum* nil aliud est nisi *prælium* & *certamen* , & *pugna* , & *victoria.* Et sic Apostoli & cæteri verè dicuntur Christi martyres : eò quia pro Christo pugnarunt & certarunt contra sævitiam principum , & contra omnes infideles , & in corpore suo dira vulnera pertulerunt ; sed finaliter effuso sanguine coronam victoriæ & triumphi obtinuerunt. Et sic totum populum Gentilem & Imperatores iugo Christi subjecerunt : & ideo verè dicuntur martyres ; id est pugnatores , & victores : & ideo dicit *Augustinus*, quòd *non omnes qui patiuntur tormenta sunt martyres , sed soli passi propter Christum : quia tormentum solum non facit martyrem , sed causa* : & sic dicit *August.* quòd *non solùm sunt verè martyres , qui passi sunt vulnera , & laniati sunt in carne propter Christum ; sed etiam illi qui passi sunt persecutiones, & dolores , & tormenta in anima & corde propter Christum.* Et sic propter ista tria *Virgo Maria* dicitur verè Martyr , & major Martyr, quàm aliquis aliorum :quia majores persecutiones & labores in persona , & majores dolores in corde , & majora tormenta passa fuit in anima , & cum firmiori fide pro Christo , quàm aliquis Apostolorum , aut aliorum Martyrum in corpore : & hoc probatur per singula.

Unde primò difficultas , & magnitudo persecutionis consistit in magnitudine laboris , & timoris , & tristitiæ. Sed *Virgo Maria* in sua persecutione passa est immensos labores , & tristitias , & timores propter Christum , quàm aliquis Sanctus : Ergo atrociorem & majorem persecutionem , quàm cæteri passa est. Major patet. Minor probatur. Nam non est comparandus aliquis labor labori *Virginis Mariæ* , quando ex timore *Herodis* ne interficeret Christum , fugit in Ægyptum cum puero. Nam sicut Christus fuit delicatissimus in complexione , & per consequens sensus tactûs in eo fuit nobilior , & ideo minor labor erat maximus , & causabat majorem molestiam in eo : Ita *Virgo Maria* , cùm esset præ cæteris mulieribus delicatissima : ideo majorem laborem & molestiam passa fuit in illa fuga in itinere, fugiendo in Ægyptum,& redeundo in Judæam , & postea fugiendo in Nazareth propter *Archilaum* , qui regnabat pro patre , quàm in Judæa unquam aliquis alius pertulerit : quia parvus motus erat ipsi maximus labor & molestia.

Item , in illa fuga majorem tristitiam & timorem passa est , ne *Herodes* interficeret puerum , maximè quando vidit eum tanta sævitiâ interfeciſſe tot infantes innocentes pro Filio suo , quàm unquam aliquis passus fuerit. Et sic etiam passa est multas persecutiones post passionem Christi simul cum Apostolis , ut patet per totum discursum *Actuum Apostolorum*: quia non minùs ipsa patiebatur , quàm Apostoli.

Item secundò , non solùm passa est immensas persecutiones & labores propter Christum , sed etiam immensos dolores in corde : quod est secundùm genus martyrii. Nam numquam aliquis passus est tantum dolorem pro aliqua re amissâ , quantum passa est Virgo Maria , quando amisit Filium suum in Hierusalem quærens ipsum per totum triduum : ratio est. Nam secundùm *Augustinum primo de Civitate cap.* 10. quanto quis magis diligit rem: tanto magis dolet ejus amissione. Et quanto res majorem lætitiam causat in corde in ejus possessione , tanto majorem dolorem causat in corde in ejus amissione: Cum ergo constet , quòd *Virgo Maria* magis dilexit Christum , quàm aliqua alia mulier filium , aut patrem , aut matrem, aut fratrem suum , nec aliam rem mundi: Ergo sequitur , quòd *Virgo Maria* magis perdoluit , & majorem & intentiorem dolorem in corde passa est per totum illud triduum non reperiens filium suum amissum , quàm unquam alia mulier passa fuerit in amissione filii sui , nec alicujus alterius rei perditæ & amissæ : qui quidem dolor semper fuit cum grandi timore , ne *Archelaus* , & cæteri successores *Herodis* occiderent filium suum : & sic etiam *Virgo Maria* in qualibet absentia Christi semper fuit cum simili cordis dolore : per quod patet secundùm genus martyrii ejus.

Tertium genus martyrii *Virginis Mariæ*

riæ fuit: quia passa fuit atrociora tormenta realiter in anima, quàm unquam alter Martyr passus fuit in carne propter Christum: propter quod *Virgo Maria* non fuit metaphoricè, sed realiter martyr. A

Martyrium in anima.

Ad cujus intellectum est valde advertendum: quòd martyrium, sive tormentum est tantùm materialiter in corpore, sed formaliter in anima: ideo magis & perfectiùs est in anima, quàm in corpore: unde dolor secundùm *Avicennam* nil aliud est nisi quædam passio causata in anima ex corpore & carne, quam informat, & cui personaliter jungitur: ratione cujus conjunctionis & unitatis omnis disconvenientia carnis causat dolorem in anima, & quandam tristitiam, quandoque intolerabilem, secundùm majorem disproportionem & disconvenientiam factam in carne, B & secundùm excessum disconvenientiæ partium carnis: qui quidem excessus disconvenientiæ causatur in carne propter nimiam dilatationem, sicut accidit in torturatis: aut propter nimiam macerationem, sicut accidit in percussis & flagellatis: aut propter divisionem partium carnis, sicut accidit in vulneratis: aut per fractionem ossium, aut delocationem eorum: aut per contractionem nervorum, sicut accidit in spasmo: aut per disconvenientiam humorum, sicut accidit in febricitantibus &c. Unde sicut convenientia partium corporis causat quietem in anima: ita disconvenientia causat dolorem in eadem anima. Et hoc causatur propter amorem naturalem animæ ad corpus quod informat, & quod est instrumentum medium C suarum operationum. Sed quia anima magis est ubi amat, quàm ubi informat, ut inquit *Augustinus*, eò quòd amor transformat amantem in amatum, & in eo extasim facit, ut inquit *Dionysius*: Hinc est, quòd potest aliquis tantùm amare alterum, quòd oblitus sui, magis erit in altero, quàm in seipso secundùm æstimationem: & sic magis dolebit in passione & tormento alterius, quàm in suo: quia magis percipit alium, quàm seipsum pro illo tempore: & sic patitur in amato, magis quàm in seipso. Et per consequens major erit in eo compassio amati, quàm passio sui ipsius. Sicut Christus in medio flagellorum, & in cruce magis compatiebatur generi humano, quàm sibi ipsi: & sic in eo major D erat compassio, quàm passio. Et hoc accidebat propter nimiam charitatem qua nos diligebat, prout dictum fuit Psalm. 21.

Cum ergo simus certi, quòd *Virgo Maria* diligebat Filium suum super omnia, & per consequens magis quam seipsam, quia in charitate Christi excedit omnes alias creaturas: *Virgo Maria* in tantum erat amore & charitate transformata in Christum Filium suum, quòd quandoque per extasim & excessum magis erat in Christo, quàm in seipsa quoad operationes animales: quia sensus totaliter abE sorptus sequebatur voluntatem rationalem: & sic oblita sui ipsius, dolebat in amato: immò magis dolebat realiter in verberibus & flagellis & vulneribus Christi in anima sua, quàm si ipsa passa fuisset illa vulnera & flagella in carne sua: quia passio Christi amati magis penetrabat animam Virginis, quàm tormenta *Laurentii* & *Vincentii* penetraverint animas eorum, propter rationes jam dictas. Et ideo dixit *Simeon* Virgini Mariæ: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, id est, gladius & dolor passionis ipsius Filii tui pertransibit, & penetrabit, & torquebit animam tuam. Et sic patet, qualiter *Virgo Maria* fuit passa realiter martyrium in Christo F quoad animam, ubi realiter & formaliter est dolor. Et per consequens in tantum *Virgo Maria* fuit magis & altior martyr pro Christo, quantùm vehementiùs & atrociùs fuit passa in anima, quàm *Laurentius* & cæteri martyres in carne: qui quidem dolor animæ Virginis etiam redundabat in carnem: quia *spiritus tristis desiccut ossa*, *Prov.* 17.

Ex quibus patet, quòd magis debetur aureola martyrii Virgini Mariæ, quàm alicui aliorum martyrum. Et hæc est causa, quare Christus non permisit, ut Virgo Maria per martyrium transiret ad aliam vitam, sicut cæteri Apostoli: eò quòd jam passa fuerat martyrium cum eo in passione sua, ut infra patebit. Nam cum cæteri Apostoli relicto eo omnes fugissent in G hora passionis, tamen sola Virgo numquam ipsum dereliquit, tamquam comes & particeps ejus passionis. Sed quia *Joannes* Euangelista monitu & exhortatione Virginis Mariæ reversus est ad Christum cum societate Virginis Mariæ, & aliarum mulierum: ideo Christus non permisit, ut *Joannes Euangelista* & *Magdalena*, & cæteræ mulieres discederent ab hoc sæculo cum martyrio: eò quòd omnes fuerunt passi cum Christo juxta crucem & sepulchrum. Sed quia passio eorum, licèt fuit meritoria, tamen non fuit comparanda passioni Virginis Mariæ: ideo Christus non permisit corpus *Mariæ* in sepulchro incinerari; sed tertia die ipsam ad gloriam suscitavit, ut infra patebit. Et per hoc patet nona H dignitas *Virginis Mariæ*, qua ipsam Christus dignificavit & magnificavit.

Maria in anima & corpore est in cœlo.

Decima dignitas singularis Virginis fuit: quia Christus non permisit corpus ejus in sepulchro incinerari, sed tertia die ad instar sui in corpus glorioſum ipsam resuscitavit, & secum in gloria cœlesti collocavit.

Et hoc fecit multiplici ex causa: quarum prima fuit, mera Dei voluntas: eò quòd ad hanc dignitatem, & cæteras alias, eam ab æterno prædestinaverat. Et quia

ante legem datam de incineratione & resolutione omnium aliorum, priùs ex speciali privilegio eam à tali sententiâ exemerat, quando dixit serpenti, *Ipsa conteret caput tuum*: nam ipsa *Maria* in tantum contrivit caput serpentis, quòd sicut non potuit mordere ipsam morsu culpæ originalis, nec morsu concupiscentiæ, nec morsu ærumnarum, & corruptionis mentis, nec carnis: ita non potuit mordere ipsam morsu doloris in morte, nec incinerationis in carne: quia illa sacratissima anima sine dolore, immò cum summo gaudio ad tempus separata fuit à corpore cum desiderio videndi gloriam, & cum certa spe recuperandi corpus glorioſum in brevi, prout ipsi fuerat à Filio suo promissum. Ideo illa mors non fuit dolorosa, nec tristis, sed læta, & felix, & gloriosa.

Secundò, hoc fuit factum in præmium singulare & speciale. Nam postquam *Virgo Maria* inter cæteros homines mundi fuerat ministra Christi, & secreta cubicularia & cameraria, & præ cæteris cum labore servierat, & præ cæteris fuerat passa supradicta tria genera martyrii propter Christum; scilicet, martyrium persecutionis, & dolorum, & tormentorum, eo modo quo dictum est, simul cum Christo in illa passione: ergo ratio fuit ne iterum torqueretur in morte, sed sine dolore & tristitia discederet, & tertia die ad instar Filii sui in corpus glorioſum resurgeret: ut sicut fuerat socia passionis, ita esset socia resurrectionis & gloriæ Christi.

Alia autem causa fuit, in quantum Christus tamquam Filius debuit honorificare Matrem suam, in quantum erat eadem caro matris & filii. Et sic possunt assignari omnes illæ decem causæ, quas assignat *Augustinus in libello de Assumptione Virginis*, quibus probat, *Virginem Mariam* non fuisse in sepulchro incineratam; sed in brevi, sicut Filius, in corpus glorioſum fuisse suscitatam per Filium, & in supremo cœlo cum Filio collocatam. Et per hoc breviter patet decima dignitas, qua per filium Virgo Maria fuit magnificata.

Maria super Choros Angelorum exaltatur.

Undecima dignitas Virginis Mariæ fuit: quia super omnes choros & hierarchias Angelorum, & omnium Beatorum meruit exaltari & collocari immediatè post Jesum Christum Filium suum, prout canit Ecclesia, & prædicant omnes sancti Doctores.

Et hoc multiplici ratione: quarum prima est: Quia eodem ordine fuit in cœlo collocata immediatè post Filium, quo ab æterno fuit prædestinata. Et ideo sicut Deus ab æterno præscripsit eam in libro prædestinationis immediatè in secundo gradu post Jesum Christum hominem; & prædestinavit eam ad gratiam, ut esset sanctior universis creaturis post Jesum Christum, & ut esset Mater Dei, & superaret omnes creaturas in sanctitate & dignitate in hac vita: Ita collocavit eam in patria super omnes creaturas immediatè post Dominum nostrum Jesum Christum Salvatorem nostrum: quia ordo glorificationis sequitur ordinem & gradum prædestinationis: eò quòd prædestinatio respicit glorificationem, tamquam finem ultimatum cujuscumque creaturæ rationalis. Nota.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd quando dicitur, quòd prædestinatio est ab æterno ad gratiam præparatio, non est intelligendum, quòd gratia sit finis prædestinationis; sed dispositio ad finem: nec prædestinatio respicit gratiam tamquam finem ultimatum, sed tamquam dispositionem ad finem ultimum, qui est glorificatio & beatificatio. Nam secundùm Apostolum ad *Rom.* 8. *Quos Deus* ab æterno *prædestinavit*, *hos* & Filius per gratiam *vocavit*, ex tempore, supple: *& quos vocavit*, *hos* idem Filius *justificavit*: *& quos justificavit illos & glorificavit*, supple, per gloriam in cœlo.

Ex quibus patet, quòd licèt glorificatio sit finis ultimatus in executione: tamen est à Deo primariè intentus secundùm æternum propositum suæ voluntatis: ad *Ephes.* 1. Et ideo prædestinatio nil aliud est, nisi præparatio gratiæ secundùm æternum propositum, per quam quis possit consequi futuram felicitatem in cœlo, secundùm gradum gratiæ & charitatis sibi collatæ in via: quia ejusdem est intendere finem, & præparare ea quæ sunt & disponunt ad finem. Et ideo sicut Christus sublimaverat Virginem Matrem suam in supremo gradu omnium gratiarum, & meritorum, & dignitatum in hac vita, secundùm quòd Deus Pater ab æterno eam prædestinaverat: ita collocavit & sublimavit eam in supremo gradu Christus immediatè post seipsum in gloria cœlesti.

Item, sicut Dei est præparare gratiam ab æterno, & ex tempore per Christum eam conferre: ita hominis est, per talem gratiam operari, & mereri in hac vita vitam æternam in futurum. Sed quia *Virgo Maria* à principio sui meruit vitam æternam per quandam excellentiam in omni statu & ætate super omnes gradus & ætates, & super omnes cujuscumque status, & ætatis, & gradûs in hac vita: Ergo per quamdam excellentiam fuit collocata in gloria cœlesti in supremo gradu post Christum super omnes alios status, & ordines, & hierarchias omnium aliarum creaturarum. Et hoc patet, discurrendo per omnes ætates, & status Virginis Mariæ: quia in quolibet statu meruit super omnes creaturas. Unde dictum est in *secun-*

cunda dignitate Virginis Mariæ : quòd ipsa fuit sanctificata in primo instanti sui esse per supremam gratiam habitualem in A supremo gradu post Christum : Ergo sequitur , quòd in eodem instanti jam meruit supremum gradum gloriæ post Christum super omnes sanctificatos : & hoc , ex solis meritis passionis Christi.

Item , dictum est *in secunda dignitate* , quòd usus liberi arbitrii fuit acceleratus in Virgine Maria in utero Matris ante nativitatem ; & post nativitatem in sua infantia & pueritia , & per consequens habuit propriam operationem meritoriam, postquam operabatur per gratiam confirmatam & ad propositum.

Maria in utero merebatur.

Ex quo patet , qnòd Virgo Maria jam incœpit mereri vitam æternam in utero Matris super omnes sanctificatos in utero , in quibus usus liberi arbitrii fuit acceleratus : & sic etiam per tale liberum arbitrium acceleratum meruit in sua infantia & pueritia operando per gratiam à proposito super omnes infantes & pueros : quia secundùm gradum gratiæ & charitatis est meritum operationis propriæ. Et sic Virgo Maria in sua infantia & pueritia jam excellenter meritoriè operabatur & merebatur in sua operatione , ut dictum est : & sic jam meruit coronam gloriæ excellenter super omnes infantes & pueros illius ætatis & status. B

Item , dictum est *in quarta dignitate*, qualiter Virgo Maria fuit singularis in sua desponsatione & conjugio : quia simul cum C virginitate servavit fidem conjugalem super omnes conjuges , & fidem virginalem super omnes virgines. Et ideo meruit coronam virginalem super omnes virgines, servando ea quæ virginis sunt , & pertinent ad statum virginalem. Ita etiam meruit coronam conjugalem super omnes conjuges , servando fidem & statum conjugalem. Item , eodem modo meruit coronam super omnes concipientes , & prægnantes , & parturientes , & lactantes , & Christo ministrantes , & servientes : quia nulla mulier cum tanta diligentia & charitate nutrivit filium suum ; & nullus & ministris Christi cum tanta charitate , & cum tanta familiaritate & diuturnitate , & D cum tanto labore ministravit Christo , sicut fecit Maria , prout dictum est. Item, meruit aureolam super omnes Martyres & Apostolos , & Doctores : quia omnes superavit in martyrio , & fide & doctrina, prout dictum est. Item , meruit super omnes viduas coronam post obitum *Joseph*, & post Christi ascensionem , vivendo in statu viduali , exemplo vitæ & doctrinæ alios docendo. Unde totum spatium temporis ab ascensione Christi usque ad obitum suum , *Virgo Maria* distribuebat in duas partes. Nam in una parte temporis occupabatur in vita activa , scilicet , eleemosynas largiendo , & jejunando , & loca sancta quotidie visitando. In E alia autem parte temporis occupabatur circa vitam contemplativam in orationibus & mediationibus rerum divinarum; putà , contemplando mysterium Incarnationis & conversationis Christi in hac vita , & mysterium nostræ redemptionis , & contemplando gloriam Filii sui , & omnium Beatorum , in quorum societate frui desiderabat. In qua quidem contemplatione sæpè consolabatur familiari consortio Angelorum & colloquio. Et etiam sæpè rapiebatur in spiritu , magis quam *Magdalena* , usque ad tertium cœlum. Et sic *Virgo Maria* in vita activa meruit super omnes activos , & in contemplativa super omnes contemplativos. Ultimò autem F meruit in suo obitu super omnes ab hoc sæculo discedentes : quia cum majori charitate discessit , & cum majori desiderio cupiebat dissolvi , & esse cum Christo. Et sic patet , qualiter in merito excessit omnes status hominum & ætates.

Et non solum excessit in merito omnes status hominum , sed etiam omnium Angelorum. Nam licèt fuit æqualis Angelis in puritate , tamen superavit celsitudinem omnium Angelorum in charitate , & divinæ maternitatis dignitate , ut inquit *Augustinus*: & ideo *Virgo Maria* meruit hierarchiam non solum super omnes status hominum , sed super omnes ordines & hierarchias Angelorum in potioribus bonis Christi Filii sui : eò quòd per quam- G dam excellentiam meruit , & adepta est coronam gloriæ super omnes status , & super omnes conditiones hominum & Angelorum. Ideo in die ejus Assumptionis cantat ipsi Ecclesia in Lectione Missæ illud *Ecclesiast.* 24. *In omnibus requiem quæ sivi* , & *in hereditate Domini morabor &c.* quasi dicat Virgo Maria : Ego quæsivi requiem, vitæ æternæ in omnibus statibus , & ætatibus , & in omnibus conditionibus , & operationibus meritoriis. Sed quia in omnibus illis merui coronam vitæ per excellentiam super omnes homines & Angelos ; ideo *morabor* in æternum *in hæreditate Domini* , id est , in potioribus bonis filii mei super omnes or- H dines & hierarchias omnium hominum & Angelorum. Et sic etiam cantat ipsi Ecclesia : *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.* Item , *Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum , in quo Rex regum stellato sedet solio.* Et sic patet undecima dignitas Virginis Mariæ , qua dignificavit & magnificavit eam Filius ejus in fine sui cursus & peregrinationis , quæ est finis aliarum dignitatum.

Maria pro peccatoribus intercedit.

Sed adhuc restat *duodecima dignitas* , quam singulariter exercet *Virgo Maria* erga peccatores clamantes ad se , pe-

reginantes in hoc sæculo : quæ dicitur *dignitas intercessionis*, per quam Virgo Maria sola dicitur *Mater gratiæ & misericordiæ*, & *advocata peccatorum*, & *mediatrix inter nos & Christum*. Nam sicut Deus Pater constituit Christum hominem mediatorem inter homines & Deum; propter quod homo Christus Jesus dicitur *mediator Dei & hominum* per Apostolum, & dicitur *advocatus apud Patrem*, ad *Hebræos*: Ita pariter Christus caput Ecclesiæ constituit *Virginem Matrem* suam advocatam & mediatricem singularem inter nos & ipsum. Unde Christus dupliciter dicitur *mediator Dei & hominum*, in quantum homo : primò, quia est medius in dignitate, quia minor Patre secundùm humanitatem, & major & dignior omni homine & Angelo : & ideo consentaneum est, quòd sit medius intercessor & redemptor inter nos & Deum. Item, quia est Dei Filius super omnia dilectus : quia gratia & remissio non datur, nisi intercessione alicujus prædilecti, ut teneat medium inter bonificatorem & bonificandum. Propter has ergo duas causas Christus constituit Virginem Matrem suam mediatricem inter nos & ipsum.

Nam primò est minor Filio, sed major omni aliâ creaturâ in gratia & gloria, & in omni dignitate, ut dictum est. Secundò, quia est sibi Mater, & prædilecta super omnes alias creaturas : & ideo numquam negat ipsi petitionem : nam sicut præ cæteris filius diligit matrem; ita non potest negare ipsi petitionem : quia amor & dilectio est causa impetrationis cujuscumque rei postulatæ. Item, *Virgo Maria* præ cæteris diligit Filium suum, & præ cæteris ipsi ministravit : ergo Filius non potest ipsi negare vicem amoris & retributionis, quin audiat eam, & annuat ipsi in omni justa petitione, ex privilegio ipsi concesso : eò quòd constituit eam mediatricem &c.

Unde est valdè advertendum, quòd propter conservationem reipublicæ militantis, & ad reparationem reipublicæ triumphantis, & complendum numerum electorum, necesse fuit, ut constitueret Christus mediatricem Virginem Matrem suam inter nos & ipsum, postquam ejusdem est tendere in finem, & præparare & disponere ea quæ sunt ad finem. Unde manifestum est, quòd omnes peccatores peccant contra Deum Patrem per inobedientiam, prævaricando ejus præcepta : & ideo per talem culpam merentur pœnam æternam, & etiam temporalem : quia propter culpam occultam merentur pœnam æternam in futuro; sed propter peccata publica merentur pœnam æternam in futuro, & pœnas temporales in præsenti : de quibus nemo potest liberari, nisi per intercessionem Christi mediatoris. Sed quia omnes peccatores post Baptismum ultra hoc quod peccant per inobedientiam contra Deum Patrem, peccant etiam graviter per ingratitudinem contra Filium, eò quòd eos redemit per suam passionem, & fecit eos suæ passionis participes per Baptismum, & ideo peccando post Baptismum videntur contemnere & despicere passionem Christi, & sic nullus peccator meretur, quòd Christus ampliùs intercedat pro ipso apud Patrem, sine cujus intercessione nemo potest liberari à pœna æternâ, nec temporali, nec culpâ, quam ipse voluntariè perpetravit : ideo fuit necesse, ut Christus constitueret Matrem suam prædilectam mediatricem inter nos & ipsum, ut in similibus casibus intercedat pro nobis inter nos & ipsum, & mitiget iram ejus propter talem ingratitudinem, & ut Filius placatus precibus Matris intercedat pro nobis apud Patrem. Et ideo dicit *Beatus Bernardus*, quòd *sicut Filius pro nobis semper ostendit Patri latus & vulnera: ita Mater Filio pectus & ubera.*

Et hoc videmus manifestè de multis devotis *Virginis Mariæ*, qui in gravibus peccatis & sceleribus laborantes, tamen finaliter venerunt ad pœnitentiam; & etiam inter peccata liberantur à magnis malis & periculis temporalibus, ne pereant in eis, sed perducantur ad finalem pœnitentiam.

Item, videmus quasdam civitates, & populos, & oppida, quæ propter peccata publica patiuntur multa discrimina, & persecutiones, & infirmitates, & adversitates : sed quia Divina Officia Virginis Mariæ in eis frequentantur, & devotè celebrantur; ideo miraculosè ab illis adversitatibus liberantur, nec puniuntur quantum eorum scelera merentur. Quod non fit, nisi propter juges preces *Virginis Mariæ* fusas pro devotis ejus apud Filium, qui placatus precibus Matris intercedit pro nobis apud Patrem. Et sic in hac peregrinatione non relinquitur nobis aliud refugium in nostris tribulationibus & adversitatibus, nisi recurrere ad *Virginem Mariam* mediatricem, ut velit placare iram Filii, qui permittit nos flagellari propter ingratitudinem.

Et hoc probat *Augustinus in lib. Cur Deus homo*, dicens : „ *Est adhuc quoddam singulare præsidium & refugium post Deum, & maxima fiducia quam in illo regno habemus.* Reginam, scilicet, „ sororem nostram, & Dei genitricem „ semperque Virginem Mariam, quæ non „ cessat apud Deum pro hominibus sem„ per intervenire, & maximè pro illis, „ quos Filium suum congruè imitari vi„ det; & pro illis qui aliquando de malo „ ad bonum redire volunt. Credere au„ tem indubitanter possumus, quoniam „ non est aliquid, quod filius Matri suæ

„ pe-

„ petenti debeat negare, aut velit. Hæc
„ est *Virgo Maria*, de qua processit *Dei*
„ *Sophia*, quæ peccatoribus satis est pia, A
„ per quam patescit salutis via. Qui ergo
„ ab ea auxilium postulaverit, & postulans
„ perseveraverit, numquam ab ea vacuus
„ recedet. Frustra enim alios sanctos ora-
„ ret ille, quem ista non adjuvaret: & ut
„ magis dicam, quod alii sancti minimè
„ auderent, hæc quadam congruenti au-
„ thoritate à Filio postulans obtineret. Hæc
Augustinus. In quibus verbis nobis ostendit, quòd Christus post se hoc singulare refugium nobis reliquit, & quomodo post Christum hanc Virginem habemus advocatricem, quæ pro nobis intercedere non cessat: & quomodo ratione affinitatis maternalis & filialis dilectionis, nil Christus potest ipsi negare. Ergo semper ad ipsam B ante omnes sanctos est recurrendum. Et hæc est ultima & singularis dignitas qua Christus dignificavit & magnificavit Virginem Matrem suam: quia constituit ipsam mediatricem inter nos & ipsum.

Duodecim ergo sunt dignitates & privilegia singularia *Virginis Mariæ*, quibus Christus Filius ejus super omnes aliàs creaturas eam dignificavit & magnificavit. Primò, quia singulariter eam ab æterno prædestinavit. Secundò, quia singulariter eam in sua creatione sanctificavit, & ab omni peccato præservavit. Tertiò, quia in utero Matris in ea usum liberi arbitrii & rationis singulariter ad merendum acceleravit. Quartò, quia in ejus conjugio fidem virginitatis simùl cum fide conjugali servavit. C Quintò, quia singulariter sine viro & corruptione concepit, & absque omni ærumna cum virginitate peperit. Sextò, quia in tali conceptu & partu Mater Dei est effecta. Septimò, quia in illa obumbratione Spiritus sancti intellectum purgatum & heroicum est adepta, & Propheta & Euangelista simul effecta. Octavò, quia familiariùs, & diutiùs & laboriosiùs Christo ministravit. Nonò, quia coronam, & aureolam martyrii super omnes Apostolos & Martyres est consecuta. Decimò, quia à sententia incinerationes fuit excepta. Undecimò, quia super omnes hierarchias hominum & Angelorum in cœlo immediatè post Filium est collocata & exaltata. D Duodecimò, quia mediatrix inter homines & Christum in singulare præsidium est constituta. Hæc ergo *Virgo Maria* Mater Dei est illa mulier amicta sole, & habens lunam sub pedibus suis, quam vidit *Joannes* in *Apocalypsi*. Et hæc est illa corona & diadema stellarum duodecim in capite ejus: quæ sunt duodecim dignitates & privilegia, quæ per gratiam meruit *Virgo Maria*, quibus correspondent duodecim præmia in gloria: & ideo sicut istis duodecim dignitatibus dignificavit & magnificavit Christus Virginem in hoc sæculo per gratiam, & in cœlo per gloriam, propter quas, omnes generationes prædicant E eam beatam: ita ipsa in hoc Cantico agendo gratias magnificat Deum, dicens: *Magnificat &c.* quasi dicat: *anima mea magnificat Dominum, qui potens est, & sanctum nomen ejus*, propter ista duodecim magna privilegia, quæ fecit mihi: quia *ex hoc*, quia *fecit mihi ista magna, omnes generationes dicent me beatam.* Et hoc de secundo principali quæsito.

Responsio ad tertium.

Sed nunc restat respondere ad tertium principale quæsitum, scilicet: Quare Virgo Maria dixit in hoc Cantico, quòd omnes generationes debebant ipsam dicere & prædicare beatam per supradicta duodecim privilegia & dignitates: cùm nos videamus Judæos ipsam blasphemantes? &c.

F Ad hoc respondetur: quòd ista tria nomina, scilicet *gentes*, *nationes*, *& generationes*, communiter in Sacra Scriptura significant populum Gentilem, qui vivebat secundùm naturam & carnem, & non secundùm legem Dei: ut dictum est per totam Expositionem libri Psalmorum: quæ quidem gentes & generationes erant venturæ ad fidem Christi, & debebant fieri *filii Israel* & *Abrahæ* secundùm spiritum, & laudare nomen Domini, & Deum Israel, & Messiam in lege promissum, ut videmus esse completum: quæ quidem generationes sicut nunc laudant *nomen Domini*, qui est *Christus* Verbum incarnatum: ita pariter laudant Virginem Matrem ejus, & *dicunt eam beatam.* Quæ G quidem generationes licèt non simul venerunt ad fidem, sed sicut successivè venerunt per omnes partes mundi: ita successivè laudaverunt nomen Domini, & *beatam dixerunt* Matrem ejus: quia non fuit aliquod regnum, nec provincia, qui non venerit successivè ad fidem Christi: sicut dictum est *Psalm.* 71. & 109. & sic Judæis reprobatis blasphemantibus Christum, & Matrem ejus, omnes generationes populi Gentilis venerunt ad fidem, & laudarunt Christum, & *beatam dixerunt* Matrem ejus.

Gentes &c. id est Gentiles.

Sed quia nostris demeritis exigentibus *Arabia*, quæ in multis hæresibus laborabat, recessit à vera fide Christi fraude H Mahometi, & suorum, & incidit in istam sectam, quæ postea majorem partem mundi decepit & usurpavit: ideo in magnam partem fuit perturbata à vera laude Christi, & Virginis Matris ejus, eò quòd negat Christum esse Deum. Sed non tantum fuit perturbata, quin dicat Christum sanctum super omnes homines, & Filium spiritus Dei, & *Virginem Mariam* beatam super omnes mulieres, & super omnes generationes. Asserunt etiam Christum esse maximum Prophetam, sanctum super omnes sanctos, & sapientem super omnes sapientes, & Prophetam super omnes Pro-

phe-

phetas, & potentem in miraculis super omnes potentes, natum ex Virgine sine patre. A

Nota de Mahometo. Unde *Mahometus* volens commendare seipsum, & authorizare fraudem suam, finxit in *Alcorano* suo, *in capitulo filiorum Israel*: quòd quadam die dum erat in oratione, fuit raptus ab Angelo Gabriele, & portatus à *Mecha* in *Hierusalem*, & exinde ascendit in cœlum cum Angelo usque ad oratorium Dei, à quo accepit librum *Alcorani*: quod interpretatur *collectio præceptorum Dei.* Et ideo communiter introducit Deum ad loquendum quasi per totum Alcoranum. Et sic in *Capitulo Elbachera* dicit Deus: *Dedimus Jesum Filium Mariæ, ut faceret prodigia & miracula manifesta: & fecimus eum per Spiritum sanctum.* Item infrà dixit: *Insufflavimus in Mariam de spiritu nostro.* B Item ibidem dicit, quòd *Christus fuit suæ Matri per Angelum annuntiatus, & per Spiritum sanctum sanctificatus, & conceptus ex virtute Dei de Matre Virgine sanctissima & purissima super omnes mulieres.* Item in *Capitulo Elmeide* dicit Deus: *Limitavimus vestigia omnium hominum per Jesum Filium Mariæ veracissimum patenter: & dedimus ei Euangelium, in quo est vera directio, & lux, & veritas manifesta.* Et sic *Mahometus* quandoque appellat Christum *Verbum Dei*: quandoque *Spiritum Dei* & *nuntium Dei*: quandoque *animam Dei:* sed non vult appellare ipsum Deum, concordando cum Hæresi Ariana. Item, in commendationem Virginis Mariæ dicit in C *Capitulo Amaram*: quòd *dixerunt Angeli ad Mariam: O Maria, Deus prætulit te super omnes mulieres: O Maria, Deus euangelizat tibi de Verbo suo: & nomen Christus Jesus Filius Mariæ.*

Item in *Capitulo Elnessa* dicit: *Non dicatis de Deo nisi veritatem: quia Jesus Filius Mariæ est nuntius Dei, & Verbum Dei, quod ipse posuit in ea per Spiritum sanctum*: & sic dicunt omnes *Alfaquini*, id est, Doctores Saracenorum: quòd postquam Deus & Angeli, & Mahometus appellant *Virginem Mariam* sanctam & beatam, quòd sit anathema omnis ille, qui eam non fuerit veneratus. D Unde quidam *Alfaquinus* vocatus *Aben-Rodoam*, volens exponere illa verba, quæ dixerunt Angeli ab Beatam Mariam, scilicet, *ò Maria Deus prætulit & elegit te super omnes mulieres &c.* dicit in suo libro, quem intitulat *librum Mariæ*, quòd *illa verba tamquam consolatoria dicebant Angeli tripudiantes in partu Virginis Mariæ, lætificantes eam de Filio suo magno Propheta, quem in virginitate pepererat.* Item dicit in eodem libro: quòd *quando Herodes cum suis militibus quærebat puerum Jesum in Bethlehem & Hierusalem, ut interficeret eum cum cæteris innocentibus, tunc Virgo Maria transibat inter eos cum puero in ulnis: & non videbant puerum, nec Matrem: eò quòd Angeli obcæcabant eos: & sic Virgo Maria transivit illæsa usque ad fines Judæ, intrans in Ægyptum.* E

Nota &c. Saraceni dicunt Mariam sanctam.

„Item dicit: quòd quidam agricolæ „annuntiaverunt Herodi, qualiter vide„rant Mariam fugientem cum puero in „Ægyptum, quo audito, Herodes con„festim misit milites qui occiderent In„fantem, & Matrem. Qui quidem milites „insequentes in descensu cujusdam collis, „viderunt *Joseph* cum *Maria* & Infante *Nota de fuga in Ægyptum* „in fundo vallis juxta quendam fontem: „tunc, concito passu incœperunt currere „contra eos: quos videns *Maria* dixit F „ad Infantem: O Fili, ecce milites He„rodis veniunt ad interficiendum te & „me: Ergo salva temetipsum & me. Erat „autem ibi juxta fontem quædam anti„quissima ficulnea habens truncum gros„sissimum, & latum, & concavum ex „nimia antiquitate: ad quam ficulneam „se appodiavit Virgo Maria tenens In„fantem in brachiis: quæ quidem ficul„nea illico se aperuit in duas partes ad „tactum Virginis Mariæ: & tunc Maria „cum Infante posuit se intra ficulneam „apertam: quæ statim iterum clausa est, „occultans Matrem cum puero. Venien„tes autem milites ad fontem, non in„venerunt, nec viderunt, nisi solum Jo„seph cum asino: Qui dixerunt: ubi est „mulier, quam prospeximus de colle te- G „cum existentem juxta fontem cum puero in „manibus? Quibus Joseph respondit; „nescio. Vos videtis nullum mecum esse, „nisi asinum cum ista ficulnea: forsan ista „ficulnea visa est vobis mulier. Tunc mi„lites putantes se delusos in visu, reversi „sunt viâ quâ venerant: & sic iterum „apertâ ficulneâ, Maria exivit illæsa: & „sedens super asinum profecta est in Ægyp„tum simul cum Filio & Joseph.

„Item dicit ulterius: quòd Maria per„venit cum puero ad locum prope mag„nam civitatem, quæ nunc dicitur *Cayre*, „ubi est fons, ex cujus aqua rigatur il„la vinea, ex quibus vitibus distillat bal„samum: in quo fonte *Maria* quotidie H „lavabat pannos pueri Jesu, & lavabat „seipsam antequam faceret *Zala*, id est „orationem. Et ideo firmiter credunt om„nes Saraceni: quòd ideo sola aqua illius „fontis est utilis, & habet virtutem ad ri„gandum illam vineam; eò quòd *Virgo Maria* lavabat se, & pannos Jesu in illo „fonte; & ideo nulla alia aqua habet illam „virtutem, præter illam. Et hinc est quòd „nullus Saracenus audet se lavare in illo „fonte ante orationem: dicunt enim, quòd „nullus est dignus lavari in illo fonte, ubi *Virgo Maria* lavit se cum Filio suo.

„Item

Exempla.

„Item dicunt Saraceni : quòd dum „Virgo Maria fuit in illo loco Ægypti, nulla „mulier parturiens potuit periclitari , si „*Virgo Maria* imponeret ei manus : & „ideo omnes parturientes vocabant eam, „ut imponeret eis manus. Item dicunt: „quòd omnes mulieres habentes infantes „infirmos veniebant ad *Mariam* : & ipsa „imponebat manus infantis Jesu super „eos , & sanabantur à quacumque deti- „nebantur infirmitate.

Nota de sepulchro Virginis.

Item , ego audivi à fidedignis , qui causâ visitandi loca sancta fuerunt in Hierusalem , qualiter Saraceni venerantur valde sepulchrum *Virginis Mariæ*, quod est in *Valle Josaphat* ubi frequenter Saraceni faciunt *Zala* , id est orationem: immò dixit mihi quidam miles: quòd decies ivit in una die ad sepulchrum Virginis , ut faceret orationem , & numquam potuit intrare : quia semper inveniebat ibi Saracenos facientes orationem , qui non permittebant ipsum intrare : dicentes , ipsum non esse dignum intrare sepulchrum tantæ Virginis.

Unde Saraceni non habent in tanta veneratione sepulchrum Christi , sicut sepulchrum Virginis : eò quòd non credunt Christum fuisse mortuum , nec sepultum: immò dicunt , quòd quando Judæi voluerunt rapere Christum in horto , Angeli rapuerunt Christum in Cœlum: & ibi manet vivus in societate Dei usque ad *Anti-Christum :* quia tunc mittet eum Deus, ut interficiat Anti-Christum , ut dicit Mahometus *in Alcorano.* Immò dicunt quidam *Alfaquini* , quòd Jesus Christus non solùm interficiet Anti-Christum , sed etiam omnes Judæos , eò quòd voluerunt ipsum interficere.

Ex quibus omnibus patet , quòd licèt Saraceni decepti per Mahometum non habeant rectam fidem de divinitate Christi : tamen venerantur ipsum tamquam Verbum , & spiritum , & animam Dei , & nuntium Dei , & Prophetam super omnes Prophetas : & venerantur *Virginem Mariam* Matrem Christi , asserentes ipsam Virginem ante partum , & post partum esse purissimam , & sanctissimam super omnes mulieres *absque omni peccato* : immò si quis oppositum diceret , lapidibus obrueretur. Et sic prædicant ipsam beatam super omnes generationes.

Ex quibus patet : quòd non solùm omnes generationes populi Gentilis , quæ successivè per omnes partes mundi venerunt ad fidem Christi , *dixerunt Beatam Virginem Mariam* ; sed etiam modò tàm Saraceni , quàm Christiani omnes descendentes de generatione & natione populi Gentilis , dicunt & prædicant *Virginem Mariam* beatam & felicem , ut dictum est, licèt Judæi blasphement ipsam. Et hoc intendebat dicere Maria , cùm dixit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Quasi diceret : quòd Judæis reprobatis & in cæcitate obstinatis , *Beatam me dicent omnes generationes* , scilicet populi Gentilis , qui ad fidem convertentur. Et hoc declaravit *Maria* in sequentibus , cùm dicit , quòd Filius suus *dispersit* Judæos *superbos* : & *deposuit* eos *de sede* sacerdotali , *& exaltavit humiles* Gentiles credentes , & *implevit bonis* spiritualibus. Et sic omnes isti credentes & exaltati *dicunt Beatam Virginem Mariam.*

Hoc est ergo argumentum , quod Virgo Maria facit in prima parte hujus Cantici , scilicet , quòd quia Deus est Omnipotens , & *nomen ejus* est *sanctum*, quod est *Verbum incarnatum* , scilicet Jesus Christus Deus & homo : ideo *fecit magna mihi* Matri suæ , id est , magnis dignitatibus & privilegiis me magnificavit: & ideo *ex hoc beatam me dicent omnes generationes* conversæ ex populo Gentili, Judæis reprobatis : & ideo *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo* , prout latiùs patebit.

Et misericordia ejus à progenie in progenies , timentibus eum.

Luc. 1. & de Pœnit. dist. 1. c. Serpens.

HÆC est secunda pars hujus Cantici , in qua Virgo Maria magnificavit Deum in persona totius Ecclesiæ propter bona quæ tota Ecclesia recepit in adventu Christi : per hoc volens ostendere, quòd non solum ipsa obligatur Deum magnificare , eò quòd Filius suus eam magnificavit & dignificavit privilegiis & dignitatibus supradictis ; sed etiam tota Ecclesia obligatur Deum magnificare , eò quòd Christus eam redemit , & exaltavit, & multis bonis spiritualibus replevit & ditavit.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd quia dictum est supra , quòd Christus Filius Virginis est *nomen Dei potens & sanctum* , & per consequens continet in se essentialiter & naturaliter Omnipotentiam , & summam sapientiam , & justitiam , & misericordiam : & sic dicitur *brachium* Patris , & *sapientia* Patris : ideo venit in carne ad notificandam , & exercendam omnipotentiam , & sapientiam, & justitiam , & misericordiam in mundo in opere nostræ redemptionis.

Hoc ergo volens ostendere , quatuor facit Virgo Maria in hac secunda parte hujus Cantici. Nam primò dicit, qualiter Christus exercuit suam misericordiam erga timentes Deum & humiles in suo adventu. Secundò , qualiter exercuit suam potentiam contra *superbos* , eos *disperdendo* de *mente cordis sui.* Tertiò , qualiter exer-

exercuit ſuam juſtitiam, *potentes* ſuperbos & ingratos *deponendo de ſede*, & *humiles exaltando.* Quartò, qualiter ſuam A exercuit ſapientiam ſimul & miſericordiam, *eſurientes* humiles *replendo bonis*, & *divites* ingratos & ſuperbos *inanes relinquendo.* Secunda ibi: *Fecit potentiam.* Tertia ibi: *Depoſuit potentes.* Quarta ibi: *Eſurientes implevit bonis, & divites &c.*

Chriſtus in ſuo adventu oſtendit miſericordiã

Quartum autem ad primum eſt advertendum, quòd licèt Chriſtus venerit in carne ad oſtendendam & exercendam omnipotentiam, & juſtitiam, & ſapientiam, & miſericordiam; tamen principaliter venit ad oſtendendam miſericordiam ſuam in opere noſtræ redemptionis, de ſervitute & captivitate peccati nos liberando: quod non potuit fieri abſque om- B nipotentia, & ſapientia, & juſtitia. Ideo Patres veteris Teſtamenti omnes expectabant eum, ut faceret nobiſcum miſericordiam, nos à peccato liberando. Ideo dicebat David *Pſalm.*79. *Excita potentiam tuam, & veni: oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Item *Pſalm.*84. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.* Sed quia actus activorum ſunt in patiente diſpoſito; ideo oportet, quòd homo diſponatur per aliquam diſpoſitionem, ut ſit aptus ad talem gratiam & miſericordiam Chriſti, & remiſſionem peccatorum recipiendam. Sed quia humilitas eſt prima diſpoſitio & radix omnium virtutum & gratiarum, ſicut ſuprà dictum eſt; ideo oportet, quòd homo diſponatur per humilitatem ad gratiam & mi- C ſericordiam Chriſti capeſſendam. Unde ſicut ſuperbia reddit hominem ineptum ad omnem virtutem & gratiam recipiendam: ita humilitas reddit ipſum aptum & habilem ad omnem virtutem & gratiam capeſſendam, & remiſſionem cujuſcumque delicti, & veniam conſequendam: ideo dicit *Jacob. in Canonica* ſua, *cap.*1. *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam.* Item *Pſal.*17. *Tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Et ſic patet, quòd ſicut oportet quòd ex parte Dei ſit ſanctitas & miſericordia ad gratiam & veniam, & remiſſionem conferendam: ita oportet, ut ex par- D te hominis ſit humilitas ad talem gratiam & remiſſionem recipiendam, & merendam, & conſequendam: quia Deus reſpiciens humilitatem & timorem in homine, dat ipſi gratiam & veniam, & relevat ipſum à miſeria in qua eſt. Unde ſicut ſuperbis & temerariis negat veniam: ita humilibus & timentibus non negat miſericordiam & remiſſionem peccatorum.

Diſpoſitio ad gratiam neceſſaria.

Et ideo hæc eſt cauſa quare Chriſtus non uſus eſt miſericordiâ cum diabolo ſuperbo, & Judæis obſtinatis: quia eorum ſuperbia & temeritas non meruit veniam & remiſſionem: quia erant inepti & indiſpoſiti ad miſericordiam & veniam capeſ- E ſendam: & ſic non profuit eis miſericordia & paſſio Chriſti; ſed profuit omnibus humilibus & timentibus Deum, quales fuerunt omnes fideles, & Apoſtoli, & diſcipuli de populo Judaico, & converſi ad Fidem Chriſti de populo Gentili. Et hoc intendit dicere Virgo Maria in hoc verſu.

Unde ait: quòd ſicut Dominus, cujus nomen eſt potens & ſanctum, *reſpexit humilitatem* in ea, propter quam fecit ipſi magnalia ſupradicta: ita pariter *reſpexit humilitatem* & timorem in cæteris omnibus fidelibus: & ideo miſericordia ejus non ſubvenit, nec profuit ſuperbis, & temerariis, & impœnitentibus diabolis, & F Judæis obſtinatis: ſed profuit omnibus humilibus & fidelibus *timentibus eum* converſis, tàm de populo Gentili, quàm Judaico. Quæ quidem miſericordia proceſſit primò *à progenie* Judæorum in Apoſtolis, & cæteris fidelibus recipientibus Chriſtum ex illo populo; & ſucceſsit *in progenies* Gentilium prædicatione Apoſtolorum: & ita fructus redemptionis ſubvenit, & profuit ſucceſsivè omnibus timentibus Deum *à progenie in progenies*, & ab ætate uſque in finem mundi.

Ad hujuſmodi autem intellectum eſt advertendum, quòd iſta ſe habent per ordinem, ſcilicet *humilitas*, & *timor Dei*, & *charitas affectiva*, & *ſpes*: quia ultimum præſupponit primum, & per ordinem omnia ſequentia. Nam ex humilitate ſequitur G timor Dei, & ex timore ſequitur fides, & ex fide charitas, & ex ea charitate ſequitur ſpes: & ideo qui non habet humilitatem, nullum aliorum poteſt habere. Nam ſuperbus nec timet homines, nec timet Deum: & ſi non timet Deum, non credit: & per conſequens non diligit, nec ponit ſpem in eo. Sed ſi homo eſt humilis, timet divinum judicium, & per conſequens credit, & exinde amat Deum, & per conſequens ponit ſpem in eo.

Nota.

Ex quo patet, quòd *Fides*, quæ eſt principium virtutum theologalium, præſupponit & includit humilitatem cum timore. Et hanc humilitatem ſide, ſpe, & H charitate formatam oſtendit *Virgo Maria*, quando dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Et hanc *humilitatem reſpexit Deus* in ea, propter quam voluit ex ea carnem aſſumere, & propter quam *fecit ipſi magna* ſupradicta, eo modo quo dictum eſt. Et ideo dicit Maria: quòd ſicut Deus reſpiciendo in ea humilitatem fecit ipſi magna ſupradicta: ita reſpiciendo humilitatem, & timorem in omnibus fidelibus *à progenie in progenies, ejus miſericordia* profuit omnibus *timentibus eum*: eò quòd humilitas, quæ eſt radix omnium virtutum; & timor Dei, qui

eſt

qui est *initium sapientiæ*, est quædam dispositio ad recipiendam misericordiam Dei, & fructum, & effectum redemptionis. A

Quadruplex timor.

Sed est iterum advertendum, sicut dictum est *Psal.* 18. quòd quadruplex potest esse *timor*, scilicet *servilis*, *filialis*, *castus*, & *sanctus*. Aliter enim timet servus, aliter filius, aliter uxor, aliter vir justus & sanctus. Servus enim timet facere malum, ne verberetur à domino. Filius verò timet patrem, ne privet ipsum hæreditate. Uxor verò timet virum, ne separetur, & dimittat illam. Sed vir justus & sanctus timet peccare contra Deum, non propter aliquod proprium interesse, sed ne displiceat Deo, quem diligit in se, & propter se, & plusquam seipsum: quia vir sanctus oblitus sui ipsius, diligit Deum B super omnia; & si quid aliud diligit, illud diligit in Deo & propter Deum: & sic diligit se in Deo, & non principaliter in se: & iste talis *timor* est cum summa charitate, quæ *mittit foras* omnem servilem *timorem*, licèt includat timorem filialem & castum: quia timor sanctus etiam timet perdere Deum, & ejus hæreditatem. Est verum, quòd *timor servilis*, quo timent peccare mali formidine pœnæ, licèt non sit perfectus; tamen non est malus: eò quòd opponitur temeritati. Unde licèt talis timor non sit meritorius, tamen potest esse principium & via ad timorem filialem & castum & sanctum; quia trahit hominem ad alios tres sequentes timores se- C cundùm ordinem perfectionis: quia *timor servilis* trahit ad filialem, & filialis ad castum, & castus ad sanctum, qui constituit hominem in summa perfectione.

Unde sicut acus se habet ad filum, quia perforando trahit ipsum, conjungendo pannum unum cum altero; & missâ acu foras manent partes panni consutæ & junctæ per filum: ita pariter *timor servilis* formidine futuræ pœnæ pungit & penetrat cor hominis, & exinde trahit secum ad timorem filialem, ne perdat peccator gloriam Dei: & sic peccator jam magis adhæret Deo. Et exinde ille talis nititur recuperare Deum per pœnitentiam: & sic jam est in amore & timore casto & uxorali, timendo ne perdat Deum, & per D consequens gloriam ejus: & sic timebit ipsi displicere, solum propter ejus bonitatem. Et sic misso foras timore servili, manet anima hominis consuta & conjuncta Deo filo timoris & amoris sancti sub quadam extasi in Deum transformata, ut inquit *Dionysius*, & magis in Deo amato, quàm in corde quod informat & animat, ut inquit *Augustinus*.

Virgo autem Maria, licèt jam in sua prima sanctificatione fuerit à Deo disposita per humilitatem formatam fide, spe, & charitate, & per consequens timore filia-

li, & casto, & sancto; qui quidem timor E sanctus constituebat ipsam in summo gradu perfectionis; & respiciens Deus in ea hanc humilitatem sic formatam, fecit ipsi cætera magna sequentia, scilicet, Virginem cum fide conjugali, & cum fœcunditate, & Matrem Dei &c. tamen ad hoc quod Deus det homini gratiam gratificam ex meritis suæ passionis, oportet, & sufficit quod sit dispositus per humilitatem, formatam timore saltem servili & filiali, scilicet, quòd timeat pœnas futuras: & timeat perdere gloriam, quam Deus promisit diligentibus se; immò desideret talem gloriam, & gratiam per quam Deus dat talem gloriam: quod non potest fieri sine fide saltem informi: & tunc Deus informat illam fidem per charitatem & F spem firmam, & per consequens per gratiam. Sed quia Apostoli & cæteri Discipuli ad primam vocationem habuerunt talem humilitatem, & timorem, & fidem audiendo Christum, & populus Gentilis audiendo Apostolos: ideo sicut fides Apostolorum fuit postea firmata & formata per charitatem & gratiam; ita etiam & humilitas & fides Gentilium. Et omnibus istis profuit *misericordia* redemptionis Christi: semper præsupponendo, quòd Christus per gratiam prævenientem disponebat primò corda eorum per humilitatem, timore servili & filiali formatam, ad recipiendam gratiam redemptionis: quia cujus est introducere formam, ejusdem est dispo- G nere materiam & subjectum, ut dictum est.

Et ideo dicit *Virgo Maria*: quòd *misericordia ejus* & fructus redemptionis tantùm profuit sic *timentibus Deum*, & non resistentibus; & hoc, *à progenie in progenies*. Nam talis *misericordia* & fructus redemptionis, primò datus est Apostolis & Discipulis Christi, qui erant de *progenie* Judæorum: & exinde processit *in progenies* Gentilium per prædicationem Apostolorum & Discipulorum: & sic etiam transivit successivè ex una progenie & ætate in aliam usque ad magnum *Constantinum*, & exinde ab uno Regno in alterum, & ex una lingua in alteram, usquequo totus mundus pervenit ad fidem Chris- H ti: & sic in Catholicis Christianis perseverabit *à progenie* usque ad finem mundi: ubi recipiemus ultimam perfectionem, & præmium ex meritis passionis Christi in corpore glorificato & anima beata. Deinde cùm dicit:

**
*

*** *** ***
*** *** ***

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Lucæ 1. 17. q. 4. c. Miror, in Glossa.

EXplicat quod superiùs implicitè dixit, scilicet, quòd Deus omnipotens, cujus nomen est sanctum & misericors, usus fuit in sua misericordia cum solis humilibus *timentibus eum*; quia misericordia ejus solis timentibus Deum & humilibus profuit: hîc autem dicit, quòd Deus cum sit potens, non usus est misericordiâ, sed justitiâ & potentiâ cum superbis, & temerariis, & obstinatis Judæis, & cæteris infidelibus; eò quòd non solùm noluerunt recipere beneficium misericordiæ & redemptionis Christi; sed etiam ex nimia superbia & avaritia noluerunt disponi per humilitatem & timorem, nec audire prædicationem & legem Christi, quæ disponit ad gratiam redemptionis recipiendam. Et sic non solùm formam, sed nec etiam dispositionem voluerunt recipere: quia *noluerunt intelligere, ut bene agerent*; immò contempserunt, & toto conatu restiterunt, & gratis oderunt Christum, & crucifixerunt. Et ideo Christus non solùm punivit eos pœnâ damni, auferendo ab eis fructum redemptionis & regnum Dei, & dando ipsum timentibus eum, & populo Gentili facienti fructum humilitatis & fidei; sed etiam punivit eos pœnâ sensus & dispersionis & captivitatis in præsenti, & pœnâ æterni ignis in futuro. Et sic ostendit in eis *potentiam* puniendo, & non misericordiam redimendo.

Filius dicitur brachium.

Et hanc *potentiam* ostendit Deus Pater per Filium, qui dicitur *brachium Patris*. Nam Filius Dei incarnatus dicitur *nomen Patris*, in quantum Pater per ipsum Filium incarnatum seipsum mundo nominavit & manifestavit: & dicitur *misericordia Patris*, in quantum per ipsum, mundum redemit. Sed dicitur *brachium Patris*, in quantum per ipsum suam potentiam exercuit in miraculis faciendis, & in malis puniendis, & diabolis superandis. Et ideo dicit *Virgo Maria*: quòd Deus Pater non *fecit* misericordiam, sed *potentiam in brachio*; id est, cum Filio *suo* contra superbos Judæos, & Infideles: sed *fecit potentiam* & justitiam, eos puniendo, & sic *dispersit* eos *superbos mente cordis sui*.

Pharisæi superbi.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd Scribæ & Pharisæi, & sequaces eorum multipliciter fuerunt *superbi in mente*, & intentione cordis sui. Et ideo Christus multipliciter *dispersit* eos à superbia & intentu superbiæ *cordis sui*. Unde primò, Scribæ & Pharisæi erant superbi, gloriantes de propria naturâ carnali, & de generatione. Et ideo putabant, quòd soli filii *Abraham* & *Israel* erant salvandi, & debebant esse liberi ab omni servitute. Et ideo dixerunt Christo, *Joann.* 8. *Nos semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam.* Secundò, erant superbi in honoribus. Nam licèt ostenderent humilitatem exteriùs; tamen *intrinsecus erant lupi rapaces, Matth.* 5. & *quærebant primos accubitus in mensis, & salutationes in foro: & vocari ab omnibus Rabbi*, ut patet *Matth.* 23. Tertiò, erant superbi in dominio: quia timebant perdere *cathedram Moysi*, in qua judicabant judicia; & timebant perdere sceptrum, & sacerdotium, & emolumenta oblationum sacrificiorum. Et ideo dixerunt: *Si hunc dimittimus, venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem, Joann.* 9. Et ex tali superbia, & mala *mente cordis sui*, & mala intentione crucifixerunt Christum. Quartò, fuerunt superbi in *mente cordis sui*, & inflati intelligentiâ scripturarum. Nam sicut erant carnales & temporales, totam scripturam trahebant ad sensum carnalem, & ad lucrum suum. Et ideo noluerunt humiliari ad audiendam doctrinam Christi, qui scripturam legis & Prophetarum eis spiritualiter, & ad verum sensum declarabat, & contra eorum superbiam, & avaritiam, & cœcitatem prædicabant, ut patet per totum discursum Euangelicum. Et ideo timentes perdere sacerdotium & sceptrum judiciale, & perdere locum & gentem, & bona temporalia, & honores, interfecerunt Christum, putantes omnia supradicta pericula evadere, & ipsum de terra posse delere: & sic putabant manere in superbia *mentis cordis sui*: & putabant manere in superbo proposito & mala intentione.

Sed de tali superbia & mala *mente cordis sui dispersit* & dejecit eos Dominus noster Jesus Christus post suam resurrectionem: quia in omnia pericula, & majora quàm vitare cupiebant, inciderunt: & totum oppositum evenit eis, ut probatum fuit *Psalmo* 2. Nam primò venerunt Romani, & obsederunt civitatem eorum; & post longam obsidionem, & famem, & mutuam stragem, & cædes, & internas seditiones & homicidia intestina Romani ceperunt Civitatem, & combusserunt eam cum Templo, & in ore gladii residuum eorum partim trucidaverunt, & partim per mundum in captivitatem dispersérunt: & sic perdiderunt locum, & gentem, & sacerdotium, & oblationes, & honores, & hostiam, & sacrificium; & quod pejus est, perdiderunt intelligentiam scripturæ legis & Prophetarum, & manserunt obstinati in sua cœcitate, non valentes percipere veritatem Sacræ Scripturæ, quæ est cibus & potus spiritualis ipsius animæ: sed tam-

tamquam canes latrantes *circuibunt civitatem* Sacræ Scripturæ usque in finem mundi. Sed quia numquam saturabuntur, A nec gustabunt veritatem latentem in Scriptura, quia numquam eveniet eis quod desiderabant; ideo semper murmurant, & *murmurabunt*, expectantes frustra suum falsum Messiam, ut dictum est *Psalm.*57. & sic vadunt dispersi & captivi per mundum semper sub servitute.

Et sic patet, qualiter Deus Pater *fecit potentiam in brachio suo*, qui est Christus: quia per Christum ostendit *potentiam* suam contra Judæos obstinatos: & quomodo *dispersit superbos mente cordis sui*, & dejecit eos à superbia, & mala mente, & malo proposito cordis sui: quia omnia mala, quæ putabant vitare, evenerunt eis; & frustrati sunt desiderio mentis cordis sui, B & bonis quæ consequi putabant, Christum occidendo.

Et nota, quòd *Virgo Maria* tamquam vera Propheta loquitur & prænuntiat futuram destructionem Judæorum per verba de præterito, propter certitudinem prophetiæ, quam videbat in spiritu prophetico, quem Filius existens in utero infundebat in mentem ejus: quia Filius est ille qui loquebatur per linguam Matris. Et ideo majorem, id est, clariorem certitudinem de futuris mysteriis Christi habuit, quàm aliquis aliorum Prophetarum, & modum dispersionis. Et ideo per verba de præterito prædicit futuram dispersionem & destructionem Judæorum. Deinde cùm dicit: C

Luc. 1. Jacobi 4. 1. Pet. 5. & 3. q. 1. Nulli.

Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

OStendit, qualiter Christus in suo adventu exercuit suam justitiam contra ingratos, eos de sede potestatis deponendo, & humiles in locum eorum exaltando & substituendo.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd sicut Justitia dictat, ut superbus humilietur, & humilis exaltetur: ita dictat, ut ingratus deponatur de sede dignitatis & potestatis, & humilis & gratus exaltetur, D & substituatur, & succedat in locum ejus. Et ita fecit Christus tamquam justus Judex. Nam ipse primò ante incarnationem liberaverat illum populum de captivitate Ægypti; & expulsis Chananæis, dedit illis terram promissionis, & dedit eis regnum & sacerdotium in ea; & dedit eis Prophetas, per quos promisit eis futurum Salvatorem & Redemptorem animarum, & Glorificatorem &c. Qui postea venit in carne, sicut promiserat, & incœpit exercere officium sibi à Patre injunctum, scilicet, legem & Prophetas ad veram intel-

ligentiam declarare, & virtutes inserere, E & vitia carpere, & extirpare, & miracula operari. Sed Scribæ & Pharisæi superbi & invidi, & tot & tantis beneficiis ingrati, timentes perdere dominium, & sedem judicialem, & sacerdotalem, & bona temporalia, noluerunt Christum audire; sed ipsum sunt persecuti, & finaliter crucifixerunt, prout dictum est. Bene ergo meritò, & justè *deposuit* eos Christus *de sede* sacerdotali & judiciali, & transtulit Regnum, & Sacerdotium in populum Christianum: & *exaltavit* homines pauperes & *humiles* & piscatores in sedem sacerdotalem, quemadmodum fuerunt Apostoli, & conversi de populo Gentili.

Et hoc intendit dicere *Virgo Maria*, F cùm ait: *Deposuit potentes de sede*, scilicet, *deposuit* Scribas & Pharisæos *de sede* & cathedra Moysi, in qua sedebant judicantes judicia, & discernentes causas judiciorum, destruentes pauperes, & viduas, & pupillos, dilatando judicia, & falso modo glossando Scripturam legis & Prophetarum. Et *deposuit potentes* Principes Sacerdotum de sede sacerdotali, & loco eorum *exaltavit humiles* Apostolos, qui successerunt in Sacerdotio. Et etiam *exaltavit humiles* Gentiles, qui ex humilitate cordis sui crediderunt Christo & Euangelio: ideo successerunt in Sacerdotio, ad quos fuit translata Lex & Sacerdotium, quoad veram intelligentiam: & non solùm Christus *deposuit potentes* Scribas & G Pharisæos *de sede* judiciali, & Principes Sacerdotum de sede sacerdotali; sed etiam *potentes* cives Judæorum *deposuit de sede*, & loco, & civitate, & libertate: quia combustâ, & eversa civitate cum templo, & combustis, & destructis cæteris civitatibus *Judææ* & *Galilææ*, eos de tota terra promissionis ejecit, & in captivitatem redegit, & per totum mundum dispersit: & *humiles* Christianos de populo Gentili pro majori parte *exaltavit*. Item,

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes. *Ibidem.*

H

NON solùm deposuit eos de sede sacerdotali & judiciali, & de loco & regno, & privavit eos bonis temporalibus, quibus gloriabantur & superbiebant in *mente cordis sui*: sed etiam privavit eos bonis spiritualibus, quibus anima reficitur. Unde ipsi qui se reputabant divites in bonis spiritualibus Sacræ Scripturæ, & in meritis sacrificiorum & oblationum, manserunt *inanes* & vacui: quia nec habent intelligentiam Scripturæ, immò manent cœci; nec sacrificia & opera legis sunt eis salutifera, immò mortifera post publica-

tionem Euangelii. Sed Gentiles, qui erant *esurientes*, Christus implevit bonis spiritualibus Legis & Prophetarum, quibus illi Judæi fuerunt privati. A

Scriptura Prophetarum ager.

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd Scriptura legis & Prophetarum erat quidam ager, ubi latebat clausus & absconsus thesaurus Euangelicus, & veritates ejus, sub nube litteræ & cærimoniarum. Et illa sacrificia, & oblationes & sacramenta veteris Legis erant quædam scrinia & gazophilacia, in quibus tamquam in signo latebant thesauri meritorum passionis Christi: quæ quidem sacrificia non justificabant de se, nisi in quantum erant signacula Fidei, & dabantur in signum veri prætii per Christum solvendi in Cruce, ut dictum est *Psalm.* 39. & in B *Tractatu contra Judæos, quæstione prima.* Sed Scribæ & Pharisæi superbi in *mente cordis sui*, putabant, se habere veram intelligentiam & thesaurum Sacræ Scripturæ: & putabant sufficienter justificari & salvari per sacrificia, & oblationes, & cætera opera legis. Et sic se reputabant divites & contentos in intelligentia Legis & Prophetarum, & in observantia cærimoniarum. Sed hoc non poterat fieri sine Christo in Lege promisso, qui debebat detegere thesauros absconditos in agro Sacræ Scripturæ, & confringere vectes ferreos peccatorum, ut patet *Isai.* 45.

Et ideo dixit eis Christus, *Joann.* 5. *Scrutamini scripturas*, in quibus vitam C putatis habere: *quia illæ testimonium perhibent de me. Et si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* In quibus verbis ostendit Christus, quòd Scribæ & Pharisæi falsò se putabant habere vitam in scripturis secundùm intellectum eorum: & nisi intelligerent eas ad sensum verum & spiritualem de Christo, qui erat finis & veritas scripturarum: & ideo manserunt cœci, & inanes in sua falsa intelligentia, & vacui & famelici in meritis sacrificiorum: quia illa Scriptura non erat de se vera, nisi in quantum erat signum veritatis Euangelicæ, & fuerunt verificata per Christum: nec illa sacrificia & sacramenta erant meritoria, nec de se conferebant gratiam, D nisi in quantum erant signacula fidei, & gratiæ dandæ per Christum: quia *Lex per Moysen data est: gratia autem & veritas per Christum facta est. Joann.* 1. Et ideo illi fuerunt verè divites & refecti, qui receperunt fidem Christi, & gratiam Christi per Ecclesiastica sacramenta, sicut fuit populus Gentilis, qui ante adventum Christi esuriebat.

Et ideo dicit *Virgo Maria*: quòd Christus in suo adventu Gentiles, qui ante erant *esurientes* sine Lege & Prophetis, *implevit bonis* spiritualibus gratiæ & gloriæ: sed *divites* Judæos, qui se putabant habere divitias tantùm in littera legis, *dimisit inanes*, & vacuos, & famelicos E in bonis spiritualibus.

Sed hìc sunt duo videnda. Primò: Qui sunt isti *divites?* Secundò: quibus bonis Deus satiavit & implevit istos esurientes?

Quantum ergo ad primum est notandum: quòd sicut dictum est *Psalm.* 118. super illud: *Concupivit anima mea desiderare &c.* quòd differentia est inter simpliciter *desiderare & esurire*, sive *sitire*. Nam *esurire*, & *famescere*, & *sitire* addunt conatum & necessitatem super *desiderare*: & sic *esurire*, sive famescere, idem est quod *desiderare* & *appetere* calidum cibum & siccum ex necessitate propter res- *Esurire quid sit.*

F taurationem deperditi: *sitire* idem est quod desiderare humidum & frigidum propter restaurationem deperditi; & hoc cum omni conatu & necessitate. Unde quis fastidiens unum cibum ex abundantia, potest alium desiderare: putà, satiatus carnibus caprinis potest desiderare carnes gallinarum, & è converso: sed iste talis, quia non esurit, nec famescit, non curat multum inquirere talem cibum: & sic aliquis fastiditus aquâ, potest desiderare vinum absque necessitate; & sic est dicendum quòd non sitit vinum, sicut nec ille alius esurit cibum.

Nam si iste esuriret cibum, cum omni conatu quæreret ipsum, & illico comederet quemcumque cibum inveniret: & sic sitiens quæreret cum conatu potum, & G illico biberet sive aquam, sive vinum propter vehementem appetitum & necessitatem. Ita ergo à simili est dicendum de *esurie*, & *siti* spirituali. Nam multi desiderant cibum & potum spiritualem ad salutem animæ, & ad restaurationem gratiæ deperditæ; & tamen non esuriunt, neque sitiunt: quia non apponunt conatum & diligentiam ad quærendum & recipiendum, cum habeant opportunitatem. Unde quandoque aliquis adulter, vel fornicator, vel avarus desiderat exire à peccato, & facere pœnitentiam, & restituere ablatum: sed non facit, propter amorem carnis & pecuniæ. Et ideo est signum, quòd nondum esurit, nec sitit jus- titiam & salutem animæ, nec recuperare H gratiam deperditam: quia si verè esuriret & sitiret justificari, illico dimitteret peccatum, & curreret ad pœnitentiam.

Ex quo patet, quòd ille verè esurit & sitit cibum & potum spiritualem, & veram justitiam, qui absque mora dimittendo peccatum quærit illam per Baptis- mum & Pœnitentiam. Et ideo ad verum intellectum dixit Christus *Matth.* 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Unde notanter dixit: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam;* & non dixit: Beati qui justificantur: Nam aliquis infidelis esuriens & sitiens justitiam, potest ve- *Sitit justitiam, qui agit pœnitentiam.*

venire cum omni conatu ad baptizandum, sed moritur in via : & ideo talis ex sola esurie & siti justitiæ justificatur & baptizatur baptismo flaminis : & per consequens beatificatur. Item , si aliquis peccator ad Deum conversus, veniens concito gradu ad pœnitentiam & confessionem, moriatur in tali intervallo ; tunc ille ex tali esurie , & siti , & desiderio confitendi justificatur : & per consequens beatificatur in spe , ut inquit *Augustinus lib. de Pœnitentia.* Quia ex solo desiderio sacerdotis sit dignus veniâ : & ideo dixit Salvator: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*: id est, qui cum omni conatu & diligentia quærunt, & cum inveniunt eam , gratanter sucipiunt, & tenent, & cum gaudio custodiunt.

Ex his omnibus patet, quòd Scribæ & Pharisæi , & Principes Sacerdotum, & cæteri Judæi carnales & obcæcati in rebus temporalibus , non esuriebant, nec sitiebant salutem animæ , nec verum Messiam in lege promissum, licèt ipsum desiderarent, & expectarent : quia non desiderabant ipsum propter bona spiritualia, sed temporalia. Et ideo fastidientes bona spiritualia, non rectè & cum esurie quærebant Christum Messiam in lege promissum : nec tenuerunt & receperunt eum, quando ipse venit ad eos, & vocabat eos, volens eos justificare , & salvare. Et ideo dixit eis : *Scrutamini Scripturas , quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Item , *Si Moysi credieretis , credieretis forsitan & mihi: quia ille de me scripsit, Joann.* 5. Item , *Lux venit in mundum: sed dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem : erant enim eorum mala opera , Joann.* 2. quasi dicat: propter avaritiam , & superbiam , & bona temporalia contempserunt Christum , & bona spiritualia. Ecce quomodo reputantes se divites in bonis temporalibus fastidierunt & contempserunt divitias spirituales, & bona spiritualia gratiæ & gloriæ, quæ Christus afferebat. Et sic non fuerunt esurientes, sed fastidientes bona spiritualia : ideo Christus *dimisit eos inanes.* Sed *Virgo Maria*, & *Joseph*, & *Simeon* , & *Zacharias* , & Apostoli , & Gentiles , quia verè esurierunt & sitierunt , & cum conatu vehementi quisierunt Salvatorem ; & cùm venit ad eos , noverunt & receperunt eum : ideo eos *esurientes implevit bonis* spiritualibus gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro ; & Judæos *divites* & fastidientes *dimisit inanes*, & vacuos bonis spiritualibus in sua damnatione. Et dimisit etiam eos frustratos, & *inànes* in sua spe & intentione : quia in pericula & mala, quæ vitare putabant, inciderunt, & totum oppositum ejus quod sperabant , evenit eis, ut dictum est.

Dupliciter ergo Scribæ & Pharisæi, & Principes Sacerdotum , & cæteri Judæi obstinati dicuntur *divites.* Primò : quia totam suam spem ponebant in divitiis temporalibus , & toto conatu illas quærebant. Secundò : quia soli ipsi habebant præ manibus Legem & Prophetas, in quibus latebant divitiæ spirituales : sed propter divitias temporales , divitias spirituales , quas habebant , fastidiebant , & contemnebant. Sed *Virgo Maria* , & *Joseph* , & *Zacharias* , & Apostoli dicti sunt *esurientes* ; primò , quia cum omni conatu , & vehementi desiderio quærebant Christum propter bona spiritualia. Secundò , quia cum viderunt eum , illicò cum gaudio tenuerunt & custodierunt eum , ut infra patebit. Et ideo *implevit* eos *bonis* spiritualibus: & sic dicendum de populo Gentili , qui recepit Christum ad solam prædicationem Apostolorum.

Quantum ad secundùm est dicendum: quòd Christus multiplici bono replevit fideles esurientes & sitientes justitiam. Nam in præsenti vita replevit eos bonis gratiæ; sed in futuro bonis gloriæ. Sed est advertendum, quòd tria sunt genera bonorum gratiæ , quibus replevit eos in hac vita & Ecclesia militante. Nam quædam dicuntur bona gratiæ Sacramentorum: quædam bona donorum Spiritus sancti : quædam bona meritoria ex observantia præceptorum & consiliorum Euangelicorum.

Unde *bona gratiæ Sacramentorum* sunt septem , contra septem mala quæ traximus ex peccato primorum parentum , scilicet tria mala culpæ , & tria mala pœnæ. Et ideo dedit & instituit nobis Christus septem Ecclesiastica Sacramenta in remedium istorum malorum : tria enim mala culpæ sunt culpa originalis , & mortalis, & venialis. Ideo primò instituit Baptismum : in quo datur fides , spes , charitas in habitu simul cum gratia gratifica , per quam deletur originale. Secundò , instituit pœnitentiam, per quam deletur culpa mortalis , & fit remissio omnium mortalium. Tertiò, instituit Extremam Unctionem ad delenda venialia. Mala autem pœnæ sunt tria , scilicet separatio à Deo per peccatum. Et ideo instituit Eucharistiam, per quam Deo reconciliamur. Secundum malum pœnæ , est infirmitas ad bonum faciendum , & pronitas ad cadendum , & malum perpetrandum : contra quam infirmitatem instituit Confirmationem , ad roborandum Fideles , ut valeant pugnare contra carnem , & mundum , & diabolum. Tertia pœna fuit fœditas libidinis: in cujus remedium instituit Matrimonium, ne libido imputetur ad peccatum mortale in conjugatis. Septimò autem Christus instituit Sacramentum Ordinis : in quo datur potestas Sacerdotibus ad administran-

Judæi quomodo dicuntur divites.

Tria genera bonorum gratiæ.

Nota de Sacramentorum institutione.

Mala pœnæ tria.

trandum ſupradicta Sacramenta ſæcularibus.

Sed iſta ſufficientia, & cauſa neceſſitatis Eccleſiaſticorum Sacramentorum, quorum virtus emanat ex paſsione Chriſti, clariùs poteſt aſsignari. Nam primò, ex parentibus traximus carnem corruptam vitio libidinis, in qua ſeminaliter latet culpa originalis & mortalis. Ideo quando anima noſtra creatur à Deo in puris naturalibus in illa carne libidinoſa, per ſolum conſortium trahit culpam originalem, ut inquit *Ambroſius* & *Auguſtinus*. Per culpam incurrit iram & odium Dei, & privationem omnium bonorum ſpiritualium, tàm gratiæ, quàm gloriæ: & cum hoc incurrit debitum recuperandi juſtitiam, quam perdidit in Adam.

Et ideo Chriſtus inſtituit *Sacramentum Baptiſmi*, qui præbuit virtutem regenerativam, & purgativam illius culpæ, & collativam gratiæ, per quam baptizato remittitur culpa & debitum, & confertur gratia gratifica cum fide & ſpe & charitate in habitu: per quam ille qui erat in odio & ira Dei abſolvitur ab omni debito, & reducitur in gratiam Dei: quia fit Deo gratus & acceptus per illam gratiam continentem pretium, & merita paſsionis Chriſti. Et ideo ille reus per illam gratiam & prætium paſsionis Chriſti ſoluit omnem debitum, & liberatur. Sed quia ille Baptiſmus, licèt abluat animam, & tollat culpam originalem ab ea, & abſolvat eam à debito, & reduçat in gratiam; tamen, non tollit fomitem concupiſcentiæ, ut non inſit in carne, licèt tollat ut non imputetur animæ ad peccatum, ſicut ante Baptiſmum; ſed adhuc manet illa morbida concupiſcentia in carne, in qua ſeminaliter ſunt & latent omnia peccata mortalia: ex qua concupiſcentia omnia mala oriuntur, eò quòd ſemper pugnat & luctatur adverſus ſpiritum & rationem: Ideo ſicut illa concupiſcentia carnis ante Baptiſmum per ſolum conſortium cauſabat originale in anima; ita poſt Baptiſmum per conſenſum deliberatum cauſat peccatum & culpam actualem & mortalem in voluntate & anima, per quam obligatur ad pœnam æternam; & per ſolum conſenſum indeliberatum cauſat veniale.

Et ideo Chriſtus inſtituit *Sacramentum Confirmationis*: per quod datur robur & arma gratiæ, & dantur dona Spiritus ſancti ipſi animæ, ut valeat pugnare & reſiſtere ipſi concupiſcentiæ, & vincat carnem ſic morbidam & corruptam, ne voluntas per conſenſum cadat in peccatum mortale. Sed quia anima conſentiendo carni, aut mundo, aut diabolis, ſæpiùs cadit in peccatum mortale: ideo Chriſtus inſtituit *Sacramentum Pœnitentiæ*: in qua per merita paſſionis Chriſti remittitur peccatum mortale, & pœna inferni æterna. Sed quia per tale peccatum actuale ille peccator fuit à Deo ſeparatus: ideo Chriſtus inſtituit *Sacramentum Euchariſtiæ*: per quod Deo reconciliamur, & ſpiritualiter reficimur, & recuperamus bona ſpiritualia deperdita.

Sed quia per talem pœnitentiam non potuimus omnia peccata mortalia ex obli- oblivione confiteri, nec omnia venialia ex ignorantiâ, & inadvertentiâ, & multitudine: ideo in exitu ab hoc ſæculo datur *Sacramentum Extremæ-Unctionis*, per quod remittuntur venialia. Et etiam, licèt totaliter non dimittatur pœna peccatorum mortalium oblitorum debita in Purgatorio propter negligentiam differendo confeſſionem: tamen tales pœnæ debitæ in Purgatorio aliqualiter remittuntur, & minuuntur ex virtute Sacramenti illius Unctionis, continentis virtualiter, ſive inſtrumentaliter merita paſſionis Chriſti. Nam ſicut illa caro corrupta, & morbida, & libidinoſa, quam trahimus ex parentibus, continet naturaliter, & ſeminaliter, & virtualiter omnia peccata; quia per ſolum conſortium cauſat culpam originalem in anima, & per conſenſum cauſat actuale & veniale in eadem: Ita quodammodo Eccleſiaſtica Sacramenta quaſi ſeminaliter & virtualiter, ſive inſtrumentaliter continent merita paſsionis Chriſti: quia per iſta Sacramenta datur gratia paſsionis Chriſti omnibus fidelibus. Et ideo iſta Sacramenta ſunt quaſi capſæ & vaſa medicinalia, in quibus latent merita paſsionis Chriſti ad medelam ſupradictarum infirmitatum, ut inquit *Hugo de Sancto Victore*. Et per hæc patet neceſsitas ſupradictorum quinque Sacramentorum.

Sed quia poſt omnia ſupradicta Sacramenta ſemper in hoc mundo manet inordinata concupiſcentia in carne, quæ ſemper inordinatè concitat actum venereum præter intentum generationis, & ideo propter talem maledictionem non poteſt ille actus exerceri abſque peccato mortali: ideo Deus inſtituit *Sacramentum Matrimonii* inter conjuges ad remedium libidinis: ne tale officium, quod non fit ſine libidine, imputetur eis ad peccatum mortale. Itaque ſicut Baptiſmus non tollit habitualem concupiſcentiam, ut non ſit in carne, ſed ut non imputetur ad peccatum originale ipſi animæ per conſortium: Ita Sacramentum Matrimonii non tollit libidinem actualem, ut non inſit inter conjuges in officio venereo; ſed tollitur, ut non imputetur eis ad peccatum mortale, ſi debitè, & abſque abuſu exerceant illum actum & officium. Et ſic patet, quomodo ad remedium libidinis, & ad excuſandum peccatum, neceſſarium fuit Matrimonium: quia ſolum Sacramentum Matrimonii tollit & excuſat peccatum mor-

mortale in omni actu venereo, ut inquit *Augustinus in lib. de Nuptiis*; sed non tollit originale in parvulis ex legitimo conjugio propagatis propter libidinem parentum: sed inter conjuges solùm hoc Sacramentum excusat peccatum. Et ratio est: Nam omnis alius actus venereus aut est adulterium, aut fornicatio, aut contra naturam: sed omnia ista tria incurrunt peccatum mortale, ut dictum est *Psalm.* 118. Ergo solum conjugium excusat peccatum. Et sic patet necessitas sex supradictorum Sacramentorum.

Sed quia supradicta Sacramenta non possunt dari nisi in potestate Ecclesiæ sponsæ Christi, cui Deus omnia ista dedit in dotem: ideo Christus instituit *Sacramentum Ordinis*, per quod datur potestas Sacerdotibus ad administrandum supradicta Sacramenta: in quibus omnibus Sacramentis propter gratiam singularem datur semper gratia generalis gratifica debitè sumentibus: & sic patent bona gratiæ Sacramentorum Ecclesiasticorum, quibus Christus *implevit* omnes fideles *esurientes*, in primo genere bonorum.

In secundo autem genere bonorum spiritualium, quibus Christus *implevit esurientes*, sunt bona donorum Spiritus sancti: quæ receperunt Apostoli pro se, & pro tota Ecclesia in die Pentecostes: quorum primum est *donum sapientiæ*: per quod Fideles contemptis scientiis mundanis, apponunt animam ad studium rerum divinarum, & ad meditandum in lege Domini die ac nocte, contemplando sacra mysteria gesta in utroque Testamento, & ad quærendam salutem & justitiam per Sacram Scripturam, & breviter relictis rebus humanis ad contemplandum divina.

Dona Spiritus S.

Sed quia intellectus non sufficit talia divina percipere, nec profunda mysteria Sacræ Scripturæ intelligere; ideo datur Fidelibus *donum intellectus* ad differendas & intelligendas Sacras Scripturas. Unde sicut per donum sapientiæ appetimus intelligentiam Sacræ Scripturæ: ita per donum intellectus datur nobis facultas ad intelligentiam Sacræ Scripturæ, sicut habuerunt Apostoli. Sed quia non sufficit studium, & intelligentia Sacr. Script. nisi operemur bonum per ipsam: quia finis ejus non est ut sciamus tantùm, sed ut per talem intelligentiam operando boni efficiamur: & quia in tali operatione habemus pugnare contra carnem, & mundum, & diabolum, quibus nullo pacto ex viribus nostris resistere possumus propter naturam corruptam & fragilem: ideo datur donum fortitudinis ad vincendum & pugnandum jugiter contra tria supradicta.

Item etiam, quia in Lege Euangelica sunt aliqua consilia supra totam humanam facultatem, & supra naturam, scilicet, pati omnem persecutionem, & tormenta, & mortem propter Christum & justitiam; & orare pro persecutoribus, & inimicis: quæ omnia per solas morales virtutes non possent tolerari, nec exerceri: Ideo datur *donum fortitudinis* ad supradicta toleranda, & aggredienda.

Sed quia per solam prudentiam moralem & humanam non possemus de talibus supernaturalibus & difficilibus consultari: nec quando, nec ubi, nec quantum talia essent eligenda & aggredienda: ideo datum fuit desuper *donum consilii*, per quod Apostoli & Martyres & cæteri fideles contemptis mundanis, & postposito quocumque timore mundano, quando oportuit, & ubi, & quantum oportuit, pro Christo persecutioni & morti se obtulerunt. Sed cum dono consilii datum est eis *donum fortitudinis*, ad consultata opportunis locis & temporibus exercenda: & sic propriè donum consilii præcedit donum fortitudinis.

Sed quia non omnes sunt constituti in eodem statu perfecto, sicut fuerunt Apostoli, & Martyres, & Prælati, & Sacerdotes, & Religiosi; sed quidam sunt in statu inferiori, & conjugali, & sæculari in rebus temporalibus involuti: ideo præter scientiam mundanam datum est fidelibus sæcularibus *donum scientiæ*: ut sic disponant & transeant per ista temporalia, ne amittant æterna. Nam sicut *sapientia* est de rebus divinis: ita *scientia*, de humanis & temporalibus.

Item, quia Fideles sæculares in infimo statu constituti non possunt meditari in lege Domini die ac nocte, nec intelligere & percipere perfectè altissima mysteria, sicut Prælati, & Sacerdotes, & Religioti continuo studio & contemplationi dediti: ideo datur *donum pietatis* ad credendum, & firmiter innærendum Articulis Fidei, & profundis mysteriis Sacræ Scripturæ, quæ capere non possumus: & ad piè credendum semper partem magis piam, & magis convenientem Deo & Sanctis ejus, in opinionibus nondum determinatis per Ecclesiam.

Sed quia Lex divina comminatur transgredientibus, non solùm privationem hæreditatis vitæ æternæ; sed etiam æternam pœnam transgressoribus: & promittit vitam æternam & visionem Dei cum summa fruitione & felicitate observatoribus ejus: ideo est necessarius nobis *timor* supernaturalis, per quem timeamus perdere bonum nobis promissum, quod non videmus, & timeamus incurrere pœnas æternas, quas in hoc sæculo non videmus, nec sentimus: & ideo datur *donum timoris* supernaturalis; qui habet quatuor gradus. Nam primò per ipsum refrænatur temeritas & audacia nostra, ut timeamus pœnas ignis æterni. Secundò, ut timeamus perdere hæreditatem regni cœlestis: & iste

Timor nobis necessarius.

iſte dicitur *timor filialis*. Tertiò, ut timeamus perdere ipſum Deum per ſeparationem à Deo: & iſte dicitur *timor caſtus & uxoralis*, ſive *deſponſalis*. Quartò, ut timeamus Deo diſplicere propter ſuam bonitatem, & ne incurramus ingratitudinem: & iſte dicitur *timor ſanctus & immaculatus*. Et eſt idem quod noſtra perfecta charitas, quæ jam totaliter foras mittit timorem ſervilem. Et ſic patet, qualiter ſunt neceſſaria omnia iſta ſeptem bona donorum & gratiarum toti Eccleſiæ: quibus donis Chriſtus in Eccleſia alios fecit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Doctores, alios Prædicatores, alios Martyres, alios Confeſſores & Virgines & Continentes, & alios veros Religioſos, & alios juſtos conjugatos: & quoſdam facit quotidiè incipientes, & quoſdam proficientes, & perfectos. Et ſic Spiritus Sanctus ſpirat dona gratiarum, *dividens ſingulis prout vult*, ut inquit *Apoſtolus*. Et hæc ſunt bona donorum, quibus Chriſtus *implevit* fideles *eſurientes* & ſitientes juſtitiam.

Bona meritoria, &c.

In tertio autem genere ſunt bona meritoria ex obſervantia præceptorum & conſiliorum. Nam quia *diligentibus Deum* & fidelibus *omnia cooperantur in bonum* meritorium, *ad Rom.*9. Ideo Chriſtianus exiſtens in charitate per omnia opera, quæ facit ſecundùm Legem Euangelicam meretur vitam æternam. Unde obſervando præcepta negativa non ſolùm evadit pœnas æternas, ſed etiam meretur vitam æternam, propter pugnam & victoriam: quia nemo poteſt obſervare divina præcepta, nec vitare peccatum ſine grandi pugna & victoria, reſiſtendo carni, & mundo, & diabolo: quod non poteſt fieri ſine gratia, & per conſequens ſine merito. Sed jam magis meretur quis obſervando præcepta affirmativa, ſcilicet, diligendo Deum ſuper omnia in ſe, & propter ſe; & diligendo proximum ſicut ſeipſum, & in Deo, & propter Deum: & ſic implebit omnia opera miſericordiæ, tàm ſpiritualia, quàm corporalia erga proximum indigentem: propter quæ opera Chriſtus in Judicio omnibus juſtis dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum &c.* Sed magis & altius merentur obſervatores Conſiliorum Chriſti in ſtatu perfectiori: qui venditis omnibus quæ poſſidebant, & datis pauperibus, ſecuti ſunt Chriſtum per paupertatem, & obedientiam, & caſtitatem in ſtatu Religionis. Sed jam magis, & altius merentur, qui tollunt crucem ſuam, & ſequuntur Chriſtum per Martyrium &c. Et iſta ſunt bona meritoria ex obſervantia præceptorum Euangelicorum, quibus Chriſtus ditavit & *replevit* ſuos fideles *eſurientes* in hac vita, ſimul cum bonis gratiæ Sacramentorum & donorum.

Bona gloriæ.

Sed bona gloriæ, quibus Chriſtus *implevit* iſtos *eſurientes* in cœlo, ſunt clara & facilis viſio divinæ Eſſentiæ & individuæ Trinitatis: quæ quidem clara viſio datur eis in præmium ex merito fidei, quam hic habuerunt. Et datur eis perfecta & ſecura poſſeſſio illius ſummi boni in præmium ſpei, quam hic habuerunt: & datur eis ſufficiens & perfecta fruitio in præmium charitatis, quam cum effectu operum miſericordiæ, & obſervantiæ præceptorum & conſiliorum in hac vita habuerunt. Ex quibus tribus bonis reſultat in eis vera & perfecta beatitudo in anima. Sed ultra hæc tria bona animæ conſequentur quatuor dotes & bona in corde glorificato, ſcilicet, immortalitatem cum impaſſibilitate, & claritatem, & ſubtilitatem, & agilitatem: in quibus quatuor conſiſtit gloria corporis. Et ſic tunc omnes erunt in ſua ultima perfectione quoad totum, ſcilicet, quoad corpus & animam: qui quidem ſtatus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus, in quo ſolo conſiſtit beatitudo juſtorum. His ergo omnibus bonis ſupradictis, tàm gratiæ in præſenti, quàm gloriæ in futuro, *implebit* Chriſtus omnes ſuos fideles *eſurientes*, quibus privavit omnes Judæos obſtinatos, & cæteros infideles, & ſuperbos, & divites mundanos & impœnitentes. Quos non ſolùm privavit bonis ſupradictis & dimiſit eos vacuos & inanes, ſed etiam ad pœnas æternas deſtinavit. Et ideo de Judæis obſtinatis dixit *Matth.*8. *Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Iſaac in regno cœlorum: Filii autem regni mittentur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Item *Matt.* 21. dixit Scribis & Phariſæis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.*

Ex quibus patet, qualiter Judæos & ſuperbos privavit bonis ſpiritualibus, & reliquit eos inanes: & Gentiles *eſurientes implevit bonis*: & non ſolùm privavit Judæos illis bonis; ſed etiam punivit eos pœnâ ſenſus per fletum & ſtridorem dentium.

Et nota, quòd Judæi obſtinati non ſolùm dicuntur inanes, in quantum ſunt privati & vacui ſupradictis bonis; ſed etiam quia opera legis omnia quæ faciunt ſunt inania, & vacua meritis: quia in vanum & fruſtra circumciduntur, & faciunt alia opera legis: quia jam ſunt exinanita & evacuata per adventum Chriſti & opera Euangelica. Item etiam illa opera non ſolùm ſunt eis inania & mortua, ſed etiam mortifera: quia quotienſcumque faciunt & obſervant aliquod opus cærimoniale, peccant mortaliter, & addunt peccatum ſuper peccatum, & oratio eorum vertitur in peccatum, ſicut dictum eſt *Pſal.*67. & 108. Et ſic manent inanes in bonis & meritis, & fruſtrati in ſua intentione: quia in-

inciderunt in omnia mala quæ vitare putabant, & perdiderunt omnia bona quæ consequi putabant, & cupiebant. Et Gentiles *esurientes* fuerunt exaltati & repleti bonis, quibus ipsi sunt privati. Et ideo dicit *Virgo Maria*, quòd Christus Filius suus *fecit potentiam in brachio suo*: quia *dispersit* Judæos obstinatos & *superbos mente cordis*: & *deposuit* eos *de sede* sacerdotali & judiciali, & loco, & regno; *& exaltavit humiles* Apostolos & Gentiles per fidem humiliatos. Et Apostolos & Gentiles *esurientes*, & pauperes, & simplices *implevit bonis* gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro; sed *divites* Judæos *dimisit inanes*, & frustratos, non solùm bonis spiritualibus, sed etiam dignitatibus temporalibus, & in sua mala intentione.

Sed est iterum advertendum, quòd isti tres versus supradicti non solùm verificantur de superbis Judæis: immò primò verificantur de superbis dœmonibus, quos Deus in principio *dispersit*, & *deposuit de sede* cœlesti. Unde dictum fuit in Expositione *Psalmi* 81. qualiter Deus gradavit in principio ordines Angelorum secundùm ordinem nobilitatis naturæ eorum. Et sic collocavit *Luciferum* in supremo ordine primum super omnes alios: sed quia vidit supra se à dextris Dei, scilicet, in potioribus bonis totius gloriæ super omnes ordines & hierarchias Angelorum, sedem præparatam pro Christo homine, quem Verbum æternum debebat personaliter assumere; qui quidem Christus tamquam Caput & Dominus hominum & Angelorum erat adorandus ab omnibus Angelis, & hoc secundùm Dei voluntatem: tunc *Lucifer* superbiens in *mente cordis sui* dixit, non esse æquum, nec justum aliquem hominem super Angelos ascendere: nec etiam homines cum Angelis coæquari. Et sic diligens se potiùs quam Deum, & diligens se in se, & non in Deo, voluit potiùs sequi appetitum suum, quàm voluntatem Dei, qui hoc ab æterno statuerat adimplere. Tunc concepit odium & invidiam contra Christum, & decrevit conscendere, & usurpare sedem & solium Imperiale pro Christo præparatum; & factâ conjuratione contra Christum, & voluntatem, & statutum Dei, dixit in corde suo: *In cœlum conscendam, & super astra cœli*; id est, super omnes ordines & hierarchias Angelorum à dextris Dei *exaltabo solium meum*: *& sedebo in monte Testamenti*, scilicet, in hæreditate Christi. *Ascendam super altitudinem nubium*: & *similis ero Altissimo*: ut patet *Isai.*14.

Nota de Lucifero.

Ex quibus patet, quòd Lucifer fuit primus superbus in *mente cordis sui*, qui voluit & statuit usurpare sedem imperialem Christi Filii Dei, & ascendere ad similitudinem & æqualitatem Dei, & usurpare Imperium mundi Christo debitum. Sed tunc Deus *fecit potentiam in brachio suo*, scilicet in Verbo suo, per quod facta sunt omnia: & præcepit *Michaeli*, & Angelis ejus, ut dejicerent *Luciferum* cum sequacibus suis de cœlo in infernum. Et tunc *factum est prælium magnum in cœlo*: nam *Michael & Angeli* boni sequaces *Michaelis*, Dei voluntati conformes & obedientes, *præliabantur cum dracone* Lucifero, ejus pravæ voluntati & superbiæ resistentes. Sed projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur *Satanas*, id est, *adversarius*, & contrarius divinæ voluntati, & Christo futuro: projectus, inquam, est in terram: & Angeli ejus, scilicet, sequaces ejus, & rebelles Deo missi sunt cum eo in stagnum ignis, ut patet *Apoc.*12.

Et sic patet, qualiter Christus jam in principio *fecit potentiam in brachio suo*, & *dispersit* de cœlo dœmones *superbos in mente cordis sui*: quia tunc *deposuit* eos *potentes de sede* Christi, quam usurpare temere præsumebant. Et non solùm deposuit eos de illa sede, sed etiam eos qui erant potentes in natura *deposuit* de sedibus eorum, quas in cœlo possidebant à primo instanti suæ creationis: & ejectis & depositis eis à sedibus suis, *exaltavit humiles* homines & sanctos in sedes eorum. Nam homines justi & sancti possederunt per gratiam & humilitatem sedes cœlestes, quas Angeli rebelles perdiderunt per superbiam: & sedes quas mali perdiderunt, Christo contradicendo & invidendo, possederunt homines justi & humiles, Christum diligendo, & credendo, & sequendo. Et ideo ex consequenti homines esurientes & sitientes justitiam, & cupientes toto conatu justificari per Christum, & esurientes, & cum effectu & conatu & violentiâ pœnitentiæ desiderantes illam gloriam, Christus implevit illis bonis cœlestibus: & dœmones, qui erant in cœlo divites per naturam & gratiam expectantes esse divites per gloriam, si stetissent, & Deo paruissent, *dimisit inanes* & vacuos, & frustratos in *mente cordis sui*, & in sua intentione. Quia non solùm perdiderunt sedem Christi, quam usurpare volebant, sed etiam sedes quas possidebant.

Et nota, quòd mali Angeli non solùm voluerunt conscendere, & usurpare sedem Christi Imperialem præparatam in potioribus bonis Patris; sed etiam sedem Virginis, quàm viderant præparatam in potioribus bonis, & à dextris Christi Filii ejus super omnes Choros & Hierarchias Angelorum. Et hæc fuit prima causa invidiæ eorum contra Christum & Matrem ejus. Secunda causa fuit: quia prævideruntquòd quidam homines in tantum erant per gratiam & merita exaltandi per Christum, quòd erant cum eis in gloria coæquandi, & collocandi. Et ideo moti

sunt ad resistendum Divinæ Legi, & voluntati. Et ideo sunt de cœlo *dispersi* & depositi. A

Ex quibus patet, qualiter Christus, qui est brachium & potentia Dei Patris, *dispersit* dœmones *superbos mente cordis sui*: & quomodo *deposuit* eos *potentes de sede*, & gradu, & dignitate cœlesti: & quomodo *exaltavit* homines *humiles*, ut repararet ruinam eorum, & possiderent sedes eorum. Et quomodo homines *esurientes*, & cum conatu pœnitentiæ quærentes gloriam cœlestem, *implevit bonis*, & dœmones, qui in cœlo erant *divites* per naturam & gratiam, & expectabant fieri beati per gloriam, cùm essent viatores; tamen quia in gratia non steterunt, nec voluntati Dei adhæserunt, dimisit eos inanes & vacuos; & quod deterius B est, ad æternam pœnam, & in Infernum destinavit. Et sic ista verba Virginis primò verificantur de dœmonibus superbis; secundò de Judæis obstinatis, prout ante dictum est: sed tertiò verificantur de superbis tyrannis persecutoribus Ecclesiæ: quos Christus dispersit de superba *mente cordis sui*, & *deposuit de sede* potestatis, *& exaltavit Christianos humiles.*

Nota de Nerone. Unde primò *dispersit Neronem* de superba *mente cordis sui*: & *deposuit* ipsum *de sede* imperiali. Nam cum incerfeciſſet Apostolos *Petrum* & *Paulum*, Principes Ecclesiæ, & rempublicam destruxisset: videns totum senatum motum contra se, seipsum interfecit, & loco ejus fuit C exaltatus in Imperium humilis *Vespasianus* & postea *Titus* filius ejus. Item, *Domitianus* cùm secundam persecutionem contra Ecclesiam Dei concitasset, & contra rempublicam multa mala perpetrasset; tamdem per senatum depositus, ut quidam ferunt, seipsum interfecit, & loco ejus humilis & justus *Trajanus* in Imperium est exaltatus: qui aliquandiu dedit pacem Ecclesiæ. Item, *Diocletianus*, & *Maximianus*, & *Maxentius* cum per magna tempora sæva persecutione Ecclesiam Christi vexassent, & infestassent: tamen finaliter de imperiali sede depositi, miserabiliter vitam finierunt: loco quorum humilis *Constantinus* in Imperium est D exaltatus: qui postea ad fidem Christi conversus, destructis Idolis, Ecclesiam Dei prosperavit, ac ditavit. Exemplo cujus omnes Reges terræ, cum toto populo Gentili se jugo fidei Christi subjecerunt. Et sic dejectâ superbiâ hujus mundi, omnis potestas subjugata est jugo Christi. Et Constantinus Imperator cum omnibus Regibus se subjecit *Sylvestro* Papæ, tamquam Vicario Christi in terris; & relictâ ipsi Româ cum toto patrimonio, se in Constantinopolim recepit, & Imperialem Sedem transtulit. Et sic patet, qualiter superbi, & potentes Gentiles depositi sunt de sede superbiæ & potestatis: & humiles Christiani in sedem Sacerdotalem, & Imperialem exaltati. E

Item, dœmones superbi qui adorabantur in Idolis à toto mundo, fuerunt depositi de sede idololatriæ, & humiles facti fuerunt exaltati. Nam templa idolorum, comminutis, & destructis idolis, fuerunt consecrata in Ecclesias Apostolorum & Martyrum. Quia in delubris, ubi adorabantur Idola, postea positæ sunt Imagines Sanctorum: in quibus sancti non adorantur, sed à fidelibus venerantur, & in sanctis suis Deus laudatur. Quia Apostoli *Principes populorum* & Martyres, ut *dii fortes elevati* & *exaltati sunt*, *Psalm.* 46. Et sic patet, quomodo Christus non solùm dœmones superbos, & Judæos F obstinatos, sed etiam *superbos* tyrannos persecutores Ecclesiæ *dispersit* de superbia mentis cordis sui, & *deposuit de sede*, & *dimisit inanes*; & Christianos *humiles* & *esurientes exaltavit*, & *implevit bonis* in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam, prout dictum est.

Item, hoc non solum est intelligendum de dœmanibus, & Judæis obstinatis, & de tyrannis, & persecutoribus Ecclesiæ; sed etiam de superbis regibus, & principibus, & magnatibus, & divitibus Christianorum: qui pluries fuerunt depositi, & ejecti à sedibus, & à culmine potestatis, propter superbiam & elationem G suam: & hoc justo Dei judicio, eò quòd confisi inviribus suis & divitiis, sæpè Deum contempserunt, & pauperes despexerunt, prout dictum fuit in Expositione *Psalm.* 48. & 72. Et hoc de secunda parte hujus Cantici.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. *Lucæ 1.*

Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini ejus in sæcula. *Gen. 15. & 22.*

H HÆC est tertia & ultima pars principalis hujus Cantici, in qua *Virgo Maria* concludendo reddit causam omnium eorum quæ dicta sunt. Nam omnia quæ dicta sunt de Virgine Maria, & Ecclesia, fecit Christus veniens in carne. Et sic adventus ejus in carne fuit causa eorum quæ dicta sunt. Unde quia Christus debebat ex Virgine Maria carnem assumere, ideo magnificavit & dignificavit eam supradictis duodecim dignitatibus & privilegiis in prima parte memoratis, & *fecit ipsi* illa duodecim *magna*.

Item, postquam venit in carne, exercuit

cuit mysterium nostræ redemptionis: cujus *misericordia* processit, & profuit omnibus *timentibus eum à progenie in progenies*. Et in sua passione manente corpore in cruce, & sepulchro, descendit ad inferos, & *dispersit* dæmones *superbos* per Infernum, & *deposuit* eos *de sede* potestatis, quam super totum genus humanum habebant, & expoliavit Limbum & Purgatorium, & liberavit *humiles*, & captivos de inferno, & *exaltavit* eos secum in gloriam: & eos qui ibi per magna tempora fuerant *esurientes* Christum expectando, *implevit bonis* fruitionis: & dæmones, qui erant *divites* possidentes illam prædam, & totum genus humanum, *dimisit inanes* & vacuos, prædâ eis ablatâ. A B

Item, post Ascensionem *deposuit* Judæos obstinatos *de sedibus* eorum, & *dispersit* eos per mundum, ut dictum est, & *exaltavit humiles &c.* Et sic patet, quòd omnia ista fecit Christus quando venit in carne. Et ideo dicit *Virgo Maria* in fine hujus Cantici, quòd quia *Israel* jam *suscepit puerum suum* in lege promissum, qui omnia supradicta partim fecit, & partim in brevi debet facere: ideo ipsa agendo gratias *magnificat Dominum &c.*

Istud Canticum est principiù Euangelii

Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est in principio: quòd istud Canticum est finis totius Legis & Prophetarum, & principium totius Euangelii. Nam *Virgo Maria* recipiens Christum in Lege promissum in utero suo, agit gratias, annuntians, quòd *Israel* jam recepit Messiam in Lege promissum, de quo locuti sunt omnes Patriarchæ & Prophetæ, quem Deus promisit omnibus Patriarchis & Prophetis. Et per consequens agendo gratias, & magnificando Deum, euangelizat Christum jam venisse, qui fuerat à Deo promissus in Lege & Prophetis. Et ideo concludendo suum Canticum, dixit: Ideo *magnificat anima mea Dominum*, & *exultavit in Deo salutari meo*: quia *suscepit Israel puerum suum* Jesum & Salvatorem: & jam Deus *recordatus* est *misericordiæ suæ*, mittendo Filium suum mundi Salvatorem, *sicut locutus est* quondam *ad patres nostros*, scilicet, *Adam*, & *Enos*, & *Noe*: & *locutus est* & promisit ipsi *Abraham*, *& semini ejus in sæcula*, id est, successivè per singula sæcula & ætates. C D

Et nota quod ly *recordatus misericordiæ suæ*, non ordinatur cum ly *suscepit Israel puerum suum*, sed cum sequenti oratione: ut sit sensus: *suscepit Israel puerum suum*, *sicut Deus recordatus misericordiæ suæ locutus est ad Patres nostros &c.* Vel, ut clariùs & meliùs dicatur, ly *recordatus misericordiæ suæ*, facit sententiam & orationem per se cum supplemento: ut sit sensus, scilicet: *Suscepit* jam *Israel* Jesum *puerum suum*: quia Deus, supple, *recordatus misericordiæ suæ*, jam misit Filium suum, *sicut locus est ad patres nostros &c.* Vel, quia Deus *recordatus* est *misericordiæ suæ*, mittendo Filium suum, sicut promisit, & locutus est ad patres nostros &c. E

Sed hîc occurrunt tria dubia, Primò: Quis est *Israel*, qui *suscepit puerum suum*: cùm nos videamus, quòd populus Israel negavit, & abjecit, & crucifixit Christum? Secundò est videndum: quomodo, & quando Israel suscepit istum puerum Jesum? Tertiò: ad quos patres, & quomodo, & quando Deus locutus est de Christo? & quando, & quomodo locutus est, & promisit Deus Christum ipsi *Abraham* & *semini ejus in sæcula?* F

Not. quis sit Israel.

Quantum ad primum respondetur, sicut dictum est in *Prologo* super Psalterium, *Tractatu* 4. & per totam ejus Expositionem, & in *Tractatu contra Judæos*: quòd ista nomina, scilicet, *Abraham*, & *Israel*, & *semen Abrahæ* & *Israel*, non sunt nomina carnis & naturæ; sed nomina fidei, & gratiæ, & mysterii. Nam primò *Abraham* à sua nativitate carnali appellatus est *Abram* à parentibus: scriptum cum simplici *a*, ut patet *Genes.* 11. Sed postquam facta est repromissio de Christo futuro, & ipse credidit repromissioni, propter quam fidem fuit justificatus; tunc fuit ipsi mutatum nomen per quamdam additionem, propter fidem quam habuit de Christo futuro &: sic dictus est *Abraham* scriptum cum duplici *a*. Unde legitur *Genes.* 15. quòd quando *Abraham* petiit à Deo generationem & prolem, ne moreretur sine liberis, qui succederent in ejus hereditatem: tunc Deus eduxit ipsum foras, dicens: *Suspice cœlum*, *& numera stellas*, *si potes*; *sic erit semen tuum*: & tunc *credidit Abraham*, *& reputatum est illi ad justitiam.* G

Ex quibus verbis sequitur primò: quòd Deus non promisit ipsi *Abraham* semen terrenum, sed cœleste & spirituale: quia non dixit: Respice terram; sed, *Respice cœlum*, per quod fuit denotatum, quod ex cœlo debebat descendere semen ejus: hoc est, quod Filius Dei debebat sumere carnem ex semine ipsius *Abraham*, scilicet ex *Maria Virgine* futurâ filiâ ipsius Abraham. Item sequitur, quòd Christus Deus & homo cœlestis debebat regnare, & multiplicare filios cœlestes spirituales ipsi *Abraham*, per hoc quod ait: *Numera stellas*, *si potes.* Tertiò sequitur; quòd tunc *Abraham* credidit Christo futuro: immò credidit Christum futurum Deum & hominem, & mundi Salvatorem, propter quam fidem fuit justificatus, per hoc quod ait: *Credidit Abraham Deo*, *& reputatum est illi ad justitiam.* H

tiam. Nam si Abraham per talem promissionem credidisset tantùm generationem carnalem futuram, & non spiritualem super naturam, & non Deum incarnandum; sua credulitas non fuisset ex fide infusâ: quia absque fide infusâ & supernaturali unusquisque potest credere res carnales & naturales; & sic non fuisset justificatus per fidem, nec *merces sua* fuisset *magna nimis*, prout dicitur in textu. Et sic patet, qualiter per talem promissionem fuit ipsi Christus promissus: & quia credidit, per talem fidem Christi futuri fuit justificatus. A

Item ulteriùs, postquam jam habuerat filium carnalem, scilicet *Ismael*, iterum vocavit eum Deus, dicens: *Ego sum: & ponam pactum meum tecum, eritque pater multarum gentium: nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te &c.* Et tunc Deus fecit pactum Circuncisionis cum *Abraham*. Et sic *Abraham* cepit Circuncisionem in signum fœderis & fidei Christi futuri. B

Ex quibus patet, quòd Abraham ante Circuncisionem jam crediderat Christum futurum, & per solam fidem Christi futuri fuerat jam justificatus: sed cepit Circuncisionem in signum fœderis, & tamquam signaculum fidei, ut inquit *Apostolus*: in qua quidem Circuncisione Deus acceptabat illum modicum sanguinem non in pretium solidum, sed tamquam arrham & signum pretii futuri per Christum in Cruce solvendi, ut dictum est super *Psalm.* 39. & in *Tractatu contra Judæos.* C

Item sequitur, quòd regeneratio baptismalis & fidei, quam figurabat illa Circuncisio, & additio illius nominis, non tollit substantialiter naturam hominis; sed addit gratiam supra naturam, removendo peccatum quod corrumpebat naturam: quod denotatur per hoc, quòd illa syllaba *ha* cum aspiratione addita ipsi nomini *Abram*, nil removet de substantia nominis: sed addit & adauget ipsum nomen, addendo istam syllabam *ha*: & sic dicitur *Abraham*: per quod mysterium patet, quòd istud nomen *Abraham* non est nomen nativitatis & naturæ; sed nomen fidei, & repromissionis, & gratiæ, & spiritualis regenerationis, & nomen augmentationis & perfectionis, in quantum gratia addit supra naturam, & perficit eam. D

Et per hoc etiam denotatur, quòd *Abraham* debebat habere duplicem generationem, scilicet, unam naturalem & carnalem, figuratam per hoc nomen *Abram*, quod ante habebat: & aliam spiritualem per repromissionem, figuratam per additionem hujus nominis *Abraham*, quod patet: nam jam nato *Ismaele* filio carnis, facta est ipsi repromissio per Isaac. E

Item hoc magis explicatur *Genes.* 22. quando facto sacrificio, Deus cum promissione, & jurejurando dixit ipsi Abraham: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & arenam quæ est in littore maris: & in semine tuo benedicentur omnes gentes &c.*

Ex quibus patet, quòd duplicem generationem, & duplicem multiplicationem promittit Deus ipsi *Abraham*, scilicet, generationem carnalem, figuratam per *arenam maris*: & multiplicationem spiritualem figuratam per *stellas cœli.* Item sequitur, quòd generatio spiritualis erat multiplicanda ex populo Gentili per baptismalem benedictionem in Christo, per hoc quod ait: *In semine tuo benedicentur omnes gentes &c.* F

Ex his omnibus patet, quòd istud nomen *Abraham* non est nomen carnis & naturæ, nec carnalis generationis & nativitatis: quia nonaginta annorum erat *Abraham*, quando datum est à Deo ipsi istud nomen: sed est nomen fidei Christi & repromissionis, & gratiæ, & benedictionis.

Hi sunt filii Abraham.

Ex quo sequitur, quòd filii carnalis tantùm descendentes ab *Abraham* sine fide Christi & regeneratione, non sunt verè *filii Abrahæ*, sed *filii Abram*, id est, secundùm carnem tantùm, & non secundùm promissionem & fidem: quia *Abraham* est nomen fidei, & gratiæ, & benedictionis: Ergo solum sunt veri filii *Abrahæ* illi qui ipsum receperunt, & fidem ejus, & fuerunt regenerati & benedicti in Christo per Baptismum: quia isti addiderunt gratiam & benedictionem super naturam. Et sic patet, qualiter populus Gentilis, id est, omnes venientes ex illo populo, & omnes qui regenerati sunt in Christo per Baptismum, facti sunt *semen Abrahæ*, & veri *filii Abrahæ* secundùm repromissionem: quia secuti sunt fidem ipsius Abrahæ, & benedicti sunt in Christo, qui fuit ex semine Abrahæ secundùm carnem. G

Et sic etiam patet, qualiter hoc nomen *Abraham* transivit à populo Judaico in populum Gentilem per fidem Christi, & prædicationem Apostolorum. Nam Apostoli in Christo primò regenerati, regeneraverunt postea populum Gentilem per Baptismum: & sic per fidem, & regenerationem baptismalem fuit translatum & continuatum nomen & *semen Abrahæ* in populum Gentilem, & continuatur semper in populo Christiano: & sic nos sumus veri *filii* & *semen Abrahæ.* H

Tria fecit Abraham &c.

Unde tria fecit *Abraham*, antequam consequeretur nomen augmentatum. Nam primo exivit de terra nativitatis, ubi idola adorabantur. Secundò, invocavit nomen Domini, quod est Verbum incarnatum.

tum. Tertiò, credidit Deum incarnatum, qui ipsi hæreditatem debebat dare in cœlo; & hæc fides fuit ipsi reputata ad justitiam. A Et ideo in præmium adeptus est hoc nomen *Abraham*, tamquam pater multarum gentium: sed postea per mysterium immolationis arietis pro *Isaac* credidit Christum passurum pro nobis. Ideo dictum est ipsi, qualiter in Christo erant regenerandæ omnes Gentes.

Per eamdem ergo rationem istud nomen *Israel* non est nomen naturæ, nec carnalis nativitatis & generationis; sed est nomen fidei, gratiæ, & benedictionis. Unde legitur *Genes.* 32. quòd quando *Jacob* reverteretur ex *Mesopotamia* in terram promissionis, dum dormiret juxta vadum Jordanis, *Ecce vir*, id est, Angelus in forma viri, *luctabatur cum eo usque ad mane*: quem noluit dimittere Jacob, usquequo benedixit sibi; cui dixit Angelus: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Et tunc Israel vocavit nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea &c.* B

Nomen Israel impositum propter quatuor.

Ex quibus patet, quòd propter quatuor impositum est ipsi noviter hoc nomen Israel. Primò propter fidem, quia vidit hominem, & credidit Deum in illo homine, dicens: *Vidi Dominum facie ad faciem &c.* Et sic per fidem vidit in spiritu, & credidit Deum incarnandum. Et ideo dictus est *Israel*, quod interpretatur *vir videns Deum.* Item secundò, quia tenuit fortiter Deum. Tertiò, quia fuit à Deo benedictus. Quartò, quia fuit per eum directus. Et ideo ille qui à nativitate dicebatur *Jacob*, dictus est postea *Israel* à Deo propter ista quatuor: *Israel* enim idem est quod *vir videns Deum*, & *fortis*, aut *princeps cum Deo*, & *benedictus*, & *directus à Deo.* Ex quo patet, quòd istud nomen *Israel* non est nomen nativitatis & naturæ; sed nomen fidei Christi, & nomen fortitudinis, & benedictionis, & directionis. C

Ex quibus etiam patet, quòd non solùm sunt veri *filii Israel* illi qui nati sunt ex eo solum secundùm carnem, sed soli illi qui habuerunt & habent fidem *Israel*, quam habuit *Jacob* de Christo incarnando D in illa luctatione. Et solum sunt *verus Israel*, & *veri filii Israel* illi, qui sunt benedicti per Christum, & in Christo per baptismum, & qui sunt directi à Christo per Legem Euangelicam. Et sic etiam est dicendum, quòd ante adventum Christi, & in adventu Christi solum erant *veri filii Israel* illi, qui credebant & expectabant Filium Dei incarnatum in Messiam, & qui credebant & expectabant salvari per ejus mortem & passionem, & benedici per baptismum, & dirigi per Legem Euangelicam, sicut prævidit, & credidit *Jacob* in E illa visione, propter quam fidem sortitus est hoc nomen *Israel.* Et sub istis quatuor conditionibus expectabant illum omnes Patriarchæ, & Prophetæ, ut probatum est per totam Expositionem Psalmorum.

Et ideo sequitur, quòd Scribæ & Pharisæi, & sequaces eorum jam non erant veri *filii Israel*, quando venit Christus: quia non credebant, nec expectabant Messiam Deum & hominem, nec Deum incarnatum ad salvandum eos spiritualiter; sed expectabant Messiam purum hominem, qui liberaret eos de servitute temporali Romanorum, & prosperaret eos in copia bonorum temporalium. Et ideo omnes erant Hæretici devíantes à verâ intelligentiâ Sa- F cræ Scripturæ Legis & Prophetarum; & per consequens non habebant fidem *Abrahæ*, nec *Israel*, sicut latiùs probatum est per totam Expositionem Psalmorum, & in *Tractatu contra Judæos.*

Ex quibus sequitur, quòd veritas nominis *Abrahæ* & *Israel* solùm fuit reservata in *Virgine Maria*, & *Joseph*, & *Zacharia*, & *Joanne Baptista*, & *Elisabeth*, & *Simeone*, & cæteris qui expectabant veram redemptionem Israel. Et ideo ipse *Simeon* & *Zacharias* habuerunt *responsum à Spiritu sancto, non visuros mortem, nisi viderent Christum Domini*, ut patet *Lucæ* 1. de Zacharia, & *Lucæ* 2. de Simeone, & patebit infra.

Ex quibus patet, quòd quando venit Christus jam erant divisi filii Israel in fi- G lios carnis tantùm, qui erant Scribæ & Pharisæi, & sequaces eorum; & in filios spiritus, & promissionis, & fidei, & gratiæ, qui erant fideles supradicti: quod fuit figuratum in *Jacob*, qui post factam promissionem, & illam visionem, & impositionem nominis mansit claudus uno pede, & rectus alio pede: ad denotandum, quòd una pars filiorum debebat claudicare & deviare à fide ejus, & à vera promissione, & intelligentiâ Sacræ Scripturæ, sicut Scribæ & Pharisæi, & omnes sequaces eorum, qui sunt Judæi moderni obstinati: & altera pars filiorum Israel debebat manere recta in fide ejus, Christum recipiendo, sicut *Virgo Maria* cum supradictis, & omnibus fidelibus futuris. Et sic patet qui sunt H *veri filii Israel*, & *verum semen Abrahæ.* Et patet primum quæsitum.

Nota quomodo & quando Israel suscepit puerum Jesum.

Quantum ad secundum patet ex superioribus: nam postquam veritas nominis *Israel* mansit in *Virgine Maria*, & *Joseph*, & quibusdam fidelibus; ideo *Virgo Maria* cum illis fidelibus suscepit Jesum Christum vice, & in persona totius Israel, & omnium Patriarcharum & Prophetarum, & omnium fidelium præteritorum veteris Testamenti, & tamquam verum Messiam & Redemptorem & Salvatorem

in

in lege promissum. Sed omnes isti non receperunt eum eodem tempore, nec modo. Nam sola *Virgo Maria* suscepit ipsum primitate temporis & dignitatis: quia non solùm suscepit ipsum mente, sed etiam carne in ejus utero virginali, quando dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: quia tunc in eodem instanti opere Spiritus sancti corpus Christi fuit ex puris sanguinibus Virginis formatum, & perfectè organizatum, & à tota Trinitate anima fuit in illo corpore creata, & in eodem instanti tota illa humanitas in atomo conditionata fuit à verbo personaliter assumpta: & sic *Virgo Maria* in eodem instanti concepit, & suscepit in utero virginali Jesum verum & perfectum Deum & hominem tamquam mundi Redemptorem & Salvatorem, prout Angelus ipsi annuntiaverat.

In secundo autem loco suscepit ipsum beatus *Joseph* Sponsus Virginis. Nam cum *Maria* esset inventa in utero habens de Spiritu sancto, & *Joseph* cogitaret occultè dimittere eam: tunc Angelus apparuit in somnis *Joseph*, dicens: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum &c.* Tunc autem *exurgens Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus, & accepit Mariam conjugem suam &c.*

Ex quo patet, quòd *Joseph* tunc accepit *Mariam* tamquam Matrem Dei: quia jam antè erat ipsi vera conjux & sponsa: & tunc accepit puerum Jesum tamquam Salvatorem mundi, ut patet *Matth.* 1.

Joannes suscepit Jesum.

In tertio autem loco suscepit Jesum *Joannes Baptista* tamquam Dominum & Salvatorem mundi: & hoc, quando *Maria* ingressa est domum *Zachariæ*, & salutavit *Elisabeth*: quia tunc *Joannes* exultavit in gaudio in utero ipsius *Elisabeth*: & ex consequenti *Elisabeth* plena Spiritu sancto recepit *Mariam* tamquam Matrem Dei, & recepit Jesum Christum tamquam Dominum & mundi Salvatorem, cùm dixit: *Et unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me? Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & beata quæ credidisti: quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino &c.*

Ex quibus patet, quòd isti tres, scilicet *Joseph*, & *Joannes Baptista*, & *Elisabeth* suscepterunt Christum in Dominum & mundi Salvatorem, adhuc existentem in utero Virginis Mariæ.

Item in quarto loco suscepit ipsum *Zacharias* pater Joannes Baptistæ: quia in nativitate filii sui plenus Spiritu sancto prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ &c.* In quo quidem Cantico *Zacharias* annuntiat & confitetur Salvatorem & Redemptorem venisse ad faciendam salutem & redemptionem plebis suæ: & confitetur in Christo esse completas omnes promissiones factas ipsi *Abrahæ*, & omnibus Patriarchis & Prophetis de Messia mundi Salvatore & Redemptore: & prædicit, *Joannem Baptistam* futurum præcursorem Christi ad præparandas vias ejus. Et confitetur, qualiter jam *visitavit nos oriens ex alto illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Ex quibus patet, quòd *Zacharias* jam confessus est, & suscepit Christum adhuc existentem in utero Matris tamquam Salvatorem & Redemptorem & Regem Israel, & per consequens Messiam in Lege & Prophetis promissum, ut patet *Lucæ* 1.

In quinto autem loco susceperunt ipsum pastores, qui monitu Angeli venerunt ad adorandum Christum noviter natum in *Bethlehem*, ut patet *Lucæ* 2. Nec est ambigendum, quin *Elisabeth* & *Zacharias* venerint ad adorandum Christum in præsepio, sicut pastores; eò quòd domus *Zachariæ* vix distabat à *Bethlehem* per unum milliare.

In sexto autem loco in persona, & vice totius populi Gentilis facti veri Israelitæ per fidem, venerunt *Magi* ab Oriente & adorarunt Christum, tamquam Deum & hominem, & Dominum totius universi, & specialem Regem Judæorum, & per consequens verum Messiam in Lege promissum, ut patet *Matth.* 2. Et sic patet, qualiter illi *Magi* facti veri Israelitæ susceperunt Christum in persona, & vice totius populi Gentilis, qui erat futurus *verus Israel*, & *semen Abrahæ* per fidem: & erat benedicendus, & regenerandus in Christo, tamquam verum semen Abrahæ secundùm repromissionem ipsi factam, prout supra dictum est.

In septimo autem loco suscepit eum *Simeon* justus in Templo in persona totius Israel, & in persona Legis. Unde cum *Virgo Maria* non obligaretur apparere in Templo in quadragesimo die post partum, eò quòd non suscepto semine, sed opere Spiritus sancti conceperat, nec cum ærumnis & sordibus aliarum mulierum, sed cum puritate & virginitate pepererat: nec Christus erat obligatus ad præsentandum in Templo, eò quòd *solus inter mortuos liber*, in Adam non fuerat obligatus, quia non ex opere Adam conceptus fuerat, nec in carne peccati venerat, sed quia sponte voluit subjici legi, ut eos qui sub lege erant redimeret, & à jugo legis liberaret: ideo *Virgo Maria* sola inter omnes mulieres per Filii gratiam erat ab illa lege ex-

excepta : tamen monitu & voluntate Filii venit in quadragesimo die à nativitate secundùm legem Moysi ad præsentandum A Filium suum in Templo ipsi *Simeoni*, pro tunc vicem gerenti Summi Sacerdotis : & præsentavit ipsum illi. Quasi diceret *Virgo Maria* : O Simeon! Ecce Filius meus, quem licèt videas venire in similitudinem carnis peccati, ut damnet peccata omnium in carne sua, tamen non habet ullum peccatum : quia non ex opere Adam conceptus, nec natus est. Ideo non præsento ipsum tibi tamquam peccatorem, sed tamquam peccatorum omnium Salvatorem & Redemptorem, & totius Israel à jugo legis liberatorem &c.

Tunc *Simeon* justus, qui diu expectaverat & optaverat redemptionem Israel, & *acceperat responsum à Spiritu sancto* B *non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini* : cognovit in spiritu, illum sibi præsentatum esse Salvatorem mundi. Ideo cum gaudio & lacrymis accepit illum in ulnas suas, & benedixit Deum gratias agendo, & dixit : *Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quasi diceret : O Domine postquam oculi mei viderunt Salvatorem mundi, jam non est ampliùs quod desiderare queam. Ideo quia jam desiderium meum impletum est secundùm promissionem mihi factam, dimitte me in pace : quia contentus recedam ab hoc mundo : quia scio in brevi liberari, & exire de limbo inferni per istum Salvatorem, quem C præparasti *ante faciem omnium populorum*, ut sit *lumen ad revelationem* & illuminationem *gentium*, & spiritualem *gloriam plebis tuæ Israel.* Quasi diceret : Iste non erit Salvator temporalis solius populi Judaici, ut dicunt Scribæ & Pharisæi : sed erit illuminator & glorificator omnium gentium, & plebis tuæ Israel : & sic erit Redemptor universalis, quia omnes fient Israel in eo per lumen fidei.

Et tunc *Simeon* conversus ad *Virginem Mariam* annuntiavit ipsi totum mysterium passionis & resurrectionis Christi, & nostræ redemptionis, & prædixit obstinationem multorum Judæorum. Et tunc D etiam *Anna* prophetissa prædicabat ipsum universalem Redemptorem mundi omnibus qui expectabant redemptionem Israel, ut patet *Lucæ* 2. Et sic patet, qualiter *Simeon* in persona Legis & Sacerdotii, & totius veri Israel suscepit Christum puerum suum, scilicet, sibi promissum tamquam Redemptorem, & Messiam, & Salvatorem.

Sed posteà in trigesimo anno in tempore ostensionis suæ, susceperunt ipsum Apostoli, & discipuli, & mulieres, quæ Christum sunt secutæ usque ad passionem & sepulturam, inclusivè. Et exinde post Spiritus sancti missionem suscepit ipsum E magna multitudo conversorum de Judaismo, ut patet per totum discursum *Actuum Apostolorum.* Ultimò autem totus populus Gentilis factus verus Israel per fidem & regenerationem baptismalem, *suscepit* Christum *puerum suum* ipsi promissum in Abraham, ut patet *Genes.* 22. & in Jacob, *Genes.* 49.

Ex quibus patet, quòd *Simeon* justus fungens pro tunc suo sacerdotio in Templo, tamquam Sindicus & procurator Legis, & Sacerdotii, & omnium Patriarcharum & Prophetarum, & totius Israel, *suscepit* Jesum *puerum suum* tamquam Redemptorem & Messiam & Salvatorem Israel : & sic confessus est ipsum Salvatorem, & *lumen gentium*, & *gloriam plebis Dei* F *Israel.* Sed Magi primicerii populi Gentilis susceperunt ipsum in Dominum. Sed Apostoli, tamquam primicerii & principes totius Ecclesiæ Christi, susceperunt ipsum in Redemptorem & Glorificatorem : quæ quidem Ecclesia fuit congregata ex conversis de populo Gentili & Judaico, quæ dicitur *verè Israel* & *semen Abrahæ* secundùm fidem. Et sic patet, quomodo, & quando, & per quos suscepit Israel puerum suum, prout secundò quærebatur.

Quantum ad tertium est dicendum, quòd *Deus recordatus misericordiæ suæ*, multotiens, & multis modis locutus est ad Patres veteris Testamenti, & per diversa sæcula successivè locutus est ipsi G *Abraham*, & semini ejus, Christum promittendo. Nam in prima ætate locutus est ad *Adam* post lapsum, & postquam ejecit ipsum de paradiso. Unde dicit *Augustinus in libro Cur Deus homo*, quòd *Deus licèt in puniendo Adam propter inobedientiam fuerit usus justitiâ : tamen recordatus suæ misericordiæ, promisit ipsi mittere Filium suum in carne, qui eum cum tota sua posteritate per carnem suam redimeret : ut si de instanti miseria doleret ; tamen de suo suæque posteritatis remedio jam de longinquo gauderet &c.* Et sic etiam locutus est ad *Abel* de Christo futuro : & ad *Enos*, qui incœpit invocare H nomen Domini : quod quidem nomen nil aliud est, nisi Verbum incarnatum, ut frequenter dictum est. Et sic etiam locutus est ad *Henoch*, qui per Fidem Christi futuri placuit Deo, & translatus est in paradisum, *Eccl.* 44.

Deus locutus est Patribus multis modis.

Item, in secundo sæculo & ætate locutus est ad *Noe*, & fecit cum eo pactum fidei post diluvium promittendo ipsi Christum Salvatorem mundi per figuram & mysterium arcus fœderis cœlestis, dicens : *Et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam omnem carnem &c. arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me & terram : eritque arcus meus*

Nota de arcu fœderis.

in

in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni &c. Genes. 9. Per quod mysterium prævidit *Noe* totum A mysterium Incarnationis, & nostræ redemptionis. Nam ille arcus, qui dicitur Iris, nil aliud est nisi imago solis in profundo nubis roratæ jam quasi digesta: quæ quidem imago causat tres principales colores præter alios minus principales: sed, colorem rubeum, & viridem, & cœruleum: per quod fuit significatum, qualiter Filius Dei, qui est imago Patris, debebat descendere de cœlo, & poni, & latere in nube humanitatis, & fieri homo, qui dicitur Christus, in quo est Verbum, & caro, & anima tamquam tres colores.

Unde sicut quando apparet ille arcus fœderis in nube, ampliùs non timetur tempestas, nec diluvium; quia ille Arcus videtur sedare omnem tempestatem: ita quando Filius Dei apparuit incarnatus in mundo, jam amplius non timuimus diluvium damnationis. Et sic Deus respiciens ad illum Arcum, recordatur fœderis & pacti, ne amplius inducat diluvium. Ita pariter Deus respiciens Christum Verbum incarnatum tamquam imaginem suam, semper *recordatur misericordiæ suæ.* Et sic *recordatus* per merita passionis Filii sui, figurata per colorem rubeum, liberavit totum genus humanum de diluvio perpetuæ mortis & servitutis: & quotidie liberat nos à peccatis, respiciendo merita passionis Christi Filii sui. Et hoc mysterium Incarnationis & Redemptionis generis humani prævidit *Noe* in spiritu C per illum arcum fœderis; & etiam per liberationem à diluvio factam per Arcam, & sub tali fide Christi futuri Redemptoris salvatus est *Noe* cum suis filiis fidelibus in primo & secundo sæculo.

Item in tertia ætate locutus est Deus ipsi *Abraham* promittendo filium suum Salvatorem mundi, cum dixit: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Et tunc quia credidit *Abraham* Salvatorem mundi futurum de suo semine secundùm carnem; ideo *reputatum est ei ad justitiam, Genes.* 15. & etiam locutus est Deus ipsi *Genes.* 22. in sacrificio Isaac, quando dixit: *Per memetipsum juravi: quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo propter me, multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in* D *littore maris: & in semine tuo benedicentur omnes gentes.* In quibus verbis prævidit *Abraham* in spiritu, & credidit ipsum futurum ex sua generatione secundùm carnem, in quo omnes gentes erant benedicendæ, & regenerandæ per fidem Baptismalem, & fieri *semen Abrahæ* secundùm repromissionem. Et prævidit etiam totum mysterium passionis Christi, scilicet qualiter Christus erat crucifigendus in illo loco & monte, ubi ipse immolaverat arietem: ideo appellavit nomen loci illius, *Dominus* E *videbit.* In Hebræo autem habetur: *In loco Dominus videbitur.* Quasi dicat: quòd Dominus Jesus Christus Deus & homo videbitur crucifigi in hoc loco, sicut in veritate completum est: quia in eodem loco crucifixus est Christus, ubi *Abraham* immolavit illum arietem.

Deinde autem Deus *locutus est semini ejus*, id est, posteris Abrahæ, de Christo per singula sæcula, & singulas ætates. Nam in eadem tertia ætate locutus est ipsi *Isaac* promittendo ipsi Christum, *Genes.* 26. Unde quando *Jacob* venit ad *Isaac* coopertis manibus pellibus hœdi, simulans fratrem suum *Esau*, & petiit benedictionem, & osculatus est eum Isaac; & sentiens fragrantiam & odorem vestimentorum, benedicens eum dixit: *Ecce odor filii mei sicut odor* F *agri pleni, cui benedixit Dominus &c.* Tunc *Isaac* prævidit in spiritu, qualiter Filius Dei debebat fieri homo, & indui, & sumere carnem de genere *Jacob:* quia jam tunc sensit odorem & fragratiam vestimentorum humanitatis Christi; quæ fuerunt merita passionis Christi, quibus genus humanum fuit recreatum.

Locutus est Deus posteris Abrahæ.

Item, in eodem tertio sæculo mundi Deus locutus est ipsi *Jacob*, *Genes.* 18. quando vidit scalam stantem super terram, cujus summitas tangebat cœlum; & Angelos ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem: *Ego sum Deus Abraham & Isaac*: ubi facta est ipsi repromissio de Christo futuro. Item, G jam clariùs prævidit *Jacob* Christum incarnandum, *Genes.* 23. quando luctatus est cum Angelo informa viri. Item clarius prævidit in spiritu, & prædixit *Jacob* mysterium Incarnationis, & passionis Christi, & conversionem Gentium, *Genes.* 49. quando dixit: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de fœmore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio Gentium &c.*

Item, in quarta ætate locutus est Deus ipsi *Moysi* promittendo Christum, quando *Exod.* 23. dixit: *Ego ostendam omne bonum tibi: & vocabo te nomine tuo, & miserebor cui voluero &c. Et ponam te in foramine petræ: & protegam te dexterâ meâ donec transeam: tollamque manum meam, &* H *videbis posteriora mea &c.* Item clariùs promisit Deus Filium in carne, quando dixit *Deuter.* 19. *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum similem tui: ponam verba mea in ore ejus: loqueturque ad eos quæcumque dixero illi &c.*

Item in quinta ætate & sæculo mundi locutus est Deus ipsi *David* promittendo ipsi Christum in carne, quando dixit ipsi 2. *Reg.* 7. *Cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo: & firmabo regnum ejus, ipse ædificabit domum nomini meo: & stabiliam thronum regni ejus usque in sempi-*

ter-

ternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium &c. Item, hoc idem patet *Psalm.* 88. & 131. A

Item in eadem ætate Deus locutus est *Isaiæ* promittendo Christum, dicens *cap. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel &c.* Item, *cap. 9. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi &c.* Hoc idem patet per totum discursum Isaiæ. Item *Hieremiæ* 31. *Novum creavit Dominus super terram: fœmina circundabit virum &c.* Item, *cap.* 38. *Germinare faciam David germen justum: & faciet judicium & justitiam in terra, & salvabitur Juda &* B *Hierusalem: & hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster &c.* Item *Ezech.* 36. *Cum sanctificatus fuero in vobis, effundam super vos aquam mundam: & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris &c.*

In sexta autem ætate locutus est Dominus per Angelum Gabrielem ipsi *Danieli*, dicens: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, &* C *deleatur iniquitas, & inducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur sactus sanctorum &c.* Item in eadem sexta ætate promisit Deus ipsi *Aggæo* mittere Filium suum in illud secundum & ultimum Templum, dicens: *Adhuc modicum est. Et ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes Gentes: Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus: magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ &c.* Item *Zachar.* 2. *Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum, in die illa erunt mihi in populum &c.* Item *cap.* 19. *Ecce rex tuus venit justus & Salvator: ipse pauper sedens super asinam, & super pullum filium asinæ &c.*

Item ultimò in eadem sexta ætate locutus est Dominus *Malachiæ* 3. dicens: D *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis &c.* Quæ quidem prophetia simul cum prophetia Aggæi fuit impleta, quando *Virgo Maria* præsentavit Christum Filium suum *Simeoni* in Templo: Quia tunc *suscepit Israel puerum suum, sicut Deus locutus fuerat ad patres nostros,* & promiserat ipsi *Abraham & semini ejus* successivè per sæcula & ætates. Et sic patet, quomodo, & quando, & ad quos patres locutus est Dominus in Testamento veteri, promittendo Christum venturum; & E quomodo hoc promisit ipsi *Abraham, & semini ejus in sæcula.* Et ideo dicit *Virgo Maria* concludendo Canticum suum, quòd ipsa *magnificat Dominum* agendo gratias, quia jam *suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini ejus in sæcula.*

Unde notandum: quòd Deus dupliciter fuit *recordatus misericordiæ suæ*, id est, ad modum recordantis se habuit. Primò promittendo Filium suum in carne ad salvandum populum, sicut dicit *Augustinus lib. Cur Deus homo: Quia ne desperaret Adam, & sui successores, misertus Dominus promisit Filium suum in carne.* Secun- F dò, fuit Dominus recordatus misericordiæ suæ, mittendo ipsum sicut promisit. Et ideo ly, *recordatus misericordiæ suæ*, potest dupliciter ordinari. Uno modo cum ly *sicut locutus est*: ut sit sensus, quòd jam *suscepit Israel puerum suum, sicut* Dominus *recordatus* quondam *misericordiæ suæ locutus est ad patres nostros.* Secundo modo ly *recordatus misericordiæ suæ* potest facere orationem per se per verbum substantivum subintellectum, referendo ad tempus missionis: ut sit sensus, quòd jam *suscepit Israel puerum suum*, eò quòd *Deus* in hac septima ætate *recordatus* est *misericordiæ suæ* mittendo Filium suum, *sicut* quondam *locutus est ad patres nostros &c.*

Deus fuit dupliciter recordatus misericordiæ.

G Item est advertendum, quòd ly *Abraham* est dativi casus indeclinabiliter, sicut hoc nomen *Abraham* frequenter ponitur indeclinabiliter per omnes casus: sicut ibi: *Deus Abraham, Deus Jacob &c.* Item *Psalm.* 104. *Semen Abraham servi ejus, & filii Jacob electi ejus:* & ideo ly *Abraham & semini ejus* regitur ab illo verbo *locutus est* iterum repetito, referendo ad diversa: ut sit sensus, scilicet, sicut Deus locutus est ad patres nostros primæ & secundæ ætatis, scilicet, *Adam* & *Noe*; & *sicut locutus est* ipsi *Abraham, & semini ejus.*

Iterum est advertendum, quòd ly *in sæcula*, dupliciter potest ordinari. Primò cum ly *recordatus misericordiæ suæ*: & H tunc est idem quod *in æternum*: ut sit sensus: *Deus recordatus misericordiæ suæ in sæcula*, id est, in æternum: quia in æternum misericordia ejus. Alio modo potest ordinari cum ly *locutus est.* Et tunc idem est quod per sæcula, id est, per singula sæcula & ætates: scilicet, *Israel suscepit puerum suum, sicut Deus recordatus misericordiæ suæ locutus est* quondam per singula sæcula *ad patres nostros*, & *locutus est* per singula sæcula successivè *Abraham & semini ejus.* Nam in primo sæculo & ætate mundi *locutus est ad Adam*: & in secundo sæculo ad *Noe*: & in tertio sæculo *locutus*

est ipsi *Abraham*, & sic successivè semini ejus. Nam in quarto sæculo locutus est ipsi *Moysi*: & in quinto ipsi *David*, & *Isaac*, & *Hieremiæ*, & *Ezechiæ*, & cæteris. Et A in sexto locutus est *Danieli*, & *Aggæo*, & *Zachariæ* & *Malachiæ*. Sed in septimo sæculo Deus adimplevit quòd promiserat omnibus supradictis: quia misit Filium suum in carne: Et sic *Israel suscepit puerum suum* Jesum, *sicut Deus recordatus misericordiæ suæ* omnibus supradictis per singula sæcula promisit.

Quare hoc Canticum dicitur de cachordum.

Et in hoc concluditur Psalterium decachordum, & Canticum novum *Virginis* B *Mariæ*. Quod quidem Canticum bene merito dicitur *Psalterium decachordum* propter ejus concordiam, & proportionatam harmoniam & melodiam. Nam nullum Canticum reperitur in Sacra Scriptura cum tanta harmonia & proportione artizatum. Habet enim decem chordas, quarum nulla discrepat ab alia; immò prima concordat cum ultima, & è converso: & semper media concordat cum præcedente & subsequente: & vita ejus non in rebus mundanis, sed in Deo salutari suo exultans in universali salute & redemptione.

Item, *Maria exultavit in Deo salutari suo*, eò quòd Dominus *respexit humilitatem ejus*, faciendo ipsam Matrem suam. C Et quia fecit ipsam Matrem suam, ideo *dicunt eam beatam omnes generationes*: immò ideo dicunt eam beatam omnes generationes, eò quòd Dominus *qui potens est, & nomen ejus sanctum, fecit ei magna*, id est, magnificavit eam magnis privilegiis, & supradictis duodecim dignitatibus eam super omnes alias puras creaturas dignificavit. Item, quia Deus potens est & sanctum nomen ejus, ideo non solum extendit potentiam & misericordiam suam ad Matrem suam, sed etiam *misericordia ejus* successivè processit *à progenie in progenies*; & D profuit & subvenit *omnibus timentibus* & credentibus in eum. Et sic in quantum Deus est sanctus, usus est misericordiâ cum omnibus timentibus eum. Sed in quantum potens, *fecit potentiam in brachio suo*, quod est Verbum incarnatum, & Filius ejus, contra omnes superbos & obstinatos: cum quibus non est usus misericordiâ, sed potentiâ & justitiâ: quia *dispersit* omnes dœmones, & Judæos, & obstinatos *superbos* de superba E *mente* & mala intentione *cordis sui*. Nam *deposuit* omnes supradictos *potentes de sede* potestatis, in qua sedebant: *& exaltavit humiles*, & obedientes, & fideles. Nam loco dœmonum exaltavit homines justos in sedes eorum. Et loco Scribarum & Pharisæorum, & Sacerdotum *exaltavit* Apostolos, & omnes Christianos in Sacerdotium & intelligentiam Legis. Et loco tyrannorum *exaltavit* Christianos Reges & Imperatores.

Item, *esurientes* Gentiles ad fidem conversos *implevit bonis* gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: sed Judæos *divites* in Lege & Prophetis reputatos, *dimisit inanes* F & vacuos, & privavit bonis supradictis. Sed quia omnia ista fecit Christus in suo adventu, qui est *brachium Dei*: ideo *Israel suscepit puerum suum Jesum*, qui fecit omnia supradicta. Et ideo Israel suscepit eum, eò quòd ipsi Israel fuerat promissus, *sicut Deus recordatus misericordiæ suæ locutus est* quondam *ad patres nostros* in prima & secunda ætate. Et postea locutus est ipsi *Abraham & semini ejus in sæcula*, id est, per singulas ætates & sæcula successivè, eo modo quo dictum est.



IN

IN CANTICUM ZACHARIÆ PRÆFATIO.

COnsummata autem & completâ Expositione Cantici Virginis Mariæ, rursus fui rogatus à quibusdam Sacerdotibus filiis meis, ut post tantum laborem assumptum non omitterem cætera tria Cantica Euangelica: putà, Canticum *Zachariæ*, & *Simeonis*, & *Angelorum*. Et ideo devotioni eorum satisfacere cupiens in Expositione supradictorum Canticorum breviter me expediam.

Ad quorum generalem intelligentiam est notandum, quòd licèt Cantica utriusque Testamenti fuerint facta semper ad laudem Dei, agendo gratias pro aliquibus beneficiis receptis; tamen est differentia inter Cantica novi Testamenti & veteris. Nam Cantica veteris Testamenti semper fuerunt facta, agendo gratias pro aliquibus bonis temporalibus tunc receptis, sed prout figurabant & significabant futura beneficia nostræ redemptionis conferenda in novo Testamento per adventum Christi: quia aliter illa Cantica non pertinerent ad Sacram Scripturam, sicut pluries dictum est. Sed Cantica Euangelica non sunt facta pro beneficiis temporalibus, sed pro beneficiis spiritualibus per illa beneficia temporalia veteris Testamenti figuratis; quæ quidem beneficia spiritualia recepimus in adventu Christi. Et sic Cantica Euangelica sunt gratiarum actiones, eò quòd jam recepimus beneficia nostræ redemptionis, quæ in veteri Testamento fuerunt promissa, & desiderata, & figurata, & vaticinata de futuro. Et ideo Cantica Euangelica sunt potiora, & digniora, quàm legalia, & prophetica. Quia potior est possessio, quàm spes; & potior finis, quàm ea quæ sunt ad finem. Sed quia sicut Incarnatio & Nativitas Christi fuit finis legis veteris: ita fuit principium nostræ redemptionis; ideo in Incarnatione & Nativitate Christi facta sunt quatuor Cantica per quatuor dignas & autenticas personas, & hoc successivè agendo gratias pro adventu Christi, nostræ redemptionis & salutis authoris.

Cantica potiora sunt Euangelica.

Quorum primum cantavit *Virgo Maria* in domo *Elisabeth* paulò post Incarnationem, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*: de quo supradicta Expositio facta est. Secundum Canticum cantavit *Zacharias* in tertio mense ab Incarnatione Christi in nativitate *Joannis Baptistæ*, Præcursoris ejusdem Christi, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* Tertium cantarunt *Angeli* in die & hora Nativitatis ejusdem Salvatoris, dicentes: *Gloria in altissimis Deo &c.* Quartum tandem Canticum cantavit *Simeon justus* quadragesimo die post Nativitatem Christi, quando fuit in Templo præsentatus, dicens: *Nunc dimittis servum tuum &c.* Sed quia Canticum Virginis superiùs fuit expositum, ideo cætera tria Cantica superno suffragante præsidio sunt nobis breviter differenda. Est verum, quòd licèt Canticum Angelorum sit tertium in ordine temporis, & scripturæ Euangelicæ: tamen erit ultimum in ordine expositionis. Ideo primò ad Expositionem Cantici *Zachariæ* est accedendum.

IN CANTICUM ZACHARIÆ

PROOEMIUM.

Benedictus Dominus Deus Israel &c.

AD intellectum & argumentum hujus Cantici est notandum, prout scribitur *Lucæ* 1. quòd circa tempus Incarnationis Christi inter fideles illius temporis, in quibus manserat vera fides, & spes *Israel* & *Abrahæ* de Christo futuro,

turo, & mysterio nostræ redemptionis: fuit unus *Zacharias* vir *Elisabeth*, unus de vigintiquatuor Sacerdotibus electis, A qui secundùm vices suas & hebdomadas ministrabant in Templo. Et ideo cum ille *Zacharias* vir sanctus & justus videret sceptrum de Juda esse ablatum, & regnum Judæorum in potestate *Herodis* viri alienigenæ & tyranni, qui multis modis affligebat populum: & videret populum Judæorum depravatum per falsam doctrinam, & fermentum Scribarum & Pharisæorum, qui jam depravaverant & corruperant Scripturam Legis & Prophetarum, falso modo, & ad suum lucrum glossando: & videret instare tempora adventus Messiæ, eò quòd jam erant complete sexaginta duæ hebdomadæ *Danielis* Prophetæ, in quarum fine promissus Christus B debebat venire: hinc est quòd diebus ac noctibus Deum orabat, ut Deus mitteret Christum Filium suum ad liberandum genus humanum de servitute peccati, & ad liberandum illum populum ab errore Scribarum & Pharisæorum & Hæreticorum, & de manu *Herodis* tyranni, ut omnes liberè & rectè possent Deo servire in justitia & veritate & sanctitate secundùm verum intellectum Sacræ Scripturæ.

Sed factum est cum *Zacharias* fungeretur officio sacerdotali in Templo secundùm vicem suam, quadam die apparuit ipsi Angelus *Gabriel* stans à dextris altaris incensi, qui dixit ipsi: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua*: de acceleratione adventus Christi, C supple. Unde *Elisabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*: eò quòd ipse erit Præcursor Christi, quem totus mundus desiderat, supple. Unde iste puer *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: & multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præibit* tamquam Præcursor *ante illum*, id est Christum, *in spiritu & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos* depravatos per Scribas & Pharisæos convertat *ad prudentiam* & veram intelligentiam *justorum, parare*, id est ad paran- D dum, *Domino plebem perfectam*: quia præparabit corda eorum, ut recipiant Christum & legem justitiæ ejus, & Euangelicæ veritatis &c. Sed quia *Zacharias* dubitavit in verbis Angeli, ideo mansit mutus non loquens usquequò verba Angeli fuerunt impleta, ut patet *Lucæ* 1. Et ideo postquam *Elisabeth* concepit *Joannem Baptistam*, in mense sexto idem *Angelus Gabriel* missus à Deo nuntiavit *Mariæ Virgini* Incarnatione Filii Dei, ex ea dando ipsi exemplum de *Elisabeth*, quæ conceperat filium in senectute suâ. Unde postquam *Virgo Maria* concepit Filium Dei, illicò exurgens, abiit cum festinatione E à *Nazareth* in *Judæam*: & ingressa domum Zachariæ salutavit *Elisabeth*. Et mansit cum ea tribus mensibus usque ad nativitatem *Joannis Baptistæ*, quem suscepit *Virgo Maria* in manibus: & interrogavit *Zachariam*, quem vellet vocari eum: qui accepto pugillari, scripsit dicens: *Joannes est nomen ejus*. Et tunc apertum est os *Zachariæ*. Et plenus Spiritus sancto, prout Christus existens in utero Virginis inspiravit in eum, agens Deo gratias cantavit hoc Canticum, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel.*

Maria suscepit Joannem in manibus.

In quo quidem Cantico duo principaliter facit. Nam primò agit gratias, quia jam venit Christus ad complendum omnia F promissa Patriarcharum & Prophetarum. Secundò, dirigit verba ad puerum natum commendando ipsum de officio Præcursoris: quia erat Præcursor Christi. Secunda ibi: *Tu puer Propheta Altissimi &c.*

Ad intellectum ergo primæ partis est notandum, quòd tota Sacra Scriptura Legis & Prophetarum frequenter appellatur *Testamentum Dei*: cujus ratio est. Nam *Testamentum* dicitur à *testando*, quod idem est quod affirmare. Et ideo utriusque Juris professores dispositionem omnium bonorum confirmatam per mortem testatoris appellant *testamentum*. Unde diffinientes testamentum, dicunt, quòd *testamentum est ultima voluntas testatoris*, id est, dispositio omnium bonorum per ul- G timam voluntatem testatoris confirmatam: ultimam autem voluntatem appellant illam, quæ per mortem finitur & confirmatur. Et ideo numquam dispositio testamenti est valida, nec confirmata, nisi per mortem testatoris: eò quòd per totum tempus antè testator potuit mutare voluntatem, & per consequens dispositionem suorum bonorum. Et ideo hæres non recipit hæreditatem, nisi post mortem testatoris: & ideo illa dispositio omnium bonorum, quæ facta est per magnum tempus per testatorem, non dicitur donatio, nec concessio; sed quædam sponsatio & promissio, quæ non sortitur effectum, nisi H per mortem testatoris.

Scriptura dicitur Dei Testamentum.

Ex quibus omnibus patet, quòd tota Scriptura Legis & Prophetarum ante adventum Christi, non propriè poterat dici testamentum respectu illius populi; sed sola dispositio testamenti, in quantum promittebatur eis Christus in carne venturus, qui eos de servitute peccati debebat liberare: & bona spiritualia gratiæ & gloriæ in hæreditatem conferre. Sed respectu Dei semper dictum est testamentum, in quantum voluntas Dei semper fuit & est firma & immutabilis: sed respectu illorum fidelium, & nostri, num-

quam

quam fuit verum Testamentum, usquequò per Christum & ejus mortem fuit confirmatum. Unde Christus Deus, qui olim illud Testamentum disposuerat per promissiones factas Patriarchis & Prophetis, posteà veniens in carne confirmavit per suam mortem & passionem. Et ideo tunc omnes fideles veteris Testamenti simul nobiscum receperunt repromissiones, ut inquit *Apostolus ad Hebr.* 11. Et sic patet, qualiter Testamentum novum nil aliud est, nisi confirmatio veteris Testamenti facta per Christum in sua Incarnatione, & conversatione, & morte, & resurrectione, & ascensione. Et ideo tota Scriptura utriusque Legis non est nisi unum Testamentum, scilicet, ante adventum Christi dispositum, & per adventum Christi confirmatum: quia tota Sacra Scriptura veteris Legis nil aliud fuit, nisi quædam dispositio Testamenti. Ideo dicitur *Psalm.* 88. *Disposui testamentum electis meis*; sed tota Scriptura novæ Legis nil aliud est, nisi confirmatio veteris, facta per mortem Christi. Ideo dixit Salvator: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, id est, per meum sanguinem noviter confirmatum, 1. *ad Cor.* 11. Et ideo hæc est causa, quare Patriarchæ & Prophetæ, & omnes fideles veteris Testamenti cum tanto affectu desiderabant adventum Christi, scilicet, ut veniret ad confirmandum Testamentum suum, & ut reciperent promissiones faciendas de beneficio redemptionis. Et hæc est causa quare *Virgo Maria*, & *Zacharias*, & *Simeon* cantarunt Cantica nova, agendo gratias in conceptione & nativitate Christi, eò quòd per Christum totum Testamentum vetus in brevi erat confirmandum; immò jam incipiebat confirmari. Et ideo est videndum, quæ sunt illa bona in veteri Testamento promissa, & in novo Testamento per Christum confirmata & completa, pro quibus *Zacharias* agit gratias in hoc Cantico.

Nota bona promissa in vet. Test. &c.

Ad quod dicitur, quòd primò Christus promisit venire in carne ad visitandum plebem suam, & oves suas, ut patet *Ezechiel.* 34. Secundò, promisit redimere populum suum, ut patet *Psal.* 129. Tertiò, promisit exaltare regnum *David* spirituale, de ipso carnem assumendo, ut patet 2. *Reg.* 7. & 23. & *Ps.* 88. & 131. Hoc idem patet *Isai.* 7. & 9. & *Hier.* 23. & 33. & *Ezech.* 34. Sed talis promissio priùs facta fuerat ipsi *Abrahæ*. Et ideo Zacharias in hoc Cantico agit gratias, quia omnes illas promissiones putat esse completas, postquam mysterium Incarnationis erat factum: eò quòd Christus in carne assumptâ omnia illa erat in brevi completurus. Et ideo dicit:

E *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.* — *Lucæ 1.*

QUasi dicat: quia jam visitavit nos per suam præsentiam, & prædicationem, & miraculorum operationem. Et jam fecit redemptionem plebis suæ per suam mortem & passionem.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. — *De Consec. d. 4. cap. ult.*

F *Sicut locutus est per os sanctorum: qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* — *Et 2. Reg. 7.*

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium qui oderunt nos. — *Ezec. 34. Psal. 129.*

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti. — *De Consec. d. 2. Iteratur.*

G *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* — *Isai. 7. & 9. Genes. 50. & 22.*

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, — *7. quæ. 1. Suggest.*

In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris. — *De Consec. d. 4. cap. Propriè.*

ET jam *erexit cornu*, id est, regnum salutis nostræ *in domo David pueri sui*, de Virgine Maria carnem assumendo: per quod mysterium exaltavit domum David, eò quòd Virgo Maria erat de domo David. Et exaltavit humanam naturam, in quantum dignatus est nostram naturam assumere. Et ideo *in domo David* exaltavit & *erexit cornu*, id est, victoriam nostræ *salutis*. Nam humanam naturam, quæ per peccatum ipsius Adam erat prostrata, Christus *erexit*, ipsam assumendo, & post mortem & passionem in ea resurgendo.

H

Quatuor ergo modis *erexit* humanam naturam prostratam. Uno modo, ip-

Naturam humanam erexit quatuor modis.

ipsam personaliter assumendo per incarnationem. Secundo modo ipsam liberando per mortem & passionem. Tertiò, A ipsam glorificando per resurrectionem. Quartò, in cœlo inter Angelos collocando per suam Ascensionem. Et totum hoc fecit Christus, *sicut* quondam *locutus est*, id est, promisit *per os Sanctorum Prophetarum ejus*: *qui à sæculo*, & in principio mundi *sunt*: id est, hoc fecit, ut impleret, & verificaret promissiones, quæ factæ sunt eis *à sæculo* & principio mundi, discurrendo per omnia sæcula & ætates. Nam in primo sæculo & ætate Christus Redemptor fuit promissus ipsi *Adam*, & *Abel*, & *Enos*, & *Henoch*: & in secunda ætate fuit promissus ipsi *Noe*: & in tertia ipsi *Abraham*, & *Isaac*, & B *Jacob*: & in quarta ipsi *Moysi*, & *Josue*: & in quinta ipsi *David*, & omnibus Prophetis primi Templi: & in sexto sæculo & ætate fuit promissus ipsi *Danieli* & *Aggæo* cum Prophetis secundi Templi, prout dictum est in Cantico Virginis.

Et ideo Christus venit in carne, & *visitavit nos* per Incarnationem; *& fecit redemptionem plebis suæ* per mortem & passionem. *Et erexit cornu salutis* nostræ per Resurrectionem & Ascensionem: *sicut locutus est* & promisit *per os Sanctorum* Prophetarum & Patriarcharum ejus, *qui sunt* & fuerunt *à sæculo* & mundi principio per omnia sæcula, & per omnes ætates usque ad Christum. Unde consecuti sumus *salutem* per Christum *ex inimicis nostris*, id est, salvavit C & liberavit nos *ex inimicis nostris* diabolis: *& de manu* infidelium, *qui oderunt nos*: & hoc per mortem & passionem, & per Ecclesiastica Sacramenta, & per prædicationem Apostolorum.

Item, Christus jam visitavit nos, & venit *ad faciendam misericordiam cum patribus nostris*, id est, venit & ad liberandum eos de limbo inferni: *sicut locutus est*, & promisit per os sanctorum Prophetarum ejus, & maximè *Zachariæ* 9. qui dixit: *Tu verò, in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, ubi non erat aqua.* Item, Christus dignatus est *memorari Testamenti*, id est, promissi & pacti *sui sancti*, veniendo in carne, *sicut locutus est* & promisit ipsi *David* D *Psalm.* 88. dicens: *In æternum servabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli. Neque profanabo Testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita &c.*

Item, Christus non solum implevit Testamentum & promissionem factam ipsi *David*, & omnibus Prophetis veniendo in carne; sed memoratus & *recordatus* promissionis & *Testamenti sui sancti*, adimplevit *jusjurandum quod juravit ad* E *Abraham patrem nostrum*, *Genes.* 22. quando sub jurejurando promisit Deus *daturum se nobis* in carne ad redimendum nos per mortem & passionem, per figuram sacrificii ipsius *Isaac*, & per immolationem illius arietis; ubi dixit Dominus: *Per memetipsum juravi: quia fecisti rem hanc multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli &c. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Et semen tuum*, scilicet Christus, *possidebit portas inimicorum suorum*, id est, expoliabit infernum, ejus portas æreas confringendo: & ejecto principe hujus mundi foras, subjiciet & possidebit populum Gentilem.

F Et ideo subdit *Zacharias*, dicens: Dominus Jesus adimplevit *jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum*, veniendo in carne, & per mortem & passionem nos liberando: *ut liberati de manu* diabolorum & infidelium *inimicorum nostrorum* libere & *sine timore* servili *serviamus illi in sanctitate & justitia* in Lege Euangelica, quæ sanctificat & justificat hominem: quæ quidem Lex Euangelica data per Christum dicitur *lex libertatis* amore futuræ beatitudinis; & non dicitur *lex servitutis* formidine pœnæ temporalis, sicut *lex Moysi*, nec onerosa jugo cærimoniarum, sicut illa. Item Lex Euangelica dicitur *lex justitiæ*: quia justificat per fidem Ar- G ticulorum, & per Charitatem, & observantiam præceptorum; non solùm in effectu, sed etiam in affectu. Et dicitur *lex sanctitatis*: quia sanctificat per gratiam Sacramentorum.

Lex Euangelica justificat.

Et ideo dicit: ut *in sanctitate & justitia serviamus illi omnibus diebus nostris*: eò quòd Lex vetus, sub qua in timore serviebamus, non de se sanctificabat, nec justificabat, nisi per solam fidem Christi futuri prout frequenter dictum est.

Nota etiam, quòd tota ista constructio & sententia potest dependere ab illo versu, scilicet, *Sicut locutus est per os sanctorum &c.* ut sit sensus: *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit &* H *fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis* nostræ &c. *sicut locutus est*, id est, sicut promisit *per os sanctorum Prophetarum ejus.* Nam ipse *locutus est*, id est, loquendo promisit *salutem ex inimicis nostris*, id est promisit mittere Salvatorem, qui salvaret & liberaret nos *de inimicis nostris*, tàm diabolis, quàm infidelibus, *& de manu* & potestate *omnium* inimicorum *qui oderunt nos.* Et hoc locutus est & promisit per *Samuelem*, & *Natham*, & per ipsum *David*, *Psal.* 88. dicens: *Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum: manus enim*

mea

mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis, diabolus, *non apponet nocere ei. Et concidam à facie ejus inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.* Item, jam Christus *visitavit plebem suam*, & venit *ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, sicut locutus est* & promisit in eodem Psalmo, dicens: *Misericordias Domini in æternum cantabo. Quoniam dixisti: in æternum misericordia ædificabitur in cœlis, & præparabitur veritas tua in eis &c.* Item, jam Christus *erexit cornu salutis* nostræ, assumendo carnem de domo *David, sicut locutus est* in eodem Psalmo, dicens: *Disposui testamentum electis meis. Juravi David servo meo: usque in æternum præparabo semen tuum &c.* Item infra: *Et veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.*

Item, jam memoratus & *recordatus est testamenti sui sancti*, veniendo in carne, *sicut locutus est* & promisit memorari *testamenti sui*, dicens in eodem Psalmo. *Neque profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Item: *In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi.* Item, jam ad implevit *jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis* in carne, *sicut locutus est*, & promisit ipsi, *Genesis* 22. Item, jam venit Christus, & liberavit nos de jugo legis, & de falso fermento Scribarum & Pharisæorum, & dedit nobis Legem Euangelicam, quæ est lex libertatis, & sanctitatis, & justitiæ: ut *de manu inimicorum nostrorum*, non solum dæmonum, sed etiam Scribarum & Pharisæorum, qui corruperunt legem, & de manu infidelium *liberati serviamus illi in sanctitate & justitia.* Et hoc fecit Christus: sicut locutus est & promisit *Isaiæ* 2. Quia *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Item *Hier.* 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum: & in visceribus eorum scribam eam.* Item *Malachiæ* 3. *Erunt offerentes Domino sacrificia in justitia: & placebit Domino sacrificium juda & Hierusalem &c.*

Propter autem omnia quæ dicta sunt in hac prima parte est advertendum: quòd *Virgo Maria*, & *Zacharias*, & *Simeon*, & etiam Angeli in quatuor Canticis Euangelis tenent medium inter Prophetas & Euangelistas. Nam Prophetæ prædixerunt de Christo & Ecclesia omnia quæ erant merè futura. Et Apostoli & Euangelistæ scripserunt & prædicarunt ea quæ jam erant facta & completa. Sed supradicti quatuor cantarunt de Christo & Ecclesia ea quæ partim erant facta, scilicet, mysterium Incarnationis; & partim incœpta, sed nondum completa, sicut mysterium nostræ redemptionis. Nam Christus à primo instanti suæ Incarnationis incœpit nostram redemptionem in proposito & affectu pro nobis Patrem orando; & etiam in effectu: quia illico movit Matrem, ut iret ad visitandam *Elisabeth*, ut sanctificaret *Joannem Baptistam.* Et sic respectu Christi unicus fuit actus non interpolatus nostræ redemptionis à primo instanti Incarnationis usque ad Ascensionem inclusivè, ut dictum est supra *Psal.* 29.

Et hæc est causa quare *Virgo Maria* in suo Cantico, & *Zacharias* in isto jam prædicant futuram redemptionem per verba de præterito: non solum propter certitudinem prophetiæ, sicut faciebant Prophetæ; sed etiam quia mysterium nostræ redemptionis jam erat incœptum, & de propinquo complendum. Et ideo *Virgo Maria fecit potentiam in brachio suo &c.* Et dicit *Zacharias: Quia visitavit, & fecit redemptionem &c.* Et *Simeon* dicit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum &c.* Et Angeli dixerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus &c.* Eò quòd mysterium nostræ redemptionis, licèt nondum esset completum; tamen jam erat incæptum. Nam qui incæpit, plusquam dimidium habet, ut inquit *Philosophus, & Horatius.* Et ideo isti quatuor loquuntur per verba de præterito: quia partim sunt Euangelitæ, & partim Prophetæ, ut patet intuenti.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. *Matt.* 11. & 21. q. 4. c. 1. in Glos.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. *Matt.* 3. & *Joa.* 1.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto: *De Pœnit. dist.* 1. c. Serpens.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Malach.* 3.

HÆC est secunda pars principalis hujus Cantici, in qua commendat puerum noviter natum: scilicet, *Joannem*

nem Baptistam, in dignitate officij Præcursoris. Unde postquam in prima parte egit gratias de beneficio Incarnationis, benedicendo Christum Deum Incarnatum existentem in utero *Virginis Mariæ*; nunc convertit & dirigit verba sua ad *Joannem* noviter natum, quem *Virgo Maria* tenebat in ulnis suis. Et sic postquam superius prædixit Christum fore mundi Salvatorem & Redemptorem; hîc prædicit *Joannem Baptistam* fore Christi Præcursorem.

Duplex causa hujus prophetiæ.

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd *Zacharias* ex duplici respectu & notitia loquitur verba sequentia in commendationem pueri. Nam primò hoc habuerat ex revelatione Angeli *Gabrielis* stantis à dextris altaris incensi, qui ipsi revelaverat Conceptionem, & nativitatem, & sanctitatem, & officium *Joannis*, quando ipsi dixit: *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium &c.* Item dixit ultra quoad officium suum: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Et, *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam:* quasi diceret, quòd sicut *Elias* tamquam Præcursor præcedet Christum in secundo adventu ad convertendos incredulos ad Christum: ita *Joannes Baptista* tamquam Præcursor præcedet eundem Christum Salvatorem in primo adventu, dirigendo corda hominum ad Christum recipiendum &c. Sed quia pro tunc dubitavit *Zacharias* non credens verbis Angeli, ideo factus est mutus, non valens loqui usque ad circuncisionem pueri. Et ideo tunc datâ ipsi facultate loquendi, manifestavit revelationem ipsi factam de sanctitate & officio pueri, dicens: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis &c.*

Secunda autem causa hujus prophetiæ fuit nova repletio Spiritus sancti. Nam licèt Angelus ipsi illa antè revelasset; tamen non potuit tunc capere illud mysterium. Sed cum *Virgo Maria* teneret puerum in manibus loquens ipsi Zachariæ petendo, quem vellet vocare eum? tunc Christus emisit spiritum Propheticum in *Zachariam* per vocem Virginis Mariæ. Et sic Zacharias repletus Spiritus sancto intellexit distinctè revelationem factam antè ipsi ab Angelo. Et ideo prophetando officium Præcursoris dicit: *O puer tu vocaberis Propheta* Christi Salvatoris *Altissimi.* Et non solum Propheta, sed plusquam Propheta. Nam quem alii Prophetæ de longinquo prædixerunt venturum: tu digito ostendes venisse, dicens: *Ecce agnus Dei.* Et prædicabis ipsum de propinquo venturum ad Baptismum, & Legem Euangelicam daturum.

Item eris Præcursor *Altissimi: enim* pro *quia, quia præibis ante Dominum* Jesum Christum *parare*, id est, ad parandum vias *ejus.*

Joannes Christum præivit.

Unde nota, quòd *Joannes Baptista* multipliciter *præivit* ante Christum. Nam primò *præivit* ante conceptionem & nativitatem, & *præivit* ante ipsum tamquam Præcursor ad pœnitentiam faciendam, & ad prædicationem, & ad Baptismum, & mortem: & prænuntiavit ipsum in limbo Patrum: & sic etiam multipliciter *paravit vias ejus*, id est, præparavit corda hominum ad sequendum vias Christi, & ad sequendum Christum in omnibus viis suis. Unde sicut Christus dux & caput & legifer noster per multas vias duxit nos in gloriam suam, scilicet, per viam Pœnitentiæ, & Baptismi, & observantiæ Legis Euangelicæ, & per viam persecutionis usque ad mortem & passionem: Ita *Joannes* fuit Christi Præcursor, & Nuntius in omnibus illis viis, & per omnes illas vias direxit corda hominum illius temporis, ut reciperent Christum, ut patet *Matt.* 3. & *Marci* 1. & *Luc.* 3. & *Joann.* 1.

Nam primò præparavit & direxit corda hominum ad Christum per viam pœnitentiæ: quia in tertio anno ingressus est desertum & fuit ibi usque ad vigesimum nonum annum. Item inde egressus, *venit in regionem Jordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ*: & sic dirigebat homines in Christum per viam Baptismi: qui Baptismus, licèt non tolleret peccatum; tamen disponebat homines ad Baptismum Christi, qui verè tollit peccatum. Item, præparavit corda hominum ad Legem Christi suscipiendam, quando dixit turbis: *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti. Et qui habet escas, similiter faciat.* Item, quando dicebat militibus: *Neminem concutiatis: estote contenti stipendiis vestris.* Item publicanis: *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis &c.* Item *paravit viam Domini* ad persecutionem & mortem suscipiendam: quia propter veritatem prædicandam ab *Herode* caput ejus abscisum est. Et sic etiam præparavit viam Christi ad Limbum: quia adventum ejus ad liberandos patres in Limbo prænuntiavit. Et sic in omnibus *præivit ante faciem Domini parare vias ejus.* Quas quidem vias Christi præparavit *ad dandam* & conferendam *scientiam salutis plebi* Christi, *in remissionem peccatorum eorum*: quia prædicavit Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit in vos Regnum Cœlorum*: quia *veniebant homines ad Joannem confitentes peccata sua, & baptizabantur ab eo:* ut patet Marci 1.

Unde

Unde licèt Baptismus, & pœnitentia, & doctrina *Joannis* non conferret per se salutem & gratiam; tamen dirigebant in scientiam salutis Euangelicam, & in Baptismum & Sacramenta Euangelica, quæ conferunt per se salutem & gratiam, & remissionem peccatorum. Et ideo quæ faciebat *Joannes* antequam Christus baptizaretur, se habebant ad Legem Euangelicam, & ad Ecclesiastica Sacramenta per Christum instituta tamquam via in terminum, & dispositio ad formam; & sic præparabant corda hominum ad formam & perfectionem suscipiendam ab eis, & dandam per Christum.

Sed quia omnia ista dedit nobis Christus *per viscera misericordiæ suæ*, & merita passionis ejus: ideo subdit, quòd Christus dedit plebi suæ *remissionem peccatorum eorum*, non per aurum nec argentum; sed *per viscera misericordiæ suæ*, dando proprium sanguinem in pretium, & offerendo se pro nobis ad mortem in Cruce: in quibus visceribus misericordiæ Christus *oriens* ab æterno *ex alto* sinu Patris, *visitavit nos* ex tempore, carnem assumendo: visitavit enim nos incarnatus, & nostra humanitate indutus, ut nobis posset familiariter loqui & Legem Euangelicam dare, & vita & exemplo docere. *Illuminare*, id est, ad illuminandum, & lumen præbere *his qui in tenebris & in umbra mortis sedent*: & *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Sedere in tenebris multipliciter.

Unde est advertendum, quòd multipliciter sedebant homines *in tenebris & umbra mortis*, & multipliciter Christus *illuminavit*, & præbuit eis lumen, & *direxit pedes nostros in viam pacis.* Nam primò omnes fideles veteris Testamenti sedebant in Limbo inferni, qui est umbra mortis, & lacus tenebrarum: sed Christus descendit ad inferos, & expoliavit Limbum, & Purgatorium, & eduxit eos de illo loco tenebrarum ad lumen, & de illa umbra mortis ad vitam cœlestem. Secundò, sedebat *in tenebris* Idolorum & *umbra mortis* totus populus Gentilis: sed per fidem Christi & prædicationem Apostolorum Gentium *populus*, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, *Isaiæ* 9. Item tertiò, totus populus Israel *sedebat in tenebris* cærimonialibus, & *umbra mortis* legis: sed Christus sol justitiæ eduxit fideles de illa umbra mortis, & de illis tenebris ad lumen Euangelicum: & *direxit pedes nostros in viam pacis*, quæ est Lex Euangelica. Unde lex vetus dicitur *via umbrosa* & tenebrosa ratione cærimonialium: & dicitur *umbra mortis*: quia littera de se occidit; sed Lex Euangelica dicitur *via lucis*, eò quòd illuminat legem veterem. Et dicitur *via vitæ*: quia legem veterem mortuam illuminando visitavit. Et dicitur *via pacis*: eò quòd cum Deo nos pacificat & reconciliat, & quia finis ejus est pax & requies æterna, ut patebit in Cantico Angelorum. Omnia ergo ista prævidens *Zacharias* per Christum facienda, & per *Joannem Baptistam* corda hominum ad ista præparanda & dirigenda, dicit: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus &c.*

Dubia duo.

Sed propter ea quæ dicta sunt in hoc Cantico, occurrunt & insurgunt duo dubia. Quorum primum est propter illud quod dictum est in prima parte: scilicet, *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Nam non videtur, quòd Deus per illud jusjurandum *Genes.* 22. promittat *daturum se* ipsum *nobis*, & venire personaliter ad nos; sed solum promisit *Abrahæ*, quòd in semine suo benedicerentur omnes gentes: quod potuit fieri absque hoc, quòd ipse veniret in carne.

Dubium 1.

Dubium 2.

Secundum dubium insurgit propter illud quod dicit: *Præibis ante Dominum parare vias ejus &c.* Nam cùm tota Scriptura legis & Prophetarum nil aliud sit nisi via in Christum tamquam in terminum & finem: Ergo non oportuit venire *Joannem Baptistam* ad parandas & dirigendas vias in Christo: quia jam erant satis paratæ per Patriarchas & Prophetas. Et sic per Sacras Scripturas poterant omnes cognoscere Christum esse Messiam in Lege promissum secundùm opera quæ faciebat.

Abrahæ Deus promisit se daturum nobis.

Quantum ad primum est dicendum, quòd si subtiliter volumus speculari mysterium sacrificii *Abrahæ*, & ea quæ ibi scripta sunt: videbimus, qualiter ibi Deus sub illo jurejurando promisit daturum semetipsum nobis ad immolandum; & per consequens personaliter venire in carne. Unde ibi dicitur, quòd postquam Deus prohibuit, ne *Abraham* occideret puerum *Isaac*, sed immolavit & obtulit arietem pro filio suo, id est, loco filii sui: tunc dIxit ipsi Deus per Angelum: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quòd multiplicabo semen tuum &c. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Et possidebit portas inimicorum &c.*

In quibus verbis, & per quod sacrificium prævidit & fuit ipsi *Abraham* revelatum in spiritu, qualiter Deus erat in carne venturus ut immolaretur pro nobis in illo eodem loco ubi *Abraham* immolavit illum arietem loco *Isaac* filii sui. Et ideo appellavit nomen loci illius *Dominus videbit.* In Hebræo autem scribitur *Adonai biere*: id est, *Dominus videbitur*: & scribitur Jy *Dominus* cum illis qua-

quatuor litteris, scilicet *Jod*, *he*, *vau*, *he*, quod soli Deo convenit. Et sic est sensus: quòd Dominus Deus videbitur A immolari in monte isto pro toto genere humano: sicut iste aries, sive agnus immolatus est Deo pro Isaac. Et sic patet, qualiter Deus per illud *jusjurandum* promisit, se *daturum seipsum* pro nobis in illo loco immolandum in carne: quia aliter non appellasset illum montem *Dominus videbitur*, nisi quia prævidit in spiritu & promissione, Christum in carne venturum, & pro nobis in illo monte immolandum. Et ideo dixit Christus Judæis *Joann.* 8. *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.*

Hierusalē nomen à quo imponitur.

Unde dicunt Magistri Hebræorum: B quod duo sancti viri imposuerunt nomen illi Civitati Hierusalem, quorum unus fuit *Melchisedech* Rex Salem, qui in illo loco obtulit Deo panem & vinum pro *Abraham*. Et ideo appellavit Civitatem illam *Salem*, id est, pacificam. Secundus fuit *Abraham*, qui in altera parte illius montis immolavit arietem pro *Isaac*: cui Dominus apparuit, dicens: *Per memetipsum juravi, quòd in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et ideo appellavit locum illum: *In monte Dominus hiere*, id est, *Dominus videbitur*. Et sic ex his duobus nominibus, scilicet, *Hier* & *Salem* compositum est hoc nomen *Hierusalem*, quòd interpretatur *Visio pacis*: eò quòd in illo loco Christus Deus C factus homo debebat pro nobis immolari, & Patri nos reconciliare, & pacificare.

Unde Christus in Monte Sion fecit cœnam cum Discipulis & instituit Sacramentum Altaris, per quod Deo reconciliamur, in eodem loco ubi *Melchisedech* obtulit panem & vinum. Item in altera parte illius montis, scilicet, in *Monte Calvariæ* fuit Christus Crucifixus, in eodem loco, ubi *Abraham* immolavit arietem. Bene ergo merito appellata est illa Civitas *Hierusalem*, id est, *visio pacis*: quia in ea Christus *Rex pacificus* Deus & homo visus est prædicare, & D miracula facere, & finaliter pro nobis immolari, & crucifigi, prout *Abraham* prævidit in spiritu, quando immolavit drietem: & prout Deus ipsi promisit sub jurejurando *daturum seipsum nobis* in carne. Et ideo dicit *Zacharias* in hoc Cantico: *Benedictus Dominus Deus Israel*: *quia* Christus veniens in carne jam adimplevit *jusjurandum*, *quod juravit ad Abraham patrem nostrum*, *daturum se nobis &c.*

Solutio secundi dubii.

Ad secundum autem dubium est dicendum: quod cum tota Scriptura legis & Prophetarum nil aliud sit, nisi quædam via & dispositio in Christum; satis erat sufficiens ad disponendum corda & E mentes illius populi ad cognoscendum Christum esse Messiam in lege promissum; & per consequens ad recipiendum ipsum & Legem ejus Euangelicam. Sed avaritia, & invidia, & malitia obcœcavit eos, ne intelligerent sacramenta Dei & Scripturas.

Duplex in lege præmiū quia duplici respectu dabatur lex.

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd sicut lex vetus fuit data ad duplicem respectum & finem: ita Deus promittebat in lege duplex præmium. Unde illa lex primò fuit data illi populo ad officium, sive in signum officiale, scilicet, ut per observantiam multitudinis illorum cærimonialium primò ille populus cognosceret Deum Creatorem mundi, & cognoscendo coleret. Secundò, F ut per talem religionem distingueretur à cæteris nationibus, & esset specialiter dictus *populus Dei* peculiaris. Et sic primo modo illa lex data fuit ad officium, sive in signum officiale. Secundo autem modo data fuit in signaculum fidei Christi futuri, in quantum omnia illa sacramenta cærimonialia & sacrificia figurabant Christum futurum Redemptorem, & mysteria nostræ redemptionis. Et ideo duo erant consideranda in illis sacramentis & sacrificiis, & omnibus cærimonialibus, scilicet, officium religionis & observantiæ in se. Secundò, fides Christi futuri, sub cujus protestatione illud officium à religiosis exercebatur, & illa sacrificia offerebantur. Quia illa sacramen- G ta & sacrificia de se non poterant tollere peccatum, nec justificare, nisi ratione fidei de Christo futuro, sub cujus protestatione fiebant: quia non dabantur in pretium redemptionis pro peccatis, sed in signum & arrham pretii futuri per Christum in Cruce solvendi, prout dictum est *Psal.* 39. & in *Tractatu contra Judæos.*

Et ideo duplex præmium promittebatur in lege & Prophetis observatoribus illius legis, scilicet, unum temporale, & alterum spirituale. Nam pro observantia, & obedientia illius religionis promittebantur eis bona terræ temporalia, H scilicet, illa terra *Chanaam* cum fructibus ejus. Sed in præmium fidei Christi, sub cujus protestatione observabant illam religionem, promittebatur eis redemptio animarum, & gratia Christi, & terra viventium, figurata per illam terram *Chanaam*. Et sic sub tali fide, & spe de Christo futuro observabant illam legem & religionem omnes Patres & fideles veteris Testamenti. Et sub tali fide salvati sunt in Christo, & receperunt nobiscum repromissionem in adventu Christi, ut inquit *Apostolus ad Hebr.* 11.

Sed accidit per quadraginta annos ante adventum Christi, quòd surrexit sec-

Nota de avaritia Phariſæorum.

ſecta Phariſæorum & Scribarum, qui negabant legem eſſe datam in ſignaculum fidei, ſed ſolum ad officium: & ſic negabant redemptionem ſpiritualem, & futura bona ſpiritualia. Sed quia iſti fingebant ſanctitatem & arctam religionem, in vita, & inceſſu, & habitu ab aliis diviſi; ideo dicti ſunt *Phariſæi*, quaſi à *cæteris in ſanctitate diviſi.*

Et ſic in tantum habebantur in veneratione apud populum, quòd omnes cives conſtituebant eos executores teſtamentorum, committendo eis filios & uxores viduas. Et exinde fuit eis data auctoritas & poteſtas à ſummis Sacerdotibus, ut ſederent in Cathedra Moyſi, & in Cathedra judiciali, ut poſſent gloſſare & interpretari Scripturam Legis & Prophetarum, & judicare judicia, & diſcernere cauſas religionum: ex qua auctoritatem ſunt in ſuperbiam elevati, & avaritia ſauciati, in tantum quòd cauſâ lucri incœperunt tyrannizare, deſtruendo viduas & pupillos eis commiſſos, & dilatando litigia, ut expoliarent pauperes, & impinguarent domos ſuas. Obcœcati ergo ſic in avaritia & lucro, incœperunt gloſſare Scripturas, & trahere ipſas ad propoſitum ſuum propter lucrum temporale, dicentes: quòd Meſſias non erat venturus ad ſalvandas animas, nec ad danda bona ſpiritualia; ſed ſolum ad liberandum eos de jugo & tributo Romanorum, & ad dominandum toti mundo, & faciendum eos magnos dominos: quia peccata jam tollebantur ſufficienter per ſacrificia, & oblationes, & cætera opera legalia. Nam ſacrificia & oblationes ſimul tollebant peccata, & multiplicabant bona temporalia. Et hoc faciebant propter ſuum lucrum, ut populus offerret multitudinem oblationum &c.

Sed quantum ſit deteſtabilis, & hæretica talis doctrina, & contra Sacram Scripturam, de ſe eſt manifeſtum. Nam David jam habebat legem Moyſi: ſed quia ſciebat, quod per illam non poterat juſtificari; ideo petebat legem Chriſti juſtificantem, dicens: *Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum &c.* Item, David Dominus etiam in illa terra Chanaam, tamen terram viventium petebat, dicens: *Portio mea Domine in terra viventium.* Item *Iſaias* jam habebat *Ezechiam* regem terrenum: tamen regem ſpiritualem petebat, dicens: *Utinam diſrumperes cœlos &c.* Sic ergo Scribæ & Phariſæi cum iſta falſa doctrina & fermento depravarunt Scripturas, & corda hominum: in tantùm quòd omnes erant effecti temporales & carnales, præter paucos, in quibus remanſerat vera fides *Iſrael* & *Abrahæ* de Chriſto Redemptore futuro: ſicut etiam tota domus parentum *Virginis Mariæ*, & domus *Zachariæ* & *Eliſabeth* & ſanctus *Simeon* cum quibuſdam fidelibus, qui expectabant redemptorem *Iſrael.* Et ideo fuit neceſſe quòd Chriſtus mitteret Joannem Baptiſtam tamquam Præcurſorem ante ſe, qui præpararet corda hominum, quæ erant per falſam doctrinam Scribarum & Phariſæorum depravata, & dirigeret eos in via & lege Domini per baptiſmum pœnitentiæ, & veram intelligentiam Scripturarum, ut reciperent Chriſtum, & legem ejus Euangelicam, ut patet per omnes Euangeliſtas. Hoc ergo *Zacharias* prævidens in ſpiritu, primò per revelationem Gabrielis; ſecundò per inſpirationem Chriſti exiſtentis in utero *Virginis Mariæ* tenentis Joannem Baptiſtam in manibus, dixit in hoc Cantico: *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante Dominum parare vias ejus &c.* Et ſic patet Expoſitio Cantici Zachariæ. Et ideo eſt jam accedendum ad Expoſitionem Cantici *Simeonis.*

EXPOSITIO IN CANTICUM SIMEONIS.

Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum, in pace. *Lucæ 2.*

HOC Canticum eſt quartum in ordine inter Cantica Euangelica; ſed ponitur hîc tertium quoad Expoſitionem propter bonum reſpectum. Et intitulatur *Canticum Simeonis*: eò quòd ipſe cantavit ipſum quando Chriſtus fuit in Templo præſentatus.

Pro cujus argumento & intelligentia eſt notandum, quòd quatuor ingentes perfectiones & virtutes teſtatur & refert auctoritas Euangelica de iſto *Simeone*, ut patet *Lucæ* 2. Nam primò dicit, qui erat *homo juſtus*: per quod denotatur ejus rectitudo & juſtitia. Nam juſtitia hominis conſiſtit in conformitate ejus ad divinam voluntatem, & per conſequens in obſervantia præceptorum legis divinæ. Secundò, dicit, quòd erat *timoratus*: per quod denotatur ejus auctoritas. Nam non dicitur quis tantùm timoratus, in quantum timet Deum: ſed in quantum eſt reverendus, & timendus, & metuendus apud populum propter ejus virtutes: quia *honor eſt exhibitio reverentiæ in teſtimonium virtutis*, ut inquit *Tullius.* Tertiò, dicit, quòd erat *expectans redemptionem Iſrael*: per quod denotatur ejus vera fides & ſpes, quam habebat de Chriſto venturo inter paucos fideles illius temporis: eò quòd multi alii erant depravati

Simeon collaudatur.

ti & decepti falso fermento Scribarum & Pharisæorum : qui non expectabant Messiam, nisi ut daret eis bona terrena, prout A dictum est in Cantico præcedenti. Quartò, dicit, quòd *Spiritus sanctus erat in eo* : per quod denotatur excellentia ejus sanctitatis & contemplationis in dono prophetico, & divinæ revelationis.

Et ideo iste *Simeon* non solùm cognominabatur *justus* in illa ætate, sed etiam cognominatur justus per omnes Thalmudistas, & Doctores Hebræorum : qui dicunt, quòd dum *Simeon justus* ministrabat, & exercebat sacerdotale officium in Templo, adhuc perseverabant decem antiqua miracula : sed post obitum justi Simeonis numquam visa sunt miracula in secundo Templo. Et ideo citò venit ad destructionem.

Videns ergo iste *Simeon justus* corda hominum depravata, & veram fidem B de vero Messia in paucis illius temporis permanere ; & videns tempora adventus Christi secundùm septuaginta hebdomadas Danielis jam imminere : hinc est quod semper in suis orationibus & sacrificiis jugiter orabat, ut Deus mitteret Salvatorem ad redimendum mundum de servitute peccati. Cùm ergo in talibus orationibus & jejuniis jugiter esset intentus, exaudita est oratio sua, in tantùm quòd *accepit responsum à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini*, prout refert *Lucas*. Et ideo quadragesima die à nativitate Domini, cùm parentes inducerent puerum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, tunc Di- C vina Providentia fecit quod Simeon unus de vigintiquatuor Sacerdotibus venit in spiritu in Templum ad ministrandum sacerdotium secundùm vicem suam : qui, cùm ipsi puer Jesus præsentaretur, accepit eum in vulnas : & videns in spiritu, illum esse Messiam in lege promissum Deum & hominem : & videns responsum quod acceperat à Spiritu sancto esse completum : tunc elevatis oculis ad Patrem, agendo gratias cantavit hoc Canticum, dicens : *Nunc dimittis &c.*

Divisio Cantici. In quo quidem Cantico duo facit. Nam primò tamquam Sindicus & Procurator totius Israel agit gratias Deo, qui complevit suum desiderium & promissum. Secundò, reddit causam suæ lætitiæ. Se- D cunda ibi : *Quia viderunt &c.*

Pax & quies finis negotii. Quantum autem ad primum est advertendum, quòd pax & quies est finis & terminus cujuscumque negotii : quia *negotiamur ut otiemur*, 10. *Ethic.* Unde *tantum est bonum pacis, ut etiam ipsa sit finis belli*, ut inquit *Augustinus* per totum 19. *de Civitate Dei* ; sed quia Christus fuit finis & terminus totius Legis & Prophetarum, quia tota Lex & Prophetæ desiderabant Christum sibi promissum, & tendebant in ipsum tamquam in finem & terminum : ideo solus terminavit desi- E derium & promissiones Patriarcharum & Prophetarum, & laborem, & jugum Legis.

Ex quo sequitur, quòd fuit pax Legis, & Patriarcharum, & Prophetarum, & omnium fidelium veteris Testamenti : quia tota Lex quoad illum actum & ministerium sacerdotale terminavit cursum in Christum in illa die, & in illa præsentatione facta per *Simeonem*. Ideo *Simeon* se habuit ibi tamquam Sindicum & Procuratorem totius Legis, & Sacerdotii, & totius Israel. Et ideo in persona omnium illorum agit gratias in hoc Cantico. Et quia videbat Christum tamquam pacem & finem Legis & Prophetarum, & tam- F quam quietem & complementum desiderii, & laboris, & servitutis eorum ; ideo dicit : *Nunc dimittis, ò Domine, servum tuum in pace*, & quiete, & fine mei desiderii, & totius Israel *secundùm verbum* & promissum *tuum*. Et non solùm secundùm verbum & promissum, quod mihi particulariter fecisti per Spiritum sanctum, scilicet, non me visurum mortem nisi priùs viderem Dominum ; sed etiam *secundùm verbum* & promissum, quod fecisti omnibus Patriarchis & Prophetis. Et ideo ego in persona omnium tibi ago gratias. Et ideo jam non timeo mori, postquam scio, quòd in brevi liberabis me simul cum omnibus Patriarchis veteris Testamenti de Limbo inferni. Et sic *dimittis me in pace*, & non in timore, nec G tristitia. Et ideo ago gratias, quia dimittis me in pace & quiete,

Quia viderunt oculi mei salutare tuum. *2. quæ. 7. Testes, §. Christus.*

ID est, Medicum salutarem & salutiferum, & verum Salvatorem, quem tu Pater in mundum misisti.

Quod parasti ante faciem omnium populorum, *De Consec. d. 2. cap. Christus, & c. seq.*

H *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

QUOD quidem *salutare parasti ante faciem* & notitiam, non solùm unius populi & nationis, sed *omnium populorum*, & linguarum, & nationum tamquam verum *lumen ad revelationem* & illuminationem omnium *Gentium*, scilicet, totius populi Gentilis, & ad *gloriam* & claritatem, & honorem *plebis tuæ*

tuæ Israel, de qua carnem specialiter assumpsit. Nam sicut omnibus fuit promissus, tàm Israelitis, quàm Gentilibus, & neminem à peccato liberum reperit: ita pro omnibus liberandis & illuminandis venit, tamquam lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. A

Aliter Christus fuit promissus &c

Sed est advertendum, quòd licèt Christus in Lege & Prophetis fuit promissus, tàm populo Gentili, quàm Israelitico: tamen aliter & aliter. Nam populo Israel fuit promissus venturus ad eos in carne: putà, sumendo ex eis carnem, & eis personaliter prædicando: sed populo Gentili promissus fuit venturus tantùm per lumen fidei per prædicationem Apostolorum. Et quia erat venturus in carne tantùm populo Israel, dixit *Jacob*, *Genes.*49. *Non auferetur sceptrum de Juda, neque dux de femore ejus*: sed quia erat venturus ad Gentiles per lumen fidei; ideo subdit Jacob: *Et ipse erit expectatio Gentium.* Item, quia ad solum Israel erat venturus in carne personaliter prædicando; ideo dicit Salvator: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel*, *Matth.*15. Item, quia ad populum Gentilem erat tantùm venturus per lumen fidei, dicitur *Isai.* 10. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo &c.* Et ideo dicit Simeon: *Lumen ad revelationem Gentium*: per fidem, supple: *& gloriam plebis tuæ Israel*, veniendo in carne, & personaliter prædicando, & miracula operando: quæ fuit magna gloria & honor toti Israel. Sed istam gloriam & honorem participavit postèa populus Gentilis, quando illuminatus per fidem Christi factus est verus Israel. Et sic venit Christus ad illuminandum populum Gentilem per Apostolos, & facere ipsum verum Israel: qui quidem verus Israel constat ex conversis ex populo Judaico & Gentili sub uno lapide angulari Christo conjunctis. Et per hoc patet brevis Expositio hujus parvi Cantici Simeonis. B C

Nota.

Ex quibus patet, quòd omnia supradicta Cantica Euangelica non sunt nisi gratiarum actiones pro beneficio Incarnationis, & nostræ redemptionis factæ per adventum Christi, qui fuit pax, & finis Legis & Prophetarum. D



E

IN CANTICUM ANGELORUM.

Gloria in altissimis Deo.
Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Lucæ 2. De Consec. d. 1. cap. Nocte, & c. de Hymnis, & c. Hi duo.

F HOC est quartum Canticum Euangelicum, quod dicitur *Canticum*, sive *Hymnus Angelorum*: eò quòd ipsum cantarunt Angeli in hora nativitatis Christi. Pro cujus titulo & argumento est notandum, prout refert *Lucas* Euangelista, *cap.*2. quòd in hora nativitatis Christi Angelus Domini apparuit pastoribus: qui in montibus juxta *Bethlehem* custodiebant vigilias noctis super gregem suum. Qui dixit eis: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium & dicentium: G *Gloria in altissimis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et sic patet, qualiter, & quare istud Canticum intitulatur *Canticum*, sive *Hymnus Angelorum*, eò quòd Angeli cantarunt ipsum.

Pro cujus quidem argumenti, & Cantici, & ejus tituli intelligentia quinque sunt videnda.

Primò, quare Christi nativitas priùs fuit annuntiata & euangelizata pastoribus, quàm Sacerdotibus, & cæteris conditionibus Judæorum?

Secundò, quare in Christi nativitate H Angeli cantarunt novum Canticum, postquam nativitas Christi non pertinebat ad eos? quia Christus non assumpsit naturam Angelicam in virtute suppositi: nec venit ad redimendum eam, sed humanam tantùm.

Tertiò quæritur: quæ fuit illa *gloria* quæ noviter provenit Deo in cœlo ex Christi nativitate: cùm gloria & felicitas Dei non possit augeri, nec minui?

Quartò quæritur: quæ fuit ista *pax*, quam consecuta est humana natura per Christi nativitatem: cùm videamus, numquam bella & prælia post Christi adventum in mundo defuisse?

Quintò quæritur: in quo consistit bo-

bonitas voluntatis hominis ? & per consequens qui sunt *homines bonæ voluntatis*, quibus pax Christi fuit collata? A

§. I.

Quare Christi nativitas fuit priùs nuntiata pastoribus

Quantum ad primum est dicendum, quòd quadruplici ratione nativitas Christi fuit priùs pastoribus euangelizata, quàm cæteris: Primò, quia Christus in lege tamquam pastor fuit per *Moysen*, & cæteros Patriarchas & Prophetas figuratus. Secundò, quia tamquam pastor fuit promissus. Tertiò, quia tamquam verus pastor venit in mundum, & officium veri pastoris exercuit; & *bonum pastorem* se nominavit. Quartò, quia Christus non B superbis & dormientibus, sed hominibus simplicibus & vigilantibus erat commissurus gregem suum, & officium pastoratus.

Primum quippè probatur. Nam *Moyses*, per quem fuit Christus figuratus, pastor erat ovium, & pascebat oves *Jetro* soceri sui, cùm ipsi Dominus apparuit in flamma ignis in rubo: & tamquam pastorem misit ipsum Dominus ad liberandum & educendum illum populum de Ægypto, & dirigendum, & custodiendum ipsum per desertum, *Exod.* 3. Unde quatuor fecit *Moyses* erga illum gregem Domini. Nam primò liberavit & eduxit ipsum de servitute & captivitate *Pharaonis*. C Secundò, per legem Moysi datam sanavit eum à malis moribus, & ritibus Ægyptiorum: quibus erat sauciatus & vulneratus. Tertiò, pavit eum manna de cœlo misso. Quartò, minavit, & direxit, & custodivit eum quadraginta annis per desertum &c. Per quæ quatuor fuit figuratum, qualiter Christus à Patre missus tamquam pastor principalis super gregem humanum, debebat ipsum de servitute diaboli, & à peccato liberare, & ab omni labe peccati per Ecclesiastica Sacramenta sanare, & pane Eucharistiæ reficere & pascere, & doctrinâ Euangelicâ dirigere, & custodire. Item *Abel*, per quem Christus fuit figuratus, pastor fuit, ut patet *Genes.* 4. Item *David*, per quem Christus fuit figuratus, pastor fuit ovium, & D de postfœtantes eduxit ipsum Dominus ad pascendum populum suum, & unxit ipsum in Regem, ut patet 1. *Reg.* 15. & *Psal.* 77. Item Christus non solùm fuit figuratus per *Jacob*, *Amos*, & complures alios pastores de populo Dei; sed etiam fuit figuratus per *Cyrum* Regem Persarum & Medorum, nepotem *Astyagis*: qui projectus in nemora, fuit nutritus à quodam pastore; qui fuit etiam pastor ovium, sed posteà compertus nepos *Astyagis*, factus est Rex Persarum & Medorum, ut inquit *Herodotus*: qui etiam

Nota.

Christus pastor.

posteà liberavit populum Dei de Babylonica captivitate, ut patet *Esdræ* 1. Et E ideo hæc est causa quare voluit Christus suam nativitatem priùs pastoribus nuntiari, eò quia per pastores tamquam verus pastor fuerat figuratus in veteri Testamento.

Secunda ratio est, quia tamquam verus pastor fuit Prophetis promissus & vaticinatus, & tamquam verus pastor ad liberandum, & sanandum, & pascendum gregem suum promisit venire, ut ipse ait per *Ezech.* 34. *Ecce ego requiram oves meas, & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum: & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et pascam eas in* F *pascuis uberrimis, & in montibus Israel erunt pascua earum. Et quod perierat requiram: & quod abjectum fuerat reducam: & quod confractum fuerat alligabo: & quod infirmum fuerat consolidabo &c.* quæ omnia fuerunt completa per Christum tamquam per verum pastorem.

Tertia autem ratio, quare nativitas Christi fuit priùs euangelizata pastoribus: & quare pastores priùs meruerunt audire istud Canticum ab Angelis, fuit: quia Christus tamquam verus pastor venit in mundum, & officium veri pastoris exercuit.

Septem ad officiũ pastoris.

Ad cujus intellectum est advertenG dum, quòd septem pertinent ad officium veri pastoris. Primò, oves de faucibus lupi eripere. Secundò, oves per lupum vulneratas unguento sanare. Tertiò, oves ereptas & sanatas pascere. Quartò, eas regere, & minare, & dirigere. Quintò, super gregem ovium semper invigilare. Sextò, pro defensione gregis, si necesse fuerit, se ad mortem exponere. Septimò, in locum uberrimum & securum & tutum oves suas introducere. Quas quidem septem conditiones omnes habuit Christus, tamquam verus & bonus pastor. Nam primò eripuit oves suas de fauce lupi & draconis, qui ultra quatuor millia annorum eas sub jugo & captivitate & servitute peccati possederat. Secundò, sanavit, & unxit eas unguento H Sacramentorum. Tertiò, pane sacramentali eas pavit. Quartò, Lege Euangelicâ eas direxit & rexit. Quintò, super gregem suum diligenter invigilavit, & diligentes custodes divisit & constituit. Sextò, pro defensione & redemptione earum se morti & persecutionibus obtulit & objecit. Septimò & ultimò, oves suas in uberrimo & securo ovili cœlesti, ubi sempiterno ævo fruentur, collocavit. Et ideo propter istas septem rationes Christus, *Joan.* 10. se bonum pastorem nuncupavit: unde ait: *Amen amen dico vobis, quia ego sum pastor bonus: bonus pas-*

pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et sic patet tertia ratio, quare Christus voluit prius pastoribus suam nativitatem A nuntiare.

Quarta vero ratio fuit: quia Christus, tamquam verus pastor principalis, cujus oves erant propriæ, non superbis, & inflatis, & avaris, & crudelibus; sed homnibus humilibus, & simplicibus, & piis, & diligenter vigilantibus super gregem suum erat commissurus officium pastoratus Ecclesiæ, prout postea fecit. Nam non elegit ad Apostolatum & officium pastoratus ex Scribis & Pharisæis & Sacerdotibus peritis; sed ex simpliciori-bus, & plebeis, & piscatoribus; quibus totum gregem suum, & Ecclesiam commisit; & inter cæteros tamquam capiti & B Vicario *Petro*, qui erat de simpliciori-bus, Ecclesiam commisit, & oves suas pascendas tradidit, *Joann. ult.* dicens: *Pasce oves meas*: &, *Pasce agnos meos &c.* Ex supradictis igitur quadruplici ratione patet, quare Christus voluit suam nativitatem primò pastoribus euangelizare, & quare pastores meruerunt hoc Canticum Angelorum audire. Et hoc de primo quæsito.

§. II.

Angeli quare hoc Canticum cantaverunt?

AD *secundum* autem *quæsitum* est dicendum: quòd quadruplici ex causa & ratione Angeli cantarunt hoc Canticum novum & Euangelicum in Christi nativitate. Primò, quia per fidem Incarnationis Christi fuerunt à principio redempti. Secundò, quia per adventum C Christi eorum ruina fuit reparata. Tertiò, quia ex tali reparatione, eorum *gloria* & fœlicitas fuit accidentaliter augmentata. Quartò, quia *gloria* Dei fuit effectivè & extensivè dilatata. Primum autem patet. Nam dictum fuit super *Psalm.* 81. & 102. quomodo in vera fide & obedientia Christi futuri, Angeli boni fuerunt justificati: dictum enim fuit ibi, qualiter omnes Angeli fuerunt creati in gratia, tamen non confirmati; & omnes fuerunt viatores ante lapsum. Qui viderunt quandam sedem præparatam super omnes choros & hierarchias Angelorum pro homine Christo futuro, quem Verbum Divinum debebat assumere in D unitate personæ: & sic in quantum homo dedebat sedere *à dextris*, id est, in potioribus bonis Patris. Et quia ille debebat esse Deus & homo; volebat Deus, quòd ille Christus Deus & homo esset caput & Imperator totius universi tamquam verus Filius Dei, & quòd adoraretur & veneraretur ab omnibus Angelis & hominibus vero cultu Latriæ. Et hæc fuit prima lex in illo principio & statu viæ Angelis à Deo proposita.

Nota de Prælio Angelorum cum dracone.

Secunda lex fuit, quòd Deus prædestinaverat quosdam homines, qui licèt essent inferiores naturâ: tamen per gra- E tiam debebant adæquari & collocari inter Angelos in gloria: quæ quidem duæ leges non visæ fuerunt justæ *Lucifero* & sequacibus ejus: dixerum enim, quòd non erat æquum, nec justum, quòd aliquis homo ascenderet super eorum hierarchias, nec collocaretur inter eos in gloria, nec posset eis principari, cùm homo sit inferioris naturæ. Ideo justius erat ut Filius Dei assumeret supremum Angelum in unitatem personæ, cui daret Imperium totius universi, & obtineret illam imperialem sedem, quàm quòd personaliter assumeret aliquem hominem. Et sic incœperunt resistere Divinæ Legi, F & per consequens divinæ voluntati, quæ ex lex æterna. Et sic *Lucifer* invidens Christo futuro, appetivit illam sedem & Imperium totius universi.

Michaeli autem & alteri parti visa est justa illa Lex Divina. Dicebant enim, quòd Deus nulli poterat facere injuriam, cùm esset Dominus absolutus & Omnipotens. Nam sicut non creaverat mundum ex necessitate, sed ex sola voluntate & bonitate; ideo sicut absque injuria humanæ naturæ Angelos elevaverat nobilitate naturæ super omnes homines: ita poterat gratiæ largitate elevare aliquem hominem supra totam Angelicam naturam, & quosdam homines per gratiam inter Angelos collocare in gloria. Et sic divisa fuit tota Curia cœlestis in G duas partes & Civitates: quarum una incœpit ab amore sui usque ad contemptum Dei, & altera ab amore Dei usque ad contemptum sui. Et sic illa tamquam rebellis divinæ voluntati incœpit resistere isti; & ista tamquam conformis & obediens divinæ voluntati, incœpit resistere illi. Et sic isti duo & diversi amores fecerunt duas contrarias Civitates. Nam amor perversus sui usque ad contemptum Dei, fecit Civitatem diaboli: sed amor Dei usque ad contemptum sui, fecit & constituit Civitatem Dei, ut inquit *Augustinus.* Et ideo *Lucifer* rebellis Deo, & invidens Christo futuro, voluit, & attentavit, & præsumpsit conscendere, & usurpare sedem Christi, & per consequens Impe- H rium universi, dicens in corde suo: *Conscendam in cœlum*, & stabiliam solium meum in nubibus *super astra cœli*, & *similis ero Altissimo. Isai.* 14.

Sed tunc *Michael* & Angeli ejus, conformes divinæ voluntati, & Christo futuro obedire statuentes, pro defensione illius sedis præliabantur cum dracone: & finaliter projectus est draco cum Angelis suis apostaticis de cœlo in profundum inferni: & sic non est inventus locutus eorum amplius in cœlo, *Apo.* 12. Et sic *Lucifer* cum suis, tamquam pec-

can-

cantes in termino vitæ manserunt in iniquitate obstinati. *Michael* autem cum suis viatoribus, facti comprehensores & A beati, manserunt simul in gratia & gloria confirmati.

Ex quibus omnibus patet, quòd gratia fidei Christi futuri, quam habuerunt dum erant viatores, & obedientia, quam jam tunc Christo promiserunt, & ipsi servare proposuerunt, eruit & liberauit Angelos bonos à casu Angelorum malorum: & sic boni dicuntur *liberati* & *redempti* per fidem & gratiam Christi futuri. Et hæc fuit prima causa quare Angeli cantaverunt Canticum novum in nativitate Christi: eò quòd natus erat ille qui debebat sedere in illa sede, quam ipsi in principio contra diabolum defenderant; & quem in illa sede debebant B adorare &c.

Secunda ratio & causa fuit: quia per Christi adventum reparanda fuit Angelorum ruina. Nam quos Deus ab æterno elegit & prædestinavit ad reparandam ruinam Angelorum, & ad replendas sedes, à quibus mali Angeli ceciderunt; hos Christus in suo adventu vocavit, & justificavit, & magnificavit, ad *Roman.* 8. Et sic elevavit per gratiam *Petrum* & *Joannem Baptistam*, & omnes Apostolos, & Martyres, & Doctores, in tantum, quod meruerunt possidere sedes, quas illi per superbiam & inobedientiam perdiderant. Et ideo dicit Salvator, *Matt.* 11. quòd *à diebus Joannis Baptistæ* C *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Super quod dicit *Hieronymus: Magna quippe violentia est consequi & rapere per gratiam, quod non convenit nobis per naturam.* Item *Matth.* 22. dicit quod *erunt homines sicut Angeli Dei in cœlo &c.* Ex quibus patet, quòd per adventum Christi ruina Angelorum fuit reparata; & per consequens hæc est secunda causa quare cantarunt Canticum novum.

Gloria sancto-- rum duplex.

Tertia autem ratio & causa fuit: quia eorum gloria & beatitudo accidentalis fuit augmentata. Ad cujus intellectum est advertendum, quòd *gloria* & beatitudo Angelorum & sanctorum est duplex. Una *essentialis*, quæ consistit in visione faciali & fruitione essentiæ: & D altera *accidentalis* quæ consistit in aliquo gaudio accidentali & consequenti. Unde beati primò videntes facialiter divinam essentiam, & fruentes bono possesso beatificantur, & quiescunt in illo bono secure possesso: & illud est gaudium essentiale, eò quòd divina essentia, ut summum bonum, est objectum per se fruibile, non in aliud referibile, ultimatè & sufficienter satians appetitum beatorum. Sed quia tanta est charitas & conformitas voluntatis Angelorum ad voluntatem divinam, quòd gaudent in omnibus quæ placent divinæ voluntati; & quia divina voluntas vult, & sibi E complacet, ut homines justi fruantur inter Angelos in societate: ideo Angeli duplici ratione congaudent de societate hominum justorum & sanctorum. Primò, ut complaceant Deo amato & desiderato. Secundò, quia ex perfecta charitate diligunt homines sicut seipsos. Ideo ita gaudent de felicitate hominum sanctorum, sicut de sua. Item tertiò: quia vident Angeli, quòd homines justi & sancti, Apostoli, & Martyres, & Doctores tanta passi sunt pro Christo; ideo magis diligunt eos, & per consequens tantò ampliùs gaudent de eorum beatitudine: & sic non timent, nec invident, sed sem- F per ampliùs gaudent plures habere consortes. Et ideo *magnum gaudium est in cœlo coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, ut inquit Salvator: quia ut sic semper augetur numerus beatorum & societas Angelorum, & per consequens gaudium & beatitudo eorum: sed talis beatitudo non dicitur essentialis, sed accidentalis, ut dictum est. Sed hoc consecuti sunt Angeli post adventum Christi, qui introduxit homines justos in cœlum; quia antè nullus fuerat in gressus, ut patebit. Ideo hæc est tertia causa, quare Angeli cantarunt in nativitate Christi.

Per hoc idem patet quarta ratio: G quia per Christi adventum gloria Dei fuit dilatata. Nam ante adventum Christi soli Angeli laudabant Deum in cœlo. Sed post Ascensionem Christi omnes sancti, & justi homines simul in societate Angelorum laudant & glorificant Deum. Et ideo Angeli, sicut magis diligunt Deum quam seipsos; ita magis gaudent in gloria & laudibus Dei, quæ ipsi dantur ab hominibus, & à pluribus, quam à pauciori- bus, prout infra patebit. Et ideo cantarunt hoc Canticum novum. Et hoc de secundo quæsito.

§. III.

Nota de gloria quæ Deo ex Christi nativitate venit.

H *Ad tertium* autem *quæsitum*, & pro ejus intelligentia est advertendum: quòd *gloria Dei* est duplex, sive dupliciter sumitur. Uno modo pro illo summo gaudio, quod Deus ab æterno habet de seipso, in quantum fruitur infinitè seipso infinitè amato infinito & summo bono, in quo summe beatificatur. Alio modo sumitur pro honore latriæ, quam dant ipsi omnes Angeli & beati in cœlo, quæ consistit in adoratione & continuis laudibus: quia non cessant procidentes in facies suas laudare, & benedicere, & glorificare Deum, & pro beneficiis recep-

ceptis gratias agere. Prima ergo gloria, quam Deus habet de seipso, non fuit augmentata per adventum Christi, cùm A sit idem quod divina Essentia: quia hanc semper Deus habuit ab æterno; nec pro tali gloria indiget bonis nostris. Item, quia Deus ab æterno jam dilexit, & prædestinavit suos ad suam gloriam. Et ideo jam ab æterno gaudebat in se de nobis, ut inquit *Augustinus in sermone de Apostolis.* Et ideo illud gaudium non fuit etiam augmentatum in Deo per adventum Christi, sed fuit effectivè dilatatum quoad nos, in quantum suæ beatitudinis & gaudii nos participes fecit.

Sed sumendo *gloriam Dei* pro illa quam dant creaturæ, tunc gloria Dei incœpit ex tempore ab Angelis in cœlo post confirmationem & conversionem eorum: quia illicò incœperunt cantare, B *Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. prout ante Incarnationem vidit *Isaias*, & prout dictum fuit in Expositione Cantici *Augustini.* Sed ista gloria Dei fuit augmentata, & noviter dilatata usque ad homines sanctos per adventum Christi: & hoc vidit in spiritu *Joannes*, *Apocal.* 4. ubi dicit, quòd vidit illa quatuor animalia, quæ non habebant requiem die ac nocte dicentia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Item infra *cap.* 7. dicit, quòd post hæc *vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat: ex omnibas gentibus tribubus, & populis & linguis stantes ante thronum: & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro &c. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni,* C *& seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes: Benedictio & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.*

Ex quibus patet, quòd soli Angeli dabant istam *gloriam* Deo ante adventum Christi; sed post ejus adventum homines simul cum Angelis dant gloriam Deo in cœlo: & sic noviter fuit gloria Dei augmentata & dilatata. Sed talis *gloria* Deo exhibita dicitur *gloria exterior*: & sic non est inconveniens ipsam augeri & augmentari successivè secundùm quòd D crescit numerus electorum in cœlo & in terra. Sed gloria Dei interior jam propter hoc non augmentatur: quia non indiget bonorum nostrorum ad suam gloriam interiorem augendam, quam jam ab æterno totam simul interminabiliter habuit, & in sua æternitate. Et sic ista gloria quam Deo exhibemus, non cedit in majus bonum Dei intrinsecum, sed in majus bonum nostrum: quia ut sic bonum Dei participamus.

Sed quia ista *gloria Dei* per mysterium Incarnationis Christi fuit in Angelis & hominibus adaucta, eo modo quo E dictum est: ideo dixerunt Angeli in isto Cantico: *Gloria in excelsis*, sive *in altissimis Deo*, id est, nunc per Christum incarnatum, & natum dabitur major gloria Deo *in altissimis* Angelis & beatis. Quasi dicerent, quòd major & amplior extensivè erit *gloria* Deo *in* cœlis *altissimis*, quàm antè: quia ista *gloria* & latria se extendet etiam ad homines, qui simul cum Angelis dabunt gloriam Deo.

Item, ista gloria non solùm se extendet & ampliabitur exhibitivè ad homines cum Angelis; sed etiam terminabitur ad Deum Trinum & unum. Sed & post Incarnationem se extendit ad humanitatem Christi assumptam, quæ simul cum F Verbo personaliter adoratur: quia illa humanitas personaliter coexistit termino adorationis; & per consequens Deus adoratur & glorificatur in illa humanitate per gratiam unionis personalis exaltata. Et ideo locutio Angelorum in hoc Cantico potest etiam referri ad humanitatem Christi, ut sit sensus: Nunc erit *gloria* Dei: & dabitur *gloria* Deo, non solùm in seipso æterno, sed etiam *in altissimis*, id est, humanitate assumptâ, altissima facta & elevata supra totam facultatem creaturæ per unionem ad Verbum. Et sic patet, qualiter in adventu Christi fuit noviter ampliata *gloria Dei* exterior ex parte nostri exhibitivè; & etiam ex parte altissimæ humanitatis Christi terminativè: G quia simul cum Verbo coadoratur & glorificatur absque novo augmento gloriæ Dei essentialis & interioris. Et ideo dixerunt, *Gloria in altissimis Deo.* Et per hoc patet responsio ad tertium quæsitum &c. Per hoc idem patet quarta ratio: quia per Christi adventum.

§. IV.

Pax data hominibus.

QUantum autem *ad quartum quæsitum*, ubi quærebatur: quæ fuit illa *pax* quam Angeli annuntiarunt in nativitate Christi? est advertendum, quòd *pax* dicitur de *pango*, *pangis*, *pepigi*, sive *pegi*, *pactum*, quod H idem est secundùm unam significationem, quod *conjungere*, sive *pactum facere*: quia in omni fœdere & pacto fit quædam conjunctio. Et ideo *pax* nil aliud est nisi quædam ordinata conjunctio aliquorum. Sed quia ex tali debita & ordinata conjunctione rerum resultat quies & tranquillitas; ideo *pax* diffinitur ab *Augustino* 19. *de Civitate Dei*, *cap.* 13. quòd *est tranquillitas ordinis.* Ordo autem est *parium dispariumque rerum, sua cuique loco tribuens dispositio:* & sic unaquæque res manet in pace & tranquillitate, quando

do est disposita & locata in suo ordine naturali, & convenienti, & debito. Per oppositum autem, quando res est sejuncta extra suum locum & ordinem, numquam potest in pace & tranquillitate quiescere: sicut videmus in separatione, aut delocatione, aut divisione membrorum corporis animalis: quæ non potest fieri absque maximo dolore usquequò membrum, vel pars redeat in locum & ordinem suum: tunc corpus & totus homo quiescit in pace: & sic res tunc dicuntur esse in pace & tranquillitate, cùm sunt in suo naturali loco, aut ordine conjunctæ & compactæ; ex qua debita conjunctione & ordinata compactione sequitur quies & tranquillitas, quæ dicitur *vera pax*, & è converso. Et ideo tantùm est bonum pacis, quòd ipsa etiam est finis belli: bella quippè geruntur, ut cuncta in pace quiescant, ut inquit *Augustinus* & *Philosophus* 10. *Ethic.* Et sic omnia appetunt pacem tamquam bonum ultimatum.

Pax multiplex.

Et ideo secundùm *Augustinum* in loco supra memorato, possumus distinguere de septemplici pace. Nam quædam dicitur *pax corporis* inter se: & ista dicitur ordinata temperatura partium inter se. Alia dicitur *pax corporis ad animam*, quæ est ordinata vita & salus animantis: quæ resultat ex temperata complexione & convenientia humorum. Alia est *pax sensualitatis ad rationem*, quæ est ordinata cognitionis actionisque consensio: quæ propriè consistit in conformitate appetitus sensitivi ad rationem. Alia est *pax hominis ad Deum*: quæ est ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Alia est *pax hominis ad alios homines*: quæ est animorum sub aliqua lege ordinata concordia. Alia est *pax hominis ad alia animalia*: quæ est utendi ordinata facultas. Ultima est *pax cœlestis*: quæ est ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo, & invicem videndi Deum. Omnes profectò has septem paces habebat *Adam* ante lapsum, & in statu innocentiæ, & semper habuisset, si stetisset. Nam primò habebat *pacem cum Deo*, tantum quantum fuit conformis divinæ voluntati, & legi: quia manebat in suo ordinato principio. Secundò habebat *pacem cum Angelis*, eò quòd cum eis simul erat concors & conformis divinæ voluntati. Et ideo fruebatur colloquio Angelorum, qui ipsi revelabant divinam voluntatem. Tertiò, habebat *pacem corporis*: quia nullum patiebatur dolorem in membris. Quartò, habebat *pacem corporis ad animam*, in quantum numquam per mortem fuisset separata. Quintò, habebat *pacem sensualitatis ad rationem*: quia sicut ipse erat Deo conformis, & obediens divinæ voluntati, ita sensualitas erat, & semper fuisset conformis & obediens rationi. Sextò, habuisset *pacem cum omnibus hominibus*: quia nulla fuisset causa rixæ, postquam omnes fuissent conformes divinæ legi & voluntati. Septimò, habebat *pacem cum omnibus animalibus*: quia omnia ad nutum sibi obedissent, sicut fuerat à Deo ipsi datum dominium super omnia animalia &c. Ultimò autem habuisset *pacem cœlestem* in societate Angelorum ipsi promissam, si stetisset: quia post longam & felicem vitam fuisset translatus in vitam meliorem & æternam in cœlum.

Sed omnes istas paces perdidit Adam perdendo *pacem Dei* in peccando. Nam sicut ipse fuit difformis & inobediens divinæ voluntati: ita omnia recesserunt ab eo, & perdidit pacem cum Angelis & cæteris omnibus, quia fuit projectus de paradiso à facie Dei, & etiam à colloquio & pace Angelorum hîc, & in futuro: & invaserunt eum omnes infirmitates & dolores, & mors &c. sicut dictum est frequenter in Expositione Psalmorum. Et sic patet, qualiter *Adam* perdendo pacem Dei, perdidit pacem cum omnibus aliis.

Ad hanc ergo *pacem* reddendam, & recuperandam toti generi humano venit Christus in carne, scilicet, ad reconciliandum & pacificandum homines cum Deo, & per consequens cum Angelis, Nam per suam mortem & passionem nos Deo reconciliavit, & per Ecclesiastica Sacramenta, & exinde per suam resurrectionem recuperavit nobis *pacem* corporis & animæ, & immortalitatem, & impassibilitatem; & per suam ascensionem recuperavit nobis futuram gloriam, & *pacem*, & vitam æternam. Et sic in præsenti nos Deo reconciliavit per gratiam, & in futuro per gloriam. Et ideo tota causa adventus Christi fuit, ut homines Deo Patri reconciliaret & pacificaret, & pacem perditam hominibus redderet: & ideo ante passionem suam dixit Apostolis: *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis. Et non sicut mundus dat ego do vobis; sed sicut dedit mihi Pater, ita do vobis.* Hanc autem pacem & reconciliationem generis humani cum Deo magis explicat Salvator, *Joan.* 17. cùm ait: *Pater clarifica Filium tuum: ut Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Item infra: *Non pro eis rogo tantùm: sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.*

Et

Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis : ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus: & ego in eis, & tu in me : ut ſint conſummati in unum. Et *cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.*

Chriſtus venit ut nos pacificaret.

Ex quibus omnibus patet, quòd tota cauſa & ratio, quare venit Chriſtus in carne, fuit : ut qui eramus à Deo ſeparati per peccatum, nos Deo reconciliaret, & pacificaret in hoc ſæculo per gratiam, & in futuro per gloriam: ſicut de facto fecit per ſuam paſſionem & reſurrectionem & aſcenſionem. Et ſic recuperavit *pacem* Dei & Angelorum, & corporis & animæ, quam prædidimus in *Adam* per peccatum. Et hanc pacem attulit nobis in ſua Incarnatione & Nativitate, & acquiſivit nobis in hac pere- B grinatione uſque ad ſuam Aſcenſionem.

Hæc eſt ergo illa *pax*, quam Angeli annuntiant, & annuntiarunt Paſtoribus in hoc Cantico in Nativitate Chriſti, dicentes : *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus &c.* Quaſi dicerent : gratias agamus Deo in Nativitate hujus pueri, quia per ipſum dabitur gloria Deo in cœlo, & reddetur pax hominibus in terra, quam *Adam* perdidit per peccatum.

Objectio.

Sed adhuc reſtat difficultas. Nam nos videmus, quòd poſt adventum Chriſti adhuc reſtant bella & litigia inter homines : & adhuc reſtant infirmitates & mors in corpore, & pugna inter carnem & animam.

C

Reſponſio

Ad hoc reſpondetur: quòd principaliter *pax*, quæ eſt inter homines & Deum & Angelos, jam tradita & recuperata eſt nobis. Nam hìc reconciliati ſumus Deo per gratiam, & Eccleſiaſtica Sacramenta ; & poſt hanc vitam reconciliamur per gloriam in cœlo. Et etiam recuperavit nobis pacem corporis & animæ, & immortalitatem, & impaſſibilitatem. Sed non vult quod iſtam pacem poſſideamus nunc propter majus bonum noſtrum uſque ad generalem reſurrectionem ; ſed manent nobis iſtæ paſſiones ad exercitium virtutum & inſtrumentum merendi, prout dictum fuit *Pſ.* 102. quia ſi nulla manſiſſet in nobis pugna, nulla fuiſſet victoria, nec corona D Martyrum, & Confeſſorum, & Continentium, & Virginum ; & per conſequens non poſſet reparari ruina Angelorum.

Item, ſi illico per Baptiſmum tollerentur iſtæ paſſiones, tolleretur omne meritum : quia omnes currerent ad Baptiſmum, non propter vitam æternam futuram ; ſed ad vitandum mala præſentia, ut inquit *Auguſtinus* 13. *de Civit. Dei, cap.* 3.

Item, promittit Deus tyrannos & malos, ut exerceant bonos : & permittit bella & prælia, ut boni cum malis flagellentur : qui ne eis eſſent moleſti, E eos corrigere contempſerunt, ut inquit idem *Auguſtinus primo de Civit. cap.* 9. Sed pacem omnium iſtorum poſſidebimus poſt futuram reſurrectionem : quam quidem pacem & immortalitatem licèt nondum poſſideamus in facto : tamen jam poſſidemus in merito per Baptiſmum, ut inquit *Ambroſius in Sermone Martyrum*, quam Chriſtus reſervat nobis pro noviſſimo die. Et ſic patet, quòd per Chriſtum omnis *pax* fuit recuperata: ſed nunc jam poſſidemus *pacem animæ cum corpore* : quia tunc *abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis juſtorum.* Et *jam non erit ultra luctus, neque clamor, neque dolor, neque ullus æſtus. Apoc.* 21. F Ergo bene meritò Angeli annuntiarunt *pacem* hominibus redditam in Chriſti nativitate.

§. V.

In quo conſiſtit bonitas voluntatis hominis.

QUantum autem *ad quintum quæſitum*, ubi quærebatur : qui ſunt homines bonæ voluntatis, pro quibus pax Chriſti annuntiatur, & in quibus conſiſtit bonitas voluntatis hominis ? Pro hujuſmodi reſponſione eſt advertendum : quòd *bonum* dicitur de *beo, beas, beavi*, quod idem eſt quod contentare, & ſatiare, & quietare. Et ideo *bonum* eſt illud quod beat, & ſatiat, & G quietat appetitum & voluntatem. Et quia omne tale eſt appetibile & optabile: ideo unum & idem, in quantum beat, & contentat voluntatem, dicitur *bonum* : ſed in quantum appetitur & optatur, dicitur *optimum*. Et ſic quia bonum beat & contentat voluntatem, ſive appetitum : ideo in diffinitione beatitudinis & felicitatis ponitur *bonum*. Unde dicitur 1. *Ethicorum*, quod *beatitudo*, ſive felicitas, *eſt bonum per ſe ſufficiens delectans habentem.* Item *Boetius* dicit, quòd *beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, quo adepto nihil eſt quod amplius deſiderari queat.* Et *Auguſtinus* 13. *de Trinit.* dicit, quod *beaH tus eſt qui habet quidquid vult, & nihil mali vult.* Ex quibus patet quod *bonum* ſemper ponitur in diffinitione beatitudinis : eò quòd eſt illud quod beat & beatificat, & contentat habentem. Et quia omne tale appetitur & optatur ab omnibus ; ideo omnes diffinientes bonum, dicunt, *bonum eſſe illud quod omnia appetunt.* 1. *Ethicorum.*

Et ideo cum Deus ſit ſummè bonus, & ipſa bonitas per eſſentiam, unicuique naturæ ſpecificæ dedit in ſua creatione aliquam naturalem perfectionem conſequentem formam & naturam illius, ut

appareat bonitas artificis in artificiato: per quam perfectionem creatura non dicitur essentialiter, sed naturaliter bona per participationem, in quantum per illam perfectionem participat divinam bonitatem: & per illam perfectionem omnis res est appetenda & diligenda suo modo. Et isto modo dicitur 6. *Meta.* quod sicut verum & falsum sunt in intellectu, ita bonum & malum sunt in rebus. Et ideo appetitus noster movetur ad rem consequendam ad extra propter illud bonum quod est in ea. Sed quia voluntas hominis potest ordinatè, aut inordinatè diligere & appetere illam rem bonam: ideo propter talem amorem & appetitum ordinatum, vel inordinatum, voluntas hominis dicitur bona, vel mala: eò quòd modus & ordo diligendi & appetendi debet sequi modum & ordinem rerum essendi in bonitate.

Et ideo quia solus Deus est bonus per essentiam, & per consequens est per se & propter se bonus, & non referibilis ad aliud bonum; & est causa omnium aliorum in bonitate, & per quem omnia alia bona sunt bona, & ad quem sunt referibilia: ideo Deus est per se, & & super omnia, & propter se diligendus & appetendus tamquam finis ultimatus, in quo debet sistere appetitus & voluntas nostra; & omnia alia debemus diligere & appetere in Deo, & propter Deum amatum, & primò desideratum.

Ordo & modus diligendi Deum.

Modus orgo & erdo diligendi Deum est: ut eum diligamus super omnia, & per se, & propter se: & modus diligendi proximum est: ut ipsum diligamus in Deo, & propter Deum: eò quòd est imago Dei, & participat Dei bonitatem super omnes alias inferiores creaturas. Et tunc voluntas sic diligens Deum super omnia, & proximum in Deo, cujus est imago, servat modum: & diligendo Deum propter se, & proximum propter Deum, servat ordinem: quia Deus creavit hominem, ut Deum cognosceret & amaret, & amando frueretur, & ejus beatitudinem perciperet: Ergo secundùm eundem ordinem tenemur Deum & proximum diligere: & iste talis ordo & modus diligendi Deum & proximum facit voluntatem hominis bonam. Et tunc *voluntas* hominis dicitur *bona*, quando servat modum & ordinem in dilectione Dei & proximi; & in hoc consistit bonitas ejus. Et deviando ab isto modo & ordine diligendi, dicitur *mala* & perversa: unde stat, quòd *voluntas* quæ est naturaliter *bona*, in quantum est pars imaginis Dei, diligendo aliquod bonum naturale illa efficiatur *mala* moraliter & theologicè, non servando modum & ordinem in diligendo & appetendo. Nam quandoque avarus diligit Deum non super omnia: quia magis diligit pecunias; nec diligit Deum propter se, nec ut det sibi vitam æternam: sed pecunias, ut det sibi abundantiam in sæculo. Et hoc videmus manifestè de multis, qui orant Deum, ut conservet filium in sanitate, & liberet ipsum ab ægritudine: tamen si ille filius moritur, non amplius curant de Deo. Signum est ergo quòd ille non diligebat Deum super omnia, nec propter se: sed magis diligebat filium, quàm Deum; & non diligebat Deum propter se, sed ut liberaret filium suum, aut daret ipsi copiam bonorum temporalium. Et sic etiam ille non diligebat filium in Deo, nec propter Deum ad futuram beatitudinem, sed propter gaudium hujus mundi. Et ideo talis *voluntas* dicitur *mala* & perversa: quia pervertit modum & ordinem in diligendo Deum, & proximum, & bona temporalia. Et ideo dicit *Augustinus contra Faustum, quòd peccatum & culpa nihil aliud est, nisi privatio modi & ordinis circa bonum diligendum: quando illud quod moderatè & ordinatè debet diligi & appeti, diligitur & appetitur immoderatè & inordinatè contra suum debitum momum & ordinem.* Et sic talis *voluntas* dicitur *mala*. Ex quibus omnibus patet, quòd debitus modus & ordo diligendi Deum & proximum faciunt *bonam voluntatem.*

Triplex officium bonæ voluntatis.

Iterum autem est advertendum quòd triplex est officium *bonæ voluntatis* hominis in hac peregrinatione. Primò, quòd servet modum & ordinem in diligendo Deum & proximum, scilicet Deum super omnia, & per se, & propter se, & proximum in Deo, & propter Deum. Et isto modo dicitur *voluntas bona.* Secundò, ut ipsa voluntas in omnibus conformetur & obediat divinæ voluntati, & legi divinæ, in qua lucet divina voluntas. Et sic dicitur *justa*: eò quòd agit juxta divinam voluntatem & legem, & non deviat ab ea. Tertium officium *bonæ voluntatis* est: ut omnes suas operationes dirigat, & referat, & ordinet in Deum, & ad consequendam felicitatem æternam in Christo nobis promissam tamquam finem ultimatum: & sic talis *voluntas* dicitur *sancta*, & bene ordinata. Nam *sanctum* dicitur *à sanciendo*: quod est, bene res in suum bonum finem ultimatum ordinare. Et sic patet, quomodo *voluntas* hominis in hac vita dicitur *bona*, & *justa*, & *sancta*, & bene in omnibus modificata & ordinata.

Virtutes Theologicæ faciũt bonam voluntatem.

Sed quia ista tria officia non potest exercere voluntas nostra in hac via, nisi per fidem & charitatem & spem: ideo solæ istæ tres virtutes Theologales faciunt voluntatem bonam theologicè & meritoriè. Quod probatur: nam cùm nil sit vo-

volitum nisi cognitum : Ergo oportet ut intellectus elevetur per fidem ad inhærendum Articulis fidei , & ad affirmandum ea , quæ sunt supra suam naturalem capacitatem de mysterio Incarnationis, & nostræ redemptionis , & futuræ glorificationis : quod non potest fieri sine consensu voluntatis præcipiendo intellectui, ut hæreat his quæ capere non potest. Secundò est necessaria charitas in voluntate , ut diligat Deum super omnia , & proximum sicum seipsum : quæ quidem charitas elevat voluntatem hominis , ut magis diligat Christum , quàm patrem & matrem & filios , & uxorem , & omnia bona temporalia ; & diligat proximum sicut seipsum : per quam charitatem voluntas conformet seipsam totaliter divinæ voluntati , & præceptis Euangelicis , & omnia contemnat propter Deum. Tertiò est necessaria spes , ut contemptis omnibus rebus terrenis , voluntas constituat suam spem & finem in bonis cœlestibus, & omnia ordinet & dirigat in illum finem, propter quem perferat omnes persecutiones hujus mundi usque ad mortem inclusivè , sicut fecerunt Apostoli , & Martyres , & sancti & justi.

Ex quibus omnibus patet, qualiter sola fides & charitas & spes faciunt *voluntatem* hominis *bonam* in hac vita , & meritoriam pacis æternæ per Christum conferendæ post hanc vitam. Nam fides ostendit , quod bonum est diligendum: Charitas ordinat voluntatem ad diligendum ; & sic est forma fidei : quia bonum quod credimus, ordinatè amamus : Spes autem est forma utriusque : quia bonum quod credimus & amamus , illud contemptis omnibus terrenis , speramus, & in ipsum omnes operationes nostras dirigimus.

Fideles soli sunt benæ voluntatis.

Ex quibus patet , quòd soli fideles veri & justi sunt *homines bonæ voluntatis* meritoriæ vitæ æternæ , quam nobis Christus promisit. Et ideo solis *hominibus bonæ voluntatis* , qui sunt veri fideles , & justi per fidem Christi , & spem, & charitatem , annuntiarunt Angeli pacem in hoc sæculo per gratiam , & in futuro per gloriam , quando dixerunt in hoc Cantico : *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis :* quasi dicerent : gaudeamus omnes, tam Angeli , quam homines , quia natus est hodie Salvator. Nam per ejus adventum erit *Deo gloria in altissimis* : quia augebitur numerus laudantium Deum in gloria cœlesti ; *& in terra* erit *pax* & reconciliatio *hominibus bonæ voluntatis* cum Deo & Angelis ejus , in præsenti per gratiam , & in futuro per gloriam: Quasi dicant & per oppositum , quod ista *pax* , quam Christus attulit hominibus bonæ voluntatis , non erit cum infidelibus & injustis & peccatoribus obstinatis: quia talis *pax* consistit in conjunctione & unione hominis ad Deum per gratiam, & fidem , & spem, & charitatem in præsenti , & gloriam in futuro , & per charitatem ad proximum : quod nullus infidelis , & injustus & peccator obstinatus potest habere , cum habeat carentiam & privationem istorum : Ergo in eis nulla poterit esse *pax*, quam Christus promisit *hominibus bonæ voluntatis* : quia *non est pax impiis* , *Isaiæ* 28. cum sint à Deo separati. Et hoc de prima parte hujus Cantici.

§. VI.

IN SECUNDAM PARTEM hujus Cantici.

SEcundam autem partem hujus Canti-ci addidit Ecclesia : quæ est declarativa , & executiva primæ partis. Quam *Thelesphorus Papa* addidit cantandam in Ecclesia. Est verum quòd quidam autumant , quod *Thelesphorus* fuit primus, qui fecit cantari *Canticum Angelorum* in Missa , scilicet : *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Sicut ante ipsum *Sixtus* fecerat cantari *Sanctus, Sanctus &c.* Sed postea venit *Gelasius Papa* qui confecit præfationem ante ly *Sanctus , Sanctus.* Et ita pariter fecit additionem , quæ sequitur post Canticum Angelorum , scilicet : *Laudamus te , Benedicimus te &c.* Quæ quidem additio tamquam declarativa , & executiva supradicti Cantici Angelorum , habet duas partes : Quarum prima correspondet primæ parti Cantici supradicti , scilicet: *Gloria in altissimis Deo.* Secunda verò, quæ incipit : *Domine Fili unigenite* , correspondet secundæ parti , scilicet ly *& in terra pax hominibus.*

Nota.

Et ideo quantum ad intellectum primæ partis hujus additionis est advertendum : quòd quia Angeli dixerunt in prima parte , *Gloria in excelsis Deo* , ideo respondens dicit Ecclesia in prima parte hujus additionis : *O Domine Deus Pater Omnipotens* : quia Angeli dixerunt in nativitate filii tui , *Gloria in excelsis Deo:* ideo nos tamquam cives sanctorum , & domestici Dei , & socii Angelorum , jam in hac Ecclesia *laudamus te* , sicut Angeli in cœlo : & jam *benedicimus te* , & *adoramus te* ; & jam *agimus tibi gratias propter magnam gloriam tuam* , quam nos per filium tuum participare fecisti.

Duplex officium Ecclesiæ.

Ad cujus majorem evidentiam est notandum , quòd duplex est officium hujus Ecclesiæ , dum peregrinatur in hac via:

via : quorum unum est, Deo latriæ cultum exhibere : & in hoc convenit cum Ecclesia triumphanti Beatorum. Secundum officium est, pro necessitatibus exorare, sive necessaria petere. Et hoc facit Ecclesia in additione hujus Cantici. Nam primò exhibet Deo veram Latriam. Secundò, petit necessaria spiritualia. Ibi: *Domine Fili unigenite.*

Latria in quo consistit.

Quantum autem ad primum est advertendum, quòd Latriæ cultus consistit in laude, & benedictione, & adoratione, & gratiarum actione pro beneficiis receptis. Et hoc facit Ecclesia in hac prima parte hujus additiones : unde *laudare Deum*, idem est quod ejus perfectionem commendare. Et *benedicere*, idem est quod beneficia nobis exhibita memorare. *Adorare* autem, idem est quod cum prostratione nos Deo in signum summi dominii subjectos confiteri. *Glorificare* autem, idem est quod ejus gloriam longè latèque præconizare. Hanc ergo Latriam exhibet Deo Ecclesia in hac parte, cùm incipiendo constructionem & sententiam in ly *Domine Deus Rex Cœlestis*, ait : O Domine Deus Rex Cœlestis, quia per Christum majestatem tuam laudant Angeli, & ab omnibus beatis datur tibi gloria in cœlo ; ideo nos in hac peregrinatione tamquam socii Angelorum veram Latriam exhibentes, jam *laudamus te*, tuam Omnipotentiam, & sapientiam, & justitiam, & misericordiam commendantes : Et *benedicimus te*, tua beneficia memorantes : Et *adoramus te*, cum prostratione & procidentia nos tuæ majestati tamquam Creatori, & gubernatori, & universali domino esse subjectos confitentes. Et *glorificamus te*, tuam æternam gloriam & beatitudinem præconizantes: Et *agimus tibi gratias propter magnam gloriam* & beatitudinem *tuam*, quam nobis communicasti, & ejus nos fieri participes voluisti.

Sed quia Ecclesia dum peregrinatur in hac via semper est in continua pugna contra diabolum, & mundum, & carnem, & continuè fluctuat inter mundanas varietates, quæ semper impediunt iter nostrum, ne perveniamus ad terminum, & patriam, & societatem beatorum : ideo in hac secunda & ultima parte petit hujusmodi impedimentum removeri, & contra diabolum, & carnem, & mundum roborari. Sed quia hoc non possumus obtinere nisi per Christum mediatorem Dei & hominum : ideo Ecclesia in hujusmodi petitione invocat Christum, interponendo ipsum intercessorem.

Tria impediunt iter ad vitã æternam.

Sed quia tria sunt, quæ impediunt nostrum iter ad vitam æternam in hac peregrinatione : quorum primum est culpa quam commisimus ; secundum fragilitas carnis, & corruptio sensualitatis, per quam peccata futura sine gratia vitare non possumus ; tertium est pœna pro culpis commissis debita ; per quam in purgatorio detinemur : Ideo Ecclesia ad ista removenda invocat Christum mediatorem, sine cujus meritis & gratiâ ista removeri non valent. Ideo ait : *O Domine Fili Dei unigenite Jesu-Christe.* Et, *Domine Deus agnus Dei*, qui es *Filius Patris*, *qui* solus *tollis peccata mundi*, *miserere nobis*, culpas & peccata commissa dimittendo. Quasi dicat : tu puer Christe, & *agnus Dei* pius & misericors, qui pro peccatis nostris ideo in cruce occisus & immolatus es ; ideo ad te pertinet tollere peccata mundi, & solvere, & satisfacere pro peccatis omnium nostrûm : Ergo applica merita tuæ passionis, & dele, & lava culpas nostras sanguine tuo. Item, tu *qui tollis peccata mundi*, id est, ad quem pertinet tollere & relaxare peccata, non solum subveniendo, sed & præservando, & præveniendo : ideo *suscipe deprecationem nostram*, ne iterum in alia peccata incidamus, per gratiam præveniendo. Item, tu *qui sedes ad dexteram Patris* tamquam Judex, & tributor, & dispensator præmiorum, *miserere nobis*, pœnas in Purgatorio plenariè remittendo, & nobis tuam gloriam largiendo. Unde : *O Domine Jesu-Christe*, ideo invoco te tamquam mediatorem & intercessorem, petendo supradicta, eò quia tu solus supradicta potes facere, *quoniam tu solus es sanctus* per essentiam in quantum Deus, & per naturam in quantum homo assumptus : & ideo tu solus nos potest sanctificare per gratiam, & à peccato liberare. Et *tu solus* es *Dominus* universalis, & hæres Patris. Ideo potes nostras deprecationes exaudire, & per consequens de malis futuris contra diabolum, & contra carnem & mundum liberare. Item, *tu es solus Altissimus* sedendo à dextris, id est, in potioribus bonis Patris, tamquam dispensator : Ergo remittendo omnem pœnam debitam in Purgatorio, potes nobis dare gloriam in cœlo. Sed quia dictio exclusiva addita uni personæ non excludit aliam in actionibus essentialibus; ideo subdit, *Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris.* Quasi dicat : Quia tu Christe es solus sanctus, & Dominus Altissimus simul cum sancto Spiritu in gloria Patris, ideo potes omnia supradicta, quæ petimus, nobis exhibere. Et sic patet superficialis intelligentia hujus Cantici Angelorum cum sua additione. Et patet etiam intelligentia aliorum trium Canticorum Euangelicorum, scilicet, Cantici *Virginis Mariæ*, & *Zachariæ*, & justi *Simeonis.*

Hæc autem omnia quatuor Cantica Euangelica supra exposita conveniunt in hoc:

hoc, quòd unumquodque eorum agit gratias de nativitate, & adventu Salvatoris, per quem omnia promissa, & vaticinia, & desideria Patriarcharum & Prophetarum fuerunt completa. Et ideo Ecclesia quotidie frequentat ista quatuor Cantica, & distribuit ea cantanda in quotidiano officio Ecclesiastico in diversis horis juxta proprietatem uniuscujusque Cantici. Unde Ecclesia cantat tria Cantica semper in fine trium Horarum, scilicet, in fine Vesperarum, & Completorii, & Laudum Matutinalium post Psalmos David: ad denotandum quod ista Cantica sunt Euangelica, & sunt finis, & terminus, & complementum Legis & Prophetarum: quia *lex per Moysen data: sed gratia & veritas per Christum facta est.* Et ideo Ecclesia gratias agendo cantat ista Cantica post Psalmos David.

Nota quando ista quatuor Cantica cantantur, & quare.

Sed cantat specialiter *Canticum Virginis* in officio vesperarum; primò, ratione dignitatis personæ quæ condidit ipsum. Secundò, quia fuit primum non solum in dignitate ratione personæ, sed etiam in tempore: quia fuit primò conditum. Et ideo cantatur in Vesperis à quibus incipit officium cujuscumque festivitatis: Quia omne officium à Vesperis primis incipit, & in secundis desinit: Canticum autem *Zachariæ*, scilicet: *Benedictus Dominus Deus Israël*, cantatur in fine Laudum Matutinalium, quasi in crepusculo diei: & hoc juxta proprietatem Cantici; eò quòd sicut in crepusculo auroræ jam lucifer est ortus, quæ est stella Veneris annuntians solem de propinquo venturum super terram: ita propriè quando *Zacharias* fecit illud Canticum, Christus adhuc erat in utero Auroræ, scilicet, Virginis Mariæ: sed *Joannes Baptista* ejus Nuntius & Præcursor jam tunc erat ortus & natus tamquam annuntiator Solis justitiæ de propinquo ex utero Virginis nascituri & orituri: ideo dixit *Zacharias* de *Joanne Baptista*: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante Dominum &c.* Et infra: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Bene ergo & meritò Ecclesia cantat Canticum *Zachariæ* in aurora; Canticum verò *Simeonis* cantat Ecclesia in fine diei juxta crepusculum noctis. Et hoc juxta proprietatem *Simeonis* conditoris illius Cantici. Nam postquam oculi ejus viderunt Salvatorem mundi, diu Patriarchis & Prophetis, & toti mundo desideratum; tunc in finem vitæ suæ positus, & juxta noctem mortis, desideravit mori, postquam in brevi sperabat de Limbo per Christum educi, & in Regnum Cœlorum intromitti. Et ideo dixit: *Nunc dimittis servum tuum in pace &c.* Et ideo pari modo Ecclesia, quæ jam Christum recepit, & videt quotidie per fidem, in persona filiorum perfectorum, qui jam bonum certamen certarunt, & fidem consummarunt, cupit dissolvi à vinculis corporis hujus, & esse in patria cum Christo: & ideo in hujusmodi signum & memoriam cantat Ecclesia Canticum *Simeonis* in fine diei in officio Completorii, tamquam in complemento nostri cursus & vitæ, desiderando requiem & vitam futuram.

Canticum autem *Angelorum* cantat in principio Missæ post *Introitum* & *Kyrie*, in diebus festivis: eò quòd in Missa repræsentatur mysterium Incarnationis, & Nativitatis, & Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis Christi. Et Christus in Missa non offertur mortalis, sed jam immortalis & glorioſus. Et ideo in Missa jam ista Ecclesia communicat cum triumphanti: quia eodem pane Angelorum reficitur ista, & illa. Nam eodem pane quo illa fruitur facialiter per claram visionem & apprehensionem, reficitur & fruitur ista sacramentaliter per fidem & charitatem in Sacramento Altaris. Et ideo Ecclesia tamquam Angelorum socia cantat in Missa Canticum eorum dicens: *Gloria in excelsis Deo &c.* Ad quam gloriam nos perducat Christus, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu sancto per sæcula sæculorum. Amen.

IN CANTICUM AMBROSII ET AUGUSTINI

PROOEMIUM.

Te Deum laudamus &c.

ISTud Canticum cantat Ecclesia Romana & Latina in omnibus festivitatibus Domini nostri Jesu Christi, & Beatæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum in officio matutinali finitâ tertiâ Vigiliâ, sive Nocturno. Et intitulatur *Canticum Ambrosii & Augustini*, eò quia *Augustinus & Am-*

Ambrosius confecerunt ipsum, ut patebit. Super quo quidem Cantico sui rogatus à quodam reverendo Sacræ Theologiæ Magistro mihi dilectissimo, ut post Expositionem septem Canticorum serialium ipsum exponerem, & juxta sanam & familiarem intelligentiam, ad consolationem omnium Sacerdotum & Religiosorum declaratum redderem. Et ideo ad honorem Dei, & utilitatem nostræ Sacræ Reipublicæ: & ut tanti viri petitioni, & devotioni satisfacerem, divino confisus auxilio hoc Canticum, in quo fides totius Christianæ Religionis continetur, superficialiter exponendum suscepi.

Qua de causa, & quo spiritu Ambr. & August. hoc fecerunt Canticum.

In cujus quidem Expositione sic procedetur. Nam primò est videndum: quâ de causa, & quo spiritu Beatus *Augustinus & Ambrosius* moti fuerunt ad faciendum & cantandum hoc Canticum: cùm in utroque Testamento non fuit consuetum fieri & cantari novum Canticum nisi pro aliquo magno mysterio utili toti populo & Ecclesiæ? Secundò autem exponetur littera hujus Cantici. Tertiò tandem post Expositionem videbitur, quare tota Ecclesia cum tanta veneratione & celebritate suscepit istud Canticum, & publicè præcepit ipsum cantari in universali Ecclesia: cum non contineatur in novo, nec in veteri Testamento, sicut cætera Cantica quæ cantat Ecclesia?

Quantum ergo ad primum est dicendum & notandum secundùm *Augustinum in libello de Verbis Domini*, & *lib. contra Faustum*: quòd licèt Christus à principio & successivè permiserit ad tempus, & secundùm diversa tempora Ecclesiam affligi per malos & infideles; & hoc in utroque Testamento; tamen non permisit ipsam totaliter extingui; sed semper suscitavit aliquem Salvatorem & defensorem, qui eam liberaret: & hoc in utroque Testamento. Nam dum affligeretur in Ægypto, suscitavit *Moysen*, qui illum populum de illa captivitate liberavit. Et dum affligeretur in terra promissionis, suscitavit *Othoniel*, *Jephthe*, *Gedeon*, & *Samson*, & cæteros, qui illum populum liberarunt de manu infidelium &c.

Sed multò ampliùs & mirabiliùs hoc fecit Christus in novo Testamento. Nam non solùm suscitavit defensores ad defendendam Ecclesiam suam; sed etiam voluit, ut illi qui antè fuerant atroces persecutores, posteà essent fideles & ardentiores Ecclesiæ defensores, & pro Ecclesia pugnatores: & hoc, per successionem temporis, secundùm quòd habuit diversos persecutores. Unde Ecclesia tres habuit persecutiones: quarum prima fuit illicò post ascensionem Christi per Scribas & Pharisæos, inter quos *Paulus* fuit atrocior persecutor. Sed Christus ut obstinationem Judæorum confunderet, & veritatem Fidei Euangelicæ confirmaret, miraculosè *Beatum Paulum* tamquam vas electionis suscitavit, & ex persecutore fecit Ecclesiæ defensorem, & Euangelicæ Fidei Prædicatorem, ut patet in *Actibus Apostolorum*.

Item, secunda persecutio fuit per populum Gentilem, scilicet, per Imperatores, & Reges, & Tyrannos: sed in illa persecutione de illomet populo suscitavit Christus Martyres, qui auxerunt & rigarunt Ecclesiam, & confirmarunt eam sanguine suo. Et tandem de numero Imperatorum suscitavit magnum *Constantinum*, qui post Baptismum Ecclesiam Christi à persecutione quietavit, & eam favoribus & divitiis ditavit; ad cujus exemplum omnes Reges terræ sunt ad fidem conversi. Et sic dicit *Augustinus*, quòd *Reges terræ qui propter idola persequebantur Christianos, posteà facti Christiani, propter Christum idola de mundo deleverunt: quæ fuit mutatio dextræ Excelsi: quia omnis humana potestas subjugata est jugo Christi.* Sed post conversionem populi Gentilis diabolus humani generis inimicus suscitavit nova bella, & diversas persecutiones contra Ecclesiam, scilicet, curiositates Philosophorum, & detestabiles sectas Hæreticorum, scilicet, Arianorum, Manichæorum, Pelagianorum, & multorum aliorum Hæreticorum.

Sed tunc Christus de numero Philosophorum suscitavit *Origenem*, qui magnam multitudinem Philosophorum Gentilium per rationes naturales ad Fidem Christi conduxit, & complures non solùm Hæreticos, sed etiam Hæresiarchas ad lucem veritatis reconciliavit, ut inquit *Hieronymus in lib. Illustrium Virorum*, & *Eusebius lib. 6. de Ecclesiastica historia.*

Sed inter cæteros, ut dicit *Possidonius*, de numero Philosophorum & Hæreticorum suscitavit *Augustinum* ad defendendam Ecclesiam suam. Unde dicit *Possidonius*, quòd *divina providentia creavit istum hominem, quasi quoddam stupendum in natura humana: ut posteà in divina scientia illustratus omnem humanam curiositatem confunderet & extingueret. Et primò promisit Deus eum fœda impietate Manichæorum maculari, ut majori evidentia posset illam impugnare, & omnem aliam hæreticam pravitatem ab Ecclesia eliminare, prout posteà factum est.* Unde non solùm *Possidonius* scriptor historiæ Beati Augustini, sed etiam ipsemet *Augustinus* dicit in *libris Confessionum*, quòd quicquid de magnitudinibus & numeris, & cæteris mathematicis dici potest, per seipsum legit & intellexit, & nullo tradente cognovit.

„ vit. Item, de naturis rerum & causis &
„ principiis super omnes coætaneos an-
„ tequam attingeret vigesimum tertium A
„ annum, discrevit, & disputavit, & om-
„ nes suos Magistros superavit: immò
„ sibi discipulos fecit. *Item dicit*, quòd
„ divina providentia permittente eodem
„ tempore in sectam Manichæorum in-
„ cidit, qui negabant Christum esse homi-
„ nem & Verbum incarnatum: sed so-
„ lum Deum. Et sic negabant Christum
„ esse mortuum & passum, & per con-
„ sequens negabant totum mysterium
„ nostræ redemptionis, & virtutem Sa-
„ cramentorum ex illa passione manan-
„ tem: in qua quidem secta laboravit per
„ novem annos. *Item dicit Possidonius*,
„ quòd *Augustinus* eodem tempore ve- B
„ nit Romam ex Africa cum magna ca-
„ terva discipulorum ipsum sequentium:
„ & ibi legit in scholis publicis Rhetori-
„ cam, & alias scientias humanas per
„ aliquot dies, cujus fama fuit diffusa per
„ totam Italiam usque Mediolanum.
„ Tunc Mediolanenses, in quorum urbe
„ semper floruerat studium artis orato-
„ riæ, & scientiarum humanarum, mise-
„ runt legatos Romam, rogantes ut mit-
„ terent eis *Augustinum*, ut legeret in
„ eorum civitate. Tunc Romani mise-
„ runt eis *Augustinum*, tamquam in hu-
„ manis disciplinis tenentem principa-
„ tum.

Sed accidit tunc temporis cum *Augustinus* cum ingenti honore in civitate Mediolani fuisset receptus, & in scholis legere cœpisset, quod tunc *Beatus Am-* C *brosius* illam Ecclesiam administraret, qui quotidiè populo Catholico prædicabat: cujus famam audiens *Augustinus* statuit cum magna discipulorum caterva, potiùs causâ disputandi, quàm audiendi, ad eum accedere; cum quo de Incarnatione Verbi multis diebus disputavit. Videns autem *Beatus Ambrosius* virum humanis verbis invincibilem, recurrit ad divinam virtutem & auxilium; & indixit speciale jejunium in populo, & orationem, ut superno lumine Deus *Augustinum* illustraret. Et sic accidit post spatium temporis, & longas disputationes & altercationes, ut quadam die dum *Beatus Ambrosius* prædicaret, & rationes de D Incarnatione Verbi explicaret; tunc *Beatus Augustinus* illustratus, veritatem fidei percipiens, quasi stupefactus & immobilis permaneret. Et tunc resipiscere incipiens, statuit quotidiè prædicationem *Beati Ambrosii* audire cum magna humilitate. Et tandem in Fide Catholica sufficienter instructus, statuit baptizari: tunc *Beatus Ambrosius*, videns quod per tot menses & dies laboraverat cum tanta sollicitudine pro conversione illius hominis, & tandem Deus perduxerat ipsum

ad Baptismum: & prævidens etiam in spi-
ritu, qualiter ille homo debebat omnes E
hæreses extirpare, & Ecclesiam Dei suis
Scripturis & prædicationibus defendere
& ampliare: ideo dum effudit aquam su-
per caput ejus, magna voce exclamavi,
dicens: *Te Deum laudamus.* Et sic ambo
expleverunt istud Canticum.

Hoc autem mysterium refert *Beatus Datius* quartus ab *Ambrosio* Mediolanensis Episcopus in sua Chronica sub his verbis, dicens: „ Eodem tempore, scili-
„ cet, duodecimo *Theodosii majoris* an-
„ no, contigit ut quidam magnus sapiens,
„ tamen Manichæorum errore seductus,
„ nomine *Augustinus*, argumentis dia-
„ lecticis & sophisticis armatus venit ad
F „ *Beatum Ambrosium*, non causâ audien-
„ di, sed reprehendendi gratiâ: sed cum
„ *Beatum Ambrosium* de Incarnatione
„ prædicantem invenisset, oblitus sui, &
„ litterarum omnium ac cognitionum,
„ pallens ac tremens, omnibus videnti-
„ bus qui ibi aderant, obriguit. Ac etiam
„ finita oratione & admonitione, quam
„ ad populum *Beatus Ambrosius* admi-
„ nistrabat, primum ad ipsum Augusti-
„ nus pervenit. Ac Beatus Ambrosius
„ cognitâ ejus scientiâ, patefactaque ejus
„ disciplina, quid in arte valeret, quali-
„ terque in Fide Catholica dissentiret per
„ Spiritum sanctum cognoscens, quali-
„ terque Fidelis & Catholicus futurus
„ esset, placidissimè & multum charitati-
„ vè eum suscepit. Itaque lætabatur *Bea-*
G „ *tus Ambrosius* super eum: sicut in
„ Euangelio de quodam patre legitur
„ qui cadens super collum filii sui quem
„ perdiderat, osculabatur eum. Tandem
„ non post multos dies nutu divino, sicut
„ multis videntibus, & sibi consentienti-
„ bus palàm aberraverat: sic in fontibus,
„ qui Beato *Joanni* ascribuntur, Deo opi-
„ tulante, à Beato *Ambrosio* cunctis fide-
„ libus astantibus & videntibus, in nomi-
„ ne Sanctæ & individuæ Trinitatis bap-
„ tizatus & confirmatus est: in quibus
„ fontibus, prout Spiritus sanctus dabat
„ eloqui illis, *Te Deum laudamus decan-*
„ *tantes*, cunctis qui aderant audienti-
„ bus & videntibus, simulque miranti-
„ bus, posteris ediderunt. Quod ab uni-
H „ versa Ecclesia Catholica usque hodie
„ tenetur, & religiosè decantatur: &
„ quasi ditati multis divitiis & inæstima-
„ bilibus margaritis mutuò in Deo delec-
„ tantes cum gratiarum actione cibum su-
„ mentes, & magno gaudio gavisi, con-
„ fortati sunt. Hæc *Datius lib.* 10. suæ
„ *Chronicæ*, *cap.* 1.

Ex supradictis verbis ostendit *Datius* Cosmographus, quòd *Augustinus* antequam veniret ad Baptismum jam erat in omni scientia famosissimus. Secundò, quòd erat fœdo errore & fermento Ma-

nichæorum maculatus. Tertiò, quòd sola virtute Spiritus sancti, & non humanâ scientiâ fuit à *Beato Ambrosio* convictus & illustratus. Quartò, quòd supremo gaudio lætatus est Beatus Ambrosius in ejus conversione. Et hoc idem dicit *Possidonius*, quòd *grande festum fecit Beatus Ambrosius in urbe Mediolanensi in illa die celebrari: quasi novum filium & athletam & defensorem illa die Ecclesia genuisset, & novum contra Hæreticos Pugnatorem parturisset.* Quintò etiam ostendit *Datius*, quòd Beatus *Ambrosius* in Spiritu prophetico prævidit, qualis & quantus erat *Augustitus* futurus in Ecclesia Dei. Sextò, quòd tam Beatus *Augustinus*, quàm Beatus *Ambrosius* Spiritu sancto illustrati confecerunt illud Canticum, scilicet: *Te Deum laudamus*: & per consequens dicta in hoc Cantico fuerunt à Spiritu sancto eis infusa. Septimò ostendit, quòd Beatus *Augustinus* à principio hujus Baptismi recepit non solum gratiam gratum facientem, sed etiam dona Spiritus sancti, ad intelligendas, & exponendas Sacras Scripturas; & per consequens habuit scientiam infusam: quia ex tempore confessus est profundissima mysteria in hoc Cantico: immò prophetice locutus est, prout videbitur in Expositione, & in fine ejusdem. Ex supradictis ergo patet unde, & qua de causa, & quo spiritu Ambrosius & Augustinus confecerunt istud Canticum.

Ex supradictis etiam verbis *Datii* & *Possidonii* potest responderi ad id quod quæritur in principio, scilicet: Quare in conversione unius solius huminis cantandum est novum Canticum: cum non fuerit consuetudo in Scriptura utriusque Testamenti novum Canticum fieri, nisi pro aliquo magno mysterio utili toti populo, & Ecclesiæ?

Ad quod respondetur: Verum est quod in Ecclesia utriusque Testamenti non factum, nec cantatum est novum Canticum, nisi pro gratiarum actione alicujus magni mysterii, & beneficii facti, vel revelati. Et sic *Moyses* cum toto populo cantavit, & scripsit illud Canticum, *Cantemus Domino glorisè &c.* pro beneficio liberationis de Egypto, & de mari Rubro, & prout figurabat universalem redemptionem per Christum faciendam. Et sic etiam *Anna* cantavit Canticum novum in nativitate *Samuelis*: eò quòd non solùm prævidit Samuelem futurum Prophetam, & rectorem illius populi, sed etiam prævidit Christum futurum Redemptorem, per Samuelem figurantum, ut patet 1. *Regum* 2. Et prout fuit expositum in eodem Cantico. Et sic etiam *Isaias* fecit novum Canticum, *Isai.* 12. eò quòd fuit ipsi revelatus adventus Christi in carne, & mysterium nostræ futuræ redemptionis, ut ibidem expositum est: & ita etiam *Ezechias* fecit novum Canticum pro sua liberatione, in quantum figurabat nostram redemptionem; & ita etiam *tres pueri* cantarunt Canticum novum pro sua liberatione de camino ignis ardentis, prout ibidem expositum est. Ita etiam in novo Testamento *Virgo Maria* tympanistria nostra cantavit novum Canticum in conceptione Salvatoris, agendo gratias, quia Salvatorem, quem Patriarchæ & Prophetæ cecinerant futurum, ipsa conceperat. Ita etiam *Zacharias* cantavit novum Canticum in Nativitate *Joannis Baptistæ*, eò quòd erat annuntiaturus Salvatorem in deserto, & paraturus vias ejus. Et ita etiam *Angeli* cantarunt *Gloria in excelsis* in Nativitate Salvatoris, *Luc.* 2. Et etiam *Simeon* justus cantavit novum Canticum, quando vidit ac tenuit Christum in ulnis suis, dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine &c.*

Sicut ergo *Anna* cantavit novum Canticum in nativitate filii sui *Samuelis*: eò quòd Dominus abstulerat ab ea opprobrium sterilitatis, & convitiorum æmulæ suæ: & quia prævidit Samuelem Prophetam & rectorem populi Israel, & principaliter quia prævidit in spiritu Christum universalem futurum Redemptorem: ita ergo pariter Ecclesia, per *Annam* figurata, cantavit novum Canticum in regeneratione, & baptismali nativitate *Beati Augustini*, eò quòd prævidit Beatus *Ambrosius* in spiritu, qualiter illa die Ecclesia spiritualiter genuerat unum Filium, qui eam debebat liberare ab opprobrio, & incursibus hæreticorum, & suis scripturis & prædicationibus Ecclesiam debebat ampliare. *Figura Baptismi August.*

Item, sicut *Zacharias* cantavit novum Canticum in nativitate *Joannis Baptistæ*, eò quòd plenus Spiritu sancto prævidit ipsum Præcursorem Domini, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* Ita pariter Beatus *Ambrosius* cantavit novum Canticum in baptismali nativitate Beati *Augustini*, eò quòd prævidit ipsum futurum Christi prædicatorem, & viarum Christi directorem. Nam sicut Joannes Baptista fuit Præcursor Christi præparando corda hominum ad Christum recipiendum: ita *Augustinus* fuit successor in declarandis Scripturis, & hæreticis expugnandis, & liberando Ecclesiam ab incursibus eorum, & ad confirmanda corda fidelium in fide Christi, prout postea compertum est, & prout diffusè infra videbitur.

Hæc est ergo causa unde fuit motus Beatus *Ambrosius* ad cantandum istud Canticum, & quare placuit divinæ providentiæ, ut in nativitate baptismali Bea-

Beati *Augustini* novum Canticum in Ecclesia cantaretur, & confiteretur: quasi diceret Beatus *Ambrosius*; *Te Deum laudamus*, id est, tota Ecclesia laudat Deum, quia labor meus non fuit cassus nec vanus: quia iste qui erat Ecclesiæ rebellis, tandem pervenit ad Baptismum, & factus est Ecclesiæ filius. Item, quia iste qui erat Ecclesiæ impugnator & inimicus, erit Ecclesiæ defensor, & hæreticorum expugnator & extirpator, & totius Ecclesiæ illustrator & ampliator. Universa ergo laudet Deum Ecclesia quæ hodie talem filium in hoc fonte Baptismatis generavit. Et ideo dicit *Possidonius*, quòd grande festum fecit Beatus *Ambrosius* illa die in populo Mediolanensi & Ecclesia celebrari in conversione illius viri, per quem Ecclesia erat tot & tanta bona receptura. His esgo habitis, cum Dei auxilio ad Expositionem hujus Cantici accedamus.

De Consec. dist. 3. c. ult. & 16. quæst. 1. c. Revertimini.

Te Deum laudamus.

Divisio Cantici hujus.

PRO cujus Cantici Expositione & divisione est prius advertendum: quòd sicut in hoc Cantico simul continentur multa mysteria & officia: ita multipliciter potest dividi. Nam uno modo *Ambrosius* & *Augustinus* laudant Deum agendo gratias pro beneficiis receptis, & petunt beneficia futura. Et sic potest dividi hoc Canticum in duas partes principales. Nam primò laudant Deum Trinum & unum, gubernatorem, & creatorem, & glorificatorem, agendo gratias pro beneficiis creationis, & gubernationis, & universalis redemptionis. Secundò, petunt, ut universalis redemptio subveniat omnibus filiis Ecclesiæ, & omnes participemus beneficio redemptionis & glorificationis. Secunda pars erit ibi: *Te ergo quæsumus &c.*

Secundo modo istud Canticum potest considerari, in quantum in eo *Ambrosius* & *Augustinus* in persona Ecclesiæ, & ad instructionem omnium fidelium, confitentur omnem Catholicam veritatem. Et sic potest dividi in duas partes. Nam in prima confitentur omnem veritatem Catholicam pertinentem ad Deum in se quoad nostram creationem & gubernationem. Secundò confitentur omnes veritates Catholicas pertinentes ad Christum Deum Incarnatum, necessarias ad nostram redemptionem & justificationem. Secunda erit ibi: *Tu Rex gloriæ Christe.* Tertiò potest considerari hoc Canticum, in quantum in eo continetur triplex confessio ad nostram justificationem, scilicet, confessio Fidei, & Latriæ, & Pœnitentiæ, sine qua nemo potest justificari, ut patebit in fine Expositionis. Et sic istud Canticum potest dividi in tres partes. Nam in prima fit confessio veræ Fidei. In secunda confessio Latriæ. In tertia autem confessio pœnitentiæ. Secunda ibi: *Per singulos dies.* Tertia ibi: *Dignare Domine die isto.* Sed quia laudando Deum & agendo gratias pro universis beneficiis receptis, & petendo gratiam & auxilium pro beneficiis futuris, de necessitate confitemur omnem Catholicam veritatem ad nostram instructionem; & confitendo omnem Catholicam veritatem necessariò facimus triplicem confessionem, scilicet fidei, latriæ, & pœnitentiæ: ideo prima divisio continet secundam & tertiam. Ideo procedendo secundùm primam divisionem in hac expositione, includemus secundam & tertiam. Nam nemo potest justificari per triplicem confessionem, quin confiteatur omnem veritatem, & agat gratias pro beneficiis receptis, & petat futura, prout magis declarabitur exponendo litteram, & in fine totius Expositionis. Et ideo procedamus secundum primam divisionem, in quantum principaliter duo faciunt *Ambrosius* & *Augustinus*. Nam primò laudant Deum Creatorem & Redemptorem, agendo gratias pro beneficio creationis & redemptionis. Secundò petunt in persona Ecclesiæ participare beneficium redemptionis & glorificationis, & in eis perseverare, & proficere: Ibi: *Te ergo quæsumus.*

Quantum ad primum duo faciunt *Ambrosius* & *Augustinus*. Primò enim laudant Deum Trinum & Unum Creatorem & gubernatorem, agendo gratias pro beneficio creationis, memorando beneficia quæ receperunt per creationem, & continuè recipiunt per gubernationem. Secundò laudant Christum Deum incarnatum Creatorem, & Redemptorem, & glorificatorem, agendo gratias pro beneficio nostræ redemptionis & glorificationis. Ibi: *Tu Rex gloriæ Christe.*

Nota.

Sed quia dictum est, quòd nemo potest Deum laudare, nec agere gratias pro beneficiis receptis, nisi priùs confiteatur ejus nobilitatem & perfectionem, & memoret beneficia collata; eò quòd confessio fidei præcedit Latriam, ut patebit: ideo *Ambrosius* & *Augustinus* in persona totius Ecclesiæ laudando Deum, confitentur ejus nobilitatem, & excellentiam, & perfectiones, & beneficia: & sic tria faciunt in hac prima parte. Nam primò laudant, & confitentur unum solum Deum gubernatorem & Creatorem omnium. Secundò, ostendunt, qualiter Deus per amplius & perfectius laudatur ab Angelis & Beatis in Ecclesia Triumphanti. Tertiò, confitentur & laudant Deum Trinum & unum in hac

Ecclesia, exprimendo mysterium Trinitatis. Secunda ibi: *Tibi omnes Angeli.* Tertia ibi: *Te per orbem terrarum.* Sed quia in hac prima parte laudant Deum Dominum & Patrem, ideo isti tres termini, scilicet *Deus*, & *Dominus*, & *Pater* sunt declarandi, quia quandam distinctionem importare videntur. A

Nota de hoc nomine Deus

Ad cujus intellectum est advertendum primò, quòd istud nomen *Deus* dicitur à *Theos* Græcè, quod idem est quod *speculabile*, & *insensibile*, & *actus purus & immaterialis*, & *quid per se intelligibile* Latinè. Et isto modo dicit quid unum solum, & independens, & infallibile, & æternum, & unum necesse esse, impossibile aliter se habere. Sed quia Deus ut probat *Arist.* & *Commentator.* 12. *Meta.* & *Avicenna*, & *Algazel in sua Metaphysica*, immò secundùm *Damascenum*, dicitur *Pelagus & fons omnium perfectionum essentialiter.* Et isto modo non est nisi unus solus Deus, ut probant omnes supradicti, & probant omnes Doctores *supra* 1. *Sententiarum dist.* 2. Item istud nomen *Dominus* dicitur à *dominando*, quod idem est quod totam domum disponere, regere, & gubernare ad suam voluntatem & arbitrium, & propter seipsum movere. Et ideo procurator aut filius non dicitur dominus domus, licèt totam domum disponat, & regat, & gubernet: sed quia hoc non facit propter se, nec ad nutum suum, sed ad nutum, & præceptum, & ad voluntatem domini domus & patrisfamilias: ideo nec procurator, nec servus dicitur dominus domus, sed solus ille, propter quem, & ad cujus nutum fiunt omnia. Quia ergo solus Deus per se gubernat à regit Universum, à quo dependet cœlum, & tota natura in essendo & gubernando, & propter quem tamquam propter amatum & desideratum omnes intelligentiæ movent orbes, & regunt omnia ista inferiora, ut inquit *Aristot.* 2. *Meta.* & omnes Angeli *faciunt verbum*, id est, præceptum *ejus*, *ad audiendam vocem sermonum ejus*, ut patet *Psalm.* 102. Et ideo sicut est unus solus Dominus universi, & sicut non potest esse nisi unus Deus: ita non potest esse nisi unus Dominus, & unus princeps & dux hujus exercitus totius universi, ut probat *Arist.* 12. *Metaphys.* B C D

Reges impropriè dicuntur domini.

Ideo impropriè, & valde æquivocè Reges & Principes mundi dicuntur *domini*: quia non à se habent potestatem, sed à Deo: nec propter se regunt, sed propter Deum, qui est Dominus universalis omnium, cui omnes sunt reddituri rationem. Unde Seneca in *Thyeste:*

Vos, quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quidquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est &c. E

Hoc autem idem magis explicatur *Sap.* 5. & 6. *per totum.* Et sic patet qualiter sicut est solus Deus; ita est unus solus Dominus Universi gubernator & rector.

Item, istud nomen *Pater* dicitur à *patir* Græcè, quòd est idem quod *principium* Latinè. Et ideo genitorem vocamus *Patrem*, eò quòd est principium generationis activum: & genitricem vocamus Matrem, eò quòd est *quasi materia* & principium passivum in tali naturali generatione. Sed impropriè & æquivocè genitor carnalis dicitur *Pater*, quia licèt sit principium particulare & immediatum in generatione, tamen hoc non agit nisi in virtute corporum cœlestium, & maximè Solis: quia *sol & homo generant hominem* 2. *de Anima.* Et ideo Philosophi, & Poëtæ vocarunt Solem, *Patrem hominumque deorumque.* Sed adhuc Sol valde æquivocè vocatur *Pater*: quia licèt sit principium omnium generabilium, & specialiter hominum: tamen hoc non habet à se, sed à Deo, qui est principium. Item, licèt Sol concurrat ad generationem corporis; tamen non ad productionem animæ rationalis, nisi solus Deus. Item, licèt omnia generabilia & corruptibilia dependeant à corporibus, & Intelligentiis cœlestibus quoad formam, tamen non quoad materiam primam: quia omnia agentia creata præsupponunt illam: & sic materia prima, & anima intellectiva, & cœlum à solo Deo possunt produci per solam creationem, qui est principium omnium in genere causæ efficientis, formalis, & finalis. Et quia à solo Deo dependent omnia creata secundum totum suum esse: ideo solus Deus dicitur verus *Pater*, & principium omnium: quia ab ipso patrata & principiata sunt omnia. Et ideo dicit *Boetius* 3. *de Consol. Carmine* 5. quòd sicut Deus est unus in gubernando: ita est unus solus Pater in creando. Unde ait: F G H

Nota de hoc nomine Pater.

Omne hominum genus in terris simili
surgit ab ortu.
Unus enim rerum pater est, unus omnia ministrat.
Ille dedit cælo radios, dedit cornua lunæ &c.

Et ad istum intellectum ait *Salvator Matt.* 23. *Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est Pater vester qui in cœlis est.* Et sic etiam dicitur in Symbolo Ecclesiæ: *Credo in unum Deum Patrem om-*

omnipotentem &c. Et sic patet, quòd sicut est unus solus Deus, ita unus solus Dominus & Pater laudandus & colendus. A

Istas ergo tres proprietates essentiales confitentur in primis de Deo *Ambrosius* & *Augustinus*, scilicet, quòd unus est solus Deus & Dominus & Pater omnium, agendo gratias pro beneficiis receptis; & hoc, in persona totius Ecclesiæ. Unde videns *Beatus Ambrosius*, quòd Deus compleverat desiderium suum, quia deduxerat *Augustinum* ad Baptismum, pro quo tantum laboraverat; & prævidens in spiritu, qualiter iste debebat esse defensor Ecclesiæ, & dissipator hæreticorum, & dilucidator totius Sacræ Scripturæ; ideo in persona totius Ecclesiæ agens gratias uni soli Deo B exclamavit, dicens:

De Conse. dist 3. cap. ult.

Te Deum laudamus.

NON dixit: Nos Deos laudamus; sed, *Te* unum solum *Deum laudamus* pro tantis beneficiis receptis, suple. Et confitendo unum solum Deum agit gratias pro tantis beneficiis: quia in illa die magna beneficia recepit tota Ecclesia per conversionem illius hominis. Tunc autem *Augustinus* existens in fonte Baptismatis respondit:

24. q. 1. quid culpatur. Et dist. 3. c. Quę Contra.

Te Dominum confitemur. C

QUasi dicens: tu *Ambrosi* unum solum confiteris Deum, & prædicas ipsum esse laudandum & colendum: & ego profitendo fidem meam confiteor ipsum Deum esse unum solum *Dominum* & gubernatorem totius universi. Et hoc assero & confiteor contra multos Gentilium, qui negant divinam providentiam se extendere ad actus hominum, & ad ista inferiora: & contra *Manichæos*, qui dicunt Deum esse *Dominum* & gubernatorem solum rerùm invisibilium; & dicunt diabolum esse dominum & rectorem hujus mundi inferioris. Et sic *Augustinus* conversus ad D Deum dicit: *Te Dominum confitemur*, id est, sicut confitemur te esse unum solum Deum; ita unum solum Dominum & dispensatorem, & rectorem, & gubernatorem, & provisorem totius Universi. Tunc autem *Beatus Ambrosius* subdidit:

*** *** ***
*** *** ***

E *Te æternum Patrem omnis terra veneratur.* 11. q. 3. Ad mens. sam.

QUasi diceret: *Augustinus* te confitetur Dominum & gubernatorem Universi: & ego simul cum Ecclesia te confiteor Patrem & Creatorem Universi; à quo tamquam ab uno solo principio omnia ex tempore dependent per creationem, quoad totum suum esse in genere causæ efficientis, formalis, & finalis: quod est contra *Aristot.* & alios Philosophos, & omnes Gentiles, qui putant mundum fuisse ab æterno: ideo *omnis terra*, id est, omnes F fideles terræ, te venerantur tamquam Patrem omnium.

Nota, quòd multi dicunt, quòd *Ambrosius* in hoc Cantico solùm locutus est in principio, dicens: *Te Deum laudamus*: & *Augustinus* prosecutus est totum residuum usque in finem, confitendo fidem suam, sicut tenentur adulti ore proprio confiteri fidem suam publicè, quando baptizantur. Et sic secundùm istos, hoc Canticum totum est confessio fidei Beati Augustini, quam professus est in Baptismo: sed quia communiter tenetur, quòd ambo alternatim fecerunt hoc Canticum unusquisque proferendo suam sententiam: ideo sic procedemus in ejus Expositione, referendo singula singulis. G

Dubium. Sed dubitatur. Nam licèt prima persona dicatur Pater æternus respectu Filii, eò quòd ab æterno producit Verbum: tamen tota Trinitas unus Deus non dicitur *Dominus*, nec *Pater æternus totius Universi*: quia ista sunt relativa ex tempore. Et ideo sicut mundus non est æternus; ita Deus non est *æternus Dominus*, & gubernator & Pater ejus, sed ex tempore. Vel est dicendum, quòd Pater non sumitur hìc essentialiter, sed personaliter respectu Filii.

Responsio Ad hoc respondetur: quòd *Pater* in hoc loco sumitur essencialiter respectu totius Universi: sed ly *æternum* non de- H terminat, nec connotat paternitatem & & relationem secundùm divinam substantiam & Deum essentialiter; quasi dicat, sicut universalis Ecclesia *te confitetur æternum* & unum *Deum* ab æterno: ita te veneratur *unum Dominum & Patrem* ex tempore, id est: *Te Deum æternum* confitetur *Dominum* & *Patrem* ex tempore: & iste modus servatur quandoque in Sacra Scriptura. Et ita dicitur *Psal.* 52. *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Unde manifestum est, quod ly *ante sæcula*, non determinat ly *Rex noster*, nec ly *operatus*

tus est salutem in medio terræ : sed determinat ly *Deus*: id est, Deus, qui est ante A sæcula, postea factus homo & *Rex noster, operatus est salutem in medio terræ.* Item, iste modus servatur *Psalm.* 89. cum dicitur : *Domine refugium factus es nobis, à generatione in generationem. Priusquam formaretur terra & orbis, à sæculo & in sæculum tu es Deus.* Tunc manifestum est, quòd Deus non fuit Dominus, nec refugium nostrum ab æterno, *priusquam montes fierent, & formaretur terra & orbis*, sicut intelligebant *Origeniani* hunc passum : sed sic est legenda, & punctuanda, & intelligenda ista littera, scilicet : Tu Domine, qui nunc Dominus es noster, es Deus in sæculum, *priusquam montes fierent, & orbis formaretur:* B sed ex tempore per creationem & redemptionem *factus es refugium nostrum.* Et isto modo est intelligendus iste passus in hoc Cantico. Nam illum quem confitentur esse unum Deum immortalem, & æternum ab æterno, illum eundem confitentur esse Dominum, & Patrem universi ex tempore. Potest etiam dici ly *æternum Patrem* capi personaliter: quem simul cum Filio & Spiritu sancto *omnis terra veneratur* : quia sicut opera Trinitatis essentialia sunt inseparabilia ad extra : ita cultus Latriæ non separat personas in divinis : quia Deo essentialiter debetur. Sed melius videtur, quòd ly *Patrem* teneatur essentialiter respectu universi : eò quòd infra C fiet specialis & expressa confessio de mysterio Trinitatis : sed hîc exprimitur mysterium Creationis : quasi dicat *Ambrosius :* sicut te confitemur unum Deum & Dominum gubernatorem : ita omnis terra jam *te veneratur æternum Patrem* & creatorem : quia totus populus Gentilis jam venit, & veniet ad fidem, qui confitetur creationem mundi, quam ante negabat : quam fidem maximè confirmavit *Augustinus* iste in scriptis & prædicationibus suis. Et ideo subdit *Augustinus*: Tu *Ambrosi* dicis, quòd tota terra jam veneratur unum Deum, & unum Dominum & Patrem creatorem : & ego dico tibi, quòd per amplius & perfectius veneratur Deus in cœlis ab Angelis D tamquam Dominus & Creator : & sic conversus ad Deum dicit:

38. dist. Si quid in Glos.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli, & universæ Potestates.

E *Tibi Cherubim & Seraphim inces-sabili voce proclamant : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth &c.* Apocal. 4. Isai. 6.

AD cujus intellectum est valde advertendum, quòd istud participium *Sanctus* est præteriti temporis ab isto verbo *sancio*, quod idem est quod rectè vitam & actus humanos dirigere & ordinare. Et ideo leges Imperatorum, & plebiscita dicuntur *sanctiones*, id est, rectæ ordinationes : eò quòd rectè ordi-
F nant actus humanos. Sic ergo ille homo dicitur *Sanctus*, qui est bene ordinatus in actibus & operationibus suis, & bene instituit & ordinat vitam suam. Et sic *sanctitas* dicitur quædam justitia, & vita justa, & justè ordinata & regulata. Et sic illos vocamus *Sanctos* in Ecclesia, qui justè & ordinatè vixerunt secundùm legem Dei : sed quia voluntas Dei lucet in divina lege ; ideo ille dicitur justus & *Sanctus*, qui conformat voluntatem suam cum divina voluntate, & subordinat se divinæ voluntati servando divinam legem. Et sic patet, qualiter *sanctitas* dicit quendam ordinem ad Deum, & quandam conformitatem : & per conse-
G quens dicit quandam justitiam & rectitudinem.

Quis dicitur sanctus.

Sed quia talis ordo & sanctitas primitus reperitur in Deo : ideo Deus est primus justus & sanctus in se. Unde ulterius est advertendum, quod tria imprimis considerantur in Deo. Primò, quia est primum ens. Secundò, quia verum ens. Tertiò, quia summum bonum ens. Vel quod est prima entitas, & prima veritas, & prima bonitas. Et ideo in quantum est *primum ens*, & actus purus, intelligit : sed in quantum est *primum ens verum*, intellegit seipsum. Et sic intelligendo, dicit & producit Verbum de totâ essentiâ suâ. Et sic communicat Verbo suo totam substantiam & essentiam. Sed quia talis productio fit se-
H cundùm naturam ; ideo Verbum productum dicitur Filius Patris dicentis & generantis. Item rursus, quia Pater novit se in Filio non solum esse *verum ens*, sed etiam ex consequenti esse *summum bonum* : ideo diligit se in Filio, cui per generationem communicat divinam essentiam. Et Pater simul cum Filio diligendo se, spirat Spiritum sanctum, communicando ipsi eandem essentiam per spirationem, quæ communicata est Filio per generationem : & sic manet iste ordo in Divinis Personis. Nam eadem essentia & substantia, quæ est in Patre à

Tria in primis in Deo considerantur.

se

se, eadem est in Filio à Patre communicata per generationem; & eadem est in Spiritu sancto communicata ab utroque A per spirationem. Sed quia Pater non est Deus per paternitatem, sed per divinam essentiam, quam habet à se; & Filius non est Deus per filiationem, sed per substantiam & essentiam, quam habet à Patre per generationem; nec Spiritus sanctus est Deus per spirationem passivam, sed per essentiam, quam habet ab utroque: ideo sicut in Patre & Filio & Spiritu est una sola divinitas & essentia: ita Pater & Filius & Spiritus sanctus, licèt sint tres Personæ ratione suarum proprietatum, per quas constituuntur: tamen omnes tres Personæ non B sunt nisi unus Deus per unam & eandem substantiam & essentiam in eis repertam: quia licèt multiplicentur Personæ propter tres relationes; tamen non multiplicatur essentia nec substantia, licèt sit tribus personis communicata. Et ideo nec etiam multiplicantur essentialia: sed Deus essentialiter est & *Dominus*, & *Sanctus*, & *Deus*: ideo sicut est essentialitar tantum unus Deus, ita unus Dominus, & unus Sanctus. Et sic licèt Pater sit *Sanctus*, & Filius *Sanctus*, & Spiritus sit *Sanctus*: tamen non propriè sunt tres Sancti, sed unus Sanctus.

Ordo in tres Personas.

Ex quibus patet, quod in divinis est ordo simul cum unitate. Nam inter istas tres Personas est ordo, in quantum Pater est à se, & Filius à Patre, & C Spiritus sanctus ab utroque: sed est unitas in substantia & essentia: quia omnes tres Personæ communicant unam & eandem substantiam & essentiam æqualiter: & sic manet ordo in tribus Personis simul cum unitate, & qualitate essentiæ, & majestatis: & sic talis ordo non tollit unitatem, nec æqualitatem majestatis, & ideo sicut Pater est Deus à se, ita est *Sanctus* à se: & sicut Filius est Deus à Patre, ita *Sanctus* à Patre: & sicut Spiritus sanctus est Deus ab utroque, ita *Sanctus* ab utroque. Et sic quælibet Persona dicitur *essentialiter sancta*: sed tertia persona dicitur *communiter & specialiter sancta*, in quantum est finis totus ordinis: eò quòd *sanctitas* dicit quendam ordinem in aliquem bonum finem, prout supra dictum est. D

Sed quia tota beatitudo Dei & gloria consistit in isto ordine, scilicet, in quantum Deus Pater novit se in Filio, & simul cum Filio diligit se in Spiritu sancto: ideo omnes Angeli, Cherubim, & Seraphim, & universaliter omnes Beati in patria volentes dare gloriam Deo, & volentes explicare istum ordinem in divinis, in quo consistit tota Dei beatitudo, *inexsabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quasi dicant: *Sanctus* Pater, qui à nullo, sed à seipso; & *Sanctus* Filius, qui à Patre; & E *Sanctus* Spiritus, qui ab utroque: & sic glorificant & laudant Deum in Trinitate. Sed quia *omnes Angeli* noverunt unum solum Deum, & unum Dominum in hac Trinitate personarum, cui debetur una sola gloria æqualiter, & una beatitudo: ideo subdunt: *Dominus Deus Sabaoth*, quasi dicant: Sanctus Pater, Sanctus Filius, & Sanctus Spiritus: tamen non nisi unus Deus, & unus Dominus; & per consequens unus honor sit Patri & Filio & Spiritui sancto: & sic *omnes Angeli* in sua Latria explicant mysterium Trinitatis personarum cum simplicitate divinæ essentiæ: in cujus visione & fruitione consis- F tit tota eorum, scilicet Angelorum, beatitudo, ut magis patebit.

Ulterius est cum humilitate & tremore advertendum, quòd præter supradictum ordinem respectivum, est considerandus in divinis alius ordo quasi absolutus, qui nullam distinctionem ponit in Deo, scilicet, in quantum Deus à nullo dependet causaliter: sed à se, & in se, & propter se. Nota.

Unde Deus sicut est essentialiter à seipso, & in seipso; ita non est propter aliud bonum finaliter, sed propter se ipsum, qui est summum bonum, & per consequens finis ultimatus: & sic Deus est à se, & in se, & propter se: & sic Deus diligit se in se, & propter se. Nam G sicut est in se, & propter se; ita diligit se in se, & propter se. Et iste ordo, qui videtur essentialiter absolutus, non tollit ordinem respectivum; immò est simul cum illo. Nam Pater intelligendo se in Verbo, non se intelligit in alio intelligibili, nec in alio Deo, sed in seipso Deo: & simul cum Filio diligendo se in Spiritu sancto, qui est nexus amborum, non se diligit in alio Deo, nec in alio summmo bono, sed in seipso Deo & summo bono.

Et sic primus ordo essentialis, & causalis independentiæ stat simul cum secundo ordine originis & respectivo personarum: & ideo cum Deus sit pri- H mum ens, & principium, & causa ominum aliorum entium, per supradictum ordinem, & sub tali ordine fecit omnia creata, & talem ordinem impessit in eis. Unde sicut Pater ab æterno producit Filium, & simul cum Filio producit Spiritum Sanctum: ita ex tempore Pater per Filium, qui est Verbum suum, dixit omnia: quando dixit, *Fiat lux* &c. & simul cum Filio per Spiritum sanctum vivificavit, & movit omnia ad suas operationes, quando *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Et sic ordo emanationis creaturarum sequitur ordinem Divinarum Perso-

na-

Ordo emanationis creaturũ sequitur ordinem Divinarum Personarum.

narum : & sic eundem ordinem, tamquam vestigium Trinitatis, impressit in omnibus creaturis. Nam sicut Pater est primum principium, qui dixit omnia, & Filius per quem dixit omnia, & Spiritus sanctus finis, in quo omnia vivificavit ad suas operationes : ita in omnibus creaturis impressit hanc Trinitatem, dando eis *substantiam*, *virtutem*, *& operationem*: quæ quidem *substantia*, sive forma, est principium quod agit ; *virtus*, medium per quod agit ; & *operatio* est finis, propter quem data est rebus talis virtus : & sic in homine consideratur tota *substantia* tamquam principium principale, & potentiæ animæ, tamquam medium : & consideratur *operatio*, scilicet, sentire & intelligere tamquam finis illarum potentiarum, & sic per istum ordinem appa- B ret vestigium Trinitatis in omnibus creaturis : quem ordinem noverunt omnes Philosophi in creaturis.

Nota de vestigio Trinitatis in numero pondere & mensura.

Sed *Pythagoras* appellavit ipsum ordinem, *principium*, *medium*, & *finem*. *Peripatetici* autem appellant ipsum *substantiam*, *virtutem*, & *operationem*. Et ideo quia Pythagorici viderunt talem ordinem in creaturis omnibus ; inde est quòd ex tali ordine arguebant aliquam Trinitatem in Deo, qui est causa omnium : & ideo colebant Deum triplici honore, scilicet hymno, adoratione, & oblatione, ut inquit *Arist.* 1. *cœli.* Sed eandem Trinitatem & vestigium Trinitatis assignat *Salomon* in omnibus creaturis, *Sapientiæ* 11. cum ait : *Omnia Domine in mensura, & numero, & pon-* C *dere dispositisti* : ita enim trinitas, tamquam vestigium supernæ Trinitatis, reperitur in omnibus creaturis : & hoc multipliciter.

Primò, quia omnia sunt finita sub certo numero, & non infinita : & omnia sunt sub certo pondere in suo loco secundùm gravitatem, aut levitatem collocata, putà, Angeli in supremo loco, & corpora corruptibilia in infimo, & Cœli in medio : & omnia sunt sub certa mensura & virtute in agendo. Item, omnia fecit Deus sub numero : quia species sunt sicut numeri, 8. *Meta.* Nam sicut omnes numeri multiplicantur ab unitate per D additionem aliarum unitatum ; ita omnes species multiplicantur à prima unitate, qui est Deus, addendo perfectiones essentiales. Et omnia disposuit Deus *sub certa mensura*, quoad perfectiones accidentales, & virtutes in agendo : quia quantò perfectior est forma, tantò plures perfectiones accidentales includit, & plura potest : sicut anima hominis respectu animæ leonis. Et omnia fecit Deus *sub certo pondere*, in quo quietantur: quia omnia ordinavit ad ultimum finem, qui est Deus, de quo dicit *Augustinus lib. Confes. Fecisti nos Domine ad te* : & E *numquam quiescet cor meum donec quiescat in te.* Item, *Amor meus, pondus meum &c.*

Sed *Augustinus* jam perfectius assignat istam Trinitatem in omnibus creaturis *lib. de Natura Boni*, & 4. *super Genes.* & 6. *de Trinit.* Unde dicit, quòd sicut Deus in se est species, modus, & ordo : ita omnia fecit sub specie, modo, & ordine. Nam sicut Deus in quantum est ens primum, & actus purus, dicit speciem : & in quantum est in se, & non in alio, dicit modum : & in quantum est propter se dicit ordinem, & sic in Deo est species, modus, & ordo : ita omnia creavit sub specie, modo, & ordine: quia omnia habent speciem à Deo ; in F tantum enim habent specient, & formam, & essentiam, in quantum imitantur illam formam & ideam in Divino Verbo : & sic dependent à Deo in genere causæ formalis : & in tantum conservantur in esse vitali & actuali, in quantum Deus influit esse essentiæ actualis : & sic dependent à Deo in genere causæ efficientis : & in tantum res dicitur bona, in quantum ordinatur in bonum finem, qui est Deus. propter quem facta sunt omnia. Et sic omnia dependent à Deo secundùm totum suum esse, scilicet, in genere causæ efficientis, formalis, & finalis ; & sic omnia sunt facta à Deo, & per Deum, & propter Deum, & per consequens in omnibus reperitur G species, modus, & ordo : quia sub tali ratione Deus creavit omnia, scilicet, sub se, & in se, & propter se ; & hoc secundum ordinem suæ Trinitatis.

Et ideo tota Trinitas indivisè concurrit ad ordinem creationis. Primò Pater dixit per Verbum suum, *Fiat lux*, id est, Angelica natura, *& sic facta est lux &c.* Sed quia non solum dedit rebus formam, & esse specificum, sed etiam esse actualis existentiæ ; ideo sequitur quòd *spiritus Domini ferebatur super aquas*, ist est, super omnia creata, dando, & aspirando esse vitalis existentiæ. Sed quia sicut Deus omnia fecit à se, & sub se; ita fecit omnia propter se, qui est sum- H mum & ultimatum bonum : ideo in creatione rerum dicitur : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona* : per quod denotantur omnia facta propter bonum finem, & omnia habere talem bonun finem in solo Deo ; quia est *valde & summè bonus* : quia nulla res potest esse in se *valde bona* sed debiliter bona, sicut est debiliter ens in se. Et hoc intendebat dicere *Joannes*, cum dixit: *Omnia per ipsum*, scilicet Verbum, *facta sunt, & sine ipso factum est nihil: quod factum est in ipso vita erat*, quasi dicat, secundùm *Augustinum* & *Chrysos-*

stomum, quòd *Pater per Verbum fecit omnia, & omne quod factum est per ipsum, sit nihil sine ipso*: & maximè A dum deviat & separatur ab ipso per peccatum: quia sicut omne ens factum est ab ipso; ita erat & est vita in ipso: quia in ipso omnia vivunt, & moventur, & sunt, propter quem facta sunt omnia. Nam licèt homo moriatur mundo: tamen manet & vivit finaliter in Deo, in quo constituit suum finem. Et sic patet qualiter Deus est à se super omnia, & in se, & propter se, & omnia alia sunt à Deo, & per consequens sub Deo, & facta per Deum, & propter Deum.

Sed quia ordo cognitionis debet sequi modum essendi: quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci: ideo sicut Deus est per se, & propter se, & om-B nia ab eo, & per eum, & propter eum: ita tenemur confiteri, & credere, Deum esse æternum, & per se, & in se, & propter se; & omnia alia esse ab eo, & per eum, & propter ipsum creata. Sed quia sicut res se habet ad esse & cognosci, ita se habet ad diligi; ideo Deus est super omnia, & per se, & in se, & propter se à nobis diligendus. Et sic dicit *Augustinus*, quòd Deus fecit hominem, ut Deum cognosceret, & cognoscendo amaret, & amando frueretur. Et sic etiam unusquisque servando debitum ordinem tenetur diligere se, & proximum in Deo, & propter Deum: & sic dicimus, quòd sicut diligimus Deum in C se, & propter se, ita fruimur Deo in se, & propter se. Et etiam dicimus, quòd fruimur proximo in Deo, sicut dicit *Apostolus ad Philemonem: Perfruar te in Domino frater &c.*

Iste est ergo verus ordo charitatis in via, & etiam in patria, scilicet, quod diligamus Deum in se super omnia, & per se, & propter se, & proximum in Deo, & propter Deum: & in hoc servamus speciem, modum, & ordinem: & in tali ordine dilectionis consistit tota justitia hominis, non solum in via, sed etiam in patria. Et ideo dicit ibidem *Augustinus* quòd peccatum nihil aliud est nisi deviare à specie, aut modo, aut ab ordine dilectionis, & Latriæ. Unde Gen- D tiles adorando idola errabant in specie, & in modo, & in ordine: quia illa idola non erant in se, immò facta manu hominum; nec erant per se, nec propter se: & ideo non erant adoranda. Item, avarus errat in specie, & modo, & ordine, diligendo pecuniam per se, & propter se. Item, superbus errat in specie, & modo, & ordine: quia diligit se in se, & propter se, & non in Deo, nec propter Deum.

Nota in quo consistit hominis justitia.

Et in hoc peccavit diabolus à principio in ordine dilectionis. Nam ipse bene cognovit, se esse à Deo creatum, E & Deum esse super omnia: sed non dilexit se in Deo, nec propter Deum; sed dilexit se in se, & propter se; & per consequens non dilexit Deum super omnia, nec propter se, & sic pervertit ordinem dilectionis: quia incœpit ab amore sui usque ad contemptum Dei. Nam si incœpisset ab amore Dei diligendo Deum super omnia, & per se, & propter se; tunc ex consequenti dilexisset se, & omnes alios in Deo, & propter Deum; & sic magis dilexisset Deum quam seipsum; & per consequens servasset præceptum Dei, conformando se divinæ voluntati: sed quia non dilexit se in Deo, sed in seipso, & propter seipsum, ideo F appetivit imperium totius universi contra voluntatem Dei; & sic voluit, & præsumpsit, & tentavit temerè usurpare sedem & solium Imperiale, quod Deus præparaverat pro Christo homine, qui erat deificandus, & personaliter per Verbum assumendus, prout dictum fuit *Psal.* 81. Et sic patet, qualiter diabolus erravit in ordine dilectionis, diligendo se in se, & propter se, & non in Deo, & propter Deum: & sic aberravit & deviavit à specie, & modo, & ordine.

Angeli autem boni servarunt ordinem dilectionis rectum & debitum: quia sicut cognoverunt Deum esse super omnia per se, & propter se; ita primò incœperunt ordinem dilectionis secundum ordinem cognitionis: quia dilexerunt G Deum super omnia, & per se, & propter se; & ex consequenti dilexerunt se in Deo, & propter Deum: & sic incœperunt ab amore Dei usque ad contemptum sui per humilitatem. Et sic obedierunt Deo, conformando se divinæ voluntati, deliberando obedire Christo futuro Deo & homine, tamquam Domino, & hæredi, & Filio Patris. Et sic isti manserunt in illa gratia confirmati, & facti sunt Beati. Et sic patet, quomodo utrique Angeli fuerunt viatores per totam illam morulam temporis: in qua secundùm ordinem cognoverunt Deum, scilicet, qualiter Deus erat æternus, & à se, & per se, & propter se; & quo- H modo ex tempore creaverat omnia sub se, & per se, & propter se. Sed quando incœperunt elicere actum voluntatis; tunc illi mali perversè diligendo se in se, & propter se, deviando à divina voluntate, ex viatoribus facti sunt obstinati & miseri, & ex cœlo expulsi. Isti vero eliciendo actum ordinatæ dilectionis, diligendo Deum super omnia, & in se, & propter se, & diligendo seipsos in Deo, & propter Deum, & conformando se divinæ voluntati; ex viatoribus facti sunt comprehensores & Beati,

Angeli fuerunt viatores.

& in tali beatitudine & felicitate confirmati ; & per consequens incœperunt frui.

Et ex tanta gloria & lætitia agendo gratias , proruperunt in laudes Dei dicentes : *Sanctus* , *Sanctus*, *Sanctus* : quasi dicant, *Sanctus Deus* à se , & per se, & æternus , & *Sanctus Deus* in se , & *Sanctus Deus* propter se. Item , *Sanctus* Pater , à quo omnia : & *Sanctus* Filius, per quem omnia : & *Sanctus* Spiritus, propter quem omnia creata sunt. Et Angeli simul confitentur Deum esse æternum à se , & per se , & propter se : & esse super omnia, & omnia esse per eum, & propter eum.

Et simul confitentur mysterium Trinitatis , & simul agunt gratias pro beneficio creationis , & conservationis , & gubernationis , & glorificationis , in quantum à Deo sunt creati , & in ipso vivunt omnia propter ipsum , & ad ipsum tendunt omnia tamquam in finem , & in ipso glorificantur , & felicitantur. Et sic Angeli explicando mysterium Trinitatis Divinarum Personarum , laudant Deum. Et quia omnes tres Personæ sunt tantum unus Deus , & non plures ; ideo subdunt : *Deus Sabaoth* , quasi dicant : unus *Deus & Dominus Sabaoth* , id est : unus *Deus & Dominus* exercituum Angelorum & hominum est *Sanctus* in Patre , & *Sanctus* in Filio , & *Sanctus* in Spiritu: & sic confitentur unum solum Deum in Trinitate. Sed quia talem gloriam dant Deo , non solum propter se , sed etiam pro beneficio creationis , & recreationis, & glorificationis : ideo subdunt:

56. dist. Nasci.

Pleni sunt cœli & terra gloria (sive) *majestatis gloriæ tuæ.*

Dupliciter cœli & terra sunt pleni gloria Domini.

AD cujus intellectum est notandum: quòd dupliciter *cœli & terra sunt pleni gloria Domini.* Primò , in quantum in omnibus creaturis lucent divinæ perfectiones , & est impressum vestigium Trinitatis , scilicet , principium , medium, & finis , & substantia , virtus , & operatio , aut numerus , pondus, & mensura; aut species , motus , & ordo , prout dictum est : propter quas perfectiones repertas in creaturis movemur ad laudandum & glorificandum Deum , prout dictum est in *Cantico trium puerorum*, & *Psalm.* 144. Secundò autem per ly *cœli* intelliguntur *Angeli* , & per terram intelliguntur *homines* : in quibus Angelis & hominibus est impressa non solum similitudo , & vestigium ; sed etiam imago Dei super alias creaturas , per intellectum , memoriam , & voluntatem: ideo sunt capaces beatitudinis, & gloriæ.

Ideo dicunt Angeli laudando Deum, quòd *pleni sunt cœli* cum omnibus Angelis & astris , & *plena est terra* cum omnibus in ea contentis *majestatis gloriæ Domini* : quia in omnibus lucent divinæ perfectiones , in quibus Deus est laudandus, & glorificandus : sed specialiter Angeli & homines *sunt pleni gloriâ* Domini , in quantum sunt capaces gloriæ & beatitudinis. Et hanc gloriam dant omnes Angeli boni , & homines justi : Et ab hujusmodi laudibus & concentu numquam cessant Angeli boni , postquam fuerunt in gratia confirmati.

Et hoc mysterium vidit *Isaias* , quando vidit *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum* , *& plena erat domus majestate ejus* : *& duo Seraphim clamabant alter ad alterum*: *Sanctus* , *Sanctus* , *Sanctus* , *Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloria ejus &c. Isai.* 6. Item , hoc idem mysterium vidit *Joannes* , *Apoc.* 4. ubi dicit, se vidisse in spiritu illa quatuor animalia plena oculis , & vigintiquatuor Seniores , qui non habebant requiem die ac nocte, sed continuè clamabant : *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Omnipotens* : *qui est* , *& qui erat* , *& qui venturus est.* Sed quia talem laudem dabant Deo pro beneficio creationis ; ideo subdebant : *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam* , *& honorem* , *& virtutem* : *quia tu creasti omnia* , *& propter voluntatem tuam erant* , *& creata sunt.* In quibus verbis ostenditur , quòd omnia sunt creata à Deo , non ex necessitate , sed ex ejus voluntate , & propter eum creata sunt omnia.

Sic Angeli servant speciem , & modum , & ordinem in laudando , & diligendo Deum : & explicant mysterium Trinitatis cum unitate divinæ essentiæ & substantiæ : & in tali Latria consistit tota justitia , & felicitas Beatorum , & sic dicit *David Psalm.* 84. *Beati qui habitant in domo tua Domine* : *in sæcula sæculorum laudabunt te &c.* Et hoc est quod intendit dicere *Augustinus* in hac particula hujus Cantici , cum dicit : *Tibi omnes Angeli* , *tibi cœli & universæ potestates &c.*

Sed ne aliquis forsan putaret , quòd soli Angeli dant hujusmodi gloriam Deo in cœlo , & beatificantur in talibus laudibus : ideo Beatus *Ambrosius* dicit & subdit : quòd non solum Angeli , sed etiam Apostoli , & Prophetæ , & Martyres dant hujusmodi gloriam & laudem Deo in cœlesti patria : quia laudando Deum trinum & unum beatificantur invisione & fruitione Divinarum Personarum in unitate substantiæ.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd Angeli soli dabant hujusmodi laudes

Ante Christi ascensionem soli Angeli dabant hujusmodi laudes.

des Deo, & beatificantur in hujus laudibus à principio suæ conversionis usque ad Ascensionem Christi: quia omnes Patres veteris Testamenti erant in Limbo Christum expectantes. Sed postquam Christus in sua Resurrectione eduxit eos de Limbo, & in die Ascensionis introduxit eos in patriam; tunc simul cum Angelis incœperunt cantare: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. Eò quòd tunc viderunt mysterium Trinitatis, & incœperunt frui perfectè: & sic post ascensionem Apostoli & Martyres evolantes in cœlum simul cum Angelis & Prophetis cantarunt, & cantant idem Canticum cum omnibus sanctis & justis novi Testamenti. Et hoc dicit *Joannes* se vidisse, *Apoc. 7.* cùm dicit, quòd ex omni tribu Filiorum Israel vidit ante Thronum Dei duodecim millia signatorum: & *post hæc vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum in conspectu Agni. Et clamabant voce magna dicentes: salus Deo nostro &c. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni & seniorum: & adoraverunt Deum, dicentes: Benedictio & claritas &c.* Ex quibus sequitur, quòd post passionem Agni omnes Patres & fideles utriusque Testamenti simul cum Angelis cantando Canticum supradictum laudant Deum, & beatificantur. Et hoc est quod intendit dicere Ambrosius in hac particula, cum dicit:

De Consec. d. 5. c. Jejunium.

Te glorioſus Apoſtolorum Chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

QUASI dicat: O Domine, non solum Angeli, sed etiam *glorioſus Chorus Apoſtolorum laudat te* cum supradicto Cantico: & *laudabilis numerus Prophetarum laudat te*: & *exercitus candidatus Martyrum* indutus stolis albis, & palmæ in manibus eorum, in signum puritatis & victoriæ, *laudant te*, cantando supradictum Canticum: & præponit chorum Apostolorum cœtui Prophetarum: quia licèt præcesserunt in tempore; tamen isti præcedunt in dignitate, & gradibus, & mansionibus gloriæ. Item, per exercitum candidatum Martyrum includit omnes justos Christianæ Religionis, & Sanctos, & Sanctas: quia *vita Christiani, si secundùm Euangelium vivatur, martyrium est*, secundùm *Augustinum* super *Joannem*.

Sed quia dixit *Ambrosius*, quòd omnes Apostoli, & Prophetæ, & omnis exercitus Martyrum, & Sanctorum novi Testamenti, qui jam sunt comprehensores in patria, simul cum Angelis cantant supradictum Canticum in gloria & Ecclesia triumphanti; ideo respondet *Augustinus*, quod non solùm Sancti novi ac veteri Testamenti cantant supradictum Canticum, confitendo mysterium Trinitatis in Ecclesia triumphanti; sed etiam ista Ecclesia *per* totum *orbem terrarum* diffusa cantat istud Canticum, & confitetur mysterium Trinitatis: quia tota Ecclesia credit, & confitetur, & prædicat unum Deum trinum in Personis & unum in substantia: & laudat Deum Patrem & Filium cum sancto Spiritu. Et hoc non solùm confitetur Ecclesia in privato, sed in publico prædicat & cantat in Symbolo: hoc idem cantat in *Præfatione Missæ* ante *Canonem*, dicens, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth &c.* Ex quo volunt dicere quidam quod tunc *Ambrosius* in Ecclesia Mediolanensi ordinavit Præfationes, & *Augustinus* in Ecclesia *Hipponensi*: in qua quidem Præfatione cantatur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ad expressionem mysterii Trinitatis. Quem quidem ritum amplexata est tota Ecclesia: & hoc est quod intendit dicere *Augustinus*, cùm subdit:

Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia, *93. d. Legimus.*

Patrem immenſæ majeſtatis. *Et 1. q. 1. Multæ. Et de Consecr. dist. 4. Prima.*

QUASI dicat: Non solum Ecclesia comprehensorum sed etiam *sancta Ecclesia* viatorum *per orbem terrarum* diffusa confitetur *te Patrem immensæ majestatis*. Et confitetur

Venerandum tuum verum & unicum Filium, *De Consec. dist. 3. cap. ult.*

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum. *De Consec. dist. 5. cap de Spiritu sancto.*

ET ista Ecclesia confitetur Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse unum Deum, sicut confitetur Ecclesia Beatorum. Et hoc confitetur, & cantat publicè in Symbolo, & in Præfatione Missæ cum eodem Cantico, dicendo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.*

Et nota, quòd *Beatus Augustinus* explicat hoc mysterium Personarum cum suis proprietatibus contra Arianos, & A alios Hæreticos. Unde vocat secundam Personam *verum & unicum Filium* contra Arianos, qui dicebant, Filium non esse de substantia Patris; & per consequens non esse verum Filium, nisi per creationem: & sic omnes Angeli essent etiam Filij Dei. Et ideo dicit *Augustinus* quòd tota Ecclesia confitetur, Verbum ab æterno esse *verum & unicum Filium Dei*: & per consequens *venerandum*, & adorandum simul cum Patre & Spiritu sancto. Et sic confitetur etiam esse veneraedum & adorandum simul Paraclitum Spiritum cum Patre & Filio, tamquam utrique consubstantialem. Et sic confitetur etiam Ecclesia in Symbolo, quòd Spi-B ritus sanctus *cum Patre & Filio simul adoratur.*

Ad majorem evidentiam eorum quæ dicta sunt est advertendum, prout dictum fuit in Expositione *Psalm.* 104. quòd cùm Deus sit Trinus & unus, non solum impressit vestigium Trinitatis singulariter in unaquaque creatura, in quantum omnia fecit sub nuero, pondere, & mensura, & snb specie, & modo, & ordine, prout dicit *Augustinus*, & sub principio, medio, & fine: aut substantiâ, & virtute, & operatione, prout dicebant Philosophi, & prout dictum est supra: sed adhuc totum istum mundum fecit trinum & unum, quantum ad naturam & substantiam. Nam licet iste mun- C dus creatus sit tantum unus in numero per aggregationem; tamen est trinus in natura, & gradu, & machina, secundùm quòd Deus trinam machinam creavit in eo. In primò gradu creavit naturam Angelicam, totam spiritualem, & incorpoream, & incorruptibilem. In secundo gradu creavit naturam cœlestem, corpoream; sed incorruptibilem. In tertio tandem gradu creavit naturam elementalem, corpoream, & corruptibilem: & sic mundus licèt sit tantum unus; tamen constat ex triplici & trinâ naturâ; scilicet, spirituali Angelica, & cœlesti incorruptibili, & elementali corruptibili, ut probat *Philosophus in libris de Cælo &* D *Mundo*: Et sic mundus est trinus & unus ad instar sui Creatoris.

Nota quo modo mùdus est trinus & unus & vestigium Trinitatis.

Item, quælibet istarum trium naturarum est etiam trina & una. Nam tota natura Angelica spiritualis distinguitur per tres Hierarchias, id est, sacros Principatus secundùm *Dionisium.* Quarum prima dicitur *supracœlestis*: secunda *cœlestis*: tertia *subcœlestis.* Et quælibet Hierarchia continet tres ordines substantiarum spiritualium. Unde primus ordo primæ Hierarchiæ dicuntur *Cherubim*, id est, charitate fruentes. Secundus ordo dicuntur *Seraphim*, id est, scientiâ & E sapientiâ splendentes. Tertius ordo dicuntur *Throni*, id est, sedes Dei, in quibus Deus residet, & quiescit: & sic tot quot sunt in ista primâ Hierarchiâ specialiter occupantur circa divinam contemplationem. Primus autem ordo secundæ Hierarchiæ dicuntur *Dominationes*: secundus, *Principatus*: tertius, *Potestates.* Et sic tota ista secunda Hierarchia occupatur circa dispositionem & regimen totius universi in communi. Primus autem ordo tertiæ Hierarchiæ dicuntur *Virtutes*: eò quòd movent cœlos propter Deum amatum & desideratum, ad conservationem generabilium, & corruptibilium; & resistunt dœmonibus volentibus & conotantibus destruere istam machinam in- F feriorem, inducendo tempestates &c. Secundus ordo dicuntur *Archangeli*: eò quòd mittuntur ad custodiam regnorum & civitatum. Tertius ordo dicuntur *Angeli*: eò quòd mittuntur ad custodiam particularium hominum, & ad revelandum omnia secreta. Et ista tertia Hierarchia occupatur circa executionem ordinationis & dispositionis secundæ Hierarchiæ.

Est autem advertendum quod licet tota secunda Hierarchia sit occupata & deputata circa dispositionem & regimen totius universi, & tertia Hierarchia circa executionem hujus regiminis: tamen non secluduntur, nec impediuntur à divina contemplatione, & fruitione, & laude G Dei simul cum prima Hierarchia cantando, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus &c.*

Item, sicut natura spiritualis Angelica distinguitur per tres Hierarchias; ita pariter natura cœlestis incorruptibilis distinguitur per tres conditiones & gradus cœlorum. Nam primum Cœlum dicitur *Empyreum*, eò quòd est totum luminosum, & est immobile propter quietem Sanctorum: quia est locus Beatorum. Secundum cœlum dicitur *Aqueum*, sive *chrystallinum*, non à frigiditate, sed à transparentia & velocitate: eò quòd in 24. horis, & ab Oriente in Occidentem movetur, & revertitur ad eundem punctum. Tertia autem conditio est *Cœlum* H *astrorum & planetarum*: eò quòd moventur super polos Zodiaci circulo obliquo: & sic patet trina machina Cœlorum.

Natura cœlestis per tres gradus cœlorum distinguitur.

Natura Angelica per 3. hierarchias distinguitur.

Item, ista machina inferior generabilium & corruptibilium similiter distinguitur in tres partes, scilicet, in *Elementa*, *& Elementata mixta*, *& in Metheorica*, quæ nec sunt elementa pura, nec mixta perfecta: sicut sunt cometæ, & fulmina, & coruscationes, & à sup & ana cœli, & cętera transperentia quæ apparent in aëre: quæ tenent medium inter elementa, & mixta perfecta; & ideo citò dissolvuntur.

Item

Item ista Ecclesia habet etiam tres hierarchias, scilicet Sacerdotum, & Contemplativorum, & conjugatorum: & A sic patet, qualiter Deus totum mundum, & quamlibet ejus partem creavit in Trinitate & unitate ad instar sui. Et ideo Angelica natura creata in trina hierarchia, quæ non solum est facta ad similitudinem, sed etiam ad imaginem Dei per intellectum, memoriam, & voluntatem: inde est quod volens & cupiens agere gratias pro tanto beneficio recepto: & omnes istæ tres hierarchiæ, scilicet, Cherubim, & Seraphim, & Throni, & Dominationes &c. A principio hujus conversionis numquam cessant clamare, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Quasi dicant: Sanctus Deus, qui est Trinus & unus, & nos B creasti sub triplici Hierarchia ad imaginem & similitudinem tuam.

Sed quia Angelica natura non solum laudat Deum, & agit gratias in persona sui, sed etiam in persona cœlestis & elementalis naturæ, quæ carent intellectu & ratione: ideo subdit: *Pleni sunt cœli & terra gloria tua:* quasi dicant Angeli, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus*, quia non solum nos creasti in trinitate & unitate, sed etiam *cœli & terra sunt pleni gloria tua*: quia adhuc naturam cœlestem & terrestem, scilicet elementalem, creasti in trinitate & unitate, ad instar & similitudinem tui. Et ideo non solum nos creaturæ intellec- C tuales te laudamus Trinum & unum, & in Trinitate & unitate; sed etiam à cœlestibus & terrestribus creaturis irrationabilibus es laudandus, & magnificandus in Trinitate & unitate: eò quòd omnes eas creasti in Trinitate & unitate.

Triplex natura creaturarum.

Iterum autem est advertendum, quòd sicut Deus distinxit in principio triplicem, sive trinam naturam creaturarum ad instar suæ Ttinitatis, prout dictum est: ita pariter per successionem temporis distinxit trinam Ecclesiam ad colendum & laudandandum Deum, & ad cantandum Canticum supradictum, scilicet, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Nam prima Ecclesia fuit Angelica, quæ can- D tavit *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* à principio suæ conversionis, & cantabit in æternum. Secundâ Eccicsia est hominum Beatorum, & ab Ascensione Christi: & ista est Ecclesia justorum; quia licèt sit una cum prima quoad unum objectum fruibile, & unum caput, & unam charitatem, & unam mixtam societatem, in quantum homines perfecti obtinuerunt sedes malorum Angelorum, qui ceciderunt: tamen distinguitur ab illa, naturâ & duratione. Nam licèt multi homines in cœlo sint æquales, & majores Angelis per gratiam: tamen sunt minores & inferiores per naturam: & sic istæ duæ Ecclesiæ E distinguuntur secundùm naturam. Item distinguuntur duratione: quia Ecclesia Angelica incœpit à principio frui & cantare in cœlo, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* sed Ecclesia Sanctorum non incœpit cantare, nec frui in cœlo, nisi post Ascensionem Christi, quia omnes fideles expectabant in Limbo.

Nota bene de triplici Ecclesia.

Quæ quidem Ecclesia Justorum hominum similiter continet tres hierarchias, scilicet, Apostolorum, Martyrum, & Prophetarum, sive fidelium veteris Testamenti. *Virgo* autem *Maria* facit per se hierarchiam super omnes Choros hominum & Angelorum: eò quòd sedet in potioribus bonis filii sui. Et sic prima hierarchia in dignitate & gloria humanæ F naturæ post Virginem Mariam est hierarchia Apostolorum.

Secunda est hierarchia Prophetarum, comprehendendo Patriarchas, & fideles veteris Testamenti. Tertia est hierarchia Martyrum, comprehendendo omnes Sanctos, qui vixerunt secundùm Euangelium: quia *Martyr* Grecè idem est quod *testis*, aut *Confessor* Latinè: sed multi diversimodè testati & confessi sunt Christum. Nam quidam confessi sunt Christum per tormenta, moriendo & patiendo, quos communiter *Martyres* vocamus: quidam autem exemplo vitæ & doctrinæ, vitam arctam & solitariam ducendo: sicut sunt viri contemplativi & G Religiosi, quos *Confessores* appellamus: quidam autem cum confessione fidei Christi & sacro conjugio secundùm Euangelium laborantes, & cum charitate & pœnitentia ab hoc sæculo discedentes: ideo omnes istæ tres conditiones justorum comprehenduntur sub hierarchia Martyrum, sicut dicit *Augustinus* super *Joannem*, quòd *tota vita Christiani, si secundùm Euangelium vivat, martyrium est.* Tota ergo ista Ecclesia hominum justorum per trinam hierarchiam distincta, simul cum Ecclesia Angelica cantat in cœlo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.*

Tertia autem Ecclesia dicitur *Ecclesia viatorum* in hac peregrinatione: quæ H distinguitur ab Ecclesia triumphanti in conditione. Nam illa cantat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* per claram visionem, & perfectam fruitionem: ista autem per fidem & speciem. Secundò distinguitur duratione. Quia ista cantat *Sanctus* ab Ascensione Christi usque ad Judicium: illa autem cantabit in æternum sine fine. Item, ista Ecclesia convertetur & expectat converti in illam; sed non illa in istam: & sic differt & distinguitur ista ab illa, conditione & duratione.

Ex supradictis patet, qualiter Ecclesia laudantium Deum est trina & una:

&

& quomodo istæ tres Ecclesiæ distinguuntur ad præsens. Nam Ecclesia Sanctorum differt ab Angelica, naturâ & duratione à parte ante : & ista differt ab utrâque, conditione & duratione, eo modo quo dictum est. Sed ista trina Ecclesia est una ratione unius capitis, qui est Christus ; & ratione unius objecti laudati ; & ratione unius cantus & laudis. Nam omnes istæ tres Ecclesiæ habent unum caput, qui est Christus, & laudant & confitentur Deum Trinum & unum, & cantant unum Canticum, scilicet, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus &c.* quia illud Canticum quod Beati cantant in prima per claram visionem & fruitionem & gloriam, cantamus nos in hac Ecclesia per fidem, & gratiam, & publicam confessionem : sed post Judicium ista Ecclesia erit eadem cum illa superna: quia tunc Christus reddet Deo Patri istud regnum ; & tunc *Deus erit omnia in omnibus*, ut ait *Apostolus* 1. *ad Corint.* 15. & sic ista Ecclesia facta una cum illa cantabit in æternum : *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus &c.* Et istam trinam & unam Ecclesiam, quæ cantando *Sanctus*, *Sanctus &c.* laudat & confitetur unum Deum in trinitate, & è converso, intendunt nobis distinguere, & notificare *Ambrosius* & *Augustinus* in prima parte hujus Cantici. Nam de prima Ecclesia Angelica, quæ incœpit à principio mundi cantare *Sanctus*, dixit *Augustinus* : *Tibi omnes Angeli, tibi cœli &c.* Sed de secunda Ecclesia, scilicet comprehensorum Justorum hominum, dicit *Ambrosius* : *Te gloriosus Apostolorum Chorus.* Sed de tertia viatorum fidelium dicit *Augustinus*: *Te per orbem terrarum &c. Patrem immensæ majestatis. Venerandum tuum &c.* quasi dicat, quod eundem Deum Trinum & unum colit & laudat, & eundem cantum, scilicet, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* canit ista Ecclesia viatorum simul cum illa superna comprehensorum: quia istud Canticum sociat & unit istam Ecclesiam militantem cum triumphanti, sicut clarius videbitur in fine hujus Expositionis. Et hoc de prima particula primæ partis hujus Cantici. Sed quia hucusque nulla facta fuerat expressa mentio de Verbo Incarnato, nec de mysterio nostræ redemptionis ; ideo in hac secunda particula primæ partis principalis quæ incipit,

Christus caput triũ Ecclesiarum.

Joan. 18. *Zach.* 19. *Apoc.* 19.

Tu Rex gloriæ Christe,

AMbrosius & Augustinus agendo gratias confitentur decem veritates Catholicas de Verbo Incarnato, qui est Christus ; & de mysterio nostræ redemptionis. Quarum prima est ; quòd Christus est *Rex gloriæ* cœlestis. Secunda: quòd Christus est Filius naturalis Dei Patris. Tertia : quòd Christus est Filius æternus Patris : per quod denotatur quòd est Deus. Quarta : quòd Christus Verbum, *ad liberandum hominem* factus est homo ex tempore. Quinta : quòd Christus *non exhorruit uterum Virginis*, carnem infirmam in ejus utero assumendo. Sexta : quòd Christus *non horruit uterum Virginis*, nec fœdavit : quia non per concubitum fœdum, nec ex opere Adam; sed opere Spiritus sancti conceptus est: ideo Matrem mundam & Virginem reliquit. Septima : quòd Christus *devicit aculeum mortis* utriusque per suam passionem & resurrectionem : quia *mortem nostram moriendo destruxit*, *& vitam resurgendo reparavit* : & sic etiam expoliavit infernum. Octava : quòd Christus in sua Ascensione *aperuit credentibus regna cœlorum*, præsentibus & futuris: quia secum in regnum cœlorum, quod ante erat nobis clausum, nos introduxit. Nona : quòd Christus *sedet* in potioribus bonis *gloriæ Patris.* Decima : quòd Christus accepit ibi Imperium totius mundi, & judiciariam potestatem, per quam est nunc occultus universalis Judex in cœlis ; & est venturus manifestus Judex in novissimo die ad judicandum bonos & malos. Istas ergo decem veritates Catholicas explicant, & agendo gratias confitentur *Ambrosius* & *Augustinus* in hac secunda particula primæ partis principalis. Ideo est valde advertendum per singula.

Ad cujus intellectum est notandum pro prima veritate : quia dictum est supra, quòd utraque Ecclesia adorat & colit Deum in unitate & trinitate perfectâ dicendo, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, in qua quidem Latria comprehensores beatificantur, & viatores justificantur & merentur : quia sicut tota & sola Trinitas est objectum Latriæ : ita sola Trinitas cum unitate substantiæ est objectum fruitionis : quia sicut sola est adoranda, ita sola est fruenda, ut inquit *Augustinus primo de Doctrina Christiana.*

Ideo dubitaret aliquis sicut dubitavit una pars Eutychiana : an Christus Deus factus homo sit adorandus in Trinitate simul cum Patre & Spiritu sancto? eò quòd videbatur eis diminutus in dignitate ; eò quòd ex Deo factus erat homo temporalis : quia dicit Apostolus quod *seipsum exinanivit formam servi accipiens &c.* Hunc autem errorem removet Beatus *Ambrosius* hîc, dicens : quòd licèt Verbum æternum Dei Filius fuerit factus homo carnem assumendo ; tamen non desiit esse Deus perfectus, nec esse Filius consebstantialis Patri ; nec per consequens minuit suam dignitatem ; nec per con-

consequens amisit suum honorem & debitum Latriæ : quia ipse *Rex gloriæ* cum Patre & Spiritu sancto coæqualis & consubstantialis, & ideo sic incarnatus simul cum Patre & Spiritus sancto adoratur & glorificatur. Et sic humanitas Christi simul cum Verbo unica adoratione adoratur, per analogiam tamen ad Verbum unita, in quantum in unitate non homo seorsum, sed Deus incarnatus & humanatus est illud quod adoratur, ut inquit *Hieronymus in Sermone de Assumptione Virginis Mariæ*, ut pluries dictum est in *Expositione Psalmorum* & in *Tractatu contra Judæos quæst.* 5. Et sic Christus Deus & homo simul cum Patre & Spiritu santo in Trinitate & unitate adoratur & glorificatur à comprehensoribus & viatoribus, cum dicitur *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, id est *Sanctus* Pater à quo omnia sunt creata: & *Sanctus* Filius Christus incarnatus, Deus & homo, per quem omnia sunt creata & recreata, id est, per quem nos sumus redempti & glorificati : & *Sanctus* Spiritus, per quem sumus illustrati, & sanctificati à Patre & Filio &c.

Et hoc intendit dicere hîc Beatus *Ambrosius* cum ait: *Tu Rex gloriæ Christe.* Quasi dicat : O Christe, licèt tu Deus factus fueris homo ex tempore, & in terris apparueris conversatus ut homo; tamen semper mansisti perfectus Deus. Et ideo *tu* es *Rex gloriæ*, id est, glorificandus in cœlo simul cum Patre & Spiritu sancto. Et sic tibi debetur laus & gloria, & una simul coadoratio & glorificatio cum Patre & Spiritu sancto. Et tua humanitas simul cum Verbo adoratur : quia fuit instrumentum nostræ redemptionis, & tibi est personaliter unita : quia illâ humanitate indutus triumphasti de diabolo. Et ideo ut sic diceris *Rex gloriæ*, id est, rex victoriæ & triumphi & trophæi. Ideo tamquam *Rex gloriæ* & triumphator, confregisti vectes terreos, & portas inferni, & expoliasti Limbum & Purgatorium, & recuperasti prædam antiquam, & de Inferno eam liberasti. Et ideo quando descendisti ad inferos dixerunt Angeli ministri tui, *O Principes* Inferni *attollite portas vestras, & introibit Rex gloriæ* & victoriæ. Quibus responderunt diaboli : *Quis est iste Rex gloriæ*, qui cum tanta audacia ad nostra regna descendere ausus est ? quibus responderunt Angeli : Ipse Christus est Dominus & Rex potens in prælio, & campo Crucis, ubi de vobis triumphavit ; & prædam Justorum veteris Testamenti, quam diu tyrannicè in hoc carcere detinuistis, meruit recuperare, & totum genus humanum de vestra potestate liberare, prout *David* Prophetavit *Psalm.* 23.

Et sic patet, qualiter Christus est *Rex gloriæ :* non solum in quantum est secunda Persona in Trinitate ; sed in quantum Deus incarnatus & Redemptor, & victor, & triumphator de mundo, & diabolo, & inferno : quia mortem nostram moriendo vicit, & vitam resurgendo reparavit, & de Inferno triumphavit, ipsum expoliando, & de mundo diabolum principem ejus foras ejiciendo. Et hoc intendit dicere *Ambrosius*, cum ait: *Tu Rex gloriæ Christe.* Sed quia Scribæ & Pharisæi obstinati dicebant Christum esse *Filium Joseph* carnalem : eò quòd videbant ipsum verum hominem, & mortalem : ideo Beatus *Ambrosius* volens excludere eorum errorem, subdit:

Tu Patris sempiternus es Filius. *De Consec. dist. 5. Salvator.*

TU Christe Dei *Patris es Filius* naturalis, supple. Sed quia *Cerinthus* & *Ebion* dicebant Christum totaliter incœpisse ex tempore in utero Virginis Mariæ, & per consequens non esse Deum ; ideo *Ambrosius* removens hunc errorem, confitetur Christum non solum esse Filium Dei, sed etiam esse æternum Filium Dei, & coæternum Patri ante Incarnationem, & ante mundi constitutionem quoad deitatem ; & per consequens confitetur Christum esse Deum: quia nil est æternum nisi Deus. Et ideo subdit : *Tu Patris sempiternus es Filius*, id est, non solum temporalis in quantum homo, sed sempiternus in quantum Deus. Tres ergo veritates confitetur de Christo hîc Beatus *Ambrosius*. Prima est, quòd Christus est *Rex gloriæ*, & per consequens adorandus. Secunda, quòd est Filius Dei. Tertia, quòd est Filius æternus Dei, & per consequens verus Deus. Sed quia Beatus *Ambrosius* confessus est, Christum esse Regem gloriæ, & æternum Filium Patris, & per consequens Deum, & consubstantialem ratione Divinitatis, & etiam hæredem Patris : ideo *Augustinus* per septem veritates explicat & confitetur modum incarnationis Christi, & nostræ redemptionis, & glorificationis, cum subdit:

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum. *De Consec. dist. 3. cap. ult.*

Tu

De Consec. dist. 2. c. Iterum.

Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna cœlorum A

IN quibus duobus versiculis explicat quatuor Catholicas veritates. Quarum prima est: quòd Verbum æternum, scilicet Dei Filius, suscepit hominem, ut hominem liberaret. Secunda: quòd in suscipiendo hominem non horruit uterum Virginis. Tertia: quòd devicit aculeum mortis. Quarta: quòd aperuit credentibus regna cœlorum.

Congruus modus liberandi hominem fuit per Christi mortem.

Quantum ad declarationem primæ est primò notandum secundùm *August.* B *11. de Trinit. cap.* 13. quòd Deus aliter poterat liberare genus humanum, quàm per incarnationem & mortem. Sed iste modus fuit magis congruus & justus: quia diabolus non erat superandus potentiâ, sed justitiâ; & ideo voluit assumere hominem passibilem, ut in illo peccatum Adæ, & omnium delicta puniret. Et voluit illum hominem assumere liberum sine peccato, ut per ipsum peccatores liberaret. Sed voluit ipsum sumere cum pœnalitatibus peccati; ut essent illæ pœnalitates instrumentum ad merendum, & ad sananda nostra vulnera peccatorum. Et hæc est causa quare *suscepit hominem*, scilicet, ut hominem liberaret.

Sed est iterum advertendum, quòd Filius Dei æternus non assumpsit humanitatem nudam, quia non potuisset in C ea pati; nec assumpsit personam & suppositum humanum, quia tunc fuissent duæ personæ in Christo. Et sic illa persona passa, licèt habuisset facultatem patiendi; tamen non redimendi totum genus humanum à servitute peccati, nec justificandi omnes homines, nec conferendi eis gloriam sempiternam: & sic Deus non diceretur passus, nec Redemptor. Et ideo Filius Dei voluit illam humanitatem assumere *in atomo*, sicut ait *Damascenus*, id est, accepit eam cum corpore organizato cum conditionibus materialibus & individualibus; ut in ea posset pati, & actus humanos exercere. Et assumpsit eam sub suo esse personali D & suppositali: quia Verbum æternum per suum esse personale & suppositale suppositavit, & personavit eam. Et ideo quando *Augustinus* dicit quod Filius Dei *suscepit hominem*, non intelligas quòd suscepit hominem personatum & suppositatum, sed solum individuatum, & conditionatum. Et ideo sunt valde attendenda verba *Augustini:* quia non dicit, quòd suscepit humanitatem, ne intelligamus humanitatem nudam fuisse à Verbo susceptam: nec dixit, quod univerit sibi hominem in societate: nec ingressus est in hominem, sicut E dixit *Nestorius*: sed dicit quod *suscepit hominem*: quia *suscipere* dicit quandam sustentationem, & personationem. Et ideo non dicit, quod homo suscepit Deum; sed Deus hominem. Per hoc ergo denotatur, quòd Filius Dei suscepit hominem individuatum & conditionatum, ipsum supponendo & personando, ut in ipso posset pati. Et dicitur Deus & homo generis humani Salvator & Redemptor.

Aliquæ res dupliciter est horrenda.

Secundò est notandum propter illud quod dicit, quòd Filius Dei in suscipiendo hominem *non horruit Virginis uterum*: quòd aliqua res dupliciter potest F dici *horrenda*. Uno modo: quia est immunda & fœda, sive corrupta. Alio modo: quia est allatura dolorem & mortem. Primo modo Filius Dei non horruit Virginis uterum, nec habuit rationem horrendi, nec contemnendi ipsum: quia nulla fuit in eo macula, nec fœditas, nec immunditia spiritualis, nec carnalis, nec spiritualis in anima: quia à primò instanti sui esse fuit simul cum corpore sanctificata, & etiam in gratia confirmata, & habitaculum Spiritus sancti facta: nec in illo utero fuit fœditas carnalis: quia non ex opere Adam, nec cum coitu & libidine, sed ex opere Spiritus sancti concepit Filium Dei: nec fuit aliqua carnalis corruptio; quia sicut virgo concepit, ita virgo peperit, & virgo inviolata permansit. Et sic Filius Dei *non* G *horruit Virginis uterum*: immò habuit causam habitandi in eo per novem menses, & assumendi carnem ex eo, quod nulla fœditas, aut corruptio spiritualis, aut corporalis fuit in eo: quia ipsemet fabricavit & formavit Matrem suam sine aliqua corruptelâ, ut dignè ex ea posset carnem assumere, ut inquit *Augustinus de Fide ad Petrum, & contra quinque Hæreses*, & *in Sermone de ejus Nativitate.*

Secundò, Christus *non horruit Virginis uterum* ratione corporis mortalis & passibilis, quod ex ejus utero assumpsit: quia licèt assumpserit illud corpus infirmum & passibile, ut esset aptum ad pa- H tiendum pro peccato: tamen non assumpsit ipsum cum culpa peccati; immò sumpsit illum hominem omni virtute, & perfectione, & sanctificatione præditum & munitum, & oleo lætitiæ Spiritus sancti præ consortibus suis perunctum, ut esset fons & principium, & metrum, & mensura omnis gratiæ & sanctitatis & perfectionis & justitiæ. Et sic non horruit Virginis uterum ratione hominis ex utero ejus assumpti: nec horruit Virginis uterum, in quantum ille homo quem ex utero assumpsit erat naturalis & passibi-

lis

lis : quia licèt passio & mors sit omnibus hominibus trepidanda, & horrenda, & fugienda : tamen Filius Dei non horruit A tale corpus assumere propter utilitatem totius generis humani : & sic charitas coëgit eum, immò roboravit, & movit eum, ne tale corpus passibile abhorreret: immò concitavit eum, ut tale corpus eligeret : & sic charitas superavit & vicit omnem horrorem. Et ideo dicit *Apostolus ad Rom.* 8. quòd *propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus, misit Filium suum in similitudinem carnis peccati : & de peccato damnavit peccatum in carne.* Et sic Filius Dei non assumpsit peccatum in illa carne, sed *similitudinem peccati*, scilicet passibilitatem & mortalitatem & cæteras pœnalitates pec- B cati primorum parentum. Et hoc fecit, ut damnaret, & puniret peccatum nostrum in sua carne.

Et sic patet, qualiter tribus modis Filius Dei *non horruit Virginis uterum.* Primò, quia non reperit aliquem horrorem fœditatis spiritualis, nec carnalis corruptionis in ea : & hoc, nec in vivendo, nec in concipiendo, nec in pariendo. Secundò, *non horruit Virginis uterum*, ex ea corpus animatum assumendo : quia ille homo fuit inter omnes homines liber & immunis ab omni peccato, & fuit omni sanctitate prœditus, & plenus gratiæ & veritatis. Item tertiò, *non horruit Virginis uterum*, corpus passibile & C mortale assumendo : quia charitas ejus & desiderium nostræ redemptionis, & communis utilitas vicit & superavit horrorem mortis &c. Item etiam *non horruit Virginis uterum*: quia quem cœli capere non poterant, & qui pugillo continet mundum, Virginis alvo clausus est. Et ille qui erat Deus omnia continens, non horruit claudi sub Virginis utero.

dupliciter Christus vicit mortem.

Iterum est notandum secundùm *Augustinum in Sermone de Martyribus* propter illud quod sequitur, scilicet: *Tu devicto mortis aculeo &c.* quòd *Dei Filius ut vinceret & superaret mortem, vestitus est morte, & assumpsit tale corpus mortale & passibile.* Unde dupliciter Christus vicit mortem. Uno modo, in quantum destruxit eam : quia *mortem* D *nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Nam moriendo absolvit nos à debito mortis datæ & relictæ nobis in pœnam ex peccato Adæ. Et sic ex mortalibus fecit nos immortales & impassibiles : qua quidem immortalitatem & impassibilitatem licèt non possideamus in actu ; tamen jam possidemus eam in habitu, & in merito mortis & passionis Christi, sicut ait *Ambrosius* in illo *Sermone Martyrum*, qui incipit: *Dignum & congruum est fratres Charissimi* : quia per passionem & resurrectionem Christi, quam participamus per E Baptismum & Ecclesiastica Sacramenta, sumus habilitati & facti apti ad merendum resurgere immortales in novissimo die. Causa autem quare illico post Baptismum non possideamus immortalitatem & impassibilitatem in actu, sed relicta est nobis passibilitas & mortalitas corporis, est, ne perderetur corona Martyrum, & victoria Justorum ; sed manerent nobis istæ infirmitates ad instrumentum pugnandi & merendi.

Item etiam, quia si illico post Baptismum tollerentur istæ infirmitates, & homines manerent immortales & impassibiles ; tunc omnes currerent ad Baptismum : non causâ merendi vitam æternam, F & supernam felicitatem ; sed causa evadendi mortem corporalem : & per consequens tolleretur omne meritum, & numquam totaliter fuisset Angelica ruina reparata, nec compleretur numerus electorum, ut dictum est *Psalm.* 102. Et dicit *August.* 12. *de Civit. Dei, cap.* 4. Restat ergo, quòd Christus jam primo modo destruxit mortem, & nos à morte corporali absolvit in merito & spe. Secundò autem devicit aculeum & gladium & morsum mortis, ipsam perviam faciendo. Nam propter peccatum primorum parentum data est nobis mors, ut esset terminus vitæ corporalis, & principium mortis æternæ ipsius animæ. Sed venit G Christus, qui moriendo & resurgendo fecit illam perviam. Nam transeundo per ipsam descendit, & expoliavit infernum, & resurgendo ex ipsa, & devictâ morte nobis æternæ vitæ aditum reparavit, ut dicitur *in Collecta Paschæ.* Et sic moriendo Christus, vicit mortem nostram, & destruxit eam : & ultra hoc destruxit infernum ; quia per mortem descendit ad infernum, & expoliavit eum ; & fecit, ut per ipsam esset nobis transitus, & aditus, & ingressus ad regna cœlorum.

Et hoc est quod intendit dicere *Augustinus* in his duobus versiculis, cum dicit : *Tu ad liberandum suscepturus hominem*, id est, cum tu suscepisti hominem ad liberandum ipsum, *non horruisti Virginis uterum* : quia nullam fœditatem, H nec corruptionem in ejus anima, nec in corpore reperisti, nec reliquisti : quia ita tribuisti ipsi fœcunditatem, quòd non abstulisti virginitatem : *nec horruisti Virginis uterum*, ex ea mortale corpus assumendo ; quia illud fuit liberum & immune ab omni peccato : nec horruisti mortalitatem in corpore ; quia ideo assumpsisti illam carnem mortalem, ut nostrum peccatum damnares, & punires in illa carne, ut *devicto mortis aculeo* in illo corpore mortali, *aperires regna cœlorum* omnibus credentibus utriusque Testamenti, & tam præteritis quàm futuris.

turis. Et sic *devicto mortis aculeo* in illo corpore mortali ex utero Virginis assumpto, *aperuisti regna cælorum* fidelibus utriusque Testamenti : quasi dicat, quòd ex victoria quam habuisti moriendo in illa carne ex Virgine assumptâ, meruisti *credentibus* aperire *regna cælorum.* Deinde cum subdit:

De summa Trini. cap. Damnamus. Joann. 6. Matt. 26. Luc. 22. Marc. 14.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

COnfitetur, & explicat *Augustinus* duo bona quæ adeptus est Christus post istam peregrinationem in sua ascensione ex meritis sui laboris & passionis. Nam primò in quantum homo meruit sedere à dextris Patris in gloria, quia residet in potioribus bonis gloriæ Patris. Nam ille homo assumptus possidet potiora bona gloriæ & beatitudinis post Patrem vel cum Patre : quod sic est intelligendum. Nam Filius in quantum Deus æqualem gloriam habet cum Patre, cum sit ipsi consubstantialis : & sic una est gloria Filii cum Patre & Spiritu sancto, cùm sit una æqualis & coæterna majestas : sed quia ille homo est una Persona cum Verbo, ideo simul adoratur & glorificatur cum Filio : sed est differentia; quia illa humanitas, sive ille homo conditionatus personaliter assumptus nec adoratur, nec glorificatur per se, nec ratione humanæ naturæ ; sed per analogiam ad Verbum, cui personaliter unitur ; & sic ratione unionis coadoratur, & conglorificatur cum Verbo : quia in veritate Verbum Incarnatum est illud quod adoratur & glorificatur : & sic ratione talis honoris & dignitatis dicitur Christus *sedere à dextris gloriæ Patris* supra totam humanam naturam & Angelicam.

Item, non solum dicitur *sedere à dextris* ratione honoris & Latriæ, sed etiam ratione fruitionis & beatitudinis; eò quòd anima Christi fruitur divinâ essentiâ perfectiori & altiori modo supra totam naturam humanam & Angelicam; & sic residet in potioribus bonis gloriæ Patris. Sed quia ista bona non solum possidet Christus homo per se, sed etiam ut distribuat omnibus Beatis : quia sicut Christus est distributor gratiarum ; ita præmiorum & bonorum gloriæ : & sicut fuit mediator in justificando & gratificando, ita est mediator in glorificando: ideo dicitur *sedere ad dexteram in gloria Patris* : quia sedere denotat potestatem, & per consequens Christus sedendo à dextris Patris accepit, & habet potestatem distribuendi omnibus membris suis bona gloriæ, & beatas mansiones, sicut ipse dixit *Lucæ* 22. *Vado vobis parare locum, sicut dedit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis mecum in mensa mea in regno Patris mei.* Item, quia Christus non solum in tali sessione accepit potestatem distribuendi bona gloriæ hominibus, & etiam Angelis ; sed etiam accepit judiciariam potestatem in cœlo & in terra super omnes creaturas : ideo sicut occultè nunc judicat de omnibus particulariter in cœlo : ita veniet in novissimo die cum potestate magna & majestate ad judicandum vivos & mortuos universaliter in terra, sedens in sede majestatis suæ &c.

Christus dat gratiam & gloriam.

Et hoc intendit dicere *Augustinus* cum subdit : *Tu* Christe *ad dexteram Dei sedes in gloria Patris*, id est, in potioribus bonis gloriæ Patris supra totam naturam humanam & Angelicam fruendo, & bona gloriæ Patris cæteris distribuendo & communicando: *Et sedes ad dexteram Patris* cum potestate judiciaria, nunc occultè judicando: sed tunc *Judex venturus* in novissimo die cum potestate magna & majestate ad publicè & generaliter judicandum, sicut promisisti, *Matth.* 24. & *Luc.* 21.

Augustin. hic confitetur 7. veritates de Christo.

Ex supradictis patet, qualiter *Augustinus* in hac parte confitetur septem catholicas veritates de Christo. Prima est: quòd Filius Dei *suscepit hominem* ad liberandum ipsum. Secunda : quòd *non horruit Virginis uterum* : quia numquam fuit alicui culpæ obnoxia. Tertia : quòd non horruit Virginis uterum, ex ea absque peccato mortali corpus suscipiendo. Quarta : quòd in nostra carne devicit mortem. Quinta : quòd vincendo mortem *aperuit credentibus regna cælorum.* Sexta : quòd *sedet ad dexteram Patris* in potioribus bonis fruendo. Septima: quòd sedet in sede judiciaria Patris. Ideo *creditur judex venturus.*

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni &c. Hæc est 2. pars principalis hujus Cantici, quæ est tota oratio deprecatoria, & divinæ gratiæ & misericordiæ petitoria : unde quia supra in prima parte Beatus *Ambrosius* & *Augustinus* laudando confessi sunt Dei Omnipotentiam, & sapientiam, & misericordiam; & agendo gratias confessi sunt omnia beneficia, quæ à Deo recepimus, scilicet beneficium creationis, gubernationis, & redemptionis, & glorificationis : ideo in hac secunda parte petunt, ut beneficium Redemptionis nobis proficiat, ut possimus attingere, & adipisci beneficium glorificationis. Et hoc petit primò Beatus *Ambrosius* in generali : unde videns *Ambrosius* hanc mutationem dexteræ excelsi factam in *August.* quia confessus est in paucis verbis totum mysterium Incarna-

nationis & nostræ redemptionis, quod ante negabat, dum erat in Secta Manichæorum, de quo mysterio *Ambrosius* A cum *Augustino* diu altercando disputaverat: ideo conversus ad Christum dicit: O Christe, postquam ita est quod tu es æternus Dei Filius: *& tu ad liberandum susceppturus hominem non horruisti Virginis uterum*; quia jam factus homo veram carnem mortalem de Virginis utero suscepisti, & jam *devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna cœlorum*, sicut confitetur *Augustinus*, & jam *sedes ad dexteram* in potioribus bonis gloriæ *Dei Patris*, non solum ut Beatus, sed etiam ut beatificator & dispensator bonorum gloriæ tuis fidelibus, & *crederis Judex venturus*, sicut idem *Augustinus* B confitetur:

Extra de Baptism. cap. Majores.

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

ID est, quæsumus, & rogamus, & petimus, ut subvenias nobis *famulis tuis*, quos pretio tui sanguinis redemisti: ut subvenias nobis cum meritis tuæ passionis, peccata nostra remittendo.

Ibidem.

Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari. C

ET *fac nos numerari cum sanctis in* cœlesti *gloria*, vitam æternam largiendo: quia sicut tu es Redemptor, ita & glorificator. Ista enim meruisti per tuam mortem & passionem; eò quòd *cum in forma Dei esses* æqualis Patri & æternus & immortalis Filius, *teipsum exinanivisti formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo: & humiliasti teipsum factus obediens* Patri *usque ad mortem crucis.* Sed quia non solum oportet nos petere à Deo finem, sed etiam ea quæ sunt ad finem: quia Deus non dat nobis gratiam, nisi disponamur ad illam D recipiendam: & nos non possumus disponi, nisi per gratiam Sacramentorum, quam non possumus consequi nisi per Christum, & ideo oportet nos patere à Christo omnia illa quæ disponunt nos, & perducunt nos usque ad finem, quæ est vita æterna: Ideo videns *Augustinus*, quòd Beatus *Ambrosius* petiit in generali nobis subveniri per sanguinem Christi, quo sumus redempti, & nos annumerari cum sanctis in gloria cœlesti; sed non specificavit viam & modum, quomodo passio Christi debet nobis subvenire & proficere: Ideò explicat hoc *Augustinus* in sequenti petitione cum David, *Psalm.* E 27. dicens:

Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ:

2.q.7.cap Testes, §. Christus. 11. q. 3. ad Mensam.

Et rege eos & extolle illos usque in æternum.

IN quibus verbis quatuor petit *Augustinus*, quæ per ordinem sunt necessaria ad vitam æternam consequendam: quæ non possunt dari nisi per Christum. F Nam primò oportet, ut unusquisque salvandus, per gratiam Christi prævenientem vocetur, ut perveniat ad fidem. Secundo oportet, ut benedicatur & justificetur per Baptismum, & Ecclesiastica Sacramenta: per quæ Christo configuramur, & incorporamur, & ejus membra efficimur & gratificamur. Tertiò oportet, ut in gratia recepta conservemur & perseveremus, & in nostris operibus per gratiam dirigamur. Quarto oportet, ut oblitis rebus mundanis per firmam spem supernorum, ab istis mundanis ad cœlestia bona sublevemur & extollamur. Sed hoc habet agere solus Christus, ut ait Apostolus. Nam *quos* Pater ab æterno *prædestinavit, hos Christus per gratiam* G *vocabit, & hos justificavit*, & hos finaliter magnificavit. Ubi dicit *August.* quòd Deus Christus primò per gratiam prævenientem ad fidem vocavit: secundò per Baptismum & Ecclesiastica Sacramenta sanctificavit: tertiò per gratiam proficientem nos dirigit, & dat proficere, & perseverare: sed per gratiam perficientem ad gloriam recipiendam nos magnificat.

Quatuor necessaria ad vitam consequendam.

Et hoc est quod petit *Augustinus* simul cum *David* in hac parte. Unde ait: O Domine Jesu-Christe, postquam tu es Jesus & Salvator, ergo exerce tuum officium, & *salvum fac populum tuum* perfectè: primò vocando omnes H ad fidem per gratiam prævenientem. Secundò *benedic hæreditati tuæ* per Ecclesiastica Sacramenta, per quorum benedictionem recipiendo fidem & Spem & Charitatem absolvimur ab omni maledicto. Tertiò, *rege eos* per gratiam proficientem & perseverantem, ut valeant perseverare in omnibus operationibus suis. *Et extolle illos* & sublevа eos per firmam spem, & per gratiam perficientem *usque in æternum*, id est, usque quò æternam gloriam consequantur. Unde nota, quòd Christus est Deus & homo, & Filius Dei Patris, & per consequens est hæres Patris, & tota hæreditas & regnum

mundi pertinet ad eum ; & est verus & summus Sacerdos. Et ideo jure Christus potest suam hæreditatem tamquam A hæres salvare , & hæreditati suæ tamquam summus Sacerdos per Ecclesiastica Sacramenta benedicere & sanctificare, & tamquam verus Rex suum regnum & hereditatem regere , & tamquam bonus Judex , bonos & justos extollere & magnificare , & in cœlesti gloria collocare, & beatificare. Et hæc etiam intendit petere *Augustinus* , cùm ait : *Salvum fac populum tuum Domine , & benedic &c.*

Dubium. Sed hìc videtur insurgere dubium, non apud peritos , sed apud simplices Christianos. Nam videtur quod *Ambrosius* superfluè petat , ut Christus subveniat nobis per sanguinem suæ passionis; B & *Augustinus* superfluè petat , quòd Jesus salvet populum suum : quia Christus jam subvenit nobis per suam passionem , & jam redemit , & salvum fecit populum suum in cruce , pro peccatis tunc patiendo , & satisfaciendo , & de potestate diaboli liberando &c.

Responsio notanda. Pro hujusmodi autem responsione est valde advertendum , prout dictum est in Expositione *Psalmi* 45. & *Psal.* 140. quòd *Adam* peccando venundedit & obligavit totam suam naturam , & generationem , & posteritatem ad pœnam sui reatus : & sic omnes posteri dicuntur *peccasse in Adam* , id est , fuisse venundati & obnoxii & obligati in eo, quoad naturam , & generationem. Sed nullus participat personaliter illam culpam , & indignationem , & pœnam, C nisi personaliter participet eam per libidinosam generationem , ut inquit *Augustinus ad Valerium* , & in *prima parte de Fide ad Petrum.* Quia tunc unusquisque personaliter , & in actu , & particulariter trahit illam culpam , sive pœnam , & indignationem Dei contra seipsum. Et sic dicitur *natura filius iræ* , ut ait *Apostolus ad Ephes.* 2. quia tunc in persona actualiter obligatur ad pœnam: ad quam potentialiter & in natura fuerat obligatus in Adam , antequam esset, nec conciperetur , & nasceretur in actu , prout fuit declaratum super *Psalm.* 45. & 140.

Ita ergo pari ratione Christus om- D nes prædestinatos redemit potentialiter & habitualiter in Cruce per suam mortem & passionem , & omnes in merito potentialiter resuscitavit per suam resurrectionem : quia omnes in Christo ibi fuimus crucifixi , & consepulti , & baptizati , & consurreximus cum Christo, ut inquit *Apostolus* , *ad Rom.* 6. Quod non est intelligendum personaliter & in actu , sed solùm potentialiter , & in merito Christi ; quia nondum eramus. Et ideo sicut ad hoc quod unusquisque trahat & participet personaliter peccatum E Adæ, oportet quod generetur per naturalem & libidinosam generationem ; ita ad hoc quòd nos personaliter & actualiter participemus redemptionem , & merita passionis Christi , oportet quòd personaliter & particulariter incorporemur, & configuremur , & efficiamur membra Christi , & regeneremur per Baptismum: & sicut per carnalem generationem transivit ad nos personaliter peccatum naturæ , & pœna peccati ipsius Adam: ita per spiritualem regenerationem transeant ad nos merita , & virtus , & effectus passionis Christi. Et ideo non sufficit quòd Christus fuerit passus & mortuus semel generaliter pro omnibus nobis ; sed F oportet , ut personaliter unusquisque participet illam passionem per Baptismum , & Ecclesiastica Sacramenta. Et sic indigemus multiplici gratiâ , ad hoc quòd perveniamus ad ultimum effectum passionis Christi , & ad perfectam salvationem.

Nam primò oportet, quòd vocemur à Christo per gratiam prævenientem , & vivamus , & non moriamur in utero matris , nec in nascendo , nec antequam perveniamus ad Baptismum : & sic oportet quòd Deus conservet nos usque ad illud instans. Et ideo dicit *Augustinus*: *Salvum fac populum tuum Domine.* Secundò , oportet quòd actualiter & personaliter unusquisque recipiat , & participet passionem Christi & incorporetur in Ecclesia per benedictionem sacramen- G talem. Et ideo subdit : *Et benedic hæreditati tuæ.* Tertiò , oportet quòd dirigatur in suis operationibus tota Ecclesia: & ideo subdit : *Et rege eos.* Quartò , ut extollatur à mundo , & perveniat ad terminum , id est , vitam æternam. Et ideo subdit: *Et extolle illos usque in æternum.* Et sic patet , qualiter nulla istarum petitionum est superflua. Petit ergo primò ut salvet nos à malo liberando. Secundò , ut benedicat nos benedictione sacramentali , sive per Ecclesiastica Sacramenta. Tertiò , ut regat & dirigat nos per Legem Euangelicam. Quartò , ut extollat nos à terrenis ad cœlestia.

Sed adhuc est dicendum , quòd sicut *Nota.* H in *Oratione Dominica* post petitionem bonorum spiritualium & regni cœlestis petimus necessaria vitæ , cùm dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : ita pariter *Augustinus* in hac particula petit etiam bona temporalia necessaria ipsi Ecclesiæ , dum peregrinatur in hac vita inter infideles usquequò perveniat ad terminum. Unde primò petit, ut Ecclesia salvetur , & defendatur ab incursu infidelium & Hæreticorum , ut secura peregrinetur & transeat in hac vita: & hoc cùm dicit : *Salvum fac populum*

tuum

tuum Domine, scilicet, à persecutione infidelium liberando. Secundò, petit Ecclesiam & Religionem Christianam prosperari & augeri, & per totum orbem dilatari & multiplicari in filiis, & abundare in bonis temporalibus, ad sufficientiam vitæ necessariis: & hoc cum dicit: *Et benedic hæreditati tuæ*, id est, multiplica & prospera Ecclesiam, quæ est hæreditas tua: & hoc in abundantia filiorum, & bonorum temporalium: quia *benedictio* in Sacra Scriptura frequenter sumitur pro abundantia filiorum, & bonorum temporalium. Tertiò petit, ut Religio Christiana dirigatur, & vivat in hac vita secundùm Legem Dei: & hoc cùm subdit: *Et rege eos*, scilicet, in Lege tua, ut secundùm Euangelium vivant. Quartò petit, ut Christiana Religio sic transeat per bona temporalia, ut non amittat æterna, sed usque ad terminum hujus vitæ, quæ est vita æterna, secura perveniat: & hoc cùm subdit: *Et extolle illos usque in æternum.* Et has easdem quatuor petitiones continuè facit Ecclesia, ut patet in omnibus Orationibus, & maximè in die Veneris Sancta, quando orat pro omnibus statibus Ecclesiæ, & gradibus fidelium, & pro conversione infidelium.

Videns ergo *Beatus Ambrosius*, omnia quæ dicta sunt in hoc cantico de Christo, scilicet, qualiter Christus est Rex gloriæ, & æternus Dei Filius Patris, & per consequens est Deus verus: & quomodo incarnatus, & factus homo *non horruit Virginis uterum*: & quomodo *devicto mortis aculeo aperuit credentibus regna cœlorum*, quæ propter peccatum Adæ fuerant nobis clausa: & quomodo *salvat & benedicit suam hæreditatem & populum* per Ecclesiastica Sacramenta, & dirigit per gratiam: & etiam quomodo salvat, & defendit suum populum ab incursu & persecutione infidelium & Hæreticorum, & dirigit eum inter has humanas varietates, usquequò perveniat ad terminum vitæ æternæ in hac peregrinatione optatum & intentum: tunc cognovit quod Christo debetur vera Latria tanquam Salvatori, Redemptori, & Glorificatori, & obligamur per singulos dies, & horas, & momenta laudare eum, & benedicere. Hæc ergo omnia considerans *Ambrosius* in persona totius Ecclesiæ prorupit in laudem cum David, *Psalm.* 144. dicens:

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

92.d.c.12. 16.q.1.c. Revertimini, 95. d.c.Ecce.

O Christe pro tantis beneficiis gratias agendo, & veram Latriam cum adoratione & oblatione exhibendo, *laudamus nomen tuum*, quod est Jesus & Salvator, eò quòd salvasti & redemisti nos & glorificasti nos. Et hanc exhibemus tibi *in sæculum*: id est, per totum sæculum hujus vitæ: *& in sæculum sæculi* patriæ supernæ regni cœlestis.

Deus nos benedicit.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd Deus aliter *benedicit* nos; & nos aliter *benedicimus Deum.* Nam Deus benedicit nos, sanctificando & gratificando per Ecclesiastica Sacramenta; & prosperando & multiplicando Ecclesiam, & dirigendo eam, & finaliter glorificando, & universaliter bona temporalia & spiritualia largiendo: sicut dictum est in præcedenti petitione: & sic *David* petebat benedici *Psalm.* 65. cum dicit: *Deus misereatur nostri &c.* & in fine concludit: *Benedicat nos &c.* Et isto modo etiam benedixit omnibus creaturis, bona naturalia in earum creatione largiendo, ut patet *Genes.* 1. & 2. quando benedixit eis, dicens: *Crescite & multiplicamini.* Nos autem benedicimus Deum, & ejus excellentiam, omnipotentiam, sapientiam, & misericordiam, & justitiam commendando & prædicando, & beneficia nobis collata memorando, & pro eis ipsi gratias agendo, & veram Latriam ipsi exhibendo: quæ consistit in oratione, & adoratione, & oblatione. Et isto modo pro beneficiis gratias agendo *Psalm.* 102. dicit: *Benedic anima mea Domino &c.* Item *Psalm.* 104. *Benedic anima mea Domino.* Et enumerat & explicat omnia bona, quæ recepimus à Deo per creationem & gubernationem. Et sic patet differentia in benedicendo. Nam Deus *benedicit nobis*, bona temporalia & spiritualia largiendo. Et sic dixit *Augustinus* superius: *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.* Nos autem *benedicimus Deum*, ejus majestatem commendando, & pro beneficiis gratias agendo, & veram Latriam exhibendo: & sic dicit hîc *Ambrosius*: *Per singulos dies benedicimus te.*

Nos Deum benedicimus.

Sed est ulterius advertendum: quòd quatuor principalia beneficia recepimus & continuè recipimus à Christo Redemptore nostro, propter quæ non solum per *singulos dies*, sed etiam per singulas horas & momenta, & per singula loca & ubique sine intermissione tenemur & obligamur ipsum laudare, & benedicere, & gratias agere: in qua be-

Quatuor beneficia à Christo.

benedictione includitur Pater & Spiritus sanctus, qui indivisè concurrunt ad nostra beneficia. Nam primò recepimus à A Christo beneficium creationis, in quantum Pater per Christum Verbum fecit omnia, spiritu amborum incubante super aquas : & specialiter nos fecit ad imaginem suam, per quam divinum esse participamus, & sumus capaces æternæ felicitatis. Secundò, recepimus beneficium redemptionis, & creationis, per quod sumus ab omni maledicto absoluti, & Deo gratificati & reconciliati: quia *nil profuisset quod creasset, nisi mirabilibus modis recreasset*, ut inquit *Augustinus* & *Gregorius*. Tertiò, recepimus beneficium expectationis ad pœnitentiam : quia si patientia & benignitas & misericordia Dei non expectasset & B expectaret ad pœnitentiam, nil profuisset nobis Christi redemptio. Nam quid esset de nobis miseris, si Christus, antequam veniremus ad pœnitentiam, in peccato nos permitteret interire & mori ? Quantum est beneficium glorificationis, quod beati possident in patria in actu, & justi possident in via in merito : quia omnes justi expectant glorificari inter Angelos, & habent mansiones paratas in cœlo. Pro supradictis ergo beneficiis tenemur per singulos dies & horas & momenta & loca & semper & ubique Deum laudare & benedicere, & numquam à laudibus vacare : nec propter hæc valemus Deo satisfacere, nec C æquales vices reddere.

Quod autem sine intermissione temporis, & intervallo loci teneamur Deum laudare, & gratias agere, probatur: nam sicut Deus non cessat nobis semper & ubique supradicta beneficia conferre: ita nos tenemur semper & ubique ipsi gratias agere, & Latriæ cultum exhibere : unde licet Deus nos semel creaverit, tamen non cessat nos regere & gubernare, & de necessariis providere, & in esse conservare. Item, licet semel nos per mortem & passionem redemerit ; tamen non cessat per gratiam illustrare, & per Ecclesiastica Sacramenta recreare & gratificare, & peccatores ad D pœnitentiam expectare, & justos glorificare, & beatis suam gloriam communicare.

Et ideo propter istos quatuor respectus & beneficia recepta ordinavit Ecclesia in Officio Matutinali quatuor Vigilias nocturnas : quarum quælibet Vigilia, sive Nocturnus continet tres Psalmos, & tres Lectiones cum suis Responsis : unde sicut pastores dividunt totam noctem per quatuor partes & vigilias, ad custodiendum gregem propter lupos, quarum quælibet vigilia continet tres horas : & sic unus pastor vigilat in prima vigilia usque ad tertiam horam noctis E inclusivè, & alius per alias tres horas usque ad mediam noctem, & alius à media nocte usque ad tertiam horam, & alius per alias tres horas usque ad auroram ; & istum modum etiam observant armigeri, & milites in castris & in oppidis custodiendis, & nautæ in navigatione : ita ergo pariter hunc modum servabat Ecclesia primitiva in principio in Ægypto, ut inquit *Philo*, & *Eusebius*, & *Hieronymus* : & hunc modum servabant postea Monachi in Ægypto & Syria, ut inquit *Cassianus*. Nam prima pars eorum orabat in prima vigilia noctis, & alia in secunda, & alia in tertia vigilia, & alia in quarta ; in tantum quòd nulla pars noctis cessabat à Dei F laudibus & psalmodia : & sic dum una pars dormiebat, altera vigilabat. Et eodem modo faciebant in Officio Diurno: nam prima pars orabat à Prima usque ad Tertiam ; & exinde alia usque ad meridiem per alias tres horas ; & alia à meridie usque ad Nonam per alias tres horas ; & alia usque ad vesperam. Et sic Ecclesia noctu dieque per nullum momentum cessabat à Dei laudibus cum psalmodia.

Et ideo ad instar illorum ordinavit Latina Ecclesia tempore *Ambrosii* & *Augustini* in Officio Matutinali quatuor Nocturnos juxta quatuor vigilias noctis: in quorum primo cantat Ecclesia tres G Psalmos juxta numerum horarum primæ vigiliæ noctis : & in secundo Nocturno similiter juxta numerum horarum secundæ vigiliæ : & similiter facit in tertio Nocturno. Pro quarta autem vigilia, quæ est usque ad auroram, cantat primo hoc Canticum, scilicet, *Te Deum laudamus* : postea procedit in Laudibus cum quinque Psalmis exprimentibus divinas laudes : & cantat hymnum novum cum *Cantico Zachariæ*, quasi agendo gratias, quia nox veteris Legis præcessit, dies autem gratiæ appropinquavit, ut induamur arma lucis. Et hunc eundem ordinem servat Ecclesia in Officio diurno, dividendo ipsum in quatuor partes juxta quatuor vigilias diei. Et ideo in H Prima dicit tres Psalmos, juxta tres horas primæ vigiliæ diei : & ad Tertiam dicit alios tres, juxta horas secundæ vigiliæ : & ad Sextam & Nonam similiter usque ad noctem. Est verum, quòd postea Ecclesia ordinavit Officium Vesperorum, quod jam habet respectum ad diem sequentem. Et sic etiam ordinavit Completorium.

Ex supradictis patet, quod Ecclesia per singulos dies & horas & momenta numquam cessat laudare Deum, & agere gratias pro supradictis quatuor beneficiis à Deo receptis. Et hoc fit semper & ubi-

ubique : Nam cum in nostro hemisphærio est dies, in alio est nox, & è converso : & sic cùm hîc dicitur officium diurnum, ibi nocturnum, & è converso. Item, cùm in una regione est hora prima, in alia est tertia, & in alia sexta. Et sic quando nos dicimus Primam, apud Persas dicitur Tertia, & apud Indos dicitur Sexta, & apud regionem Sinarum dicuntur Vesperi. Ex quo patet, quòd numquam & nullibi cessatur à Dei laudibus, semper & ubique laudatur Deus, & nomen Christi : & etiam inter Infideles, ubi habitant Christiani. Item, si aliquando homines tacent in terra ; tamen Angeli in cœlo non cessant dicere, *Sanctus &c.* Et hoc intendit dicere Beatus *Ambrosius* in hac parte, cùm ait: *per singulos dies benedicimus te &c.*

Quia ergo *Ambrosius* dixit, quòd per singulos dies & horas & momenta obligamur & tenemur benedicere & confiteri & laudare Christum Deum & hominem, & ipsi semper & ubique gratias pro supradictis beneficiis receptis agere: ideo dicit *Augustinus* quod ita pari ratione pro salute nostra de necessitate cogimur per singulos dies & horas & momenta suam misericordiam implorare & exorare, ut eruat nos à malis præsentibus, & periculis futuris : putà, ut conferat nobis gratiam prævenientem, ne amplius incidamus in peccatum, quod sine gratia vitare non possumus ; & ut excitemur & roboremur ad bonum agendum, & liberemur à peccato in quo sumus.

Causa autem hujus necessariæ petitionis est : quia taliter fuimus vulnerati & debilitati in Adam, quòd si fuerimus derelicti in nostra naturâ corruptâ, nec possemus ex viribus nostris vitare peccatum, nec aliquid boni agere, nisi adjuvemur gratia Christi, prout probat *Augustinus* per longas disputationes *contra Pelagianos*, & prout dictum est in Expositione *Psalm.* 13. & 118. & 140. & aliorum *Psalmorum.* Ergo est deprecanda nobis divina misericordia.

Unde postquam sumus liberati ab originali per gratiam baptismalem, & collata est nobis gratia gratifica, deprecanda est nobis semper divina misericordia, ut in illa conservemur, ne cadamus in peccatum : & si sumus in peccato aliquo, est nobis deprecanda eadem divina misericordia, ut det nobis gratiam disponentem, ut surgamus à peccato ; & det nobis gratiam prævenientem, & roborantem, ne incidamus in aliud peccatum addendo mala malis ; ne efficiamur difficiliores ad surgendum. Item, deprecanda est divina misericordia, ut det nobis gratiam in tali statu, ut impellamur ad opera misericordiæ facienda, propter quæ bona Deus moveatur ad miserendum nobis, & ad conferendam supradictam gratiam prævenientem ; ut per eam surgamus à peccato in quo sumus, & vitemus alia peccata.

Hanc ergo quadruplicem gratiam & misericordiam petit, & explicat Augustinus per tres versus sequentes in persona Ecclesiæ. Nam in persona Justorum dicit:

Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire. 16. q. 1. c. Vorautem.

IDest, ut in gratia conservemur, & ne in aliquod peccatum incidamus. Sed in persona peccatorum dicit cum David *Psalm.* 122.

Miserere nostri Domine. De Cons. sec. d. 1. c. Quando. & d. 4. Nunquã.

Scilicet, ut à peccato resurgamus : &

Miserere nostri.

UT in aliud peccatum non incidamus ; sed omnia alia peccata vitemus, ne te ad majorem iram irritemus & provocemus. Item, cum eodem *David Psalm.* 32. petit gratiam ad bene operandum, cùm subdit:

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. 94. d. c. Diaconi.

HOC autem dicit ad differentiam infidelium obstinatorum, qui à peccato non desiderant, nec intendunt exire. Ex quibus patet, quòd sicut ex debito tenemur pro beneficiis receptis per singulos dies Deo gratias agere & Deum laudare ; ita pro beneficiis futuris, scilicet ad vitanda peccata futura, & ad bona facienda, de necessitate cogimur quotidie & semper divinam misericordiam implorare & exorare : quod est contra temeritatem *Pelagianorum*, ut videbitur. Sed ne quis desperet de divina misericordia, quia Deus nulli cum perseverantia oranti, & se disponenti negat talem misericordiam ; ideo subdit *Augustinus* concludendo totum Canticum, dicens:

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Rom. 8. de Pœnit. d. 2. Talibus. Et d. 4. Si ex bono.

QUasi dicat: O Domine, scio quod non odisti naturam hominis, quam ad tuam imaginem fecisti: & scio quòd non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: & scio quòd non desertis clamantes ad te: & scio quod omnes qui sperant & expectant te, non confundentur; nec frustrata erit eorum spes & fiducia & petitio: ideo quia in te speravi & pono spem meam; non confundar in æternum, nec frustrabor in mea petitione; sed tu implebis petitionem meam. Quasi dicat *Augustinus*: quia ego posui spem meam in meritis tuæ passionis; ideo non me à te repulisti: immò ad gratiam baptismi me pervenire fecisti, per quam omnia peccata mihi sunt remissa: & sic non confundar in ætereum cum infidelibus & obstinatis; sed in cœlesti fruitione satiabor cum apparuerit gloria tua.

Item, quia scio & spero, quòd sicut pœnitentibus numquam negasti veniam & misericordiam; ita justis non negabis gloriam: quia superbis resistis, & humilibus das gratiam. Et ideo *elegi habitare in domo* & Ecclesia *Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, Hæreticorum, & Gentilium. Et scio quòd *non privabis bonis* gloriæ *eos qui ambulant in innocentia* per fidem & Charitatem. Et sic *Beatus homo qui sperat in te*, *Psalm.* 84. Et ideo hæc est causa quare *in te Domine speravi*: quia scio quod *non confundar in æternum.*

Ex supradictis patet responsio ad argumentum quod faciebat *Pelagius* & *Julianus* contra *Augustinum* dicentes: Si impossibile est quòd aliquis possit resistere malo, & facere bonum, nec implere divina præcepta sine gratia Christi: Ergo sequitur, quòd nos obligaremur ad nobis impossibile; & per consequens injuste damnarentur peccatores & transgressores præceptorum: quia ad impossibile nemo obligatur.

Not. objectionem & si obligemur ad impossibile.

Ad hoc respondet *Augustinus*: quòd non est inconveniens, quòd aliquis obligetur ad sibi impossibile, quando ipse, vel Parentes fuerunt causa sui reatus. Unde omnis homicida obligatur ad reddendum hominem mortuum: & tamen hoc est ipsi impossibile. Et filii proditoris obligantur ad serviendum domino pro parentibus. Ita ergo ipsis primis parentibus in principio data fuit justitia originalis, per quam liberè, & sine difficultate poterant operari, & divina præcepta adimplere: sed quia *Adam* peccando perdidit illam originalem justitiam, & per consequens possibilitatem liberè operandi, & adimplendi divina præcepta, prout dicetur: ideo Deus justè potest exigere ab *Adam* & filiis suis illam originalem justitiam, seu observantiam præceptorum secundùm illam justitiam. Et sic unusquisque obligatur ad servandum divina præcepta, licèt sit ipsi impossibile secundùm naturam corruptam & infirmam, cujus infirmitatis *Adam* fuit causa. Et ideo nullus habet jus querelæ contra *Deum.*

Nota.

Sed ad illud quod dicebat Julianus, quòd injustè damnarentur peccatores, postquam ipsis est impossibile vitare malum & facere bonum sine auxilio superiori: Respondetur, quòd licèt sit impossibile aliquem ex propriis viribus bene operari & salvari; tamen hoc est possibile, si misericordiâ & gratiâ Christi adjuvetur. Et sic licèt sit ipsi impossibile per se bene operari; tamen non est ipsi impossibile gratiam Christi petere, & ejus misericordiam implorare, & se ad gratiam, in quantum potest, præparare; cum qua gratia potest malum vitare, & bene operari. Et ideo obstinatus non solum damnatur quia peccavit, sed quia non recurrit ad Medicum, gratiam petendo, & misericordiam implorando, & se ad gratiam, quam nulli petenti, & perseveranti, & præparanti Christus unquam negavit, præparando. Nam ille qui dixit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, &, *Sine me nihil potestis facere*, *Joann.* 14. ille idem dixit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Item, *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & apietur vobis: quia qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Item, quando Christus dixit, *Matth.* 19. *Facilius est camelum intrare &c.* mirabantur discipuli dicentes: *Quis ergo poterit salvus fieri:* quibus respondit Christus: *Apud homines impossibile est hoc: apud Deum omnia possibilia sunt.* Ex quibus verbis Christi patet, quòd licèt impossibile sit aliquem salvari ex propriis viribus: tamen potest salvari adiutus gratiâ Dei, quæ nulli petenti cum perseverantia, & se præparanti negatur, & sic nullus damnatur, nisi culpâ sua. Nam sicut scit, quòd non potest ex propriis viribus bene operari sine gratia Christi: ita scit, & certus est, quòd Christus non negabit ipsi gratiam, per quam poterit bene operari, & salvari, si illam gratiam petit cum perseverantia, se ad illam, quantum ipsi possibile fuit, præparando. Et sic patet responsio ad argumentum *Juliani* & omnium *Pelagianorum.* Et hoc confirmat *Augustinus* in conclusione & fine hujus Cantici, dicens: *In te Domine*

ne speravi, non confundar in æternum

Epilogatio hujus Cantici.

Ex isto ergo Cantico possunt recoligi *vigentiquatuor veritates Catholicæ Fidei* ad consequendam salutem cujuslibet fidelis. Quarum *prima* est : quod unus solus Deus est laudandus & colendus. A

Secunda : quòd iste solus Deus est colendus tamquam dominus & rector & gubernator universalis.

Tertia, quòd sicut est Pater & creator universi : ita est colendus & venerandus per totum orbem terrarum.

Quarta : quòd tota natura Angelica incessabili voce proclamat *Sanctus &c.* mysterium trinitatis explicando.

Quinta : quòd non solum Angeli, sed etiam omnes chori beatorum homi- B num laudant Deum in cœlo.

Sexta : quòd non solum Ecclesia cœlestis, sed etiam ista militans per totum orbem terrarum confitetur & colit Deum in Trinitate perfecta, scilicet Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Et sic ista Ecclesia unitur cum superna per Latriam. Nam quod illa cantat per beatam visionem, ista cantat & confitetur per fidem.

Septima : quòd licèt Christus sit homo, tamen est Rex gloriæ.

Octava : quòd Christus est Filius naturalis & æternus Dei Patris : & per consequens est Deus & hæres Patris, cui debetur regnum & imperium mundi & vera Latria.

Nona : quòd Filius Dei æternus ex C tempore suscepit hominem *in atomo*, ut in illa carne posset pati ad liberandum genus humanum à morte æterna.

Decima : quòd tripliciter Christus *non horruit Virginis vterum*, quando ex ea carnem assumpsit. Primò, quia cum esset Deus æternus non horruit fieri homo mortalis. Secundò, quia nil horrendum in Virgine reperit : quia sicut eam puram & Virginem reperit in conceptione ; ita Virginem & puram & sanctam reliquit in sua nativitate. Tertiò, non horruit : quia licèt assumpserit ex ea carnem cum pœnalitatibus peccati ; tamen non cum culpa peccati.

Undecima : quòd Christus in ea D carne quam assumpsit ex Virgine *devicit aculeum* & gladium *mortis* : quia mortem nostram moriendo destruxit &c.

Duodecima : quòd tripliciter Christus moriendo devicit mortem. Primò, quia ultra mortem, quæ erat terminus vitæ corporalis, resurgendo vitam æternam reperit : & sic fecit mortem perviam : quia ultra ipsam transivit. Secundò, devicit mortem : quia per resurrectionem immortales nos fecit. Tertiò, devicit mortem peccati quæ in servitute omnes tenebat.

Tredecima : quòd sicut Christus per E suam mortem devicit mortis aculeum ; ita per ascensionem *aperuit credentibus regna cœlorum.*

Decimaquarta : quòd Christus ut homo sedet in potioribus bonis gloriæ Patris.

Decimaquinta : quòd Christus etiam ut homo non solum sedet in potioribus bonis gloriæ Patris quoad fruitionem & honorem Latriæ, sed etiam sedet in sede potestatis ad judicandum super omnes creaturas in cœlo, & in terra, & in inferno. Et sic non solùm sedet in sede gloriæ, sed etiam Judicii. Et ideo est *Judex venturus* universalis in novissimo die cum potestate magna & majestate.

F *Decimasexta* : quòd ad Christum pertinet in hac Ecclesia dispensare merita suæ passionis.

Decimaseptima : quòd ad Christum pertinet complere numerum electorum, & eos annumerare, & cum Sanctis Angelis in gloria sociare.

Decimaoctava : quòd ad Christum pertinet salvare populum per gratiam, & benedicere per Ecclesiæ Sacramenta, & regere per legem Euangelicam, & extollere per gloriam.

Decimanona : quòd ad Christum non solum pertinet salvare populum suum spiritualiter à peccato, sed etiam temporaliter ab omni periculo corporali, & benedicere, copiam bonorum tempora- G lium conferendo, & dirigere eos in via, finaliter gloriam conferendo.

Vigesima : quòd per singulos dies & horas & momenta obligamur Deo Latriam exhibere, & laudare, & gratias agere pro beneficio creationis, redemptionis, & ad pœnitentiam expectationis, & glorificationis.

Vigesimaprima : quòd sicut ex debito obligamur Deum per singulos dies laudare pro beneficiis receptis ; ita de necessitate cogimur divinam misericordiam implorare pro futuris : unde justi tenentur propter tria petere gratiam ; primò, ut surgant à peccato : secundò, ut non incidant in alia peccata, addendo H mala malis : tertiò, ut semper faciant aliqua bona opera misericordiæ, ut Deus ducat eos ad pœnitentiam.

Vigesimasecunda : quòd humana natura taliter fuit corrupta ab *Adam* morbo concupiscentiæ, quòd justus per se in puris naturalibus nec potest vitare peccata, nec aliquid bonum agere, nisi fuerit adjutus gratia Christi præservante & roborante.

Vigesimatertia : quòd peccator non potest surgere per se à peccato, nec vitare peccatum, nec facere aliquod bonum sine gratia Christi : & ideo

non debet cessare misericordiam Dei implorare.

Vigesimaquarta : quòd sicut sumus certi, quòd sine gratia Christi non possumus ex propriis viribus peccata vitare, quam gratiam semper tenemur implorare; ita ex promissione Euangelica sumus certi, quòd si ad gratiam, in quantum in nobis est, nos disponimus, & cum humilitate eam perseveranter petimus; numquam nobis Christus eam negabit. Ex quo patet, quòd nullus damnatur nisi culpâ suâ. Et sic per has vigintiquatur veritates Catholicas patet tota intelligentia hujus Cantici *Ambrosii & Augustini*.

Quæstio. Sed nunc restat quærendum: Quare cum tanta autoritate & devotione universalis Ecclesia susceptit hoc Canticum, & facit ipsum publicè cantari in Ecclesia in omnibus festivitatibus in Officio Canonico cum tanta solemnitate & celebritate : cùm hoc Canticum non sit propheticum in Canone veteris Testamenti, sicut Cantica *Moysi*, & *Isaiæ*, & *Habacuc*; nec sit Euangelicum, sicut Canticum *Virginis Mariæ*, & *Zachariæ*, & *Simeonis*, quæ cantantur in Officio Canonico?

Responsio Ad quod respondetur, quòd istud Canticum est Euangelicum duplici ratione. Primò: quia *Ambrosius* & *Augustinus* non locuti sunt spiritu humano, sed prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: sicut dicit *Datius* & *Possidonius*. Secundò, est Euangelicum : eò quòd omnes veritates confessæ & memoratæ in hoc Cantico, sunt Euangelicæ, & ex Euangelio sumptæ, ut dictum est : & etiam quia omne quod à Spiritu sancto dictum est, Euangelium & veritas Euangelica est; maximè quando annuntiatur de Christo quod jam completum est. Et ideo dixit Christus: *Dabo vobis os ad loquendum &c. non enim vos estis qui loquimini &c.* Item, istud Canticum est propheticum: quia in illo Baptismo prævidit *Ambrosius* qualis & quantus erat *Augustinus* futurus in Ecclesia, ut inquit *Datius*; & quomodo debebat omnes Hæreses expugnare, & ab Ecclesia eliminare : quod in veritate postea completum est, prout infra patebit. Et sic patet, qualiter hoc Canticum est Propheticum, & Euangelicum. Et ideo cum authoritate recepit ipsum Ecclesia.

Istud Canticum est Euangelicum.

Sed causa quare cum tanta veneratione & frequentatione præcepit ipsum Ecclesia publicè cantari in Officio Matutinali, & etiam in omnibus gratiis agendis, fuit & est, propter octo fructus & utilitates, quas istud Canticum attulit & affert toti Ecclesiæ, & cuique Fideli ipsum cum devotione & veneratione recitanti & dicenti.

Unde octo fructus affert istud Canticum. Nam primò instruit omnes fideles. Secundò, justificat omnes Christianos. Tertiò, construit Ecclesiam. Quartò, destruit omnem hæreticam pravitatem. Quintò, placat Deum. Sextò, impetrat misericordiam. Septimò, armat & præbet arma quotidiana contra diabolum. Octavò & ultimò : quia nos concives Sanctorum, & domesticos Dei efficit, & istam Ecclesiam cum Cœlesti consociat : quia simul cum Angelis & Beatis cantat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Et hoc patet per singula.

Octo fructus affert istud Canticum.

Primum ergo patet. Nam hoc Canticum docet & confitetur supradictas vigintiquatuor veritates Catholicas, in quarum confessione consistit tota Doctrina & fides Christiani : per quas veritates omnis Christianus sufficienter instruitur in Fide, & differt à quocumque Infideli & non Christiano. Unde tota fides Chistiani consistit in credendo Deum trinum & unum, Creatorem, & Dominum & gubernatorem totius universi, & glorificatorem hominum Justorum & Angelorum: Et credere, Christum esse Verbum incarnatum, & Deum & hominem, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Virgine, mortuum & passum, & resurrexisse, & regna Cœlorum nobis aperuisse: & per consequens esse Redemptorem generis humani, & de diabolo triumphatorem: & quòd sedet à dextris in gloria Dei Patris tamquam judex universalis: & credere Christum esse caput, & rectorem Ecclesiæ, à quo tota Ecclesia recipit omnem gratiam & virtutem, & omnia dona spiritualia : cui debetur cultus Latriæ: & credere, neminem posse peccata vitare, nec bene operari, nisi gratiâ Christi fuerit adjutus. Quæ omnia sufficienter docet & instruit Canticum istud. Ex quibus patet, quòd instruit omnes fideles in omni veritate fidei Catholicæ.

Primus fructus.

Secunda utilitas & fructus hujus Cantici est : quia construit totam Ecclesiam per supradictam trinam confessionem, scilicet, per confessionem Fidei, confitendo supradictas vigintiquatuor veritates Catholicas, quibus tota Ecclesia defenditur ab omni incursu inimicorum infidelium, & hæreticorum : & per confessionem Latriæ, quâ Deo satisfacit, & per confessionem peccatorum, quâ diabolum exterminat.

Secundus fructus.

Et in hoc Cantico continentur omnia quæ pertinent ad nostram salutem. Unde primò in eo continetur totum Symbolum Fidei confitendo supradictas vigintiquatuor veritates Catholicas. Secundò, continetur tota Oratio Dominica cum suis petitionibus. Nam sicut ibi dicitur *Pater noster qui es in cœlis sanctificetur nomen tuum*; ita hîc dicitur, *Sanctus &c.*

In hoc Cantico continetur Oratio Dominica.

&,

&, *Per singulos dies laudamus nomen tuum in sæculum &c.* Item, sicut ibi dicitur : *Adveniat regnum tuum* ; ita A hìc dicitur : *Æternâ fac cum sanctis tuis in gloria numerari.* Item, sicut ibi dicitur : *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos &c.* Ita hìc dicitur : *dignare Domine die isto &c. Miserere nostri &c.* Et sic patet, qualiter istud Canticum continet totum Symbolum Ecclesiæ, & Orationem Dominicam, & universaliter in virtute & implicitè continet totam Sacram Scripturam veteris Testamenti. Et per consequens est dicendum, quòd sufficienter construit totam Ecclesiam ; & turrim fortitudinis ejus : quæ quidem turris triplici muro circundatur & sepitur. Nam primus & exterior murus ejus B est confessio Fidei supradictarum vigintiquatuor veritatum : quo muro se tuetur Ecclesia ab incursu omnium infidelium & hæreticorum. Secundus murus & interior est, confessio pœnitentialis, & gratia Sacramentorum, quo se tuetur Ecclesia ab omni incursu dœmonum. Tertius murus & intimus, est confessio veræ Latriæ, & iste est ita altus quòd attingit usque ad Cœlum. Et isto triplici muro istud Canticum construit, & circundat, & roborat Dei Ecclesiam : & ideo sicut hoc Canticum confitetur omnem veritatem Catholicam ; ita petit omnia quæ pertinet ad nostram salutem, & agit gratias pro beneficiis receptis : Et sic instruit, & construit, & justificatur : qui C sunt tres mirabiles, & utiles, & salubres fructus hujus Cantici.

Tertius fructus.

Tertia utilitas & fructus hujus Cantici est : quia sicut sufficienter construit Ecclesiam per supradictam trinam confessionem ; ita sufficienter destruit omnes errores Infidelium & Hæreticorum. Unde istud Canticum in principio sui destruit errorem Gentilium, qui colebant plures Deos, & dicebant mundum esse æternum ; & ponebant felicitatem suam in hac vita. Et in secunda parte, in qua dicitur : *Te per orbem terrarum &c.* destruit simul obstinationem *Judæorum*, qui negant mysterium Trinitatis ; & persidiam *Arianorum*, qui separabant in D personis substantiam. Per hoc autem quod ait, *Tu Rex gloriæ Christe*, destruit falsam doctrinam *Manichæorum*, qui negabant, Christum esse hominem verum, & mortuum, & passum. Per illud autem quod dicitur : *dignare Domine die isto*, destruit hæretica dogmata *Pelagianorum*, qui dicebant ununquemque ex propriis viribus absque alio auxilio posse præcepta Dei adimplere : & per consequens omnia peccata vitare, & omnia opera Charitatis adimplere ; & per consequens dicebant, superfluum esse Deum orare, postquam unusquisque omnia supradicta bona libertate Iberi arbitrii per se poterat facere. Et sic patet, qualiter istud E Canticum destruit omnes errores Infidelium & Hæreticorum.

Destruit errores.

Sed est advertendum Secundùm *Possidonium*, quòd unitatem fidei, quam *Augustinus* confitetur in hoc Cantico in suo Baptismo, postèa defendit publicè in suis scriptis & prædicationibus, ad destructionem Hæreticorum. Unde *Ambrosius* non solùm incepit *Te Deum laudamus*, eò quòd deduxerat *Augustinum* ad Bautismum ; sed quia prævidit in spiritu, qualis & quantus erat futurus *Augustinus* in Ecclesia, ut inquit *Datius*, & quia prævidit, qualiter omnes errores F Hæreticorum debebat ab Ecclesia eliminare, ut inquit *Possidonius*, prout postea factum est.

Quatuor hæreses tempore August.

Ad cujus evidentiam est notandum: quòd inter cæteras, quatuor Hæreses affligebant Ecclesiam tempore *Augustini*. Quarum prima fuit superstitio Gentilium. Nam licèt multi Reges & populi Gentilium fuissent ad fidem conversi post conversionem *magni Constantini*, & maximè tempore *Theodosii* ; tamen quando *Alaricus* Rex Gothorum cum suis Gentilibus ingressus est Italiam, & ex magna culpa & occasione Romanorum incendisset & destruxisset Romam cum tota Italia : tunc Romani tepidi in fide hoc imputabant Christo, dicentes, quòd dum Roma colebat plures Deos, semper fuit G prospera, & domina mundi : sed postquam fuerat sub Fide Christi, semper fuerat diminuta & contempta, & tandem per illud Barbarum Regem Gothorum destructa : & sic blasphemabant Romani & cæteri Italici contra Christum, & Legem Euangelicam decernentes repetere idololatriam. Tunc autem *Marcellinus* scripsit ad *Augustinum* dicens, ut excitaret gratiam à Deo sibi collatam, & scriberet contra istos blasphemos nominis Christi : quia Roma cum tota Italia erat in magno periculo apostatandi à Fide Christi, & repetendi antiquam superstitionem idololatricam, nisi ipse apponeret remedium. Tunc autem *Augustinus* H virtute & lumine Spiritus sancti armatus & illustratus scripsit vigintiduos libros pro defensione Civitatis Dei, & Christianæ Religionis : in quibus non solùm defendit Ecclesiam, & totam Sacram Scripturam utriusque Testamenti, sed etiam destruxit totam idololatricam superstitionem. Nam in primis decem libris destruit omnes detestabiles & fœdos ritus illius superstitionis, detegendo falsum cultum falsorum Deorum, & detegendo, & confutando falsam Doctrinam, & deceptionem eorum. Ab undecimo autem libro usque ad decimumoctavum inclusivè memorat diversos fines

utriusque Civitatis, scilicet, damnationem perpetuam impiorum, & gloriam Fidelium, & Justorum. In quibus viginti duobus libris ostendit, unum Deum & trinum & unum esse Creatorem & generatorem Universi, & Redemptorem, & glorificatorem omnium Justorum, sicut confessus fuerat in prima parte hujus Cantici. Et sic *Marcellinus* publicavit illum librum Romæ, & per totam Italiam: quo libro viso, tota Italia cessavit à blasphemiâ, & Apostasiâ, & malo proposito repetendi idololatricam superstitionem: & sic quietavit totam Ecclesiam *Augustinus* per illos libros de Civitate Dei: & destruxit errorem Gentilium.

Item, eodem tempore surrexit quidam *Maximinus*, Episcopus Arianorum, qui vehementer incœpit resuscitare, & roborare illam sectam, & invehere contra Fidem Trinitatis personarum divinarum in una & eadem substantia, quam confitetur Ecclesia. Tunc *Augustinus* scripsit Librum contra illum Maximinum; in quo destruit, & confutat ejus argumenta, & roborat fidem Ecclesiæ fundamentis & autoritatibus Sacræ Scripturæ. Et postea scripsit vigintiquinque libros *de Trinitate*, ubi lucidius & diffusius probat & declarat propositum supradictum. Hoc idem fecit *Augustinus* in multis aliis Libris & Tractatibus, destruendo perfidiam *Arianorum*, & aliorum Infidelium circa mysterium Trinitatis.

Item, eodem tempore surrexerunt multi magni viri fœdo & detestabili dogmate *Manichæorum* maculati, qui illam sectam vehementer incœperunt resuscitare, & grandi conatu restaurare: contra quos *Augustinus* scripsit, eorum dicta & scripta confutando & repellendo. Et primò *contra Faustum* Manichæum per quadraginta responsiones. Secundò *contra Fortunatum*. Tertiò *contra Cresconium* & *contra Felicianum*: & *contra Epistolam fundamenti*: & *contra Adversarium Legis & Prophetarum*, & contra multos alios ejusdem sectæ: qui inter cætera negabant Christum esse hominem verum, & per consequens esse passum: & sic destruebant totum mysterium nostræ redemptionis, & virtutem Sacramentorum Ecclesiæ, à passione Christi pro nostra salute & justificatione manantem: quos omnes *Augustinus* scriptis & publicis disputationibus & prædicationibus superavit, & ab Ecclesia eliminavit & fugavit, prout confessus fuerat in hoc Cantico, quando dixit: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum &c.*

Item eodem tempore fuit orta, & per totum orbem subitò diffusa temeraria secta, & doctrina falsa *Pelagianorum*: qui negabant, peccatum primorum parentum cum suis pœnalitatibus transisse ad posteros; & per consequens negabant peccatum originale in parvulis, & Baptismum ad mundationem peccati eis prodesse. Et sic attribuebant tantam libertatem humanæ voluntati ad operandum, etiam post lapsum primorum parentum, quòd unusquisque ex propriis viribus naturalibus cum sola potestate liberi arbitrii, absque quovis auxilio & gratiâ Dei, poterat divina præcepta adimplere, & per consequens omnia peccata vitare, & omnia bona opera facere. Et sic dicebant, quòd superfluum erat pro defunctis exorare, & futurum auxilium petere, postquam unusquisque ex propriis viribus poterat bene operari, & salvari. Quòd sentiens Beatus *Augustinus Hipponensis Episcopus*, illico congregavit omnes Episcopos Provinciæ Numidiæ: & probato grandi examinatione, hanc Doctrinam esse Hæreticam, tunc *Augustinus* de consensu omnium illorum Episcoporum scripsit Epistolam ad *Innocentium Papam*, tunc Ecclesiæ Romanæ Præsidentem, ut vigilaret supra gregem suum: quia ista falsa & pestifera Doctrina destruebat Ecclesiam, & fundamentum totius Sacræ Scripturæ, & nostræ Redemptionis & salutis, & annihilabat omnes petitiones, & omnia suffragia Ecclesiæ, tàm vivorum, quàm defunctorum: quia frustra in Oratione Dominica peteremus & diceremus: *dimitte nobis debita nostra*: & *ne nos inducas in tentationem*. Et sic de cæteris Orationibus, quas continue facit Ecclesia.

Tunc autem *Innocentius Papa* congregavit Romæ Concilium Episcoporum, in quo damnavit *Pelagium* & *Cœlestinum* Hæreticos cum Secta eorum: & dedit authoritatem Primati Carthaginensi, ut convocaret simul cum *Augustino* Concilium omnium Episcoporum Africæ contra illam Sectam: in quo Concilio interfuit *Augustinus*, qui fuit Scriptor Simboli & Decreti illius Concilii Africani: in quo per singula fuit condemnata illa pestifera Secta cum suo autore & Sequacibus suis, ut patet *de Conse. dist. 4. cap. Placuit*, & per multa sequentia capitula. Et prout *Prosper* narrat *in Chronica sua*. In quo tempore *August.* scripsit Librum *Hipognosticon*: & *de Perfectione justitiæ hominis*: & *de Gratia*: & *de Spiritu & littera*: & *de Baptismo parvulorum*: & *de Nuptiis & concupiscentia*: & *contra Julianum*, & alios ejusdem Sectæ; in tantum quod omnes illos Hæreticos expulit ab Africa in Asiam.

Sed cum Beatus *Hieronymus* qui tunc in *Bethlehem* jam senio laborabat, sensisset illam detestabilem & pestiferam Doctri-

trinam, incœpit per modum Dialogi scribere contra eam : sed cum pervenissent ad eum Libri *Augustini de Baptismo parvulorum*, quos contra illam Hæresim confecerat, tunc cessavit à scriptura sui Libri : unde ait in fine hujus Libri: *Pervenerunt ad manus meas Libri* de Baptismo parvulorum, *quos scripsit* Augustinus *contra hæresim & sectam vestram : quibus visis, huic operi finem imponendum decrevi, ne mihi dicatur illud Horatii, In silvam ne ligna feras.* Et sic patet, qualiter *Augustinus* destruxit illam hæresim *Pelagianorum*, prout confessus fuerat orando in fine istius Cantici, cum dicit : *Dignare Domine die isto &c.* Et sic patet etiam per supradicta, qualiter destruxit omnes alias hæreses, prout professus fuerat in hoc Cantico.

Quartus fructus.

Quarta utilitas & fructus hujus Cantici est : quòd sufficienter justificat omnes fideles per triplicem confessionem. Ad cujus intellectum est notandum, quòd tota justitia Christiani consistit in triplici confessione: scilicet, in confessione veræ fidei, veræ Latriæ, & pœnitentiali, sive in confessione peccatorum. Unde *Confessio Fidei* consistit in corde & ore publicè confitendo, asserendo, & prædicando omnes supradictas viginti-quatuor veritates quæ continentur sub Articulis fidei. *Confessio autem Latriæ* consistit in tribus : scilicet, in laudando Deum, & omnes perfectiones ejus, beneficia ejus memorando, & pro eis gratias agendo. Secundò in adoratione. Tertiò in oblatione & sacrificio. *Confessio autem peccatorum* consistit in profitendo nos esse fragiles, & miseros, & peccatores, & in Adam obligatos & corruptos ; taliter quòd sine auxilio gratiæ nec possumus peccata vitare, nec præcepta Dei adimplere, nec aliquid boni agere, nec à peccatis, in quibus sumus, liberari. In hac ergo triplici confessione consistit tota justitia hominis, & Fides, & Spes, & Charitas ejus. Sed tota triplex ista confessio continetur in hoc Cantico. Nam tota ista prima pars à principio usque ad illum locum, *Te ergo quæsumus*, nil aliud est nisi confessio Fidei simul cum gratiarum actione & laude : & exinde usque ad illum locum, scilicet, *Dignare Domine*, nihil aliud est nisi Oratio, quæ pertinet ad cultum Latriæ : & in illa parte quando dicitur, *Dignare Domine die isto*, nil aliud est nisi Confessio peccatorum. Et sic patet qualiter istud Canticum sufficienter justificat hominem per triplicem confessionem.

Quintus fructus.

Quinta utilitas hujus Cantici est, in quantum placat Deum, & delectat, & debitum per Latriam solvit, & reddit ipsum benignum per cultum Latriæ: eò quòd magnificus & magnanimus delectatur, cum ipsi memorantur beneficia quæ ipse fecit, maximè cum gratiarum actione, ut patet 4. *Ethicorum*. Et ideo istud Canticum per Latriam est satisfactorium & Deo solutorium: quia Deo non possumus satisfacere, nisi per veræ Latriæ servitutem & cultum, quod maximè continetur in hoc Cantico, prout dictum est : & ad quam Latriam maximè nos exhortatur & incitat istud Canticum. Et hic est quintus fructus & utilitas ejus ; immò ex hoc Cantico sumit Ecclesia modum reddendi Latriam, dicentes, *Sanctus &c.*

Sextus fructus.

Ex ista autem quinta sequitur *sexta utilitas & fructus* hujus Cantici : quia est gratiæ, & misericordiæ, & postulatorum impetrativum : quia sicut Deum placat & delectat commemorando ejus perfectiones & beneficia cum gratiarum actione, & Latriæ exhibitione ; ita inclinat ipsum ad majora beneficia conferenda : scilicet, misericordiam & gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, prout petitur in hoc Cantico, unde maximè nos Deo humiliamus. Nam sicut confitemur Deum esse Omnipotentem, Creatorem, Sanctum, Justum, Misericordem, & Redemptorem ; ita confitemur nos esse fragiles, peccatores, & miseros, non sufficientes ex nobis aliquid boni agere, nec posse peccata vitare, nisi fuerimus adjuti gratiâ Christi, & ejus misericordiâ subleuati : & ideo dicimus: *Dignare Domine die isto &c.* Et ideo hoc Canticum est Dei ad misericordiam inclinativum, & est misericordiæ impetrativum : quia Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam, & veniam.

Septimus fructus.

Septima autem *utilitas & fructus* hujus Cantici est : quia præbuit, & præbet nobis arma quotidiana contra diabolum, & mundum, & carnem, non solùm defensiva, sed etiam offensiva, & fugativa, cùm dicit : *Dignare Domine die isto &c.*

Ad cujus intellectum est notandum secundùm *Prosperum* defensorem doctrinæ *Augustini contra Pelagianos* : quòd quando fuit orta pestifera & venenosa doctrina Pelagianorum in *Britannia*, simul cum ea fuit exorta medela & antiodotum contra illud venenum in *Italia* per conversionem *Augustini*. Nam quando *Pelagius* Monachus incipiebat seminare suum venenum in Britannia, tunc *Augustinus* extirpator illius veneni baptizabatur Mediolani, & spiritualiter nascebatur, tamquam theriaca & antidotum, ad resistendum & extinguendum venenum & morbum pestiferum Pelagianorum. Quod quidem venenum ita subitò & in brevi tempore infecit totam Ecclesiam, tàm in *Africa* & in *Asia*, quàm in

in *Italia*, quòd fuit mirabile dictu. Cujus causa fuit triplex. Primò, quia seminatores hujus veneni, scilicet *Pelagius* & *Cœlestius*, & *Julianus* ostendebant se esse Catholicos in fide Articuli Trinitatis contra *Arianos*, & in Articulo Incarnationis contra *Manichæos* : contra quos Ecclesia diu antè pugnaverat. Item, quia isti erant viri eloquentissimi, ut patet in stylo *Epistolæ Pelagianorum*, & in altercatione *Juliani* : & cum hoc fuerunt astuti & callidissimi. Nam ut in brevi possent orbem totum interficere, fuerunt divisi per tres partes mundi, scilicet *Pelagius* in Europa : & *Julianus* in Africa: & *Cœlestius* in Asia : & sic in brevi tempore fuit seminatum illud venenum. Tertia causa fuit, quia illud venenum & fermentum erat valde palliatum & coloratum, quasi latens sub melle veritatis naturæ, voluntatis, & liberi arbitrii. Et ideo multi faciliùs fuerunt in illa doctrinâ pestiferâ decepti hac triplici causâ.

Nota de lib. arbit. libertate.

Unde dicebant, quòd Deus bonam naturam & liberam creaverat in homine; & posuerat ipsum in voluntate arbitrii & consilii sui : Ergo diabolus, qui erat Deo inferior, non poterat humanam naturam corrumpere, nec voluntatis libertatem tollere, nec impedire. Et ideo Julianus vocabat Augustinum *traductionarium* & *Manichæum*.

Item dicebant, quòd si humana natura & caro nostra in tantum fuerat corrupta in *Adam*, quòd nec poterat de se vitare malum, nec facere bonum, nisi adjuta per gratiam Christi : ergo sequeretur, quòd vel nullus in peccando damnaretur ; vel quòd Deus esset injustus in damnando homines : quia ad impossibile nemo obligatur de jure : & sic asserebant, quòd postquam Deus bonam naturam creaverat in homine ad imaginem & similitudinem suam ; & creaverat in eo liberam voluntatem, & reliquerat eum in manu consilii sui: tunc ex propriis & naturalibus viribus cum arbitrio voluntatis, absque alio auxilio, poterat divina præcepta adimplere, & per consequens omnia peccata vitare, & omne bonum operari quandocumque vellet. Et ex hoc inferebant, quod superfluum erat Deum orare pro vitandis peccatis futuris, quia unusquisque de se poterat peccata vitare : & superfluum erat etiam pro peccatis exorare : quia si sine peccato decesserunt, illicò evolarunt ad cœlum tamquam bonæ naturæ secutores : si autem cum peccatis mortui fuerant, tunc illicò descendebant in infernum. Et sic tollebant omnes orationes Ecclesiæ, & omnia suffragia vivorum & mortuorum. Quod quidem venenum ita in brevi multos infecit, quòd tota Ecclesia per omnes partes mundi fuit turbata : eò quòd omnes illo pestifero veneno infecti cessabant ab omni oratione & suffragio vivorum & defunctorum, confidentes de suis viribus & libera voluntate, contemnendo gratiam Christi.

Hoc autem persentiens *Augustinus*, zelo Ecclesiæ permotus, congregato Concilio Episcoporum Africanorum, incœpit illis Hæreticis resistere : & scripsit *Innocentio Papæ Romano*, ut supra gregem suum invigilaret : & cautè de isto occulto & periculoso veneno inquireret, ut dictum est. Et ideo condemnatâ istâ pestiferâ hæresi in Concilio Romano & Africano, tunc *Augustinus* incœpit ordinare plura officia in sua Ecclesia Hipponensi contra intentum illius sectæ. Inter quæ primò ordinavit *Officium defunctorum* divisum per tres Nocturnos cum suis Laudibus : quod quidem Officium illicò suscepit tota Ecclesia Africana, & exinde venit in Ecclesiam Italicam, & Gallicanam, & Hispanicam, & Germanicam. Et etiam ordinavit *Missam pro defunctis* : in quo Officio petuntur suffragia pro defunctis contra perfidiam Pelagianorum.

Item *Augustinus* tunc ordinavit multa alia officia festiva : inter quæ confecit *Officium Nativitatis Virginis Mariæ* : & etiam ordinavit multa alia Ecclesiastica officia, quorum autor ignoratur; eò quòd fuit multum aptus & facilis in orationibus ordinandis : ut patet in suis *Soliloquiis*, & contemplationis, & supputationibus. Tunc etiam tota Ecclesia Romana propter perfidiam Pelagianorum ordinavit *preces*, quæ fiunt in prima hora diei in officio : putà, quod illicò post versiculum dicatur *Oratio Dominica* cum *Symbolo* : & postea : *Et ego ad te Domine clamavi*, cum quinque sequentibus versiculis sumptis de *Psalm.* 50. & postea fiat *generalis Confessio*. Et post Confessionem dicatur ultima pars hujus Cantici, scilicet, *dignare Domine die isto sine peccato nos custodire*. Et postea dicatur illa salubris & electissima oratio, scilicet, *Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti &c.* In quibus precibus manifestè petimus gratiam & auxilium divinum, ne incidamus in aliquod peccatum, sed semper faciamus bonum, & impleamus divina præcepta juxta voluntatem Dei, & liberemur à peccatis præteritis : ostendendo & confitendo, nos nullum bonum ex propriis viribus posse facere, nec peccatum vitare sine auxilio & gratiâ Dei : & hoc idem ordinavit Ecclesia fieri in *Completorio* : quia ante orationem dicit ultimam partem hujus cantici, scilicet : *Dignare Domine nocte ista sine peccato nos custodire. Miserere nostri Domine &c.*

Nota.

Ex

Ecclesia ex hoc Cantico accepit arma.

Ex quibus patet, quòd ex hoc Cantico accepit Ecclesia arma quotidiana matutina & vespertina ad pugnandum contra diabolum. Quæ quidem arma tria faciunt. Nam primò inclinant Deum ad misericordiam & gratiam conferendam, postquam nos humiliamus, confitentes nos esse fragiles, & insufficientes ad malum vitandum, & bonum agendum, & confitemur nos esse filios prævaricatorum. Secundò, fugamus diabolum à nobis, & vires ejus comprimimus. Tertiò, eliminamus & extinguimus venenum & pestiferam doctrinam Pelagianorum, quæ totum contrarium suadebat, & totam Religionem Christianam infecerat & turbaverat. Unde etiam Ecclesia propter eandem causam ordinavit alias *Preces* post Primam, scilicet, *Pretiosa in conspectu Domini &c.* usque ad *Capitulum*, scilicet, *Dominus autem dirigat corda & corpora nostra*: quæ verba, si bene considerentur & contemplentur omnia, petunt divinam misericordiam, & gratiam, & auxilium divinum, ut valeamus implere divina præcepta, & vitare peccata, & facere bona opera, confitentes nos nihil boni ex nostris viribus posse facere. Et sic exinde Ecclesia semper processit ordinando nova officia, & novas Orationes, in quibus petimus divinum auxilium.

Gelasius ordinavit cătare istum canticum.

Unde dicitur, quòd sicut primus qui ordinavit *Antiphonas* ad cantandum cum Psalmis in Ecclesia, fuit *Ambrosius*, & ordinavit hymnos feriales, & divisit Officium Matutinale in duas partes, scilicet, psalmodiam & laudes: ita primus qui fecit *Responsa*, quæ cantantur post Psalmos in quolibet Nocturno, fuit *Augustinus*. *Gelasius* autem *Papa* paulò post *Augustinum* ordinavit, ut canticum *Augustini*, scilicet, *Te Deum laudamus*, cantaretur post tres nocturnos ad *Laudes*. Est verum quod *Beatus Ambrosius* jam ordinaverat, quòd istud Canticum cantaretur in *Ecclesia Mediolanensi*: sed *Gelasius* postea præcepit, ut cantaretur per universam Ecclesiam. Postea iste *Gelasius* ordinavit multa alia particularia officia Ecclesiastica: & ordinavit ut ante *Canonem Missæ* cantaretur alia particula hujus cantici, scilicet, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Et ad hoc ordinavit & confecit illam *Præfationem* communem, quæ quotidie cantatur in Missa, scilicet, *Verè dignum & justum est &c.* quæ quidem Præfatio nil aliud facit, nisi quòd recitat & declarat quod *Augustinus* dixit in hoc Cantico, scilicet, *Tibi omnes Angeli, & Cherubim, & Seraphim incessabili voce proclamant: Sanctus &c.* Postea autem venit *Gregorius*, qui composuit aliquas *Præfationes*, festivitatibus solemnibus appropriatas. Et etiam confecit multa alia Officia Sanctorum, tàm propria, quàm communia, quæ hodie cantat Ecclesia. Ex quibus patet, qualiter universalis Ecclesia Latina ex isto Cantico sumpsit modum laudandi Deum in Missa: quia simul cum Ecclesia triumphanti ista Ecclesia cantat, *Sanctus, Sanctus &c.* Et sic ex illo Cantico accepit modum Latriæ. Item ex isto Cantico accepit & assumpsit arma quotidiana contra diabolum fugandum, & modum inclinandi Deum ad misericordiam, & gratiam impetrandam, quando dicit: *Dignare Domine die isto*: quæ est septima utilitas hujus Cantici.

Octavus fructus: Canticum istud nos cives sanctorum efficit.

Octava utilitas & fructus hujus Cantici est: quia nos concives Sanctorum & domesticos Dei efficit: & istam Militantem Ecclesiam cum superna & Triumphanti consociat. Unde dictum fuit per *Augustinum* in prima parte hujus Cantici: *Tibi omnes Angeli &c.* Ubi ostendit quòd omnes Angeli *incessabili voce proclamant &c.* Et hoc idem cantat Chorus Apostolorum, & Prophetarum, & Martyrum in societate eorum: prout subdit *Ambrosius*, cum dicit: *Te gloriosus Apostolorum chorus*: Et hoc cantat tota Ecclesia per totum orbem terrarum, prout *Augustinus* subdit: *Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia &c.* Ex quibus concluditur, quòd sicut Chorus Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & omnium Beatorum sociatur cum Angelis in gloria ad confitendum mysterium Trinitatis, cantando, *Sanctus &c.* ita pariter ista Ecclesia toto orbe diffusa, sub eadem confessione consociatur cum Cœlesti, cantando *Sanctus &c.* Et sic quantum ad confessionem Trinitatis eadem est Latria hujus Ecclesiæ & illius Cœlestis, sicut ibi dictum fuit.

Et ideo *Gelasius Papa* ampliator divinorum Officiorum, qui fuit valde devotus huic Cantico, ordinavit, ut in omnibus festivitatibus cantaretur in officio Matutinali, finito tertio Nocturno: ut ista Ecclesia consociaretur cum superna cantando, *Sanctus, Sanctus* &c. Item, ut per istud Canticum ostenderet, quòd tota Ecclesia est eadem cum illa ratione finis & termini, in quantum ista est via in illam: & quòd laudat unum solum Deum in trinitate cum illa. Et ideo ex isto Cantico accepit *Præfationem*, quam cantamus ante Canonem Missæ. Unde licèt *Ambrosius* & *Augustinus* ordinassent in suis Ecclesiis alias longas Præfationes, ut patet in *Ecclesia Mediolanensi*: tamen *Gelasius Papa* ordinavit unam brevem & communem Præfationem, quam quotidie cantat Ecclesia in Missa: in qua nil aliud dicit, nisi quòd explicat totam illam partem hujus Can-

Cantici, scilicet, *Tibi omnes Angeli:* usque ad illam exclusivè : *Tu Rex gloriæ Christe.* Unde ait : *Sursum corda,* A id est, relictis rebus mundanis elevate corda vestra, & simul cum Angelis & Beatis agamus gratias Deo nostro : quia verè dignum est semper & hîc & ubique, tàm in terra, quàm in cœlo cum Angelis gratias agere. Ideo conversa Ecclesia ad Deum Patrem, dicit : O *Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus*, nos omnes precamur te *per Christum* Filium tuum & *Dominum nostrum, per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates* eandem majestatem tuam : *cæli, cœlorum que Virtutes, ac beatam Seraphim* sub quadam *fòcia* & B concordi *exultatione concelebrant*, & colunt, & venerantur eandem majestatem tuam : *cum quibus & nostras voces ut* admittas supplices deprecamur, id est, supplices te precamur, ut tu admittas, & velis audire, & sucipere nostras voces simul cum illis, id est, cum vocibus illorum, scilicet, Angelorum : quasi dicat: Sicut in cœlo suscipis & admittis voces illorum dicentium, *Sanctus, Sanctus &c.* ita deprecamur, ut simul cum eis *fòcia exultatione* admittas nostras voces simul cum eis dicentes : *Sanctus &c.*

Unde advertant Sacerdotes & Religiosi : quòd constructio hujus Præfationis est valde intricata, propter longam seriem & dependentiam : quia tota ejus constructio dependet ab illo verbo *deprecamur*, & impeditur conclusio in C parte propter illud relativum, scilicet, *cum quibus.* Et ideo hæc magis declaravit postea Beatus *Gregorius* in suis particularibus pro solemnibus Festis : in fine quarum communiter dicit : *Et ideo cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ canimus sine fine dicentes, Sanctus &c.* Ex quibus patet, quòd tàm *Gelasius*, quàm *Gregorius* simul cum tota Ecclesia ex isto Cantico sumpserunt hanc Præfationem, quam cantamus quotidie in Missa simul cum hac confessione Trinitatis, dicendo, *Sanctus &c.* Item ostendit, Ecclesia ista, quòd non separata sed si- D mul sociata cum illa Ecclesia Beatorum *fòcia exultatione* intendit cantare, *Sanctus, Sanctus &c.* sub eadem confessione mysterii Trinitatis : & sic intendit confiteri, & cantare per fidem, quod illa Ecclesia confitetur & cantat per gloriam & claram visionem : & ostendit etiam ista Ecclesia, quòd non cantat hoc Canticum tamquam terrena, sed sursum à terrenis cum illis elevata, tamquam cœlestis. Ex quibus patet, quòd istud Canticum nos facit cives Sanctorum & Dei domesticos : & facit istam Ecclesiam cum illa cœlesti consociam. E

Et hoc etiam ostenditur per quandam revelationem & visionem factam cuidam Sanctimoniali in *Saxonia.* Unde legitur in *Ecclesiastica Historia Germanorum :* quòd in *Saxonia* erat, & adhuc extat quoddam magnum Monasterium, in quo laudabat Deum & vivebat in vita sanctissima & honestissima magna multitudo Sororum : inter quas erat quædam devotissima juvenis, quæ ex jugi abstinentia vigil, quotidie surgebat ad Horas Matutinas, & continuè sequebatur Horas Nocturnas in Choro. Et ideo ex multis laboribus erat multis infirmitatibus afflicta, & tamen propter hoc non F cessabat interesse omnibus Horis, tàm nocturnis, quàm diurnis ; in tantum quòd quadam nocte cum esset in Matutinis, & jam Chorus esset in fine tertiij Nocturni quasi in nona Lectione : tunc illa Monialis incœpit deficere præ debilitate, & venire quasi in syncopim. Quòd videns *Abbatissa*, præcepit ipsi, ut iret ad cellam suam, & quiesceret. Ipsa autem Monialis rogabat vehementer Abbatissam, ut permitteret eam stare in Choro, usque quò diceretur hoc Canticum, scilicet, *Te Deum laudamus.* Abbatissa verò noluit annuere ejus precibus, sed præcepit ipsi in meritum sanctæ obedientiæ, ut iret ad cellam suam. Tunc illa velut obediens egressa est Ecclesiam; sed mansit in claustro juxta portam Ecclesiæ, ut audiret *Te Deum laudamus,* G ne perderet illam consolationem. Sed cum Chorus inciperet cantare, *Te Deum laudamus*, ipsa elevavit oculos ad cœlum, ut simul ageret gratias, & laudaret Deum cum aliis Monialibus : tunc autem elevata & rapta in spiritu, vidit, qualiter incipiendo hoc Canticum, scilicet, *Te Deum laudamus*, illico apertum fuit cœlum. Et quando Chorus cantabat : *Tibi omnes Angeli : tibi cœli &c.* Vidit qualiter omnes Angeli & Throni & Dominationes, & Cherubim & Seraphim, & omnes ordines Angelorum prostrati & inclinati adorabant ante Thronum Trinitatis, & laudabant Deum Trinum & unum, & Agnum sedentem H à dextris Patris, omnes dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Item, quando Chorus incœpit cantare : *Te gloriosus Apostolorum Chorus*, vidit, qualiter Chorus Apostolorum procidentes in facies suas ante Thronum cantabant idem Canticum dicentes, *Sanctus &c.* Item, quando Chorus incœpit dicere : *Te Prophetarum laudabilis numerus*, vidit, qualiter omnes Patriarchæ & Prophetæ veteris Testamenti procidentes in facies suas cantabant idem Canticum ante Thronum Majestatis. Item, quando Chorus incœpit

Exemplù notàdum.

pit dicere : *Te Martyrum candidatus laudat exercitus*, tunc vidit turbam magnam Martyrum, & Confessorum, & Virginum, & omnium Justorum, qui omnes prostrati in facies suas ante Thronum dicebant : *Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia, Patrem &c.* Tunc vidit, qualiter totus ille Chorus monialium ascendit in cœlum, & omnes illæ Sorores mixtæ simul cum Angelis, & Apostolis, & Martyribus, & omnibus Beatis *socia exultatione* cantabant, *Sanctus, Sanctus &c.* & sic finierunt Canticum usque ad illum versiculum: scilicet: *In te Domine speravi &c.* quo Cantico finito cœlum clausum est, & nil aliud vidit.

Tunc illa putans quod Abbatissa simul cum toto Choro Monialium mansisset in cœlo clauso, reversa est velociter ad Chorum : sed videns quod Chorus incipiebat dicere : *Deus in adjutorium* pro Laudibus dicendis, vehementi admiratione obriguit, & incœpit dicere & interrogare, quomodo ita velociter descendisset de cœlo. Sed cum Abbatissa cum cæteris Monialibus hæc reputarent deliramentum ; ipsa magis asserebat vidisse supradictam visionem.

Postea autem non post multos dies cum sanctimonialis illa venisset ad articulum mortis, dixit Abbatissæ & omnibus Sanctimonialibus, ut essent, & starent attentæ cum devotione in Choro cum hoc Canticum cantatur in Choro, tàm in Missa, quàm in Matutinis, quia voces Fidelium ascendunt in Cœlum, & simul cum vocibus Angelorum, & omnium Beatorum socia exultatione laudant Deum : quia quando cantatur hoc Canticum consociat istam Ecclesiam cum superna.

Ex supradictis ergo patet, qualiter *octo fructus* attulit nobis Canticum istud, propter quod tota Ecclesia suscepit illud cum tanta celebritate & devotione, & præcepit ipsum cantari in Matutinali Officio. Primò, quia instruit fideles in omni Catholica veritate. Secundò, quia instruit Ecclesiam in his quæ ad fidem sunt necessaria. Tertiò, destruit omnem hæreticam pravitatem. Quartò sufficienter hominem justificat per trinam confessionem. Quintò, Deum delectat & satisfacit per Latriam servitutem, & gratiarum actiones. Sextò, impetrat misericordiam. Septimò, confert arma quotidiana ad pugnandum contra diabolum. Octavò consociat istam Ecclesiam cum superna, prout per singula est declatum. Deprecanda ergo est nobis divina clementia, ut sicut hoc Canticum in hac Ecclesia cantamus per fidem ; ita simul cum Beatis mereamur cantare ipsum in patria per claram visionem & fruitionem & gloriam. Ad quam nos perducat Rex gloriæ Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum.

Amen.

TRACTATUS CONTRA JUDÆOS

EDITUS PER REVERENDISSIMUM DOMINUM DOMINUM JACOBUM DE VALENTIA EPISCOPUM CHRISTOPOLITANUM.

PROOEMIUM.

POSTQUAM expleveram Commentarios in Libros Psalmorum, relatum est mihi quosdam Judæos ægrè tulisse & murmurasse propter ea quæ dicta sunt in Expositione *Psal.* 39. & 49. & 50. & in plerisque locis; scilicet, qualiter Lex Moysi fuerat mortua, & impleverat cursum & officium suum in adventu Christi: eò quòd non fuit data gratiâ sui, sed in signum Christi futuri, & Legis Euangelicæ. Et dictum fuit, qualiter omnia promissa in Lege & Prophetis erant spiritualiter intelligenda: quæ omnia fuerunt completa in Christo vero Messia in lege promisso. Et dictum fuit, qualiter cessante Lege Moysi quoad officium & figuram succesit Lex Euangelica, tamquam veritas illius; eò quòd tota Scriptura Legis & Prophetarum fuit verificata per Christum, & Legem ejus Euangelicam. Quod audientes Judæi quidam moderni ingenti fremitu & conatu incœperunt instare, & conari probare totum oppositum per authoritates Sacræ Scripturæ. Quamobrem compulsus sum ab amicis meis Compresbyteris, Judæorum ineptiis & frivolis argumentis brevi tractatu respondere.

Sed detinent Judæos in sua perfidia.

Unde est advertendum quod sex sunt quæ detinent Judæos modernos in sua perfidia & obstinatione. Primò quia putant Legem Moysi fuisse datam gratiâ sui, non propter alium finem. Secundò, quia putant, ipsam in æternum duraturam. Tertiò, quia putant illam terram Chanaam & Hierusalem cum omnibus fructibus suis esse eis promissam, & datam in præmium præcisum pro observantia Legis. Quartò, quia putant quòd Messias in Lege promissus debebat eos liberare ab omni captivitate temporali, & reducere eos in illam terram Chanaam. Et ideo non credunt, Jesum Christum fuisse verum Messiam: sed expectant alium, qui debeat eos liberare. Sextò putant Legem Euangelicam esse imperfectam & omninò contrariam Legi Moysi, & esse sacrilegam & falsam: ideo eam nolunt sequi, nec recipere. Et ideo in præsenti Tractatu movebuntur quinque Quæstiones cum argumentis Judæorum; quibus absolutis videbitur manifesta deceptio & cœcitas eorum, & solventur omnes objectiones & rationes eorum adductæ contra veritatem nostram. Quarum erit

Prima: Utrum omnia legalia debuerunt cessare tamquam mortua per adventum Christi?

Secunda: Utrum Sabbatum legale debuerit cessare, & celebrari dies Dominica?

Ter-

Tertia : Utrum terra Chanaam A *materialis cum ſuis fructibus fuit præcisè promiſſa filiis Iſrael in præmium præciſum propter obſervantiam legis?*

Quarta : Utrum Jeſus Chriſtus, quem nos recepimus , fuerit verus Meſsias in Lege & Prophetis promiſſus & expectatus?

Quinta : Utrum ceſſante Lege Moyſi debuerit ſuccedere Lex B *Euangelica , quam Chriſtus tulit & prædicavit.*

IN quibus quidem Quæſtionibus primò adducentur rationes, & authoritates, quas Judæi adducunt in contrarium. Secundò , in deciſione Quæſtionis declarabitur veritas , & verus ſenſus authoritatum inductarum , confirmando fidem & veritatem noſtram , & ea quæ dicta ſunt in Expoſitione Pſalmorum. Tertiò autem reſpondebitur ad argumenta eorum.

Quæstio Prima.

C

QUantum ergo ad primam Quæſtionem , in qua quæritur : *Utrum Lex Moyſi fuerit mortua , & debuerit ceſſare per adventum Chriſti?* Arguunt Judæi moderni , quòd nullo modo debuit ceſſare : & arguunt primò ſic.

Illa lex numquam debuit ceſſare, quæ ſufficienter fuit à Deo inſtituta ad juſtificandum hominem , & tollendum omne peccatum : Lex autem Moyſi eſt hujuſmodi : Igitur numquam debuit ceſſare. Major eſt nota de ſe. Minor probatur per diſcurſum legis. Nam circunciſio data eſt in remedium , & ad tollen- D dum originale , *Geneſ.* 17. ubi dicitur, quòd *caro quæ circunciſa non fuerit , peribit anima illius de populo ſuo &c.* Et ideo quando Sacerdos , ſive *Rabinus* circuncidit puerum , dicit hæc verba, ſcilicet: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui per iſtam circunciſionem liberavit iſtum puerum de inferno.* Et ſic patet quòd Deus jam dedit circunciſionem Abrahę ad tollendum peccatum originale. Item, Deus in Lege præcepit offerri holocauſta & ſacrificia pro peccato Sacerdotis, & pro peccato populi , *Levit.* 9. immò ordinavit ſacrificia & oblationes juxta diſ- E ferentiam & conditionem peccatorum, ut patet per totum diſcurſum *Levitici.* Ex quibus patet quod legalia ſufficienter tollebant peccata : Ergo numquam debuerunt ceſſare.

Secundò arguunt : quòd Lex Moyſi, ſive illa legalia , numquam fuerunt mortua cum Chriſto. Nam illa quæ ſunt æterna , & data ſub fœdere æterno, ſunt immortalia : Sed omnia legalia ſunt data ſub fœdere ſempiterno : Ergo ſunt immortalia ; & per conſequens numquam fuerunt mortua. Major patet. Minor probatur per ſingula. Nam primò Circunciſio data fuit Abrahæ ſub fœdere ſempiterno , *Geneſ.* 17. Item eſus agni paſchalis fuit præceptus cum eſu azymorum in F cultum æternum , *Exod.* 12. Item , immolatio agni matutini , & veſpertini fuit mandata ſub oblatione ſempiterna, *Exod.* 29. Item , præceptum Sabbati , in ſignum , pactumque ſempiternum , *Exod.* 31. Item , celebritas Paſchæ & Pentecoſtes , & cæterorum feſtorum , in legitimum ſempiternum , *Levit.* 22. & 29.

Tertiò arguitur ſic : illa lex non debet ceſſare , quæ fuit promiſſa ſub jurejurando , & pacto ſanguinis effuſi : Lex autem Moyſi eſt hujuſmodi : Igitur non poteſt ceſſare. Major probatur. Nam aliter Deus eſſet cauſa tranſgreſſionis juriſjurandi. Minor patet *Exod.* 24. ubi totus populus congregatus dixit : *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus , & G erimus obedientes.* Unde Moyſes occidit duodecim vitulos juxta numerum tribuum Filiorum Iſrael : & dimidiam partem ſanguinis aſperſit ſuper altare , & alteram partem aſperſit ſuper populum , dicens: *Hic eſt ſanguis fœderis , quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his &c.* Ex quibus patet , quòd ſicut populus ſub fœdere ſanguinis promiſit ſervare legem in æternum : ita Deus ſub eodem fœdere promiſit numquam mutare legem.

Quartò arguitur ſic. Illa lex non poteſt ceſſare , nec mutari , cui nihil poteſt addi , nec diminui. Lex autem Moy- H ſi eſt hujuſmodi : Igitur &c. Major patet. Minor patet *Deuter.* 4. ubi Dominus dicit : *Non addetis ad verbum quod loquar vobis , nec auferetis ex eo &c.*

In oppoſitum eſt *Hier.* 31. *In diebus illis feriam domui Jacob fœdus novum ; Non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum , quando eduxi eos de terra Ægypti. Sed dabo legem meam in cordibus hominum , & in viſceribus eorum ſcribam eam &c.* Ex quibus patet , quòd illa lex data poſt exitum Ægypti , debebat ceſſare , & alia nova

succedere : quia quod seneſcit, neceſſe eſt ad interitum tendere , ad *Hebr.* 8.

Reſpõſio. Reſpondeo. In hac Quæſtione erunt *tres articuli.*

Nam in primo videbitur : an opera Legis poterunt per ſe tollere peccatum, & juſtificare hominem ſimpliciter?

In ſecundò videbitur : an omnia legalia & cærimonialia fuerunt ſimul mortua cum Chriſto?

In tertiò videbitur ; per quem modum legalia data fuerunt ſub fœdere ſempiterno.

§. I.

Quantum ergo *ad primum Articulum* eſt præadvertendum , quod ad hoc quod aliqua Lex verè juſtificet hominem ſimpliciter , oportet primò , quod tollat peccatum & liberet hominem à ſervitute peccati,& à debito. Secundò , quòd reddat ipſum charum & acceptum , & dignum vitâ æternâ : & tunc homo dicitur verè juſtificatus, quia dignè meretur vitam æternam. Quia ergo homo propter peccatum originale erat privatus vitâ æternâ ; & propter actuale erat obligatus ad pœnam ſenſûs æternam in inferno ; & per conſequens propter utrumque peccatum erat in odio & ira Dei : ideo opertebat primò abſolvi ipſum , & purgari ab utroque peccato. Secundò reduci in gratiam Dei , & gratificari ad vitam æternam conſequendam. His habitis , ponitur

Prima Conclusio.

CIrcunciſio non poterat hominem de ſe abſolvere à peccato originali & ſervitute , & reducere ipſum in gratiam Dei , & facere ipſum meritorium & dignum vitâ æternâ. Licèt autem iſta concluſio ſit probata *Pſalmo* 39. tamen hîc ſpecialiter probatur primò ſic. Numquam minima & vilior pars hominis poteſt eſſe ſufficiens pretium ad abluendum totum hominem à ſervitute & condemnatione peccati , ad quod totus homo quoad corpus & animam obligabatur : ſed illa pellicula quæ ſcindebatur , & ille modicus ſanguis , qui effundebatur in circunciſione erat minima pars corporis & viliſſima reſpectu animæ : Ergo non erat ſufficiens pretium pro toto homine , maximè quoad animam ; & per conſequens non poterat eam redimere , nec liberare à debito. Secundò ſic. Totus ille homo erat obligatus ad ſervitutem peccati, & erat in ira Dei quoad corpus & animam : Ergo illa particula & pellicula, & ille modicus ſanguis ita erat obligatus peccato ; & erat in ira Dei , ſicut totus homo : Ergo non poterat ſatisfacere pro peccato totius , nec reducere in gratiam Dei , nec mitigare iram Dei. Oportebat ergo quod illud pretium eſſet ſufficiens , & Deo gratum & acceptum. Et ſic patet , quòd illa circunciſio non poterat de ſe ſatisfacere , nec liberare hominem à peccato.

Secunda Conclusio.

NEC animalia in Lege immolata & ſacrificata , nec cætera Sacramenta Legis veteris poterant pro peccato ſatisfacere , nec hominem à peccato mortali liberare. Probatur. Nam illa ſacrificia & ſacramenta non continebant in ſe tantum pretium , ut poſſent ſolvere pro peccatore , cùm eſſent animalia bruta: & per conſequens non poterant Deum placare , & peccatorem Deo reconciliare. Nam pretium ſatisfactivum & placativum debet eſſe de per ſe Deo gratum, & debet tenere medium inter Deum & hominem peccatorem : & per conſequens debet eſſe melius quocumque homine , & minus Deo : & de per ſe tam bonum & purum , quòd ſit Deo ita charum & acceptum , quòd ejus medio & interceſſione Deus moveatur ad miſerendum & remittendum debitum peccatoribus , & toti populo : ſed omnia animalia in Lege occiſa erant minora & inferiora hominibus in pretio & dignitate, & ſic nullum conveniens & ſufficiens pretium in ſe continebant : Ergo non poterant hominem juſtificare in propria virtute. Hanc autem Concluſionem probat Apoſtolus *ad Rom.* & *ad Galathas*, & *ad Hebræos* per totum dicens : quòd non ex operibus Legis ſalvabitur omnis caro &c.

Tertia Conclusio.

SOLA paſſio Chriſti fuit ſufficiens pretium ad ſatisfaciendum pro peccato, & ad juſtificandum omnem hominem ad merendum vitam æternam. Probatur. Nam ſolum illud ſacrificium erat ſufficiens ad redimendum totum genus humanum , quod in ſe continebat pretium infinitum , & erat de ſe liberum & immune , & nulli peccato obnoxium , & de per ſe Deo charum & acceptum , tenens medium in dignitate inter Deum & hominem : Chriſtus autem eſt hujuſmodi : Ergo hoc ſacrificium & ejus paſſio fuit ſufficiens ad redimendum omnem hominem ab omni peccato. Major patet per ea quæ dicta ſunt. Minor probatur. Nam Chriſtus erat primò Deus & homo: Er-

Paſſio Chriſti ſola fuit ſufficiens ad juſtificandum.

Ergo licèt in quantum Deus esset æqualis Patri : tamen in quantum homo erat minor Patre , & melior omni homine in A dignitate & virtute : & sic erat sufficiens mediator ; & pretium ejus infinitum in valore ratione divinitatis. Et in quantum homo erat liber ab omni peccato in natura , & in persona. Et sic erat conveniens oblatio propter puritatem & innocentiam : & erat Deo charum & acceptum sacrificium propter immensam charitatem & obedientiam : ut dictum est *Psalm.* 39. Ergo sequitur , quòd ejus passio fuit Deo chara & accepta , & sufficiens ad placandam iram Dei , & reconciliandum genus humanum cum Deo & satisfaciendum pro peccato.

B

Quarta Conclusio.

Sacramenta novæ Leg. possunt tollere peccatum.

SOLA Sacramenta novæ Legis de se possunt tollere peccatum , & conferre gratiam , & justificare hominem. Probatur. Nam sola Sacramenta novæ Legis sunt instrumenta realiter continentia virtutem & pretium passionis , instituta ad tollendum peccata , & ad conferendum gratiam , & justificandum hominem : Ergo &c. Hoc probatur. Nam causa quare sacrificia & Sacramenta veteris Legis de per se non poterant hominem justificare , nec per se tollere peccata , erat : quia non continebant realiter Christum , nec pretium passionis ejus : Sed Sacramenta novæ Legis : aut C continet realiter Christum , sicut Eucharistia : aut continent pretium , & virtutem passionis ejus , sicut Baptismus , & Confirmatio , & Pœnitentia , & cætera Sacramenta ; & ideo illico efficiunt & conferunt gratiam invisibilem , quam visibiliter significant , & illico solvunt pro peccatore ; quia Christus operatur per Ecclesiastica Sacramenta tamquam manuale instrumentum continens virtualiter pretium & thesaurum passionis ejus. Non est autem sic dicendum de sacrificiis & Sacramentis veteris Legis , in quibus non D erat Christus realiter , nec ejus passio: sed solùm tamquam in signo , in quantum illa erant figura Christi in Cruce immolandi. Ideo nec de præsenti efficiebant gratiam quam significabant , nec solvebant pretium redemptionis , quod figurabant per Christum in Cruce solvendum. Non est sic de Sacramentis novæ Legis , quia illico efficiunt quod significant : eò quòd realiter continent pretium passionis Christi. Nam Sacramentum Eucharistiæ , in quo Christus realiter continetur , illico per se confert gratiam recipienti dispositio , & reconciliat ipsum Deo : & omnes pro quibus offertur reconciliat Deo , nisi habeant obicem.

E Et Baptismus illicò solvit pretium passionis Christi pro baptizato , & Pœnitentia pro peccatore pœnitente &c. Et sic ista Sacramenta illico efficiunt hominem dignum vitâ æternâ , & justificant illum. Ideo decedens homo , illico evolat ad cœlum in virtute passinis Christi , quam recepit per Sacramenta. Et sic in Confirmatione illico dantur dona gratiarum Spiritus sancti. Causa ergo quare Sacramenta novæ Legis illico efficiunt quod significant cùm conferuntur , est : quia continent realiter ipsum Christum , aut virtutem & pretium passionis ejus : eò quòd fluxerunt à passione Christi. Et causa quare Sacramenta & sacrificia veteris Legis hoc non faciebant , erat : quia non F continebant realiter pretium & virtutem passionis Christi : quia non fluebant ab ea ; sed significabant passionem Christi futuram.

Quinta Conclusio.

Fides de Christo futuro Patres justificabat.

PER solam Fidem de Christo futuro omnes fideles & Patres veteris Testamenti fuerunt justificati , & à peccatis absoluti. Hanc conclusionem probat Apostolus *ad Hebr.* 11. Unde enumerat omnes principales patres veteris Testamenti incipiens ab *Abel* , probando, quòd omnes illi per Fidem Christi futuri passi sunt persecutiones , & operati sunt justi- G tiam : sed non potuerunt consequi repromissiones , nisi per Christum. Unde omnes illi per Fidem Christi futuri facti sunt membra Christi. Nam licèt Christus nondum venisset ; tamen jam erat eis creditus & jam expectabant redimi ab eo. Et ideo tamquam membra Christi jam meruerunt participare passionem Christi : quia sub tali fide absoluti sunt à peccato. Hanc etiam Conclusionem probat Apostolus *ad Roman.* 4. *& ad Galat.* 3. Nam *Abraham* antequam reciperet Circuncisionem , jam fuerat justificatus , dum erat in pręputio per fidem: eò quòd credidit Deo , quando ad præ- H ceptum Dei exiit de terra sua , & venit in terram Chanaam : & quando suspiciens in cœlum credidit semen suum spirituale multiplicandum per Christum sicut stellas cœli. Et ideo quia credidit reputatum est ei ad justiciam : ut patet *Genes.* 15. Ex quo patet , quòd per solam Fidem Christi futuri salvati sunt Patres veteris Testamenti.

Sexta Conclusio.

QUòd licèt in circuncisione tollebatur peccatum originale in veteri Testamento: tamen non in virtute circuncisionis , sed in virtute Fidei Chris-

Christi futuri. Ista Conclusio habet tres partes. Prima pars est credita toti Ecclesiæ, scilicet, quòd originale tollebatur A in Circumcisione: ut patet per *Augustinum* & *Bedam* & *Magistrum* 4. *Sententiarum dist.* 1. Secunda pars est probata per primam & secundam Conclusionem: quia illa Circumcisio non continebat sufficiens pretium pro peccato, nec ad placandùm Deum, nec justificandum hominem: Ergo sequitur, quòd peccatum in illa Circumcisione tollebatur in virtute Fidei Christi futuri, & in virtute futuræ passionis Christi, sub cujus Fide & protestatione dabatur, & fiebat talis Circumcisio. Et sic est dicendum de sacrificiis veteris Legis, quia licèt in oblatione illorum Sacrificiorum, quæ offerebantur, tollerentur peccata actualia illis, pro quibus offerebantur: tamen non in virtute B illorum sacrificiorum, & animalium brutorum: quia non continebant tale pretium, ut satisfacerent pro peccato & reconciliarent populum Deo pro se: sed talis justificatio fiebat in virtute Fidei, quam habebant offerentes de passione Christi futuri: quæ quidem passio Christi figurabantur per illa sacrificia.

Ista etiam Conclusio probatur. Nam *Abraham* non fuit justificatus per circumcisionem quam accepit, sed per Fidem, quam habuit in præputio. Hoc idem probatur. Nam, ut ait *Josephus Libro Antiquitatum*, Saraceni descendentes ex Ismaele, qui se Saracenos falsò appellant, omnes circuncidebantur, prout C didicerunt à patribus suis: tamen non est dicendum, quòd illa circumcisio conferret eis gratiam: eò quòd nec erat in eis signaculum Fidei, nec dabatur eis sub Fide Christi futuri. Et sic patet, quòd Circumcisio non tollebat peccatum in antiquis, sed fides, cujus illa Circumcisia erant signum, ut patebit. Et ideo Circumcisio antiquorum de se nullius valoris erat ad tollendum peccatum, nisi ratione Fidei conferentis. Ideo erat necessaria fides conferentis. Cujus ratio erat: quia illa circumcisio non continebat realiter merita passionis Christi. Sed secus est de Baptismo, qui realiter continet virtutem & merita passionis Christi. Et ideo in casu necessitatis absque fide ministri D potest conferri. Unde si nullus fidelis reperiretur, tunc in tali casu Hæreticus, vel Schismaticus, vel Judæus potest baptizare, secundùm *Isidorum*. Et patet *de Conse. dist.* 4. *cap. Romanus Pontifex*: Item *capit. sequenti. A quodam Judæo.*

Exemplũ. Item, hoc idem patet de *Athanasio*, de quo legitur *in* 10. *Lib. Ecclesia. Historiæ*. Quòd cum *Alexander* Episcopus Alexandrinus rediret de Ecclesia ad domum cum Clero suo, vidit ludum puerorum filiorum Paganorum & Gentilium, qui in illo ludo volentes Chris- E tianos imitari, constituerunt inter se *Athanasium* puerum decem annorum in Episcopum: qui quidem Athanasius non baptizatus, baptizavit omnes illos pueros in forma Ecclesiæ. Videns autem Episcopus cum Clero illum ludum, vocavit ad se omnes illos pueros, petens, quid sibi vellet ille ludus: pueri autem narraverunt Episcopo totum casum gestum, scilicet, qualiter Athanasius fictus & simulatus Episcopus, eos omnes baptizaverat sub tali forma: tunc Episcopus informatus diligenter de mysterio, determinavit simul cum Clero qualiter omnes illi pueri erant viri Christiani, & non erant iterum baptizandi, postquam F in forma Ecclesiæ erant baptizati licèt à puero non baptizato. Et tunc Episcopus cepit Athanasium, & baptizavit eum, eò quòd non erat baptizatus, licèt alios pueros baptizaverat: & sic Episcopus nutrivit Athanasium in Fide, & Scientia, & Doctrina Catholica; qui postea fuit eximius Doctor & Episcopus Alexandrinus successor sui Magistri. Ex quo patet, quòd non baptizatus & infidelis potest baptizare. Et ratio est ista: quòd merita passionis Christi continentur realiter in Baptismo, & cæteris Sacramentis: non quòd Sacramenta creent gratiam, nec sint causa effectiva ejusdem; sed sunt quasi quædam vasa medicinalia, secundùm *Hugonem*, in quibus continentur virtus & merita passionis Christi. G Et ideo Sacerdos non concurrit ad Sacramenta nisi tamquam Minister. Unde sicut dominus præcipit servo ut sumat scyphum, & hauriat vinum de vegete sua, & det potum cæteris: ita Sacerdos & Minister ex Dei præcepto cum vase, sive scypho Sacramentali haurit merita passionis Christi ex cellario Ecclesiæ, & propinat potum gratiæ & sanctificationis fidelibus Christi. Unde per Baptismum tamquam per scyphum, sive tamquam cum scypho, propinat medicinam contra originale, & per Pœnitentiam contra actuale: quæ quidem medela simul pûrgat & sanctificat & gratificat. Secus autem erat de Circumcisione: quia H non erat sic instrumentum gratiæ: quia non continebat realiter virtutem passionis Christi: sed tamen in signo, in quantum significabat illam.

Non baptizatus potest baptizare.

Septima Conclusio.

Circumcisio non dabatur in pretium pro peccato: sed in signum pretii & pacti, sive in signum fœderis. Prima pars patet per supradicta: quia non continebat pretium passionis Christi, nec

erat

erat manuale instrumentum sanctificandi, nec conferendi gratiam ; nec procedebat , nec fluebat à passione Christi , sed figurabat tantùm ipsam , ut dictum est. Secunda autem pars probatur, *Genes.* 17. ubi dicit Dominus Abrahæ. *Ponam pactum meum inter me & te &c. Circuncidetis carnem præputii vestri , ut sit signum fœderis inter me & vos &c.* Propter quæ verba dicit Apostolus ad *Roman.* 4. & *ad Galat.* 3. quòd *Abraham* non accepit Circuncisionem ad justificationem & gratiam : quia jam ante in præputio per fidem fuerat justificatus ; sed accepit eam in signaculum fidei, & in signum fœderis futuri.

Quintuplex signum Circuncisionis.

Ad cujus intellectum est valde notandum , quòd illa Circuncisio sortiebatur quintuplex signum. Primò signum distinctivum , in quantum distinguebat illum populum à cæteris nationibus per tale signum carnalis Circuncisionis : quia solus ille populus gerebat Circuncisionem in carne. Secundò , erat eis signum figurativum : quia figurabat passionem Christi futuram per effusionem illius modici sanguinis : & figurabat & significabat abscisionem præputii cordis , prout dicitur *Deuteron.* 10. *Circuncidite præputium cordis vestri.* Et sic figurabatur abscisio peccati per abscisionem illius pelliculæ. Tertiò , significabat quoddam censuale tributum. Quartò , significabat fidem conferentis & recipientis , quam habebant de Christo futuro. Quintò, significabat pretium per Christum in Cruce solvendum : & sic erat signum fœderis & pacti,& signum pretii futuri.

Not. istam inductionem.

Ad cujus intellectum est ulteriùs valde notandum , quod signum fœderis & pacti erat simile fœderi & pacto bellatorum & negotiatorum , quod observant inter eos. Exempli gratia. Nam quandoque accidit , quod unus miles capit alium in bello , qui quidem captus de jure belli est servus alterius , & sic est pecuniâ redimendus. Sed quandoque accidit tale peccatum & fœdus inter eos , quòd ille qui est redimendus , promittit victori sub fide & pacto dare pecuniam & pretium redeptionis in tali tempore futuro: sed de præsenti dat ipsi annulum , aut chirographum manu sua scriptum in signum fœderis & pretii futuri solvendi : & sic victor permittit ipsum liberatum abire. Tunc manifestum est, quod ille annulus traditus , sive illud chirographum non fuit solidum pretium redemptionis , sed signum fœderis , & futuri pretii solvendi & promissi. Item , quandoque accidit quod unus mercator emit ab altero equum , vel navem plenam mercibus. Et illico de præsenti tradit ipsi unum ducatum , aut florenum in signum pretiit, ut venditio sit firma & rata : & illico recipit merces , promittens intra mensem vel annum solvere totum pretium. Tunc manifestum est , quod nec emptor dedit, nec venditor acceptavit illum ducatum in solidum pretium , sed in signum fœderis, & in signum pretii solvendi in tempore statuto sub fœdere & pacto inter eos composito : quæ dicitur quædam arrha. Ita ergo pariter in proposito est dicendum , quòd cùm totus homo quoad corpus & animam propter peccatum esset ad mortem & servitutem æternam condemnatus , & in potestate diaboli detentus; oportebat ipsum justo & sufficienti pretio redimi : quod quidem pretium quia totum genus humanum debebat redimere , oportebat ut excederet in valore & dignitate totum genus humanum simul, & esset purum , & naturaliter liberum ab omni peccato , & Deo gratum de per se & acceptum : Sed tale non poterat esse, nisi passio Christi , ut dictum est : Ergo nullum aliud pretium erat sufficiens.

Sed quia misericors Deus ab initio statuerat redimere hominem per Christum & ejus passionem ; ideo fecit pactum & fœdus cum *Abraham* & semine ejus , ut in signum fœderis & pretii futuri per Christum in Cruce solvendi circunciderent se , & omnes posteriores , & de præsenti daret Deo , & offerret illam Circuncisionem in signum pretii futuri per Christum solvendi in Cruce. Unde sicut miles non remittit servum in virtute chirograpi ; nec venditor traddit merces ipsi emptori in virtute illius floreni dati in signum , sed in virtute fidei , quâ promittit solvere in tempore statuto : ita Deus non remittebat peccatum in virtute circuncisionis ; sed in virtute fidei, sub qua dabatur illa circuncisio. Et ideo dicit Apostolus , quòd illa circuncisio non erat nisi signaculum illius fidei & fœderis : quia per talem obedientiam ostendebant fidem , quam habebant antiqui de Christo & ejus passione : & sic sub tali fœdere & pacto illico filii Abrahæ liberabantur , & absolvebantur à peccato.

Ex quibus patet , quòd Deus non receptabat illam pelliculam quæ abscindebatur , nec illum modicum sanguinem qui effundebatur , in solidum & sufficiens pretium pro redemptione illorum: sed in solum signum pretii futuri solvendi per Christum. Et sic etiam patres & fideles veteris Testamenti non dabant illam pelliculam & sanguinem circuncisionis in solidum pretium pro peccato suo ; sed in signum futuri pretii , in quantum promittebant , & protestabantur solvere capita in Christo capite suo , & Redemptore universali : & sub tali pacto & fœdere absolvebantur , & remittebantur de præsenti : sed semper manebant debitores in Christo. Et hoc fuit pac-

pactum & fœdus, sub quo *Abraham* accepit circunciſionem pro ſemine ſuo. Et hoc intendebat dicere Deus : & hoc ſonant verba ejus, cùm dixit : *Hoc eſt pactum meum quod obſervabitis inter vos, & ſemen tuum poſt te : circuncidetur ex vobis omne maſculum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me & vos : & ita maſculus, cujus caro circunciſa non fuerit, peribit anima illa de populo ſuo : quia pactum meum irritum fecit.* Quod declarans *Auguſt. de Civit.* dicit : quòd intelligitur : *Quia irritum fecit pactum Dei quando peccavit in Adam.* Quaſi dicat: anima cujuſcumque hominis peccavit in Adam : quia irritum fecit pactum meum de fructu prohibito non veſcendo ; unde omnis homo manſit ſervus peccati. Ideo pono tecum pactum & fœdus, ut circuncidatur omnis maſculus in ſignum fœderis : & ego accipiam illam circunciſionem, non in pretium ; ſed in ſignum pretii, & in ſignum fœderis : ut unuſquiſque circunciſus promittat ſolvere pretium ſolidum & validum per Chriſtum: & ſub fœdere abſolvam illum à debito ſervitutis, in cujus virtute remitteretur peccatum : aliter autem peribit anima illa : quia ſemper maneret obnoxia peccato primorum parentum. Et ſic patet, quòd talis circunciſio non dabatur, nec fiebat, niſi in fide conferentis & recipientis.

A

B

C

Octava Conclusio.

SICUT illa circunciſio non dabatur in pretium pro peccato originali, ſed in ſignum fœderis & pretii futuri: ita pariter ſacrificia & oblationes veteris Legis non offerebantur in ſolidum pretium pro peccatis actualibus ; ſed in ſignum fœderis, & pretii futuri, in quantum illi promittebant & proteſtabantur ſolvere per Chriſtum. Et ſub tali fœdere & pacto Deus acceptabat illa ſacrificia, & Deus abſolvebat eos à peccato, & debito : quia illa ſacrificia & oblationes non in ſe realiter continebant pretium : ſed ſolùm fiebant in ſignum & figuram. Et ideo data ſunt in quintuplex ſignum, ſicut circunciſio, ſcilicet, in ſignum diſtinctivum, & in ſignum figurativum futuri ſacrificii, & futuræ redemptionis, & in ſignum cenſualis tributi & feudi : quia erat quoddam tributum & cenſus, quem ſolvebant. Quartò, in ſignum fidei, quam de Chriſto futuro habebant. Quintò, in ſignum pacti, & fœderis, & proteſtationis, & pretii ſolvendi per Chriſtum, ſicut dictum eſt.

D

Nona Conclusio.

E

SICUT circunſio, & ſacrificia, & cætera legalia Legis Moyſi non offerebantur in pretium, ſed in ſignum : ita pariter ſacrificia & oblationes ipſius *Abel*, & *Enoch*, & *Noe*, & *Job*, & *Melchiſedech*, & *Abraham*, & aliorum fidelium Legis naturæ, non offerebantur in pretium ; ſed in ſignum fœderis, & pretii futuri per Chriſtum ſolvendi. Et illa ſacrificia erant quædam ſigna fidei illorum, quam de Chriſto futuro habebant. Nam ſecundùm *Auguſt. in lib. Cur Deus homo* : *Deus ipſi Adam promiſit Chriſtum de Virgine naſciturum, & ipſum redempturum, ut ſi de inſtanti miſeria doleret : tum de ſuo, ſuæque poſteritatis remedio jam de longinquo gauderet. Vera itaque ratione dicidimus*, ut inquit *Auguſtinus*, quòd *ab Adam Domini præſtolabatur adventus &c.*

F

Et ſic eſt dicendum, quòd ille Angelus, qui expulit *Adam* de paradiſo, docuit eum modum colendi & exhibendi Latriam Deo, & offerendi ſacrificia in ſignum futuri pretii, & in ſignum futuri ſacrificii Chriſti. Et ſic *Adam* docuit *Abel*, & omnes filios & nepotes. Et ſic ſub tali fœdere *Abel* offerebat agnum ex primitiis gregis, *Geneſ.* 4. & ſub tali fide *Enos cœpit invocare nomen Domini*, qui eſt *Jeſus* Verbum incarnatum. Et ſub tali fide *Enoch* faciendo bona opera placuit Deo, & Dominus tulit eum. *Geneſ.* 5. *& translatus eſt in paradiſum, Eccleſ.* 44. Et ſub tali fide fabricavit Arcam *Noe* ex præcepto Domini : & ædificavit altare, & obtulit de animalibus mundis in ſignum fœderis & pretii futuri, *Geneſ.* 8. Item, ſub tali fide & fœdere *Abraham* exivit de terra ſua, & venit in terram Chanaam ex præcepto Domini, & ædificavit altare in *Bethel*, & obtulit ibi ſacrificium, & invocavit nomen Domini. *Geneſ.* 12. Item, ſub tali fœdere & fide *Melchiſedech* obtulit panem & vinum in ſignum futuri prætii. *Job* offerebat ſacrificia pro peccatis filiorum, *Job* 1. & ſub tali Fide & Spe dixit *Job*, *capit.* 19. *Credo quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſalvatorem meum.* Et ſic patet, quòd patres veteris Teſtamenti, tàm legis naturæ, quàm ſcripturæ ſalvati ſunt per ſolam Fidem Chriſti futuri, in quantum per illam fidem efficiebantur membra Chriſti : & ideo jam participabant merita paſſionis ejus, quibus peccata ſunt remiſſa : & ideo in Chriſto capite ſuo nobiſcum *acceperunt repromiſſiones, ad Hebr.* 11.

G

H

Et

Et sic patet, quòd omnia sacrificia & oblationes patrum, tàm legis naturæ, quàm scripturæ, non erant nisi quædam A signacula fidei offerentium, oblata in signum figurativum, & in signum fœderis & pretii futuri per Christum solvendi: quia omnes protestabantur, & promittebant solvere per Christum pretium solidum & sufficiens. Unde per talia opera profitebantur, & ostendebant fidem quam de Christo habebant: & sic erant signa fidei eorum. Ex quibus omnibus sequitur, quòd Christus in Cruce non solvit pro omnibus præteritis, nisi tantum pro illis, à quibus acceperat signaculum fidei, & signum futuræ solutionis: aut per sacrificia & oblationes factas sub tali fide & protestatione, sicut fue- B runt fideles Legis naturæ: aut per Circuncisionem, & cætera legalia, sicut fuerunt *filii Abrahæ* secundùm promissionem, & *filii Israel*, qui fuerunt sub Lege Moysi, qui non sunt salvati per opera legis tantùm, sed principaliter per fidem Christi futuri, sub cujus fœdere offerebant omnia illa in signum *fœderis, ad Romanos, & Galathas, & Hebræos.*

Decima Conclusio.

POstquam Baptismus fuit institutus per Christum, omnes fideles veteris Testamenti obligabantur baptizari. Probatur. Nam omnes acceperant Circuncisionem in signum fidei, & cum protesta- C tione pretii futuri: Ergo postquam Christus contulerat aquis virtutem regenerativam, & formam Sacramento Baptismi, & Baptismus jam continebat pretium sufficiens, quod illi promiserant solvere in Christo: illico fuerunt obligati solvere totum pretium perfectum per Baptismum, postquam opportunitas aderat. Et ideo licèt *Joannes Baptista* esset circuncisus; tamen fuit baptizatus per Christum; & Christus baptizavit omnes Apostolos, ut creditur, & misit eos ad baptizandum Judæos *in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus*, ut patet *Matth.* 10. & *Luc.* 10. & hoc fecit Christus ad ostendendum, quòd omnes illi non ac- D ceperant Circuncisionem nisi in signum fidei, & in signum fœderis & pretii futuri, & in signum illius Baptismi, in quo erat sufficiens pretium. Et hoc etiam sequitur quod si *Adam*, & *Abel*, & *Abraham*, & *Moyses*, & *David* & cæteri fideles veteris Testamenti vixissent usque ad Baptismum Christi, omnes obligabantur baptizari: quia sub tali fide, & figura, & fœdere receperant illa signacula circuncisionis: aut obtulerant sacrificia, & oblationes in Lege naturæ & Scripturæ: ideo Christus dicitur *agnus occisus ab origine mundi*, *Apocal.* 13.

E Sed contra omnia supradicta arguitur. Nam ut ait *Augustinus*, & patet *quarto Sententiarum distinctione prima:* ex quo fuit instituta Circuncisio in illo populo, hoc valuit magnis & parvulis ad ablutionem originalis veterisque peccati, sicut modò Baptismus. Item, *Beda* dicit, quòd idem faciebat Circuncisio, quod modò facit Baptismus, nisi quod non aperiebat januam regni cœlestis: Ergo sequitur quod Circuncisio per se tollebat, & mundabat originale peccatum.

Ad hæc autem respondetur, quòd tàm *Augustinus*, quàm *Beda* secum por- *Responsio* F tant responsiones suas in dictis suis. Nam dictum est, quòd in Circuncisione tollebatur & remittebatur peccatum originale: sed ex hoc non sequitur, quòd illa Circuncisio esset instrumentum manuale continens virtutem & merita passionis Christi, sicut Baptismus. Et ideo non per se tollebat peccatum, sed in virtute fidei conferentis. Et ideo nullus extra legem poterat conferre, nec ministrare illud Sacramentum in lege veteri. Nec per hoc habetur, quòd illud Sacramentum conferret gratiam: quia si gratia dabatur, non dabatur nisi per fidem conferentium & recipientium Circuncisionem: quia opera legis non justificabant per se, nisi per fidem Christi futuri. Unde hanc Conclusionem probat *Apostolus* per totam Epistolam *ad Romanos*, & G *Galathas* & *Hebræos.*

§. II.

QUantum ad secundum articulum tenebitur iste ordo. Nam primò in generali probabitur, qualiter Lex Moysi fuit mortua simul cum Christo, & per consequens tunc finivit cursum suum, & cessavit ab officio suo. Secundò, hoc idem probabitur particulariter ab unoquoque genere præceptorum, & per omnes partes legis.

Primò ergo est præsupponendum & advertendum, ut dictum est in *Prologo:* *Comparatur Lex vetus ad Euangelicam.* H quòd Lex vetus multipliciter comparatur ad Christum & Legem Euangelicam. Nam primò comparatur sicut motus & via ad suum terminum naturalem. Secundò, tamquam lineæ à circunferentia ad centrum. Tertiò, tamquam accidentia ad subjectum. Quartò, comparat eam *August. contra Adversarium legis & Prophetarum*, sicut officium ad suum finem in artificialibus. Item, quintò *Rabbi Salomon* super *Zachariam* comparat Legem & Prophetas ad Messiam, sicut scientiam ad suum objectum, dicens: quòd om-

omnes Prophetæ non sunt locuti nisi usque ad tempus Messiæ. Sextò, comparatur tamquam signum ad suam veritatem & significatum. Septimò *Apostolus ad Roman.* comparat eam ad Christum tamquam contractum Matrimonialem ad virum. Octavò in *Epist. ad Colos.* 2. comparat eam tamquam contractum & chirographum censuale, & debitorium ad creditorem. Et sic Christus dicitur terminus & centrum & subjectum & objectum totius Legis veteris: & dicitur veritas, & vir, & creditor legis. Propter omnes ergo istas conditiones & operationes probatur, quòd tota lex fuit simul mortua cum Christo.

Lex vetus mortua.

Probatur ergo primò, quòd tota lex fuit mortua, in quantum fuit motus & via ad Christum. Nam habitibus existentibus in materia cessat motus: Ergo postquam lex pervenit ad Christum, cessavit, & fuit cum eo mortua. Item secundò: sicut destructo & sublato centro destruuntur omnes lineæ ad illud centrum terminatæ; eò quòd linea non potest esse sine puncto terminante, cùm sit de ejus essentia: ita mortuo Christo, mortua fuerunt omnia legalia ad ipsum terminata. Item tertiò: sicut destructo subjecto destruuntur & deficiunt omnia accidentia, quæ fundantur in eo: ita mortuo Christo, omnia legalia mortua sunt: eò quòd Christus omnia legalia complevit, & toti legi voluit esse subjectus: quia ideo voluit legi subjici & omnia onera legis super se sumere, ut omnia secum crucifigeret & nos ab onere legis liberaret, *ad Galat.* 4. Item, quartò: sicut habito fine artis cessat officium, & omnia quæ sunt ad finem; ut habitâ sanitate cessant omnia instrumenta medicalia, & omnes medelæ: ita factâ passione Christi cessarunt omnia Sacramenta, & sacrificia, & cætera legalia; quæ non fiebant nisi tamquam officia ad Christum, qui erat finis eorum. Nam omnia illa fiebant in officium figurativum, & ostensivum talis finis. Item quintò: sicut habitâ scientiâ alicujus objecti cessat inquisitio scientiæ de illo objecto: & habitâ, & illatâ Conclusione cessat syllogismus, & cessant præmissæ: Ita ergo adveniente Christo (qui fuit objectum, & conclusio totius Legis & Prophetarum) cessarunt omnia legalia, quæ erant propositiones præmissæ conclusionum Euangelicarum. Item sextò: sicut adveniente significato cessat signum ejus: ita adveniente Christo (qui fuit significatum, & veritas legis & prophetarum) de necessitate cessavit lex & Prophetæ: sicut advenientem navi ad portum, cessat signum quod faciebat speculator de ejus adventu: Et adveniente principio mensis cessavit clamor Kalendarum Romæ, ut patebit. Et ideo postquam omnia figurativa, & dicta Prophetarum sunt impleta in Cruce, dixit Christus: *Consummatum est*, & sic tradidit spiritum: Ad denotandum, quòd omnia cum eo moriebantur, & sic cessavit lex & clamor Prophetarum.

Item septimò: mortua fuit lex cum Christo, in quantum erat quidam contractus debitorius & chirographum censuale obligans illum populum ad Christum. Unde sicut contractus debitorius factus ad vitam creditoris rumpitur, & extinguitur, & annullatur per mortem creditoris: Ita mortuo Christo tota lex Moysi fuit mortua, & extincta, & rasa: eò quòd nihil aliud erat nisi quoddam chirographum censuale & contractus debitorius, in quo totus ille populus se obligaverat servare illam legem, & omnia illa præcepta: quia totus ille populus se obligaverat servare illam legem, & omnia illa præcepta usque ad mortem testatoris & creditoris: quod patet *Exod.* 14. Nam cum Moyses legeret volumen legis, totus populus respondit dicens: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes &c.* Unde tunc Moyses immolavit duodecim vitulos, & tulit medietatem sanguinis, & aspersit super altare, & alteram partem super populum, dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod Dominus pepigit vobiscum super cunctis cœrimonialibus his &c.*

Per quod *Moyses* voluit significare, quòd illud fœdus & pactum & chirographum obligativum non erat solvendum, nisi per sanguinem Christi mediatoris, qui erat futurus Deus & homo. Nam per hoc quod mediam partem sanguinis effudit super altare, voluit significare, quòd Deus cui facta fuit illa obligatio, factus homo erat moriturus, & sanguine aspergendus: sed per hoc quòd aliam partem sanguinis sparsit super populum, voluit significare, quòd Christus pro populo erat moriturus & proprio sanguine effuso ipsum populum erat Redempturus & liberaturus.

Et sic patet quomodo tota *lex Moysi* nil aliud erat, nisi quoddam chirographum, & contractus debitorius usque ad mortem Christi: & per consequens fuit extinctus, & rasus, & ruptus, & mortuus, & crucifixus simul cum Christo: & per consequens nullus jam tenetur nec obligatur ad legalia. Hanc rationem facit Apostolus *ad Colos.* 2. Unde ait: *Cum vos mortui essetis in delictis, convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in seipso. Nemo*

er-

ergo vos judicet in cibo ; aut in potu, aut in parte diei festi , aut Neomeniæ , aut Sabbatorum : quæ sunt umbra futurorum &c. Ex prædictis patet qualiter lex Moysi fuit rasa , & mortua , & crucifixa cum Christo , in quantum erat quoddam chirographum obligatorium , & contractus debitorius : ideo ampliùs nullus obligatur ad observantiam legalium.

Item probatur octavò , quòd Lex Moysi fuit mortua cum Christo , in quantum erat tanquam quidam contractus conjugalis uxoris ad virum. Unde sicut uxor non obligatur ad vinculum conjugale , nisi usque ad mortem viri , per quam mortem absolvitur uxor à vinculo conjugali ipsius viri : ita pariter cùm Deus desponsaverit sibi illam plebem per datione Legis in monte Sinai , & totus ille populus se obligaverit ad illam Legem servandam sub fœdere sanguinis, ut dictum est : ergo per mortem Dei incarnati , qui est Christus , totus ille populus fuit absolutus à vinculo Legis : & per consequens non ampliùs obligatur ad Legis observationem. Unde hanc rationem facit Apostolus *ad Rom. 7.* ubi ait: *An ignoratis fratres , scientibus Legem loquor , quia Lex in homine dominatur quanto tempore vivit. Nam quæ sub viro est mulier , vivente viro alligata est legi : si autem mortuus fuit vir ejus , soluta est à lege viri &c. Itaque fratres mei , & vos mortificati estis Legi per corpus Christi , ut sitis alterius , qui ex mortuis resurrexit , ut fructificetis Deo.* Ex supradictis verbis vult innuere Apostolus , quod ante mortem Christi, finis, & mariti illius populi , totus ille populus obligabatur ad servandam Legem: eò quòd Christus vir ejus adhuc vivebat in corpore mortali : & tanquam mortalis expectabatur in Lege ; ideo usque ad ejus mortem obligabatur : sed mortuo Christo viro suo , jam non obligatur ad vinculum conjugale Legis : quia sub tali conditione ille populus expectabat Christum sponsum suum , ut pro eo moreretur : ut patet per totum discursum Prophetarum. Et sic patet Conclusio, quomodo tota Lex Moysi fuit mortua cum Christo quoad cærimonialia. Sed ista eadem Conclusio probatur particulariter secundùm omnes partes Legis Moysi.

Nota, præcepta Legis Moysi.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd tota Lex Moysi continet in se sexcenta tredecim præcepta: quorum quædam dicuntur *moralia* , & quædam *judicilia* , & quædam *cærimonialia. Moralia* autem sunt illa decem præcepta, quæ fuerunt scripta in duabus tabulis lapideis, ut patet *Exod.* 20. & 21. Et dicuntur *moralia* , eò quòd pertinent ad omnes homines , & omnibus sunt communia: sine quibus homines non possent adinvicem conversari , nec convivere. Dicuntur etiam *moralia* : quia sunt de jure naturæ , & pertinent ad moralem justitiam: quia per ista decem præcepta tribuitur unicuique quod suum est , scilicet , Deo Latria servitus : quod pertinet ad tria prima præcepta primæ tabulæ. Alia autem septem pertinent ad conversationem proximi : & ideo ista decem præcepta moralia sunt immortalia ; eò quòd sunt de jure naturæ , & jam fuerunt observata in Lege naturæ , licèt non fuerint explicita. Et ideo non præcisè pertinent ad Legem Moysi , nisi in quantum ibi fuerunt magis explicita , quia magis pertinent ad Legem naturæ. De sabbato autem quomodo est morale quantum ad substantiam , & cærimoniale quantum ad modum , dicetur in sequenti Quæstione.

Præcepta autem *judicialia* fuerunt data ad correctionem , & punitionem transgressorum : quia aut dirigunt homines ad servanda præcepta moralia: aut puniunt transgressores præceptorum, dando *oculum pro oculo* , & *dentem pro dente* , & *vitam pro vita* : ista autem præcepta judicialia , quia partim erant moralia , & partim cærimonialia , ideo partim mortua sunt cum Christo , ut patebit. In tertio autem ordine sunt , & erant *præcepta cærimonialia* : & dicebantur *cærimonialia* ratione modi agendi & significandi : eò quòd disponebant ad modum colendi Deum. Quæ quidem cærimonialia erant in quadruplici genere : nam quædam pertinebant ad sacra, quædam ad sacramenta , quædam ad sacrificia & oblationes , & quædam ad observancias seu abstinentias.

Sacra dicebantur quinque.

Sacra autem erant illa , quæ ad cultum divinum dedicabantur & sanctificabantur. Et ista erant quinque , secundùm quod quinque sanctificabantur , & dedicabantur ad cultum divinum. Nam primò dedicabantur personæ. Secundò loca. Tertiò tempora. Quartò ornamenta personarum. Quintò utensilia Templi , & loci sacri. Personæ autem dedicatæ , quædam dedicabantur & sanctificabantur ad colendum Deum : & iste erat solus & totus populus duodecim tribuum Israel : quia solus & totus ille populus erat electus ad colendum unum Deum Creatorem omnium. Quædam autem personæ dedicabantur ad ministerium cultus divini , sicut erant Sacerdotes , & Levitæ , & Cantores , & Janitores &c. Et isti erant de sola tribu Levi. Quædam autem personæ sanctificabantur & purgabantur à peccato & immunditiâ , sicut erant peccatores , & leprosi , & menstruatæ &c. ut patet in *Leviticо.* Istæ ergo erant personæ , quæ sanctifi-

rificabantur, & disponebantur ad divinum cultum, & habilitabantur ad ipsum. Loca verò consecrata & dedicata ad divinum cultum, erant Hierusalem & Templum, sive Tabernaculum & Arca. Tempora autem dedicata ad cultum Dei, erat principaliter Sabbatum: exinde festum Azymorum, & Pentecostes, & Tubarum, Expiationis, & Tabernaculorum &c. ut *Levitici* 23. Ornamenta dedicata ad divinum cultum erant ornamenta sacerdotis, scilicet Ephod, Rationale, & Humerale, & Mitra &c. Utensilia autem Templi erant candelabra, & mortariola &c. Omnia ergo ista quinque supradicta: scilicet personæ, loca, & tempora, & ornamenta, & utensilia dicebantur *sacra*, sive *sancta*: eò quòd ad cultum divinum erant consecrata, & sanctificata, & dedicata, & habilitata: quod erat primum genus cærimonialium.

Sacramẽta erant tria.

In secundo genere erant *Sacramenta*, quæ dicebantur illa, quibus sacra consecrabantur. Et ista erant tria. Nam in primò loco erat *Circuncisio*, qua sanctificabantur omnes filii Israel. In secundò erat *unctio*, quâ ungebantur soli Sacerdotes & Reges, ut habetur *Exod.* 30. In tertiò loco erant *purgationes*, & *lotiones*, & *asperſiones*, quibus purgabantur peccatores, & leprosi &c. ut patet in *Levitico*. Quæ dicebantur *Sacramenta*: eò quòd consecrabant & sanctificabant personas & loca &c.

In tertiò genere cærimonialium erant sacrificia distincta, quæ offerebant personæ sanctificatæ in locis sacris: quæ quidem sacrificia & holocausta fiebant ex certis animalibus mundis, ut patet in *Levitico*: ad quod etiam genus cærimonialium pertinent oblationes.

In quarto tandem genere cærimonialium ponebantur observantiæ, & abstinentiæ à cibis, & rebus immundis: putà, non comedere porcum, nec anguillam &c. ut patet ibidem. Ad ista ergo quatuor genera reducuntur omnia præcepta cærimonialia: quia aut erant de *sacris* aut de *Sacramentis* aut de *sacrificiis* & *oblationibus*: aut *observantiis* & *abstinentiis*: quæ omnia dicebantur *cærimonialia* in quantum respiciebant, & observabant modum, & personas, & loca, & tempora &c. ad quandam significationem de futuris mysteriis: quia Deus nobiliori, & convenientiori, & digniori modo poterat coli, & placari, ut patebit. Ergo talis cultus totus erat cærimonialis & significativus: quia *cærimonia* non dicit nisi modum, & figuram, & significationem: quia omnis cærimonia, quæcumque sit, fit ad significandum aliud: ut patet in cærimoniis quæ fiunt in servitio & honore regum. His habitis & notatis: ponitur

Prima Conclusio.

OMNIA sacra & sanctificata Legis veteris mortua sunt cum Christo in cruce. Ista conclusio probatur: primò quoad personas, & generationem carnalem personarum, quæ sanctificabantur & dedicabantur. Nam dictum est, quod non circumcidebantur nisi filii Israel; nec ungebantur, nisi Sacerdotes de tribu Levi, & Reges de tribu Juda: sed omnia ista ordinabantur ad Christum tamquam in finem. Et ideo Christus secundùm carnem voluit esse de genere Israel, & Israelita, & circuncisus: & voluit esse de tribu Juda & Levi, propter regnum & sacerdotium: eò quòd illæ duæ tribus conjungebantur in conjugio: Et hoc voluit facere Christus, ut secum crucifigeret generationem carnalem filiorum Israel, & regnum & sacerdotium legale: & sic voluit esse rex & sacerdos. Et ideo cum Christo mortua est generatio carnalis filiorum Israel, & generatio carnalis regum & sacerdotum: & sic mortua est generatio legalis, & regnum & sacerdotium legale cum Christo.

Ex quo sequitur quod Judæi interficiendo Christum interfecerunt generationem Israel carnalem, & regnum & sacerdotium. Et sic ipsimet se privarunt regno & sacerdotio. Item sequitur, quòd cum Christo mortua sunt omnia ornamenta sacerdotalia in Lege scripta, scilicet Ephod, & mitra, & rationale &c. eò quòd talia ordinabantur in ipsum tamquam Sacerdotem, & finem regni & sacerdotii: & sic etiam cum eo fuit mortuum sceptrum regale temporale, eâdem ratione. Et sic ille populus ex tunc fuit privatus regno & sacerdotio, prout prophetaverat *Oseas* 3. dicens: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, & sine sacerdotio.*

Secunda Conclusio.

CUM Christo fuit mortua Judæa & Hierusalem, & Templum cum Arca, & cum omnibus utensilibus, & tota terra Israel. Probatur. Nam Deus elegerat illum populum, ut ex eo nasceretur Messias secundùm carnem: & elegit illam terram Israel, ut in ea Christus prædicaret, & miracula faceret: & illam Civitatem & Templum, ut in ea Legem declararet, & moreretur, & resurgeret. Et propter ista mysteria nostræ redemptionis Prophetæ desideraverunt, & commendaverunt illam terram, & civi-

vitatem , & Templum : eò quòd omnia ordinabantur ad Christum : Ergo omnia mortua sunt & crucifixa cum Christo, A qui erat *finis gratiâ cujus* omnium illorum. Habito ergo fine cessant omnia quę sunt ad finem : & cessant omnia instrumenta , quæ sunt facta propter illum finem.

Item , Christus crucifixus est in Judæa & Hierusalem , tamquam in loco ad hoc deputato & electo : Ergo locus fuit crucifixus cum eo , & sepultus. Hoc probatur ex experientia per ea mysteria quæ facta sunt. Nam terræmotus factus est per universam terram in morte Christi , & monumenta Prophetarum aperta sunt , & Templi velum scissum est , quod cooperiebat Sancta Sanctorum : & sic omnia secreta , quæ ibi latebant , fue- B runt manifestata : ad denotandum , quòd jam Templum illud materiale non amplius erat necessarium : eò quòd omnia signa Legis , & dicta Prophetarum erant in Christo completa &c.

Tertia Conclusio.

CUM Christo mortuum fuit Pascha, & Sabbatum , & omnia tempora Legis ad divinum cultum dedicata. Probatur. Nam Christus fuit crucifixus in die Paschæ & sepultus, & per totam diem Sabbati mansit in sepulchro : Ergo dies Paschæ fuit crucifixus cum Christo & se- C pultus : & dies Sabbati stetit cum Christo in sepulchro. Et sic tàm Pascha , quàm Sabbatum fuit cum Christo ; ita & tempus : eò quòd ad hoc fuit ordinatum Pascha , ut Christus in eo moreretur : & Sabbatum , ut in eo per totam diem Christus in sepulchro jaceret mortuus, & quiesceret. Et sic tàm Sabbatum , quàm Pascha fuit mortuum cum Christo. Et hoc apparet per signum. Nam Christo moriente in die Paschæ , tenebræ factæ sunt per universam terram à sexta hora usque ad nonam : & Sol passus est eclipsim , & luna non dedit lumen : ad denotandum quod Pascha cum omnibus festis legalibus , & cùm tota civitate D Hierusalem & Templo , & cum tota terra Israel tunc fuit eclipsatum , & mortuum : quod verè fuit designatum per illam eclipsim factam præter naturam, & terræmotum. Et sic in eodem die cum Christo fuit Pascha sepultum : & altera die , quæ fuit post Paraseeven , quæ fuit magnum sabbatum , venerunt Judæi ex parte *Pilati* ad sigillandum sepulchrum , & claudendum. Et sic clauserunt , & sigillaverunt Sabbatum in sepulchro simul cum Christo , & mansit Sabbatum sepultum cum Christo.

E

Quarta Conclusio.

PASCHA & Sabbatum Judæorum fuit incineratum , & putrefactum in sepulchro. Probatur. Nam nec Pascha , nec Sabbatum surrexit cum Christo : Ergo manserunt in sepulchro : & per consequens ibi fuerunt incinerata. Nam Christus non surrexit in die Sabbati , sed in die Dominico. Et sic sola dies Dominica resurrexit cum Christo, Pascha & Sabbato manentibus in sepulchro. Unde Christus noluit resurgere in die Paschæ , nec in Sabbato : ad designandum , quòd nec Pascha nec Sabbatum debuit resurgere cum eo : sed am- F bo cum infirmitatibus Christi perpetuò in sepulchro incinerata manere. Ex quibus patet , quòd nec Pascha nec Sabbatum est amplius celebrandum , nec observandum , cùm ambo sint mortua & sepulta , & per consequens incinerata , postquam cum Christo non surrexerunt : sed sola dies Dominica debet coli & celebrari in memoriam Dominicæ resurrectionis : eò quòd sola illa surrexit cum Christo , ut patebit in sequenti Quæstione.

Quinta Conclusio.

G OMNIA Sacramenta veteris Legis fuerunt mortua & crucifixa cum Christo. Probatur. Nam dictum est , quòd omnia Sacramenta fuerunt ordinata ad sanctificandum solos Israelitas : & unctio ad sanctificandos reges & sacerdotes : & lotiones & aspersiones ad sanctificandos coinquinatos : quæ ista omnia ordinabantur ad sanctificationes , quas Christus debebat complere , & facere in cruce. Et ideo Christus voluit sumere Circuncisionem , ut illam in cruce crucifigeret. Et sic Circuncisio fuit crucifixa cum carne Christi : & ibi fuit crucifixa unctio regum & sacerdotum : quia tota persona Christi fuit uncta & tincta cruore & sanguine suo. Et fuit crucifixa H omnis lotio , & aspersio legalis , quæ fiebat ad mundationem peccatorum , & immundorum : quia ibi Christus proprium sanguinem pro immunditia , & pro peccatis omnium effudit , ut lavaret crimina omnium : Quæ quidem effusio & unctio fuit figurata per lotiones & aspersiones Legis veteris.

Sexta Conclusio.

CUM Christo fuerunt crucifixa & mortua omnia sacrificia & oblationes veteris Legis. Probatur. Quia dictum

tum est, quòd omnia illa erant signa & figura hujus sacrificii : Et dictum est, quod illa non offerebantur in pretium, A sed in signum fœderis, & in signum & arrham hujus pretii, quod Christus solvit in cruce pro omnibus præteritis & futuris : Ergo omnes illæ arrhę, & omnia illa signa fuerunt simul mortua & crucifixa cum Christo. Et per eandem rationem fuit mortuus cum Christo esus, sive convivium agni Paschalis, quod non fiebat nisi in figuram, & signum hujus Sacramenti Eucharistiæ, quod Christus instituit in die Jovis sancta. In quo mysterio duo fiebant scilicet immolatio, & esus, sive convivium : ad significandum, quòd Christus, Agnus qui tollit peccata mundi, priùs erat immolandus in ara crucis, postea in Eucharistia spiritualiter epulandus & edendus, sicut B quotidie fit in Ecclesia.

Septima Conclusio.

OMNES observantiæ & abstinentiæ, & discretiones ciborum fuerunt mortuæ cum Christo. Probatur. Quia omnia illa data sunt in figuram abstinentiæ vitiorum : nam per *porcum* significabatur luxuria : & per *gryphum* rapina &c. à quibus figuraliter illi prohibebantur abstinere : quæ omnia erant declaranda per Messiam in Lege promissum, ut patet *Deuter.* 18. sed jam Christus omnia ista declaravit, *Matth.* 15. quando dixit, quòd *non quod intrat* C *per os coinquinat hominem : sed blasphemia, & adulteria, & homicidia, & cætera vitia* & immunda, *quæ exeunt de corde, hæc coinquinant hominem.* Et sic tenent Talmudistæ, quòd Messias, quem frustra expectant, debet eis omnes illas observantias declarare, & licentiare eis porcum, & cætera prohibita.

Octava Conclusio.

OMNIA judicialia præcepta fuerunt completa & mortua cum Christo. Probatur. Nam similiter illa partim erant cærimonialia, in quantum significabant, quòd Christus erat restituturus fructum D ablatum per *Adam*, & in quantum figurabant, quòd Christus erat daturus *dentem pro dente*, & *oculum pro oculo*, & *vitam pro vita* omnium. Nam quia *Adam* ex raptu cibi vetiti totum genus humanum in mortem precipitavit : Ideo Christus restituit fructum in arbore Crucis, cùm seipsum pro illo furto obtulit, & ibi restituit *dentem pro dente*, & *vitam pro vita* : quia totus homo quoad corpus, mortuus est pro ipso prævaricatore, & latrone, & homicida *Adam.* Et sic patet, quòd Christus fuit punitus pro E illo peccato : & in eo fuerunt exercitata, & completa illa præcepta judicialia; & per consequens in eo fuerunt mortua. Et ideo Ecclesia non exercet illa, nec vult punire tali genere suppliciorum, postquam jam Christus complevit illa: sed remittit omnes peccatores ad pœnitentiam, quæ datur loco illorum judiciorum, ut patebit infra.

Nona Conclusio.

LEX Mosayca debuit cessare per mortem & passionem Christi. Hæc Conclusio probatur multiplici ratione & F authoritate. Et primò ratione defectûs virtutis : quia in se non habebant tantam virtutem illa legalia, ut possent tollere peccatum, & justificare, & gratificare hominem ad vitam æternam, ut dictum est in *primo Articulo.*

Secundò probatur ista Conclusio propter Legis limitationem : erat enim illa Lex limitata, scilicet, generatione, loco, & tempore. Nam primò illa Lex non fuit data nisi soli populo Israelitico: & circuncisio non potuit dari nisi solis masculis : & ministerium divini cultus solis Levitis : & sacerdotium solis filiis Aaron. Et sic prima Lex erat limitata ratione unius generationis. Secundò ratione loci : quia non erat servanda nisi G in terra promissionis. *Deuter.* 6. Et agnus Paschalis non poterat immolari, nec edi, nisi in Hierusalem : & sacrificia non poterant mactari, nec offerri nisi in illo Templo, *Deuter.* 16. Et sic patet defectus libertatis, & universalitatis illius Legis, & per consequens non erat condignus cultus Latriæ debitus divinæ Majestati. Nam sicut Deus est universalis Creator, & Conservator, & Redemptor : ita ipsi debetur Latria per omnia universalis, communis omnibus generationibus, & omnibus locis, & temporibus. Unde si Latria non exhibebatur Deo, nisi in illo Templo : ergo non poterat exhiberi in omni tempore, & in omni hora : Ergo debuit cessare.

Quomodo illa Lex erat limitata.

Tertiò probatur ista Conclusio ra- H tione indignitatis sacrificiorum : nam munera & sacrificia debent esse condigna divinæ majestati, & sapientiæ, & bonitati : eò quòd sub tali ratione debetur Deo cultus Latriæ. Sed illa sacrificia erant divinæ Majestati incondigna, cùm essent oblata & immolata ex animalibus brutis, in quibus pretium erat vile, & impurum. Igitur quærendum erat munus divinæ Majestati condignum, & purum, & pretiosum, & charum de se, & acceptabile, non brutum.

Quar-

Quartò probatur ista Conclusio, in quantum Lex Mosaica non fuit data gratiâ sui; sed in signum futuræ veritatis per Christum adimplendæ: Ergo debuit cessare, quando fuit impleta & verificata per resurrectionem Christi, prout dictum est. A

Quintò probatur eadem Conclusio, in quantum tota Lex Moysi, & omnia legalia mortua fuerunt simul cum Christo, & non surrexerunt cum eo: quia tunc compleverunt officium & cursum suum, & manserunt in sepulchro incinerata: & per consequens perdiderunt suas vires, & suum officium, & per consequens cessarunt: quia propter aliud non fuerant instituta, nisi ad significandum, & in signum pacti & fœderis, & ad ducendum & dirigendum illum populum usque ad Christum, in quo omnia illa erant verificanda, & à quo ille populus erat recepturus veritatem repromissionis: sub cujus fide & protestatione observabat illa legalia. B

Ex omnibus ergo supradictis sequitur corolariè, quod cessante Lege Moysi debuit succedere Lex Euangelica: eò quòd supplet & satisfacit omnibus defectibus Legis Moysi, & verificat omnes ejus figuras, & verificat totam Legem & Prophetas. Nam primò Lex Euangelica explicat fidem necessariam ad nostram salutem per duodecim Articulos: in quibus explicatur trinitas personarum sub unitate & simplicitate unius substantiæ & essentiæ divinæ: & explicat beneficium creationis, & omnia mysteria, & beneficia nostræ redemptionis & glorificationis, propter quæ debetur Deo vera Latria. C

Secundò, Lex Euangelica explicat verum intellectum præceptorum moralium, ut patet *Matth. 5. & 6. &c.* & continet septem Ecclesiastica Sacramenta, quæ in se realiter continent Christum, in quo est tota plenitudo divinitatis sicut est sacrificium Eucharistiæ: aut continent realiter pretium passionis Christi, sicut sunt cætera Sacramenta: & sic possunt mundare hominem ab omni peccato, & ipsum justificare.

Item tertiò Lex Euangelica est universalis, & illimitata: quia Baptismus est communis utrique sexui: & omnia Sacramenta sunt communia omni generi, & omni populo, & linguæ: quia per totum orbem terrarum fuit prædicata: & in ea non est exceptus Judæus, nec Græcus, nec barbarus, *ad Rom. per totum.* Et sic à solis ortu usque ad occasum offertur sacrificium mediatoris pro omnibus, & exercentur omnia Sacramenta. Et hoc sit in omni tempore & hora: nam quando in nostro hemisphærio est nox, in alio est dies: & quando D in nostro hemisphærio est hora nona, aut decima, in altera parte mundi est hora tertiarum &c. & sic nulla est hora nec momentum, quin in aliqua parte mundi offeratur Deo sacrificium & exhibeatur Deo vera Latria: quod non poterat fieri in Lege veteri, quando sacrificium offerebatur in Hierusalem. E

Item quartò, Lex Euangelica supplet totum defectum Legis: quia verificat & complet omnia quæ illa significabat & figurabat, ut dictum est.

Item quintò: quia Lege veteri manente incinerata in sepulchro, sola veritas Euangelica surrexit cum Christo. Ex quibus patet, quòd illa debuit cessare, & ista sucedere, cui nulla altera F Lex est successiva, ut patebit.

Sed licèt ista Conclusio possit probari multiplici authoritate veteris Testamenti: tamen solum adducentur aliquæ authoritates, quæ per Judæos non possunt negari. Unde *Isaiæ 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini supra verticem montium, & elevabitur super omnes colles: Et fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas: & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Ex hac authoritate sequitur G quod totus populus Gentilis erat venturus ad doctrinam Christi Messiæ, & petiturus ab eo doctrinam novam, & Legem novam: quia non dicunt: *Docebit nos vias* Moysi: sed, *Docebit nos vias suas*, id est, Legem suam novam. Secundò sequitur quod præter Legem Moysi, quæ exivit de *Sina*, debebat alia exire de *Hierusalem*, & per consequens illa Lex Moysi quæ exivit de *Sina*, debebat cessare.

Item hoc idem probatur *Jerem. 31.* ubi dicitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum: non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua eduxi eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt: Sed hoc* H *erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam &c.* Ex hac authoritate patet, quòd Messias in Lege promissus aliam Legem novam debebat dare: non scriptam in tabulis lapideis, nec in chartis, sicut fuit Lex Moysi: sed scriptam in cordibus & visceribus hominum per propriam prædicationem.

Hoc idem patet *Daniel. 9.* ubi dicit: post sexagintaduas hebdomadas ab ædificatione secundi Templi *ungetur Sanc-*

Sanctus Sanctorum, & firmabit pactum: hebdomadâ unâ occidetur Christus: & *in medio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in Templo abominatio desolationis: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Et postea: *usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Ex hac authoritate ostenditur manifestè, quomodo Christus erat venturus post quadringentos triginta tres annos ab ædificatione secundi Templi: & quomodo debebat firmare & dare Legem novam, & pactum multis, & non solùm populo Judaico: & quomodo debebat cessare hostia & sacrificium, & per consequens tota Lex Moysi: quod totum videmus esse completum. Hoc idem patet per Thalmudistas, & ea quæ scribuntur in libro *Cambadrin*, & in *studio Eliæ*, quòd sex millium annorum est mundus: duo millia vanitatis, & duo millia Legis, & duo millia Regis Messiæ. Ex quo patet, quòd Lex Moysi non debebat durare, nisi per duo millia annorum, incipiendo à tempore circuncisionis. Ex quo etiam patet, quòd Lex Moysi jam cessavit in Christo prout latiùs patebit in sequenti Quæstione.

A B

Decima Conclusio.

LEgalia non solùm per mortem Christi fuerunt mortua, & inutilia, & invalida, sicut inquit *Hieronymus*; sed & post publicationem Euangelii fuerunt, & sunt mortifera observantibus ea. Prima pars patet per ea quæ dicta sunt: quia omnia fuerunt mortua cum Christo & sepulta, & non surrexerunt cum eo: quia ibi compleverunt cursum & officium suum: quia non fuerunt data gratiâ sui: sed in signum fœderis & pacti, & in signum pretii: & per consequens ibi perdiderunt vires suas, ut inquit *Hieronymus super Epistolam ad Galathas.* Item idem *Hieronymus* ait *super Matth. Homil. de puella resuscitata per Christum*: quòd *nisi priùs mundatæ fuerint manus Judæorum, quæ sanguine plenæ sunt, Synagoga eorum mortua non surgit.* Per quod intendit *Hieronymus*, quòd Synagoga mortua convertetur ad Christum in fine mundi: sed pronuntiato Euangelio, inutilis & invalida manet post mortem & resurrectionem Christi.

C D

Secunda pars probatur per *Augustinum.* Et hoc multipliciter. Primò: quia post mortem Christi Judæi offerunt rem mortuam & putridam & inutilem, observando legalia: ergo talia sunt eis mortifera.

Secundò: quia rumpunt & violant pactum & fœdus: nam illa data fuerunt in pactum & fœdus Christi venturi: firmata per aspersionem sanguinis, in signum quòd per sanguinem Christi erat illa Lex solvenda. Sed jam venit Christus, & aspersit sanguinem suum super populum, prout fuit figuratum *Exod.* 24. & jam solvit pretium pro omnibus: Ergo sequitur quod post pretium solutum, Judæi rumpunt & violant pactum, & contemnunt pretium, & sacrificium pro nobis oblatum. Ergo talia sacrificia, & omnis legalis observantia est eis mortifera: eò quòd fit cum contemptu Dei.

E

Tertiò hoc idem probatur, in quantum per talem observantiam falsificant Legem & Prophetas: nam per talem observantiam negant Christum venisse. Ergo negant & falsificant Legem & Prophetas: qui nihil aliud clamabant & significabant, nisi Christum in carne venturum, & per mortem & passionem mundum redempturum: & sic falsificando Sacram Scripturam, & auferendo verum significatum & veritatem ab ea, faciunt Deum mendacem, qui locutus est in Lege & Prophetis. Et sic non solùm observantia Legis est eis mortifera; sed intelligentia, & falsa glossa, quam dant ipsi Scripturæ, est eis mortifera. Unde dicit *Augustinus de unico Baptismo contra Donatistas*: quòd *in eadem Lege & Scriptura veteris Testamenti Christiani fiunt boni, spiritualiter & bene intelligendo: & Judæi fiunt mali, literaliter & falsò intelligendo: quia littera occidit; spiritus autem vivificat.*

F G

Per observantiam legalium negant Christum venisse.

Quartò, observantia legalium est Judæis mortifera, in quantum est prohibita non solùm per Christum, qui est ille Propheta, quem Deus promisit, *Deut.* 18. qui legem jam declaravit: sed etiam sunt prohibita per Prophetas omnia legalia post Christum, sicut fuit probatum *Psalm.* 29. ubi dicit Christus per os David: *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfeciſti mihi: holocaustum pro peccato non postulasti &c.* Item *Psalmo* 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Item *Isaiæ* 46. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Qui immolat bovem, quasi qui interficit virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offert: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.*

H

Ex dictis in præcedente & isto capitulo patet manifestè, quomodo tempore Messiæ legalia debebant cessare: & quomodo post ejus adventum omnia illa debebant esse Deo abominabilia: sicut homicidium est Deo abominabile. Unde

de dicit, quòd sicut homicidium & sacrificium Idolorum &c. erant tunc prohibita : ita legalia sunt prohibita post A adventum Christi. Hoc idem patet *Malach.* 1. ubi dicit Dominus : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus : & munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Et vos polluistis illud in eo quod dicitis : Mensa Domini contaminata est : & quod supponitur contemptibile est cum igne qui illud devorat &c.*

Ex supradictis patet, quod post Resurrectionem Christi non solum sunt mor- B tua legalia, sed & mortifera : & non solùm cessarunt offerri, sed & sunt Deo abominabilia: & per consequens sunt nobis prohibita : quia ita sunt prohibita sicut in lege erant prohibitæ carnes suillæ, & sicut homicidium, & sicut sacrificium Idolorum, ut patet ex dictis *Isaiæ ;* & per *Malachiam* patet quod omnia legalia sunt immunda post adventum Christi: Ergo sunt prohibita.

Et ostenditur etiam, quòd sacrificia veteris Legis erant insufficientia & imperfecta : eò quòd non poterant offerri, nisi in Hierusalem, & in solo illo populo Israelitico : & per consequens sacrificium generale erat ab omnibus Gentibus C offerendum, & in omni loco, sicut Deus est Creator & Redemptor tàm Gentilium, quàm Judæorum. Et ideo dicit Deus per *Malachiam*, quòd *à Solis ortu usque ad occasum offertur mihi oblatio munda : quia magnum est nomen meum in Gentibus &c.* Item denotat, quòd Judæi post adventum Christi polluunt nomen Domini offerendo sacrificia legalia, & reprehendendo Christianos offerentes sacrificium Mediatoris : per hoc quod ait: *Et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est &c.* Ex pluribus aliis authoritatibus probatur legalia esse prohibita, & Deo odiosa & abominabilia : & per consequens homi- D nibus mortifera post adventum Christi: sed causa brevitatis ista sufficiant.

§. III.

Æternum dicitur æquivocè.

Quantum ad tertium articulum, in quo quæritur de æternitate legis, est valde advertendum, quòd *æternum* in Sacra Scriptura dicitur valde equivocè de diversis. Et ratio est ista. Nam *æternum* dicitur ab ævo, sive ab ætate, quod idem est quod *vita*, sive *esse*: quia vivere viventibus est esse. Et sic *vivere*, sive vita & esse valde æquivocè dicitur de Deo & creaturis : nam Deus est & vivit per suam essentiam : & ideo est sua vita, & sua ætas, & suum esse. Et ideo de- E lo ipso dicitur quod est, *Exodi* 3. *Ego sum qui sum : &, Qui est, misit me ad vos.* Et ubique dicitur in Prophetis: *Vivo ego, dicit Dominus* : quasi dicat : solus ego habeo vitam à meipso, & sum vita mea : omnia autem alia vivunt, quia participant esse & vitam à Deo : ideo non sunt sua vita, nec suum esse, sed dicuntur esse adjectivè : & sic dicuntur vivere sub aliquo respectu, & *secundùm quid*, & non *simpliciter* : quia licèt habeant vitam ; tamen habent ipsam terminabilem & successivam, sicut sunt omnia ista temporalia. Et ideo *esse*, & *vita*, sive *vivere* valde æquivocè dicitur de Deo & creaturis. Nam licèt Angeli habeant totam F vitam simul : tamen habent ipsam terminabilem, & dependentem, & participatam : sed omnia alia dicuntur esse, & vivere successivè sub tempore & motu : ergo etiam vita eorum est magis æquivoca. Sed quia *æternum* dicitur ab *ætate*, quæ idem est quod vita : ideo sicut vita & ætas dicitur æquivocè de Deo & creaturis ; ita pariter & æternum : quia *æternum* nihil aliud est nisi *æquale*, seu *coætaneum* alicui vitæ, aut ætati. Et sic quot sunt ætates & vitæ, tot sunt æternitates : & sicut alia est ætas & vita Dei, & aliarum creaturarum: ita alia est æternitas Dei, & aliarum creaturarum : nam *æternitas Dei est* G *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*, sicut dicit *Boetius* 4. *de Consolatione.* Et æternitas Angeli est sua vita & duratio tota simul, sed terminabilis : & æternitas hominis est sua ætas & vita, non tota simul, sed terminabilis & successiva : & sic unumquodque habet suam ætatem & æternitatem: quia *æternum* dicitur, in quantum est alicui ætati & vitæ coævum & coæquale in duratione. Et sic dicimus quod caput meum est mihi æternum, id est, est mihi æquale in duratione : quia quantum durabit vita mea, tantùm durabit caput meum, & econverso. Et sic dicimus, quòd respirare est mihi æternum, id est, durans per totam vitam meam & H ætatem. Et sic dixit Rex Geth ipsi David : *Eris mihi servus sempiternus*, id est, per totam vitam & ætatem tuam, 2. *Reg.* Et sic *æternum* nihil aliud est nisi res durans, sive durabilis per totam ætatem & vitam, & per totum sæculum alicujus.

Vivere dicitur æquivocè de Deo & creaturis.

Quia ergo Hebræi distinguunt mundum per multa sæcula, sive per multas ætates in sua successione : ergo necesse est ut dividant ipsum per multas æternitates : & tunc aliquid erit æternum, sive sempiternum uni sæculo & ætati, & alterum alteri. Unde quidam distinguunt mundum per tria sæcula, sive ætates:

Nota.

unde scribitur in *lib. Canhadrin* quod legitur *in studio Eliæ, quod sex millia annorum est mundus : duo millia naturæ, & duo millia legis, & duo millia Regis Messiæ.* Aliud ergo fuit æternum primæ ætati : aliud fuit æternum ætati & sæculo legis : & ista fuit circuncisio, quæ duravit per totum illud sæculum & ætatem legis. Et isto modo data fuit circuncisio ipsi *Abrahæ sub fœdere sempiterno*, id est, per totam illam ætatem & sæculum usque ad Messiam, quæ fuit secunda ætas & sæculum mundi, secundùm illam computationem. Et ita pariter dedit & promisit semini suo *terram Chanaam in possessionem æternam*, id est, quòd posset eam per totum illud sæculum legis usque ad Christum : quod ita in veritate factum est : nam post modicum tempus perdiderunt illam terram. Et sic pariter est dicendum de *Sabbato*, & cæteris *legalibus*, quæ data sunt in fœdus æternum, eo modo quo dictum est, id est, per totum illud sæculum & ætatem usque ad aliud sæculum Messiæ exclusivè : & sic omnia illa fuerunt sempiterna cum illa ætate usque ad Christum.

Et hoc confirmant ipsimet Judæi, cùm dicunt, quòd lex non debebat durare nisi per duo millia annorum inter sæculum naturæ & sæculum Mesiæ : Ergo secundùm eos lex non erat æterna *simpliciter*, sed solum *secundùm quid*, in quantum erat duratura per totum illud sæculum & ætatem. Et isto modo Sacramentum altaris dicitur æternum, *Matth.* 26. cum dicit Christus: *Hic est Calix novi & æterni Testamenti* : eò quòd durabit per totum tempus gratiæ, & nullum aliud succedet. Et sic patet, quòd multa dicuntur sempiterna in Sacra Scriptura non *simpliciter*, sed *secundùm quid*, respectu alicujus sæculi & ætatis. Et isto modo *Lex Moysi*, & *Circuncisio* data fuit in fœdus & pactum æternum per totam illam ætatem usque ad Christum.

Legalia dicuntur æterna dupliciter.

Sed licèt hoc sit bene dictum; propter obstinationem Judæorum tamen adhuc omnia legalia possunt dici *æterna* dupliciter. Uno modo quantum ad signum tantum : & sic fuerunt sempiterna illi sæculo & ætati per totam illam ætatem usque ad Christum, sicut dictum est. Secundò modo dicuntur *æterna*, quantum ad suum significatum, & quoad eorum veritatem. Et sic est dicendum quod Circuncisio fuit data fœdere sempiterno ratione passionis Christi, in qua fuit verificata circuncisio, & in qua solutum est verum pretium : & ratione Baptismi, qui est spiritualis & vera circuncisio cordis & animæ, per illam carnalem circuncisionem significata & figurata : quæ quidem circuncisio baptismalis durabit usque ad Judicium per totam istam ultimam ætatem, & temps, & sæculum gratiæ. Et sic est dicendum de immolatione agni paschalis, & agni matutini & vespertini, & aliorum sacrificiorum : quæ omnia verificantur, & continuantur in hoc sæculo gratiæ per oblationem & sacrificium Sacramenti altaris. Et sic patet, quomodo omnia illa legalia sunt æterna quoad eorum significata, & quoad veritatem : nam sicut signum verificatur, ita æternificatur per suam veritatem & significatum. Et isto modo omnia illa legalia data fuerunt in fœdus æternum.

Item tertiò, data sunt & in fœdus, ratione ultimati finis, & premii promissi, quod est summa beatitudo pro omnibus illis legalibus, & pro observantiâ eorum observatoribus promissa : quam promissionem omnes patres veteris Testamenti per Christum acceperunt, quando eduxit eos de Limbo, & introduxit in gloriam cœlestem, *ad Hebr.* 11. ubi sempiterno ævo fruuntur, ut patebit in tertia Quæstione.

Ex quibus patet, quòd omnia illa legalia tripliciter dicuntur æterna, & esse data sub fœdere sempiterno. Primo modo, in quantum sunt data in signum, sive ratione signi : & sic fuerunt *æterna secundùm quid* & sempiterna cum illa ætate. Secundo ratione significati, & ratione suæ veritatis : & sic jam dicuntur magis æterna, quia adhuc durat, & durabit veritas eorum, & æternificatur usque ad Judicium. Tertio modo dicuntur æterna ratione ultimati finis & premii ultimatè promissi : & sic æternificantur in gloria. Unde Lex Moysi æternificatur per Legem Euangelicam : & Lex Euangelica æternificatur per æternam fruitionem in gloria & patria cœlesti. Et in hoc consistit vera intelligentia illius litteræ *Genes.* 17. & *Exod.* 31.

Triplex forma in Christo considerabatur.

Ad majorem evidentiam, & intellectum eorum quæ dicta sunt in hoc Articulo, & duobus præcedentibus, est valde advertendum, quòd in Christo viatore, & in hac peregrinatione *triplex forma* considerabatur, id est, *forma servitutis*, & *forma veritatis humanæ* & *forma deitatis*. *Forma* autem *servitutis* dicebatur forma pœnalitatum, & infirmitatum : scilicet fames, sitis, dolor, & mors &c. Quam formam appellat etiam Apostolus *similitudinem carnis peccati*, eò quòd erat vestigium & effectus peccati ipsorum primorum parentum : quam formam pœnalitatum voluit Christus sponte assumere præter peccatum : ut illæ pœnalitates essent instrumentum ad patiendum, & merendum pro nobis, & ad extinguendum peccatum. *Forma* autem *veritatis humanæ* erat compositum ex corpore

pore ſubſtantiali & anima rationali, ex quibus reſultat vera humanitas. *Forma* autem *deitatis* erat ipſum Verbum Divinum. Voluit ergo Chriſtus mori ſecundùm formam ſervitutis & pœnalitatum, ut extingueret in nobis peccatum & pœnas peccati. Et voluit etiam mori ſecundùm formam humanitatis: hoc eſt, quia anima verè fuit à corpore ſeparata: ſed non mortuus eſt ſecundùm formam deitatis: quia ut ſic erat æternus, & immortalis.

In Lege Moyſi triplex forma.

Ita ergo pariter in Lege Moyſi erat conſideranda triplex forma, ſcilicet, *forma officii*, *& ſigni*: *& forma veritatis*, *& forma præmii finalis*. *Forma* enim *officii*, *& ſigni legalis*, erant modi conferendi Sacramenta legalia, & modi ſacrificandi, & diſtinctio ſacrificiorum, & obſervantiæ, & diſcretio ciborum. *Forma* autem *veritatis*, erat veritas Euangelica, ſcilicet, myſteria Chriſti & Eccleſiæ, quæ figurabant illa legalia: & in quibus illa ſigna fuerunt verificata. *Forma* autem *finalis* & ultimati præmii pro illius Legis obſervantia, erat gratia, quam per Chriſtum expectabant recipere in præſenti, & gloria in futuro: ut videbitur in tertia Quæſtione. Iſtas ergo tres ſupradictas formas continebat Lex Moyſi; eò quòd erat mater Chriſti, de qua, & ſub qua natus & factus eſt Chriſtus, *ad Galat.* 4. Et ideo quia Chriſtus voluit naſci & fieri ſub Lege, *ut eos qui ſub Lege erant redimeret* per mortem & paſſionem & reſurrectionem: inde eſt quòd crucifixit cum eo totam Legem Moyſi, qua erat indutus: & per conſequens tota Lex Moyſi fuit cum eo ſimul mortua & crucifixa, ut patet ad *Coloſ.* 2.

Sed ſicut forma pœnalitatum & ſervitutis, quam pro nobis Chriſtus ad inſtrumentum patiendi ſponte aſſumpſerat, totaliter fuit extincta & incinerata, & Chriſtus reſurrexit cum ſola veritate & formâ humanitatis & veritatis humanæ, & deitatis: ita pariter forma officiorum & ſignorum cærimonialium Legis Moyſi, quæ fuerat mortua cum Chriſto, manſit incinerata, & putrefacta in ſepulchro cum infirmitatibus & pœnalitatibus Chriſti; & ſurrexit cum Chriſto ſola veritas Legis, quæ eſt veritas Euangelica per cærimonialia figurata & ſignificata.

Itaque ſicut Chriſtus jam amplius non moritur, ita nec agnus paſchalis immolatur, nec cætera animalia mactantur nec ſacrificantur, nec aliquis alius ſanguis in aliquo Sacramento aut ſacrificio effunditur. Et ratio eſt: nam ille ſanguis, qui effundebatur in circunciſione, & immolatione agni paſchalis, & agni matutini, & veſpertini, & vitulorum, & hircorum, & omnium animalium, non effundebatur niſi in ſignum pretii & ſanguinis Chriſti effundendi in cruce, prout ſupra dictum eſt. Ergo forma officiorum, & ſignorum Legis veteris jam finivit curſum ſuum, poſtquam ſanguis Chriſti, qui erat effundendus, figuratus per illa ſigna cærimonialia, jam realiter effuſus eſt. Nam ſicut adveniente luce extinguitur umbra: ita præſente veritate fuit extincta, & ceſſavit ſignum & figura. Et ideo in ſeptem Sacramentis Eccleſiæ nullus ſanguis effunditur: nam hæc eſt differentia inter Sacramenta novi & veteris Teſtamenti: nam omnia Sacramenta & ſacrificia veteris Teſtamenti fiebant in ſignum & figuram Chriſti occidendi & crucifigendi, & in figuram ſanguinis Chriſti effundendi. Ideo quaſi omnia Sacramenta & ſacrificia fiebant cum effuſione ſanguinis, aut cum occiſione animalium. Sed quia ſanguis Chriſti jam effuſus eſt: ideo non oportet quòd Sacramenta Eccleſiaſtica fiant cum effuſione ſanguinis: ſed ſufficit quòd habeant virtutem ex ſanguine & paſſione, & offeratur Chriſtus immortalis & impaſſibilis, qualis reſurrexit cum veritate humanitatis & deitatis, & cum veritate ſignificata & figurata per Legem.

Tres ætates & tria ſecula & tres æternitates.

Ex ſupradictis patet, quòd ſicut in Lege Moyſi conſiderabantur tres formæ, ſcilicet forma ſigni officialis, & forma veritatis, & forma præmii finalis: ita pariter conſiderabantur tres ætates, & tria ſæcula, & per conſequens tres æternitates in ea. Nam prima fuit ſæculum & æternitas ſigni officialis, quæ duravit per totum ſæculum Legis veteris uſque ad ſæculum Chriſti Meſſiæ. Secunda conſiderabatur æternitas veritatis legis, ſcilicet, redemptionis & gratiæ à Chriſto uſque ad Judicium. Tertia eſt æternitas præmii ultimati, quam omnes patres veteris Teſtamenti acceperunt nobiſcum in Chriſto: & iſta erit ſine fine in gloria cœleſti, ut patebit in tertia Quæſtione. Et ſit patet, qualiter tripliciter Lex Moyſi dicebatur æterna, & data *ſub fœdere ſempiterno*, ſcilicet, æternitate cærimonialis officii, aut æternitate veritatis, aut æternitate finis ultimati. Et patet, qualiter Lex Moyſi fuit æternificata per legem & gratiam Euangelicam quantum ad ſuam veritatem, & æternificatur per gloriam quoad præmium ultimatum.

Ex ſupradictis patet veritas trium ſupradictorum articulorum, & totius Quæſtionis: nam ſi lex vetus non poterat juſtificare hominem, nec per ſe tollere peccatum ratione cærimonialium, niſi in fide Chriſti futuri & veritatis Euangelicæ per illa cerimonialia figuratæ: Ergo oportebat illa cærimonialia ceſſare, & veritatem ejus Euangelicam juſtificantem

tem succedere. Unde si Lex Moysi potuisset per opera sua officialia justificare ad vitam æternam : frustra fuisset desiderium Patriarcharum & Prophetarum de Christo futuro , & de Lege justificante danda per ipsum : unde David jam habebat Legem Moysi , & tunc adhuc petebat Legem justificantem *Psalm.* 118. dicens : *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum &c.* Item, si David in Lege Moysi potuisset salvari : non petiisset salvatorem , dicens: *Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum : ostende faciem tuam , & salvi erimus. Psalm.* 79. Item , si Lex Moysi per se potuisset justificare , non diceretur *Isaiæ* 2. *Venite ascendamus ad montem Domini* &c. *quia de Sion exibit Lex , & verbum Domini de Hierusalem.* Et sic discurrendo per omnes Prophetas : quia omnes petebant Christum Salvatorem , & doctrinam ejus Euangelicam tanquam veritatem Legis Moysi, ut in ea possent justificari. Et sic est dicendum de ejus æternitate quoad veritatem & præmium ultimatum , prout dictum est. Sed miseri & cæci , & obstinati Judæi non valent intelligere , nec percipere hoc sacramentum : quia si illa æternitas deberet intelligi litteraliter & simpliciter : pariter deberent possidere in æternum illam terram Chanaam , quæ promissa fuit eis in possessionem æternam in præmium circuncisionis. Et tamen non possident illam , licet circuncidantur : & ideo æternitas , tàm circuncisionis , quàm terræ promissionis , & totius Legis est spiritualiter intelligenda pro suo significato , & sua veritate , prout declarabitur in tertia Quæstione.

§. IV.

RESPONSIO AD ARGUmenta.

SED nunc restat respondere ad argumenta & authoritates modernorum Judæorum quibus nituntur defendere perfidiam suam.

Ad primum ergo , cùm dicunt quod illa Lex fuit instituta ad tollendum peccatum , & justificandum hominem &c. Respondetur quod jam probatum est in primo articulo, quomodo illa Lex de se nec poterat tollere peccatum , nec justificare hominem simpliciter ad vitam æternam consequendam per opera legalia : sed solum fuit instituta & data in signum figurativum , & in signum fœderis, & futuri pretii per Christum solvendi in cruce , & in figuram Sacramentorum Ecclesiasticorum , in quorum ministerio & collatione illico solvitur pretium. Et ideo soluto pretio fœderis per Christum, illicò cessavit signum fœderis , & cessârunt omnia signa figurativa : cujusmodi fuerunt omnia sacrificia , & oblationes, & cætera legalia , quæ nunc continuantur , & verificantur per sua vera significata. Et ideo quotiescumque hodie illa legalia observantur per Judæos , falsificant Legem & Prophetas , postquam jam fuerunt verificata & impleta per Christum , & jam impleverunt officium & cursum suum , prout dictum est. Et ideo Judæi sunt blasphemi talia falsa & inania signa exercentes & aspectantes: & non solum sunt blasphemi , sed & fatui. Nam talia legalia non solum data sunt in signum figurativum , & in signum fœderis & pretii futuri , sed in signum censualis tributi. Et sic tota Lex nil aliud erat , nisi chirographum & contractus debitorius & censualis : *ad Colossenses* 2. Sed jam ille contractus fuit rasus & ruptus per mortem creditoris , usque ad quem terminum obligat eos Lex solvere tributum censuale. Ergo sequitur , quòd per mortem Christi creditoris & procuratoris Dei Patris totus ille populus fuit absolutus ab illo contractu debitorio. Ex quo patet , quòd fatui sunt censendi solvendo tributum , ad quod solvendum non obligantur , immò prohibentur, ut dictum est. Tria ergo mala perpetrant Judæi, volendo cærimonialia observare. Primò enim occidunt animam suam, contemnendo salutem & beneficium redemptionis. Secundò , falsificant legem , dando falsa signa, & expectando Messiam , qui jam venit. Tertiò præjudicant & injuriantur sibiipsis solvendo tributum , ad quod jam non obligantur. Sed quartum est pejus omnibus ; quia manent cæci & in eadem perfidia obstinati.

Ad secundum est dicendum , quòd Circuncisio , & Sabbatum , & cætera legalia fuerunt data sub fœdere sempiterno quoad suam veritatem , & ad sua significata , & quoad suum finem : & sic dicuntur æterna ratione suorum significatorum , in quantum continuantur , & verificantur , & æternificantur per sua significata : nam sicut illa circuncisio fiebat tunc carnaliter in signum circuncisionis spiritualis : ita fit hodie spiritualiter per Baptismum. Et sic est dicendum de agno paschali , & de agno matutino & vespertino , qui quotidie offertur quoad suum verum significatum in Sacramento Eucharistiæ. Et sic est dicendum de cæteris legalibus carnalibus , quæ hodie spiritualiter observantur. Fuerunt etiam data illa legalia in fœdus æternum quantum ad finem ultimatum : quia omnes Patriarchæ , & Prophetæ , & fideles qui observaverunt illa legalia sub pacto fidei Christi

Ad primum. *Ad secundum.*

Christi venturi, æternaliter fruuntur cum Chrimo bonis cœlestibus & æternis: quam repromissionem acceperunt in Christo, *ad Hebræos* 11.

Ad tertium respondetur: quòd illud argumentum, & illud mysterium scriptum *Exod.* 24. de confirmatione fœderis per aspersionem sanguinis super altare, & super populum, est gladius penetrans perfidiam Judæorum: nam per illud mysterium ostenditur manifestè, Judæos esse perjuros & violatores pacti & fœderis compositi inter Deum & populum Israel. Nam *Moyses* accepit librum legis & legit ipsum coram toto populo congregato, explicans omnia præcepta Dei: cui totus populus respondit dicens: *Omnia quæ locutus est Deus faciemus, & erimus obedientes.* Et tunc Moyses ad confirmationem pacti occidit duodecim vitulos juxta numerum duodecim tribuum, & unam partem sanguinis aspersit super altare, & alteram super populum, dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Per quod mysterium voluit Deus ostendere, quod illa lex & illud fœdus non erat solvendum nisi per effusionem sanguinis Christi: & sic illa lex debebat durare usque ad Christum, qui per mortem & passionem debebat verificare omnia legalia in lege præcepta. Unde per hoc quod occidit duodecim vitulos, significabatur, quòd Christus erat electurus duodecim Apostolos, per quos debebat multiplicare omnes fideles per regenerationem baptismalem, quorum sanguine Ecclesia per Christum plantata erat confirmanda & irriganda.

Et figurabatur etiam, quòd per fidem duodecim articulorum omnes erant salvandi: & per hoc quod unam partem sanguinis effudit super altare, figurabatur, quòd Christus Deus & homo erat immolandus, & sanguine aspergendus in ara Crucis. Sed per hoc quod alteram partem aspersit super populum, figuratum fuit, quomodo Christus propter populum suum & totum genus humanum erat effusurus sanguinem, ut ipsum à morte, & captivitate, & servitute peccati liberaret. Et sic voluit Deus præfigurare & significare, quòd cùm Christus effunderet sanguinem suum in ara Crucis, tunc sicut totum genus humanum esset absolutum à servitute peccati per talem aspersionem sanguinis: ita pariter ille populus esset liber & absolutus à jugo legis, & liberatus ab observantia cærimoniarum: & tunc illud fœdus & pactum esset finitum, & vinculum legis dissolutum. Et ideo dixit Moyses: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Dominus super cunctis sermonibus his*: id est: hic sanguis effunditur in signum & figuram illius sanguinis, quem effusurus est Christus in Cruce pro omni populo: per quem sanguinem Christi absolvetur genus humanum à jugo & servitute diaboli: & populus Israel absolvetur à jugo & vinculo Legis Mosaicæ, quæ dicitur lex servitutis.

Ex quo patet, quòd illud pactum & fœdus observantiæ legis veteris non debebat durare nisi usque ad passionem Christi, per cujus effusionem illud pactum erat finiendum & absolvendum: qui quidem sanguis Christi fuit figuratus per illum sanguinem, quem Moyses aspersit super populum & altare. Unde sicut moyses dixit: *Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum &c.* Ita pariter Christus dixit: *Hic est Calix novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Matth.* 24. id est: Hic est sanguis meus novi Testamenti figuratus per illum sanguinem fœderis, quem Moyses effudit super altare, & super populum in veteri Testamento in signum fœderis, & fidei meæ passionis. Ex quibus patet, quòd sicut Moyses effudit illum sanguinem in signum fœderis, & in figuram passionis Christi futuri: ita Christus effudit sanguinem in Cruce ad verificandum illud signum & figuram, & ad complendum & finiendum pactum; & per consequens tunc finivit illa lex officium & cursum; & per consequens tunc cessavit ab officio suo: quia tunc fuit pactum verè confirmatum & finitum per Christum. Et sic patet, quòd argumentum quod faciunt Judæi, & illa authoritas, quam adducunt contra nos, est manifestè contra eos: & destruit eorum perfidiam, & ostendit eos esse cœcos.

Ad quartum autem cum dicunt, quòd illi Legi nil potest addi nec auferri ex Dei præcepto, *Deuter.* 4. Respondetur: quòd Lex Euangelica nihil addit nec aufert à Lege, quantum ad essentialia. Unde dictum est in *Prologo*, quod duo sunt consideranda in Lege veteri. Nam quædam sunt essentialia, sicut erat fides futurorum mysteriorum Christi & Ecclesiæ, quæ in Lege erant figurata: & quædam erant accidentalia, sicut erat modus colendi Deum per illa legalia, quæ erant signa & figura futuræ veritatis. Unde futuræ veritates, quæ per Christum completæ sunt, erant de essentia illorum signorum & figurarum. Et ideo Lex Euangelica servat veritatem significatam per illa legalia: quia *Lex per Moysen data, sed gratia & veritas per Christum facta est. Joann.* 1. Ergo Lex Euangelica auferendo legales cærimonias, à Lege Moysi nihil essentiale aufert, postquam retinet & observat veri-

Ad tertium.

Ad quartum.

ritatem significatam per illa signa, quæ erant quædam accidentalia ipsi legi: quibus cessantibus, non destruitur, sed construitur lex postquam sunt verificata per Christum: quia accidens potest adesse vel abesse præter subjecti corruptionem. Et sic patet, quòd nullum essentiale aufertur à Lege. Et isto modo intellexit quando dixit: *Non addetis ad verbum quod loquar vobis, nec auferetis ab eo*, id est, non addetis nec auferetis aliquod essentiale, quod sit de essentia Legis: tunc manifestum est, quòd veritas Euangelica est de essentia legis, sine qua nulla pars Scripturæ veteris Testamenti potest vere intelligi: eò quòd est ejus verum significatum: nam significatum est de essentia signi, ut dictum est in *Prologo Tractatu 3. Regulâ quintâ.* Quia signum non est gratiâ sui, sed gratiâ signati, ad quod essentialiter ordinatur.

Ex quibus patet, quòd Judæi moderni sunt corruptores & truncatores legis, & latrones, & sacrilegi, & totaliter faciunt contra authoritatem, quam contra nos adducunt: nam intelligendo Legem Moysi præcisè ad litteram, & negando & auferendo significatum spirituale & propheticum de Christo futuro, & de Ecclesia, manifestè auferunt illud quod est essentiale & principale in Lege, quæ tota fuit data in figuram futurorum, & in signum fidei, & fœderis de Christo futuro, & in signum mysteriorum Euangelicorum, ut dictum est. Ergo auferendo veritatem Euangelicam à Lege, auferunt proprium significatum, & veritatem Legis: quia mysteria Euangelica nil aliud sunt, nisi veritates Legis: quia Lex Euangelica est veritas Legis veteris: nam per mysteria Christi Lex Moysi fuit completa & verificata: Ergo Judæi negando Christum & Euangelium, negant veritatem Legis; & per consequens corrumpunt & laniant & truncant & mutilant Legem, auferendo principalem & essentialem partem ejus, auferendo & negando veritatem, & retinendo mendacium. Nam postquam legalia fuerunt semel mortua cum Christo, & non surrexerunt cum eo, & impleverunt officium & cursum suum; jam non sunt vera, sed falsa signa: eò quòd data sunt tantùm in signum de futuro, quæ omnia sunt completa.

Sed contra hoc arguunt Judæi. Unde quia dictum est, quòd post adventum & passionem Christi signa Legis manent falsa: tunc arguunt Judæi, dicentes: Si Lex Moysi manet falsa: quare ergo vos Christiani legitis Legem Moysi in Ecclesiis vestris? Et quare Christus vester allegavit Moysen, *Joann.* 5. dicens: *Moyses de me scripsit? &c.*

Ad hoc respondetur: quòd nos non dicimus Legem Moysi esse falsam; immò confitemur ipsam esse veram, & verificatam per Christum. Sed dicimus, quòd post passionem, & resurrectionem Christi observantia ejus est falsa, & mortifera quoad cærimonialia. Unde Lex Moysi potest tripliciter considerari. Uno modo quantum ad Scripturam in se, & quantum ad intentionem Dei, qui dedit illam. Secundò, quantum ad intellectum Legis. Tertiò, quantum ad observantiam ejus. Primo modo Lex Moysi est vera, & jam verificata per Christum: nam Deus dedit illam Legem in signum, præcipiens ut illa legalia observarentur, usquequò essent impleta per Christum: sed quia hoc jam est completum, ideo intentio Dei & Legis, & fides Patriarcharum & Prophetarum manet vera, & spes eorum completa. Secundo modo Lege manente verâ, intellectus Legis potest esse verus, aut falsus. Nam quando Judæi legunt Scripturam Legis & Prophetarum, non intelligendo omnia illa esse impleta in Christo: tunc intellectus eorum est falsus; quia est contra veritatem: quia in rei veritate jam illa completa sunt. Sed intellectus Catholicus est verus, quia credit omnia illa esse jam completa. Et ideo dicit *Augustinus lib. de unico Baptismo*, quòd *in eadem Lege Judæi fiunt mali, malè intelligendo: & Christiani fiunt boni bene & spiritualiter intelligendo*: nam Judæi intelligunt Legem ad litteram tantùm absque sensu spirituali: sed Christiani præter sensum litteralem intelligunt & credunt illam litteram quoad sensum spiritualem de Christo & Ecclesia, & credunt & affirmant omnia illa signa esse jam completa per Christum. Et ideo in divinis Officiis primò legimus Moysen & Prophetas: ad denotandum, quòd omnia illa figurabant & prænuntiabant Christum venturum: sed postea legimus Euangelium, ad denotandum, quòd omnis Scriptura Legis & Prophetarum fuit jam completa & verificata per Christum in Euangelio: & sic primò legimus signum, & postea legimus signatum, & veritatem illius signi.

Et sic patet, quòd Judæi falsificant Scripturam Legis & Prophetarum, negando ejus veritatem: sed nos verificamus Legem & Prophetas spiritualiter intelligendo. Et ideo licèt Scriptura Legis & Prophetarum sit de se vera, & jam verificata: tamen est falsa ad intellectum quo Judæi intelligunt illam. Item, non solum falsificant Legem dictis, sed etiam falsis factis in observando legalia: nam licèt observantia legalium esset vera ante adventum Christi, eò quòd figurabat adventum Christi: tamen modò talis ob-

Nota.

Objectio.

Lex Moysi considerat tripliciter.

obſervantia eſt falſa, eò quòd ſignificat & deſignat futurum, quod jam eſt præteritum, & completum per Chriſtum. A Et ſic illa obſervantia Legis, quæ antè erat vera, modo eſt falſa: & tunc erat illis ſalubris ante adventum Chriſti, & modò eſt mortifera. Unde ponit exemplum *Auguſt. contra Fauſtum.* Nam ſi detur medela purgativa uni infirmo, eſt ipſi ſalubris, quia purgat eum: ſed ſi eadem medela detur ipſi poſt ſanitatem, eſt ipſi nociva, & eum interficit: ita pariter circunciſio & cæterorum legalium obſervantia erant vera & ſalubria ante adventum Chriſti: ſed modò ſunt falſa & nociva. Et ſic patet, quòd Scriptura Legis & Prophetarum eſt bona & vera nobis: ſed obſervantia & intellectus Judæorum eſt falſus. B

Quid erat opera legalium.

Unde nota, quòd opera legalium erant quędam proteſtationes, & profeſſiones Chriſti futuri, & futuræ redemptionis: & ideo ante Chriſti adventum erant veræ tales proteſtationes, & talis profeſſio: ſed modò talis profeſſio & proteſtatio eſt falſa: quia Chriſtus jam venit, & redemptio jam eſt facta. Et ideo talis obſervantia modò dicitur falſa. Item, ſicut tunc opera legis profitebantur Chriſtum venturum: ita nunc opera Euangelica profitentur Chriſtum veniſſe: ideo opera Euangelica ſunt vera, quia eorum profeſſio eſt vera. Ita ergo pariter opera legis modò ſunt falſa, quia eorum profeſſio eſt falſa: quia profitentur venturum & futurum quod C jam venit. Et ſic talia opera falſificant Legem & Prophetas: quæ quidem ſcriptura de ſe eſt vera.

QUÆSTIO SEGUNDA.

QUæritur ſecundo ſpecialiter de *Sabbato legali*, *Utrum debuerit ceſſare per adventum Chriſti*? Et arguunt obſtinati Judæi moderni, quòd non. Et primo arguunt ſic.

Nam præcepta moralia numquam debent ceſſare, eò quòd ſunt de jure naturæ: Sed præceptum de Sabbato celebrando ponitur inter præcepta mora- D lia ſcripta in tabulis lapideis digito Dei, ut patet *Exod.* 20. & *Deut.* 5. Igitur eſt præceptum morale, & per conſequens numquam debuit ceſſare

Secundò: hoc præceptum inter cætera fuit magis repetitum, & iteratum, & replicatum à Deo, & ſub pœna & comminatione mortis, & ſub fœdere ſempiterno præceptum: ut patet per diſcurſum Legis & Prophetarum, & maximè *Exod.* 31. & 35. Ergo fuit de intentione Dei, quòd numquam ceſſaret, ſed quod firmiter & invariabiliter celebraretur.

Item tertiò: ſub eodem fœdere ſempiterno præcepit celebrari Paſcha, & E Pentecoſten, & feſtum Tabernaculorum, & alia feſta legalia, *Levit.* 23. & *Numeri* 29. Ergo nec etiam illa debent ceſſare.

Item quartò: Deus præcepit, *Deuter.* 4. dicens: *Non addetis aliquid ad verbum quod loquar vobis, nec auferetis ab eo*: Ergo nullo modo eſt Sabbatum auferendum, nec dies Dominica eſt addenda.

In oppoſitum eſt illud, *Iſai.* 56. *Non erunt in memoria priora. Et erit menſis ex menſe, & Sabbatum ex Sabbato &c.*

Reſponſio. In hac Quæſtione erunt *tres Articuli.* *Reſponſio.*

F Inquiretur enim in primo: An præceptum de Sabbato ſit merè morale.

In ſecundo videbitur quomodo debuit ceſſare per adventum Chriſti.

In tertio videbitur, quomodo ſola Chriſtiana Religio celebrat verum Sabbatum, & ritè, & debito modo obſervat illud cum cęteris feſtivitatibus?

§. I.

QUantum autem *ad primum* primò ſunt quærendæ cauſæ, & conditiones, propter quas, & ſub quibus Deus præcepit Sabbatum celebrari. Ex quibus probabitur, quòd Sabbati G præceptum magis eſt cærimoniale, quàm morale. Undc octo ſunt quęrenda de Sabbato. Primò, quid eſt Sabbatum? Secundò, ad quid fuit præceptum? Tertiò, propter quid? Quartò, quandò? Quintò, quomodò fuit præceptum obſervari? Sextò, quotiens? Septimò, ſub qua pœna? Octavo, uſquequò erat Sabbatum præceptum obſervari?

Quantum ad primum eſt dicendum: quòd *Sabbatum* Hebraicè idem eſt quod *requies* Latinè. Et ſic non dicit diem in ſeptimana determinatam: quia quælibet dies ſeptimanæ ad requiem & feſtivitatem dedicata dicebatur *Sabbatum* in Lege. Hoc probatur, *Levit.* 23. ubi H dicit Dominus: *Menſe ſeptimo prima die menſis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis: & vocabitur ſanctum: omne opus ſervile non facietis in eo &c.* Item, *decimo die hujus menſis ſeptimi dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus: nihil ergo operis facietis in eo: legitimum ſempiternum erit vobis: quia Sabbatum requietionis eſt. Die novo menſis ſeptimi à veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.* Item, *à die quindecimo menſis hujus ſeptimi erunt feriæ Tabernaculorum: & ita die primo & octavo erit Sabbatum* *Quid eſt Sabbatum?*

tum, id est, requies &c. Ex quibus verbis patet, quòd *Sabbatum* nihil aliud A est nisi *requies*. Secundò, quòd quodliber illorum festorum dicitur *Sabbatum*. Tertiò sequitur, quòd *Sabbatum* non dicit aliquam diem determinatam in septimana: quia quilibet dies festus dicebatur *Sabbatum*: & in quolibet die septimanæ poterat sabbatum celebrari: secundùm quod prima dies mensis, vel decima, vel quintadecima poterat cadere in die Lunæ vel Martis &c. secundùm quod variantur menses & tempora, prout accidit: nam si hoc anno prima dies mensis est feria quinta, in alio anno erit feria tertia: & sic de singulis. Quartò sequitur, quòd non est unicum sabbatum, sed plura sabbata: quia B quælibet illarum festivitatum dicebatur sabbatum, postquam erat dies quietis. Et ideo multiplex erat sabbatum usuale, quod celebrabatur in septimo die cujuslibet hebdomadæ: cætera autem dicebantur sabbata menstrualia, aut annualia, ut patebit.

Sabbatũ ad duo observabatur.

Quantum ad secundum, in quo quæritur ad quid præceptum est sabbatum observari, est dicendum: quòd ad duo, scilicet ad requiem hominis, & ad sanctificationem. Unde duo præcipiebat Deus. Primò, ut homo cessaret ab omni opere servili. Secundò, ut sanctificaret sabbatum, id est, opera sancta in eo faceret, scilicet, ut in illa die soli Latriæ Deo exhibendæ intenderet, ab omni opere alio cessando, ut patet *Exod.* C 20. & 21. Ex hoc sequitur, quòd *sabbatum* duo importat, scilicet, cessationem & sanctificationem. Ideo *sabbatizare* idem est quod *cessare* & *sanctificare*, id est, cessare ab opere servili, & sancta opera facere. Sed quia nemo potest opera facere, nec diem sanctificare peccando, & malè agendo: ideo necesse est priùs à peccatis abstinere, & ab omni malo declinare. Et sic vera sanctificatio sabbati, & verum *sabbatizare*, nil aliud est nisi declinare ab omni malo, & facere bonum, scilicet, operari justitiam erga Deum, veram Latriam exhibendo, & D super omnia diligendo, & erga proximum justè conversando, & mutuum auxilium impendendo. Et in hoc consistit vera sanctificatio sabbati. Ex quibus patet, quòd quilibet dies, & quodlibet tempus ad divinum cultum & opera misericordiæ dedicatum dicitur verum sabbatum: & per consequens totum tempus Gratiæ & Legis Euangelicæ est verum sabbatum, ut patebit.

Quantum ad tertium dicendum est, quòd Deus propter duo præcepit Sabbatum celebrari in die septimo, scilicet, propter duplicem memoriam, scilicet, propter memoriam creationis: quia in E septimo die cessavit Deus, & quievit ab omni opere quod patrarat, ut patet in locis præallegatis. Et in memoriam exitus Israel de Ægypto. Unde dicit Dominus, *Deuteron.* 5. *Observa diem sabbati &c. Et memento quod servieris in Ægypto, & Dominus Deus tuus eduxit te inde in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi Dominus ut observes diem sabbati.* Ex quibus verbis arguitur, quòd in die sabbati de fero exiit Israel de Ægypto. Ideo præcepit Deus sabbatum observari in die septimo: nam similia verba dixit Deus, *Exod.* 20. unde dicit: *Sex diebus fecit cœlum & terram, & in septimo die* F *quievit. Idcirco præcepit tibi, ut septimo die observes sabbatum.* Et sic patet, quòd propter illam duplicem memoriam fuit præceptum observari. Secundò fuit præceptum propter signum, & in signum. Unde dicitur *Exodi* 31. *Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris. Et ita custodient filii Israel sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis: pactum est sempiternum inter me & filios Israel, signumque perpetuum &c.* Item *Ezec.* 20. *Dedi eis sabbata mea ut essent eis in signum &c.* Ex quibus patet, quòd sabbatum non fuit præceptum simpliciter propter se, sed in signum & pactum. Et sic datum fuit in quadruplex signum: ut dictum G est de circuncisione in *Quæstione præcedenti.* Nam primò datum fuit præceptum sabbati in signum distinctivum: ut per talem religionem ille populus distingueretur à populo Gentili, & à quolibet alio infideli. Secundò, in signum figurativum alicujus futuræ quietis, in quantum tali die Christus debebat jacere in sepulchro per totam diem. Tertiò, in signum servitutis & tributi. Quartò, in signum fœderis, & fidei Christi futuri, ut magis patebit. Et sic patet, quòd Deus præcepit sabbatum observari propter supradictam duplicem memoriam, scilicet, creationis, & exitus Israel de H Ægypto, & propter quadruplex signum supradictum.

Quare Deus præcepit sabbatum celebrari.

Quando fuit sabbatũ præceptum.

Quantum ad quartum est dicendum, & valde notandum: quòd non solum sabbatum usuale, sed etiam omnia alia sabbata annualia Deus præcepit celebrari in fine semper alicujus septenarii. Nam sabbatum usuale præcepit celebrari in septimo die cujuslibet hebdomadæ, ut patet *Exod.* 20. & 31. sed festum novarum frugum, id est, Pentecostes præcepit celebrari in fine septimæ hebdomadæ post Pascha, ut patet *Lev.* 23. & *Numeri* 29. Et festum Tubarum, & Expiationis & Tabernaculorum præcepit ce-

celebrari in septimo mense, ut patet ibidem: & Sabbatum terræ præcepit celebrari in septimo anno, ut patet *Levit.* A 25. & Jubileum præcepit cælebrari in fine septimæ septimanæ annorum, qui dicitur *annus quinquagesimus* & *Sabbatum generalis remissionis*, ut patet ibidem. Ex quibus patet, quòd omnia Sabbata legalia præcepit celebrari in fine alicujus septenarii: quod non factum est sine maximo mysterio. Nam dictum est quod omnia Sabbata dedit Deus in signum figurativum, & in signum fidei, & fœderis: Ergo figurabant aliquam requiem in aliquo septenario futuro: sed septenarium futurum, quod ille populus expectabat erat totum tempus Messiæ: Ergo sequitur quod omnia illa Sab- B bata significabant aliquam requiem in tempore Christi Messiæ in Lege promissi. Major patet. Nam postquam Sabbatum nil aliud est nisi requies, & datum ad sanctificationem; & non propter se datum, sed propter aliquod signum figurativum, & semper fuit præceptum in aliquo septenario: Ergo sequitur quod figurabat aliquam requiem futuram in aliquo futuro septenario.

Mundi discursus in septem dies seu ætates.

Minor autem probatur. Nam secundùm omnes Hebræos totus discursus mundi dividitur in septem dies, sive status, & ætates. Unde prima dies, sive ætas fuit ab Adam usque ad diluvium quem vocant *diem primi mundi.* Secunda dies fuit à diluvio usque ad Abraham: quem vocant *diem secundi mundi*, in C quo homo ambulabat in Lege naturæ cum aliquibus sacrificiis, & maximè cum oblatione panis & vini: in qua ætate fuit *Melchisedech Sacerdos Dei excelsi*, qui obtulit panem & vinum pro Abraham. *Genes.* 24. Et sic creditur quod ille fuit ritus Latriæ in ea ætate. Tertia dies fuit ab Abraham usque ad exitum Israel de Ægypto, quem vocant *diem Circumcisionis*: eò quòd homo ambulabat per Circuncisionem cum Lege naturæ. Quarta dies fuit ab exitu Ægypti usque ad *Salomonem*, qui ædificavit primum Templum, quem vocant *diem tabernaculi*: eò quòd per totam illam ætatem ille populus serviebat, & exhibebat Deo Latriam in tabernaculo, ut patet per to- D tum discursum *libri Judicum*, & primi & secundi *libri Regum.* Quinta dies fuit à constructione primi Templi usque ad secundum ædificatum per *Zorobabel*: quem diem Judæi appellant *diem & tempus primi Templi.* Sexta tandem dies fuit totum tempus à relaxatione captivitatis Babyloniæ usque ad destructionem secundi Templi factam per *Titum*, quod appellant *tempus & diem secundi Templi.* Septimam diem mundi appellant totum tempus post destructionem secundi Templi usque ad finem mundi: quem E appellant *diem & tempus Messiæ.* Unde quòd quilibet eorum septenariorum significaret septimam ætatem mundi, & tempus Christi, in quo erat futura generalis remissio peccati, & generalis quies, ostendit Beatus *Ambrosius in hymno Pentecostes* dicens:

Solemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora &c.

Item infra:

Patrata sunt hæc mystice
Paschæ pacto tempore:
Sacro dierum numero
F *Quo lege fit remissio &c.*

Ex quibus patet, quòd septenarius hebdomadarum dierum à Pascha usque ad Pentecosten & septenarius hebdomadarum annorum, qui dicebatur *Jubileus*, significabat tempus Christi in septima ætate mundi. Et per consequens sic erit dicendum de cæteris septenariis supradictis. Et sic patet, quòd totum tempus Messiæ usque ad finem mundi, dicitur septima, ætas & septimus dies mundi. Ex quo sequitur quod Sabbatum usuale, quod Deus præcepit celebrari in septimo die, figurabat requiem futuram in septimo die mundi, scilicet, qualiter homo debebat cessare ab operibus, & jugo legis, & ab omni opere servili peccati per totum tempus Messiæ, quod est Sabbatum mun- G di, figuratum per Sabbatum legale, de quo tempore locuti sunt Prophetæ: in quo tempore erant declaranda omnia secreta & ænigmata legis, ut ait *Rabi Salomon super Zachariam*: quorum cærimonialium intelligentia non poterat declarari, nisi per Regem Messiam, ut dicunt Hebræi. Unde dicunt, quòd nullus debet præsumere talia secreta velle detegere: quia hoc pertinet ad solum Messiam in suo adventu. Quæ quidem secreta cærimoniarum vocant *Ticu*, id est, silentium relinquendum declarandum pro Rege Messia. Ex quo patet, quòd omnia illa Sabbata figurabant & significabant futuram requiem in septimo H die mundi, quod est tempus Messiæ.

Sabbatum figurabat futuram requiem.

Sed Sabbatum usuale ultra hoc figurabat futuram requiem Christi in sepulchro in die Sabbati, in quo Christus jacuit per totam diem Sabbati. Et sic patet, quare Deus præcepit Sabbatum usuale celebrari in die septimo: & quare omnia alia Sabbata annualia præcepit celebrari semper in fine alicujus septenarii: quia omnia significabant futuram requiem in septima ætate mundi: scilicet, in tempore Regis Messiæ, in quo omnia legalia debebant cessare, ut magis patebit.

Sabbatũ sic celebrandum

Quantum ad quintum, cùm quæritur: *quomodo præcepit Deus Sabbatum celebrandum, & sanctificandum*? Respondetur, quod Deus primò præcepit, quod homo nullum opus servile faceret in eo: & quod nullus accenderet ignem in suis habitaculis per totam diem à vespere usque ad vesperam, *Exod.* 35. Per quod figurabatur, quod Christus Sol justitiæ, & lumen mundi, debebat jacere in sepulchro mortuus & extinctus ibi clausus & sigillatus. Et ideo est quædam secta Judæorum, qui dicuntur *Charraim*, in Græcia, & in partibus Orientalibus, qui per totam diem Sabbati à vespera usque ad vesperam nullum lumen accendunt, nec habent in tota domo sua: sed per totum illud tempus manent in tenebris in uno angulo domus. Unde dicunt, quòd isti Judæi, qui habitant inter nos apud Latinos sunt prævaricatores legis: eò quòd contra præceptum Domini habent lumen in domibus suis in die Sabbati. Ex quo patet, quod illi magis propriè servant Sabbatum quoad figuram & ad litteram, quàm isti, ut magis inferius patebit. Secundò, Deus præcipiebat sanctificari diem Sabbati, offerendo specialiter certa sacrificia, ut patet per totum *Levitic.* quæ omnia significabant unum solum sacrificium mediatoris, quod in Cruce immolatum est, ut inquit *Augustinus contra Adversarium Legis & Prophetarum.*

Quare Deus totiens replicat hoc præcep-- tum.

Ad sextum autem cum quæritur: *quare Deus totiens iteravit & repetivit & replicavit hoc præceptum, magis quam alia per totum discursum legis*? Respondetur, quod quia Sabbatum præceptum fuit uno modo in memoriam creationis, ubi memoratur fides unius Dei Creatoris, per quam fidem ille populus dicebatur specialiter *populus Dei cœli*, & distinguebatur ab omnibus aliis nationibus: eò quòd aliæ nationes adorabant plures Deos, & putabant mundum esse ab æterno. Ideo Deus voluit, ut Sabbatum celebraretur quolibet die septimo semel in septimana: ut in illo populo firmaretur memoria & fides unius Dei Creatoris. Et sic voluit repetere multotiens hoc præceptum, ne obliviscerentur fidem unius Dei Creatoris. Et ideo dicit: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*: quasi dicat, Ne obliviscaris fidem unius Dei creatoris, & ne declinens ad idola, sicut cæteræ nationes. Et ideo voluit Deus, quòd in die Sabbati legeretur lex, & fierent plura sacrificia in Tabernaculo & Templo: ut commemoraretur & firmaretur fides unius Dei, eò quòd observantia hujus præcepti magis ducebat eos in memoriam & fidem unius Dei Creatoris omnium rerum. Et est causa quare Deus magis præcepit, & dedit hoc præceptum sub comminatione mortis, quàm alia præcepta: eò quòd negligendo hoc præceptum, fuissent obliti fidem unius Dei, & declinassent ad idola cum cæteris nationibus. Et ideo præcepit illico lapidibus obrui illum, qui collegit ligna in die Sabbati. *Numeri* 15.

Et per hoc respondetur ad unicum quæsitum, cum quæritur: *Usquequo erat servandum illud Sabbatum*? Dicendum quod hoc præcepit Deus sub fœdere sempiterno, *Exod.* 31. Sed jam dictum est in *Quæstione præcedenti*, quomodo data fuit Circumscio, & tota lex sub fœdere sempiterno in signum fidei Christi futuri. Et ideo sempiternitas signi erat duratura usque ad veritatem sui significati: *quia æternum* idem est quod *simul per totam aliquam ætatem.* Ideo Sabbatum quoad signum fuit æternum cam tota lege simul cum illa ætate: sed quoad suum significatum est *æternum* per totum Sabbatum & tempus Messiæ, ut postea dicetur. Et sic patent decem conditiones & causæ, propter quas Deus præcepit Sabbatum observari. Quarum prima fuit ad requiem hominis, & sanctificationem & ad latriam Deo exhibendam. Secunda, in memoriam creationis & exitus Israel de Ægypto. Tertia, in signum distinctivum. Quarta, in signum figurativum. Quinta, in signum fœderis & fidei. Sexta, sub tali requie: ne accenderetur lumen in domo. Septima, ut in die Sabbati fierent lautiora holocausta, & sacrificia. Octava, fuit præceptum cum multiplici repetitione. Nona, sub pœna mortis. Decima, sub fœdere sempiterno, propter causas prædictas. His habitis ponitur

Causæ decem propter, quas præcepit Sabbatũ observari

Prima Conclusio.

PRæceptum de Sabbato celebrando est partim morale propter primam conditionem. Probatur. Nam primò Sabbatum fuit præceptum ad requiem hominis & sanctificationem Dei, scilicet, ut homo cessaret ab omni negotio mundano: ut facilius posset Deo servire, & Latriam exhibere: sed hoc pertinet ad justitiam. Nam de jure naturæ debetur Deo Latria servitus: nam justum est ut ipsi à nobis serviatur, & ipsi exhibeamus Latriam servitutem, scilicet, adorationem sub ratione summæ majestatis & Dominii: & oblationem ratione conservationis & providentiæ: & hymnum & laudem ratione bonitatis & beneficiorum omnium ab eo receptorum. Et hoc dictat ipsa justitia moralis. Et ideo Latria est de jure naturæ & morali apud omnes nationes, licet modus exhibendi istam Latriam sit diversus: quia hoc pertinet

dinet ad veram fidem, & virtutes Theologicas, quæ credit verum objectum, circa quod ordinat verum modum secundum præcepta Divinæ Legis. Sed universaliter loquendo hoc præceptum est morale, eo modo quo dictum est. Et ideo ut sic non sibi determinat magis unam diem, quam aliam: sed oportet ut aliqua dies in septimana ad hujusmodi sanctificationem & Latriam sit Deo dedicata: Et ut sic hoc præceptum est stabile & æternum, ut patebit.

A

Secunda Conclusio.

PRæceptum de Sabbato celebrando magis est cærimoniale, quàm morale. Probatur. Nam hoc præceptum datum est ad decem conditiones: sed secundùm omnes alias conditiones, præter primam, est cærimoniale: quia omnes illæ conditiones sunt cærimoniales, & pertinent ad cærimonias. Igitur est magis cærimoniale quàm morale: quia tantum est morale per primam conditionem, scilicet, in quantum datum est ad requiem hominis & sanctificationem Dei ut dictum est. Sed hoc probatur per singula.

B

Nam primò est morale, in quantum fuit datum in memoriam creationis: eò quòd illa creatio mundi materialis fuit figura recreationis & redemptionis generis humani. Nam sicut sex diebus creavit Deus cœlum & terram, & in septimo requievit ab omni opere quod patrarat: ita pariter Christus incipiens à die Dominico, quo intravit Hierusalem, per sex dies operatus est nostram redemptionem. Quia feriâ secundâ & tertiâ disputavit cum Scribis & Pharisæis in Templo, unde concepetunt odium contra eum: & feriâ quartâ fuit venditus: & feriâ quintâ fuit captus: & feriâ sextâ fuit Crucifixus: & in die septimo per totam diem quievit mortuus in sepulchro. Unde totus iste discursus nostræ redemptionis fuit figuratus per illum septenarium creationis, in cujus figura Deus præcepit Sabbatum celebrari. Et sic patet, quòd quoad illam memoriam creationis est cærimoniale: eò quòd illa creatio fuit signum & figura nostræ redemptionis.

C

D

Item, fuit præceptum in memoriam exitûs Israel de Ægypto: eò quòd ille figurabat exitum Sanctorum Patrum de Limbo inferni. Unde sicut in illa nocte Ægyptus fuit expoliata, & Israel liberatus &c. per hoc figurabatur, quòd in tali nocte sequente Sabbatum Christus debebat infernum expoliare, & fideles veteris Testamenti de inferno liberare: quod impletum fuit in nocte resurrectionis. Et ideo in hujus figura præcepit Sabbatum observari, ut preallegatum est *Deut.* 5.

E

Item, hoc præceptum fuit merè cærimoniale, in quantum datum est in signum distinctivum & figurativum, aut in signum fœderis & fidei: quia ut sic non fuit præceptum gratiâ sui, sed gratiâ significati futuri, in quantum figurabat futuram quietem Christi in sepulchro, scilicet, quòd per totam noctem Sabbati debebat jacere & quiescere mortuus in sepulchro: aut in quantum figurabat Sabbatum mundi in septima ætate.

Item fuit cærimoniale in quantum fuit præceptum observari in die septimo determinatè: eò quòd significabat, qua-

F

liter in septimo die mundi, scilicet in septimo sæculo & in tempore Messiæ omnia cærimonialia debebant cessare, & omnis visio & prophetia erat finienda, & peccatum & iniquitas debebat finem accipere, *Dan.* 9. Et per eandem rationem omnia festa annualia erant cærimonialia: eò quòd omnia data sunt, & præcepta celebrari in fine alicujus septenarii: eò quòd figurabant requiem & mysterium in septima ætate mundi tempore Christi. Nam festum Pentecostes, quod fuit præceptum celebrari in fine septimæ hebdomadæ à Pascha in memoriam dationis legis, quæ data fuit in monte Sinai in signis & nube ignis; figurabat, quòd quinquagesimo die post resurrec-

G

tionem Christus mittere debebat Spiritum sanctum in Discipulos in linguis igneis, & illustrare Apostolos, & dare eis dona gratiarum ad intelligendam veritatem Legis & Propherarum. Et ita pariter in mense septimo præcepit illa tria festa celebrari, prout figurabant, qualiter in septimo die, scilicet in tempore Christi, debebat fieri generalis expiatio, & purgatio, & redemptio per Christum: & qualiter debebamus quiescere in Tabernaculis istius Ecclesiæ per gratiam, & in futura Ecclesia per gloriam. Et sic patet, quod totum tempus gratiæ ex quo Christus resurrexit, dicitur *Sabba-*

H

tum mundi, in quo quiescimus ab operibus legis cærimonialibus. Et dicitur *septimus mensis mundi*, in quo celebramus illa tria festa quoad verum significatum: & dicitur etiam *annus remissionis, & indulgentiæ, & libertatis*, ut patet *Isai.* 61. & patebit infra.

Item hoc præceptum fuit cærimoniale ratione modi colendi. Nam Deus præcepit, *Exod.* 35. quòd nullus haberet, nec accenderet ignem in habitaculis suis per totam diem Sabbati: sed hoc mysterium non potuit esse gratiâ sui, nec alicujus rei præteritæ: Ergo fiebat in signum alicujus rei futuræ, sicut omnes Judæi concedunt: quia significabat, quòd

omnia illa mysteria secreta, quæ *Ticu*, id est, *silentium* appellant Judæi, erant detegenda in tempore Messiæ. Et ideo figurabatur, qualiter Christus lumen mundi debebat jacere extinctus, & mortuus, & absconsus in sepulchro per totum diem Sabbati. Et sic patet quod erat præceptum cærimoniale. Nam omnia illa dicuntur ab eis cærimonialia, de quibus non possunt reddere rationem, sed sunt relinquenda pro tempore Messiæ declaranda.

Tertia Conclusio.

PRæceptum de Sabbato celebrando partim est judiciale. Probatur. Nam illa præcepta sunt judicialia apud eos, quæ obligant ad pœnam transgressores: & maximè quæ fuerunt data sub comminatione mortis: sed præceptum Sabbati fuit datum sub comminatione mortis, *Exod.* 31. & 35. Ergo sequitur, quòd est partim judiciale. Unde hæc est etiam causa, quare Deus totiens replicavit & repetiit hoc præceptum, ostendens ipsum esse judiciale: ideo præcepit lapidari colligentem ligna in Sabbato, *Num.* 15. Ex quibus omnibus patet, quòd præceptum Sabbati non est merè morale, nec etiam merè cærimoniale, nec merè judiciale; sed partim est morale, & partim cærimoniale, & partim judiciale. Ideo in quantum est morale, ponitur inter præcepta moralia, *Exod.* 20. & *Deut.* 5. sed in quantum est judiciale, ponitur inter præcepta judicialia, *Exod.* 23. Sed in quantum est magis cærimoniale, & significativum de futuro, ponitur inter cærimonialia in omnibus aliis locis, ut patet per totum discursum Legis & Prophetarum. Et hoc de primo Articulo.

§. II.

Prima Conclusio.

Articuli Secundi.

QUantum ad secundum Articulum ponitur Prima Conclusio. *Adveniente Christo, putà, postquam resurrexit Christus, debuit cessare præceptum de celebrando Sabbato.* Probatur. Nam illud præceptum fuit cærimoniale: Ergo debuit cessare in adventu Christi. Antecedens patet per ea quæ dicta sunt in *primo Articulo*. Consequentia etiam patet. Nam dictum est per Judæos, quod secreta cærimoniarum non sunt detegenda usque ad tempus Messiæ, qui omnia ænigmata & secreta legis debet declarare. Sed omnia illa signa & ænigmata fuerunt in Christo completa, & per ipsum declarata: igitur adveniente Christo omnia debuerunt cessare.

Item probatur idem. Nam adveniente veritate, & vero significato, debent signa cessare: Sed Sabbatum fuit præceptum in multiplex signum, ut probatum est in *primo Artic.* Ergo adveniente veritate & significato illorum signorum, debet Sabbatum cessare: Sed Christus complevit in se omnes veritates significatas per Sabbatum & per signa sua: Ergo Sabbatum cessare debuit; imò cessavit in adventu Christi, postquam in Christo omnia signa fuerunt impleta. Sed probatur per singula eadem Conclusio.

Ad cujus intellectum est primo notandum secundùm *Augustinum in primo de Doctrina Christiana*, & *contra Faustum*, quòd ista differentia est inter rem, & signum. Nam res est gratiâ sui; sed signum non gratiâ sui, sed gratiâ veritatis rei per ipsum signum significatæ, & figuratæ. Sed quia Lex vetus non fuit data absolutè in rem, sed in signum: ideo non fuit data gratiâ sui, sed gratiâ rei & veritatis per ipsam significatæ.

Sed est ulterius advertendum, quòd licèt omnia signa significent aliquam rem & veritatem; tamen non omnia signa significāt eodem modo suam veritatem. Nam quædam significant suam veritatem de præsenti tantùm: sicut circulus ante tabernam significat vinum de præsenti. Quædam autem signa significant suam veritatem tantùm de futuro, & de longe. Exempli gratiâ. Nam in littoribus marinis in turribus altis ponuntur speculatores, qui videntes à longè naves, aut galeas venire per mare, illico elevant signum navis à longè venientis: & sic cognoscunt cives Civitatis, & expectant navem venturam: sed postquam navis applicatur ad portum, illico speculator removet signum: quia aliter signum esset falsum & frustrà: quia illud signum ita est de futuro, quòd non de præsenti: aliter deciperet aspectantes. Et talis mos servatur in *Civitate Barchinonensi*, quę est sita juxta *montem Jovis*, in vertice cujus est turris, ubi continuè speculator circunspicit & speculatur à longè naves venientes, & facit signa supradicta. Et idem mos servatur in *Civitate Majoricarum*, & pluribus aliis locis marinis.

Signa quo modo significant suam veritatem.

Item iste modus servabatur *Romæ* in Kalendis pronunciandis. Nam Romæ in quolibet mense fiebant nundinæ diversarum mercium. Et quælibet nundinæ habebant sua distincta privilegia. Ideo nundinæ futuræ prænuntiabantur per decem & octo dies ante principium mensis, vocando mercatores ad nundinas, & prænunciando privilegia nundinarum illius mensis. Et sic præco exibat in

Nota de nundinis.

in forum, & cum tuba clamabat dicens: *Calo, Calo.* Unde quotiens clamabat *Calo*; tot dies remanebant usque ad principium mensis, in quo nundinæ inchoabantur. Et sic per illos septemdecim dies semper ille præco procedebat diminuendo dies, usque ad principium mensis, in quo jam incipiebant nundinæ, & exinde præco jam non amplius clamabat *Calo*: nec Kalendas: sed clamabat: *Nonas, Nonas.* Quasi dicat, jam venerunt nundinæ. Et cessabant *Calendæ*, eò quòd erant signa tantum de futuro: sed *Nonæ* erant tantum de præsenti. A

Ita ergo pariter est dicendum de Lege veteri, & Euangelica. Nam Sacramenta, & sacrificia, & omnia cærimonialia Legis veteris erant signa tantùm B de futuro, & non de præsenti. Ideo Patriarchæ, & Prophetæ, & tota Lex significabant Christum de futuro, qui omnia illa signa debebat verificare: sicut illud signum speculatoris significabat navem de longe venientem. Et sicut ille præco Romanus clamabat & prænuntiabat nundinas futuras in mense sequenti: ita Lex & Prophetæ clamabant, & prænunciabant Christum venturum in tempore gratiæ, & in sæculo, & mense gratiæ. Et ideo sicut applicante navi ad portum speculator declinat & removet signum; ita pariter veniente Christo in carne, & ad passionem, & resurrectionem; cessarunt omnia signa & cærimonialia C Legis, quæ Christum venturum figurabant. Et sicut veniente principio mensis, in quo inchoabantur nundinæ, jam præco amplius nec clamabat, nec prænuntiabat *Kalendas*, sed clamabat *Nonas, Nonas*, id est, jam venerunt nundinæ: ita pariter adveniente Christo cessaverunt clamare Lex & Prophetæ, qui solùm clamabant & figurabant Christum futurum: sed tunc clamavit & incœpit clamare Euangelium, annuntiando Christum venisse.

Et sic est dicendum, quòd Lex & Prophetæ non erant signa de præsenti, sicut circulus ante tabernam: sed erant signa tantum de futuro, sicut signa speculatorum, & sicut clamor Kalendarum. D Et ideo advenientem Christo cessaverunt omnia cærimonialia, & Lex & Prophetæ. Et ideo Daniel fuit sicut præco Romanus. Nam sicut ille prænuntiabat nundinas per decem & octo dies ante: ita Daniel prænuntiavit adventum Christi dicens: Post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus &c. Et quia in adventu & morte Christi debebat cessare Lex & Prophetæ: ideo dicit Daniel, quod tunc cessabit omnis visio & prophetia, ut finis accipiat peccatum &c. Et quia tota Lex debebat cessare, ideo subdit: *Cessabit hostia & sacrificium in Templo &c.*

Ex supradictis patet quomodo cærimonialia erant signa, non de præsenti, sed de E futuro: & ideo debuerunt cessare adveniente Christo, in quantum erant signa ejus de futuro. Pro cujus declaratione ponitur

Prima Conclusio.

SAbbatum aliquando debuit cessare. Probatur. Nam sabbatum datum fuit in signum futuræ veritatis, & non gratiâ sui: ergo adveniente veritate debebat cessare: quia postquam signum est verificatum per suum futurum signatum, debe cessare: quia amplius jam non esset verum, sed falsum signum: quia F de ratione signi rei futuræ est, ut cesset, postquam est verificatum adveniente veritate.

Secunda Conclusio.

SAbbatum legale cessavit per adventum Christi. Probatur. Nam sabbatum legale fuit præceptum in multiplex signum, & cum illis conditionibus significantibus futuras veritates per Christum implendas: Sed omnia illa signa cum suis conditionibus fuerunt impleta & verificata in Christo: Ergo totum sabbatum cum suis signis fuit verificatum per Christum, & per adventum ejus: ergo tunc debuit cessare, & cessavit de facto. *Sabbatū legale cessavit &c.*

G Major est nota, & probata in *primo Articulo*, & doctrina præcedenti. Minor probatur per singula.

Nam primò Christus verificavit sabbatum, in quantum fuit præceptum in memoriam creationis: eò quòd ille discursus creationis figurabat primò discursum nostræ redemptionis. Nam sicut Deus sex diebus creavit cœlum & terram: ita Christus incarnatus per sex dies laboravit in nostra redemptione & recreatione: & in septimo die per totam diem mansit in sepulchro mortuus, cessando à labore corporis. Item verificavit sabbatum in quantum discursus illorum sex dierum figurabat qualiter homo mysticus per sex H dies debebat peregrinari per hunc mundum: sed in septimo die debebat in Christo ab omnibus operibus Legis quiescere.

Item verificavit sabbatum, in quantum fuit datum in memoriam exitus Israel de Ægypto. Nam sicut Moyses illa nocte expoliavit Ægyptios, & liberavit, & ditavit Hebræos: ita Christus in illa nocte resurrectionis, quæ fuit nox sabbati præcedentis, expoliavit infernum & liberavit omnes fideles veteris Testamenti. Ex quo patet, quòd postquam illud signum fuit verificatum, non est amplius celebrandum sabbatum legale. Unde

li-

licet sabbatum fuerit præceptum in memoriam illorum duorum mysteriorum, scilicet creationis, & exitus Ægypti: tamen A quia illa fuerunt facta in signum nostræ creationis & liberationis: ideo illis verificatis, debuit etiam talis memoria cessare.

Item fuit sabbatum verificatum & cessavit, in quantum fuit præceptum in signum distinctivum, ut ille populus distingueretur à populo Gentili, & cæteris nationibus, quæ non credebant creationem, & adorabant plures deos: sed post adventum Christi totus populus Gentilis venit ad fidem Christi, & credidit unum Deum Creatorem, & etiam Redemptorem: Ergo ampliùs non fuit necessarium sabbatum celebrari propter talem distinctionem: B & sic illicò debuit cessare.

Item debuit cessare, & fuit verificatum, in quantum datum fuit in signum figurativum sepulturæ Christi, & in quantum fuit datum in signum fidei Christi futuri, & in signum servitutis: quia Christus per suam sepulturam ipsum sabbatum verificavit, & explevit, & omnes à servitute Legis liberavit.

Item Sabbatum fuit verificatum, in quantum fuit præceptum celebrari in septima die: quia ut sic figurabat requiem futuram in septima die mundi, in qua Christus venit. Nam Christus per septem dietas peregrinatus est ab *Adam* usque ad ejus adventum in Patriarchis & Prophetis: sed in septima die & ætate mundi C apparuit incarnatus, & quievit à peregrinatione, & operibus Legis, factâ redemptione: & quievit, & quiescit in nobis, & nos in eo per gratiam in toto isto septimo die mundi usque ad secundum adventum. Et sic est dicendum de cæteris sabbatis annualibus, quæ fuerunt præcepta celebrari semper in fine alicujus septenarii: quia omnia figurabant requiem in hoc ultimo sæculo Messiæ, qui dicitur *septimus dies*, & *septimus annus*, & *septimus mensis mundi*: in quo Deus verificavit omnia illa sabbata. Ex quo patet, quòd omnia illa debent cessare.

Item Deus verificavit sabbatum, in D
Nota. quantum Deus præcepit, ut nullus accenderet lumen in domibus suis: quia in tali die Christus lumen mundi jacuit mortuus, sepultus, & extinctus, & clausus in sepulchro, prout illud figurabat: Ergo post sepulturam Christi amplius non est celebrandum.

Probatur secundo ista Conclusio. Nam sabbatum fuit mortuum, & non resurrexit cum Christo: Ergo cessavit post resurrectionem Christi. Consequentia patet: Antecedens probatur, prout fuit dictum in *præcedenti Quæstione*. Nam Christus fuit crucifixus in die Paschæ: quod tunc accidit in die Veneris: Ergo E fuit Pascha crucifixum cum Christo; & per consequens fuit etiam sepultum cum Christo in eadem die: quia omnia cærimonialia quæ ad Christum ordinabantur fuerunt cum eo crucifixa, in quantum Christus erat finis & veritas Legis: quia omnia legalia tendebant in ipsum tamquam in finem & terminum: Ergo cum eo omnia legalia crucifixa sunt & sepulta: & per consequens Sabbatum fuit cum eo sepultum, quia per totam diem fuit cum eo clausum & sigillatum in sepulchro: sed quando Christus resurrexit, nec surrexit cum eo Pascha, nec sabbatum, quia in sepulchro manserunt: sed sola dies Dominica surrexit cum Christo. *Pascha cum Christo crucifixum.*

F Et sic patet, quòd Sabbatum cum Pascha fuit incineratum in sepulchro cum omnibus cæteris legalibus, sicut dictum est in *Quæstione præcedenti*: & per consequens nec Pascha, nec sabbatum debent ampliùs celebrari: quia res mortua & incinerata non debet celebrari.

Hanc Conclusionem probat *Apostolus ad Colos.* 2. Unde dupliciter probat ibi sabbatum, & cætera legalia cessasse per mortem Christi. Uno modo, in quantum erant contractus debitorius, quo obligamur ad Legem servandam usque ad mortem testatoris: ergo sequitur quod mortuo creditore, mortuus fuit, & deletus, & rasus ille contractus & obligatio. Item mortua fuit etiam Lex, in *Mortua fuit Lex.*
G quantum Christus, qui erat finis Legis, crucifixit eam secum, & affixit cruci. Unde ait Apostolus: *Vos cùm essetis in delictis, & præputio carnis vestræ convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Et expolians principatus & potestates &c. Nemo igitur vos seducat, aut judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi & Neomoniæ, aut sabbatorum: quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Ex supradictis intendit *Apostolus* dicere, quod sabbatum, & legalia cætera erant quædam omina &
H figura, & quoddam chirographum debitorium: ideo omnia fuerunt mortua cum Christo & rasa: & per consequens nullus obligatur amplius ad servandum ea. Hoc idem probat *ad Rom.* 9. in quantum Lex erat contractus Matrimonialis, ut dictum est.

Probatur ista eadem Conclusio pluribus authoritatibus veteris Testamenti. Et primò *Isaiæ* 1. ostendentis, post adventum Messiæ sabbatum & cætera legalia abolenda, & non acceptabilia Deo. *Dicit Dominus: Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi.*

mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & festivitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri: Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea. Ex quo patet, quod post adventum Christi sabbata, & cætera legalia non solùm sunt cassa, sed etiam Deo abominabilia. Item *Isai.* 56. dicit Dominus, quòd non solùm mutabit templum, & sacrificia veteris Legis; sed etiam Sacerdotium ad conversos de populo Gentili, & mutabit omnes festivitates & sabbata. Unde ait: *Mittam ex eis qui salvati fuerint: Et annuntiabunt Gentibus gloriam meam, & assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus: quia sicut cœli novi, & terra nova, quæ ego facio coram me: sic stabit nomen vestrum & semen vestrum. Et erit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato &c.* Ex dictis in toto isto ultimo capitulo patet, qualiter Christus debebat creare novam Ecclesiam, & nova sacrificia, & novos Sacerdotes, & per consequens totam Legem: quia translato Sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat. Et etiam debebat mutare nomen illius populi in populum Gentilem simul cum Sacerdotio. Nam populus Gentilis debebat nominari nomine *Israel* & *Levi*: & per consequens populus Gentilis debebat hæreditare Sacerdotium, & *nomen Israel* & *semen Abrahæ*. Et subdit, qualiter omnia festa legalia erant mutanda in festa Euangelica. Nam ex Sabbato legali debebat succedere Sabbatum Euangelicum in sequenti die Dominico.

Item hoc idem probatur magis clarè *Hier.* 16. ubi dicit Dominus comminando populo Judaico: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus. Et non dicetur ultra: Vivit Dominus qui eduxit Filios Israel de terra Ægypti: sed, Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de universis terris, ad quas ejeci eos &c.* Ex dictis in hoc capitulo patet, qualiter Pascha & Sabbatum, quæ celebrabantur in memoriam exitus de Ægypto, erant mutanda & abolenda: & erat celebrandum festum novum in memoriam resurrectionis, & nostræ redemptionis, quæ est *dies Dominica* &c. Ex quibus verbis asserunt Thalmudistæ, quod quando veniet Messias in Lege promissus, debet mutare omnes festivitates, & cætera legalia. Ex quo patet secundùm eos quod legalia aliquando debent cessare, & per consequens non sunt æterna simpliciter, prout arguunt contra nos: & sic contradicunt sibiipsis.

Item *Hierem.* 31. Ecce dies *venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, cùm educeret eos de terra Ægypti &c. Post dies illos, dicit Dominus, Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam &c.* Ex quibus patet, quod Rex Messias aliam Legem, & aliud pactum erat daturus in adventu suo: & non erat daturus Legem scriptam in chartis, sed in cordibus & visceribus hominum, per seipsum prædicando in persona; & per consequens illud Sabbatum, & cætera legalia erant abolenda.

Hoc idem probatur *Daniel.* 9. ubi computatis sexaginta duobus hebdomadibus, dicit: quod in ultima hebdomada *occidetur Christus* & cessabit hostia & sacrificium: & in templo erit abominatio & desolatio: & per consequens cessabit Sabbatum, in quo talia sacrificia offerebantur &c. Nam ad hoc erat dedicatum Sabbatum, & cætera festa: quia sub eodem pacto erant data festa & sacrificia: cessante ergo Templo, & sacrificio, cessat etiam & Sabbatum.

Hoc idem probatur *Oseæ* 20. ubi cum Dominus comminatur reprobationem populi Judaici, & prædicit electionem & substitutionem populi Gentilis, inter cætera dicit: *Cessare faciam omne gaudium ejus, & solemnitatem ejus, & neomenias ejus, & Sabbatum ejus, & omnia festa & tempora ejus.* Item capitulo tertio subdit: *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, sine Principe, & sine Sacerdotio, & sine altari, & Ephod, & Teraphim. Et post hæc revertentur filii Israel & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum. Et pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum*, scilicet, post mortem Anti-Christi, prout alibi declarabitur. Et sic ad probationem hujus Conclusionis possunt adduci infinitæ authoritates Prophetarum, quæ nihil aliud clamant, nisi quòd omnia sacrificia, & omnia legalia debebant cessare in adventu Christi: eò quòd omnia figurabant mysteria per ipsum implenda: & quomodo omnia erant via in ipsum tamquam finem & terminum: & quomodo in eo debebant consummare cursum & officium suum.

§. III.

Quantum ad tertium Articulum est primò notandum: quòd quia Sabbatum fuit præceptum ad requiem & cessationem respectu hominis, & ad sanctificationem respectu Dei, & datum fuit in signum: ideo quatuor sunt consideranda in celebratione & observantia Sabbati. Primò signum, sive Sabbatum figurativum. Secundò veritas signi, id est, verum Sabbatum figuratum. Tertiò cessatio, sive modus cessandi: & à quibus

bus est cessandum, & abstinendum. Quartò est considerandus modus sanctificandi Sabbatum. A

Quantum ad primum jam dictum est, quòd Sabbatum significativum fuit determinatum à Deo in septima die septimanę, in signum futuræ quietis Christi in Sepulchro in septima die, & in signum nostræ quietis per gratiam in septima die mundi: quod quidem signum jam est verificatum per Christum, & per consequens jam cessavit, ut probatum est in *secundo Articulo.*

Quantum ad secundum dictum est, quòd per verum Sabbatum figuratum & verificatum est totum tempus gratiæ, in quo sumus à resurrectione Christi usque ad generalem resurrectionem nostram in B die Judicii.

Quantum ad tertium dictum est, quomodo tali die cessandum est ab omni opere servili & prohibito: quia aliter non esset celebrare, sed violare & prævaricari Sabbatum.

Quantum ad quartum est dicendum, quòd vera sanctificatio Sabbati est facere opera sancta in eo erga Deum & proximum: & opera sancta erga Deum, est exhibitio veræ & perfectæ Latriæ: opera sancta erga proximum sunt opera misericordiæ & justitiæ: & iste est verus modus sanctificandi Sabbatum. His habitis ponitur

C

Prima Conclusio.

JUdæi moderni celebrant falsum Sabbatum. Probatur. Nam Sabbatum fuit præceptum celebrari in septima die, in signum sepulturæ Christi futuræ, & in signum futuræ cessationis ab operibus Legis in septima die mundi: Sed utrumque signum fuit jam completum, & verificatum per Christum: quia jam Christus per totum septimum diem naturalem jacuit in sepulchro, & jam venit, & sumus in septima die mundi, & in tempore gratiæ, in quo debemus abstinere ab omni opere servili Legis, & peccati: Ergo signum jam cessavit, nec est ampliùs aspiciendum; quia jam manet falsum: sicut signum navis venturæ D manet falsum, postquam navis applicuit ad portum, eò quòd illud signum est tantum de futuro, ut dictum est; & sicut clamor Kalendarum esset falsus in principio mensis, quando jam nundinæ sunt iuchoatæ, prout dictum est. Ex quibus patet quod Judæi celebrant falsum Sabbatum.

Secunda Conclusio.

NO solum Judæi celebrant falsum Sabbatum in tali die quantùm ad signum; sed etiam quantùm ad integritatem temporis: quia non observant diem E naturalem & integrum litteraliter præceptum, quia adhuc non servant Sabbatum litteraliter. Probatur ista Conclusio. Nam dies naturalis & integer secundùm Scripturam veteris Testamenti mensurabatur à mane usque ad mane, ut patet *Genes.* 1. Nam Deus in prima die mundi, quæ fuit dies Dominica, de mane incœpit creare lucem, & divisit lucem à tenebris. Et sic discurrendo factum est manè in die Lunæ, & feria secunda: & sic *factus est dies unus*, id est, dies primus, ut dicit Glossa: & sic patet, quòd dies primus fuit à principio diei primi usque ad mane alterius, in quo manè incœpit dies secundus: & sic patet, quo- F modo dies præcedebat noctem secundùm ordinem naturæ. Et sic discurrendo per omnes dies, in feria sexta de mane expletus fuit dies quintus, & incœpit sextus, in quo Deus creavit animalia terrestria quadrupedia, & creavit hominem: & sic in illa die factum est vespere, & transatâ nocte factum est mane, & completus dies sextus in principio sabbati: quia finis unius diei erat principium alterius. Et tunc in septimo die de mane in principio lucis, finito die sexto, Deus incœpit quiescere *æb omni opere quod patrarat*, & sanctificavit illam diem, ut patet in textu.

Ex quo sequitur primò quod illa dies septima non incœpit in vespere noc- G tis præcedentis, quia illa nox præcedens tota pertinebat ad diem sextum; sed incœpit de mane, & duravit usque ad aliud mane, in quo incœpit dies Dominica.

Item sequitur secundò, quod Deus non incœpit sabbatizare & quiescere, nisi in die septimo de mane in principio lucis: quia ibi fuit expletus dies Veneris, & incœpit sabbatum.

Ex quibus omnibus patet veritas hujus secundæ Conclusionis, scilicet, quòd non servant integrum sabbatum quantum ad tempus; immò truncatum, & diminutum, & indebitum: nam usurpant noctem præcedentem, quæ perti- H net ad diem Veneris; & dimittunt noctem sequentem, quæ pertinet ad diem septimam: Ergo non verè sabbatizant totam diem septimam: quia incipiunt quiescere in die Veneris de sero, & revertuntur ad laborandum in die sabbati de sero: & sic auferunt totam noctem sequentem, quæ secundùm ordinem naturæ pertinet ad diem septimam usque ad mane, & in principium diei Dominicæ, ut patet in littera libri Geneseos. Et sic patet, quòd adhuc litteraliter non verè & perfectè observant sabbatum in memoriam creationis, prout se putant & asserunt servare.

Sed

Sed ad hoc respondent Judæi: quòd verum est quòd iste supradictus est verus ordo dierum secundùm naturam, & litteram. Sed Moyses dedit eis modum servandi sabbatum, *Levit.* 23. cum dixit: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Et ideo incipiunt sabbatizare in vespera noctis præcedentis usque ad aliam vesperam. Sed tunc non evadunt argumentum & rationem: quia semper manet septima dies violata, & truncata, & diminuta; & per consequens non verè celebraretur in memoriam creationis, nec eo modo quo Deus eam celebravit & sanctificavit: & sic Deus esset contrarius sibi ipsi. Et ideo illa secta Judæorum, qui dicuntur *Charraim*, hoc inconveniens fugere & vitare volentes, glossant illud dictum, scilicet, *à vespera usque ad vesperam*, id est, à nocte usque ad noctem inclusivè celebrabitis sabbata vestra. Et sic incipiunt cessare à vespere noctis præcedentis, & finiunt sabbatum suum in die Dominica de mane. Et sic per duas noctes cum toto die intermedio celebrant sabbatum à nocte usque ad aliam noctem inclusivè: in quo tempore nec accendunt, nec habent lumen in habitaculis suis, prout Deus præcepit, *Exod.* 35. Et ideo dicunt, quòd isti Judæi vocati *Rabanim*, qui habitant inter nos, non sunt veri Judæi, sed prævaricatores, & non observatores Legis, & quòd omnes sunt damnati, & maledicti. Ideo nullo modo volunt cum eis conversari. Item dicunt etiam isti *Charraim*, quod Deus non solum præcepit celebrari in memoriam creationis, sed etiam in memoriam exitûs Israel de Ægypto, ut patet *Deuteron.* 5. Unde asserunt, quod in nocte sequente sabbatum exivit Israel de Ægypto, & quievit à dura servitute. Et ideo dicit Dominus *Deuteron.* 5. *Memento quod servieris in Ægypto: & Dominus Deus tuus eduxit te inde. Idcirco præcepit tibi ut observes diem sabbati &c.*

Nota de modo servàdi sabbatũ &c.

Et ideo ad tollendum hoc dubium est dicendum secundùm *Augustinum*, quòd tàm locutio Dei de præcepto sabbati, quàm locutio Moysi de quiete Dei in septimo die, est figuraliter intelligenda: nam *Basilius* in suo *Hexaemeron*, & *August.* 11. *de Civit. Dei*, & *super Genes. ad litteram*, dicunt, omnia esse simul creata, & per suas formas distincta, juxta illud *libri Sapientiæ*: *Vivit in æternum qui creavit omnia simul.* Sed dicit *Basilius*, quòd in primo capitulo libri Geneseos *distinguuntur dies secundùm ordinem naturæ, & non secundùm ordinem & successionem temporis*: unde quia continens præcedit contentum, & res præcedit suum ornatum secundùm naturam: ideo ibi in tribus primis diebus memoratur creatio, & distinctio cœlorum & elementorum: & in tribus sequentibus discribitur ornatus eorum. *Augustinus* autem refert illos sex dies ad cognitionem Angelorum.

Nota, August.

Quidam autem alii dicunt similiter omnia simul creata: sed referunt illos dies ad cognitionem & contemplationem ipsius *Adam*. Nam quando Deus duxit omnes creaturas ad *Adam*, ut imponeret eis nomina secundùm naturas & proprietates suas, in primo die temporis per totam diem contemplatus est naturam Angelicam, & in secundo naturam & ordinem cœlorum: & in tertio ordinem & naturas elementorum: & in tribus sequentibus diebus contemplatus est naturas astrorum, & volatilium, & natatilium, & omnium animalium usque ad hominem inclusivè: & sic unicuique imposuit nomen secundùm naturam & proprietatem suam: sed post omnia ista in die Veneris peccavit. Et sic die septimo dicitur Deus quieviſſe ab omni opere &c.

Augustinus autem & *Basilius* dicunt, quòd per illum ordinem dierum & quietem Dei intendit *Moyses* etiam in Deo esse Trinitatem personarum in unitate substantiæ: eò quòd Pater per Verbum dixit omnia, & per Spiritum sanctum dedit eis vitam, & quievit in eis: qui quidem Spiritus ferebatur super omnia opera, ea vivificando in esse existentiæ ad operandum. Et etiam ostendit, Deum esse in triplici genere causæ respectu omnium creaturarum. Nam in quantum Deus fecit cœlum & terram, explicatur esse causam & principium effectus omnium: sed in quantum hoc fecit in principio, & in Verbo, & dicendo per Verbum, ostenditur esse causam & exemplarem & formalem omnium: sed in quantum dicitur quieviſſe die septimo, ostenditur, quòd est finis omnium rerum creatarum: quia ad ipsum tendunt, & in eo sunt, & moventur omnia.

Et ideo licet secundùm *Hieronymum* & alios sacros Doctores, & secundùm *Magistrum*, illi dies intelligantur temporales secundùm successionem temporis: tamen septimus dies semper intelligitur figurativè: quia licet Deus cessaverit à creatione novarum specierum; tamen non cessavit simpliciter creare: quia continuè creat animas rationales ex nihilo, & continuè creat novam gratiam in hominibus justis, & continuè regit & gubernat res à se creatas: & per consequens non cessavit, nec cessat Deus creare. Unde dicit Salvator Judæis, *Joann.* 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Et ideo dicit *Augustinus contra Adversarium Legis & Prophetarum*,

quòd *Propheta Moyses scriptor libri Geneseos non solum intendit scribere ordinem rerum gestarum ; sed etiam prout erant præfiguratio rerum futurarum.* A

Moyses duo præfigurare voluit &c.

Ideo Moyses duo voluit præfigurare per illum discursum & ordinem rerum. Primò discursum temporis hujus mundi. Nam sicut Deus in sex diebus fecit omnes creaturas, & in septimo quievit, & cessavit : ita figurabatur, quòd Deus debebat ducere & regere hominem peregrinando ab *Adam* per sex dietas, & sex ætates usque ad Christum per opera Legis : sed in septimo die & ætate mundi homo debebat quiescere & cessare ab operibus Legis, & quiescere per gratiam in Lege libertatis : quod ita factum est. Nam iste *homo mysticus* peregrinatus est in prima die & ætate mundi ab *Adam* B usque ad diluvium : & in secunda die usque ad *Abraham* : & in tertia usque ad *Moysen* : & in quarta usque ad primum Templum : & in quinta usque ad captivitatem Babylonis, & principium secundi Templi : & in sexta die usque ad Christum : & sic in septima die quievit in Christo, & in Lege libertatis, cessando à Lege & jugo servitutis.

Et sic patet, quòd per diem septimam, & quietem Dei intelligitur cessatio ab operibus Legis in septima die mundi, & tempore gratiæ : & per illam septimam diem intelligitur totum tempus Legis Euangelicæ, & gratiæ Christi.

Item secundò per illam creationem C & discursum figurabatur totus discursus nostræ recreationis & redemptionis : nam sicut Deus per sex dies creavit omnia, & in septimo die cessavit, & quievit: ita Christus incipiendo à die Dominico in ramis palmarum, per sex dies laboravit in nostra redemptione, & in septimo die cessavit à laboribus corporis, & per totam diem corpus quievit, & jacuit in Sepulchro. Propter has ergo supradictas rationes Deus præcepit sabbatum celebrari in die septimo in signum & figuram sepulturæ Christi : & in signum septimæ ætatis, in qua debebamus quiescere in Christo.

Die septimo Sabbatum in figura sepulturæ Christi.

Ex quibus patet, quòd melius & convenientius & magis integrè servant litteraliter sabbatum Judæi *Charraim*, D quam isti Judæi *Rabanim* qui habitant inter nos, in quantum servant duas noctes cum die artificiali intermedio : quia ut sic magis servant veritatem figuræ sepulturæ Christi. Nam per tantum spatium jacuit Christus in sepulchro : quia ipse fuit crucifixus in die Veneris, & in eadem die de sero horâ Completorii fuit sepultus, & jacuit corpus in sepulchro per duas noctes, & diem artificialem intermedium, usque ad diem dominicum de mane in quo resurrexit.

Et sic patet, quòd isti *Charraim* melius intelligunt illud *Levit.* 23. *à vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra* : id est, à nocte usque ad E noctem inclusivè : quia magis satisfaciunt litteræ & figuræ. Quod autem vespera sumatur in Scriptura pro tota nocte, maximè in isto loco, probatur, *Matthæi ultim.* ubi dicitur : *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magd. &c.* id est, in nocte sequent sabbatum : *quæ* quidem nox *lucescit in prima sabbati*, id est, cujus finis & mane est principium diei Dominicæ, quæ apud Judæos dicebatur *prima sabbati* : id est, prima dies post sabbatum. Et sic patet, quòd tota illa nox dicebatur *vespera sabbati* apud Judæos.

F Item sequitur quod isti *Charraim* bene allegant illud *Deut.* 5. ad probandum, quòd in nocte sabbati sequenti exiit Israel de Ægypto, & quod propter hoc Deus præcepit sabbatum celebrari in tali die: quia illud convenientissimum sacramentum & figura fuit pro resurrectione Christi : nam sicut Deus tali nocte expoliavit Ægyptum, & liberavit Israel à dura servitute, & quievit in libertate : ita Christus in nocte sequente sabbatum expoliavit infernum, & liberavit Sanctos Patres & fideles veteris Testamenti ; & die Dominico summo mane resurrexit ad gloriam, & sic in illa nocte & mane fuit illa figura liberationis de Ægypto G per Christum completa in Sanctis Patribus.

Ex hoc etiam sequitur, quòd illa nox sabbati, in cujus fine & mane resurrexit Christus, fuit duplex nox, scilicet, legis & gratiæ. Nam ipsa fuit nox naturalis sabbati legis, in quo tempore dies præcedebat noctem secundum naturam, ut dictum est : & illa eadem fuit nox diei resurrectionis, & temporis, & diei gratiæ, in quo nox præcedit diem. Et ratio est : nam in Lege veteri gratia præcessit peccatum. Unde *Adam* non fuit creatus in nocte, nec in peccato, sed in die, & in gratia : sed postea factum est vespere & nox in eo per peccatum. Etiam in tali nocte peccati vixit totum genus humanum per sex ætates usque- H quò factum est mane per Christum : & sic post noctem peccati & Legis incœpit dies gratiæ in resurrectione Christi. Et sic ille dies Dominicæ resurrectionis fuit primus dies Legis gratiæ succedens noctem peccati, & temporis Sabbati Judæorum, & naturæ : quia *nox præcessit, dies autem appropinquavit, ad Roman.* 13. Et ideo in Lege Euangelica, & in tempore gratiæ, nox præcedit diem, & talem consuetudinem servat Ecclesia in celebratione festorum : quia incipit dies festos celebrare à vespere noctis præce-

den-

dentis, & facit quòd nox præcedat diem, propter causam jam dictam. Et sic est dicendum, quòd illa nox resurrectionis A fuit communis diei sabbati præcedentis, & diei Dominicæ subsequentis: & sic fuit duplex nox. Et per hoc solvitur difficultas illius dicti Salvatoris *Matth.* 12. quod *sicut Jonas stetit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita oportet esse Filium hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ.* Nam licèt per *Synecdochen* Christus steterit in Sepulchro tribus diebus, sumendo partem pro toto: quia cepit finem diei veneris, & principium diei Dominicæ cum toto die Sabbati: tamen non cepit aliquid de tertia nocte: quia non fuit ibi, nisi per duas noctes. Et ideo quia illa nox resurrectionis fuit duplex, est dicendum, quòd licèt Christus non jacuerit B in Sepulchro nisi per duas noctes temporales; tamen stetit ibi per tres noctes Sacramentales: & sic solvitur difficultas; quia Scriptura magis attendit ad sacramentum, quàm ad litteram, & tempus. Ex supradictis ergo patet, qualiter Judæi non servant verum Sabbatum etiam temporaliter & litteraliter.

Tertia Conclusio.

SOla Christiana Religio servat verum & perfectum sabbatum legale figuratum. Ista Conclusio probatur. Nam dictum est, quòd illud sabbatum legale præcepit Deus ad requiem & sanctificationem, & in memoriam creationis, & C in signum futuri sabbati, & septimæ ætatis, & diei Messiæ, in quo homo debebat cessare ab omnibus operibus Legis: sed totum tempus in quo sumus, est *septima dies mundi*, & dies gratiæ, & dies Christi in Lege promissi, per illud sabbatum figurata: & totum istud tempus nos celebramus, ab operibus Legis abstinendo; & ipsum tempus & diem exhibendo Deo veram Latriam sanctificamus: Ergo sola Christiana Religio, in qua nos sumus, verum sabbatum sanctificat & celebrat. Major autem probata est, scilicet, quod omnia legalia figurabant tempus Messiæ in ultima ætate.

Sed hoc probatur multis authoritaD tibus veteris Testamenti, quia omnes Judæi appellant tempus Messiæ ultimam ætatem: quia omnes illud tempus expectabant, in quo debebant quiescere, & liberari. *Isai.* 2. appellat tempus Messiæ, novissimum tempus, dicens: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini supra verticem montium, & venient ad eum omnes Gentes, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Ex E his verbis expectant Judæi, quod novissimum tempus mundi est tempus Messiæ, in quo expectant doceri in veritate Legis: quia tunc ipse debet eis revelare secreta Legis &c.

Item, *capit.* 49. appellat tempus Messiæ diem salutis, & tempus acceptum. Item, *capit.* 61. appellat ipsum diem libertatis & annum placabilem, dicens. *Spiritus Domini super me: eò quòd unxit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino.*

Item Jacob, *Genes.* 49. appellat F tempus Messiæ novissimos dies, dicens: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus.* Unde omnes Doctores Hebræorum dicunt, quod per novissimos dies intendit tempus Messiæ.

Item *David* appellat tempus Messiæ, *annum benignitatis*, *Psalm.* 64. Item *Psalm.* 110. vocat ipsum *diem virtutis Dei.* Item *Psalm.* 117. vocat ipsum *diem lætitiæ* & exultationis, dicens: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea &c.*

Item *Zachar.* 12. & 13. appellat ipsum diem gratiæ & remissionis & Baptismi, dicens: *In die illa effundam super domum David spiritum gratiæ.* Et ita *cap.* 13. *In die illa erit patens fons* G *domui David in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Item *Ezech.* 34. vocat ipsum *diem requietionis, & pacis, & pascuæ.* Item *Isai.* 14. vocat ipsum *diem requiei, & liberationis à servitute*, dicens: *Prope est ut veniat tempus ejus: & dies ejus non elongabantur. Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à servitute tua dura qua ante serviviſti &c.* Item *Rabbi Salomon* dicit *super Zachar.* quòd omnes Prophetæ non sunt locuti, nisi ad tempus & dies Messiæ.

Ex supradictis patet, quomodo tota Lex & Prophetæ appellant ultimam ætatem mundi tempus, & diem, & an- *Ultima ætas mundi dicitur tempus Messiæ.*
H num Messiæ, & appellant ipsum diem universæ quietis: & per consequens tempus Messiæ est *Sabbatum mundi*, figuratum per Sabbatum Legis: quia *Sabbatum* idem est quod *requies*, & *dies requietionis*: ut probatum est in *primo & secundo Articulo.* Et sic patet probatio Majoris propositionis.

Sed probatur Minor, scilicet, quòd tempus quod colit Ecclesia modò, sit ultima ætas, & sæculum, & tempus, & dies Messiæ, & per consequens est verum Sabbatum mundi. Et probatur ex

Sacra Scriptura à simili cum experientia: nam licèt Judæi moderni negent Christum fuisse Messiam in Lege promissum: A tamen nullo modo possunt negare tempus Messiæ jam advenisse, quicumque sit ille Messias; & hoc ex manifestâ experientiâ: eò quòd videmus, & vident tempus determinatum per Prophetas & Thalmudistas, in quo Messias erat venturus, esse completum. Secundò, quia videmus principalia quæ erant promissa Patriarchis & Prophetis, esse completa, quæ negare non possunt: unde determinatum & promissum fuit ipsi *Jacob*, *Genes.* 49. quòd ablato sceptro de Juda, Messias erat venturus. Item promissum fuit *Daniel* 9. quod post sexaginta duas hebdomadas à constructione secundi Templi erat Christus venturus.

Item, promissum fuit, *Aggæi* 2. & B *Malachiæ* 3. quod Messias ad secundum Templum erant venturus. Unde dicitur *Aggæi* 2. *Nolite timere: hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domûs istius novissimæ plus quàm primæ.* Ex dictis hujus prophetiæ habetur, quod Messias erat venturus ad illam domum & Templum secundum, quod ædificatum est per *Zorobabelem* post reditum de Babylonia; & quòd illud Templum erat novissimum & ultimum in Lege usque ad Messiam. C Item *Malach.* 3. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti quem vos vultis &c.* Ecce ergo quomodo istis duobus Prophetis, qui fuerunt præsentes in ædificatione secundi Templi, promissus fuit Messias ad illud Templum in brevi venturus: quia *Aggæo* dictum est, *post modicum*: & *Malachiæ*, *statim veniet.* Sed illud secundum Templum destructum fuit per *Titum* & Romanos per mille quadringentos & viginti annos retrò: Ergò jam venit tunc Messias. Et sic patet, quòd tempus determinatum per Prophetas jam transivit: D quia jam tunc fuit ablatum sceptrum de Juda, & tunc fuerunt impletæ sexaginta duæ hebdomadæ *Danielis*, non solùm dierum & mensium, sed annorum, ut alibi dictum est: Ergo sequitur, quòd ab illo tempore citra jam sumus in tempore Messiæ.

Hoc idem probatur per determinationem Thalmudistarum. Unde quidam eorum distinguunt totum discursum mundi per tria sæcula, & cuilibet sæculo attribuunt duo millia annorum: dicunt enim, quod legitur in *studio Eliæ*, quòd E *non est minus mundus quam sex millia annorum: duo millia vanitatis, & duo millia Legis, & duo millia Regis Messiæ.* Et intelligunt per *duo millia annorum vanitatis* ab *Adam* usque ad *Abraham*: per *duo millia Legis*, ab *Abraham*, cui data est circuncisio, usque ad Messiam. Ex quibus patet, quòd transactis quatuor millibus annorum ab *Adam*, incœpit tempus Messiæ. Item sequitur, quòd terminus Circuncisionis & Legis jam transivit: quia non debebat durare, nisi per duo millia annorum, secundùm istos; & per consequens ab illo tempore citrà, sumus in tempore & sæculo Messiæ.

Discursus mundi per tria sæcula.

F Item legitur in *Libro Zahendrin*, quòd dixit *Elias* ad *Rabbi Jahuda*, quòd non erat minus mundus quam octoginta quinque Jubilæi usque ad Messiam: quod computans *Rabbi Salomon* dicit, quod octoginta quinque Jubilæi sunt quatuor millia ducenti quinquaginta anni: in quorum ultimo Jubilæo erat venturus Messias.

Item alii Thalmudistæ distinguunt totum discursum mundi per septem sæcula, sive ætates, aut dies: quorum primum fuit primi mundi ab *Adam* usque ad diluvium. Secundum fuit sæculum secundi mundi à *Noë* usque ad *Abraham*. Tertiùm fuit sæculum Circuncisionis usque ad *Moysen*. Quartum fuit sæculum Tabernaculi usque ad primum G Templum. Quintum fuit sæculum primi Templi usque ad Captivitatem Babylonis. Sextum fuit sæculum secundi Templi usque ad ejus destructionem factam per *Titum* & Romanos. Septimum dicunt, quòd de necessitate est sæculum Messiæ. Ex quibus omnibus patet, quod ante multa tempora retro sumus in tempore & sæculo Messiæ: quia ultra mille quadringentos annos retrò, fuerunt impleta duo millia annorum Legis, & octoginta quinque Jubilæi, & sextum sæculum mundi in secundo Templo: Ergo sequitur, quòd ab illo tempore citrà, jam sumus in tempore & sæculo Messiæ, & ultimo sæculo mundi, & sic jam sumus in Sabbato mundi: Et per conse- H quens Ecclesia celebrat verum Sabbatum mundi per Prophetas & Thalmudistas determinatum, prout patet per experientiam, quoad tempus determinatum.

Secundò, hoc idem patet per experientiam, quoad ea quæ manifestè videmus completa in populo Gentili, quæ fuerunt scripta in Lege & Prophetis: nam primo dictum est *Zachar.* 13. quod omnia nomina idolorum erant per Baptismum destruenda tempore Messiæ. Unde

dę nit : *In illa die erit patens fons domui David : & in illo die deſtruam omnia nomina idolorum , & non nominabuntur ultra &c.* Sed hoc videmus manifeſtè eſſe completum : quia Reges & Imperatores , & omnes populi Gentilium , confractis idolis , fuerunt baptizati : quæ res non poterat fieri niſi in tempore Meſſiæ. Unde omnes Thalmudiſtæ tenent, quod omnes Gentiles tempore Meſsiæ debent vocari nomine *Jacob* & *Iſrael* propter illud *Iſai.* 44. *Noli timere ſerve meus Jacob , & rectiſsime quem elegi. Effundam aquam ſuper ſitientem , & flumina ſuper aridam &c. Et iſte dicet: Domini ego ſum : & ille vocabitur nomine Jacob. Et hic ſcribet manu ſua Domino , & nomine Iſrael aſſimiliabitur &c.* omnia autem iſta manifeſtè videmus B eſſe completa. Nam totus populus Gentilis venit ad Baptiſmum , & jam gloriatur ſe nominari *ſemen Abrahæ* , & *Iſrael, & Jacob* ſecundùm ſpiritum & promiſſionem. Et jam manu ſua ſcripſit & profeſſus eſt fidem Deo Iſrael. Nam *Auguſtinus* , & *Ambroſius* , & *Hieronymus*: & cæteri Doctores , qui erant de populo Gentili , declararunt Legem & Prophetas , & manu ſua ſcripſerunt Tractatus & Sermones in favorem Dei Iſrael.

Item tempore Meſsiæ omnes populi Gentilium debebant adorare Deum Iſrael. *Iſai.* 49. *Dedi te in lucem Gentium ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ : Reges videbunt & conſurgent* C *Principes , & adorabunt dominum Deum tuum , & ſanctum Iſrael qui elegit te.* Sed omnia iſta videmus completa : nam totus populus Gentilis venit ad fidem, & adorat Deum Iſrael , quem ante contemnebant , & gloriantur ſe eſſe ſub Deo Iſrael ; quod non poterat fieri , niſi tempore Meſsiæ. Ex quo patet, quòd jam ſumus in tempore Miſsiæ. Ex omnibus ſupradictis patet, quòd Jeſus Chriſtus, quem recepimus & colimus , eſt verus Meſsias in Lege promiſſus , quem debebant omnes Gentes recipere : & ad cujus fidem omnes Reges & populi Gentium debebant venire , ut patet per totum diſcurſum Pſalmorum , & omnium Prophetarum , & maximè *Iſaiæ* 2. *Venient ad eum* D *omnes Gentes &c.* Item *Iſai.* 40. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo &c.* Sed videmus , quòd omnes Gentiles , & Reges , & Imperatores eorum venerunt ad fidem Chriſti , & obedierunt ejus Euangelio : Ergo ſequitur , quod ipſe eſt Meſſias ; & per conſequens nos celebramus verum tempus , & ſæculum , & diem ſabbati Meſſiæ per ſabbatum legale in ſeptimadie mundi figuratum: unde licèt Judæi cum ſuis falſis gloſsis negent alia de Chriſto : tamen iſta quæ dicta ſunt non poſſunt negare , eò quòd omnibus patent manifeſta. Et ſic patet tertia Concluſio , quòd ſola Religio Chriſtiana ce- E lebrat verum ſabbatum mundi quod eſt totum tempus à primò adventu Chriſti uſque ad ſecundùm.

Quarta Conclusio.

CHriſtiana Religio celebrat verum ſabbatum morale in die Dominica quoad tempus , id eſt , quòd in debito convenienti die celebrat illud. Iſta Concluſio probatur. Nam dictum eſt in *primo Articulo* , quòd ſabbatum fuit præceptum celebrari ad requiem hominis & ſanctificationem Dei in die ſeptima in memoriam creationis , & in ſignum futuræ quietis in ſepulchro. Et dictum eſt, quòd F in quantum eſt præceptum ad ceſſationem & ſanctificationem , eſt præceptum morale : ideo talis ſanctificatio & ceſſatio non debet ceſſare in Teſtamenti novo, ſed debet ceſſare celebrari in die ſeptimo: quia ut ſic datum eſt in ſignum & figuram futuræ quietis , quæ jam eſt impleta in Chriſto. Et ſimiliter debet ceſſare celebrari in die ſeptimo, in quantum datum eſt in memoriam creationis , & exitus Iſrael de Ægypto : eò quòd illa creatio fuit figura noſtræ recreationis , & ille exitus de Ægypto fuit figura noſtræ liberationis ; quæ omnia ſunt verificata in Chriſto : & per conſequens jam non eſt facienda memoria de creatione , poſt- quam facta eſt nova creatio : ſicut dicit G Dominus *Iſai.* 65. *Ecce enim ego creo cœlos novos , & terram novam , & Hieruſalem novam , & non erunt in memoria priora.* Et ſic patet , quod non eſt facienda memoria de creatione , poſtquam venit nova recreatio. Et per eandem rationem non eſt facienda memoria de liberatione Iſrael de Ægypto , poſtquam facta eſt liberatio generalis totius generis humani , ſicut dicit Dominus *Hierem.* 16. Sed eſt facienda memoria de nova recreatione & liberatione totius generis humani , quæ fuit perfecta & conſummata in die Dominica , in qua reſurrexit Chriſtus ad gloriam ; & noſtram renovationem , & ceſſavit ab H omni opere noſtrę redemptionis , & incœpit dies gratiæ. Et ideo Eccleſia in tali die ſtatuit ſabbatum noſtrum celebrari in memoriam Dominicæ redeptionis, & noſtræ renovationis & recreationis. Item, quia tàm Paſcha , quàm Sabbatum fuit mortuum & ſepultum cum Chriſto : ſed non ſurrexit cum eo , immò manſit incineratum in ſepulchro. Ideo non eſt amplius celebrandum. Sed quia dies Dominica ſurrexit ſimul cum Chriſto : ideo in ea eſt ſabbatum noſtrum celebrandum. Et ideo Eccleſia illam diem dedicavit ad ſabbatum , & requiem noſtram , & ad

ſanc-

sanctificationem Dei. Et sic præceptum de sabbato in quantum morale, manet in Testamento novo celebratum in die Dominica : sed in quantum cærimoniale, cessat celebrari in die septimo propter causas jam dictas : quia postquam facta est nostra recreatio , jam cessat memoria creationis : & postquam facta est universalis redempio , jam cessat memoria exitûs Israel de Ægypto , & fit memoria de recreatione & redemptione. Unde *Hierem.* 16. *Ecce dies venient , dicit Dominus : & non dicetis ultra , Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti* : sed , *Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis &c.*

Sed contra hoc posset arguere Judæus. Nam dictum fuit supra , quòd in die septimo Christus jacuit mortuus in sepulchro , & cessavit ab omni labore passionis. Et sic fuit impleta figura creationis , qua Deus requievit in die septimo. Et per consequens potius debet celebrari sabbatum , quàm dies Dominica propter quietem Christi.

Ad hoc respondetur , quod propter peccatum *Adæ* totus homo fuit condemnatus , scilicet , corpus ad mortem corporalem , & miserias , & passiones subjectum , & anima ad mortem æternam. Et ideo Christus per mortem & passionem redemit & liberavit animam à morte æternâ , & satisfecit pro peccato : sed per resurrectionem liberavit , & restauravit corpus ab omni miseria. Et sic Christus postquam fuit mortuus in sepulchro, cessavit ab opere redemptionis animæ, sed corpus nondum erat restauratum : sed in resurrectione fuit perfecta & consummata tota nostra redemptio quoad utrumquè , scilicet , quoad corpus & animam. Item , corpus Christi per mortem cessavit ab omni labore corporali. Et sic quiescebat in sepulchro Christus quoad corpus à labore corporali. Et tunc fuit impleta & verificata figura sabbati , in quantum fuit datum in signum futuræ quietis corporalis Christi in sepulchro: sed Christus quoad animam non cessavit in die sabbati : quia anima per totam diem sabbati fuit in inferno ; non tamquam reus , sed tamquam triumphator, & Dominus , & Judex : quia ibi sedit pro Tribunali per quadraginta horas & examinavit causam generis humani cum diabolo : putà , quomodò diabolus non potentiâ , sed justitiâ erat superandus, ut inquit *Augustinus* 11. *de Trinit.* Et sic ostendit Christus , quomodo peccatum hominis erat remissibile : eò quòd habuerat extrinsecum impugnatorem , & quia confessus fuerat peccatum suum : & quomodo peccatum diaboli erat irremissibile : eò quia nullum habuerat impugnatorem , nec suggestorem , sed ex propria superbiâ & malitiâ peccaverat. Et ostendit , quomodo diabolus ex invidiâ deceperat hominem , & fecerat ipsum peccare. Et ostendit insuper , quomodo peccatum hominis erat punitum & purgatum per mortem & passionem suam &c. Et per consequens justè poterat omnes fideles veteris Testamenti de inferno abstrahere. Et sic Christus eduxit omnes fideles suos de Limbo , & obstruit & ligavit diabolum ad carcerem perpetuum: & resurrexit in die Dominica de mane cum corpore glorioso. Et sic tunc fuit perfecta tota nostra redemptio quoad corpus & animam , & Christus cessavit ab omni opere nostræ redemptionis , & quievit quoad corpus & animam : quia amplius non moritur , nec mors illi ultra dominabitur.

Quinta Conclusio.

SOLA Christiana Religio verè celebrat omnia sabbata annualia, & cæteras festivitates in memoriam mysteriorum novi Testamenti. Ista Conclusio potest probari per jam dicta : Nam omnia festa & sabbata annualia veteris Testamenti fuerunt data in signum & figuram futurorum : Sed omnia illa signa fuerunt verificata per Christum in veteri Testamento : Ergo jam cessarunt celebrari in memoriam gestorum veteris Testamenti, postquam eorum figura fuit impleta : Ergo solum debet celebrari memoria novorum beneficiorum , per illa vetera significatorum. Et sic postquam jam fuit impleta figura exitus Israel de Ægypto per resurrectionem Christi , jam non debet celebrari Pascha in memoriam exitus Israel de Ægypto : sed in memoriam Dominicæ resurrectionis.

Item , Deus præcepit diem Pentecostes celebrari in quinquagesimo die post Pascha in memoriam dationis Legis. Sed quia in quinquagesimo die post resurrectionem Apostoli acceperunt intelligentiam Legis & Prophetarum & omnium scripturarum , & receperunt omnia dona gratiarum : ideo tunc fuit impleta figura dationis Legis : quia sicut in *monte Sinai* ille populus accepit Legem: ita in *monte Sion* Apostoli , & tota Ecclesia acceperunt intelligentiam Legis , & veritatem omnium scripturarum : Ergo magis debet celebrari dies Pentecostes in memoriam dationis Spiritus sancti, quam in memoriam dationis Legis: quia per illam acceperunt illi Legem; sed per dationem spiritus non tantùm accepimus intelligentiam & veritatem Legis, sed accepimus omnia dona gratiarum. Et ita pariter est dicendum de Sabbatis , & festis mensis septimi : quia figuræ illorum fuerunt completæ , & verificatæ in isto sep-

septimo mense, & septima ætate mundi, in qua sumus: & sic in hac ætate celebramus sacrificium Christi, figuratum per sacrificium Isaac: & celebramus festum veræ expiationis factæ per Christum: & festum Tabernaculorum per consecrationes Ecclesiarum. Et ita pariter celebramus festum Incarnationis & Nativitatis Christi: & celebramus festa sanctorum novi Testamenti, eò quòd illico absoluti à vinculis corporis hujus evolarunt in æternas mansiones, & æterna Tabernacula: quæ quidem festa omnia dicuntur *vera sabbata*: quia instituta sunt ab Ecclesia ad requiem nostram, & veram sanctificationem, in memoriam quietis illorum, ut patebit infra.

Sexta Conclusio.

In celebratione Sabbati duo sunt attendenda.

SOLA Christiana Religio verè & ritè celebrat omnia sabbata, & verè sanctificat ea quoad modum sanctificandi. Ad cujus intellectum est advertendum, quòd duo sunt principaliter consideranda in celebratione sabbatorum. Primò *requies* & *cessatio*: & per consequens sunt consideranda illa, à quibus homo debet cessare, & quiescere in talibus diebus festis. Secundò est considerandus *modus sanctificationis*, id est, quomodo, & quibus modis sunt sabbata sanctificanda à nobis: unde si *Sabbatum* nihil aliud est nisi *sanctificatio* & *cessatio*: Ergo *sabbatizare* nihil aliud est nisi *abstinere* & *declinare à malo*, & facere opera bona & sancta erga Deum & proximum. Et sic Sabbatum semper est observandum in omni die, & mense, & in omni hora. Et sic Christianis totum tempus gratiæ est sabbatum. Ex quo patet, quòd in hoc nomine *Sabbatum* comprehenduntur omnia præcepta moralia, & comprehenditur Charitas Dei & proximi, & per consequens tota Lex & Prophetæ. Et ideo Lex & Prophetæ per *Sabbatum* intelligunt totum tempus gratiæ, in quo continuè est à malo cessandum, & bonum & sanctum opus faciendum, Deo veram Latriam exhibendo, & proximo subveniendo.

Quantum ad primum dicit Dominus *Exod.* 20. & 31. & *Deut.* 5. *Nullum opus servile facies in eo*: sed omnem peccatum est opus maximè servile, *quia qui facit peccatum servus est peccati. Joann.* 8. Ergo maximè est cessandum ab omni peccato tali die. Item, omnia cærimonialia data sunt in signum servitutis, & pœnæ peccati, & in signum futuræ solutionis faciendæ per Christum, ut dictum est in *prima Quæstione*: Ergo tali die maximè est abstinendum ab omnibus operibus Legis servitutis: & non solum in *Sabbatis memorialibus*; sed etiam in toto sabbato universali, quod est totum tempus gratiæ, & Legis libertatis, est cessandum & abstinendum ab omni peccato, & operibus Legis, sub pœnâ mortis æternæ, ut dictum est in *secundo Articulo*. Et sic patet, à quibus est abstinendum & cessandum communiter in toto sabbato universali. Sed ultra ista supradicta in *Sabbato memoriali*, scilicet, in quolibet die festo ab Ecclesiâ in memoriam beneficiorum nostræ redemptionis dedicato, est cessandum ab omni opere profano & negotio mundano: ut homo possit intendere soli sanctificationi, & honori divino: & hoc convenit soli *Sabbato memoriali*, & diei festo ab Ecclesia dedicato.

Quid sit sanctificare Sabbatum.

Quantum autem ad secundum de sanctificatione sabbati, est advertendum, quòd *Sabbatum sanctificare* idem est quod *in Sabbato opera sancta facere*. Opera autem sancta sunt illa, quæ à Deo sunt præcepta & ordinata: & per consequens nihil aliud est, nisi declinare ab omni malo, & facere bonum, implendo divina mandata: quæ omnia consistunt in dilectione Dei & proximi, & in operando secundum justitiam erga Deum & proximum: quæ quidem justitia tribuit unicuique quod suum est; scilicet, Deo exhibet Latriam servitutem, & proximo mutuum auxilium.

Latria Deo exhibenda.

Et ideo sunt duo videnda. Primo, quæ Latria est Deo exhibenda? & quod auxilium proximo tribuendum? Ad primum autem est dicendum, quòd Latria est quidam cultus servitutis soli Deo debitus ratione summæ majestatis, sapientiæ, & bonitatis. Unde quia ista tria in solo Deo reperiuntur essentialiter; ideo soli Deo competit Latria. Unde ratione summæ majestatis, & Omnipotentiæ creavit mundum de nihilo: ratione autem summæ sapientiæ omnia suaviter & sapienter disponit, ordinando in suum finem: sed ratione suæ bonitatis & largitatis, omnibus providet & omnia conservat. Et ideo ratione suæ Omnipotentiæ ipsi debetur adoratio cum prostratione & procidentia: & ratione conservationis & providentiæ debetur ipsi munus & oblatio: sed ratione sapientiæ debetur ipsi laus & hymnus. Et in his tribus consistit Latria soli Deo debita: quam Latriam explicat David *Psalm.* 28. in primo versu, dicens: *Afferte Domino Filii Dei, Afferte Domino gloriam & honorem: adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Ista autem Latria servitus Deo debita, scilicet, *adoratio*, *laus*, & *oblatio*, est de jure naturæ. Ideo pertinet quasi ad moralem virtutem. Et ideo naturaliter omnes nationes hanc Latriam Deo exhibuerunt, nisi quòd errabant circa objectum & substantiam, quia

non

non verum Deum adorabant : & quandoque circa modum, quia non debitam Latriam exhibebant. Et hoc procedebat ex ignorantiâ, quia non verum Deum Gentiles cognoscebant. Et ideo est necessaria fides prævia ad veram Latriam exhibendam : nam est necessaria cognitio veri Dei, ut cultor sciat, quem Deum debet colere : & est necessaria cognitio beneficiorum receptorum, ut sciat quæ munera debeat offerre, & quibus laudibus, & propter quæ beneficia debeat Deum magnificare & laudare : quę non potest haberi, nisi per fidem, & doctrinam Sacræ Scripturæ, quæ docet, quomodo est unus solus Deus Creator omnium rerum, & recreator, & conservator, & glorificator : & talem Deum, scilicet, Creatorem, & Redemptorem, & Glorificatorem Catholica fides docet, & præcipit adorari & coli per Latriam servitutem.

Et ideo Catholica Fides per duodecim, aut tredecim Articulos explicat Essentiam, & Omnipotentiam, & bonitatem Dei : ut cultor sciat, quomodo, & quam Latriam debeat Deo exhibere. Et sic oportet, quòd cultor credat Deum Trinum in Personis & Unum in substantiâ & essentiâ, qui ex nihilo ex tempore cuncta creavit : & quòd Persona Filii accepit nostram humanitatem, & factus est homo, in qua humanitate dedit Legem Euangelicam : & fuit passus, sepultus, & resurrexit &c. & sic Christiana Religio tali fide præsuppositâ ex præceptis Euangelicis adorat Deum Trinum & Unum Creatorem, & offert verum sacrificium Eucharistiæ in memoriam passionis, & hoc ratione beneficii redemptionis : in quo sacrificio offertur Christus verus Deus & homo cum omnibus suis meritis pro toto populo : & in septem Horis Canonicis laudat Deum de summa sapientiâ, & agit gratias pro universis beneficiis receptis, petendo semper futuram gloriam & felicitatem nobis promissam. Et sic patet, quomodo Christiana Religio exhibet Deo vero veram & debitam Latriam.

Judæi nō exhibent veramLatriam.

Ex supradictis ergo sequitur, quòd Judæi & Saraceni non exhibent Deo veram, immò falsam Latriam : eò quòd non habent veram fidem. Nam in primis non adorant, nec credunt verum Deum. Nam negant Deum esse Trinum & Unum; & negant omnes Articulos humanæ redemptionis : quia negant Incarnationem Filii & passionem &c. Et sic intendunt adorare & colere unum Deum qui non est Trinus in Personis, nec Incarnatus &c. Sed talis Deus nusquam est : Igitur nullum Deum, immò falsum Deum colunt & adorant : quia ille qui est verus Deus Creator cœli & terræ, est Trinus in Personis, & Unus & simplicissimus in substantia : & sic per consequens non ipsi exhibent debitam Latriam, nec offerunt sacrificium Deo acceptabile : sicut dictum est *Psalm.* 49. & *Psalm.* 50. & per consequens non reddunt debitas gratias pro beneficio redemptionis, nec debitas laudes tamquam vero Deo Redemptori & glorificatori. Et sic non exhibent veram & debitam Latriam.

Sed ad hoc respondent Judæi moderni : quòd patres veteris Testamenti exhibuerunt Deo veram Latriam, secundùm quòd Deus præcepit in Lege : & tamen non credebant Trinitatem in Deo, nec offerebant tale sacrificium, sicut nos offerimus ; nec credebant ea quæ nos credimus ; nec exhibebant talem Latriam, ut patet per totum discursum Legis. Et sic dicunt quod ipsi non errant, postquam sequuntur fidem & ritum illorum in Latriâ exhibendâ.

Sed isti non evadunt rationem, nec futuram iram Dei : immò mentiuntur. Nam probatum est in *præcedenti Quæstione*, qualiter Patres veteris Testamenti habuerunt veram fidem de Christo futuro. Et sub tali fide, & in signum pretii futuri per Christum in Cruce offerendi & solvendi offerebant sacrificia, & exercebant cætera legalia : & sic tunc illi offerebant in signum & figuram quod Christus obtulit realiter in Cruce, & illud idem sacrificium, quod nos realiter nunc offerimus in memoriam passionis. Et sic habebant eandem fidem, quam nos habemus de Christo Redemptore & glorificatore, licèt non eodem modo, nec ita distinctè. Et ideo nobiscum acceperunt repromissiones, & præmium fidei, & Latriæ : *ad Hebr.* 11. Et sic habuerunt fidem de Articulo Trinitatis, licèt non ita distinctè : quia in Lege & Prophetis explicatur Trinitas Personarum, ut probatum est in plerisque locis, maximè *Psalm.* 32. & 44.

Et sic dicendum, quòd patres veteris Testamenti exhibebant Deo veram Latriam in signo & figura, non in re: quia omnia illa sacrificia figurabant hoc sacrificium nostrum : ideo quando illæ figuræ fuerunt completæ, & verificatæ per Christum in Cruce, cessarunt omnia illa sacrificia, ut fuit probatum, *Daniel.* 11. cum dixit, quòd post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus, & tunc cessabit omnis hostia & sacrificium &c. Et sic post passionem Christi omnia illa sacricifia, & omnia legalia sunt falsa: quia tantum erant signa de futuro, ut paulò antè dictum est. Et ideo nunc sunt Deo abominabilia : eò quòd negant Christum venisse, & faciunt mendacem Deum & Prophetas, quotiens per Judæos observantur.

Et

Et ideo mentiuntur Judæi moderni dicentes, se habere eandem fidem, & exhibere eandem Latriam cum patribus veteris Testamenti: immò isti totaliter negant Christum, & nostram redemptionem, quam illi summopere credebant, & expectabant: quia *Moyses*, & *Aaron*, & *Samuel* cum omnibus Sacerdotibus jam tunc invocabant *nomen Dei*, quod est Verbum Incarnatum Christus Jesus, ut dictum est *Psalm.* 8. & 98. Et sic patet, quòd Judæi falsum Deum adorant & credunt, & falsam ipsi exhibent Latriam, & sic est dicendum de Saracenis, & cæteris Infidelibus. Ex quibus omnibus sequitur, quòd sola Christiana Religio vero Deo exhibet Latriam; & per consequens vero & debito modo sanctificat omnia sabbata respectu Dei.

Sed nunc restat videndum, quomodo Christiana Religio verè sanctificat sabbatum sancta opera faciendo erga proximum.

Opera humana sùt licita in duplici genere, & proximo fienda.

Ad cujus intellectum est advertendum quod opera humana licita sunt in duplici genere. Nam quædam dicuntur temporalia & profana, sicut sunt opera servilia & mechanica, & cætera de victu & pane lucrando: & ista dicuntur utilia nobis. Alia dicuntur opera sancta, facta in auxilium & necessitatem proximi: & ista dicuntur *opera misericordiæ*, *& opera sancta.* In omni ergo die festo & in omni sabbato memoriali Euangelico præcipit abstinere Christiana Religio ab omni opere servili, & profano, & mechanico: sed non præcipit cessare ab operibus misericordiæ: immò præcipit in die festo operibus misericordiæ intendere, & insudare: eò quòd talia opera non sunt profana, nec servilia, sed sancta, ad auxilium & subventionem proximi ordinata: quia tali die tenetur homo sancta opera facere: quia hoc est sabbatum sanctificare. Et sic patet, quòd falso & iniquo modo Judæi incusabant Christum sanantem infirmos in sabbato: quia sanando infirmos, opera misericordiæ adimplebat, & sancta opera faciebat, & per consequens sabbatum magis sanctificabat: quia ad hoc fuit sabbatum institutum, scilicet, ad cessandum ab omni opere servili & profano, & maximè à peccato, & ad sanctificandum ipsum sabbatum, scilicet, ad faciendum sola opera sancta in eo, erga Deum veram Latriam exhibendo; & erga proximum, auxilium in necessitatibus tribuendo.

Et dicit Salvator: *Pater meus usque modo*, id est semper, & etiam in sabbato, *operatur*, omnibus creaturis misericorditer subveniendo: *&* ita *ego operor* pauperes & miseros & infirmos misericorditer sanando. Et *Joann.* 7. dicit, quòd *Circunciſionem facit homo in Sabbato, & non ſolvit Sabbatum*: per quod ostendit quod maximè in die festo sunt Ecclesiastica sacramenta exercenda, & per consequens Latria exhibenda. Et hoc servat Christiana Religio: quia diebus festivis cum majori apparatu & solemnitate exercet divina officia, & facit eleemosynas, & cætera opera sancta. Ex quibus patet, qnòd sola Christiana Religio verè & debito modo sanctificat & celebrat sabbatum.

Ex supradictis per tres Articulos in tota ista Quæstione patet, qualiter Sabbatum legale cum cæteris festivitatibus jam cessavit: quomodo Judæi falso & indebito modo observant sabbatum: & quomodo sola Christiana Religio celebrat verum sabbatum cum cæteris festivitatibus, & debito, & integro, & perfecto modo sanctificat illud. Nunc autem restat respondere ad argumenta Judæorum in principio Quæstionis adducta.

§. IV.

RESPONSIO AD ARGUmenta.

AD primum igitur est dicendum, sicut dictum est in *prima Quæstione*, quod sabbatum & cætera legalia data fuerunt sub fœdere æterno, quantum ad illam ætatem, in quantum fuerunt data in signum: & sic fuerunt æterna secundùm quid: quia per totam illam ætatem legis duraverunt: sed quantum ad suum significatum immediatum, fuerunt magis æterna: quia significatum sabbati, & cæterorum legalium, adhuc servatur in Lege gratiæ. Item, quia per sabbatum nostrum adhuc significatum est sabbatum gloriæ: quod *Apostolus ad Hebr.* 4. appellat *Sabbatiſmum*: ideo ut sic sabbatum est æternum simpliciter. Et ideo Deus præcepit sabbatum sub fœdere sempiterno: quod quidem præceptum observatum fuit in Testamento veteri quantum ad signum: nunc autem observatur quantum ad suum immediatum significatum. In patria autem observatur quoad suum ultimatum significatum.

Sabbata tripliciter dicitur æternum.

Et sabbatum tripliciter dicitur æternum, scilicet, quoad signum in illa ætate, & quoad significatum immediatum in ista, & quoad ultimatum in futuro sæculo: & sub tali intentione Deus præcepit sub fœdere æterno sabbatum observari. Unde licèt sabbatum cessaverit quantum ad signum; non tamen cessat quantum ad significatum & veritatem: ideo semper manet in sua æternitate, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. Unde sicut patres & fideles veteris Testamenti celebrabant sabbata in signum fidei

fidei futuræ quietis : ita nos obſervamus hîc ea per gratiam & veritatem. In patria obſervabimus ea per gloriam. Unde *homo myſticus* obſervabat ſabbatum in ſeptima die quantum ad ſignum : nunc ſervat ipſum in ſeptima ætate quantum ad veritatem per gratiam : poſt hanc vitam ſervabit ipſum in æternitate per gloriam : quia ut ſic præcepit Deus ſabbatum ſub fœdere ſempiterno, ſcilicet, ut *homo myſticus* obſervaret ipſum per totam illam ætatem in ſignum, in iſta quoad veritatem per gratiam, & in futura per gloriam : & ſic manet ſabbatum æternum.

Ad ſecundum argum.

Ad aliud jam dictum eſt, qualiter præceptum de ſabbato celebrando partim eſt morale, & partim cærimoniale, & partim judiciale : ſed magis eſt cærimoniale, quàm morale. Et ideo in quantum cærimoniale, de neceſsitate ceſſavit celebrari in die ſeptimo, poſtquam ſua figura fuit impleta : ſed in quantum morale, remanet celebrandum in prima die ſeptimanæ in memoriam Dominicæ reſurrectionis, ut dictum eſt. Et etiam ſanctificatur tota iſta ſeptima ætas ſignificata per ſabbatum Legis, eo modo quo dictum eſt. Et ſic celebramus ſabbatum univerſale per totam ſeptimam ætatem per gratiam : & celebramus ſabbatum morale in prima die ſeptimanæ, eo modo quo dictum eſt : & ſic ſabbatum morale ſemper celebratur, nec ceſſat celebrari, & ſic eſt æternum.

Ad tertiũ argum.

Ad tertium dicitur : quòd Deus præcepit ſabbatum obſervari in multiplex ſignum, ſcilicet, primò in ſignum fidei præteritæ creationis : & ideo præcepit ipſum ſub comminatione mortis, & cum frequenti repetitione, ne ille populus obliviſceretur & perderet fidem unius Dei Creatoris omnium, ut per talem fidem diſtingueretur à cæteris nationibus Gentium, quæ non habebant fidem unius Dei, nec credebant creationem: ideo ut plurimum ubicumque præcepit ſabbatum, ait : *Memento ut diem Sabbati ſanctifices.* Quaſi dicat, ne fides unius Dei decidat à memoria tua. Unde *Exod.* 31. dicit : *Videte ut Sabbatum meum cuſtodiatis : quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris : ut ſciatis, quia ego Dominus qui ſanctifico vos &c.* quaſi dicat, ut recordemini, quia ego ſum Dominus & Creator omnium, qui ſanctifico vos nunc per fidem, & in ſeptima ætate per gratiam : ut per tale ſignum fidei diſtinguamini à ceteris generationibus infidelium idololatrarum. Ideo *Levit.* 19. dicit : *Sabbata mea cuſtodite. Ego Dominus Deus veſter: nolite converti ad idola:* quaſi dicat, hoc præceptum ſabbati do vobis, ut recordemini, quòd ego ſum Dominus Deus, qui creavi omnia ; ut retinentes talem fidem, ne convertamini ad idola, ſicut cæteræ nationes, quæ talem fidem unius Dei Creatoris non habent. Ex quibus patet, quòd ad firmandam talem fidem unius Dei Creatoris, & ut per talem fidem diſtingueretur ille populus à populo Gentili, qui talem fidem non habebat, immò celebrat multos Deos; Deus ſub tam frequenti repetitione, & ſub pœna mortis præcepit ſabbatum celebrari in ſeptima die in memoriam creationis. Sed totus populus Gentilis jam venit ad fidem unius Dei Creatoris & Redemptoris, & Recreatoris : Ergo fruſtra celebratur ſabbatum ſeptima die : maximè quia ſabbatum & figura ejus jam eſt verificata per noſtram recreationem factam per Chriſtum, quam illud ſabbatum ſignificabat : ideo relictâ figurâ, celebrandum eſt ſabbatum in die Dominica in memoriam Dominicæ reſurrectionis factæ in illa die.

Item ſabbatum non ſolum eſt præceptum celebrari in ſeptima die in memoriam creationis hominis, ſed etiam in memoriam exitus Iſrael de Ægypto, *Deuter.* 5. Et etiam poteſt probari, *Exod.* 16. quia ante Legem datam jam præceperat Deus in ſeptima die ab operibus ceſſari, & ſabbatum obſervari. Unde dixit Moyſes : *Sex diebus colligite manna : in die autem ſeptimo ſabbatum eſt Domino.* Et infra : *Videte, quòd Deus dederit vobis ſabbatum & maneat unuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo : & ſabbatizabit populus die ſeptimo &c.*

Sex dies pluebat manna & non die ſeptimo.

Unde nota ibidem, quòd per ſex dies pluebat manna, & in ſabbato ceſſabat, ne homines colligerent ipſum : per quod denotabat Deus, quod ſex diebus debemus laborare, pro victu : ſed per totum diem feſtum debemus intendere rebus ſpiritualibus, & cultui divino tantum. Ex ſupradictis verbis patet, quòd ſabbatum jam fuit obſervatum in illo populo ante Legem datam. Et ideo aſſerunt multi quod per illas ſeptem hebdomadas ab exitu Ægypti uſque ad datione Legis præcepit Moyſes obſervari ſabbatum in ſeptima die : eò quòd tali die exiit Iſrael de Ægypto : quod confirmat *Deuter.* 5. ubi dicitur : *Memento quod ſervieris in Ægypto, ſed inde eduxit te Dominus in manu potenti, & brachio extento: idcirco præcepit tibi Dominus ut obſerves diem ſabbati &c.* Et ideo ſub tali etiam memoria *Charraim* obſervant ſabbatum à nocte uſque ad noctem incluſivè, ut dictum eſt. Sed quia illa liberatio fuit figura futuræ liberationis Sanctorum Patrum de inferno, quæ facta & completa fuit per Chriſtum in nocte reſurrectionis: ideo ſabbatum non eſt ampliùs obſervandum

dum in septima die, ut dictum est: & sic est dicendum de cæteris festis legalibus, quæ omnia fuerunt præcepta, & data in signum & figuram. A

Ad quartum autem & ultimum est dicendum: quod nos celebrando totum tempus gratiæ, & diem Dominicam, nihil addimus, nec auferimus; immò celebramus verum sabbatum significatum per sabbatum legale. Nam veritas & significatum sunt de esse veri signi: quia signum est accidens respectu significati; & significatum est substantia, & esse, & veritas signi. Et ideo si adveniente veritate removetur signum & figura, & retinetur ipsa veritas: nullum essentiale aufertur, nec additur, sed perficitur & verificatur signum & figura. Ideo est di- B
cendum, quòd Judæi moderni sunt latrones & falsificatores Legis: quia auferunt à Lege veritatem essentialem, quod est principale in Lege, & in omni signo, & retinent falsum signum. Nam omne signum de futuro manet falsum post veritatem ejus & significatum perfectum & completum. Nam signum futuræ navis manet falsum, nisi auferatur post adventum navis ad littora: & clamor Kalendarum maneret falsus, nisi taceret in adventu nundinarum in principio mensis, sicut dictum est supra. Ita ergo pariter est dicendum de sabbato, & de cæteris legalibus. Nam postquam venit veritas & significatum, quod erat essentiale in Lege, debet cessare signum, quod ex parte accidentale fuit: quia illud signum non fuit datum gratiâ sui, sed gratiâ C
veri sabbati futuri in Lege gratiæ, in quo sumus, & quod celebramus & sanctificamus per veram Latriam.

Et sic patet, quòd nos non auferimus aliquid à Lege; sed implemus Legem, & verificamus eam in proprio significato: ipsi autem falsificant Legem, tenendo & recipiendo falsum signum: quia numquam tale significatum veniet in futurum, sicut illa signa legalia significabant: quia quod significabant jam venit, & impletum est. Ergo talia signa non debent suspici, nec prospici de futuro; sed respici, & despici de præterito: aliter falsificarent Legem & Prophetas, & Deum, qui locutus est in Lege & Prophetis. Et sic manent D
Judæi inanes & cæci, aspicientes talia signa de futuro: ideo sicut aspectant falsum signum, ita numquam veniet eis redemptio, & cætera bona in Lege promissa: sed eveniunt eis continuè omnes maledictiones scriptæ *Deut.* 22. & 31. quia venit ille Propheta Jesus Christus Deus & homo similis Patri in divinitate, & similis Moysi in humanitate & officio, & declaravit eis totam Legem & Prophetas ex parte Dei Patris: sed quia ipsum audire noluerunt, ideo fuit ultor

Ad quartum arg.

Nota.

in eis, inducendo omnes illas maledictiones: quia ad illum solum Prophetam E
pertinebat declarare significatum, & veritatem Legis datæ ipsi Moysi, ut patet *Deut.* 18. *quia Lex per Moysen data, gratia autem & veritas per Christum facta est. Joann.* 1. Et sic patet, quòd nos non violamus, sed perficimus, & verificamus sabbatum.

Item Judæi non solum auferunt à Lege verum significatum, sed etiam addunt falsos ritus & traditiones Pharisaicas, & Thalmudicas, quæ nusquam reperiuntur in Lege & Prophetis, ut patebit in sequenti Quæstione. Ex omnibus supradictis patet, quòd Lex Euangelica non addit, nec aufert aliquid à Le- F
ge Moysi; sed elucidat eam, & patefacit veritatem, quæ sub ipsa latebat. Unde sicut in nocte res latent sub tenebris, & non videntur: ita veritates & mysteria Euangelica latebant sub tenebris, cærimoniarum ante adventum Christi: sed sicut Sol oriens supra nostrum horizontem nihil aufert nec addit rebus, sed elucidando diaphanum, patefacit omnia quæ latebant sub tenebris, nil auferendo, nec addendo: ita pariter Christus oriens in mundo, & mittens radices Legis Euangelicæ super Legem Moysi, nihil auferendo, nec addendo, elucidavit eam, & patefecit veritates & mysteria Euangelica, quæ sub tenebris Legis & Prophetarum latebant. Et sic etiam Doctores Catholici declarando scripturas, nec auferunt, nec addunt ab G
eis; sed elucidant eas: de quibus clamat *Ecclesiast.* 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Et ideo dicit Salvator *Joann.* 9. *Ego sum lux mundi: ut qui non vident, videant &c.*

Lex Euangelica elucidat Mosayca.

QUÆSTIO TERTIA.

SED quia probatum est, qualiter omnia legalia data fuerunt & gesta in signum & figuram futurorum, & quomodo fuerunt verificata per Christum, & ideo cessarunt, & finierunt cursum in eo: & quomodo per sabbatum Legis figurabatur sabbatum gratiæ, quod mo- H
dò celebramus: ideo quæritur: *Utrum bona in Lege promissa sint litteraliter intelligenda?* hoc est: si illa terra Chanaam fuit præmium præcisum promissum observatoribus Legis Moysi?

Et arguunt Judæi moderni, quod sic: & ad hoc adducunt totum discursum Legis & Prophetarum: & specialiter allegant totum *octavum caput Deut.* ubi dicitur: *Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum: Dominus enim tuus introducet te in ter-*

ram bonam, terram rivorum, aquarum & fontium, in cujus campis erumpunt fluviorum abyssi: terram frumenti, hordei, & vinearum: in qua ficus & mala granata, & oliveta nascuntur: terram olei & mellis, ubi absque penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantiâ perfrueris &c. Ex dictis in toto illo capitulo dicunt Judæi, quòd Deus dedit eis illam terram fluentem lacte & melle cum omnibus fructibus & mineralibus, quæ nascuntur in ea, in præmium observantiæ Legis. Et sic dicunt, quòd nemo eorum potest esse felix, nisi reducatur in illam terram; & sic totum desiderium & spes eorum est redire in illam. A

Secundò, hoc idem probant per desiderium omnium Patriarcharum & Prophetarum: quia omnes desideraruntmori, & vivere in illa terra: immò *Jacob* præcepit filiis suis, ut ducerent corpus suum post mortem ex Ægypto in terram Chanaam cum patribus suis sepeliendum. Et hoc idem præcepit *Joseph.* Et sic etiam asserunt Judæi, quòd omnes duodecim filii Jacob fuerunt deducti ex Ægypto ad sepeliendum in terram Chanaam: eò quòd fuerat promissa ipsi *Abrahæ*, & semini ejus in præmium observantiæ Circuncisionis *Genes.* 17. B

Tertiò hoc idem probant per oracula Prophetarum: quia omnes commendant illam terram Juda, & Civitatem Hierusalem, & montem Sion, & illud Templum, ut patet per omnes Prophetas. C

Quartò hoc idem probant ex eo quod omnes Prophetæ prædixerunt, qualiter Rex Messias erat ædificaturus novam Hierusalem, & erat venturus, ut eos reduceret & congregaret in Hierusalem. Et sic propter nihil aliud expectant falsum Messiam, nisi ut reducat eos in Hierusalem novam, & terram Chanaam, & fruantur in illa terra cum suis fructibus & bonis temporalibus, & magnificet eos super terram: & ista est tota spes eorum.

In oppositum est David *Psalm.* 27. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Item Salvator, *Matth.* 19. Si *vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Item *Luc.* 10. cum jurisperitus ille peteret: *quid agendo vitam æternam possidebo?* & enumeraret ipsi mandata Decalogi, dixit Salvator: *hoc fac, & vives.* Ex quo patet, quòd Deus non dedit illam terram populo in pretium & præmium propter observantiam Legis: quia ultra possessionem illius terræ expectabant Regnum cœlorum in præmium ultimatum, ut patet *ad Hebr.* 11. D

Et ideo pro decisione & intellectu hujus Quæstionis duo sunt videnda principaliter.

Primò, si terra promissa Abrahæ, & Patriarchis, & Prophetis in possessionem æternam, sit præcisè intelligenda illa terra Chanaam. E

Secundò, an semen Abrahæ, & Israel cui promissa est illa terra, sint filii secundùm carnem?

§. I.

QUantum ad primum est præadvertendum secundùm *Augustt.* super illud *Apostoli ad Rom.* 7. *Lex divina spiritualis est: ego autem carnalis sum:* quòd Lex divina differt ab humana. Nam Lex divina est spiritualis, & de rebus spiritualibus. Lex autem humana etiam temporalis & de temporalibus. Et F ideo tripliciter differt Lex divina ab humana, scilicet, *fine*, & *officio*, & *præmio.* Differt enim primò Lex divina ab humana *ipso fine* principaliter intento ab ipso Legislatore. Nam finis Legislatoris, & Conditoris legum humanarum est facere cives civiliter bonos, ad utilitatem & servationem Civitatis, & Regni, & totius reipublicæ. Et ideo officium civium est vivere justè circa alterum secundum Leges, & bene consulere reipublicæ, & eam defendere. Et ideo præmium bonorum civium est gaudere bonis, & utilitatibus reipublicæ distributis secundùm justitiam distributivam, ut patet 5. *Ethi.* Sed finis & intentio Latoris G Legis divinæ semper fuit, & est, efficere omnes homines spiritualiter bonos & divinos, ad cognoscendum, & amandum, & colendum Deum. Et ideo officium divinæ Legis fuit in priori Testamento colere Deum secundum ritum & modum traditum ipsi Moysi sub protestatione fidei Christi futuri. Ad quod officium pertinebat recipere Christum in suo adventu. Nam postquam omnia illa cærimonialia fiebant sub protestatione Christi futuri, omnes obligabantur recipere Christum in suo adventu, & audire, & recipere, & observare doctrinam ejus, prout Deus præceperat *Deut.* 18. dicens: *Prophetam suscitabo eis de medio* H *fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus: loqueturque adeos omnia quæ dixero illi. Et qui verba quæ loquetur non audierit, ultor existam &c.* Ex quibus patet, quòd sub eadem comminatione omnes Israelitæ erant obligati audire & recipere Christum in suo adventu, & recipere & servare doctrinam ejus Euangelicam, sub qua erant obligati ad servanda cærimonialia usque ad adventum Christi: eò quòd erat promissus ad declarandam Legem, & patefaciendam veritatem ejus: doctrina autem Euangelica nil alium est, nisi veritas Legis & Prophetarum.

Differt Lex divina ab humana.

Et

Et ideo sicut officium Legis Moysi fuit servare cærimonialia in illo tempore, & recipere Christum, & Legem ejus : ita officium Legis Euangelicæ est observare doctrinam Euangelicam, quæ nil aliud est, nisi executio veritatis Legis & Prophetarum. Ex quo patet, quòd *finis* Legis divinæ est, homines efficere spiritualiter bonos & divinos, & abstrahere eos à carnalibus & mundanis, ut appetant cœlestia. *Officium* autem Legis divinę est colere, & diligere Deum in se, & propter se ; & diligere proximum propter Deum, exhibendo ipsi auxilium & obsequium in necessitate. *Præmium* verò ejus, est vita & fruitio æterna.

Et ratio est. Nam sicut præmium Legis civilis & humanæ est præmium temporale : ita oportet ut præmium Legis divinæ sit æternum. Item, sicut homo est immortalis secundùm animam : ita oportet, ut quoad animam habeat aliud præmium immortale & æternum. Item, sicut homo fideles per observantiam Legis efficitur divinus, ducendo vitam Angelicam : ita oportet, ut præmium ejus sit divinum & Angelicum inter Angelos supra omnem humanum & temporale præmium : quia aliter non differret Lex divina ab humana : quia sicut Lex ad Legem, ita officium Legis ad officium, & finis ad finem, & præmium ad præmium. Et sic patet, quòd Lex divina cum ejus fine & præmio non est temporalis, nec carnalis, sed spiritualis & divina.

Cum ergo supradicta triplici differentia differat Lex divina à legibus humanis : scilicet, *fine*, *officio*, & *præmio*; & finalis intentio Dei fuerit eligere sibi unum populum ad suum cultum deputatum, ut Deum cognosceret, & cognoscendo serviret, & coleret, & amaret in hac vita, & in altera amando frueretur : ideo voluit incipere à minus perfecto, tendendo ad magis perfectum in illa Lege, secundùm exigentiam, & qualitatem, & mores illius populi. Unde quia ille populus Israel conversatus fuerat inter Ægyptios circiter ducentos annos, & totaliter fuerat factus carnalis & terrenus secundùm mores Ægyptiorum : ideo Deus volens ipsum retrahere ab illa carnalitate, & terrena, & pagana consuetudine, & facere ipsum spiritualem ; dedit ipsi in Lege primò decem præcepta moralia : ut disceret Deum cognoscere & diligere, & cum proximo justè convivere. Et ut formidine pœnæ refrænaretur ab omni furto, & à rixâ, & malis moribus Ægyptiotum, in quibus erat nutritus ; dedit ei præcepta judicialia : nam ut ait *Aristotel.* 10. *Ethicor. Necessaria est positio legum, ut formidine pœnæ retrahantur à malo, & assuefiant homines ad mores capessendos.* Tertiò autem dedit Deus illi populo multitudinem præceptorum cærimonialium : & hoc propter tria.

Deus dedit præcepta cerimonialia propter tria.

Primò, ut frequentando illa cærimonialia, cognosceret unum solum Deum Creatorem omnium, & specialem benefactorem, & diligeret eum propter impensa & collata ipsi beneficia. *Secundò*, ut ille populus occupatus circa frequentiam & multitudinem illorum cærimonialium, non declinaret ad idola per consuetudines Ægyptiorum, & aliarum gentium circumdantium. *Tertiò*, ut in illis signis cærimonialibus prævideret ille populus futura mysteria de Christo & Ecclesia, & universalem redemptionem faciendam per Christum venturum, nasciturum ex illo populo, prout Deus revelabat specialiter & successivè quibusdam Patriarchis & Prophetis de illo populo. Et ideo dedit illa cærimonialia in signum fœderis & pacti servanda usque ad Christum, in quo erant verificanda. Ideo sicut obligabantur servare illa cærimonialia usque ad Christum : ita obligantur recipere Christum in suo adventu, & suam doctrinam Euangelicam, & cessare ab omnibus cærimonialibus : quia Christus erat ille Propheta, qui ex parte Dei omnia illa debebat declarare, ut patet *Deuter.* 18. ut dictum est supra. Et ideo Christus, tamquam ad hoc missus à Patre, declaravit nobis in re & luce omnia, quæ in illis erant figurata, & latebant sub umbra. Et sic cognitio nostra processit ab imperfecto ad magis perfectum, secundùm exigentiam humanæ naturæ fragilis & corruptæ : per quam doctrinam Euangelicam Christus nos fecit multò magis spirituales & divinos, & aptos ad supernam fruitionem, & capessendam ultimam felicitatem & perfectionem.

Hoc autem non percipientes miseri & cæci Judæi, non ponunt differentiam inter Legem divinam & humanam. Et sic non expectant nisi præmium temporale pro Legis observantiâ, sicut sunt totaliter carnales & terreni. Et ideo nolunt recipere Christum, qui suadebat contemnere temporalia, & appetere cœlestia. Sed unde proveniat hoc Judæis modernis, dicetur inferiùs. His habitis ponitur

Prima Conclusio.

Duplex merces & hæreditas fuit promissa *Abrahæ*, *Isaac*, & *Jacob* : scilicet cœlestis & terrena : & per consequens præter terram Chanaam fuit eis promissa hæreditas in cœlo. Hoc pro-

probatur *Genes.* 15. ubi dicitur, quòd Deus apparuit in visione ipsi Abraham, dicens: *Noli timere*: quia *protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Suspice cœlum: enumera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Tunc *credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam &c.* Ex supradictis verbis patet, quòd talis promissio non erat temporalis: quia non fuisset *magna nimis.* Nam omne temporale est breve & caducum. Secundò sequitur, quòd talis merces promittebatur in cœlo: quia non dixit: Respice terram, sed *Suspice cœlum.* Tertiò sequitur, quòd talis promissio non erat danda filiis carnalibus, & terrenis, sed spiritualibus & cœlestibus, fide & virtute splendentibus, per hoc quod ait, *numera stellas*: quia *sic erit semen tuum*, scilicet purum, splendens fide & spe de cœlestibus. Quartò sequitur, quòd talis merces cœlestis non poterat acquiri, nisi per fidem Christi futuri de semine Abrahæ secundùm carnem, per hoc quod ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*: quia *Abraham* non fuisset justificatus ad merendum tantum præmium & tantam mercedem solum credendo sibi *Isaac* filium futurum; sed quia credidit per Isaac Christum nasciturum, qui filios fideles & spirituales ipsius Abraham debebat in cœlo collocare.

Ex quibus patet, quòd præter terram Chanaam promissa fuit Abrahæ & semini ejus hæreditas cœlestis. De qua promissione cantat Ecclesia in *Missa defunctorum*: *Fac eas Domine de morte transire ad vitam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus.* In fine autem illius capituli promisit Deus Abrahæ terram Chanaam, dicens: *Tibi dabo terram hanc à flumine Ægypti usque ad fluvium magnum Euphraten.* Et sic patet duplex promissio, scilicet, terrena, & cœlestis. Hoc idem patet infra *cap.* 17. & *cap.* 22. quando dixit Deus Abrahæ *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris &c.* Per *stellas* enim *cœli* intellexit filios spirituales in cœlo collocandos: & per *arenam quæ est in littore maris* intellexit filios terrenos & carnales &c. Item, utraque promissio, scilicet, cœlestis & terrena, facta fuit ipsi *Jacob*, *Genes.* 28. quando vidit scalam in somniis stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque ascendentes & descendentes & Dominum innixum scalæ dicentem: *Ego sum Deus &c.* Ubi prævidit in spiritu, qualiter Deus descensurus erat in terram, & assumpturus humanam carnem ex Virgine de genero Jacob. Unde per hoc quod illa scala tangebat cœlum ex parte superiori, & terram inferiùs, prævidit, qualiter Christus ipsi promissus, erat futurus Deus & homo de carne sua: & per Angelos ascendentes & descendentes, prævidit, qualiter filii sui spirituales erant per Christum in cœlum ascensuri &c. Item, per hoc quod dormivit supra illum lapidem, & erexit ipsum in titulum, prævidit in spiritu, qualiter Christus in eodem loco erat pro filiis suis, & pro toto genere humano crucifigendus, & moriturus, & resurrecturus, & in cœlum ascensurus cum suis fidelibus: immò Jacob prævidit per illam scalam Christum in cœlum ascensurum cum omnibus filiis suis fidelibus & spiritualibus. Ex quibus patet, quòd præter illam terram Chanaam, promissa fuit hæreditas cœlestis *Abrahæ*, *Isaac*, & *Jacob*, & semini spirituali eorum: de qua canit Ecclesia: *Fac eas transire de morte ad vitam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini ejus &c.*

Secunda Conclusio.

OMnes Patriarchæ & Prophetæ præter illam terram Chanaam, & præter illam Hierusalem terrenam, desiderabant & expectabant hereditatem in cœlo, & aliam Hierusalem cœlestem. Hoc primò probatur de Abraham. Nam sicut fuit ipsi promissa hæreditas cœlestis in supradictis promissionibus; ita desideravit illam. Ideo dixit Salvator Judæis, *Joann.* 8. *Abraham pater vester exultavit*, id est, desideravit, *videre diem meum*: *vidit, & gavisus est &c.* Item hoc desideravit *Isaac*, quando bene dixit *Jacob* filio suo, *Genes.* 25. Unde sentiens odorem vestimentorum, dixit: *Odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: *det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ*: *& adorent te tribus &c.*

Unde manifestum est, quòd ista non fuerunt impleta in *Jacob*: sed in solo Christo ex Jacob nascituro: ideo *Isaac* benedixit Christum in Jacob, prout prævidit ipsum ex eo nasciturum. Unde per hoc quod *Isaac* osculatus est Jacob, ostendit desiderium quod habuit de Christo venturo; & prævidit, qualiter Deus debebat osculari naturam humanam per Incarnationem: & per odorem & fragrantiam vestimentorum, prævidit fragrantiam virtutum & donorum humanitatis Christi. Et prævidit, qualiter omnes tribus terræ debebant Christum adorare: & qualiter Christus debebat dare filiis spiritualibus ipsius Jacob *de rore cœli* gloriam in futuro, & *de pinguedine* Sacra-

cramentorum gratiam in præsenti. Et sic Isaac jam desideravit illum rorem cœli per Christum largiendum.

Item, hoc idem desideravit *Jacob*, *Genes.* 32. quando luctatus est cum Angelo in persona Dei : quia non voluit ipsum dimittere, usque quò benedixit ipsum. Ideo quando euigilavit à somno, dixit : *Vidi Dominum facie ad faciem, & sulva facta est anima mea &c.*

Item, hanc cœlestem hæreditatem desideravit *Moyses*, *Exod.* 33. cum dixit : *Domine ostende mihi faciem & gloriam tuam &c.* Unde super illud *Genes.* 28. quando *Jacob* vidit scalam, dicit quædam Glossa Hebraica *In vescit Rabba*, quòd *Moyses* ante quam „ moreretur ductus fuit in cœlum, & „ vidit ibi Messiam ædificantem Hierusa„ lem in cœlo ex margaritis & lapidibus „ pretiosis. Et dixit Messias ipsi Moysi, „ quòd pater suus Jacob utramque Hie„ rusalem, scilicet terrenam & cœles„ tem prævidit ædificandam, ex hoc quod „ illa scala ex una parte tangebat cœlum, „ & ex altera terram. Et quòd quasi ni„ hil erat illa Hierusalem quæ erat ædi„ ficanda in terra, respectu illius cœles„ tis : quia ista erat temporaliter, & illa „ in æternum duratura pro filiis Israel. „ Quod audiens Moyses, dixit : *Læ„ tatus sum in his quæ dicta sunt mihi „ &c.*

Ex quibus verbis sequitur primò, quòd præter istam Hierusalem terrenam & temporalem erat danda alia cœlestis & æterna. Secundò sequitur, quòd Christus Messias in Lege promissus est Deus: quia jam erat ante Moysen in cœlo. Tertiò sequitur, quòd Messias in Lege promissus non erat ædificaturus Hierusalem terrenam, sed cœlestem & spiritualem pro filiis Israel. Quartò sequitur, quòd filii Israel, qui erant illam cœlestem Hierusalem possessuri, non erant futuri carnales, sed spirituales, & secundùm fidem.

Item, hanc hæreditatem cœlestem desiderabat & expectabat *Job* 19. quando dixit : *Credo quod Redemptor meus vivit : & in novissimo die de terra surrecturus sum : & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum &c.*

Item hanc cœlestem hæreditatem desiderabat David *Psalm.* 66. cum dixit: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Item *Psalm.* 79. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Item David Rex & Dominus erat illius Hierusalem terrenæ & totius terræ promissionis, & regna finitima ipsi erant tributaria : & tamen illam terram viventium, & Hierusalem cœlestem desiderabat, quando dixit *Psalm.* 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Item David ab illa terrena Hierusalem cupiebat exire, & in cœlesti collocari, cùm dicebat *Psalm.* 119. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Item *Psal.* 118. *Erravi sicut ovis quæ periit: quære servum tuum Domine &c.* Item *Psalm.* 141. *Portio mea Domine sit in terra viventium.*

Item *Salomon* Rex & Dominus fuit illius terrenæ Hierusalem, & totius terræ Chanaam cum finitimis tributariis, & ditissimus & felicissimus super omnes Reges terræ. Et tamen pro nihilo reputabat totam illam Hierusalem & terram Israel, & omnia regna terrena respectu illius cœlestis Hierusalem & fœlicitatis æternæ, cùm dicit *Ecclesiastes* per totum librum : *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Unde dicit: *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Hierusalem : & proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole : & ecce omnia vanitas.* Item infra 2. *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas: feci hortos & pomeria &c.* Item, *Coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias Regum & Provinciarum &c. & tamen omnia vanitas.* Et sic Salomon per totum illum libellum discurrit per omnes status & conditiones hominum, & ostendit nullo pacto felicitatem posse consistere in hac vita : finaliter autem concludit dicens : *Antequam rumpatur funiculus : & antequam revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*, id est, antequam moriaris dum vivis in hoc mundo : *Deum time & mandata ejus serva : hoc est omnis homo. Cuncta quæ fecit homo adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum.* Ex quibus patet, quòd Salomon totam illam Hierusalem, & totum Regnum & omnes divitias vanitatem reputabat, & mortem præsentem, & futurum judicium timebat, in quo mali sunt puniendi, & boni felicitandi.

Item *Salomon* futuram felicitatem dicit desiderandam per totum librum *Canticorum*, ubi dicit : *Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum &c.* Item *Sapient.* 5. futurum judicium ostendit malis esse tremendum, & felicitatem futuram justis desiderandam.

Item *Isaias* aliam Hierusalem supernam desiderabat & commendabat, cùm dixit *capit.* 60. *Surge illuminare Hierusalem &c.* Item in Hierusalem terrena erat Isaias : tamen supernam desiderabat, cùm dicebat. *Utinam dirumperes cœlos & descenderes &c.* Et infra : *A sæculo non audierunt, neque auribus per-*

perceperunt : oculus non vidit Deus absque te , quæ præparasti expectantibus te &c. Ex quibus patet, quòd alia hæreditas & felicitas inefabilis , & absque comparatione nobilior , expectabatur à justis , quam præparaverat Deus pro justis.

Item *Daniel* dicit. 9. *capit.* illam Hierusalem cum toto Regno post mortem Christi perituram , & in Templo abominationem usque ad consummationem sæculi duraturam : & *cap.* 12. concludit , post judicium incredulos & obstinatos igni perpetuo puniendos , & fideles & justos fulgentes quasi splendorem firmamenti , & quasi stellas in perpetuas æternitates felicitandos. Et idem explicant , aut implicitè asserunt omnes cæteri Prophetæ.

Ex quibus patet , quòd omnes Patriarchæ & Prophetæ , præter illam terram promissam , nobiliorem hæreditatem desiderabant , & expectabat futuram in cœlo , propter quam patienter tolerabant omnes labores & persecutiones: ut largè lateque demonstrat *Apostolus ad Hebr.* 11. & per totam Epistolam.

Tertia Conclusio.

ABraham , Jacob , & cæteri Patriarchæ & Prophetæ non desiderarunt sepeliri in terra promissionis propter bonitatem terræ , sed ut resurgerent cum Christo , quem prævíderunt in illa terra morituram , & sepeliendum , & nostram redemptionem operaturum , & resurrecturum. Et hoc probabiliter ostenditur. Nam *Abraham* prævidit in spiritu , quòd in eodem loco erat Christus pro omnibus crucifigendus , ubi ipse immolavit & sacrificavit arietem pro *Isaac.* Et ideo appellavit nomen loci illius , *Dominus videbit*: in Hebræo autem dicitur , *In monte Dominus videbitur:* quasi dicat , Dominus Deus Incarnatus videbitur immolari & crucifigi in isto monte & loco , ubi iste aries fuit immolatus pro *Isaac* à morte liberato. Item *Jacob* in eodem loco vidit scalam, & Deum innixum scalæ : per quod prævidit Christum ibi crucifigendum : Et ideo erexit lapidem in titulum. Et sic etiam prævidit, Christum inde resurrecturum , & in cœlos cum fidelibus ascensurum , ut dictum est. Credibile ergo est , quod *Abraham* , & *Jacob* cum cæteris Patriarchis propter hanc causam voluerunt in illa terra sepeliri , ut inde cum Christo resurgerent , & cum eo in cœlum ascenderent. Et sic est dicendum de cæteris Prophetis & fidelibus : quos Christus eduxit de Limbo inferni, & secum adduxit , & ascenderunt in cœlum.

Quarta Conclusio.

PRophetæ in suis oraculis non commendarum illam Civitatem Hierusalem , & terram Chanaam propter seipsam ; sed quia prævíderunt Christum in illam civitatem & terram venturum , & in ea nostram redemptionem operaturum. Hoc probatur. Nam aliqua Civitas vel Provincia non commendatur & felicitatur , nisi propter tria : scilicet aut propter fertilitatem , & copiam bonorum temporalium : aut propter bonitatem & virtutem civium , & bonum regimen Civitatis : aut propter præsentiam magni Regis ipsam honorantis , & in ea magna gesta facientis & operantis. Sed illa terra numquam fuit commendata propter copiam & fertilitatem : quia semper fuit sterilis , & miserrima , & inaquosa inter circunstantes terras ; ideo frequenter passa est inediam & penuriam victualium, ut patet per totum discursum Patriarcharum , qui frequenter fugiebant ab ea propter famem : quia ut sic magis commendanda esset *Damascus* & *Antiochia* & *Babylonia* , & *Memphis* Ægypti , & nostra florentissima Civitas *Valentiæ* , & *Barchionæ* , quæ semper fuerunt fertilissimæ & amœnissimæ. Nec etiam illa Civitas & terra fuit unquam commendanda propter bonitatem civium : quia semper fuerunt mali , & idololatræ , & raptores: nec unquam defecit in illa terra & Civitate usura , & dolus , & seditio , ut patet per totum discursum *Judicum* , & *Regum* , & post reædificationem Templi.

Ex quo sequitur , quòd non propter aliud Prophetæ commendarunt illam Civitatem & terram , nisi quia Christus in illa erat videndus , & miracula facturus , & nostram redemptionem operaturus : & sub tali conditione commendarunt & beatificarunt eam. Ideo dixit David *Psalm.* 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei nostri in monte sancto ejus. Deus in domibus ejus cognoscetur cum suscipiet eam.* Item *Isai.* 2. *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob : & docebit nos vias suas : quia de Sion exibit Lex , & verbum Domini de Hierusalem.* Item *cap.* 9. beatificat Galilæam , & totam terram Israel propter præsentiam , & prædicationem , & miracula Christi , cùm ait : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon , & terra Nephthali : & novissimè aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium: populus qui ambulabat intenebris , vidit lucem magnam.* Et infra : *Parvulus natus est nobis , & filius datus est nobis &c.* Item *Dabo in Sion salutem , & in Hierusalem*

lem gloriam meam. Item 62. *Propter Sion non tacebo , & propter Hierusalem non quiescam , donec egrediatur ut splendor justus ejus &c.* Item *Michæas , capit.* 5. commendat civitatem Bethlehem : eò quòd Christus ibi erat nasciturus , dicens : *Et tu Bethlehem Ephrata parva es in millibus Juda. Ex te enim egredietur mihi dux &c.* Item *Zachariæ* 9. *Exulta satis filia Sion: Ecce rex tuus venit tibi justus & salvator &c.* Ex omnibus his Prophetis patet, quod non ob aliam causam commendarunt Hierusalem , nisi quia in ea Christus erat Legem Euangelicam daturus, & nostram redemptionem operaturus, & in monte Sion Sacram Eucharistiam instituturus , & Spiritum sanctum in Apostolos & Discipulos missurus , & totam Ecclesiam ibi incœpturus & fundaturus : & exinde per totum orbem Ecclesia Christi erat derivanda. Et ideo universalis Ecclesia toto orbe diffusa in Sacra Scriptura appellatur Hierusalem: eò quòd in illa Hierusalem terrenâ fuit fundata & instituta per Christum in Apostolis & Discipulis , & exinde per totum orbem fuit diffusa , ut frequenter dictum est.

Quinta Conclusio.

PRophetæ in oraculis suis non solùm intendunt commendare & beatificare illam Hierusalem in quantum Christus in ea operatus est nostram redemptionem , & in ea fundavit Ecclesiam: sed intendunt commendare Hierusalem toto orbe diffusam , quæ ab illa fuit derivata , quæ dicitur *Ecclesia Catholica*, in quantum in ea videtur Deus per fidem , & continuè prædicatur Euangelium , & exercentur Ecclesiastica Sacramenta habentia virtutem ex passione Christi : in qua continuè offertur sacrificium mediatoris , & in qua passio Christi semper exercetur , & operatur effectum suum. Itaque quod in illa Hierusalem factum est in re , illud idem fit in voto & effectu continuè in Ecclesia toto orbe diffusa : ideo verè dicitur Hierusalem *pacifica* : quia in ea continuè peccatores Deo pacificantur & reconciliantur per Sacramenta. Sed quòd Prophetæ ex consequenti beatificent Hierusalem toto orbe diffusam , probatur. Nam dictum est *Psalmo* 47. & 50. & 63. & 86. quòd Ecclesia Christi nihil aliud est , nisi Hierusalem spiritualis , ab illa materialiter derivata , & per totum orbem dilatata & diffusa : & illa visio, & illa pax , & justitia facta per Christum in Hierusalem , propter quam pacem, & justitiam , & visionem illa civitas propheticè sortita est tale nomen ; fuit postea dilatata & diffusa , & prædicata , & credita , & recepta per totum orbem.

Ad cujus majorem intellectum est notandum , sicut dicit *Rabbi Cambi*, & multi Magistri Hebræorum , quòd hoc nomen *Hierusalem* non est impositum à casu & præter intentum illi civitati ; immò ex divina providentia & magno mysterio : nam duo homines sanctissimi & maximæ authoritatis imposuerunt ipsi illud nomen : quorum primus fuit *Melchisedech* , qui secundùm eos fuit *Sem* filius *Noe* , Sacerdos Dei Altissimi, qui in illo loco obtulit Deo excelso panem & vinum pro *Abraham*, *Genes.* 14. Ille autem *Melchisedech* nominavit illam civitatem *Salem* , id est , pacem & justitiam : postea *Abraham* in alio monte ipsi juncto , qui dicitur *Moria* proposuit immolare filium suum *Isaac*. Sed quia prohibitus ab Angelo immolavit arietem loco filii : ideo appellavit montem illum , *Dominus videbitur* : eò quòd ibi visus fuit , & apparuit Dominus , *Genes.* 22. Sed quia *iere* Hebraicè , idem est , quòd *videre* Latinè : & *hu* idem est, quod ipse Deus , sive *esse* , quod soli Deo competit ; ideo *ierhu* idem est, quòd *Dominus videbitur*. Et deponitur ibi nomen Domini *tetragrammaton*, quod soli Deo convenit. Et hoc nomen imposuit *Abraham* illi monti , propter visionem Dei ibi ostensam. Sed quia altera pars montis jam dicebatur *Salem*: ideo tota civitas , quæ totum illum montem complexa est , dicta fuit *Hierusalem* , id est , *visio pacis* & *justitiæ* , sive *visio Dei pacis & justitiæ* : quia *ierhu* , idem est quod *visio Dei* , & *Salem*, *pax & justitia*. Et sic dicta est *Hierusalem* per supradictos magnos & autenticos viros. Isti autem Rabbini verum dicunt , quòd propter supradicta mysteria dicta & appellata fuit *Hierusalem* illa civitas ; sed non percipiunt illa mysteria.

Hierusalè à Melchisedech dicitur Salem.

Unde est advertendum , quòd tria mysteria fuerunt facta in illo monte tempore Patriarcharum. Nam primò ibi *Melchisedech* homo Gentilis , rex Salem & Sacerdos obtulit Deo excelso panem & vinum pro *Abraham* : per quod mysterium fuit primò figuratum , qualiter Christus Deus & homo , Rex & Sacerdos in eodem loco debebat instituere Sacramentum Eucharistiæ , in quo offertur Christus hostia & sacrificium sub forma panis & vini , per quod sacrificium pacificamur & reconciliamur Deo Patri.

Tria mysteria fuerunt facta in monte Moria.

Item fuit figuratum qualiter in eodem montem Christus Rex , Sacerdos, hostia , & sacrificium debebat crucifigi , & immolari ; per quam passionem & sacrificium peccatum omnium erat puniendum , & nostra justitia facienda,

& nos eramus justificandi, & pacificandi, & Deo Patri reconciliandi. Et ideo A appellavit illum locum *Salem*, id est, *pacem & justitiam.*

Sed per hoc quod *Melchisedech* erat homo Gentilis, fuit figuratum, quòd illud sacrificium Eucharistiæ erat celebrandum & venerandum per totum populum Gentilem ad fidem Christi conversum. Postea autem in altera parte ejusdem montis *Abrahæ* volenti immolare filium apparuit Angelus Domini, dicens: *Non extendas manum super puerum &c.* Et tunc immolavit ibi arietem. In quo mysterio prævidit *Abraham* in spiritu, qualiter in eodem loco Christus pro toto humano genere erat immolandus, & crucifigendus, & videndus. B Et ideo appellavit illum montem, *Dominus videbit*; immò in Hebræo dicitur, *Dominus videbitur.* Et ly *Dominus* scribitur cum quatuor litteris, quod nomen soli Deo convenit: quasi dicat: Dominus Deus incarnatus videbitur immolari, & crucifigi in isto loco. Et ista figura implebitur: nam sicut ego immolavi istum arietem pro filio meo, & loco ejus; ita Christus futurus de carne mea, immolabitur in isto loco, & videbitur crucifigi pro liberatione totius generis humani. Et in isto loco *Dominus videbitur* adimplere istam figuram & mysterium, seipsum offerendo. Et sic patet, quòd illi civitati non fuit impositum hoc nomen Hierusalem à casu, sed ex sacramento & mysterio: & per con- C sequens non est nomen casuale, sed sacramentale.

Et sic dicendum de *Sion* & *Judæa &c.* Nam *Sion* interpretatur *specula.* Unde Deus videtur & speculatur, ubi Christus erat speculandus. Et *Judæa* interpretatur *confessio*, ubi Christus erat confitendus & recipiendus ab Apostolis & discipulis. Et sic patet, quòd ista nomina non fuerunt imposita à casu, sed mysticè & propheticè, propter futura mysteria, quæ in illis locis erant complenda; & quia ex illis locis tota Ecclesia erat inchoanda & derivanda, & postea per totum orbem diffundenda, & D amplianda.

Tertiò autem in eodem monte vidit Jacob scalam in somniis, & Dominum innixum scalæ: per quod prævidit mysterium incarnationis, & passionis, & resurrectionis, & ascensionis Christi, ut dictum est. Et ideo elevavit lapidem in signum unctum oleo: ad præfigurandum, qualiter in eodem loco Christus erat elevandus in cruce pro salute omnium nostrûm, & appellavit nomen loci illius *Bethel*, id est, *domus Dei*, quæ ante *Luza* vocabatur, dicens: *Terribilis est locus iste: non est hic aliud, ni-*

si domus Dei, & porta cœli, Genes. E 28. Quasi diceret: in loco isto Christus terribiliter triumphabit de diabolo. Et per istam portam crucis omnes intrabimus in cœlum: & per istam scalam ascendemus cum Christo: & ideo appellavit locum illum *Bethel.* Judæi autem dicunt: quòd *Jacob* dormivit & vidit scalam in loco punctualiter ubi postea fuit Templum ædificatum. Sed quicquid sit, sufficit, quòd civitas Hierusalem fuit ædificata, & ampliata, & extensa supra totum illum montem, ubi facta & visa fuerunt illa tria mysteria: scilicet, ubi *Melchisedech* obtulit panem & vinum, & ubi *Abraham* immolavit arietem, & ubi *Jacob* vidit scalam. Et F ideo appellata fuit Hierusalem, id est, *visio* futuræ *pacis* & *justitiæ*: eò quòd ibi Christus erat videndus, & impleturus illa tria mysteria ibi figurata. Unde *Abraham* non appellavit illum montem, Dominus visus est ratione visionis factæ; sed, *Dominus videbitur* de futuro ratione visionis adimplendæ.

Ex quibus patet, quòd illa numquam fuit vera Hierusalem, usquequò illæ visiones & figuræ fuerunt per Christum impletæ, scilicet, usquequò visus est Christus ibi prædicare, & instituere Eucharistiam, & crucifigi, & resurgere, & ascendere in cœlum, & mittere Spiritum sanctum in illam sanctam societatem, in qua erat vera pax, & visio veritatis totius Sacræ Scripturæ. G Et sic completis omnibus mysteriis nostræ redemptionis per Christum, sola illa sancta societas fidelium dicta est vera Hierusalem, & vera visio pacis & justitiæ, & verè pacificata & justificata per Christum. Sed quia illa sancta societas diffusa fuit postea prædicando per totum orbem, convertendo ad fidem totum populum Gentilem, qui per fidem Christi fuit Deo Patri justificatus, & pacificatus, & reconciliatus: ergo tota religio Christiana toto orbe diffusa dicitur vera Hierusalem, eò quòd habet omnes conditiones, propter quas illa civitas materialis propheticè & mysti- H cè appellata fuit Hierusalem. Nam ista est verè pacificata & justificata in Christo: & ista videt & credit Christum verum Deum & hominem crucifixum, & passum, & resurrexisse &c. Et quod factum est in illa civitate semel, fit in ista quotidie. Nam ibi semel Christus pro nobis crucifixus est: sed in ista Hierusalem toto orbe diffusa quotidie & jugiter offertur in altari in memoriam illius passionis ad nostram reconciliationem & salutem: & per consequens Christus semper operatur effectum nostræ redemptionis in hac Ecclesia, & Christiana Religione per Ecclesiastica Sacramen-

menta, in quibus lucet & viget passio Christi.

Ex quibus patet, quòd ipsa est vera Hierusalem, ab illa derivata, & toto orbe diffusa & dilatata. Et hanc dilatationem prævidit Jacob in illa visione, quando Dominus innixus scalæ, dixit: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo: eritque semen tuum quasi pulvis terræ:* dilataberis ad Orientem & *Occidentem & Septemtrionem & Meridiem. Et benedicentur in te & semine tuo cunctæ tribus terræ &c.* Quasi diceret: mysterium hujus visionis implebitur in loco isto, & hîc ædificabitur vera Hierusalem per Incarnationem, & Prædicationem, & Passionem, & Resurrectionem, & Ascensionem Christi, & Spiritus sancti missionem: qui Christus erit de semine tuo secundùm carnem: quæ Civitas erit societas filiorum tuorum secundùm spiritum & promissionem. Et dilatabitur ista Civitas seminis tui ad Orientem & Occidentem & Septentrionem & Meridiem. Et reddit causam, quomodo dilatanda erat ista Civitas, dicens: quia *in te & semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.* Ex quibus patet, quòd omnes tribus & nationes, & Gentes terræ erant in Christo benedicendæ, recipiendo eum, & credendo mysterium Incarnationis, & nostræ redemptionis, quod per illam scalam & visionem præfigurabatur: & per consequens Ecclesia, quæ toto orbe diffusa est & dilatata, erat dicenda vera Hierusalem. Sic ergo dicendum, quòd quando Prophetæ commendant & beatificant Hierusalem, non solùm loquuntur de illa materiali, in qua Christus fuit visus in carne, & operatus est nostram redemptionem; sed loquuntur etiam simul de ista Hierusalem toto orbe diffusâ, quæ derivata, & orta, & continuata, & dilatata est ab illa, eo modo quo dictum est.

Et hoc probatur multipliciter per dicta Prophetarum: Nam ea quæ dicta sunt *Psalm.* 48. & 50. & 64. & 86. non possunt verificari præcisè de illa sola Hierusalem materiali: quia illa non fuit ædificata *in exultatione universæ terræ*: & illa jam erat ædificata tempore David, & jam offerebantur in illa diversa sacrificia: & in illa numquam fuit tanta prosperitas, prout memoratur *Psalm.* 64. nec posset capere tot nationes & Gentes, sicut memorantur *Psalm.* 86. ubi dicitur, quod ibi erit *Rahab*: id est *Ægyptus*, & *Populus Babylonis & Ethiopum &c.* Ergo sequitur quod illa non possunt intelligi, nisi de Hierusalem toto orbe diffusâ: ut in prædictis Psalmis visum est. Item illud *Isaiæ* 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium: & fluent ad eum omnes Gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus &c.* non possunt verificari de illa sola Hierusalem materiali: quia ad illam non possent fluere omnes populi & Gentes, nec possent in ea capi: sed verificatum est de Hierusalem toto orbe diffusâ; ad quam venerunt omnes Gentes & populi, ad fidem Christi recipiendam. Item illud *Isai.* 54. *Lauda sterilis, quæ non paris &c. dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos & clavos tuos consolida. Ad dexteram enim & ad lævam penetrabis: & semen tuum Gentes hæreditabit, & civitates desertas inhabitabit &c.* Omnia ista enim sunt impleta in hac Hierusalem spirituali toto orbe diffusâ: quia per totum orbem dilatavit funiculos & tentoria sua, & omnes Gentes Christo subjecit, & in se conclusit per fidem.

Item omnia illa, quæ scribuntur *Isai.* 60. scilicet: *Surge illuminare Hierusalem &c.* non possunt verificari de illa Hierusalem materiali, nisi initiativè: quia completivè fuerunt verificata in ista nostra Hierusalem toto orbe diffusâ: quia in ista fuit orta gloria Domini & visa, & in ista sunt congregatæ omnes Gentes: & filii hujus de longe ad eam venerunt, & multitudo gentium in ista conversa est: & per istam *volarunt* Apostoli *ut nubes* portantes pluviam Euangelicam, & ut *columbæ* per doctrinam simplicitatis & innocentiæ. Et isti *tamquam naves* portarunt fideles ex insulis ad istam Hierusalem & Ecclesiam: & muros hujus Hierusalem ædificarunt peregrini de populo Gentili noviter conversi. Nam *Constantinus* consecravit palatium suum in *Laterano* in honorem Salvatoris. Et cæteri Reges ædificarunt novas Ecclesias, & eas multis divitiis & pretiosis ornamentis dotaverunt.

Et non solùm peregrini dotaverunt Ecclesiam bonis temporalibus, sed etiam spiritualibus & doctrinalibus. Nam *Origenes*, & *Hieronymus*, & *Athanasius*, & *Augustinus*, qui veniebant de populo Gentili, scientiâ & moribus, & doctrinis, & libris Ecclesiam Dei decoraverunt, ut patebit, Deo dante, in Expositione *Canticorum Salomonis.* Et sic est dicendum de toto residuo libri *Isaiæ*, maximè à 40. *capite* usque ad finem: quia licèt quandoque initiativè loquatur de illa particulari Hierusalem, in qua Christus erat venturus, & nostram redemptionem in ea operaturus: tamen communiter loquitur de Hierusalem universali toto orbe diffusâ per gratiam, & in cœlo per gloriam. Et eundem ordi-

nem tenent cæteri Prophetæ.

Quare Hierusalem fuit impositum illi Civitati.

Ex supradictis sequitur, quod hoc nomen *Hierusalem* non fuit impositum A illi Civitati gratiâ sui, sed in signum & figuram propter supradicta mysteria nostræ redemptionis, quæ in ea erant implenda: & sic illa Civitas complevit cursum & officium suum per supradicta mysteria facta per Christum. Et ideo post Passionem, & Resurrectionem, & Ascensionem Christi, & post Spiritus sancti missionem fuit destructa, completo suo officio. Et sic cætera omnia legalia fuerunt mortua & destructa: & sic omnia cessarunt.

Item Christus in illa Civitate Hierusalem materiali ædificavit Hierusalem spiritualem: nam fundamenta hujus Ci- B vitatis sunt Articuli fidei, & Ecclesiastica Sacramenta, quæ omnia habent virtutem, & effectum ex passione Christi: unde in *monte Calvariæ* Christus fuit crucifixus, & ex cujus latere orta est Ecclesia, quando exivit sanguis & aqua, unde habent virtutem omnia Sacramenta ad regenerandos fideles hujus magnæ Civitatis. Nam per Baptismum sunt regenerati, & multiplicati omnes fideles per totum orbem.

Item in *monte Sion* Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ, quod est caput totius Ecclesiæ. Item in eodem loco Christus misit Spiritum sanctum in Apostolos, & totam illam sanctam societatem, in qua erat tota Christi Ecclesia, C & vera Hierusalem unâ fide & pace sociata: & exinde fuit toto orbe diffusa & dilatata per regenerationem baptismalem. Et sic patet, quòd in illa Hierusalem materiali fuit fundata & inchoata magna Hierusalem spiritualis per Christum, & postea per Apostolos per totum orbem ampliata. Ex quibus patet, quòd sola Ecclesia Christi est vera Hierusalem & vera terra promissionis promissa fidelibus hîc per gratiam: & sola hæreditas cœlestis est vera Hierusalem promissa justis in futuro per gloriam.

Sed miseri & cœci Judæi non valentes capere sacramenta Dei, nec intelligentiam Legis & Prophetarum propter D maledictionem eis ex peccato inflictam; omnia intelligunt litteraliter de illa Hierusalem materiali, per falsum Messiam, quem frustrà expectant, fore implenda. Unde dicunt, quòd ille Messias capiet montem *Sinai* & Civitatem *Thabor*, & collocabit eos juxta *montem Sion*, & super istos tres montes ædificabit Hierusalem novam, ad quam confluent omnes Gentes, & Regna. Et sic glossant illum *Psalm.* 86. scilicet: *Fundamenta ejus in montibus sanctis &c.*

Sed quantum sit talis positio impossibilis & irridenda, cuicumque sanæ mentis est manifestum. Ideo nos quibus E *datum est nosse mysterium Regni Dei*, agamus gratias, & serviamus Redemptori nostro in hac Hierusalem per gratiam, expectantes futuram per gloriam: ipsi autem maneant in sua cæcitate usque ad vesperam mundi.

Sexta Conclusio.

ILLA terra Chanaam cum fructibus & bonis temporalibus non fuit promissa, & data filiis Israel in præmium præcisum & solidum pro observantiâ Legis Moysi. Probatur. Nam sequeretur, quòd aut Deus esset ingratus, & injustus, dando eis terram tam sterilem & miseram F pro observantiâ Legis tam duræ & difficilis: aut quòd superstitio Gentilium fuisset perfectior & nobilior, quàm Lex data per Moysem. Hoc probatur. Nam secundùm eos illa terra dabatur solum in præmium: sed terra quam possidebant Gentiles, & possident hodie Saraceni, scilicet, *Damascus* & *Babylonia*, & *Ægyptus* & *Græcia*, & opima terra Judæorum, erant & sunt absque proportione nobiliores, & fertiliores, & amæniores, & ditiores, quam illa terra Chanaam, ut dictum est, & patet intuenti naturam, & differentiam sitûs orbis: Ergo sequitur, quod vilior terra mundi data fuit filiis Israel in præmium: quod esset contra justitiam, si illa terra G sola daretur in præmium. Aut esset dicendum, quòd meliùs serviebant Deo Gentiles cum sua superstitione, quàm Israelitæ observando illam Legem: quia secundùm acceptationem Legis & servitutis datur & præmium. Aut est dicendum, quod præter illam terram & bona temporalia, alia bona spiritualia & æterna erant eis danda, ut supra probatum est.

Item, si Lex Moysi solum & præcisè promitteret illam terram Chanaam cum fructibus suis observatoribus suis in præmium, sequeretur, quòd non esset Lex divina, nec differret à Legibus humanis, quæ solùm promittunt præmium H temporale, quod est falsum: Nam tripliciter differt Lex divina ab humana, scilicet, *fine*, *officio*, *& præmio*, ut dictum est in principio hujus Articuli: Igitur ostenditur, quod ultra illam terram materialem, & parvam, & miseram promitteret terram viventium per illam intellectam: quia majus præmium debetur observatoribus Legis divinæ, quàm humanæ.

**
*

* ** ** *
** * * **
* ** ** *

SEP-

Septima Conclusio.

A Sicut observantia Circunciſionis, & cæterorum legalium dabatur Deo non in prætium ſolidum, ſed in ſignum fœderis, & futuri pretii ſolvendi per Chriſtum : ita illa terra Chanaam non fuit promiſſa, & data illi populo in præmium ſolidum & præciſum ; ſed in ſignum præmii futuri & æterni, quod acceperunt à Chriſto in ſuo adventu. Prima pars eſt probata in *prima & ſecunda Quæſtione*. Secunda autem pars probatur. Nam præmium debet correſpondere labori : Ergo ſi totus labor obſervantiæ illius Legis non dabatur, niſi in ſignum ; non recipiebant, nec B poſſidebant illam terram cum ſuis bonis temporalibus, niſi in ſignum præmii futuri perfecti, dandi eis per Chriſtum. Unde ſicut omnia ſacrificia, & Sacramenta, & cætera legalia ſignificabant & figurabant Chriſtum, & paſſionem ejus, quæ pro nobis erant offerenda : ita illa terra promiſſa cum ſuis fructibus & bonis temporalibus ſignificabat & figurabat totam iſtam Eccleſiam cum bonis gratiæ, & ſupernam terram viventium cum bonis gloriæ.

Et ſic eſt dicendum, quòd illa terra *fluens melle & lacte*, figurabat iſtam Eccleſiam fluentem lacte ſacramentorum, & melle doctrinæ Euangelicæ. Et per *frumentum*, *vinum*, & *oleum* illius terræ figu- C rabatur Sacramentum Euchariſtiæ, in quo offertur Chriſtus mediator ſub forma panis & vini : & per *oleum* figurabantur cætera ſacramenta, ad noſtram ſalutem & ſanitatem collata.

Item, per *frumentum*, *vinum*, & *oleum* illius terræ figurabatur fides Articulorum, & gratia Sacramentorum, & obſervantia & juſtitia præceptorum & conſiliorum hujus Eccleſiæ, & viſio Divinæ Eſſentiæ, & poſſeſsio & fruitio ejuſdem in Regno cœlorum : quam patres, & omnes fideles veteris Teſtamenti acceperunt nobiſcum in Chriſto, propter fidem quam habuerunt de Chriſto futuro, in cujus fide obſervabant illam Legem. Et ideo dicit *Auguſtinus ſuper Joann.* D 2. ſuper illud : *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto &c.* quòd *hoc intereſt inter figuram, & imaginem, & rem ipſam : nam figura præſtabat vitam temporalem : ſed res ipſa, cujus figura erat, præſtabat vitam æternam.*

Duo conſideranda in obſervantia Lr. vete.

Unde eſt advertendum, quod duo erant conſideranda in obſervantia Legis veteris Teſtamenti. Primò conſiderabatur obedientia & labor in obſervando illam Legem. Secundò, fides Chriſti futuri Redemptoris & præmiatoris. Et ſic propter primum dabatur eis illa terra cum ſuis fructibus, & bonis temporalibus. E Ideo quando prævaricabantur, & declinabant ad idola, illico Deus afligebat eos, & perdebant illam terram & ſubjiciebat eos Gentibus alienigenis, ut patet per totum diſcurſum *libri Judicum & Regum*. Sed propter fidem Chriſti, ſub qua obſervabant Legem, promittebatur eis Chriſtus, & fructus redemptionis, & gloriæ, eo modo quo ſuprà dictum fuit ; non explicitè, ſed implicitè : & ideo non profuit redemptio Chriſti, niſi illis, qui vixerunt ſub fide & ſpe ejus. Et iſti ſoli *acceperunt repromiſſiones per Chriſtum*, ut patet *ad Hebr.* 11. Et ſic patet, quomodo illa terra, & bona temporalia non fuerunt eis promiſſa, F & data in præmium præciſum ; ſed in ſignum præmii futuri, quod erant accepturi in Chriſto propter fidem. Et ſic eſt intelligenda Sacra Scriptura veteris Teſtamenti, ubicumque in Lege aut in Prophetis promituntur talia temporalia.

Iſta autem ſrptima Concluſio probatur experimento. Nam poſtquam Lex Moyſi, quæ ſignificabat Chriſtum, & ejus Eccleſiam, fuit mortua ſimul cum Chriſto ; & bona ſpiritualia, ſignificata per bona temporalia illius terræ, ſurrexerunt ſimul cum Chriſto : illico illa *terra Chanaam* fuit mortua, & deſtructa pro Judæis : quia illico fuerunt expulſi ex ea, & numquam ampliùs poſſederunt eam. Et ſic patet primò, quod G illa terra non fuit eis data niſi in ſignum præmii futuri dandi per Chriſtum : & ſic adveniente vero præmio bonorum gratiæ, ceſſavit præmium temporale figurativum. Secundò oſtenditur experimentaliter : quia poſtquam illa Lex non erat obſervanda poſt adventum Chriſti, ideo non ampliùs illam terram poſſederunt : quia poſſeſsio ejus ſimul cum Lege ceſſavit : quia ſimul cum Lege erat ſignum futurorum bonorum. Sed Judæi obcœcati etiam experimentum non percipiunt.

Octava Conclusio.

H Meſsias in Lege promiſſus non erat daturus bona temporalia, ſed ſpiritualia : nec erat liberaturus illum populum de captivitate temporali, ſed totum genus humanum à peccato & ſervitute æternâ & ſpirituali. Probatur primò. Nam ipſe erat venturus in paupertate & humilitate : Ergo non erat venturus ad dandum bona temporalia. Hoc probatur *Zachar.* 9. *Exulta ſatis filia Sion, & jubila filia Hieruſalem : Ecce Rex tuus venit tibi Juſtus & Salvator, ipſe pauper aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ &c.* quod fuit impletum per Chriſtum in die palmarum. Item *Iſai.* 53. *Et aſcendet ſicut vir-*

virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species neque decor ejus. Et vidimus eum despectum, & novissimum virorum &c. Propter quæ A verba dixerunt quidam Magistri Hebræorum: quòd Rex Messias jam natus fuit in fine secundi Templi: sed vadit per mundum tamquam pauper, & tandem reperietur Romæ mendicans inter leprosos. Sufficit quod omnia oracula prophetarum nihil aliud clamant, nisi quod Christus erat venturus in paupertate & dejectione, ad humiliandum & subjiciendum superbos.

Sed probatur secunda pars: Nam Messias promissus tria bona spiritualia erat daturus. Primo sciam & doctrinam. *Isai. 2. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, &* B *docebit nos vias suas: & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem &c.* Item 11. *Egredietur virga de radice Jesse & flos &c. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus &c.* per totum capitulum, & per totum librum, & omnes Prophetas.

Secundò, erat liberaturus homines à peccato, & daturus eis remissionem peccatorum, & gratiam. *Psalm. 71. Liberabit pauperem à potente: & animas pauperum salvas faciet &c.* Item *Isai.* 61. *Spiritus Domini super me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut me-* C *derer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: & prædicarem annum placabilem Domino Deo &c.* Item *Ezech.* 33. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris &c.* Item *Zachar.* 12. *In die illa effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum.* Item *in cap.* 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ &c.*

Tertiò, Messias erat daturus vitam æternam, & gloriam, ut patuit per totam Expositionem Psalterii, & maximè *Psalm.* 83. ubi dicitur: *Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæ-* D *culorum laudabunt te: protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui: quia melior est dies una in atriis tuis super milia: quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus &c.* In quibus verbis, & toto Psalterio ostenditur, qualiter Christus expectabatur, ut daret gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Et hoc idem patet per omnia oracula Prophetarum. Item, quòd bona promissa tempore Messiæ non debebant esse temporalia, sed spiritualia, non solum patet per Prophetas; sed etiam per sapientiores Magistros Hebræorum. Unde E ait *Rabbi Mosses Aben-Maymon in libro Judicum, in sententiis Regum* „ quod „ non desiderarunt Prophetæ & Sapien„ tes tempus Messiæ, ut dominarentur „ super orbem, nec ut haberent potes„ tatem in Gentibus, nec ad comeden„ dum, nec ad bibendum, nec ad deli„ tias & voluptates: sed ut vacarent in „ Lege & Sapientiâ, ut esset eis fas ha„ bere vitam sæculi venturi, sicut decla„ ravimus in sententiis de pœnitentia: & „ in illo tempore omnes, divitiæ repu„ tabuntur tamquam terra: & non erit „ occupatio in Israel, nisi ad sciendum „ Dominum. Ideo erunt sapientes mag- F „ ni, & scient verba clausa & obscura: „ & attingent scientiam sui creatoris, ut „ dictum est *Isai.* 11. quia tunc *erit terra repleta scientia Domini &c.* Et sic patet, quòd tria bona spiritualia erat daturus Messias in Lege promissus, scilicet, veram scientiam, & remissionem peccatorum, & gratiam in præsenti, & gloriam in futuro; & non bona temporalia, sicut expectant miseri Judæi.

Et ideo Christus Judæis temporalia petentibus ostendit, *Joann. 6.* quòd ipse non venerat ad dandum temporalia, sed spiritualia. Unde ait: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vi-* G *tam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Sed panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum &c.* Et infra dicit discipulis. *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: caro enim non prodest quicquam &c.* Ubi ostendit Christus, quòd ipse non venereat ad dandam illam terram Chanaam, nec mel & lac, nec panem & vinum materiale; sed ad dandam veram scientiam, & gratiam in præsenti per Ecclesiastica Sacramenta: & gloriam in futuro: nec venerat ad dandum cibum & potum materialem: quia illum dat etiam infidelibus cum cæteris bonis tem- H poralibus, ut patet *Matthæi* 6. Sed dicit, quòd descendit de cœlo ad dandum cibum spiritualem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.

*** *** ***
*** *** ***

§. II.

Prima Conclusio

Articuli secundi.

Quantum ad secundùm Articulum ponitur *prima Conclusio.* Ista nomina, *Abraham*, & *Israel*, & *Jacob* non sunt nomina carnis & naturæ; sed nomina gratiæ, & promissionis, & fidei, & sacramenti. Probatur. Nam hoc nomen *Abram* fuit impositum ipsi à nativitate secundùm carnem: sed cùm data fuit ipsi Circuncisio, Deus imposuit ipsi nomen *Abraham* in signum gratiæ: eò quòd erat futurus pater multarum gentium, ut patet *Genes.* 17. Unde tale nomen fortitus est Abraham postquam crediderat Deo: quæ quidem fides *reputata est ipsi ad justitiam*, ut patet *Genes.* 15. Ex quo patet, quòd datum est tale nomen in signum fidei, in quantum credidit, & etiam in sacramentum, in quantum erat futurus pater multarum Gentium, & in quantum omnes Gentes erant benedicendæ & regenerandæ in semine ejus, qui est Christus, ut patet *Genes.* 22. Ex quibus patet, quòd hoc nomen *Abraham* non est nomen carnis & naturæ, sed fidei, & gratiæ, & sacramenti.

Filii duplices Abrahæ.

Ex supradictis patet, quòd sicut Abraham habuit duo nomina, unum secundùm carnem & naturam, & alterum secundùm gratiam & sacramentum: ita fuerunt promissi ipsi duplices filii, scilicet, filii carnis, sive secundùm carnem, & filii secundùm spiritum, & fidem, & gratiam, & sacramentum. Nam illi fuerunt filii carnis tantùm, qui nati sunt ipsi per *Ismaelem* sequendo carnem: sed illi fuerunt filii spirituales, & fidei tantum, qui secuti sunt fidem ejus de Christo Messia futuro. Et de talibus facta fuit vera & spiritualis promissio.

Hoc autem probatur, prout dictum est in *prima Conclusione* præcedentis Articuli. Nam quando Deus dixit *Genes.* 15. Abrahæ: *Respice cœlum, & numera stellas, si potes &c.* per *cœlum* intellexit, & promisit hæreditatem cœlestem, & per *stellas* intellexit filios spirituales, qui erant in Christo regenerandi: quibus promittebat hæreditatem in cœlo. Item *Genes.* 22. quando dicit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris: & in semine tuo benedicentur omnes Gentes &c.* per *stellas cœli* promisit ipsi filios promissionis, & gratiæ, & sacramenti fidei: & per *arenam* intellexit filios carnis. Et sic patet, qualiter duplices sunt *filii Abrahæ*, scilicet carnis, & fidei: eò quòd *Abraham* non est nomen carnis & naturæ, sed fidei, & gratiæ, & sacramenti. Item, hoc idem est dicendum de hoc nomine *Jacob*: quia non fuit ipsi impositum à casu, nec secundùm carnem; sed propter mysterium quod importatur per hoc nomen *Jacob*, quod interpretatur *supplantator*: eò quòd ter supplantavit *Esau* fratrem suum: nam primò litigans cum eo ejecit ipsum de ventre matris, tenens plantam ejus. Et ideo *Rebecca* vocavit ipsum Jacob, id est, supplantatorem, ut patet *Genes.* 25. Secundò, *Jacob* supplantavit *Esau* fratrem suum, quando emit ab eo primogenituram pro cibo lenticularum. Tertiò, supplantavit eum alia vice, quando surripuit ipsi benedictionem, dum ivit ad venandum cibos pro patre, ut patet *Genes.* 26. per quos quidem duos fratres, scilicet, Jacob & Esau figurabantur duo populi venturi ex Isaac & Jacob, & figurabantur duplices filii carnis, & filii gratiæ. Et figurabantur tres supplantationes, quibus filii gratiæ debebant supplantare filios carnis.

Israel vocatur Jacob.

Per eandem rationem *Israel* non est nomen carnis & naturæ, sed nomen mysterii, & fidei, & gratiæ: nam hoc nomen *Israel* impositum fuit à Deo ipsi Jacob in adulta ætate ultra dimidium vitæ, quando luctatus est cum Angelo juxta torrentem *Jaboc*: eò quòd vidit Deum in forma viri facie ad faciem, & fuit factus fortis cum Deo, & tenuit fortiter Deum, & directus est à Deo, & benedictus à Deo: unde mansit Jacob claudus uno pede. Per quod fuit figuratum, qualiter ex Jacob debebant exire duplices filii, scilicet, quidam secundùm carnem tantùm, qui debebat claudicare à vero cultu Dei: quidam autem erant futuri filii secundùm gratiam & fidem, sequendo fidem Christi, & recipiendo ipsum, & tenendo & colendo eum, & vivendo per fidem. Unde potest dici, quòd omnes sumus nati ex Abraham: sed Judæi nati sunt ex spiritu & fide Abrahæ: ideo dicit Christus *Joann.* 3. *quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Hanc etiam Conclusionem probat Apostolus *ad Roman.* 4. & *Galathas* 3. Ex quibus patet, quòd non omnes filii Jacob & Israel sunt veri filii, nisi soli filii spirituales: quia fortiter tenuerunt Christum, & fuerunt ab eo benedicti & directi, & viderunt ipsum per fidem: nec sunt veri *filii Jacob*, nisi illi qui ejecerunt filios carnis extra uterum Ecclesiæ, & surripuerunt primogenituram, & benedictionem filii carnis. Et isti tales sunt *verus Jacob & Israel, & verum semen Abrahæ*, ut dictum est *in Prologo.* Ex quibus sequitur, quòd vera repromissio spiritualis

lis Regni cœlestis facta est solis filiis Abrahæ, & Jacob, & Israel spiritualibus secundùm fidem & gratiam, & non filiis carnis. A

Secunda Conclusio.

POpulus Gentilis erat efficiendus filius Abrahæ secundùm repromissionem, in quantum erat benediendus in Christo, & regenerandus. Hoc probatur *Genes.* 22. quando Deus dixit Abrahæ: *In semine tuo*, id est, in Christo, *benedicentur omnes Gentes.* Hoc idem dictum est ipsi Jacob, *Genes.* 28. quando Dominus dixit: *Terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo: & dilataberis ad Orientem & Occidentem, & Septemtrionem, & Meridiem: & benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Ubi ostenditur, quòd per benedictionem & regenerationem in Christo totus populus Gentilis erat futurus filius Israel & Jacob secundùm spiritum & fidem. Item, *Isai.* 44. *Noli timere serve meus Jacob, & rectissime*, id est, Israel, *quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam: & germinabunt super herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas. Iste dicet: Domini ego sum: & ille vocabitur nomine Jacob. Et hic scribet manu sua Domino: & in nomine Israel assimilabitur &c.* Ex quibus patet, quòd populus Gentilis baptizatus aquâ & spiritu sancto erat vocandus *Jacob*, & *Israel* secundùm fidem & spiritum. B C

Et sic patet, quòd Messias non solum erat Salvaturus populum Judaicum, sed etiam Gentilem. Unde in Glossa Hebraica *Genesi Rabba* movetur Quæstio per Doctores Hebraicos: *An Deus, & ejus Messias sit receptor personarum in ejus adventu?* scilicet, An salvabit solos Judæos & filios Israel? Ad quod respondetur, quod absit; immò omnes confitentes Deo corde, ore, & opere salvabuntur per Messiam: quia sic scriptum est *Hierem.* 34. *In diebus illis salvabitur Juda*, id est, confitentes Deo. Et hoc est quod dicitur *Isai.* 49. *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad fines terræ.* Ex quo patet, quòd Christus non solum erat salvaturus Israelitas, sed etiam Gentiles. Ideo ait Christus *Matth.* 8. quòd *multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in Regno cœlorum: filii autem Regni mittentur in tenebras exteriores &c.* D

Tertia Conclusio.

E

POpulus Gentilis erat recepturus Christum in Lege promissum, & venturus ad fidem, & Legem Euangelicam, & adoraturus Deum Israel. Hoc autem jam probatum est *Psalm.* 2. & 47. & per totam *Expositionem libri Psalmorum.* Sed maximè probatur *Isai.* 2. cum ait: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini super verticem montium: & elevabitur super omnes colles: & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis* F *ejus: quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Item hoc idem patet *capit.* 49. per totum, ubi dicitur: *Dedi te in lucem Gentium: ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt Dominum Deum tuum, & sanctum Israel qui elegit te &c.* Hoc idem patet per totum usque ad finem libri, de Conversione Gentium ad Deum. Item *Hierem.* 16. *Ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, & vanitatem, quæ eis non profuit &c.* Item *Zachar.* 2. *Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo* G *in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.* Item *Zachar.* 8. *Venient populi multi, & Gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Hierusalem, & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis in quibus aprehendet decem homines ex omnibus linguis Gentium: & aprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim, quoniam Dominus vobiscum est.* Ex quibus patet, quòd Gentiles per Apostolos Judæos erant trahendi ad Christum. Hoc idem patet *Malachiæ* 1. *Non est voluntas mea in sacrificiis vestris, ait Dominus exer-* H *cituum. Et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus.* Ex quibus patet, quòd reprobatâ Synagogâ, Sacerdotium erat transferendum ad populum Gentilem colentem *nomen Domini*, quod est *Jesus.* Hoc idem dicitur *Isai. ultim. Et anuntiabunt gloriam meam Gentibus.* Et infra: *Et assumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus: quia sicut cœli novi & terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus Deus, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.*

Et

Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato. Veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. A

Quarta Conclusio.

Solus Christianus est verus Jacob.

EX quibus omnibus sequitur quarta Conclusio, tamquam ex supradictis corollaria. Solus populus Christianus est *verus Jacob* & *Israel*, & *verum semen Abrahæ*. Hoc autem probatur per singula secundùm nominis interpretationem & secundùm fidei imitationem. Nam in tantum Deus vocavit eum Abraham, in quantum erat futurus pater omnium credentium : & in quantum in eo erant benedicendæ omnes Gentes : Sed solus populus Christianus fuit in Christo benedictus & regeneratus, & sequitur fidem B Abrahæ, & recepit Christum promissum Abrahæ & semini ejus : Igitur solus populus Christianus est verum semen Abrahæ secundùm fidem & spiritum : & per consequens soli populo Christiano debetur hæreditas cœlestis & beatitudo promissa, & est *vera Hierusalem* & terra viventium. Quod probatur. Nam *Abraham* & *Israel* sortiti sunt supradicta nomina non secundùm carnem & naturam, sed secundùm fidem, ut dictum est. Sed quia soli Christiani sunt imitati fidem eorum de Christo, & receperunt Christum, quem ipsi expectabant : Ergo soli Christiani sunt verum semen Abrahæ & Israel secundùm fidem & spiritum. Sed quia in C tantum facta est promissio bonorum spiritualium gratiæ & gloriæ ipsi Abrahæ & Israel, in quantum habuerunt fidem de Christo futuro : Ergo pro solo populo Christiano ex Judæis & Gentibus credentibus congregato facta fuit illis repromissio : & per consequens soli populo Christiano debetur repromissio, & hæreditas bonorum spiritualium gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro : de quibus loquuntur Lex & Prophetæ.

Quinta Conclusio.

ITem, ex supradictis etiam sequitur quædam alia corollaria Conclusio, scilicet : Omnes Judæi moderni sunt Hæ- D retici in Lege Moysi & Prophetis. Probatur. Nam omnes deviant à veritate Sacræ Scripturæ Legis & Prophetarum : Ergo sunt Hæritici. Tenet consequentia : Nam Hæresis nil aliud est nisi deviatio à veritate Sacræ Scripturæ utriusque Testamenti. Antecedens probatur. Nam omnes Patriarchæ & Prophetæ vixerunt in fide Christi futuri, expectantes, ut eos redimeret à servitute peccati, & morte æternâ, & acciperent ab eo repromissiones, scilicet gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, ut probatum est. Sed Judæi moderni, & eorum prædecessores contempserunt Christum, & humanam redemptionem, & omnia bona gratiæ & gloriæ, & expectant falsum Messiam, qui tribuat eis bona temporalia : Ergo totaliter contradicunt veritati Sacræ Scripturæ Legis & Prophetarum, & fidei, & spei illorum : & per consequens omnes sunt Hæretici, quotquot manent in eadem obstinatione post adventum Christi. Unde autem proveniat eis ista Hæresis, videbitur in fine totius Tractatûs.

In tota ergo Quæstione patet cœcitas & deceptio Judæorum : nam per novem Conclusiones ostensum est, qualiter præter terram Chanaam promissa fuit Abrahæ & Jacob hæreditas in cœ- F lo, & qualiter Patriarchæ & Prophetæ præter illam terram desiderabant & expectabant cœlestem & spiritualem hæreditatem : & quomodo non desiderabant sepeliri in illa terra, nisi quia prævideruntin spiritu Christum ibi passurum, & sepeliendum, & resurrecturum : & quod Prophetæ nec commendarunt illam terram, & Civitatem, & Templum propter ejus bonitatem ; sed quia prævideruntChristum in illa terra nostram redemptionem operaturum.

Item, ostensum est, qualiter Prophetæ non solum intendunt commendare illam Hierusalem, in qua Christus operatus est nostram redemptionem, sed G etiam *Hierusalem spiritualem* toto orbe diffusam, ab illa derivatam & dilatatam. Item patet, quomodo Christiana Religio est *verum semen Abrahæ*, & *verus Israel* per successionem fidei. Item, ostensum est, qualiter illa terra Chanaam cum suis fructibus temporalibus non fuit eis promissa, & data in præmium præcisum pro observatione Legis ; sed in signum futuri præmii æterni dandi per Christum pro fide quam habebant de Christo. Item ultimò ostensum est, qualiter Messias in Lege promissus non erat daturus bona temporalia, sed spiritualia gratiæ in præsenti, & bona gloriæ in futuro. Per quæ omnia patet responsio ad H argumenta Judæorum.

§. III.

RESPONSIO AD ARGUmenta.

Ad primum ergo respondetur eis : quòd illa terra cum suis fructibus non fuit eis promissa in præmium solidum pro observatione Legis, sed in signum præmii futuri dandi per Christum pro fide Christi, sub qua illam Legem observabant, ut dictum est. Item, illa *Ad primum*

terra promissionis, & Civitas Hierusalem dicta est *fluens lacte & melle*, in quantum ex ea fluxit nobis Lex, & doctrina Euangelica: quia *de Sion exivit* A *Lex, & verbum Domini de Hierusalem, Isai.* 2. quæ quidem doctrina Euangelica frequenter dicitur *mel* & *lac* in scriptura propter suum saporem & dulcedinem. Et hanc terram promisit Deus illi populo in figura Christi. Nam sicut ante adventum Christi fluxit & emanavit in ea lac & mel propheticum: ita tempore Christi fluxit lac & mel Euangelicum, quod Christus per totam terram promissionis prædicavit. Unde tripliciter lac & mel exivit, & emanavit ex illa terra: primò lac & mel Euangelicæ doctrinæ. Secundò, lac & mel nostræ redemptionis. Tertiò, lac & mel gratiæ B sacramentorum. Et hoc est lac & mel, quod Deus sub figura promisit Patriarchis & Prophetis. Dabatur ergo filiis Israel illa terra materialis pro observantia Legis: sed promittebatur eis cœlestis gloria propter fidem quam habebant, & cum qua fide conservabant illa Legalia.

Ad secundum. *Ad secundum* est dicendum: quòd *Jacob* & cæteri Patriarchæ non desiderarunt sepeliri in illa terra propter se, sed quia præviderunt Christum in illa sepeliendum, & resurrecturum: & sic desiderabant cum eo resurgere.

Ad tertium. *Ad tertium* respondetur: quòd Prophetæ non commendarunt illam terram C & Civitatem propter se: sed in quantum præviderunt Christum in illa nasciturum, & in illo Templo præsentandum, & prædicaturum, & in illa Civitate nostram redemptionem operaturum. Sed cùm hoc intendebant commendare Hierusalem spiritualem ab illa toto orbe diffusam.

Ad quartum. *Ad quartum:* quòd Christus Rex Messias non erat daturus bona temporalia, sed spiritualia, ut dictum est.

Ad aliud dicendum: quòd Christus Messias in Lege promissus non erat ædificaturus Civitatem materialem: sed *Hierusalem spiritualem* toto orbe diffusam, quam per se ædificavit in *monte Calvariæ*, & in *monte Sion*, ut dictum est, & latiùs dicetur in Quæstione D sequenti: ex qua Hierusalem & Sion fuit derivata Ecclesia toto orbe diffusa.

***

*** *** ***
*** *** ***

QUÆSTIO QUARTA.

E

POstquam probatum est in tertia Quæstione, qualiter omnia promissa in Lege & Prophetis sunt spiritualiter intelligenda pro bonis gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: ideo quæritur quartò: *Utrum Jesus Nazarenus, quem Christiani colunt, fuerit verus Messias promissus in Lege & Prophetis?*

Ad quod *arguunt Judæi* moderni, quod non. Et primò sic. Messias nondum venit: Ergo Jesus non fuit verus Messias. Consequentia patet. Antecedens probatur. Nam Elias debet venire priùs quàm Messias, prout legitur *Malachiæ* F 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor patrum in filios, & cor filiorum ad patres eorum &c.*

Ad cujus intellectum est notandum, quòd ex hoc dicto, & littera præcedente in hoc capitulo Scribæ & Pharisæi formarum duos Articulos inter cæteras suas traditiones. Primus Articulus fuit, quòd Elias debet præcedere Messiam in suo adventu: & ideo quando miserunt Judæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad *Joannem*, ut interrogarent eum: *Tu quis es?* & *Joannes* negavit se esse Christum; tunc Pharisæi iterum interro- G gaverunt eum, dicentes: *Elias es tu &c?* Eo quod habebant pro Articulo, quòd *Elias* erat venturus ante ipsum Messiam. Item *Matth.* 18. quando tres discipuli viderunt *Moysen* & *Eliam* in transfiguratione Christi, & postea neminem viderunt nisi solum Jesum: Tunc interrogaverunt Christum, dicentes: *Quid ergo Scribæ & Pharisæi dicunt, quod oportet Eliam venire primum? &c.* Ex quibus patet, quòd Scribæ & Pharisæi inter suas traditiones tamquam Articulum affirmabant Eliam venturum, & præcedere Messiam in Lege promissum. Item per litteram præcedentem in hoc capitulo, ubi dicit Deus per *Malachiam: Memento Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb, præcepta, & ju-* H *dicia.* Et subdit: *Ecce ego mittam vobis Eliam &c.* per hoc formarunt alium Articulum, scilicet, quòd causa quare Elias debebat præcedere Christum, erat, ut prædicaret, & restauraret Legem Moysi prædictam in filiis dispersionis: ut postea Rex Messias posset eam confirmare & ratificare.

Tunc ergo ex primò Articulo *arguunt sic Judæi*: Elias nondum venit: Ergo Messias nondum venit: quia prius est venturus Elias quàm Messias: & sic Messias nondum venit: Ergo *Je-*

sus

sus Nazarenus non fuit verus Messias.

Item ex secundo Articulo arguunt sic : Messias in Lege promissus debet confirmare & ratificare Legem Moysi filiis dispersionis : quam Elias prius debet instaurare & declarare : Sed Jesus Nazarenus hoc non fecit, immò prævaricatus est, & dissipavit totam Legem Moysi quoad omnia præcepta & mandata, tam moralia, quàm cærimonialia, quàm judicialia : Igitur non fuit verus Messias. Hæc Minor probatur per singula. Nam Jesus primò prævaricatus est præcepta moralia, sabbatum violando, exercendo opera sanitatum, & se Deum faciendo. Secundò violavit cærimonialia, cibos prohibitos concedendo, quando dixit discipulis : *Comedite quæ apponuntur vobis.* Tertiò prævaricatus est judicialia, *Joann.* 7. quando absolvit *Adulteram*, quam Lex præcepit lapidari, *Levit.* 20. Et sic patet, quòd totam Legem violavit : Ergo non fuit Legis confirmator, sed dissipator ; & per consequens non fuit Messias.

Secundò arguunt Judæi dicentes, quòd *Jesus* non exercuit officium veri Messiæ erga populum Israel : Ergo non fuit verus Messias Antecedens probatur. Nam Messias in Lege & Prophetis promissus quatuor erat facturus principaliter erga populum Israel : Nam primò debebat debellare, & subjicere ipsi totum orbem, & populum Gentilem, & omnes Reges terræ, & *dominari à mari usque ad mare*, & usque ad finem terræ, ut patet *Psalm.* 71. & *Zachar.* 11. Secundò debebat educere, & liberare omnes filios Israel ex omnibus partibus mundi, ut patet *Isai.* 11. Tertiò debebat ædificare *novam Hierusalem* in eodem *monte Sion*, & in ea congregare omnes filios Israel, ut in ea cum magna prosperitate & pace observent totam Legem Moysi, ubi erit tanta pax, quòd omnes tribus terræ *conflabunt gladios in vomeres, & lanceas in falces, Isai.* 2. Item quartò, Rex Messias debebat facere immortales & impassibiles omnes filios Israel viventes in illa Civitate nova Hierusalem : quia *præcipitabit mortem in sempiternum : & auferet Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra, Isai.* 25: Sed *Jesus Nazarenus* nil horum fecit, immò totum oppositum : Ergo non fuit verus Messias. Hoc probatur. Nam primò non debellavit, nec subjecit sibi totum orbem : immò fuit pauper & dejectus, in tantum, quòd fuit crucifixus per Judæos & Gentiles, & sepultus in alieno sepulchro. Item secundò, non congregavit filios Israel, nec liberavit eos de captivitate : immò post mortem ejus fuerunt per mundum dispersi & dissipati. Item tertiò, non ædificavit novam Hierusalem : immò post mortem ejus, & causâ ejus fuit diruta & dissipata, ut inquit *Josephus libro de Bello Judaico.* Immò dicunt Judæi, quòd *Jesus Nazarenus* non solum dissipavit Civitatem & populum, sed etiam totam Legem Moysi, in quantum constituit novum modum sacrificandi, & colendi Deum : immò destruit Judaismum, in quantum magna pars Judæorum recepit baptismum Christi, & recipit continuè.

Item quartò, non videmus quod *Jesus* in adventu suo posuerit tantam pacem inter homines, quòd *conflaverint gladios in vomeres &c.* immò post ejus adventum fuerunt maxima bella per omnes partes orbis, ut patet per omnes Historias Gentium. Item, non fuit tanta pax inter animalia bruta, quod *bos comedat cum agno*, & *leo cum ove* : quia eandem ferocitatem retinent animalia bruta. Item, Christus non *præcipitavit mortem, nec abstulit omnem lacrymam à suis* ; immò reliquit suos mortales & passibiles : nec videmus quòd Baptismus Christi auferat miserias & infirmitates corporales. Ex quibus omnibus sequitur quòd Christus non fuit verus Messias in Lege promissus : quia non exercuit officium veri Messiæ.

In oppositum est *Joann.* 1. quando dixit Andræas Petro : *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* Item Philippus dixit Nathanaeli : *Quæ scripsit Moyses in Lege & Prophetis, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth.* Item *Nathanael* dixit ipsi Jesu: *Rabbi, tu es Filius Dei : tu es Rex Israel.* Item, totus ille populus satiatus quinque panibus & duobus piscibus, confessus est *Jesum* esse Messiam, quando dixit : *Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. Joann.* 6. Et sic *Jesus Nazarenus* non solùm à toto populo Gentili, sed etiam à multis de populo Judaico fuit receptus tamquam verus Messias, ut patet per totum discursum Euangelicum.

Responsio.

In hac Quæstione respondeo, quod non intendo per singulas conditiones probare, Christum fuisse verum Messiam, omnes scripturas particulariter adducendo : quia de hac materia abundè scripsit *Dominus Joannes Figuerola*, concivis noster Valentinus in *tribus voluminibus contra Judæos.* Hoc idem dilucidè scripsit Dominus *Petrus de la Cavaleria*, civis Cæsaraugustanus, utriusque Juris Doctor famosissimus ; & *Dominus Alfonsus Toletanus*, Sacræ Theo-

logiæ Magister insignimus; & etiam plures alii, qui non solum per Sacra scripta Legis & Prophetarum, sed & per dicta Rabbinorum Thalmudistarum Judæos convicerunt. Sed tamen in hac Quæstione intendo breviter respondere, & satisfacere supradictis argumentis Judæorum, & detegere cæcitatem, & ostendere inveteratam malitiam eorum. Et ideo in præsenti Quæstione duo sunt principaliter videnda, & probanda. *Primò*, Quomodo Jesus Christus observavit, & statuit, & confirmavit, & ratificavit Legem Moysi, prout quærit primum argumentum.

Secundò, qualiter Jesus Christus exercuit, & perfecit officium veri Messiæ? prout quærit secundùm argumentum.

§. I.

QUantum ad primum Articulum est primò notandum, quòd quia Lex divina data Moysi non erat merè litteralis & temporalis, sed etiam principaliter spiritualis, sicut dictum est in præcedenti Quæstione: ideo secundùm Scripturas Legis & Prophetarum, Lex Moysi erat primo illi populo litteraliter observanda.

Secundò, erat per Messiam pro missum spiritualiter declaranda.

Tertiò, erat per ejus passionem litteraliter & carnaliter terminanda, & ejus veritas spiritualiter observanda.

Lex Moysi principaliter spiritualis.

Primum patet per totum discursum *Exodi*, & *Levitici*, & *Numeror.* & præcipuè *Deuter.* ubi Deus sub multiplici commination & maledictione præcepit illam Legem & cærimonias observari.

Secundum patet *Deut.* 18. ubi Deus dicit Moysi: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos quæcumque dixero illi. Et qui verba ejus, quæ loquetur, non audierit, ultor existam &c.* Ex dictis in hoc textu & capitulo sequitur primò, quòd in Lege Moysi fuit Christus promissus ad declarandam Legem Moysi, & verum sensum & veritatem ejus.

Secundò sequitur, quòd talis promissio de Christo declaratore Legis, fuit facta in monte Sinai simul cum datione ejus: quod probatur per hoc quod ait Moyses in hoc 18. *cap. Deut.* cùm referendo Legem populo, dicit: *Prophetam suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, & dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia locuti sunt. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus &c.* ut supra. Ex quibus patet, quòd ista promissio de Propheta declaratore Legis futuro, quam refert hìc Moyses, jam fuerat facta in Horeb in datione Legis, quando populus dixit Moysi: *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Deus, ne fortè moriamur*, ut patet *Exod.* 20. Et tunc Deus dixit Moysi: *Bene omnia sunt locuti*, petendo mediatorem, qui loquatur eis ex parte Dei familiariter: ideo promitto tibi quod *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum*, scilicet de tribu Juda, *similem tui* in humanitate & officio. Iste enim erit *similis tui* primò in humanitate: quia licet sit Deus, tamen erit etiam homo. Quia *ponam verba mea in ore ejus*: quia erit Verbum incarnatum: & sic apparebit mundo *similis tibi* in humanitate, & erit etiam tibi similis officio: nam sicut ego misi te ad istum populum liberandum de ista captivitate temporali, & eduxisti eum de terra Ægypti: ita ego mittam illum ad liberandum totum genus humanum de servitute peccati, & de jugo Legis. Item, sicut ego per te dedi Legem istam isti populo: ita per illum *Prophetam Christum* declarabo eam: & ideo *posui verba mea in ore ejus.* Item, sicut iste populus fuit tibi rebellis multotiens, nolens te audire: ita iste idem populus erit ipsi rebellis, in tantum, quòd interficiet eum, sicut iste populus voluit te interficere, & constituere alium ducem, & reverti in Ægyptum. Sed sicut ego punivi omnes rebelles, qui non te audierunt, quia non introierunt terram promissam, sed cadavera eorum manserunt in deserto: ita ego *ultor existam* eorum, qui verba hujus Prophetæ Christi audire noluerint, & ipsi non crediderunt: quia vagos & captivos temporaliter per hunc mundum dispergam, & animæ eorum *numquam introibunt in requiem meam.* Ex quibus patet, quòd promissio de Christo futuro Legis interprete & declaratore facta fuit in monte Horeb in primo anno, simul cum datione Legis: sed quia Moyses tacuit, & omisit eam in *Exodo*, ideo refert & exprimit eam in *Deuter.*

Nota se obligavit populus ad servandã Legem & ita ad Christum audiendũ.

Tertiò autem sequitur: quòd sicut totus ille populus se obligavit ad servandam Legem Moysi, & omnia quæ Deus locutus fuerat Moysi, quando dixit: *omnia quæ locutus est Deus faciemus, & erimus obedientes*, *Exodi* 24. Ita pariter se obligavit ad audiendum Christum in suo adventu, & declarationem Legis per ipsum faciendam. Item, sicut ille populus se obligavit ad servandam litte-

ra-

raliter Legem Moysi sub anathemate & multiplici maledictione scripta *Deut.* 27. & 28. ita sub eisdem maledictionibus & A pœnis se obligarunt ad audiendum, & credendum, & obediendum illi Prophetæ Christo, & ad servandum Legem secundùm ejus declarationem.

Item sequitur, quòd ille populus non erat obligatus servare litteraliter Legem Moysi, nisi usque ad declarationem factam per illum Prophetam promissum: sed exinde tenebantur observare Legem Moysi spiritualiter secundùm veritatem & declarationem factam per illum Prophetam, cui obligabantur credere & obedire, & ejus doctrinam audire, & sequi: ideo dixit eis *Jesus*, *Joann.* 5. *Scrutamini scripturas: quia illæ testimonium perhibent de me. Est qui accusat vos Moyses, in quo vos sperastis. Si* B *enim credideretis Moysi, credideretis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit:* quasi dicat. Patres vestri fuerunt obligati credere Moysi, & servare litteraliter Legem ejus: ita & vos obligamini credere mihi, & audire à me declarationem Legis Moysi: nam ego sum ille Propheta, de quo scripsit Moyses *Deut.* 18. cui cum comminatione ultionis obligamini credere: & ideo *si credideretis Moysi, credideretis & mihi*: & per consequens non credendo mihi, non creditis & Moysi; & sic irritam facitis Legem ejus, & violatis jusjurandum quod feciſtis in Horeb, quando dixiſtis: *Omnia quæ locutus est Deus faciemus, &* C *erimus obedientes*, *Exod.* 24. & per consequens estis Hæretici in Lege, & incurritis omnes maledictiones scriptas *Deuter.* 27. & 28.

Hoc idem ostenditur *Maith.* 3. & *Luc.* 3. quando in Baptismo vox Patris audita est, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Et sic patet, quòd idem Deus Pater, qui in datione Legis dixit de Christo: *Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos &c.* idem Pater præcepit in novo Testamento, ut audiant ipsum Christum, tamquam Prophetam promissum in Lege. Et ideo ubicumque memoratur in Prophetis præsens punitio, & captivitas, in qua mo- D dò laborant Judæi, semper assignatur pro causa, quia non exaudierunt vocem Domini venientis in carne, sive quia non audierunt vocem hujus Prophetæ, scilicet Christi, nec crediderunt ipsi. Unde ait Christus per os David *Psalm.* 17. *Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Item *Psal.* 80. *Populus meus non audivit me, & Israel non intendit mihi.* Item *Psalm.* 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, quibus juravi in ira mea &c.* Item *Isai.* 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus* E *præsepe domini sui: Israel autem non cognovit me.* Item *cap.* 50. *Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erat qui audiret.* Item *capit.* 65. *Omnes in cædem corruetis, pro eo quòd vocavi, & non respondistis: locutus sum, & non audistis &c.* Item *Hieremiæ* 16. *Sed vos pejus operati estis, quam patres vestri. Ecce enim embulabat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat. Ejiciam vos de terra hac &c.* Ex supradictis patet, quomodo ille populus sub comminationem obligabatur audire Christum F in suo adventu Legem declarantem: sed quia non audivit, ideo fuit punitus in corpore & anima in æternum: & sic patet qualiter Lex Moysi erat per Christum declaranda.

Hoc idem dicit *Rabbi Moyses in sententiis de pœnitentia*: quòd tempore Messiæ omnes attendent ad sciendam Legem pro sæculo venturo acquirendo. Item in hoc concordant omnes magistri Judæorum antiqui, scilicet, quòd Messias debet in suo adventu declarare mysteria occultissima Legis: immò multa sunt mysteria in Lege, quæ appellant *Ticu*, id est, silentium, quæ nullus audet declarare: quorum declarationem expectant faciendam per Messiam: Ideo in oratione rogant omnes, ut Deus mit- G tam Messiam qui declaret modos, & ænigmata Legis.

Tertium autem *principale* probatur, scilicet, quòd Lex Moysi quoad cærimonialia, & litterale officium erat per Christum & ejus mortem terminanda, & abolenda. Hoc patet *Psalm.* 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio &c.* prout ibi fuit declaratum. Item *Psalm.* 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos &c.* Item *Isai.* 1. *Quid mihi multitudinem victimarum vestrarum &c.* Hoc idem *capitulo ultimo* per totum. Item H *Hier.* 16. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: sed, Vivit Daminus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis &c.* Ex quo patet, quòd Pascha & sabbata debebant cessare in adventu Messiæ. Item *capitulo* 31. *Ecce dies veniet, dicit Dominus: & feriam domui Juda, & domui Jacob fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terræ Ægypti &c.*

Lex Moysi erat carnaliter terminanda & spiritualiter observanda.

&c. Item *Daniel.* 9. *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus : & non* A *erit ejus populus qui eum negaturus est. Et Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Et finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una. Et in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium : & erit in Templo abominatio desolationis. Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Ex supradictis ergo patent tria præsuppositа, scilicet primum, qualiter Lex Moysi erat ex præcepto Dei sub multiplici comminatione ab illo populo observanda. Secundò, qualiter illa Lex per *Christum Prophetam futurum* erat declaranda : & quomodo sub eadem com- B minatione ille populus erat obligatus audire Christum, & ejus doctrinam, & ipsi obedire. Tertiò, qualiter hostia, & sacrificia, & cætera legalia Legis Moysi litteraliter & officialiter erant terminanda, & abolenda, & verificanda per mortem Christi ; & per consequens ille populus non ampliùs erat obligatus post mortem Christi ad observanda litteraliter cærimonialia, sed obligabatur ea spiritualiter observare secundùm declarationem factam per Christum, hoc est, secundùm doctrinam Euangelicam, quæ nil aliud est, nisi declaratio, & veritas Legis : & sic patet, qualiter Christus erat futurus declarator Legis Moysi.

Christus Magister & Doctor. Secundo est notandum, quòd Christus, qui erat in Lege promissus tamquam verus declarator & interpres Legis Moysi, in declaratione Legis erat tamquam bonus & verus Magister & Doctor. Nam Doctor in scholis primo legit litteraliter textum. Secundò declarat ipsum textum litteræ per rationes, & alias authoritates. Tertiò verificat ipsum textum per exempla sensibilia, & per effectum. Et istum modum servant Magistri in legendo Mathematicas, & Philosophi in scientia naturali, & Jurisperiti in Jure Ciuili & Canonico, & unusquisque in sua facultate : Ita ergo Christus Magister noster, & Interpres legis tenuit hunc D modum nobiscum in declarando Legem Moysi. Nam primò ipse observavit Legem Moysi litteraliter quoad omnia præcepta moralia, & cærimonialia. Secundò, declaravit totam Legem doctrinaliter, ejus verum sensum exponendo. Tertiò, verificavit in se realiter & exemplariter totam Legem & Prophetas, ut patebit.

(✠)

Prima Conclusio.

E HIS habitis, ponitur prima Conclusio. Christus observavit litteraliter totam Legem Moysi, non solùm quoad præcepta moralia, sed etiam quoad cærimonialia. Hoc autem probatur. Nam Christus ut homo, semper veneratus est Deum Patrem tamquam Patrem & Dominum, faciendo ejus voluntatem, & tribuendo ipsi omnem honorem, ut patet per totum discursum Euangelicum. Item, non solùm veneratus est Deum Patrem naturalem & Dominum, sed etiam veneratus est *Virginem Mariam* Matrem suam carnalem & naturalem, & *Joseph* Patrem nutritium : quia *erat subditus* F *illis*, ut patet *Lucæ* 2. Et sic justè vivendo, observavit omnia præcepta moralia, ut patet per totum discursum Euangelicum. Item, servavit omnia præcepta cærimonialia usque ad trigesimum annum, & ultra : quia in omnibus festivitatibus ascendebat in Hierusalem *secundum consuetudinem diei festi*, ut patet *Luc.* 2. Et sic est dicendum de cæteris cærimonialibus, quia comedit agnum Paschalem &c.

Secunda Conclusio.

CHristus tamquam Magister & Interpres in Lege promissus, declaG ravit doctrinaliter Legem Moysi, verum & spiritualem sensum, & ejus intelligentiam manifestando. Probatur. Nam illico post Baptismum, & jejunium congregavit Apostolos, & Discipulos, & ascendit in montem, & sedendo tamquam Magister declaravit eis Legem Moysi quoad verum sensum, confutando falsam doctrinam & fermentum Scribarum & Pharisæorum, ut patet *Matth.* 5. 6. & 7. & exinde per totum discursum Euangelicum : quia ostendit, quomodo sabbatum non solvebatur, nec violabatur sanando infirmos ; immò colebatur, & magis sanctificabatur : quia sabbatum erat institutum ad sanctificandum Deum, faciendo opera sancta, & non servilia, H cujusmodi sunt opera misericordiæ &c. Item, ostendit qualiter cibi prohibiti in Lege non prohibebantur per se ; sed prout figurabant opera mala & prohibita, scilicet, homicidia, & adulteria, & furta &c. *quæ coinquinant animam*, ut patet *Matth.* 15. & sic de singulis. Item, post resurrectionem incipiens à Moyse & Prophetis, interpretatus est illis duobus Discipulis, & postea omnibus Apostolis omnia quæ erant scripta de se in Lege, & Prophetis, & Psalmis &c.

TER-

Tertia Conclusio.

A Christus tamquam verus Magister non solum declaravit Legem doctrinaliter quoad verum sensum, sed etiam verificavit in se realiter & exemplariter totam Legem & Prophetas. Prima pars patet per supradictam secundam conclusionem. Secunda probatur per omnes Euangelistas. Nam primò Christus voluit baptizari in persona totius *corporis mystici* & suorum membrorum, instituendo Baptismum: & sic verificavit omnes lotiones, & purgationes, & cætera sacramenta purgativa, quæ fiebant in Lege in figuram Baptismi. Secundò, fuit passus, & in cruce immolatus, & oblatus: & sic verificavit occisionem B agni paschalis, & omnia sacrificia, & holocausta, & oblationes, quæ fiebant in Lege in figura suæ passionis, & Sacramenti Eucharistiæ. Item, fuit sepultus per totam diem sabbati in sepulchro: & sic verificavit quietem sabbati legalis. Item, eduxit fideles veteris Testamenti de Limbo inferni: & sic verificavit figuram liberationis filiorum Israel de Ægypto. Item, resurrexit, & ascendit in cœlum: & sic verificavit dicta Prophetarum, ut patebit infra. Et sic patet, quòd Christus totam Legem & Prophetas verificavit exemplariter in se.

Quarta Conclusio.

C Christus non solum verificavit in se Legem Moysi, quoad præcepta cærimonialia; sed etiam declaravit, & verificavit in se præcepta judicialia. Prima pars patet per supradictam tertiam conclusionem. Secunda pars probatur. Nam inter judicialia ponitur *Exod.* 21. primò, quòd si quis percusserit virum, aut mulierem, & secuta fuerit mors: tunc ille morte moriatur, & det vitam pro vita. Et si mutilaverit aliquod membrum, det oculum pro oculo, & dentem pro dente &c. Hoc autem præceptum judiciale verificavit Christus in se pro peccato primorum parentum, in quo D fuit homicidium & furtum: quia omnes filios & posteros occiderunt, & bonis gratuitis expoliaverunt. Et fuit ibi blasphemia, & sacrilegium, in quantum deitatem usurpare tentaverunt. Et ideo Christus in cruce voluit pro omnibus mori, & dare mortem temporalem pro nostra morte æterna, & vitam pro vita, & animam pro anima, & dentem pro dente, & oculum pro oculo, & totum pro toto, & partem pro parte: & sic verificavit illud præceptum judiciale, & multa alia: quia pro peccatis omnium præteritorum & futurorum mortuus est, E & pro omnibus furtis, & rapinis, & adulteriis & cæteris sceleribus satisfecit in sua passione. Item, non solum verificavit in se præcepta judicialia, pro omnibus satisfaciendo; sed etiam ipsa judicialia declaravit, mutando forum & pœnam judicialem sæcularem in pœnitentialem & spiritualem.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd ille forus judicialis, & punitio veteris Legis figurabat forum & punitionem pœnitentialem Legis Euangelicæ per Christum instituendam. Nam licet in punitione pœnitentiali per Christum instituta non detur oculus carnalis, & dens pro dente: tamen datur oculus pro oculo, & dens pro dente, & vita pro F vita civiliter. Nam quando venit homicida, aut mutilator membrorum, aut latro ad confitendum; tunc Ecclesia, sive Sacerdos licet non interficiat corporaliter homicidam, sive mutilatorem pœnitentem: tamen præcipit ipsum occidi civiliter mundo, id est, quòd fiat religiosus, & privet seipsum delitiis mundanis, & jugiter agat pœnitentiam, & oret pro illo, quem occidit, & vitâ privavit; & quòd nutriat filios ejus quem occidit. Et ita pariter præcipit mutilatori, quod nutriat ex propriis bonis temporalibus illum, cujus membrum mutilavit. Item præcipit latroni, ut restituat furtum, & omne male ablatum; & etiam satisfaciat pro damno il- G lato: & sic præcipit luxurioso, vel avaro, vel iracundo, ut abscidat membrum quod scandalizat ipsum, non corporaliter, sed spiritualiter: & hoc ex præcepto Christi, *Matth.* 18. *Si oculus, aut pes tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Quod non est intelligendum de membro corporali, sed spirituali, scilicet, de mala intentione, & cogitatione, & perverso proposito, & occasione. Et ad hoc propositum dicit infra *cap.* 19. quòd multi *castraverunt seipsos propter regnum cœlorum: qui potest capere, capiat &c.*

Forus seu punitio veter. Leg. figurabat Sacramētum pœnitentiæ.

Et ita Christus omnes peccatores remittebat ad pœnitentiam, dicens: H *Vade, & amplius noli peccare.* Et sic licet non lapidaverit *Adulteram* lapidibus materialibus; tamen lapidavit eam lapidibus spiritualibus, scilicet, compunctionis, & contritionis, & pœnitentiæ. Et sic est dicendum de cæteris peccatoribus. Nam licèt Christus non occidebat eos quoad substantiam, tamen occidebat in eis peccatum, suscitando in eis fidem & gratiam, ut inquit *Augustinus.* Et sic pariter istis pœnitentibus mutilavit membra malarum cogitationum, & occasionem: sed licèt Christus non interficiat illicò corporaliter peccatores obs-

Christus peccatores ad pœnitentiam remittebat.

obstinatos & impœnitentes : tamen finaliter interficit eos morte æterna. Et ita Christus lapidavit & interfecit lapidibus A æternis Synagogam Judæorum adulteram, & obstinatam, quæ dimisso & negato proprio viro Christo fornicatur cum diabolo.

Rabbi Moyses Christum reprehendit.

Ex supradictis patet, qualiter *Rabbi Moyses de Ægypto* indignè & imprudenter reprehendit Jesum Nazarenum Redemptorem nostrum, qui dicit in *Sententiis de pœnitentia*, quòd Jesus Nazarenus licèt esset bonus vir & simplex, & fuerit causa destructionis omnium Idolorum & superstitionis Gentilium : tamen sua doctrina non fuit utilis mundo, nec Reipublicæ ; eò quòd nullum puniebat, sed omnibus malefactoribus parcebat : ut patetde *Adultera*, quam absolvit à morte contra Le- B gem Moysi. Unde dicit : quòd si talis Lex servaretur, scilicet, quòd rei non punirentur, sed omnibus parceretur: tunc Respublica destrueretur ; nec possent civitates & regna conservari, nisi peccata punirentur : & sic patet doctrinam ejus non esse bonam.

Ad hoc respondetur : quòd iste *Rabbi Moyses* contradicit sibiipsi, si bene volumus aduertere. Nam ipsemet dicit : *Jesus Nazarenus fuit vir bonus & optimus, in tantum quod destruxit detestabilem idololatriam de mundo :* Ergo sequitur quod fuit utilis toti mundo, & Deo dilectus & conformis, auferendo tantum scelus de mundo : quia virtuosus C est conformis, & nulli inutilis, sed omnibus prodest, ut inquit *Plato.* Item, iste homo multipliciter dicipitur. Primo quia Christus numquam prohibuit pravos puniri : quia per ipsum, qui est vera sapientia, Reges & Principes mundi regnat, ut puniendo mala, & remunerando bona exerceant justitiam. Et sic Christus jam habet Reges & Principes sæculares, qui puniunt malos & incorrigibiles temporaliter secundùm demerita eorum in foro judiciali. Sed ultra hunc gladium sæcularem voluit uti Christus gladio spirituali pœnitentiali, qui est multò nobilior : qui quidem gladius non occidit, nec mutilat substantiam, sed peccatum interimit & abscidit ab anima. D Et ideo Christus omnes peccatores ad pœnitentiam remittebat : Ergo non relinquebat eos impunitos. Nam pœnitentia secundum *Augustinum* est *quædam dolen-eis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.* Et sic pœnitentia verè punit peccatum in reo.

Pœnitentia per amplius punit peccatum quam lex sæcularis.

Unde ponitur pro Conclusione, quòd pœnitentia per ampliùs & perfectiùs punit pecccatum, quàm lex sæcularis, & quàm lex vetus puniebat. Quod tripliciter probatur. Nam magis satisfacit Deo & proximo, & perfectius justificat peccatorem. Probatur primum & secundum. E Nam quandoque homicida suspensus per Legem sæcularem non recipit mortem patienter : & sic non satisfacit Deo, nec restituit ablatum, & sic non satisfacit proximo : nec etiam justificat peccatorem, postquam manet incontritus & impœnitens. Sed vera pœnitentia primò satisfacit Deo per veram contritionem, & propositum non peccandi. Secundò satisfacit proximo restituendo ipsi ablatum in effectu, vel in affectu & promissione. Tertiò justificat seipsum, præterita peccata plangendo, & futura non committere proponendo.

Iterum probatur eadem Conclusio sic. Illa punitio est perfectior, & ma- F gis sufficiens, quæ delet, & extinguit peccatum, quod diabolus plantavit, & servat substantiam, quam Deus creavit; quàm illa quæ destruit substantiam, & non extinguit quandoque peccatum : Sed pœnitentia est hujusmodi respectu punitionis sæcularis : Ergo est perfectior. Minor patet. Nam per pœnitentiam totaliter deletur & extinguitur peccatum, quod diabolus persuasit, & conservatur non solùm anima, sed etiam corpus, ut ille ultrà possit bene operari, & opera misericordiæ exercere, & pro defuncto, quem occidit, semper orare, & filiis ejus subvenire &c. Punitio autem sæcularis extinguit substantiam, & quandoque non extinguit peccatum, & aufert G locum & tempus bene operandi : & sic non satisfacit proximo. Item, pœnitentia est magis utilis proximo & Reipublicæ, quàm punitio legalis Legis veteris. Nam illa mutilabat membrum, scilicet, oculum, aut manum delinquentis : de quo nulla utilitas proveniebat læso, nec satisfaciebat injuriam passo: sed pœnitentia non aufert membrum corporale, ut ille possit satisfacere læso operibus manuum suarum, aut ut restituat ablatum. Et sic pœnitentia non solum est magis utilis injuriam passo, sed etiam toti Reipublicæ, in quantum *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*, & serviat Deo, & H prosit proximo. Et sic complures criminosos novimus per pœnitentiam liberatos, qui ardentiùs servierunt Deo, & Reipublicæ perutiles steterunt post actam pœnitentiam.

Ex quibus patet, quòd gladius pœnitentialis multò perfectior & utilior est, quàm gladius sæcularis punitionis. Ideo Christus, qui in primo sui adventu venit tamquam universalis Redemptor, & totius generis humani reparator, noluit uti gladio sæculari, sed pœnitentiali & salubriori. Nec ex hoc prohibuit, nec impedivit gladium judicialem sæcularis pu-

punitionis, quem principibus ſeculi antè tamquam Deus commiſerat: nec in utendo gladio pœnitentiali deſtruxit præcepta judicialia veteris Legis: immò declaravit illa, in quantùm figurabat punitiones pœnitentiales Legis Euangelicæ. Et ſic patet ignorantia & imprudentia ipſius *Rabbi Moyſis*: qui ignorans Sacramentum Pœnitentiæ, reprehendit Chriſtum, putans, quòd Chriſtus remittendo peccatores ad pœnitentiam, relinquebat eos impunitos: cùm punitio pœnitentialis ſit multò perfectior, & magis ſatisfaciens Deo & proximo, & magis juſtificans delinquentem, & magis utilis Reipublicæ.

Ex quibus omnibus patet, quòd Chriſtus non fuit contrarius, nec diſſipator Legis Moyſi: immò fuit conſervator, & inſtaurator: quia primò obſervavit eam litteraliter. Secundò, declaravit eam doctrinaliter & ſpiritualiter; verum ſenſum & intelligentiam oſtendendo. Tertiò, verificavit Legem & Prophetas in ſe realiter & exemplariter: quia omnia quæ erant in Lege figurata, & in Prophetis vaticinata, in ſua paſſione & reſurrectione complevit, & conſummavit, ut patet per diſcurſum Euangelicum. Ex quibus etiam patet, quòd ſicut Lex Moyſi erat ab illo populo litteraliter obſervanda: ita per Chriſtum erat ſpiritualiter declaranda in ſuo adventu, & per ipſum quoad officium litterale terminanda, & abolenda. Et ſicut ille populus erat obligatus ad obſervandam illam Legem litteraliter ſub commination illarum pœnarum & maledictionum: Ita pariter erat obligatus ad audiendam declarationem Legis faciendam per Chriſtum, & ad credendum, & obediendum ipſi; & hoc ſub eadem commination: & per conſequens erat obligatus ad ſervandam Legem ſpiritualiter ſecundùm declarationem faciendam per Chriſtum. Et ſic non obligabantur ad ſervandam Legem litteraliter, niſi uſque ad declarationem faciendam per Chriſtum. Et ſic per conſequens patet etiam, quòd poſtquam Lex Moyſi eſt jam declarata, & litterale officium eſt jam terminatum & abolitum per paſſionem Chriſti, & veritas Legis & jam promulgata in Euangelio, & cærimonialia officia ſunt jam prohibita tamquam mortua: ſequitur, quòd veritas Euangelica eſt ſervanda tamquam ſalubris, & cærimonialia vitanda, & execranda, tamquam mortifera. Et in hoc Lex Moyſi non deſtruitur, nec violatur: immò verificatur, & ſtatuitur, & ratificatur, & obſervatur. Et per hoc patet miſerabilis cæcitas Judæorum.

(✠)

§. II.

Quantum ad ſecundùm Articulum eſt notandùm, quòd ſicut Lex Moyſi non erat merè carnalis, ſed principaliter ſpiritualis ratione finis, prout dictum eſt: ita pariter promiſit Meſſiam & Redemptorem ſpiritualem, & non carnaliter, ſed ſpiritualiter viventem. Et ſic in ſuo officio non debebat eſſe carnalis, ſed ſpiritualis; & per conſequens ſpiritualiter debebat operari in ſuo officio, & ſpiritualia bona, & non carnalia concedere.

Chriſtus erat. 7. facturus.

Et ideo eſt advertendum ſecundùm omnes Prophetas, quòd Chriſtus Meſſias in Lege promiſſus, ſeptem erat principaliter inter cætera facturus. Nam *primò* erat in ſecundum Templum venturus.

Secundò, erat Legem novam, & perfectam, & univerſalem, & communem omnibus gentibus & nationibus daturus.

Tertiò, erat pro omnibus moriturus, & omnes à peccato per mortem ſuam liberaturus.

Quartò, erat reſurrecturus, & poſt reſurrectionem univerſaliter regnaturus in cœlo, & in terra, & in inferno.

Quintò, debebat mittere ſuos Diſcipulos ex Judæis converſos per totum orbem, qui totum populum Gentilem debebant Chriſto ſubjicere, & omnia idola delere, & diabolum ex hoc mundo ejicere.

Sextò, debebat populum Judaicum incredulum & obſtinatum diſſipare, & in perpetuam captivitatem deſtinare, & ſubigere.

Septimò, in fine mundi in ſecundo ſuo adventu, & finali judicio, ſuos fideles in corpore & anima glorificare & felicitare.

Chriſtus erat in ſecundum Templum venturus.

Sed *primum*, ſcilicet, quòd Meſſias erat venturus in ſecundo Templo, probatur.

Ad cujus intellectum eſt advertendum quòd quatuor Prophetæ fuerunt concitatores ad ædificandum ſecundum Templum, ſcilicet, *Daniel*, *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*. Ideo omnes iſti quatuor clarè & manifeſtè prædixerunt & prophetarunt, qualiter Chriſtus Meſsias erat venturus ad illud ſecundum Templum, & daturus Legem Euangelicam, & moriturus: & quomodo illa civitas ſecunda ſimul cum Templo & Sacerdotio erat deſtruenda, propter peccatum mortis Chriſti: & quomodo nova Civitas Hieruſalem erat per Chriſtum ædificanda, & per totum orbem diffundenda.

Et hoc probatur *Danielis* 9. ubi di-

dicit Angelus Danieli : *Scito , & animadverte : ab exitu sermonis , ut iterum ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem &c.* Item *Aggæi 2. Adhuc modicum est , & ego movebo cœlum & terram , & mare , & aridam , & movebo omnes Gentes : & veniet desideratus cunctis Gentibus : & implebo domum istam gloriâ , dicit Dominus exercituum. Meum est argentum , & meum est aurum , dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria istius domûs novissimæ plus quam primæ &c.*

Ex his verbis sequitur primo quod non debebat Christus multum tardare: per hoc quod ait, *Adhuc modicum est &c.* Secundò sequitur , quòd Christus non solum erat venturus ad salvandum Judæos , sed etiam Gentiles , cum ait: *Commovebo omnes Gentes : & veniet desideratus cunctis Gentibus.* Tertio sequitur , quòd Christus erat venturus in illud secundum Templum , quod post captivitatem Babyloniæ ædificabatur per *Esdram* , & *Nehemiam* , & *Zorobabel* ad instantiam *Aggæi* & *Zachariæ.* Quarto sequitur , quòd gloria , quam Christus debebat afferre ad illud Templum , non debebat consistere in auro & argento, sed in bonis spiritualibus : per hoc quod ait : *Meum est argentum & aurum.* Item sequitur etiam , quòd in bonis spiritualibus magis debebat pollere secundum Templum , quàm primum. Nam licèt in secundo Templo numquam fuerit *Arca fœderis* cum tabulis Legis , nec cum manna , & virga Aaron , eò quòd fuit inde asportata per Jeremiam Prophetam antequam Templum fuisset combustum per Chaldæos : tamen in secundo Templo fuit Christus Deus & homo, Rex & Sacerdos figuratus per Arcam fœderis, qui fuit in Templo præsentatus , & in eo miracula fecit , & Legem Euangelicam prædicavit , & Legem Moysi declaravit : ideo subdit , quòd *major erit gloria domus istius novissimæ quam primæ.* Item sequitur , quòd post illud secundum Templum nullum aliud erat materialiter ædificandum in Hierusalem : per quod ait : *Major erit gloria hujus domûs novissimæ quam primæ.* Nam si illa erat domus novissima : Ergò post illam destructam per *Titum* & *Romanos* nulla alia materialis expectatur : & per consequens Rex Messias jam venit in illam domum ante ejus destructionem : per quod potest patêre cœcitas , & falsa spes Judæorum.

Item eadem Conclusio probatur manifestè *Zachar. 9.* Nam postquam in primis capitulis prædixit reædificationem secundi Templi & Civitatis , & multa alia ventura in illam Civitatem & Templum dicit: *Exulta satis filia Sion , & jubila filia Hierusalem : Ecce Rex tuus venit tibi Justus & Salvator ipse pauper ascendens super asinam & super pullum filium asinæ &c.* quod fuit impletum, ut patet per omnes Euangelistas. Et sic patet manifestè , qualiter Christus erat venturus in illud secundum Templum, prout omnes Hebræi antiqui glossant istum passum intelligentes de Rege Messia.

Hoc idem probatur *Malach. 3.* Nam postquam in *duobus primis capitulis* prædixerat dissolutionem & immunditiam Sacerdotum illius secundi Templi & Civitatis , ex consequenti *in tertio capitulo* prædicit adventum Christi ad secundum Templum. Unde ait : *Ecce ego mittam Angelum meum , & præparabit viam ante faciem meam : & statim veniet ad Templum sanctum suum dominator , quem vos quæritis , & Angelus Testamenti , quem vos vultis &c.*

Ex supradictis authoritatibus istorum quatuor Prophetarum tenebant pro Articulo fidei omnes antiqui Hebræorum, quòd Rex Messias erat venturus in illud secundum Templum. Sed quia nondum viderunt eum , ideo multi eorum dixerunt , quòd Rex Messias jam venit , sed nondum manifestavit se usque ad tempus. Interim autem vadit occultus peregrinando per mundum inter pauperes & leprosos pro peccato Judæorum. Et ad hoc allegant illud *Isai. 54. Nos reputavimus eum quasi leprosum &c.* Ex quibus omnibus patet manifestè , quòd Messias , quicumque sit ille , jam venerat , antequam secundum Templum destrueretur per Romanos. Et in hoc consistit tota perturbatio Judæorum : quia ut evadant , & fugiant hanc manifestam veritatem , dicunt multa vana , & enormia , & risu dignissima. Et hoc de primo officio Messiæ in Lege promisso.

Christus erat daturus Legem novam.

Secundum officium Regis Messiæ erat: quia erat daturus Legem novam, universalem , & communem omnibus Gentibus & nationibus. Hoc primò probatur *Isai. 2.* ubi dicitur : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium , & elevabitur super omnes colles. Et fluent ad eum omnes Gentes : & ibunt populi multi & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob , & docebit nos vias suas , & ambulabimus in semitis ejus : quia de Sion exibit Lex , & verbum Domini de Hierusalem &c.* Item infra *capit. 51. Attendite ad me populo meus , & tribus mea audite : quia Lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet &c.* Item *Hierem. 31. Feriam domui Israel , & domui Jacob fœdus novum : non secundum pactum , quod pepigi cum patribus vestris in*

in die quando apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti : pactum quod irritum fecerunt post dies illos, A dicit Dominus : dabo Legem meam in visceribus hominum , & in corde eorum scribam eam &c. Ex supradictis & multis aliis patet, qualiter Rex Messias erat Legem novam daturus præter Legem Moysi.

Christus Messias erat pro omnibus moriturus.

Sed *tertium* , scilicet , quòd Christus Rex Messias erat moriturus , & occidendus à suis , & genus humanum à peccato liberaturus , jam satis probatum est in Expositione *libri Psalmorum :* & maximè *Psalm.* 21. & 34. & 35. & 64. ubi David magis videtur Euangelista , quàm Propheta. Sed hoc magis manifestè patet *Isai.* 50. ubi Christus Deus B factus homo dicit : *Corpus meum dedi percutientibus , & genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus , & conspuentibus in me &c.* Item *capit.* 52. de Christo Rege Messia dicit Deus Pater : *Ecce servus meus exaltabitur , & sublimis erit &c.* Sed immediatè *capit.* 53. dicit , & explicat totam mortem , & ignominiosam passionem ejus pro peccatatis omnium. Unde ait : *Verè languores nostros ipse tulit , & dolores nostros ipse portavit. Et nos reputavimus eum quasi loprosum , & percussum à Deo , & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras , attritus est propter scelera nostra &c.* per totum. Quod quidem capitulum non potest intelligi nisi de Rege Messia , qui erat pro populo moriturus C secundùm *Rabbi Moysen* , & omnes antiquos Judæorum.

Sed quidam eorum , videntes quod hoc fuit impletum in Jesu-Christo , quem nos in Messiam recepimus. Ideo confusi evenerunt in tantam væsaniam , dicentes , quòd duo expectantur Messiæ : scilicet unus primus vocatus *Jucef-Aben Ephraim.* Et alius *Aben-David* de tribu Juda. Et sic dicunt quod totum istud, 54. *capitulum* loquitur & verificatur de Messia *Jucef-Aben Ephaim* , qui est moriturus pro defensione populi Israel: quem occident *Gog* & *Magog* : sed pòst surget Messias *Aben-David* , & resuscitabit Messiam *Jucef-Aben Ephaim* : & D congregabit omnes Judæos ex omnibus partibus mundi : & tunc pugnabit contra *Gog* & *Magog* juxtà Hierusalem , & vincet eos. Et tunc tamquam victor & triemphator ædificabit novam Hierusalem , ubi prius erat ; in quam introducet omnes filios Israel ex omnibus partibus mundi congregatos &c. Sed quantum sit vana & irridenda ista fictio , dictum est *Psalm.* 20. Verumtamen licèt moderni Judæi videantur fugere quodam falso colore & fictione veritatem hujus

Nota.

capituli ; tamen nullo colore , aut viâ possunt vitare manifestam passionem E Christi revelatam *Danieli Prophetæ cap.* 9. ubi dicit *Gabriel Angelus* Danieli : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum , & super urbem sanctam tuam : ut consummetur prævaricatio , & finem accipiat peccatum , & deleatur iniquitas , & adducatur justitia sempiterna , & impleatur visio & prophetia , & ungatur sanctus sanctorum. Scito & animadverte , ab exitu sermonis , ut iterum ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem &c.* prout supra dictum est scilicet *post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus &c.*

Nota istas decem veritates.

Ex quibus verbis prædicebantur de- F cem veritates Propheticæ. Prima, quòd Christus erat venturus post quadringentos triginta quatuor annos à reædificatione secundi Templi , quæ sunt sexaginta duæ hebdomadæ annorum. Secunda veritas : quòd Christus erat à suis occidendus , & negandus. Tertia , quòd per mortem Christi erat implenda omnis visio & prophetia Prophetarum. Quarta, quòd mors Christi debebat auferre omne peccatum , & delere omnem iniquitatem , & adducere omnem justitiam & gratiam universo mundo. Quinta , quòd Christus erat ungendus Rex , & baptizandus pro nobis. Sexta , quòd populus Judæorum erat negaturus Christum. Septima , quòd ex hoc erat reprobandus. Octava , quòd post mortem Christi debebat deficere hostia & sacrificium , & G cessare Lex Moysi. Nona , quòd Civitas Hierusalem simul cum Templo erat destruenda. Decida , quòd desolatio , & reprobatio Synagogæ , & omnium legalium & captivitatis Judæorum erat duratura usque ad consummationem & finem mundi. Item , quòd Christus Rex Messias deberet mundum redimere & Patres veteris Testamenti de Limbo per passionem liberare. Patet *Zachar.* 9. ubi postquam dixit : *Ecce Rex tuus venit tibi Justus & Salvator &c.* postea subdit. *Tu vero in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos de lacu , ubi non erat aqua &c.* Item *capit.* 12. *Effundam super domum David , & super habitatores* H *Hierusalem spiritum gratiæ , & precum , & aspicient ad me , quem confixerunt , & plangent eum &c.* Et sic patet manifestè , qualiter Christus Rex Messias erat occidendus , ut totum populum à peccato liberaret.

Messias Christus erat resurrecturus.

Quartum autem mysterium : scilicet quòd Christus erat à mortuis resurrecturus , & post resurrectionem regnaturus , licèt sit satis probatum per totam Expositionem *libri Psalm.* & præcipuè *Psalm.* 20. & 29. & 40. & 47. tamen manifestè patet *Isai.* 11. per totum , ubi in-

inter cætera dicit : *In die illa Radix Jeſſe , qui ſtat in ſignum populorum ipſum Gentes deprecabuntur : & erit ejus ſepulchrum glorioſum &c.* Ex quo patet , quòd ſi ſepulchrum ejus eſt glorioſum : Ergo abſque incineratione & putrefactione reſurrexit in corpus glorioſum & immortale. Item *Iſaias* poſtquam per totum *cap.* 54. explicavit mortem & paſſionem Chriſti , poſtea per totum reſiduum uſque ad finem libri prædicit gloriam Regni ejus univerſalis : ad oſtendendum , quòd à mortuis reſurrexit , & poſtea regnavit in cœlo & in terra : quia mortui non regnant ſuper vivos. Sed hoc idem magis clarè patet *Oſeæ 6.* ubi dicitur : *Venite , & revertamur ad Dominum : quia ipſe cepit & ſanabit nos : percutiet , & curabit nos. Vivificabit nos poſt duos dies : & tertia die ſuſcitabit nos , & vivemus in conſpetu ejus. Sciemus , ſequemurque ut cognoſcamus Dominum &c.* In quibus verbis manifeſtatur diſtinctè reſurrectio Chriſti: quæ fuit cauſa noſtræ futuræ reſurrectionis , prout patebit.

Chriſtus erat ædificaturus novã Hieruſalem.

Quintum autem *myſterium* , ſcilicet , qualiter Chriſtus Rex Meſſias poſt reſurrectionem ſuam debebat ædificare novam Hieruſalem , & introducere in eam totum populum Gentilem , & mittere ſuos Diſcipulos per totum mundum , & deſtruere omnia idola , & ejicere diabolum de mundo , & ſubjicere ſibi totum populum Gentilem &c. licèt ſatis ſit probatum per totam expoſitionem *libri Pſalmorum* , & ſpecialiter *Pſalm.* 17. & 18. & 64. & 71. & 109. tamen manifeſtius probatur per totum librum *Iſaiæ* , maximè à *capit.* 40. uſque ad finem, ubi in fine concludit : *Ponam in eis ſignum , & mittam ex eis qui ſalvati fuerint, ad Gentes in mare, & in Africam & Lydiam tendentes ſagittam in Italiam, & Græciam , & ad inſulas maris longe ad eos qui non audierunt de me , & non viderunt gloriam meam : & annunciabunt gloriam meam Gentibus &c.* Hoc idem manifeſtiſsimè patet *Hier.* 16. ubi poſt reprobationem Judæorum dicit: *Ego mittam piſcatores multos , & piſcabuntur eos.* Et ſubdit infra : *Ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent : Verè mendacium poſſederunt patres noſtri , vanitatem quæ non profuit eis. &c.* Item hoc idem patet *Oſeæ* 1. & 2. ſed clarius *Zachar.* 8. ubi dicitur : *Ecce venient populi multi , & Gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Hieruſalem , & deprecandam faciem Domini. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium: & apprehendent fimbriam viri Judæi , dicentes : Ibimus vobiſcum ; audivimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.* Hoc idem patet infra *capit.* 13. ubi dicitur: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus in Hieruſalem in ablutionem peccatoris , & menſtruatæ : & erit in die illa , dicit Dominus exercituum : Diſperdam omnia nomina idolorum de terra , & non nominabuntur ultra : & perſeudo-prophetas & omnem ſpiritum immundum auferam de terra &c.*

Chriſtus populum Judaicũ debebat reprobare propter peccatum &c.

Sextum autem *myſterium* , ſcilicet, qualiter Judæi propter peccatum mortis Chriſti erant reprobandi , & Sacerdotium & regnum eorum extinguendum, & novum ſacrificium inſtituendum , & populus Gentilis eligendus , & ſubſtituendus , licèt ſatis ſit explicitum per totam Expoſitionem *libri Pſalmorum* , & maximè *Pſalm.* 21. & 39. & 49. & 50. & 67. & 71. & 81. & 108. & 109. tamen manifeſtius patet per totum *Iſaiam*, & omnes alios Prophetas, in quibus non eſt aliqua pars , in qua non reprobetur populus Judaicus propter ingratitudinem , & eligatur populus Gentilis. Sed deſtructio Templi , & Sacerdotii , & diſſipatio illius populi maximè & manifeſtè patet *Daniel.* 9. ut dictum eſt.

Judæi in fine mundi convertentur.

Septimum autem *myſterium* : ſcilicet qualiter in fine mundi poſt miſerabilem exitum , & interitum Anti-Chriſti populus Judæorum ſit ad Chriſtum convertendus , & reverſurus per prædicationem *Eliæ* & *Henoc* , & qualiter poſtea Chriſtus ſit venturus ad Judicium generale , & qualiter debet omnes reſuſcitare , ſcilicet juſtos in corpora glorioſa , ut recipiant ultimam perfectionem & felicitatem ; impii autem in ſupplicium æternum &c. Licèt ſatis diffusè ſit dictum per totam Expoſitionem *Pſalmorum* , maximè *Pſalmo* 1. & 2. & 20. & 50. & 109. tamen qualiter Chriſtus omnes juſtos in fine mundi debet glorificare , & ab eis omnem miſeriam corporalem auferre, manifeſtè prædicitur *Iſai.* 25. ubi dicitur : *Præcipitabit mortem in ſempiternum , & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie terræ , & opprobrium populi ſui auferet de univerſa terra : quia Dominus locutus eſt, & dicent in die illa : Ecce Deus noſter iſte : expectavimus eum & ſalvabit nos. Iſte Dominus : juſtinuimus eum , & exultabimus , & lætabimur in ſalutari ejus: quia requieſcet manus Domini in monte iſto &c.* Item hoc idem patet infra *capit. ult.* per totum. Item ultimum judicium & glorificatio juſtorum manifeſtiſsimè prædicitur *Daniel.* 12. ubi dicitur , quòd *multi de his qui dormiunt in pulvere terræ evigilabunt : alii in vitam æternam , alii in opprobrium , ut videant ſemper. Qui autem docti fuerint, ſul-*

fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellas in perpetuas æternitates &c. Item quòd Judei quod convertentur ad Christum in fine sæculi, patet *Oseæ* 3. ubi dicitur, quòd *post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierunt.* Item, hoc idem patet *Zachar. ultimo* per totum. Sed quòd conversio populi Judæorum in fine seculi sit facienda ad prædicationem *Eliæ*, patet *Malachiæ* 4. ubi dicitur: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.*

Ex quibus omnibus patet per omnes Prophetas, quomodo in his septem consistebat principaliter totum officium Regis Messiæ in Lege & Prophetis promissi. Primò: quia erat venturus in fine secundi Templi. Secundò: quia erat novam Legem daturus. Tertiò: quia erat per mortem mundum redempturus, & liberaturus à servitute diaboli. Quartò: quia erat à mortuis resurrecturus, & post mortem regnaturus. Quintò: quia per Discipulos suos erat totum populum Gentilem congregaturus, & conversurus. Sextò: quia erat Judæos crucifixores suos reprobaturus, & Sacerdotium simul cum cærimonialibus ablaturus. Septimò: quia in fine sæculi erat mundum judicaturus, & post populum Judæorum per *Eliam* vocaturus, & omnes fideles glorificaturus, prout patet per omnes Prophetas.

Prima Conclusio.

HIS habitis sit hæc *prima Conclusio*: Jesus Christus venit in secundum Templum, & in fine ante destructionem ejus, sicut Prophetarunt *Daniel*, & *Aggæus*, & *Zacharias*, & *Malachias*. Probatur. Nam Christus natus est quagrageſimo secundo anno *Cæsaris Augusti* &: fuit quadrageſimo die in Templo *Simeoni* præsentatus: duodecimo anno disputavit cum Doctoribus, ut patet *Lucæ* 2. trigeſimo anno tempore *Tiberii* Cæsaris fuit baptizatus, & jejunavit, & per tres annos miracula fecit, & trigeſimo octvao *Tiberii* Cæsaris fuit crucifixus: Ergo sequitur, quòd venit ad secundum Templum ante destructionem ejus: quia Templum non fuit destructum, immò duravit usque ad Imperium *Vespasiani*. Et sic patet, quod Christus venit tempore determinato, & antè prophetato.

Secunda Conclusio.

CHristus dedit Legem novam Euangelicam in Hierusalem, & monte Sion, & Oliveti, & in terra promissionis, sicut dictum fuerat per omnes Prophetas. Nam primò juxta mare in deserto ascendit in montem, & sedens docuit Discipulos suos, Legem declando, ut patet *Matthæi* 5. 6. & 7. Item, in Hierusalem prædicavit in omnibus festivitatibus: & in monte Sion instituit Sacramentum Altaris: & misit Spiritum sanctum in Discipulos, & aperuit eis sensum & Scripturas, ut patet *Lucæ ultimo*, & *Actuum* 1. Et ex monte Oliveti misit omnes Apostolos ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, *Marci ultimo*, & *Actuum primo.* Et sic patet, quòd in Christo fuerunt verificatæ prophetiæ de datione Legis novæ.

Tertia Conclusio.

CHristus passus & occisus est à suis, prout locuti sunt Prophetæ: immò omnia quæ locuti sunt Prophetæ de morte & passione Regis Messiæ, fuerunt verificata in Christo.

Quarta Conclusio.

CHristus resurrexit à mortuis tertia die, & ascendit in cœlum quadrageſimo die, prout scribunt & testantur omnes Apostoli & Euangelistæ: & regnavit per totum orbem, prout fuit omnibus manifestum. Unde licèt Judæi negent Christi resurrectionem, & in cœlos ascensionem: tamen non possunt negare ejus regnum universale, cùm postea viderint ipsum per universum mundum tegnare super omnes Reges & populos, ut probatum fuit *Psalm.* 2. & 71. & 109.

Quinta Conclusio.

CHristus ædificavit novam Hierusalem toto orbe diffusam & introduxit in eam totum populum Gentilem: sicut locuti sunt Prophetæ. Probatur. Nam primò Christus congregavit illam sanctam societatem virorum & mulierum in monte Sion, qui erant centum viginti utriusque sexus, ut patet *Actuum* 1. super quos misit Spiritum sanctum in die Pentecostes: à quo receperunt septem dona gratiarum: & sic armati armis spiritualibus egressi à Cœnaculo, in eadem die converterunt tria millia, ut patet *Actuum* 2. Sed quia Christus præceperat eis in suo ascensu dicens: *Ite per universum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ &c.* Item *Actuum*

1.

1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* A Ideo omnes Apostoli & Discipuli post receptionem Spiritus sancti ab Hierusalem inde egressi, diffusi sunt per totum orbem terrarum, prædicantes Euangelium toti populo Gentili: & sic *Matthæus* cum successoribus suis convertit totam *Æthiopiam*: & *Marcus* cum successoribus suis totam *Ægyptum* & *Arabiam* & totam *Africam*. Et *Simon* & *Judas Babyloniam*, & *Parthiam*, & *Mediam*. Et *Bartholomæus* & *Thomas* omnes *Indias*. Et *Paulus* & *Joannes Græciam* & *Asiam Minorem*. Et idem *Paulus* & *Petrus*, & Discipuli eorum totam *Italiam* & *Galliam*. Et *Jacobus* & Discipuli ejus totam *Hispaniam* B *&c.*

Et sic patet, quòd Christus ædificavit primò istam Hierusalem, scilicet Ecclesiam, supra illos sanctos lapides in monte Sion: sed postea fuit dilatata & diffusa per totum orbem à solis ortu usque ad occasum. Et ideo tota Ecclesia dicitur Hierusalem: Primò, quia in illa Hierusalem materiali fuit inchoata, & exinde derivata fuit, & per totum orbem dilatata: & ideo retinet nomen *Hierusalem* & *Sion* à sua origine, sicut flumina retinent nomen suæ originis, & sui fontis: sicut *Iberus* & *Araxes*. Secundò, tota Ecclesia dicitur *Hierusalem* & *Sion* C ratione proprietatis, & nominis interpretationis. Nam *Hierusalem* interpretatur *visio pacis*: *Sion* dicitur *specula*. Sed quia in sola Ecclesia videtur & speculatur Deus per veram fidem: ideo sola Ecclesia meretur dici *Hierusalem* & *Sion*. Nam illa Hierusalem materialis non propter se dicta est *Hierusalem* per Prophetas, nisi in quantum Christus erat ibi videndus, & ibi erat Ecclesiam ædificaturus, prout dictum fuit in Expositione *libri Psalmorum*, & maximè *Psalm.* 47. & 50. & in *Quæstione præcedenti*. Nam illa Hierusalem per Christum Messiam ædificanda, non poterat esse materialis & parva in illa terra Palæstinæ, & Judææ; sed erat futura spiritualis toto orbe diffusa & dilatata, in D qua continentur omnes Gentes, & nationes, & populus Æthiopum &c. Et sic Christus jam vocavit & congregavit omnes filios Israel secundùm spiritum & promissionem ad istam veram Hierusalem

(✠)

Sexta Conclusio.

E Judæi propter mortem Christi fuerunt dissipati, & per mundum dispersi, & Templum & Civitas destructa, & Sacerdotium ablatum, sicut prædixit Daniel Propheta, & cæteri Prophetæ. Ista Conclusio quantum ad unam partem de se est manifesta: sed quòd hoc fuerit factum propter mortem Christi, non solùm asseritur à nobis, sed etiam à Magistris eorum. Unde dicit *Rabbi Moyses*, quòd *Jesus Nazarenus dicebat se este Messiam: sed hoc non est verum: quia Messias debebat congregare & reformare filios Israel: sed hoc non fecit Christus, immò fuit occisus, & fuit causa* F *destructionis Israel, & totius populi Judaici.* Item *Josephus* dicit, quòd *causa destructionis Hierusalem, & totius populi Judæorum non potuit esse nisi aliquod magnum peccatum: & istud non potuit esse, nisi mors Jesu Nazareni, aut Joannis Baptistæ, aut Jacobi justi.* Item *Rabbi Samuel Africanus* dixit in *Epistola ad suum amicum: quod non potest reperire aliam causam, quare tanto tempore durat ista captivitas eorum, nisi quia patres eorum injustè occiderunt Jesum Christum virum justum.* Unde volens per Scripturas investigare, propter quod peccatum Judæi laborant in hac longa captivitate, non potest re- G perire, nec assignare aliam causam, nisi *quia occiderunt Jesum Nazarenum virum sanctum & justum.* Item Judæi moderni continuè maledicunt Christum, dicentes, quòd propter ipsum perseverant dispersi per mundum in hac captivitate. Item, ipsimet Judæi propter aliud non maledicunt & habent odio Christum, nisi quia omnes asserunt, Christum fuisse dissipatorem Civitatis Hierusalem, & totius populi Jndæorum: & sic hæc Conclusio satis est omnibus concessa & manifesta.

Ex quibus supradictis sequitur una corollaria, & irrefragabilis Conclusio: scilicet, quòd *Jesus Nazarenus*, quem colit Christiana Religio, fuit & est verus Messias in Lege promissus. Ista Conclu- H sio probata est per singula ex concessis à Judæis. Nam licèt Judæi moderni non concedant redemptionem animarum factam per Christum, nec ejus resurrectionem, eò quòd talia fuerunt eis insensibilia: tamen non possunt negare omnia alia, scilicet, quòd Jesus venit in fine Templi secundi cum magna gloria, & potestate miraculorum.

Judæi dicunt Christum furasse nomen Dei tetragrãmaten.

Sed dicunt quidam eorum: quòd *Jesus Nazarenus*, quando fugit in Ægyptum furatus est *nomen Dei tetragrammaton*, & cum illo nomine, & in

in virtute ejus faciebat illa miracula.

Sed in hoc concludunt propositum A nostrum contra seipsos. Nam omnes Magistri eorum concedunt, quòd illud nomen Dei est incomprehensibile, & ineffabile; cujus virtutem & declarationem nemo potest scire & declarare, nisi solus Deus, & Rex Messias. Et omnes asserunt, quòd Rex Messias in virtute illius nominis habet declarare ænigmata Legis, & subjicere totum orbem. Ex quibus omnibus sequitur, quòd si Jesus Nazarenus habuit & possedit illud nomen: ergo vel fuit Deus, aut Messias ejus. Item, non possunt negare secundum: quia omnes concedunt quod Christus dedit, & condidit hanc Legem Euangelicam, quam observant Christiani. B Nec negant tertium: quia omnes concedunt quod patres eorum occiderunt Christum. Nec possunt negare quartum. Nam licèt negent resurrectionem: tamen non possunt negare, quin Christus regnaverit ubique post mortem suam. Nec minùs negant sextum, quin Christus sit causa suæ destructionis & captivitatis. Sed multò minus possunt negare quintum. Nam manifestum est ad sensum, quod totus populus Gentilis, relictis idolis, conversus est ad fidem Christi.

Et ideo licèt Judæi omnia alia velint ex cæcitate & malitiâ negare: tamen sola ista Conclusio, quam negare non possunt, est sufficiens ad probandum, Jesum Christum fuisse Messiam in Lege promissum, & ad confundendum Judæos. C Nam David in omnibus suis Psalmis, & omnes Prophetæ in suis Prophetiis nil aliud clamant, nisi quòd solus Messias in Lege promissus debebat auferre, & destruere omnia idola, & omnem superstitionem populi Gentilis, & subjicere populum Gentilem ad colendum nomen Dei *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, & nomen Dei Israel; & hoc per Baptismum aquæ, ut probatum est *Isaiæ* 22. & *Ezech.* 36. & *Zachar.* 13. Et omnes Prophetæ clamant, qualiter solus Messias debebat condere magnam Hierusalem à solis ortu usque ad occa- D sum, & introducere in eam omnes populos Gentium credentes in Deum Israel.

Sed omnia ista operatus est solus *Jesus Nazarenus.* Nam in die ascensionis misit omnes Apostolos & Discipulos per totum orbem, dicens. *Ite docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Matthæi ultim.* Item *Marc. ultim. Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit &c.* Sed nos videmus manifestè, quòd totus populus Gentilis per Baptismum venit ad fidem, & adoravit Deum E Israel, relictis idolis: immò totus populus Christianus, qui descendit ab illo populo Gentili nullum alium Deum adorat, nisi Deum *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, sive Deum Israel, qui est Trinus & Unus, & Creator, & factus homo, ut videbitur. Et omnia ista apparent ad sensum, quæ Judæi non possunt negare: immò dicit Rabbi Moyses in *sententiis Regum*, & *de Pœnitentia*: quòd solus *Jesus Nazarenus destruxit & abstulit idololatriam de mundo.* Et ideo sola ista Conclusio de conversione populi Gentilis est sufficiens ad probandum, Jesum Christum esse Messiam, & ad confundendum omnes Judæos.

Sed Judæi moderni adhuc volunt *Objectio.* F protervire, dicentes: quòd Christus non subjecit totum orbem; nec omnes nationes ipsi obediunt: quia majorem partem mundi possident Saraceni, qui non colunt Jesum Christum.

Sed ad hoc jam responsum est *Psal.* 71. & 109. Quia successivè per omnes partes mundi omnia idola fuerunt destructa per Apostolos, & eorum successores: & totus populus Gentilis venit ad fidem Christi. Sed anno sexcentesimo *Nota de Mahometo.* sexagesimo sexto surrexit Pseudo Propheta *Mahometus*, & pervertit, & decepit totam *Arabiam* & *Syriam*, & traxit omnes illos novos & simplices Christianos ad suam falsam Sectam: cujus G successores vi armorum subjecerunt totam *Africam* & magnam partem *Asiæ* cogentes eos servare ritum Mahometi: inter quos habitat magna multitudo Christianorum. Et ideo hoc non tollit veritatem omnium Prophetarum: quia Christus ubique successivè regnavit, & regnat, aut temporaliter, aut spiritualiter: immò Saraceni, licèt non credant Christum esse Deum: tamen asserunt ipsum esse Filium Dei, & genitum ex spiritu Dei: & sic venerantur ipsum tamquam summum Prophetam. Et ideo omnia scripta & dicta in Lege & Prophetis fuerunt verificata in Christo tamquam in vero Messia.

Sed licèt omnia supradicta non pos- H sint negare; tamen adhuc non cessant protervire, & perseverare in sua malitia & obstinatione, dicentes: quòd antequam veniat Messias, est venturus Elias, prout dictum & argutum est in principio: Sed nondum venit Elias: Ergo Jesus non fuit Messias. Item, nec etiam Christus implevit officium veri Messiæ: quia non abstulit mortem, nec omnem lacrymâm & miseriam de terra: quia omnes reliquit mortales & passibiles sicut antè: & per consequens non fuit perfectus Redemptor.

Sed tam ad primum, quàm ad se- *Responsio.*

cun-

Duplex Christi adventus.

cundum respondetur : quòd miseri Judæi nesciunt distinguere inter primum & secundum adventum Christi. Nam duplex adventus Christi promittitur in Prophetis. Nam in primo adventu erat venturus Christus ad dandam Legem & redimendum genus humanum à peccato, & ad operandum omnia sex supradicta. Et in secundo adventu erat venturus ad judicandum omnes, & ad tribuendum eis præmium secundùm opera eorum: putà, ad glorificandum justos, & resuscitandum eos ad immortalitatem & gloriam; & impios ad pœnam sempiternam. In primo autem adventu prævenit Christum *Joannes Baptista* : sed in secundo adventu ante judicium est venturus *Elias* & *Henoch*, ad convertendum Judæos in fine mundi. Unde de primo adventu dicitur *Isai.* 40. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini : & videbit omnis caro salutare Dei.* Sed de secundo adventu, in quo est Christus venturus ad glorificaudum dicitur *Isaiæ* 25. quòd *veniet ad præcipitandam mortem, & ad auferendam omnem lacrymam à facie terræ.* Item de primo adventu dicit *Daniel. 9. cap.* quòd *septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt usque ad Christum ducem : & post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus &c.* Sed de secundo adventu Christi dicit *capit.* 12. quòd *multi qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt : alii in vitam æternam : alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti &c.* Item *Zachar.* de primo adventu dicit *capit.* 9. *Exulta filia Sion : Ecce Rex tuus venit tibi Justus & Salvator &c.* Sed de secundo adventu dicit *capit.* 14. *Ecce dies venient, & dividentur spolia tua in medio tui &c.* Item *Malachias* prædicit utrumque adventum cum suo præcursore. Nam in primo adventu prædicit *Joannem Baptistam* prævenire Christum, cum ait *cap.* 3. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam : & statim veniet ad Templum sanctum suum dominator quem vos quæritis &c.* Sed in secundo adventu prædicit prævenire *Eliam* ante Christum, cum ait *capit.* 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis* : quie rit dies Judicii. Et sic patet deceptio, & vana spes Judæorum, qui expectant Eliam, antequam veniat Messias ad redimendum mumdum à peccato: cum Elias non sit promissus nisi in secundo adventu, antequam Christus veniat ad Judicium.

Objectio.

Sed adhuc obstant Judæi perseverantes in sua obstinatione, dicentes: quòd Christus non ædificavit novam Hierusalem; immò destruxit eam: nec congregavit omnes filios Israel in eam; immò dissipavit eos &c.

Responsio.

Sed ad hoc jam responsum est per totam Expositionem *libri Psalmorum.* Et dictum est in præcedenti & præsenti Quæstione: quòd Christus non erat conditurus Civitatem materialem parvam in illo arcto loco Palæstinæ : sed Civitatem spiritualem, & magnam, toto orbe diffusam, quæ incœpit ab illa Hierusalem materiali, & fuit per Apostolos dilatata usque ad omnes terminos terræ, ad quam vocavit omnes filios Israel secundùm carnem. Sed quia noluerunt venire, ideo congregavit in ea omnes filios Israel spirituales ex utroque populo. Et sic patet eorum cæcitas & deceptio : quia talis redemptio debebat esse universalis totius generis humani à peccato.

Sed adhuc obstant Judæi perseverantes in sua cæcitate, & dicentes: quòd sequeretur quod persona Redemptoris Christi non fuerit perfecta : quia non perfectè redemit genus humanum à peccato & pœna ipsius *Adam*, postquam non redemit ipsum in corpore & anima: quia non restituit nobis immortalitatem & impassibilitatem, quam perdidit *Adam*: quia adhuc manent mortales Christiani baptizati, & subjecti omnibus infirmitatibus & miseriis, sicut Judæi & Saraceni.

Ad hoc jam responsum est super *Psalm.* 102. quòd Christus jam perfectè redemit nos quoad corpus & animam per suam passionem & resurrectionem : & redemit nos à peccato & pœnalitatibus corporis.

Christus caput Ecclesiæ.

Ad cujus intellectum est notandum, sicut jam dictum est *in Expositione Psal.* 29. quòd quia Christus fuit caput Ecclesiæ, & universalis Redemptor à Patre destinatus : ideo omnia gesta, & facta, & dicta sua pertinebant ad actum nostræ perfectæ redemptionis & recuperationis bonorum, quæ perdidimus in *Adam*, & reparationis jacturæ & ruinæ nostræ. Et ideo Christus per suam passionem non solum meruit nos redimere à peccato quoad animam, sed etiam meruit perfectè redimere nos, & reparare ruinam corporis, scilicet, liberare nos à pœnalitatibus corporalibus, quas incurrimus in Adam, scilicet à morte corporali, & cæteris infirmitatibus & defectibus, & restituere nobis immortalitatem & impassibilitatem &c. Et ideo post passionem voluit tertia die immortalis, & impassibilis, & gloriosus resurgere, ut posset sua membra & fideles sicut seipsum immortales ad gloriam resuscitare : quam potestatem illicò voluit exercere : quia cum eo *multa corpora Sanctorum* Patrum veteris Testamenti *surrexerunt* ad glo-

gloriam, & *apparuerunt multis*, ut patet *Matth* 27. Sed ut nos possemus merita suæ passionis participare, ipse voluit instituere Baptismum, & cætera Ecclasiastica sacramenta, quibus contulit virtutem suæ passionis & resurrectionis, ut per illa posset merita suæ passionis & resurrectionis in nos transferre. A

Per sacramẽta participamus Christi passionem

Et sic nos recipiendo Baptismum & cætera sacramenta, participamus merita suæ passionis & resurrectiois. Et ideo quandocumque quis in nomine Trinitatis baptizatur, illicò participat merita passionis & resurrectionis Christi, & per consequens liberatur à servitute & maculâ peccati in anima, & meretur resurgere post mortem, & liberari ab omnibus pœnalitatibus corporalibus, & meretur immortalitatem.

Ideo dicit *Apostolus ad Romanos* 6. quòd sicut *omnes sumus baptizati in Christo : ita omnes mortui & sepulti sumus, & resurreximus cum eo*: quia sicut Christus resurrexit qui fuit primitiæ resurrectionis : ita & nos resurgemus. Et sic dicit *Augustinus*, quòd *licèt sancti Martyres & fideles non surrexerunt in actu per Baptismum : tamen jam surrexerunt in merito.* Per quod vult innuere *Augustinus*, & *Ambrosius*, quòd omnes nos per Baptismum statim liberamur à peccato in anima : & licèt non illicò liberemur à pœnalitatibus & miseriis corparalibus in actu : tamen tunc per Baptismum liberamur in habitu & in merito : quia meremur resurgere ad gloriam in novissimo die. B C

Infirmitates corporales nõ tolluntur per Baptismum.

Sed causam, quare sicut per Baptismum illicò tollitur peccatum animæ, non tolluntur istæ infirmitates corporales, & efficimur impassibiles & immortales, assignat *Augustinus* libro *de Baptismo Parvulorum & 12. de Civitate Dei cap.* 4. ubi assignat duplicem causam. „ Quarum prima est : quia si ablato peccato per Baptismum non relinqueretur „ nobis experimentum mortis, nec aliarum infirmitatum : tunc nulla esset „ pugna Martyrum, nec Virginum, nec „ aliorum Justorum : & per consequens „ nulla esset eorum corona, quam nullus potest adipisci, nisi legitimè certaverit, *ad Tim.* 4. D

„ Secunda causa est, quia si Baptismus ut illico tollit peccatum ab anima, „ ita tolleret infirmitates à corpore, & „ redderet homines impassibiles & immortales : tunc omnes homines mundi „ currerent ad Baptismum, non causâ merendi vitam futuram æternam; sed causâ perpetuandi & gaudendi in hoc „ mundo. Et sic nullum esset meritum „ nec desiderium ultimi finis.

Tertia causa potest assignari : nam si per Baptismum illico tollerentur istæ infirmitates, quæ sunt nobis instrumenta operandi & merendi per gratiam ea quæ sunt supra humanam naturam : tunc sequeretur, quòd ruina Angelica non posset reparari : quia tunc homines non possent adæquari in meritis per gratiam Angelis qui ceciderunt : & per consequens non possent homines sedes & mansiones eorum possidere : & sic maneret ruina Angelorum irreparata : quæ nisi per magnam violentiam non potest reparari per homines, qui sunt inferioris naturæ : quia *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth.* 11. Ex quibus patet, quòd istæ infirmitates relictæ sint nobis post Baptismum propter majus bonum nostrum, & propter bonum Curiæ triumphantis. Et sic infirmitates sunt bonis bonæ, & malis malæ : quia bonis cedunt ad meritum & gloriam, & malis ad detrimentum & pœnam æternam. Et sic patet, qualiter Christus fuit verus & perfectus Redemptor, non solùm humanæ naturæ, sed etiam Angelicæ. Ex omnibus etiam dictis in tota ista Quæstione patet, qualiter Christus observavit, & implevit, & verificavit Legem Moysi, & totam Scripturam Prophetarum : & quomodo perfecit, & consummavit officium veri Messiæ : & per consequens fuit verus Messias in Lege promissus. Sed nunc restat respondere ad argumenta Judæorum modernorum in principio adducta. E F G

§. III.

RESPONSIO AD ARGUmenta.

Ad primũ

AD *primum* ergo qnando dicunt, quòd oportet Eliam prævenire adventum Messiæ &c. Respondetur, quòd Deus per *Malachiam* promiserat duplicem adventum Christi cum duplici præcursore, sicut dictum est. Nam primò promittit mittere Messiam ad auferenda sacrificia veteris Legis, & ad dandum sacrificium mundum, & commune omnibus Gentibus, cùm dicit *capitulo primo: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : & munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus : & in omni loco sacrificatur, & offertur mihi oblatio munda &c.* Item *capit.* 2. reprobat Sacerdotium veteris Legis cum suis Sacerdotibus. Item *capit.* 3. promittit mittere Christum Messiam cum suo præcursore ad illud Templum secundum, ut purget filios *Levi*, & offerant sacrificia justa: unde ait. *Ecce ego mittam Angelum* H

meum, qui præparabit miam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad Templum ſanctum ſuum &c. Ex quo patet, A quòd Meſsias primo erat venturus ad illud Templum cum ſuo Præcurſore, qui fuit *Joannes Baptiſta*, ut probatum eſt, & completum in primo adventu Chriſti. Sed in *eodem capitulo* promittitur Meſsias venire ſecundò ad Judicium, cùm dicitur: *Et accedam ad vos in judicio &c.* qui quidem adventus erit terribilis, cùm dicit *in 4. capit. Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula &c.* Et in iſto adventu ad judicium promittit Deus præmittere *Eliam*, cùm ſubdit: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis &c.* Ex quo patet, quòd ſicut in primo B adventu promiſſus fuit *Joannes Baptiſta* ad præparanda corda illorum ad ſuſcipiendum Baptiſmum & Legem Chriſti: ita in ſecundo adventu eſt venturus *Elias* ad convertendos Judæos obſtinatos à primo adventu uſque ad illud tempus, & deceptos per Anti-Chriſtum: qui quidem *Elias* ſimul cum *Henoch* declarabit Judæis Legem Moyſi quantum ad veritatem & verum ſenſum ejus: & tunc cognitâ veritate, & fugatâ cæcitate, convertentur ad Chriſtum in noviſsimo dierum, ut habetur *Zachar.* 3. Et ideo dicit Deus per Moyſen illis Judæis deceptis per Anti-Chriſtum: *Mementote Legis Moyſi ſervi mei ante judicium, ne moriamini obſtinati: quia ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis*: qui C erit dies Judicii generalis: qui quidem Elias *convertet cor patrum ad filios &c.* Legem Moyſi ſecundùm verum ſenſum declarando, ne fortè quando veniam ad judicium percutiam terram anathemate damnationis, ſi fortè invenero Judæos & cæteros, obſtinatos. Ex quo patet, quòd Elias non fuit promiſſus in primo adventu Chriſti, ſed in ſecundo & ultimo. Et ſic patet reſponſio ad primum argumentum.

De adventu Chriſti ad judicium.

Ad ſecundum.

Ad aliud autem patet reſponſio per ea quæ dicta ſunt in primo Articulo: quia Chriſtus ſervavit Legem Moyſi lit- D teraliter primò, & poſtea declaravit eam doctrinaliter: poſtea implevit & verificavit Legem & Prophetas realiter & exemplariter per ſuam paſsionem &c.

Ad tertiũ.

Ad aliud autem patet per omnia dicta in ſecundo Articulo, qualiter Chriſtus perfecit & conſummavit totum officium quod pertinebat ad verum Meſsiam. Et ideo fuit verus Meſsias.

Ad quartum.

Ad aliud, quando dicitur, quòd poſt adventum Chriſti non fuit pax univerſalis, nec gladii conflati ſunt in vomeres, nec comedit lupus cum ove &c. E Reſpondetur: quòd omnia illa ſunt ſpiritualiter & parabolicè, & metaphoricè intelligenda, ſicut multæ aliæ partes Sacræ Scripturæ: & ſic *Iſaias* tàm in *ſecundo capit.* quàm in undecimo, & in multis aliis utitur verbis & vocabulis metaphoricis, ut manifeſtè patet per Magiſtros eorum. Et ideo ſicut *Iſaias* per *montes* & *colles* intelligit ſublimes viros: ita per *gladios* & *lanceas* intelligit poteſtatem eorum: unde per *montem domus Domini* intelligit Chriſtum Meſsiam, ſuper quem eſt ædificata tota Eccleſia. Et per *virtutem montium* intelligit ſublimitatem Apoſtolorum: & per *omnes colles* intelligit omnes Reges, & Principes, F & Philoſophos, & Sapientes mundi. Et ſic mons Domini, qui eſt Chriſtus, fuit ſitus ſupra vertices Apoſtolorum, & elevatus ſupra omnes Reges & Principes & Philoſophos Gentium: de quo dicit *Iſaias* infra *capit.* 52. *Ecce intelliget ſervus meus, & exaltabitur & elevabitur, & ſublimis erit valde: iſte aſperget Gentes multas ſuper quem continebunt Reges os ſuum &c.* Per *gladios* autem ſive *enſes* intelligit *Iſaias* ſcientias humanas Philoſophorum, ſcilicet Phyſicam & Metaphycam, & ſcientias Mathematicas, & Logicam, & omnes ſcientias argumentativas, quibus Philoſophi & Hæretici invehebantur, & impugnabant Legem Domini, & Sacram Scripturam utriuſque Teſtamenti. Per *lanceas* autem G intelligit poteſtatem ſecularem, qua Reges & Imperatores & Tyrani infeſtabant, & vexabant, & perſequebantur Eccleſiam Dei, & Legem Domini. Nam Philoſophi & Sapientes Gentium poſtquam fuerunt converſi ad fidem Chriſti, converterunt & conflarunt gladios & enſes ſuorum argumentorum in vomeres: & Imperatores & Reges converterunt lanceas & arma ſuæ poteſtatis in falces ſpirituales ad colligendum & metendum fructus & meſſem ſpiritualem Eccleſiaſticorum ſacramentorum.

Ad cujus intellectum eſt ulterius notandum, quod ſicut terra inculta efficitur ſentoſa, & ceſpitoſa, & inutilis, & in- H fructuoſa, niſi colatur & aretur, & vomere ſcindatur, & evertatur & evellentur cardones, & gramina, & ſpinæ & cæteræ herbæ inutiles; & illa terra arata & everſa decoquatur, & torreatur calore ſolis, quia tunc extrahitur & fortificatur craſſitudo & virtus germinativa & nutritiva, quæ latebat ſub facie terræ; & tunc terra germinat & fructificat: ita ergo pariter Sacra Scriptura veteris Teſtamenti erat ſicut terra inculta & ſentoſa, habens in ſuperficie ſpinas, & herbas inutiles cærimonialium, ſub quibus latete-

Scriptura vet. Teſt. ſicut terra inculta.

tebant crassitudo, & veritates, & fructus Euangelici. Sed venerunt *Augustinus*, *Ambrosius*, & *Eusebius*, & cæteri Philosophi de populo Gentili, & conversi ad fidem Christi conflarunt gladios & enses Philosophicorum & dialecticorum argumentorum in vomeres spirituales cum quibus ararunt, & sciderunt, & coluerunt agrum incultum Scripturæ veteris Testamenti & evellerunt spinas & herbas cærimoniales, & everterunt terram scripturæ, quam calor & influentia Spiritus sancti in mentibus eorum decoxit. Et sic evulsis, & rejectis herbis & spinis cærimonialium, extuderunt, & extraxerunt, & collegerunt fructus Euangelicos, qui latebant sub illa terrâ incultâ & sentosâ. Et tunc Reges, & Imperatores, & Principes terræ conversi ad fidem Christi per istos sacros Doctores, conflarunt lanceas suas & arma in falces spirituales, & collegerunt & messuerunt messem spiritualem, & fructus gratiæ ex Sacra Scriptura, & agro Ecclesiastico-rum sacramentorum.

Augustinus convertit enses id est Philosophi in usum Sacræ Scripturæ.

Sic ergo *Augustinus* conflavit & convertit gladios & enses suos in vomeres, quando conversus ad fidem & baptizatus, totam suam Philosophiam, & omnes scientias convertit in usum Sacræ Scripturæ. Nam ex principio Metaphysicæ, & naturalis Philosophiæ probat possibilitatem & modum mysterii Trinitatis, & emanationis Personarum, ut patet per omnes quindecim libros *de Trinitate*, *& contra Maximinum*, & Arianos, & Gentiles. Item, per principia humanarum scientiarum, & per dicta Poetarum, & Historias, & Annales Gentilium defendit veritatem Sacræ Scripturæ, & defendit Civitatem Dei contra Gentiles per viginti duos libros *de Civitate Dei.*

Item, per eadem principia defendit veritatem Catholicæ Fidei contra omnes Hæreticos. Item, per eadem principia confutavit & confudit sectam. *Manicheorum*, quæ per novem annos laboravit. Item cum eodem vomere excoluit & aravit totam Sacram Scripturam, ex qua messuit messem & frugem euangelicam, & reposuit in horreo Ecclesiæ Catholicæ, quo omnes reficimur.

Hoc idem fecit *Hilarius* in libris *de Trinitate*, & *Ambrosius*, & *Eusebius* in libris de *Præparatione Euangelica*, qui cum armis Gentilium confutavit eos. Hoc idem fecit *Lactantius* in libris *Divinarum Institutionum.* Et sic est dicendum de *Hieronymo*, & *Origene*, & cæteris, qui ab avis & atavis veniebant de populo Gentili: omnes enim isti conflarunt & converterunt gladios suos in vomeres, quando assumpterunt quasdam sententias, & principia Philosophorum, tamquam ab injustis possessoribus, & cum illis scientiis & argumentis confuderunt eos, & probarunt nostrum propositum: & sic conflarunt gladios suos in vomeres. Item Imperator *Constantinus* conflavit lanceas suas in falces, quando conversus ad fidem per *Silvestrum*, Urbem Romam cum toto patrimonio donavit Ecclesiæ, & consecravit domum suam in Ecclesiam in honorem Salvatoris: & ædificavit Basilicas Apostolorum Petri & Pauli: & promulgavit decretum *de Ecclesiis ædificandis*, & de fide Euangelicâ per totum orbem prædicandâ. Et ita fecerunt omnes Reges mundi ad fidem conversi Et sic qui ante fuerunt persecutores, facti sunt fidei Christi cultores, & bonorum spiritualium messores. Et sic est intelligenda illa prophetia *Isaiæ.*

Imperatores & Reges dicuntur leones.

Ita ergo pariter metaphoricè sunt intelligenda verba *Isaiæ* 11. Nam sicut Christus Messias metaphoricè dicitur *virga de radice Jessè*, *& flos ejus*: ita pariter Imperatores & Reges dicuntur *leones*, & tyranni dicuntur *lupi*, & Doctores dicuntur *cervi.* Unde tunc *lupus* comedit cum agno, quando *Paulus*, qui erat lupus rapax, persecutor Ecclesiæ, conversus ad fidem junctus est Apostolis: & tunc *pardus cum hædo accubuit*: quando Ariani, & cæteri hæretici conversi, & reconciliati sunt ad fidem Catholicam. Et tunc *vitulus*, *& oleo*, *& ovis simul morabantur*, quando omnes Reges & Principes & Tyranni petulantes & superbi persecutores Ecclesiæ conversi sunt ad fidem, & simul cum simplicibus fidelibus, quos antè persequebantur, habitarunt in eadem Ecclesia, & uno corpore Christi & Calicem participarunt. Et sic patet, qualiter Philosophi Gentium conflarunt gladios suos in vomeres, & principes terræ lanceas suas in falces: & qualiter lupus, & ovis, & pardus cum agno, & ursus & leo pascuntur simul cum ove & agno: quæ omnia fuerunt completa per conversionem populi Gentilis. Et sic fuit facta pax inter Deum & homines, & inter populum Gentilem & Ecclesiam universaliter per totum orbem.

Et nota etiam, quòd illa prophetia fuit litteraliter ad tempus in adventu Christi verificata. Nam cum ante adventum Christi per civilia bella gesta inter *Marium* & *Sillam*, & exinde inter *Cæsarem* & *Pompejum*, demum inter *Octavianum* & *Marcum Antonium* admodum totus orbis fuisset vexatus: tamen finaliter omnibus inimicis per Octavianum devictis, quasi totus mundus sub *Octaviano* per quadraginta annos in placida pace requievit. Nam tunc Ægyptus, Dalmatia, Rhetia, Vindelicia, Pannonia, & omnes Ponti Civitates, Pro-vin-

vinciæ sub Romano Imperio factæ sunt. Item Dacos, Germanos, & Cantabros Hispanorum ferocissimas gentes ipse *Octavianus* suo subjecit Imperio. Item ab Armenia & Parthia obsides recepit, & Persæ & Parthi signa Romana, quæ quondam *Crasso* victo acceperant, ipsi reddiderunt. Item Scythæ, & Indi, & famosissima insula *Trapobana*, quibus antè nomen Romanum incognitum fuerat, legatos cum muneribus ipsi destinarunt. In cujus quidem Octaviani quadragesimo secundo anno natus fuit Christus dum totus orbis longa pace frueretur: in quo tempore bella in tantum fuerunt oblivioni tradita, quòd quasi omnia arma erant in vomeres & cætera rusticalia instrumenta conflata. Ex quibus patet, quòd *Prophetia Isaiæ*, etiam temporaliter fuit in Christi adventu verificata: sed sensus spiritualis est semper amplectendus. Et hoc de quarta Quęstione.

QUÆSTIO QUINTA.

QUia visum est in præcedenti Quæstione, qualiter Lex Moysi fuit litteraliter servanda usque ad declarationem faciendam per Christum: & visum est, qualiter Christus declaravit Legem Moysi, & verificavit Legem & Prophetas per Legem Euangelicam; & per consequens cessante Lege Moysi quoad cærimonialia debet observari Lex Euangelica, & succedere tamquam veritas Legis & Prophetarum, per Christum declarata exemplariter & doctrinaliter: ideo quæritur quintò: *Utrum cessante Lege Moysi, Lex Euangelica debeat succedere Legi Moysi tamquam dignior.* Et arguunt Judæi moderni, quòd non. Et hoc probant quadrupliciter.

Et *primo* sic. Quia Lex Moysi est dignior, & major, quàm Lex Euangelica, majoritate miraculorum: quia majoribus miraculis est confirmata: quia majora miracula fecit Moyses in Lege veteri, quàm Christus in Lege Euangelica. Nam Moyses cum magnis signis & portentis eduxit Israel de Ægypto, & divisit mare Rubrum in divisiones: & percussit petram &, fluxerunt aquæ: & fecit pluere manna de cœlo per quadraginta annos &c. Sed numquam Christus fecit tam grandia miracula: Ergo Lex Moysi est major, quàm Lex Euangelica, dignitate & magnitudine miraculorum: Ergo ipsi non debuit succedere.

Secundo arguitur sic. Nam numquam incertum debet succedere certiori, nec ipsum abolere: Sed Lex Moysi est certior, quàm Lex Euangelica: Ergo non debet illa cedere, & ista succedere. Minor probatur. Nam illa est certior certitudine Legis conditoris: quia fuit scripta digito Dei, *Exod.* 31. & *Deut.* 9. Sed ista est scripta digito hominum, scilicet quatuor Euangelistarum, scilicet, hominum rusticorum & imperitorum. Item illa est certior ratione testium: quia est testificata per Moysen, qui locutus est cum Deo, quo non surrexit major Propheta antè, nec post. *Deut. ultim.* Sed Lex Euangelica non est testificata, nisi per homines rusticos & imperitos &c.

Tertio arguunt sic. Lex impossibilis non debet succedere Legi possibili & veræ: sed Lex Euangelica est impossibilis, & mendax in credendis: nam credit & colit tres Deos, scilicet Patrem & Filium & Spiritum sanctum: quod est impossibile, & in Lege prohibitum, quæ dicit: *Audi Israel: Dominus Deus tuus unus est, Deut. 6.* Item, credit Deum factum hominem, & incarnatum: & credit panem factum Deum & hominem in Sacramento Altaris: quæ omnia sunt impossibilia. Et sic Lex Euangelica est impossibilis, & blasphema in credendo: & per consequens non debet succedere Legi Moysi, quæ est sancta & vera.

Quarto arguun sic. Lex Euangelica est sacrilega & irreligiosa in cultu suo: nam adorat hominem Christum: & adorat panem in Altari: & adorat lignum & lapidem in Cruce & imaginibus: Ergo est sacrilega & idololatra, contra primum præceptum primæ Tabulæ. Et sic patet, qualiter Lex Euangelica est indignior, & minor in miraculis, & incertior in testibus, quam Lex Moysi: & est impossibilis & falsa in sua fide, & sacrilega in suo cultu: & per consequens non debet succedere Legi Moysi, quæ est dignior, & certior, & vera, & religiosa: & ideo nulla alia debet ipsi succedere.

In oppositum est *Apostolus* per totam *Epistolam ad Hebræos*, ubi probat Legem Euangelicam esse meliorem Lege veteri: tum ratione Legislatoris: tum ratione Sacerdotii: tum ratione Ritus &c. Unde ait *capit.* 8. quòd Christus *melius sortitus est ministerium, quantò & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est &c.*

Responsio In hac Quæstione erunt tres Articuli.

In primo videbitur qualiter Lex Euangelica est dignior, & major Lege Moysi magnitudine miraculorum, & certior certitudine testium.

In secundo videbitur, qualiter Lex Euangelica est possibilis, & rationabilis in credendo.

In tertio, qualiter est *pia & religiosa in suo cultu.*

§. I.

Prima Conclusio.

Quantum ad primum ponitur prima Concluſio. Majora miracula fecit Chriſtus & Apoſtoli in Lege Euangelica, quàm Moyſes in Lege veteri. Probatur. Nam majora miracula ſunt illa, quæ non poſſunt fieri per naturam, quàm illa quæ fieri poſſunt per naturam: ſed miracula quæ fecit Moyſes poterant fieri partim per naturam: Nam naturaliter poſſunt fieri ranæ & muſcæ ex putrefactione per ſolam influentiam cœli; & naturaliter ex conſenſu ventorum poteſt dividi mare uſque ad ſolum, & apparere arida, ut frequenter viſum eſt in tempeſtatibus. Item, abſtrahere aquam ex rupibus partim poteſt fieri per artem & naturam. Nam venæ aquarum tranſeunt quandoque naturaliter per rupes, & per viſcera terræ: ſed per artem quis poteſt perforare rupem cum aceto & malleo, & fodere terram, & educere aquam, ſicut fit in puteis. Ideo dicit *Rabbi Moyſes de Ægypto*, quòd *miracula quæ fecit Moyſes, poterant naturaliter fieri.* Sed miracula quæ fecit Chriſtus, totaliter erant ſupra naturam; ita quòd nullo modo poterant fieri per naturam: nam reſuſcitare mortuum quatriduanum & fœtentem, nullo modo poteſt fieri per naturam: & imperare mari, & ventis, & dœmonibus: & ad ſuum præceptum ſanare ſubito cœcum à nativitate, & paralyticos & cæteros infirmos, omnino erat ſupra naturam, & impoſſibile ipſi naturæ. Et ſic multò majora fuerunt miracula Chriſti, quàm Moyſi.

Item, multò majus factum fuit comminuere omnia idola mundi, & convertere totum populum Gentilem ab idololatria ad fidem, quàm educere populum Iſrael de Ægypto &c. Et ſic patet, qualiter Lex Euangelica eſt dignior Lege Moyſi magnitudine miraculorum, & majoribus & pluribus miraculis confirmata ad ſolum imperium ipſius Chriſti, & in ſolius nominis Jeſu virtute, ut patet per *diſcurſum Euangelicum*, & *Actus Apoſtolorum* & Hiſtorias Sanctorum.

Item multò majora miracula fuerunt ſpiritualia & inviſibilia, quę fecit Chriſtus, qui non ſolùm ſanabat omnes in corpore, ſed etiam in anima: ſed quamvis Judæi non concedunt iſta inviſibilia; tamen non poſſunt negare converſionem Gentilium. Et ſic licèt miracula facta per *Moyſen* fuerint vera miracula, & magna, & ſupra naturam: tamen miracula Chriſti fuerunt multò majora. Et hoc dupliciter. Primò, quia omnino, & non ſecundum partem erant ſupra naturam. Secundò, quia *Moyſes* operabatur invocando Deum tamquam miniſter: Chriſtus autem imperando, tamquam Deus, & dominus naturæ.

Secunda Conclusio.

LEX Euangelica eſt certior, & magis authentica certitudine teſtium & ſcriptorum, quàm Lex Moyſi. Probatur. Nam illa Lex eſt certior quæ habet Scriptores & teſtes minus ſuſpectos: Sed Lex Euangelica eſt hujuſmodi reſpectu Legis Moyſi: Ergo eſt certior. Major patet. Minor probatur. Nam ipſemet *Moyſes* fuit Scriptor, & ſolus teſtis ſuæ Legis: quia ipſe ſcripſit eam, & dixit, qualiter locutus eſt cum Deo in monte *Sinai*, & qualiter Deus dedit ipſam Legem ipſi, ut promulgaret eam illi populo rudi. Sed in hoc nullum habet teſtem niſi ſeipſum: Ergo non eſt ſimpliciter ipſi credendum: quia nullus poteſt facere teſtimonium de ſeipſo: nec tale teſtimonium eſt acceptabile in foro judiciali: Chriſtus autem nihil ſcripſit in chartis; ſed ſcripſit Legem ſuam in cordibus hominum, prædicando, & miracula faciendo, miraculis & operibus teſtimonium de ipſo perhibentibus. Sed quatuor Euangeliſtæ & duodecim Apoſtoli, & ſeptuagintaduo diſcipuli hæc omnia viderunt, & ſcripſerunt, & teſtimonium perhibuerunt de geſtis, & factis, & dictis ejus. Et ideo tales teſtes, & in tanto numero de neceſſitate ſunt credendi, nec eorum teſtimonium eſt ſuſpectum: quod non eſt dicendum de Moyſe, qui ſolus teſtimonium præbet de ſeipſo in ſua Lege.

Propter quod dixerut aliqui Gentiles & Hæretici, quòd *Moyſes* ficto modo, & cum dolo decepit illum populum, fingendo ſecum Deum fuiſſe locutum: & quòd vel mentitur, vel quòd fecit illa miracula in ſola apparentia per artes magicas.

Sed ad hoc reſpondent Judæi, quòd *Moyſes* omnia illa miracula fecit evidenter coram toto illo populo, putà, illa decem ſigna in Ægypto: & in deſerto percuſſit petram, & fluxerunt aquæ &c. Item, David hoc idem teſtatur de *Moyſe* cum cæteris Prophetis.

Sed ad hoc inſtando dicerent Hæretici & Gentiles, quòd hoc non probat factum, ſed magis reddit ipſum ſuſpectum: nam ipſemet ſcripſit illos quinque libros, qui narrando ſua geſta dicit, ſe feciſſe illa miracula coram illo populo, & accepiſſe illam Legem à Deo. Sed nullus alius reperitur, qui talia ſcripſerit in illo tempore, nec dixerit ſe vidiſſe. Unde eodem modo quis poteſt fingere

ſe

se fuisse in Persia, aut Armenia, & similia & majora opera fecisse coram populo, sicut fecit *Manichæus*, nominans se decimum tertium Apostolum Christi. Et *Mahometus*, qui dixit, se ascendisse in cœlum cum Angelo *Gabriele*, & accepisse *Alcoranum* à Deo, prout scribitur in libro qui dicitur *Almoharag*. Et sic etiam *Moyses* potuit decipere illum populum, sicut *Manichæus* & *Mahometus*. Et sic etiam *David*, & cæteri posteriores potuerunt decipi in fide *Moysi* credendo ipsi : sicut Saraceni dicipiuntur præbendo fidem, & credendo verbis *Mahometi* præbentis testimonium de seipso. Quare sicut testimonium illorum non est acceptandum tamquam suspectum: ita nec testimonium *Moysi*. Et sic manet Lex Moysi suspecta propter defectum testium & scriptorum : & Lex Euangelica manet probabilis & credibilis.

Sed est dicendum secundùm veritatem, quod Lex Moysi licèt sit vera, & à Deo vero data, secundùm quod probat *Apostolus ad Hebræos*, & *Augustinus contra Faustum*, & *contra adversarium Legis & Prophetarum* : tamen Ecclesia non crederet Legi Moysi, nisi quia Christus authorizavit eam, allegando frequenter Legem & Prophetas : immò dicit, quòd *non venit solvere Legem, aut Prophetas, sed adimplere*, *Matth.* 5. Item *Joann.* 5. dixit : *Si credieretis Moysi, credieretis forsitan & mihi : quia Moyses de me scripsit.* Item *Luc.* 23. *incipiens à Moyse & Prophetis interpretabatur illis* duobus discipulis *omnia quæ de eo scripta erant &c.* Ex quibus patet, quòd Lex Moysi, & Scriptura Prophetarum in tantum est nobis credenda, in quantum fuit testificata & authorizata per Christum. Ex quibus omnibus sequitur, quòd Lex Euangelica est omninò perfectior, & dignior, & certior Lege Moysi : non solum ratione miraculorum, sed etiam ratione Legislatoris, qui est Christus Deus, & ratione testium, & plurium Scriptorum idoneorum, & authenticorum. Et ideo debet succedere, & silentium imponere Legi Moysi tamquam veritas figuræ, & signatum suo signo, & sicut Lex fugat tenebram & umbram. Et hoc de primo Articulo.

§. II.

Articulorum fidei possibilitas & demonstratio.

QUantum ad *secundùm Articulum* est notandum: quòd licèt Articuli fidei Christianæ non sint demonstrabiles, nec possint à nobis in via demonstrari de facto : tamen eorum possibilitas non solùm est nobis probabilis, sed etiam demonstrabilis ex primo suo fundamento. Unde licèt Deum esse incarnatum non possit demonstrari ; tamen Deum potuisse incarnari, est demonstrabile, ut patebit : quia omnes Articuli fidei sunt possibiles. Sed in eorum possibilitate est ordo : nam Articuli fidei ita sunt ordinati, quòd unus præsupponit alterum in sua possibilitate ; & sic priores in sua possibilitate usque ad primum Articulum, scilicet Articulum Trinitatis, qui est causa omnium Articulorum in veritate & posibilitate. Nam ex veritate, & posibilitate Articuli Trinitatis infertur veritas, & posibilitas Articuli creationis; & ex posibilitate Articuli Trinitatis & Creationis infertur posibilitas Incarnationis : & ex posibilitate Incarnationis infertur posibilitas authoritatis Christi, & institutionis Eucharistiæ, & posibilitas passionis, & resurrectionis, & liberationis Patrum de inferno, & totius nostræ redemptionis &c. Et sic omnes Articuli fidei præsupponunt Articulum Trinitatis Personarum in una substantia in divinis. Sed posibilitas Articuli Trinitatis fundatur in quadam veritate infallibili & necessaria, & demonstrabili per omnes Philosophos, immò jam per eos demonstrata.

Septem proprietates & perfectiones primi entis.

Ad cujus intellectum est iterum notandum, quòd inter cæteras proprietates & perfectiones primi entis, qui est Deus, septem proprietates ponit *Aristoteles* & *Commentator.* 12. *Metaphysicæ*, & *Avicenna*, & *Algazel in sua Metaphysica.* Primò, quòd Deus est actus purus, & simplicisimus, & primum necesse Esse, & independens. Ex quo sequitur secundum, scilicet, quòd est summum & primum intelligibile. Tertiò, quòd est seipsum intelligens. Quartò, quòd est summum bonum & primum appetibile, & per consequens seipsum amans & diligens. Quintò, quòd sua intellectio & volitio est sua substantia : eò quòd intelligit & diligit se per suam substantiam & essentiam. Sextò dicit, quòd ab isto primo ente, & primo intelligibili & appetibili se intelligente & amante dependet totum cœlum & natura. Septimò dicit, quòd omnes secundæ intelligentiæ movent, & gubernant omnia ista inferiora propter Deum amatum & desideratum. Ex isto ergo fundamento & veritate infallibili, & necessaria, & imposibili aliter se habere, infert *Augustinus in lib.* 15. & in cæteris libris *de Trinitate* : & *contra Maximinum*, & *cæteros Arianos* totum mysterium Trinitatis, & productionem duarum personarum Divinarum à prima. Et hoc idem faciunt omnes cæteri Doctores. Unde dicit *Augustinus*, quòd intellectus in intelligendo format conceptum diffinitivum rei intellectæ, ut inquit *Aristot.* 7. *Meta.* qui quidem conceptus dicitur dis-

diffinitio ; eò quòd concludit & comprehendit omnes fines & partes rei intellectæ & comprehensæ. Et dicitur etiam terminus rei : eò quòd comprehendit & ambit omnes terminos rei , & ambit & terminat eam , ut patet ibidem. Quam diffinitionem , sive conceptum Græci appellant *Logon* , id est , *verbum* diffinitivum. Et ideo cùm Deus perfectè & completè intelligat , & concipiat seipsum se toto , & secundùm se totum ; necesse est ut de totâ scientiâ & intellectione suâ , quæ est substantia sua , dicat & producat tale verbum diffinitivum suiipsius, quo seipsum diffiniat & comprehendat. Sed quia suum intelligere & dicere , est suum esse , & sua substantia & essentia: ideo illud Verbum dictum & productum de tota essentia & substantia Dei , necesse est quòd sit Deus: quia Deus Pater intelligendo se totum, & dicendo tale Verbum de tota sua substantia , communicat illi Verbo totam suam substantiam & esse & essentiam , cùm ibi esse & intelligere sit sua essentia & substantia , & econverso. Et sic eadem substantia & essentia est in Verbo , & in ipso Patre dicente : & per consequens idem Deus est Verbum cum dicente : sed quia hoc Verbum nascitur à dicente per modum naturæ , quia totaliter est imago dicentis , & intelligentis, quia totaliter exprimit , & diffinit ipsum: ideo sacra Scriptura hoc Verbum appellat *Filium* , & dicentem appellat *Patrem.*

Nota. Et rursus sicut proprium est intellectui intelligere , & ex intellectione formare diffinitionem , seu verbum diffinitivum : ita proprium est voluntati velle & diligere bonum intellectum , & spirare amorem in eo de tota illa dilectione: quo amore se toto diligat se totum , suum volitum & amatum : quem amorem sic spiratum scriptura appellat *Spiritum sanctum.* Unde sicut Pater intelligendo se, formal, id est, dicit Verbum de totâ scientia & substantiâ suâ: cui Verbo communicat totam eandem suam substantiam & essentiam in esse : in quo , & per quod Verbum Pater se totum diffinit & comprehendit , tanquam per suam imaginem coæqualem & perfectam : in quo Verbo sicut se intelligit esse summum ens & intelligibile ; ita intelligit se summum bonum amabile & appetibile ; & ideo absque aliquo medio sicut intelligit se in Verbo , & Verbum in se ; sic per modum voluntatis producit , & spirat amorem de summo bono intellecto. Et sic sicut Pater intelligendo communicavit Verbo totam suam substantiam & essentiam ; ideo pariter simul cum Verbo diligendo communicat Spiritui sancto eamdem substantiam & essentiam, quæ prius communicata fuit Verbo. Et ideo sicut Filius procedit à solo Patre per generationem : ita Spiritus sanctus non solum procedit à Patre , sed etiam procedit à Verbo, seu Filio per spirationem, eò quòd substantia quę communicatur Spiritui sancto , prius fuit communicata Filio à Patre: & sic eadem substantia communicatur Spiritui sancto ab utroque tanquam ab uno principio. Unde sicut intelligere præcedit diligere; ita dicere præcedit spirare : sicut nihil diligitur nisi prægnitum.

Ex quibus patet , quòd eadem substantia & essentia, quam Pater habet à se, communicatur Filio à Patre per generationem : & eadem communicatur ab utroque Spiritui sancto per spirationem : & sic manet unus solus Deus essentialiter, & substantialiter , & existenter in tribus personis, postquam in tribus personis non est nisi una essentia, & substantia, & unum esse : per quam essentiam & substantiam divinam , & per quod esse unaquæque persona dicitur *Deus* , & dicitur *ens* , & *substantia* , & dicitur habere esse simpliciter: quia Pater non est Deus , nec ens, nec substantia per paternitatem , sed per deitatem: quia paternitas non constituit Patrem in esse divino & substantiali, nec in esse existentiæ : sed solum constituit Patrem in esse personali & paterno. Et sic est dicendum de filiatione respectu Filii , & de spiratione passiva respectu Spiritus sancti. Et ideo Pater & Filius & Spiritus sanctus non sunt tres substantiæ, nec tria entia , nec tres personæ absolutæ , sed sunt tria relativa , sive tres personæ relativæ : quia relationes non possunt multiplicare substantiam , nec multiplicare ens: quia non sunt entia, nec sunt aliquid , sed ad aliquid , ut ait *Aristoles*, & *Augustinus contra Maximinum.* Ideo istæ tres Personæ dicuntur realiter distinctæ: non quòd sint tres res absolutæ, nec tria entia, sed tres res relativæ : sed dicuntur tres res reales , in quantum Pater realiter producit Verbum reale, & Pater & Filius realiter spirant Spititum sanctum realem. Et prima persona ita est Pater, quòd non Filius , nec Spiritus sanctus: eò quòd est à se , & non ab alio , nec generatur , nec spiratur. Et Filius ita generatur à Patre, quòd non generat, nec spiratur. Et ideo nec est Pater, nec Spiritus, sed Verbum , & Filius: Et Spiritus sanctus ita spiratur ab utroque, quòd nec generat , nec geneatur, nec spirat , sed solus spiratur : ideo solus est Spiritus sanctus. Et sic una persona negatur de altera , non substantialiter , nec realiter absolutè ; sed realiter relativè , in quantum una alteri relativè opponitur. Et sic manet unum solum ens absolutum in tribus personis relativis : non quòd Deus sit unum ens absolutum per se, sine , vel præ-

Pater Filius & Spiritus sanctus sunt tres Personæ relativæ.

præter illas tres personas relativas: quia nec per se facit personam sine illis tribus; nec reperitur in aliquâ aliâ personâ præter quam in illis tribus: nec Deus est aliud quod illæ tres personæ: nec illæ tres personæ sunt aliud quod unus Deus. A

Nota. Sed est advertendum: quod ista Trinitas personarum in divinis non est inventa & reperta in sola Christiana Religione: quia jam fuit memorata ab antiquis Philosophis. Nam *Aristoteles xii. Metaphysicæ* implicitè & confusè ponit istam Trinitatem, dicens: quòd *in divinis est Deus intelligibilis: & sua intellectio est sua substantia, & sua volitio, in qua felicitatur*: tamen *Plato* in *Timæo*, & in *Epistola ad Dionysium* clarè distinguit istam Trinitatem personarum secundum ordinem intelligendi & diligendi se B in Deo, dicens: quòd *Deus intelligendo se, format verbum ipsi consubstantiale & coæternum*: quod verbum quandoque nominat Filium, & quandoque nominat ipsum, secundum Deum Creatorem omnium: eò quòd in illo Verbo sunt ideæ, & exemplaria, & formæ omnium rerum creatarum. Et similiter ponit, *Spiritum Dei penetrare, & vivificare omnia creata*: quem appellant *animam mundi*: quod allegans *Virgilius* in *sexto*, dicit:

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ Titaniaque astra
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus C
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet &c.

Item in 4. Georgic.

Quidam dixere Deum: nanque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum &c.

Et sic *Plato*, & multi Philosophi antiqui posuerunt Trinitatem in divinis, appellantes primam personam *Patrem*: & secundam *Verbum*, & *Filium*, & tertiam appellabant *Spiritum Dei*, & *animam mundi*, dicentes, quòd *Pater per verbum omnia produxit: & per spiritum* D *omnia vivificat, & movet*, ut patet in *Timæo Platonis*, & in libris *de Republica*, & in *Epistola ad Dionysium*, & in *Epistola* ad *Erastum* & *Chorisicum*. Item *Plotinus*, *in libro de Tribus Hypostasibus, à quibus omnia principium habent*. Et sic dicit *Plato*, *quòd istæ tres Personæ non sunt plures substantiæ, sed una tantùm*: Et quòd *Verbum Dei est ipse Deus*: *& Spiritus Dei est ipse Deus*. Et sic tàm *Plato*, quàm *Socrates* concedebant istas tres Personas in Deo. Et ideo *Pythagorici* propter istam Trinitatem colebant unum solum Deum triplici honore, scilicet, *adoratione*, *& oblatione*, *& adoratione laudis*, ut patet *primo de cœlo & mundo*. E

Ex quibus patet, quòd Deum esse Trinum & Unum, non est Articulus Fidei, cùm naturaliter sit demonstrabile, & probabile apud Philosophos: sed istas tres Divinas Personas esse realiter distinctas in una simplici essentia & substantia, est Articulus fidei, prout ponit & credit Fides Catholica. Item sequitur, quòd licèt Philosophi pervenerint naturaliter in cognitionem istarum trium Personarum sic confusè, in quantum noverunt Deum esse primum intellectum, & primum principium omnium, prout dictum est; tamen naturaliter non potue- F runt pervenire ad modum emanationum duarum Personarum à prima: & quomodo istæ tres Personæ sunt realiter distinctæ, nisi Deus revelasset hoc specialiter & distinctè in novo Testamento. Et sic est Articulus fidei. Et ideo Beatus *Augustinus* Spiritu sancto illustratus istas emanationes, & origines, & distinctiones Personarum lucidè & clarè distinxit in *libris de Trinitate*: per cujus Doctrinam Christiana Religio se potest defendere ab omni incursu Philosophorum infidelium: immò quantò quis magis est institutus in vera Philosophia & Metaphysica, tantò citiùs adhærebit, & assentiet veritati Fidei Catholicæ, & Articulo Trinitatis Personarum cum simplicitate G Divinæ Essentiæ.

Ex supradictis patet non solùm possibilitas, sed etiam veritas Articuli Trinitatis contra miseros & cœcos Judæos, qui hoc reputant impossibile. Sed non mirum: quia non solùm sunt obcœcati in intelligentia Sacræ Scripturæ, sed etiam sunt ignari veræ Philosophiæ.

Habita ergo cognitione trium Divinarum Personarum per emanationem secundæ Personæ, quod est Verbum, à primâ Personâ, qui est Pater; & per emanationem spiritus Dei ab utraque, devenerunt etiam Philosophi ad cognitionem creationis creaturarum per emanationem à Verbo Divino. Unde dicit H *Plato*: quòd *sicut Verbum Divinum emanat à Patre, ita omnia ista entia emanant à Divino Verbo per creationem. Et sicut Verbum emanat à Patre, tamquam scientia à sciente: ita omnes artes & scientiæ emanant à Verbo Divino in homines*, ut inquit *Epicarmus Comicus* discipulus *Platonis*: quòd *Divinum Verbum artes hominibus suggerit, docetque facere quod conducit: non invenerunt enim homines artes; sed eas Verbum hominibus immisit: verbum autem hominum à Divino Verbo defluxit*. Et sic dicit *Plato*: quòd *sicut illud Divinum Verbum*

bum fluit & emanat à Patre : ita omnia creata emanant à Verbo.

Not. banc differentiam emanationis.

Sed istam emanationem multò clariùs declarat *Augustinus* & Doctores Catholici, ponentes multiplicem differentiam inter istam emanationem creaturarum à Verbo, & illam Verbi à Patre: nam ibi Verbum primò emanat à Patre dicente per modum naturæ : ideo dicitur Filius Patris : quia in tali productione Pater communicat Filio totam substantiam, & essentiam, & esse : ideo Filius est consubstantialis, & æqualis Patri, & idem Deus cum Patre : sed creaturæ emanant à Verbo per modum artis. Ideo Deus ita communicat creaturis similitudines suarum perfectionum & idearum, quòd non communicat eis suam substantiam & essentiam. Et ideo nulla creatura est Deus, nec Filius naturalis Dei, nec Deo æqualis, nec consubstantialis : sicut artifex ita communicat artificiato similitudinem suæ artis, quòd non communicat substantiam suam.

Secunda differentia est : quia Pater producit Verbum de totâ scientiâ & substantiâ suâ : ideo non potest producere nisi unum Verbum : sed Deus non producit mundum de tota arte sua, quę est infinita : ideo potest producere multos alios mundos, non evacuando artem suam.

Tertia differentia est : quia Deus Pater producit Filium & Verbum ab æterno : eò quòd Filius nascitur, & emanat naturaliter, & per modum naturæ : sed mundus non emanat à Verbo ab æterno : eò quòd non producitur naturaliter, sed artificialiter & liberè : artificialia enim non sunt naturalia, sed voluntaria.

Quarta differentia est : nam Deus Pater per seipsum de scientiâ & intellectione suâ ab æterno dicit illud Verbum, non per aliud Verbum ; & productum manet in producente substantialiter & essentialiter : sed in creatione rerum Deus Pater per Verbum Æternum nullum aliud Verbum præsupponit : sed omnia creata præsupponunt Verbum Æternum, per quod sunt dicta extempore. Ideo hæc est causa, quare Pater non potest dicere suum Verbum, quin communicet ipsi totam substantiam & essentiam, eò quòd absque alio Verbo per se naturaliter ipsum dicit de totâ suâ scientiâ speculativâ : Sed quia per Verbum suum dicit alia tamquam per scientiam practicam ; ideo ita communicat rebus creatis similitudines suæ scientiæ, & suarum idearum, quòd non communicat suam substantiam.

Inter Deũ & creatũ artificem seu

Est autem multiplex differentia inter Deum, & quemlibet artificem creatum, & quodlibet agens naturale. Nam Deus solo Verbo dicendo, absque motu & tempore, potest omnia producere: quod non potest agere artifex creatus, nec agens naturale. Et hoc accidit, quia Deus continet in Verbo suo perfectiones omnium, & omnia dependent à Divino Verbo quoad totum suum esse in genere causæ efficientis, & formalis, & finalis. Et ideo Deus nihil aliud extrinsecum præsupponit in sua actione ; & per consequens potest producere res quoad totum suum esse. Et ideo dicendo, *Fiat lux*, facta fuit lux. Et dicendo, *Fiat firmamentum*, factum fuit firmamentum absque aliâ morâ : eò quòd omnia dependent ex Divino Verbo quoad totum suum esse.

seu agent naturale differentia.

Secunda differentia est : quia artifex creatus ita communicat formam accidentalem rebus artificiatis, quòd non potest producere materiam : utputà, argentum, aut aurum, aut lapides, & ligna : eò quòd ista non dependent ex arte humana, nisi sola forma artificialis domus, aut annuli. Et ideo licèt domificator millies diceret, *Fiat domus*, numquam fieret domus, nisi primò per motum præparentur ipsi lapides & ligna &c. eò quòd ista non dependent ex arte sua, sed ex natura : quia ubi definit natura incipit ars. Sed quia cœlum, & natura, & omnia creata dependent ab arte divina, ut dicit *Aristot.* 12. *Meta.* & *Commentator* ejus : hinc est quòd Deus ex solo Verbo dicendo potuit in instanti omnia producere ex nihilo præsupposito, quantum ad materiam & formam, & quoad totum suum esse. Ideo *dixit*, & *facta sunt* : *mandavit*, & *creata sunt*. Unde sicut sol in uno instanti causat & multiplicat suam similitudinem & imaginem per totum hemisphærium non communicando suam substantiam : ita Deus in eodem instanti communicavit, & multiplicavit solo Verbo similitudines suarum perfectionum, & idearum in omnibus creaturis, non communicando eis substantiam suam. Et sic patet, quòd dicere Dei *ad extra*, nihil aliud fuit, nisi similitudines suarum perfectionum & idearum creaturis communicare.

Dicere Dei ad extra quid sit.

Item sequitur, quòd creaturæ nihil aliud sunt, quàm similitudines Divinarum perfectionum & idearum, & effectus Divinæ artis. Item sequitur, quòd res creatæ non solùm recipiunt à Deo esse essentiæ entitatis, per quod assimilantur Divinæ arti in sua specie : sed etiam recipiunt à Deo esse actuale, per quod esse existunt, & personantur, & actualiter operantur : nam per solum esse essentiæ non possent persistere : quia nihil aliud est, nec potest existere per suam essentiam, nisi solus Deus : quia à nullo dependet. Et ideo *solus Deus est suum esse*,

esse, & *vita* 12. *Metaphysicæ*. Et ideo omnis creatura ultra essentiam indiget esse, per quod existat & vivat: & sic A Deus primò dicendo creat, & producit res *ad extra*: sed ex consequenti per Spiritum sanctum spirat esse & vitam in rebus. Et ideo dicitur *Genes.* 1. quòd *in principio*: id est, in Verbo, *creavit Deus cœlum & terram*: sed quia *terra erat inanis & vacua*, sine esse; ideo *spiritus Domini ferebatur super aquas:* id est super omnia creata, vitam & esse conferendo, & ea vivificando. Et istum Spiritum appellat *Plato animam mundi.* De quo dicit *Virgilius*, *in sexto.*

Principio cœlum ac terram camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titania- B
que astra.
Spiritus intus alit: totamque infusa
per artus
Mens agitat molem, & toto se corpore miscet.

Item in *Georgicis:*

Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque
profundum.

Ex quibus patet, quòd sicut Deum esse Trinum & Unum, non est Articulus fidei, eò quòd hoc noverunt Philosophi in lumine naturali; sed est Articulus fidei, in quantum nos credimus illas tres Personas esse inter se realiter distinctas cum summa simplicitate Divinæ substantiæ, C sicut supra dictum est; quod habemus ex sola revelatione & authoritate Sacræ Scripturæ: Ita pariter est dicendum, quòd mundum esse à Deo productum, non est Articulus fidei: quia hoc idem asserunt Philosophi, qui posuerunt Deum in triplici genere causæ: scilicet *efficientis*, *formalis*, & *finalis*, ut patet 12. *Metaphysicæ*. Sed mundum esse creatum de nihilo ex tempore, & quòd mundus habuit principium, hoc est Articulus fidei: quia non potest demonstrari: immò omnes Peripatetici putarunt demonstrare oppositum: ut patet 2. *Metaphysicæ* & 8. *Physicorum* & 1. *Cœli*, & 2. *de generatione*. Sed ipsemet *Aristoteles* di- D cit in *Topicis*, quòd illæ rationes non sunt demonstrativæ, sed tamen probabiles. Ex quibus patet, quòd Deum esse Trinum & Unum, non est impossibile, sicut negant, & imponunt nobis miseri Judæi, quia hoc concessum fuit à Philosophis, licèt non ita distinctè: immò per emanationem creaturarum, quam Judæi concedunt, Philosophi pervenerunt in cognitionem Trinitatis, & emanationem Divinarum Personarum à primâ Personâ Patris, ut dictum est.

Sed quòd ista Trinitas Divinarum Personarum non sit per Christianos E conficta, nec per Philosophos antiquitus memorata, sed in Lege & Prophetis explicata, patet ex multiplici authoritate. Et primo *Genes.* 1. ubi dicitur: *In principio creavit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis & vacua: & spiritus Domini ferebatur super aquas &c.*

In quibus verbis dupliciter denotatur pluralitas Personarum in Divinis. Et primò, quia in Hebræo dicitur: *In principio creavit Elohim cœlum & terram* ubi ly *Elohim* est pluralis numeri. Et sic per totam Scripturam pro majori parte *Deus* ponitur in plurali: de quo est maxima quæstio, & nondum soluta apud Hebræos.

Nota de pluralitate Personarum in Divinis

F Unde *Rabbi Moyses de Ægypto*, putans solvere istam Quæstionem, dicit quod *Elohim* est æquivocum ad Deum cœli, qui est unus, & ad Angelos & Deos Gentium. Alii autem dicunt, quòd per *Elohim* in plurali intelligitur Deus cum judicibus, aut Angelis suis, id est, quòd Deus cum judicibus & Angelis suis creavit cœlum & terram. Sed hoc est falsum: quia Deus non indiguit auxilio Angelorum ad creandum mundum, cùm Angeli sint de numero creaturarum.

Et ideo est dicendum, quòd ly *Elohim* idem est, quòd *dii* in pluri: sed ly *dii* non ponitur substantivè, sed adjectivè. Unde *dius*, *dia*, *dium* est syn- G copatum de *divus*, *diva*, *divum*: quod significat res divinas: ideo non valet argumentum: *Sunt tres Dii: Ergo sunt tres Dei quia Dei* in plurali significat tres Deos, quod nefas est dicere in Divinis: sed *tres Dii* significat tres Personas Divinas: scilicet Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Et sic conceditur, quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt *tres Divi*, & Personæ Divinæ: sed non *tres Dei*: quia primò tenetur adjectivè, denotando personas: sed secundò tenetur substantivè, denotando substantiam & essentiam. Sic ergo pro majori parte ponitur *Elohim* adjectivè, non substantivè, in Lege & Prophetis: non significando H pluralitatem substantiarum, sed Personarum in Divinis. Sed cœci Judæi non capiunt hoc sacramentum.

Nota.

Item secundò, in supradictis verbis explicatur Trinitas Personarum: nam Deus Pater *in principio*, id est, in Verbo tamquam in arte, *creavit cœlum & terram*: quia per Verbum, in quo sunt ideæ omnium rerum, dixit omnia creata, dando eis essentiam: sed *spiritus Domini ferebatur super aquas*, dando eis esse, omnia vivificando. Et sic explicatur mysterium Trinitatis.

Item sequitur: *Dixit Deus*, *Fiat lux*

lux &c. Ergo si Deus dixit, per aliud verbum dixit: & per consequens habet Verbum, per quod dixit omnia. Item sequitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: Ergo Deus sicut per Verbum dedit essentiam rebus: ita dedit eis bonum, id est, esse quod omnia appetunt: sed hoc pertinet ad Spiritum sanctum, per quem Deus omnia bonificat. Ergo in Divinis sunt tres Personæ, scilicet Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Hoc idem patet *Genes.* 18. quando *Abraham* vidit illos tres Angelos, & adoravit unum tantum Deum in eis, dicens: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis &c.* Et ponitur ibi nomen Domini quatuor litterarum, quod soli Deo convenit. Et postea *capit. sequenti* explicatur eadem pluralitas Divinarum Personarum, cùm dicitur: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo &c.* Dicit ergo, quòd *Dominus pluit à Domino*: & ponitur in utroque Nomen quatuor litterarum: ubi notantur duæ Personæ Divinæ: scilicet, Persona Filii missi ad pluendum sulphur & ignem: & Persona Patris mittentis, à quo Filius habet quicquid habet. Ex hac ergo scriptura Judæi non possunt negare esse pluralitatem in Divinis: non substantiæ: Ergo Personarum.

Item ista Trinitas Divinarum Personarum explicatur *Psalm.* 32. cum dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Item *Psalm.* 49. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Ubi ponitur Christus Deus unctus, & Pater Deus ungens, & Spiritus sanctus, quo Christus est unctus. Item *Isai.* 48. *Dominus misit me, & spiritus ejus: hæc dicit Redemptor tuus Dominus Deus Israël.* Item *Zachar.* 2. *Laudæ & letaræ Sion: ponam Divinitatem meam in medio vestri: & cognoscetis quod Dominus misit me, ut prophetarem vobis.* Item *Proverb.* 30. *Quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?* Item in plerisque locis reperitur memoratum *Verbum Dei & nomen Dei*: per quod Fides Catholica semper intelligit secundam Personam in Trinitate, scilicet Filium. Et sic etiam Spiritus sanctus frequenter in Scriptura dicitur *Spiritus Dei*, per quem intelligitur tertia Persona in Trinitate. Et sic patet, quòd Articulus Trininatis Divinarum Personarum cum una sola & simplicissima substantia non solùm est possibilis, sed per Sacram Scripturam verificatus, & authorizatus. Quod quidem mysterium Trinitatis maximè probatur & manifestatur in creatione rerum: quia emanatio creaturarum, & modus producendi earum præsupponit emanationem Divinarum Personarum, ut dictum est: quia per Verbum Patris facta sunt omnia, & per Spiritum Dei vivificata.

Ex quibus duobus Articulis, scilicet Trinitatis & Creationis redditur possibilis & probabilis Articulus Incarnationis. Unde dictum est, quòd res creatæ prout sunt similitudines Divinarum Idearum, habent solùm esse specificum & essentiale: sed per tale esse non possunt existere in actu, nec personari, nisi influatur eis esse actuale & personale: quia nihil existit per suam essentiam, nisi solus Deus: quia est independens. Et sic dicitur, quòd Deus primò per Verbum dicit res *ad extra*, dando eis esse specificum, & ex consequenti spirat in eis esse personale, & actualis existentiæ, per quod conservat res in esse durativo: de quo dicit *Autor de causis*, quòd *prima rerum creatarum est esse.*

Ex quibus patet: quòd sicut Deus conservat & personat unamquamque creaturam in esse existentiæ per esse creatum & influxum: ita potest aliquam creaturam conservare in esse, & personare per seipsum: & per consequens potest effici una Persona cum illa. Sic ergo factum fuit in mysterio Incarnationis. Nam Pater, immò tota Trinitas, per Spiritum sanctum formavit illud corpus ex puris sanguinibus in utero virginali, & perfectè organizavit illud: Et tota Trinitas creavit in eo simul animam illam intellectivam cum omnibus suis perfectionibus. Et sic fuit verum individuum humanum conditionatum & atomatum: quia anima est illa quæ dat composito esse specificum, & substantiale, & entitativum 3. *de Anima.* Et accidentia dant esse atomum & individuale. Sed nec anima, nec accidentia individuantia & determinantia speciem possunt dare esse personalis existentiæ, aut substantiæ, nec possunt personare illam speciem individuatam, nisi à primo ente spiretur esse personale, & esse actualis existentiæ, per quod illa species & individuum personetur & existat. Et hoc fecit Verbum Divinum per se absque creatione novi esse: immò per se personavit illud corpus animatum, & organizatum, & individuatum. Ideo in illa benedicta Incarnatione ita fuit creata nova anima, & nova substantia essentialiter, quòd non fuit creata nova personalitas, nec novum esse existentiæ aut substantiæ. Et sic illa Incarnatio nil aliud fuit, nisi creatio illius humanitatis: non sub esse creato, sed sub esse Divini Verbi præexistentis. Et sic fuit creatio novæ substantiæ, sed non novi esse. Et ideo illa humanitas non personatur per novum esse creatum, nec per

Articulus Incarnationis redditur possibilis.

novam personalitatem ; sed per solam personalitatem Verbi. Et ideo manet solum una Persona in duabus naturis.

Sed est advertendum, quòd totus discursus supradictus non factus est successivè in tempore ; immò in eodem instanti illud corpus fuit formatum, & organizatum, & animatum, & per Verbum assumptum & personatum. Et sic illa Persona Christi dicitur verus & perfectus Deus, & verus & perfectus homo. Et ideo de illa Persona verificantur omnia quæ sunt Dei, & omnia quæ sunt hominis ratione duarum naturam. Et Christus dicitur Creator, & creatura, & mortuus, & passus &c. quia verè dicitur Deus & homo. Et sic etiam communicantur idiomata utriusque naturæ inter se. Nam ille homo dicitur Creator ratione deitatis : & ille Deus dicitur passus ratione humanitatis quam assumpsit, in atomo individuatam & conditionatam, ut posset pati &c. Ideo quando dicitur : *Deus passus est*, est sic intelligendum & exponendum : id est, *ille homo qui est Deus, est passus &c.*

Et sic patet, quòd Articulus Incarnationis est possibilis. Et sic Deum posse incarnari non est Articulus fidei ; immò est probabile & quasi demonstrabile : sed Deum esse de facto Incarnatum, & Jesum esse Deum, & Verbum Incarnatum, hoc est Articulus fidei : quia hoc non potest probari, nec ostendi, nisi ex sola authoritate Sacræ Scripturæ utriusque Testamenti. Nam in veteri Testamento mysterium Incarnationis fuit prænuntiatum futurum, & in novo Testamento annuntiatum est jam factum, & completum, & per effectum & miracula demonstratum. Sed quia nos non vidimus Christum Incarnatum, sed credimus soli Euangelicæ Scripturæ & authoritati : ideo dicitur Articulus Fidei in nobis.

Quod Messias esse deberet Deus &c.

Sed quòd Deus esset Incarnandus, & Messias in Lege promissus deberet esse Deus, patet, & probatur ex multiplici authoritate Sacræ Scripturæ veteris Testamenti. Unde *Psalm.* 2. *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu.* Item *Psalm.* 71. *Permanebit cum Sole & ante Lunam.* Et, *Ante Solem permanet nomen ejus.* Item *Psalmo* 109. *Dixit Dominus Domino meo : sede à dextris meis.* Item *Isaiæ* 45. *Tu es Deus absconditus.* Item *Isai.* 8. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel* : id est nobiscum Deus. Item *capitulo nono* : *Vocabitur Deus fortis pater futuri sæculi.* Item *capitulo decimo* : *Dominus dedit mihi linguam eruditam &c.* Item hoc idem *capitulo* 51. & 55. *&c.* Item *Hieremiæ* 23. *Suscitabo David germen justum, & faciet judicium &c. Et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster &c.* Et ponitur ibi nomen Domini *tetragrammaton*, quod soli Deo convenit. Hoc idem ad litteram habetur *Hier.* 33. Item *Baruch* 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Item *Threnorum* 4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus noster captus est in peccatis nostris &c.* Et ponitur ibi nomen Domini *tetragrammaton.* Item *Oseæ* 3. *Post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum &c.* Item *Zachar.* 2. *Hæc dicit Dominus exercituum : post gloriam misit me ad te &c. Lauda & letare filia Sion : quia ecce ego venio & habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et scies quia Dominus exercituum misit me ad te &c.* In quibus verbis notatur Deus missus & Deus mittens, scilicet Pater, & Filius qui est Deus, qui loquitur in hoc capitulo : quia utrobique ponitur nomen Domini *tetragrammaton.* Item *Zachariæ cap.* 12. *In illa die effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & aspicient in me, quem confixerunt &c.* Ex quo patet, quòd Messias erat futurus Deus & homo : quia non potest dare spiritum gratiæ, nisi Deus, nec pati & configi nisi homo. Et sic pariter est dicendum de hoc quod dicitur *Isai.* 50. Nam Deus loquitur ibi, & postea subdit. *Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me &c.* quod non potest convenire nisi homini. Et sic patet, qualiter Christus in Lege promissus erat futurus Deus & homo, & per consequens Deus Incarnatus & humanatus. Et sic non est dicendum, quòd Religio Christiana finxerit mysterium Incarnationis : quia in Testamento veteri fuerat multipliciter figuratum & prophetatum.

Articulus Sacramenti Altaris possibilis.

Ex possibilitate verò Articuli Incarnationis sequitur possibilitas Articuli Sacramenti Altaris, scilicet transubstantiationis panis in Corpus Christi. Unde quatuor sunt consideranda principaliter in persona Christi. Primò Corpus, prout habet esse substantiale ab anima, & esse conditionatum ab accidentibus. Secundò sunt consideranda accidentia, quæ organizant, & individuant, & extendunt, & disponunt illud corpus. Tertiò est consideranda anima, quę dat esse substantiale specificum toti corpori & composito. Quartò est considerandum Verbum, quod dat esse personale & actualis existentiæ toti humanitati Christi. In pane autem sunt tria consideranda. Primò, veritas substantiæ panis, resultans ex materia & forma substantiali. Secundò, accidentia, & individuantia, & disponentia. Tertiò est considerandum esse existentiæ panis, per quod existunt etiam ac-

accidentia, in quantum inhærent & inexistunt substantiæ panis subjectivè.

Panis convertetur in corpus Christi & nò in animam.

His habitis, dicitur, quòd substantia panis non convertitur in Verbum Divinum, nec in animam Christi; sed in solum Corpus substantiale Christi, prout habet esse essentiale ab anima, & est altera pars compositi humani. Et sic convertitur *quid in quid*, non *quantum in quantum*, nec *quale in quale*, nec *quid in quantum*, nec *in quale*, nec corpus in spiritum. Et ideo manent accidentia panis sine subjecto. Et sic non est dicendum, quòd convertatur corpus in spiritum, nec fiat mixtio, sicut quidam Medicus Judæus arguebat: quia nihil de substantia panis remanet in actu, nec in potentia.

Sed quòd talis transubstantiatio sit possibilis apud Deum, probatur dupliciter. Uno modo, in quantum ille panis, & omnis creatura dependet à Verbo Divino quoad essentiam suam totam in genere causæ formalis. Et ideo sicut Deus solo Verbo, dicendo: *Fiat panis*, formaliter ex idea panis creat panem essentialiter: ita à fortiori dicendo, quòd ille panis fiat Corpus suum, illico fit, & transubstantiatur in Corpus suum: eò quòd ille panis essentialiter dependet à Divino Verbo, & ab illa idea. Unde per tale Verbum substantia panis, quæ erat sub idea panis, fit sub idea Corporis Christi. Et sic illa substantia post consecrationem ita est substantia Corporis Christi, quòd non est substantia panis: quia illa substantia, quæ antè erat sub idea panis, modò est sub idea Corporis Christi. Item, majorem potestatem habet Deus super naturam, & super species & essentias rerum, quàm Rex & dominus temporalis super bona temporalia, & super dignitates, & quàm Papa super Prælaturas. Sed Rex, & quilibet princeps temporalis habens dominium absolutum temporaliter super bona mobilia & immobilia, solo verbo mutat possessionem & dominium rerum temporalium; unde dicendo: Iste ager est Martini, illico ille ager qui erat Petri fit ager Martini; & ita est Martini, quòd amplius non est ager Petri: quod accidit, eò quòd dominium absolutum illius dependebat ex solo verbo & præcepto illius Regis vel principis. Ergo à fortiori, Christus Deus qui habet absolutum dominium super naturas & essentias rerum, dicendo: *Hoc est Corpus meum*, convertit substantiam panis in Corpus suum. Unde licèt usque ad illud instans illa fuit substantia & corpus panis; Tamen dictis verbis ita est Corpus substantiale Christi, quòd non est corpus panis. Et hoc accidit propter dominium quod Deus habet super substantias & essentias rerum: quia omnia dependent formaliter à Verbo Divino.

Secundò hoc probatur, in quantum ille panis & sua accidentia dependebant à Deo quoad esse existentiæ. Et ideo Deus facit quod illa substantia, quæ antè erat sub esse existentiæ ipsius panis, post consecrationem est sub esse ipsius Christi. Item, illa accidentia, quæ antè erant in substantia panis, post consecrationem manent sine subjecto, & existunt per illud esse existentiæ, per quod antè existebant in subjecto. Et sic illa accidentia habent eandem existentiam, sed non eandem inexistentiam, sive inhærentiam: & licet existant per illud esse influxum & creatum, per quod antè existebant: tamen non inexistunt nec inhærent subjecto alicui: & sic manent accidentia cum eadem existentiâ creatâ, sed non cum eadem inhærentia. Et sic patet, quòd in tali consecratione nihil corrumpitur, nec annihilatur. Nam ibi manent eadem accidentia numero sub eodem esse actualis existentiæ. Et ideo non fit corruptio accidentium, nec fit corruptio substantiæ, quia alia non generatur: sed illa quæ erat substantia panis, transubstantiatur in corpus substantiale ipsius Christi: quæ est altera pars compositi. Et sic nec convertitur in animam Christi, nec in Verbum divinum &c. Nec fit aliqua nova creatio, quia nullum esse novum acquiritur: quia Christus jam præexistebat: nec acquiritur novum esse in accidentibus, quia sub eodem esse existentiæ remanent, licèt non sub eadem inhærentia. Et sic patet, quòd Christus, qui est Verbum Dei incarnatum, solo verbo potuit transubstantiare substantiam panis in Corpus suum. Et ideo est dicendum, quòd Deum posse transubstantiare panem in Corpus suum, non est Articulus fidei: sed quòd Christus hoc fecerit, & quotidie ex Verbis Christi hoc fiat in Sacramento Altaris, hoc est Articulus fidei: eò quòd præsupponit Christum esse Deum; & ex sola fide & authoritate Scripturæ credimus, quòd ita fiat de facto: & hoc non solùm authoritate Scripturæ Novi, sed etiam Veteris Testamenti.

Nota.

David illud Sacramentum figurat.

Unde licèt hoc Sacramentum multis signis & figuris in Lege fuerit figuratum: tamen David verbis manifestis ipsum expressit *Psalm.* 21. cùm dixit: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: corda eorum vivent in sæculum sæculi.* Et infra: *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram &c.* Ubi manifestè ostenditur, quòd fideles debebant manducare & adorare Deum

Deum suum &c. Item *Psalm.* 71. postquam prædixit Messiam futurum Deum & hominem, & adorandum ab omnibus A Gentibus & Regibus mundi; postea subdit, quòd iste Rex Messias erit *frumentum*, & triticum, & torta panis *in summis montium* & super capita Sacerdotum &c. prout ibi per plures Translationes fuit expressum.

Et sic patet, qualiter hoc Sacramentum non solum est possibile: sed etiam multipliciter in Lege & Prophetis est figuratum & prænuntiatum. Et sic patet, quòd Christiani non adorant panem, sicut cæci Judæi mentiuntur: sed adoramus Christum consecratum sub illis accidentibus. Unde ex omnibus supradictis patet veritas Christianæ Religionis. Nam nos non adoramus tres Deos; B sed solum unum Deum simplicissimum in substantia & essentia in Trinitate Personarum, quæ nullo modo multiplicant substantiam in Deo, sicut dictum est. Nam Filius est Verbum Patris ipsi consubstantiale, & Spiritus sanctus est Amor utriusque. Et sic non potest esse alia substantia, nec alius Deus. Et ideo si miseri Judæi perciperent mysterium Creationis, de necessitate perciperent mysterium Trinitatis, quod multipliciter exprimitur in Lege & Prophetis.

Item, si miseri Judæi intelligerent modum creationis, non haberent pro impossibili mysterium Incarnationis: quia incarnatio nihil aliud fuit nisi formatio C Corporis Christi ex puris sanguinibus Virginis virtute Spiritus sancti, & creatio illius animæ in illo corpore: ex quibus resultavit vera humanitas, quam per se personavit & suppositavit Verbum Patris: Et sic mansit una sola Persona in duabus naturis: & per consequens Christus est verus Deus & homo. Et sic tamquam Deus fecit miracula, & scivit cogitationes hominum, & convertit panem in Corpus suum, & expoliavit infernum &c. Sed in quantum homo fuit passus, & mortuus, & sepultus: Sed in quantum Deus resurrexit in virtute propria, & ascendit in cœlum: & in quantum Deus adoratur in illa humani- D tate, prout infra patebit.

Ex supradictis patet possibilitas, & inconcussa veritas articulorum fidei Christianæ Religionis: quia Christiana Religio non credit tres Deos: sed unum Deum in substantia, & essentia, & entitate cum Trinitate Personarum relativarum, eo modo quo dictum est. Et ita credit Christum Deum incarnatum in unitate Personæ: & ita credit Christum consecratum in Sacramento Altaris: in quo Sacramento ex vi consecrationis sola substantia panis conversa est in solum Corpus Christi, accidentibus sine subjecto remanentibus: quàm conversionem E facit efficienter solus Christus Deus & homo: Sacerdos autem concurrit tamquam minister.

Ex istis patet etiam possibilitas cæterorum articulorum, quæ habent fundamentum in mysterio Incarnationis. Nam dato, quòd Christus sit verus Deus & homo, tunc omnia redduntur possibilia. Et sic à primo usque ad ultimum omnes Articuli fidei fundantur in Articulo Trinitatis: & Articulus Trinitatis fundatur in illa primâ veritate necessariâ, scilicet, quòd Deus est actus purus, intelligens & intelligibilis, & amans & amabilis, & summum bonum. Et sic patet, quòd licèt Articuli Fidei non sint de facto demonstrabiles; tamen eorum possibilitas F est necessaria: quia Deus licèt necessariò non creaverit mundum ex tempore, nec fuerit necessariò incarnatus: tamen necessariò habet potentiam omnia ista faciendi, in quantum omnipotens. Et sic ex tali omnipotentiâ præsuppositâ potest demonstrari possibilitas Articulorum. Unde si Deus est Trinus, & Unus & omnia dependent à Divino Verbo quoad totum suum esse: Ergo dicendo solo Verbo potuit omnia non solùm ab æterno, sed etiam ex tempore creare de nullo subjecto, nec materiâ præsuppositâ. Item, si Deus potest omnia creare de nihilo, non solùm quoad esse essentiæ, sed etiam potest res sustentare per esse creatum & G influxum: Ergo potest unam essentiam creare, & sustentare per suum esse increatum. Et sic potuit formare illud Corpus ex puris sanguinibus Virginis, & creare & infundere in eo novam animam absque aliquo esse subsistentiæ & personali creato, sed sustentare & personare illam humanitatem per personalitatem Verbi. Et sic Incarnatio nil aliud fuit, nisi creatio humanitatis conditionatæ sub personalitate Verbi. Et sic mansit una sola Persona in duabus naturis in Christo. Et sic patet possibilitas & veritas Articuli Incarnationis. Et tunc ex isto Articulo sequitur possibilitas omnium aliorum Articulorum sequentium. Nam si Chris- H tus est Deus & homo: Ergo potuit mori in quantum homo: quia potuit anima à corpore separari: Et in quantum Deus potuit resurgere, & animam recuperare in corpore assumpto: & sic propriâ virtute potuit spoliare infernum & ascendere in cœlum. Et in quantum Deus potuit panem in suum corpus assumptum transubstantiare. Et poterit omnia sua membra resuscitare & beatificare &c.

Sed restat dubium de Articulo Trinitatis: quia ex ea infallibili veritate, scilicet, quòd Deus est summe intelligens se, & diligens se, non solùm sequitur possibilitas Articuli Trinitatis; sed etiam ne-

Quomodo cæteri articuli reddantur possibiles in Articulo Trinitatis.

necessitas ejusdem : quia Deus Pater intelligendo se , necessariò dicit Verbum de tota essentia & substantia & scientia A sua per modum naturæ ; & diligendo se, necessariò cum Verbo producit & spirat Spiritum sanctum , licèt per modum voluntatis & libertatis : & sic utraque productio & emanatio est necessaria. Itaque Articulus Trinitatis non solùm est possibilis , sed etiam necessarius , & per consequens demonstrabilis : & sic sequeretur , quòd non esset Articulus Fidei.

Credere Trinitatem quomodo est Articulus Fidei.

Ad hoc dicunt aliqui , quòd Deum esse Trinum & Unum , non est Articulus Fidei , cùm hoc fuerit per naturam notum antiquis Philosophis ex illa prima veritate , prout suprà dictum est : sed istas tres Personas esse realiter distinctas in una simplici substantia , est Articulus Fidei. Alii autem dicunt , & forsan se- B curiùs , quòd Deum esse Trinum & Unum, est necessarium , eo modo quo dictum est , & per consequens demonstrabile. Sed licèt hoc sit demonstrabile in Theologia Dei & Beatorum , ubi beati vident notitiâ meridianâ Verbum naturaliter originari à Patre , & Spiritum sanctum liberè ab utroque , ut inquit *Augustinus* in libello *de Triplici habitaculo*: tamen non est demonstrabile in nostra Theologia viatorum , sed firmiter credibile , postquam nobis est in utroque Testamento revelatum , & per Christum confirmatum. Sed est advertendum , quòd licèt mysterium Trinitatis si demonstrabile in patria , eo modo quo dictum est ; tamen C hoc non est demonstrabile per causam *à priori* : quia ibi nulla est causa , sed principium. Nam licèt Pater sit principium Filii ; tamen non est causa ejus. Et sic est dicendum de utroque respectu Spiritus sancti. Ex supradictis ergo patet possibilitas , & inconcussa veritas , & integritas Fidei Christianæ : quia licèt factum non possit demonstrari: tamen possibilitas ejus potest quasi demonstrari. Et hæc de secundo Articulo.

§. III.

Scientiæ distinguuntur penes modos considerandi.

Quantum autem ad *tertium Articulum* est primò notandum secundùm *Arist. 2. Physicor.* & *6. Metaphys.* quòd scientiæ distinguuntur pe- D nes modos considerandi & abstrahendi. Et sic diversi artifices possunt considerare de eadem re; sed aliter & aliter. Nam Mathematicus considerat lineam , quæ realiter est in materia sensibili ; sed considerat eam præter materiam præcisivè abstrahendo : quia non considerat eam, nisi prout est recta vel curva , & prout causat aliam & aliam figuram æqualem, vel inæqualem &c. Sed Philosophus considerat lineam in materia sensibili , & prout est in materia physica , & in quantum est terminus corporis mobilis. Et sic differt Physicus à Mathematico: quia E immediatè considerat formas substantiales , prout recipiuntur in materia per motum & generationem ; & formas accidentales prout recipiuntur in materia per alterationem. Ille autem considerat solas formas accidentales , scilicet , lineam & figuram , abstrahendo à materia per solam considerationem : ideo talium abstrahentium non fit mendacium , secundùm *Aristot.* Sed differt Metaphysicus ab utroque : quia considerat alia quæ sunt abstracta secundùm esse , & secundùm considerationem , scilicet , Deum , & Intelligentias , ut patet 2. *Metaphys.* Quia solus metaphysicus considerat de Deo secundùm substantiam & essentiam. Nam F licèt Physicus consideret de Deo aliquo modo ; tamen non secundùm substantiam & essentiam , sed prout est primum movens , ut patet 8. *Physicorum* & 1. *cœli.* Sed differt rursus Theologicus viator à Metaphysico : Quia licèt ambo considerent de Deo ; tamen aliter & aliter. Nam Metaphysicus considerat de Deo prout est unum tantùm primum ens simplicissimum , & actus purus , & metrum, & mensura , & causa omnium entium in essendo , & prout omnes species procedunt ab eo , sicut numeri ab unitate : à quo dependet cœlum , & tota natura , & omnia entia : ut patet per *Aristotelem* , & *Commentatorem* 2. & 6. & 8. 10. & 12. *Metaphys.* Et patet per *Avicennam* & *Algazel* in sua *Metaphys.* G Sed Theologus accipiens & præsupponens omnia supradicta à Metaphysico, considerat illam primam & summam essentiam Divinam , prout est communicata tribus Personis ab æterno : putà, prout est communicata à Patre Filio per æternam generationem , & ab utroque Spiritui sancto per aspirationem. Et sic considerat unum solum Deum simplicissimum in substantia , & trinum in Personis , & prout est causa efficiens , & principium omnium rerum per creationem ex tempore.

Considerat præterea Deum in Filio : id est , qualiter Verbum assumpsit humanitatem in unitate personæ : & per H consequens sicut considerat unam substantiam in tribus personis in Deo ; ita considerat duas naturas in Christo sub una persona. Item , sicut considerat tres personas in unâ substantiâ & naturâ divinâ : ita considerat duas naturas in una persona Filii , naturam scilicet divinam, & humanam. Item , sicut considerat unum Deum in Trinitate : ita considerat divinum Verbum in humanitate assumptâ. Item rursus considerat istum Christum Deum & hominem fuisse pro nostra redemptione in cruce crucifi-

xum,

xum ; & sic considerat Verbum in humanitate personaliter unitum. Item, consideratChristum crucifixum & conclavatum. Item rursus considerat, qualiter Christus est in Sacramento altaris sub illis accidentibus post verba consecrationis : & sic considerat Christum consecratum in Sacramento. Ex quibus omnibus patet, quòd consideratio Theologica aliquo modo est substantialis physicæ considerationi.

Nam sicut Physicus considerat formas in materia, & ut in materia sunt, & non præter materiam : ita Theologus considerat Deum in tribus personis, & non præter tres personas : nec considerat unam personam sine altera, cùm sint adinvicem relativa : & ita pariter considerat Verbum in carne & humanitate, & non præter illam humanitatem assumptam, ut inquit *Hieronymus in Sermone de Assumptione Virginis Mariæ*. Et ita etiam considerat Christum consecratum in Sacramento, & non præter Sacramentum, & illa accidentia, ut inquit *Augustinus in Sententiis Prosperi*. Et ita pariter Theologus & Christianus considerat Christum Redemptorem & in cruce affixum, & non præter crucem. Unde sicut de ratione formæ generabilis & corruptibilis philosophicè consideratæ est, quòd sit in materia physicâ & sensibili : ita de ratione Dei Theologicè, & à viatore fideli considerati, est, quod sit trinus & unus in Trinitate personarum ; & de ratione Verbi incarnati, quòd sit in humanitate : & de ratione Christi consecrati, quòd sit sub accidentibus : & de ratione Christi Redemptoris, quòd sit in cruce, & ut intelligatur, & consideretur, & contempletur in cruce.

Ex consideratione sequitur fides.

Sed quia ex consideratione & contemplatione sequitur fides & credulitas in Theologo Christiano, quia fides præsupponit considerationem : ideo Christianus sicut considerat Deum, ita credit ipsum. Sed quia considerat & contemplatur Deum trinum & unum, & incarnatum in Filio ; & contemplatur Christum crucifixum, & consecratum in Sacramento altaris : ideo firmiter credit unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate : & credit Verbum incarnatum, & per consequens Christum verum Deum & hominem : & credit Christum crucifixum in cruce : & credit verum Christum Deum & hominem esse in Eucharistia : & per consequens non credit Deum sine Trinitate personarum ; nec credit Verbum sine humanitate assumptâ : nec Christum consecratum sine accidentibus sacramentalibus : nec credit Christum Redemptorem & crucifixum sine cruce.

Sed quia Adoratio præsupponit Fidem in Christiano, quia sicut credit Deum ita adorat : Ergo sicut Christianus credit Deum trinum & unum, ita adorat ; aliter esset falsa adoratio. Et sicut credit Deum incarnatum, & credit Christum esse Deum & hominem, scilicet Deum incarnatum ; ita adorat Deum incarnatum, & ita adorat Christum crucifixum in cruce, & consecratum sub accidentibus in altari &c. Et per consequens sicut non adorat Deum præter Trinitatem, nec unam personam sine aliâ : ita non adorat Verbum sine humanitate, neque Christum Redemptorem sine cruce : quia sicut humanitas coexistit personaliter in Verbo ; ita crux coexistit triumphaliter Christo Redemptori : & per consequens, sicut humanitas Christi coexistit Verbo, qui est principalis terminus adorationis ; ita crux coexistit Christo in adorando, sicut in credendo. Et ita est dicendum de accidentibus sacramentalibus in Eucharistia.

Ex quibus patet, quòd Christianus in suo termino adorationis includit Trinitatem Personarum, & humanitatem Christi, & crucem, & accidentia sacramentalia in Eucharistia. Et ideo omnia ista dicuntur adorari cum principali termino adorationis, ut magis patebit.

Nota.

Sed ulterius est valde advertendum secundùm *Aristot.* & *Commentatorem* 1. *Physicor.* quòd licèt physicus consideret formas in materia : tamen per se non potest, nec valet intelligere seorsum materiam, nisi per analogiam ad formam : & ratio est. Nam nihil potest intelligi, nisi prout est ens in actu : quia unumquodque tantum habet de intelligibilitate, quantum habet de entitate : Sed materia prima de se non est ens, nec quid, nec qualis, nec quanta ; & ideo sicut de se non habet entitatem, ita non habet intelligibilitatem. Nec est nihil. Nam licèt non sit ens actu : tamen est ens in potentia. Et ideo est *prope nihil* secundùm *Aristotelem* & *Augustinum*, & sic tenet medium inter ens & nihil, secundùm *Commentatorem*, in quantum potest habere esse per formam, à qua dependet in essendo, & per quam habet esse specificum & reponitur in Prædicamento. Et ideo sicut dependet à forma in essendo, ita in intelligendo. Et ideo dicit *Aristot.* quòd non potest intelligi, nisi per analogiam ad formam, in quantum simul intelligitur cum forma, à qua habet esse & entitatem.

Nota de Christi humanitate.

Ita ergo pariter est dicendum de humanitate Christi. Nam de se seorsum nullam habet rationem adorationis : quia ratio adorationis competit soli Deo ratio-

tione summæ omnipotentiæ, & æternitatis &c. sed illa humanitas secundùm essentiam suam & substantiam non est A Deus, nec æterna, nec omnipotens; immò est creata ex tempore: sed quia recepit esse personale Divinum, per quod illa humanitas personatur & suppositatur; ideo, sicut materia prima efficitur intelligibilis per analogiam ad formam, à qua recepit esse actuale & entitativum, in quantum intelligitur simul cum forma, quæ per se intelligitur: Ita pariter humanitas Christi efficitur adorabilis per analogiam ad Verbum, à quo habet esse personale, in quantum simul cum Verbo adoratur, cui personaliter coexistit tamquam termino adorationis. Nam adoratio terminatur ad personam Verbi: & sic B sicut forma materialis intelligitur, ita Verbum incarnatum adoratur. Et sic sicut ratio intelligibilitatis principaliter attribuitur formæ, sed analogicè attribuitur materiæ actuatæ: ita pariter ratio adorationis principaliter attribuitur Verbo Divino; sed analogicè attribuitur humanitati assumptæ.

Hanc vero sententiam confirmat Beatus *Hieronymus* in *Sermone de Assumptione Virginis, circa medium.* Ubi ait: *Quapropter nec nos hominem seorsum colimus quod nefas est, nec adoramus: sed magis Verbum incarnatum, qui proprium sibi corpus animatum univit, ita ut Deus caro fieret, & non in alium quemlibet, sed in semetipsum, qui* C *unus & verus Dei Filius semper erat. Idcirco non alium, quàm eumdem ipsumque Dei Filium colimus, & adoramus: qui nihil in se pro assumpturo homine est auctus, nihilque, quod Verbum caro factum est imminutus vel immutatus: & ideo unus idemque semper cum Patre Filius adoratur. Sed unus idemque Christus Filius Dei atque hominis filius, qui & Divina gessit & humana. Siquidem inseparabiliter atque indivisè communes Christus habuit actiones: sed intelligendæ sunt operum qualitates, contemplandumque est semper, ad quæ probatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo divinitatis: ita ut per omnem textum* D *sancti Euangelii videatur nihil caro sine Verbo agere, neque Verbum sine carne quicquam efficere. Unde quod concipit & parit Virgo, sicut non sine potentia Verbi est, ita non sine veritate carnis nascitur &c.*

Humanitas non est adorationis terminus.

Ex supradictis patet, qualiter sicut Verbum non est sine humanitate, ita non adoratur sine ipsâ, licèt Verbum per se & principaliter adoretur. Et sic patet, quòd illa humanitas non adoratur per se, nec est terminus adorationis principalis: sed quia includitur & coexistit termino adorationis: sic adoratur per analogiam ad Verbum Divinum, cui personaliter coexistit, & à quo personaliter E & analogice dependet & suppositatur.

Et ita pariter est dicendum de accidentibus in Sacramento Eucharistiæ: nam licèt accidentia nullo modo de se habeant rationem adorationis, cùm sint res creatæ: tamen quia Christus consecratus est sacramentaliter in eis, vel sub eis; non quòd illa accidentia sint in Christo tamquam in subjecto, cùm existant miraculosè sine subjecto: nec quòd Christus sit in eis tamquam in loco, sed est in eis tamquam in Sacramento. Unde sicut de ratione Verbi incarnati est quòd sit in humanitate: ita de ratione Christi consecrati est, quòd sit sacramen- F taliter sub illis accidentibus: nam destructis accidentibus non manet amplius Christus consecratus ibi. Et ideo dicit *August.* in *Sententiis Prosperi*, quòd *Sacramentum Altaris ex duobus constat, scilicet ex Sacramento*, id est, ex illis accidentibus sacramentalibus: *& ex re Sacramenti*, scilicet, ex Christo ibidem consecrato, sub illis accidentibus, & sub illo Sacramento latente: & sic patet, quòd de ratione Christi consecrati est, quòd sit sub sacramentalibus accidentibus. Sed quia dictum est superius, quòd Deus sicut consideratur & creditur, ita adoratur; eò quòd fides præcedit adorationem & latriam: ideo sicut fidelis G Christianus credit esse Christum Deum & hominem in illo Sacramento, & cum illis & sub illis accidentibus, ita adorat ipsum. Et ideo Christianus non adorat illa accidentia seorsum: sed Christum consecratum sub illis accidentibus, sive in illo Sacramento. Et sic patet, quòd illa accidentia non adorantur de se, nisi per analogiam ad Christum consecratum, in quantum sunt quasi tabernaculum ejus.

Accidentia non adorantur.

Et ita etiam pariter est dicendum de cruce. Nam crux de se & seorsum nullam habet rationem adorationis, nec ratione materiæ ligneæ, aut argenteæ, aut lapideæ: nec ratione formæ, sive figuræ, quæ est quædam qualitas de H quarta specie: & sic tam quoad materiam, quàm quoad formam est pura creatura. Et ideo de se nullam habet rationem adorationis. Sed fidelis Christianus per analogiam ad Christum adorat illam humanitatem, id est, Deum in humanitate, sive Deum humanatum & incarnatum: & sic semper habet Deum pro principali objecto adorationis, eo modo quo dictum est. Nam dictum est, quòd consideratio & contemplatio præcedit fidem, & fides præcedit cultum Latriæ & adorationem. Et ideo fidelis Christianus videns crucem, contemplatur

Nota de Cruce.

& considerat Christum in cruce pendentem & extensum : & sic adorat Christum crucifixum & extensum in illa cruce. Et sic illa crux quam intuetur, coexistit & includitur termino adorationis, qui est Christus ibi contemplatus & creditus. Et sic simul adorat crucem cum Christo, vel propter Christum : unde Christianus non adorat Christum propter crucem, sed crucem propter Christum, quem principaliter & per se intendit adorare extensum, & crucifixum in illa cruce. Ideo dicit *August. in Sermone de Martyribus*, qui incipit : *In omnibus scripturis &c.* Quod *sicut quando Moyses suspendit serpentem in ligno in eremo, populus qui attendebat serpentem, sanabatur à morsu serpentum: ita modò quemcumque momorderit astutia satanæ intueatur Christum in cruce pendentem, & sanabitur &c.*

Modò clarum est, quòd Christianus non potest Christum intueri pendentem in cruce, nisi per contemplationem & fidem ; & per consequens Christianus sic adorat Christum pendentem & extensum in cruce, & sic adorat Christum crucifixum in illa cruce contemplatum & consideratum : & per consequens adorat crucem simul cum Christo, & per consequens per analogiam ad Christum. Unde si quis vellet adorare quandam crucem, non considerando, nec credendo crucifixum, illa talis adoratio esset falsa & sacrilega.

Et ideo Ecclesia in hymnis & Canticis & Antiphonis numquam nominat crucem, quin memoret Christum in ea pendentem, ut ibi : *Pange lingua gloriosi prælium certaminis*, per totum. Et sic etiam Beatus *Andræas* quando perductus est ad crucem, in qua erat crucifigendus, dixit : *Salve crux pretiosa in, qua pependit Magister meus Christus, quæ membris Domini mei Jesu Christi tamquam margaritis ornata fuisti &c.* Modò manifestum est, quòd Christus non fuit crucifixus in illa materiali cruce, in qua erat beatus Andræas crucifigendus ; sed quia *beatus Andræas* contemplabatur Christum in ea extensum & crucifixum ; ideo genibus flexis Latriæ adoratione adorans eam, id est Christum crucifixum in ea, dicebat : *Salve crux pretiosa &c.* Ex quibus patet, quòd sicut illi clavi materiales conjunxerunt Christum, & affixerunt ipsum Christum ipsi cruci : ita contemplatio & fides beati Andreæ conjungebat & affigebat Christum in illa cruce : & sic adorabat Christum in illa cruce, & crucem per analogiam ad Christum. Et sic adorat quilibet fidelis Christianus.

Crux nec etiã Christi humanitas est adoranda.

Item, non solùm crux separata à Christo non est adoranda, de qua minus videtur inesse ; sed etiam si humanitas Christi separaretur à Verbo per aliquam potentiam, non esset adoranda. Unde ait *Augustinus de Verbis Domini*, & allegatur *à Magistro*, 3. *Sententiarum dist.* 9. ubi ait : *Ego Dominicam carnem, immò perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia à divinitate susceptа, & deitati unita est : ut non alium & alium, sed unum, eundemque Deum & hominem Dei Filium esse confitear. Denique si hominem separaveris à Deo, illi numquam credo, nec servio. Velut si quis purpuram, vel diadema regale jacens inveniat, nunquid eam conabitur adorare ? Cum verò eâ Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si eam cum Rege adorare quis contempserit : Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam, vel nudam, sed deitati unitam, scilicet Filium, unum Deum verum & hominem verum si quis adorare contempserit, æternaliter morietur.* Ex quibus verbis Augustini patet, quòd si humanitas separaretur à Verbo, non esset adoranda : Ergo minùs est adoranda crux à Christo separata, nisi consideretur Christus crucifixus in ea : nam sicut humanitas Christi in tantum adoratur, in quantum est unita Verbo : ita crux adoratur, in quantum Christus intelligitur & contemplatur crucifixus in ea. Nam in stabulo sunt multæ paleæ cancellatæ ad modum crucis : tamen nullus illas cruces adorat, postquam in eis non considerat, nec contemplatur Christum crucifixum : quia in veritate sicut Verbum, sive Deus incarnatus, est ille qui verè & per se adoratur : ita Christus crucifixus verè adoratur.

Et sic patet, quòd omnes istæ locutiones sunt intelligendæ, non ad sensum quem faciunt, sed in sensu in quo, sive ad quem fiunt. Unde ista locutio : *Christus homo adoratur*, est sic intelligenda, & verificanda : scilicet, *Deus incarnatus & humanatus*, sive *Deus factus homo adoratur.* Ita etiam ista : *Sacramentum Eucharistiæ adoratur*, est sic intelligenda & exponenda : scilicet, *Christus consecratus adoratur* : aut *Christus sub Sacramento adoratur.* Item ista locutio : *Crux adoratur*, est sic exponenda ad sensum in quo fit : scilicet, *Christus crucifixus adoratur & colitur.* Et sic istæ locutiones, & actus Latriæ nullum afferunt inconveniens : quia communicantur idiomata ratione unionis. Nam licèt talia idiomata, quæ soli Deo per se conveniunt, communicentur creaturæ propter unionem ad Deum ; tamen non verificantur absolutè de aliqua creatura, nisi per analogiam ad Deum, cui unita est illa creatura. Unde licèt Christus Deus homo & dicatur Creator, & æternus;

nus ; tamen non in quantum homo, sed in quantum Deus. Et sic adoratur Christus Deus & homo, non ratione humanitatis, sed ratione Divinitatis. Et sic adoratur Christus crucifixus, non absolutè ratione crucis, sed ratione Divinitatis, in quantum Deus. Et sic adoratur humanitas Christi per analogiam ad Verbum, cui personaliter unitur. Et sic etiam dicitur crux adorari per analogiam ad Christum, cui triumphaliter unitur. Nam sicut *ex specie intelligibili & intellectu fit unum in actu, & intelligendo*, ut ait *Arist. 9. de Anima* : ita ex cruce & Christo factum est unum, in quantum Christus univit & induit crucem ad pugnandum & ad vincendum & triumphandum de diabolo. Et ideo sicut Christus Redemptor consideratur incarnatus : ita Christus triumphator consideratur crucifixus : & ideo sic adoratur simul cum humanitate & cruce, eo modo quo dictum est.

Adorando Christum adoratur Deus incarnatus.

Per supradicta ergo patet responsio ad miseros & cœcos Judæos, & cæteros Infideles : quia Christiana Religio non adorat hominem purum seorsum, quando adorat Christum : sed adorat Deum incarnatum & humanatum. Nec adorat panem in altari : sed adorat Christum consecratum in illo Sacramento sub illis accidentibus, quæ ante consecrationem fuerunt panis, quæ modò sunt miraculosè sine subjecto. Nec Religio Christiana adorat lignum, aut lapidem, quando adorat crucem : sed adorat Christum Deum & hominem, quem contemplatur crucifixum & extensum in illa cruce, secundùm *Augustinum*. Et sic nec adoratur ibi Christus sine cruce, nec crux sine Christo, immò per analogiam ad Christum, sicut materia intelligitur per analogiam ad formam. Sed miseri Judæi & Saraceni non sunt digni attingere tantum sacramentum & mysterium. Et ideo nos agamus gratias, *quibus datum est nosse mysterium Regni Dei.*

Sed est valdè advertendum, quòd major ratio adorationis reperitur in humanitate Christi assumptâ, quam in cruce, aut accidentibus Sacramentalibus Eucharistiæ. Nam licèt ex Christo & accidentibus fiat unum Sacramentum, & ex Christo & cruce fiat unus triumphator: tamen non fit una Persona, sicut ex Verbo & humanitate. Ideo est magna differentia in tali unione, & analogia.

Responsio ad argumenta de imaginibus.

Quantum autem ad argumentum, quòd faciunt Judæi & Saraceni *de Imaginibus* est advertendum, quòd tripliciter repræsentantur nobis res absentes, aut præteritæ, & etiam futuræ. Primò, per vocem & locutionem. Secundò, per scripturam, sive lecturam. Tertiò, per imagines & picturas. Et sic percipimus voces per auditum ; & picturam, & scripturam per visum : qui quidem duo sensus maximè sunt sensus disciplinæ : ut patet in *Prologo Metaphysicæ*, & in libro *de Sensu & sensato*, eò quòd maximè deserviunt intellectui ad sententiam, & notitiam rerum capessendam. Intellectus ergo cujuscumque fidelis per visum percipit gesta Patriarcharum & Prophetarum, & gesta Christi, & sanctorum repræsentata in picturis, aut in scripturis ; & per auditum percipit eadem repræsentata per voces. Et sic intellectus pius cum voluntate inhærens, credit firmiter ea quæ sibi sunt repræsentata. Et sic adorat Deum Creatorem & Redemptorem, prout credit per illa repræsentantia : quia actus Latriæ licèt sit actus voluntatis ; tamen quia includit & præsupponit fidem, ideo est actus simul intellectûs & voluntatis, & totius partis rationalis, cui deserviunt sensus exteriores repræsentando res absentes. Et sic patet, quòd pars rationalis, scilicet, intellectus, & voluntas, & memoria, non adorat, nec colit imagines & picturas, aut litteras scriptas, quas visus videt, nec adorat voces quas auditus percipit ; sed adorat Deum, sive Christum, qui per illas picturas, aut imagines sculptas, aut scriptas, aut per voces intellectui repræsentatur. Unde quando profertur hoc nomen *Jesus*, omnes flectimus genua, adorando Christum Deum & hominem adoratione Latriæ : tunc manifestum est, quòd non adoramus hoc nomen *Jesus* vocale habens duas, aut tres syllabas fluxibiles : sed adoramus Christum Verbum incarnatum, per illas syllabas significatum, qui manet in æternum in se realiter, & in nostro intellectu & memoriâ objectivè, ut inquit *Augustinum super Joannem*. Ita ergo pariter, non adoramus imaginem Christi ligneam, aut lapideam ; sed Christum verum per illam imaginem repræsentatum. Et ideo dicit *Augustinus*, quòd *fideles Christiani habeant oculos ad imaginem & picturas, sed cor fixum in Deo: quia quod conferunt scripturæ peritis & doctis, hoc idem conferunt picturæ & imagines plebeis, & popularibus, & indoctis : quia picturæ sunt scripturæ populorum.* Unde intellectus & intentio Fidelis Christiani non manet, nec terminatur in imagine, aut pictura : sed transit in Christum repræsentatum per picturam : & sic contemplando imaginem adorat Christum.

Triplicater repræsentantur nobis res absentes.

Secus autem est de imaginibus sanctorum : nam quando fidelis & devotus Christianus contemplatur picturas & imagines sanctorum, non adorat imagines, nec sanctos adoratione Latriæ ; sed veneratur sanctos, & rogat ut orent Deum

pro eo, & repræsentent Deo orationes quas facit.

Et sic patet, qualiter Religio Christiana adorando Christum, non adorat hominem seorsum, sed Deum incarnatum & humanatum: & quando adorat Christum in Altari, non adorat panem, nec accidentia panis; sed adorat Christum consecratum in illo Sacramento sub illis accidentibus sacramentalibus: quæ nec sunt subjectivè in Christo, nec Christus in eis localiter, sed sacramentaliter: immò illa accidentia manent miraculosè sine subjecto, postquam sola substantia panis fuit conversa in Corpus Christi, prout supra dictum fuit. Et ita pariter quando dicitur crux adorari, non adorat Religio Christiana crucem seorsum, sed Christum crucifixum, quem in cruce contemplatur extensum & affixum. Et sic non adorat creaturam, sed Deum unitum creaturæ, aut personaliter, aut sacramentaliter, aut triumphaliter, eo modo quo dictum est.

§. IV.

RESPONSIO AD ARGUMENTA.

EX omnibus supradictis in hac Quæstione patet responsio ad argumenta in principio facta: nam per ea quæ dicta sunt in *primo Articulo* patet responsio ad primum & secundum argumentum: quia Lex Euangelica est dignior Lege Moysi magnitudine miraculorum, & certior certitudine Legislatoris, & testium, & scriptorum.

Ad primum & secundum.

Ad tertium.

Item, per dicta in *secundo Articulo*, patet responsio ad tertium argumentum: quòd Lex Euangelica in ordine suorum Articulorum credibilium est possibilis, & rationabilis, & vera, fundata super quandam veritatem necessariam & impossibilem aliter se habere.

Ad quartum.

Item, ex dictis in *tertio Articulo* patet responsio ad quartum argumentum: quòd Lex Euangelica est pia & religiosa in sua fide & cultu: quia in humanitate Christi adorat Deum incarnatum, & in altari Christum consecratum: & in cruce Christum crucifixum. Et sic semper adorat unum verum Deum, licèt sub aliquo respectu. Per imagines etiam non adorat, sed veneratur sanctos per illas imagines & picturas repræsentatos.

Et sic Religio Christiana semper manet castissima in suo cultu.



Epilogus totius Operis.

EX omnibus ergo supradictis in toto isto Tractatu patet, qualiter Lex Moysi quoad omnia cærimonialia & officia debuit cessare per adventum Christi: eò quòd omnia sacrificia & sacramenta non fuerunt data, nisi in signum fidei Christi futuri: ideo de se non poterant hominem justificare nisi in fide Christi futuri, prout probatum est in *prima Quæstione* hujus Tractatus. Item patet, qualiter sabbatum usuale debuit cessare celebrari in die septimo post resurrectionem Christi: eò quòd cum Pascha mansit incineratum in sepulchro, & ibi complevit officium & cursum suum: ideo debet celebrari dies Dominica, eò quòd surrexit simul cum Christo. Et sic est dicendum de cæteris legalibus festivitatibus: quæ omnia fuerunt data in signum, & ideo compleverunt officium & cursum suum in Christo, qui fuit finis & terminus legis, prout dictum fuit in *secunda Quæstione*. Item patet, qualiter illa terra promissionis materialis & terrena non fuit præcisum præmium Patriarchis & Prophetis promissum: sed erat figura futurorum bonorum spiritualium, quæ omnes fideles acceperunt in Christo post resurrectionem, propter fidem & spem quam habuerant de Christo futuro. Unde propter observantiam Legis dabatur eis illa temporalis terra: sed propter fidem Christi futuri promittebatur eis *terra viventium* in cœlo per illam terram promissionis significata.

Et sic omnia promissa in Lege erant spiritualiter intelligenda: quæ quidem bona Christus erat daturus, prout dictum est in *Quæstione tertia*. Item patet, quòd Jesus Christus fuit Messias in Lege promissus: eò quòd implevit omnia quæ de eo scripta erant in Lege & Prophetis, prout probatum est in *quarta Quæstione*. Item patet, qualiter Lex Euangelica meritò debuit succedere Legi Moysi: eò quòd dignior est in miraculis, & certior certitudine scriptorum, & testium: & quia est veritas Legis & Prophetarum. Et sic patet, qualiter est verissima in sua fide & credulitate, & sanctissima, & castissima in suo cultu & adoratione, prout probatum est in hac *ultima Quæstione*.

Et sic etiam patet, qualiter Judæi manent confusi & cæci in sua ignorantia affectata & præparata. Quia obcæcavit eos malitia eorum, ne intelligerent sacramenta Dei, quæ latent in Lege & Prophetis. Et sic manent hæretici: eò quòd manifestè deviant à veritate Legis & Prophetarum, & à fide quam habuerunt Patriarchæ & Prophetæ de Christo,

to, quem Apostoli & Discipuli receperunt in suo adventu: quæ fuit repromissio & hereditas bonorum spiritualium A gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: de quibus loquitur Lex & Prophetæ.

Corollarium ex præmissis.

ITem ex supradictis etiam sequitur quædam alia corollaria Conclusio: scilicet, quod omnes Judæi moderni sunt hæretici in Lege Moysi & Prophetis. Probatur. Nam deviant à veritate Sacræ Scripturæ Legis & Prophetarum. Ergo sunt hæretici. Tenet consequentia. Nam hæresis nil aliud est, nisi deviatio à veritate Sacræ Scripturæ utriusque Testamenti. Antecedens probatur. Nam omnes Patriarchæ & Prophetæ vixerunt in fide B Christi futuri, expectantes ut eos redimeret à servitute peccati, & morte æternâ, & acciperent ab eo repromissiones, scilicet, gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, ut probatum est. Sed Judæi moderni, & sui prædecessores contempserunt Christum, & humanam redemptionem, & omnia bona gratiæ, & gloriæ: & expectant falsum Messiam qui tribuat eis bona temporalia: Ergo totaliter contradicunt veritati Sacræ Scripturæ Legis & Prophetarum, & fidei & spei illorum: Et per consequens omnes sunt hæretici, quotquot manent in eadem obstinatione post adventum Christi. Unde autem proveniat eis ista hæresis, videbitur in fine totius tractatûs. C

Judæi sunt hæretici.

Sed dubitaret fortè aliquis: unde provenit Judæis modernis talis prava & hæretica intelligentia Scripturæ Legis & Prophetarum? Ad quod respondetur, quod hoc provenit eis ex falsis & hæreticis traditionibus Scribarum & Pharisæorum, qui Christum crucifixerunt; & hoc quasi morbo hæreditario.

Unde Judæi proveniat prava Scripturæ intelligentia.

Ad cujus evidentiam est notandum secundum Josephum 18. *libro Antiquitatum*, & 2. *de Bello Judaico*: quòd circa principium regni *Octaviani* quasi per quadraginta annos ante nativitatem Christi multæ sectæ surrexerunt in Hierusalem & Judæa, & per totam terram Israel: inter quas fuerunt duæ sectæ principa- D les. Nam primo surrexit *secta Sadducæorum*, qui de Sacra Scriptura non recipiebant, nisi quinque libros Moysi: & sic spernebant totum residuum Sacræ Scripturæ veteris Testamenti, negantes Angelos esse, & futuram resurrectionem, spernentes etiam nuptias. Contra quos surrexit *secta Pharisæorum* ex filiis *Simeon*, prout dictum est *Psal.* 2. & 81. & 86. qui recipiebant omnes libros veteris Testamenti colentes nuptias, & asserentes Angelos esse, & expectantes futurum Messiam, qui omnes filios Israel debebat liberare de jugo Romanorum. E Et quia isti fingentes arctam religionem, erant divisi in habitu & modo vivendi à communi vitâ aliorum: ideo dicti sunt *Pharisæi*, id est, divisi: à *phares*, quod est divisio. Quæ quidem secta fuit valde acceptabilis populo propter simulatam & fictam religionem: in tantum quod omnes relinquebant eos executores testamentorum suorum, & tutores pupillorum, & viduarum. Et quia præ cæteris supradicti *Pharisæi* dabant studium & operam Scripturæ Legis & Prophetarum: ideo fuerunt admissi, & assumpti à Summis Sacerdotibus, & acceperunt potestatem judicandi & determinandi causas, sedentes super cathedram Moysi loco illorum Septuaginta, quos F elegit Moyses ex præcepto Dei ad judicandas, & audiendas, & discernendas causas, & ad litigia sedanda & dirimenda in populo. Et etiam acceperunt potestatem legendi, & glossandi Legem & Prophetas, & declarandi toti populo. Est verum, quòd de eadem *Tribu Simeon* fuerunt multi in Lege & Prophetis periti, qui licèt non servarent eandem Religionem cum Pharisæis quantum ad habitum, & divisum modum vivendi: tamen propter eorum peritiam & litteraturam fuerunt etiam admissi simul cum Pharisæis ad discutiendas causas & litigia, & declarandas & glossandas Sacras Scripturas. Et isti sunt dicti *Scribæ* à scribendo & ordinando scripturas causarum. Sed quia G isti Scribæ & Pharisæi alleviabant Sacerdotes ab onere & labore hujusmodi: ideo fuerunt assumpti & recepti simul cum Sacerdotibus ad portionem & partem decimarum, & oblationum. Et tunc conversi ad avaritiam incœperunt abuti officio & potestate, conantes impinguare domos suas, & augere divitias. Et sic incœperunt destruere populares, dilatando causas & litigia, & devorantes domos viduarum, & pupillorum: Et facti acceptores personarum, opprimebant pauperes, favendo divitibus propter munera.

Conversi ergo totaliter Scribæ & Pharisæi ad avaritiam & augendas divi- *Not. Contra Scribas & Pharisæos* H tias, & honores capessendos; & videntes quod observantia præceptorum cærimonialium erat magis utilis ad lucrum, & impinguandas domos eorum, quàm observantia præceptorum moralium, & hoc propter oblationes, & sacrificia, & decimas, & cætera donaria, quæ omnia eis cedebant in lucrum: Ideo decreverunt præponere præcepta cæremonialia præceptis moralibus, dicentes, quòd omnia præcepta cærimonialia, maximè præcepta oblationum & sacrificiorum respiciunt immediate Deum, & cultum ejus: Moralia autem pro majori parte pertinent

nent ad proximum : & ideo dicebant quod propter cærimonialia poterant omitti moralia. Et hoc dicebant propter avaritiam & lucrum suum : eò quòd majorem utilitatem consequebantur ex sacrificiis, & oblationibus, & decimis, & cæteris donariis quæ populus offerebat, quàm ex observantia præceptorum moralium. Et sic condiderunt plures falsas traditiones, & iniquas & hæreticas, in favorem cærimonialium, quæ totaliter contradicebant præceptis moralibus.

Hæretica Pharisæorum dogmata.

INter quas traditiones posuerunt octo, vel novem dogmata hæretica contra veritatem Legis & Prophetarum. Nam primò dogmatizabant populo, quòd magis obligabatur unusquisque ad offerenca sacrificia & oblationes Sacerdotibus, quàm ad subveniendum parentibus pauperibus, & ad largiendas eleemosynas egenis : eò quòd magis obligatur homo Deo, qui dedit nobis illa bona, quam proximo. Et sic cum falsa Religione palliabant & colorabant suam avaritiam & ambitionem. Sed hanc perfidam doctrinam & venenosum fermentum execrat & improbat Salvator *Matthæi* 15. & *Marci* 7. improperans eis istam falsam traditionem : & exortatur Discipulos, ut *caveant à fermento*, & tali falsa doctrina *Scribarum* & *Pharisæorum*. Item secundò dogmatizabant populo, quòd soli filii Abrahæ secundùm carnem erant salvandi. Et tertiò dicebant, quòd absque pœnitentia & restitutione per solas oblationes & lotiones filii Israel secundùm carnem poterant salvari, postquam solis eis facta est repromissio. Sed has duas falsas & hæreticas doctrinas execrat & improbat Beatus *Joannes Baptista*, *Matth.* 3. & *Lucæ* 3. dicens Scribis & Pharisæis : *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira ? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ : & ne velitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* In quibus verbis ostenditur hæreticam esse doctrinam Scribarum & Phariseorum : quia absque pœnitentiâ, & restitutione, & fructibus dignis pœnitentiæ nullus potest salvari per opera Legis. Item ostenditur, quòd repromissio non erat facta filiis Israel secundùm carnem, sed secundùm spiritum & fidem. Et ostendit etiam, qualiter omnes Centiles, qui adorabant idola lapidea, poterant fieri filii Abrahæ secundùm spiritum, & salvari per fidem Christi.

Item quartò dogmatizabant Scribæ & Pharisæi contra præcepta secundæ tabulæ erga proximum : unde dicebant, quòd præcepta negativa non obligabant hominem ad peccatum quoad affectum & propositum, sed solùm quoad effectum : unde licèt quis proposuerit & laboraverit occidere hominem, aut adulterari cum uxore alterius, non peccabat, postquam tale propositum & deliberatio non venerat ad effectum. Et sic nec ille erat homicida, nec iste mœchus aut adulter. Sed hanc hæreticam doctrinam & fermentum corruptivum execrat, & dicit Christus eliminandum, *Matth.* 5. cum ait Apostolis : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quasi dicat : Tenendo doctrinam falsam & hæreticam eorum, non potestis salvari : quia falsificant Legem. Nam non solùm qui occiderit hominem est reus inferni, & peccat mortaliter ; sed etiam qui irascitur fratri suo : aut cum ira aut odio dixerit *racha*, aut *fatue* &c. Et sic docet Christus, quòd hæretica est & falsa illa doctrina, & intelligentia Pharisæorum, quæ solùm prohibet manum & effectum. Item non solùm qui actualiter coit cum muliere est mœchus, vel adulter ; sed *quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Pharisæi contra præcepta secundæ tabulæ dogmatizabant.

Item quintò dogmatizabant, quòd dicere mendacium non erat peccatum, nisi fieret cum perjurio : putà, jurando per Deum, aut per Hierusalem, aut per cœlum, aut per templum. Hanc autem falsam doctrinam execratur Christus, dicens, non solùm omne juramentum illicitum est peccatum mortale ; sed etiam omne mendacium : quia nostrum affirmare & negare non debet esse cum juramento, nisi in causa necessaria ; sed solùm : *Est, est*, aut *non, non* : quasi dicat, quòd negando veritatem, aut affirmando quod non est, peccatum est, licèt non fiat cum juramento.

Pharisæi dicebant mendacium non esse peccatum.

Item sextò dicebant, quòd odire inimicum non erat peccatum, nec contra præceptum Dei : quia Deus non dicit nisi : *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, *Levit.* 19. Ergo non prohibet quin habeamus odio inimicum ; & per consequens non est peccatum &c. Hanc falsam doctrinam execratur Christus dicens, quòd non solùm tenemur diligere amicum, sed etiam inimicum, orando pro eo, ut Deus convertat eum ad viam salutis : quia licèt peccatum sit abhorrendum & destruendum in homine : tamen natura est diligenda propter Deum, ad cujus imaginem facta est.

Item septimò dicebant, quòd absque peccato unusquisque poterat vindicare se de inimico, & evellere inimico *dentem pro dente, & oculum pro oculo &c.*

quia

quia ad hoc obligatur omnis reus, ut patet *Exod.* 21. Sed hanc falsam doctrinam execratur Christus ibidem, dicens: A quòd licèt illud præceptum sit in foro judiciali; tamen nullus debet sibi vendicare ultionem particulariter: immò unusquisque tenetur remittere injuriam proximo: immò percussus in una maxilla debet præbere aliam propter Deum.

Item octavò dogmatizabant, quòd Deus non promittebat nisi præmium temporale in terra pro observantia Legis: ideo & ipsi non curabant thesaurizare nisi in terra. Quam falsam & hæreticam doctrinam execratur ibidem Christus, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: sed in cœlo &c.* B

Item nonò, omnia quæ Scribæ & Pharisæi faciebant, non quærebant justitiam conscientiæ; sed ut apparerent boni coram hominibus faciebant bona in apparentia, expectantes præmium ab hominibus in hoc sæculo, non curantes de alio. Quorum opera execratur Christus, dicens: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus &c.*

Quomodo dicuntur Messiam non esse venturum nisi primo venerit Elias.

Item decimò dogmatizabant Scribæ & Pharisæi, quòd Messias non erat venturus ad salvandum Israel, nisi priùs veniat *Elias* Propheta, prout scribitur *Malach.* 4. *Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis &c.* Et ideo quando miserunt Judæi ab hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem, inter cætera interrogaverunt ipsum: an esset C Elias? *Joann.* 1. Item, inter cæteras opiniones quas populus habebat de Christo, quidam dicebant ipsum *esse Eliam. Matth.* 26. Et ideo Scribæ & Pharisæi dicebant populo, quòd Christus non erat Messias: eò quòd nondum venerat Elias. Sed hoc procedebat ex cæcitate eorum: quia nesciebant distinguere inter primum & secundum adventum Christi, in quo Elias est venturus. Ideo hanc ignorantiam & dubitationem removit Christus à mentibus Apostolorum, *Matth.* 17. Unde quando Apostoli *viderunt Moysen & Eliam loquentes cum Jesu* in Transfiguratione, putarunt Eliam venisse tamquam Præcursorem: sed cùm *neminem* D *viderunt, nisi solùm Jesum:* ideo descendentes de monte dixerunt Christo, interrogantes eum: *Quid ergo dicunt Scribæ, quod Eliam oporteat primò venire?* Quibus respondit Christus dicens. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quod Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt &c. Tunc cognoverunt Discipuli, quòd de Joanne Baptista dixisset eis &c.* In quibus verbis ostendit eis Christus, quòd duplex erat ejus adventus. Nam in primo venerat ad redimendum genus humanum à peccato per mortem & passionem: E in quo adventu prævenerat jam eum Joannes Baptista *in spiritu & virtute Eliæ.* Sed iterum in fine mundi erat Christus venturus ad judicium generale: ante quem erat venturus Elias in persona ad prædicandum Judæis, & convertendos eos ad Christum, prout dictum est.

Sed Scribæ & Pharisæi malitia & odio obcæcati hoc non cognoscentes, Christum negaverunt: & in hac infidelitate remanserunt, & morbo hæreditario suis hanc cæcitatem reliquerunt. Nam priùs expectant Eliam, quàm veniat Messias eorum. Et sic priùs invocant F Eliam quàm Messiam. Unde quando circumcidunt pueros in Synagoga, præparant duas sedes: unam pro Elia, quem credunt venire, & ibi adesse in circumcisione; & alteram sedem preparant pro Rabino, qui exercet actum circumcisionis. Et sic continuè manent in ista cæcitate, quam quodam morbo hæreditario habent ex fermento Scribarum & Pharisæorum.

Dicebant in eis non esse peccatum naturæ.

Item undecimò dogmatizabant Scribæ & Pharisæi, quòd in eis nullum erat peccatum naturæ. Nam postquam erant filii Abrahæ & Israel secundùm carnem, erant liberi ab omni peccato naturæ: Unde non putabant circumcisionem eis esse datam ad tollendum peccatum naturæ, quod omnes traximus ab Adam: sed tantum esse datam ad distinguendos G filios Abrahæ à populo Gentili: quia solum populum Gentilem putabant naturaliter peccare propter idololatriam. Et sic per circumcisionem putabant evadere peccatum populi Gentilis: sed per sola sacrificia & oblationes, & purgationes, & lotiones putabant sufficienter purgare omne peccatum. Et sic putabant, & dogmatizabant opera Legis Moysi sufficienter & plenè *justificare* hominem ab omni peccato in propria virtute. Et ex hoc inferebant, quòd Messias in Lege promissus non erat liberaturus, nec redempturus Israel à peccati servitute: quia per opera Legis sufficienter liberabantur ab omni peccato: sed H Messias in Lege promissus solùm erat eos à servitute temporali & captivitate Romanorum liberaturus.

Item dogmatizabant, quòd Messias non erat daturus bona spiritualia: sed tantum temporalia in illa terra &c. Et sic dicebant, quòd postquam Messias non erat daturus eis bona spiritualia, sed solùm temporalia; nec erat eos liberaturus à naturali servitute peccati, sed solùm à servitute & captivitate temporali: ideo dicebant, quòd Messias non debebat esse Deus, sed purus homo. Et ideo

Joann.

Joann. 8. quando Christus dixit eis: *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Responderunt. *Nos semen Abrahæ* A *sumus: & nemini servivimus unquam. Quomodo tu dicis: Liberi eritis?* quasi dicerent: nos naturaliter liberi sumus à peccato. Quibus respondit Christus. *Amen dico vobis: quicumque facit peccatum, servus est peccati.* Sed ut ostenderet Christus, quòd licèt ipsi essent filii Abrahæ secundùm carnem, tamen propter hoc non evadebant peccatum, cùm essent filii diaboli secundùm imitationem; & sic non possent evadere peccatum, nisi Christus faceret eos filios Abrahæ secundùm spiritum & promissionem: ideo subdit Christus: *Scio quod filii Abrahæ estis*, secundùm carnem, supple: sed quia *estis à patre diabolo*, secundùm imi- B tationem: ideo *opera patris vestri, & desideria ejus vultis facere.* Nam sicut ille in veritate sui Creatoris, in qua creatus est, non stetit; sed ex invidia desideravit & proposuit me occidere: ita vos tamquam filii diaboli desideria ejus vultis facere & adimplere: eò quòd non statis in veritate Legis, pervertendo verum sensum & intelligentiam Legis & Prophetarum, depravando scripturas per vestras falsas traditiones: Secundò, volendo me occidere ex invidia, imitantes diabolum, qui ab initio proposuit, & desideravit me occidere, volendo occupare & usurpare locum meum &c. prout dictum est in Expositione *Psalmi* 81. Ex quibus supradictis patet, quòd Scribæ & C Pharisæi non intendebant, nec desiderabant liberari à peccato per Messiam: quia jam putabant se esse liberatos per opera Legis à peccatis propriis commissis. Et sic solùm expectabant liberari per Messiam à servitute temporali, & expectabant eum solùm, ut daret eis bona temporalia. Et ideo sic negabant Messiam esse Deum. Et ideo dicebant Christo: *de opere bono non te lapidàmus, sed de blasphemia*: quia homo cum sis, te Deum facis &c.

Doctrina scribarũt hæretica.

Ex supradictis omnibus patet, doctrinam Scribarum & Pharisæorum fuisse hæreticam. Quod probatur. Nam totaliter contradicebat veritati Legis & Prophetarum, & pervertebat verum sensum D Sacræ Scripturæ, ut patet intuenti. Item, illa doctrina est hæretica, quæ tollit bonum optimum Legis & Prophetarum: Sed doctrina Scribarum & Pharisæorum est ejusmodi: Igitur est hæretica. Major patet. Minor probatur. Nam illa doctrina tollebat, & negabat finem Legis, negando Christum. Nam illa Lex ordinabatur in Christum, tamquam in suum finem, ut daret gratiam in præsenti, & gloriam in futuro: Sed illa doctrina negat Christum Redemptorem & glorificatorem: Ergo tollit & negat finem optimum Legis & Prophetarum. E Nam Lex & Prophetæ expectabant Christum Redemptorem & justificatorem, & glorificatorem, & gratificatorem, ut patet per totum discursum Prophetarum. Sed doctrina Scribarum & Pharisæorum negat omnia ista; & non expectat liberationem à peccato ex observantia Legis, sed solùm liberationem à captivitate & servitute temporali; nec expectat bona spiritualia, sed tantùm temporalia, ut dictum est: Ergo tollit bonum & optimum finem Legis; & per consequens dissipat Legem & Prophetas, & sic est hæretica. Et ideo Salvator tamquam hæreticam & blasphemam, condenavit totam illam doctrinam, ut patet *Matthæi* 5. & F 6. & 7. & 15. & 23. Et appellat eam *fermentum* corruptivum Legis & Prophetarum, à quo monet nos cavere & fugere, ut patet *Matthæi* 15. Et hæc fuit causa, quare Scribę & Pharisæi conspirarunt in mortem Christi: eò quia condemnabat tamquam hæreticam doctrinam eorum, ut patet per totum discursum Euangeliorum.

Sed quia ipsi Scribæ & Pharisæi manserunt confirmati & obstinati in tali hæreticâ doctrinâ per Christum condemnatâ, ideo transtulerunt eam in suos successores, tamquam morbum pestiferum & hæreditarium.

Not. contra Pharisæos.

Ad cujus intellectum est iterum notandum, quòd post mortem Christi post- G quam Scribæ & Pharisæi per publicam famam, & multa signa & miracula noverunt Christum resurrexisse, propter quod multi de populo convertebantur ad Christum, confitentes ipsum fuisse verum Messiam in Lege & Prophetis promissum: tunc ad pervertendam opinionem populi, quam de Christo habebat, conati sunt ostendere, qualiter Lex Moysi erat in se perfecta, & nullo modo abolenda, sed in æternum duratura. Secundò, qualiter Messias in Lege promissus non debebat esse Deus, nec dare bona spiritualia, sed temporalia: nec debebat redimere Israel à peccato, quia jam hoc operabatur Lex: sed solùm debebat liberare Israel à servitute & capti- H vitate temporali Romanorum: & quod erat venturus cum magna potestate temporali & majestate, ut omnia supradicta posset efficere. Et ex hoc arguebant, & prædicabant populo Jesum Christum non fuisse Messiam. Et ideo per omnes illos quadringenta annos contradixerunt Apostolis.

Sed postquam post destructionem civitatis viderunt se nihil profeciſſe contra Discipulos Christi, & Christianam Religionem; immò videbant eam augeri: tunc recurrerunt ad Magicas artes. Et

sic

sic ut suam perfidiam fortiùs possent astruere, asciverunt in societatem suam quemdam Necromanticum & Magum nomine *Mair*, genere Idumæum, & fecerunt ipsum Proselytum precibus & muneribus, instruendo ipsum in Lege & Prophetis cum falsa intelligentia & detestabili fermento eorum: Sed cum iste Mair esset jam de se versutus & astutus, ut complaceret Pharisæis, excogitavit iniquum modum ad confirmandam, & augendam malitiam eorum. Et dixit qualiter Deus duplicem Legem dedit Moysi in monte Sinai. Primò unam scriptam in tabulis, & in chartis: & aliam ore tenus, & secretam. Unde Moyses solùm manifestavit Legem scriptam populo, quæ continetur in illis quinque libris qui habentur apud omnes: sed non manifestavit Legem secretam ore tenus datam: sed illam tantùm manifestavit *Josue*, cum pacto, ut ille tantùm manifestaret suo successori. Et sic dicebat iste sacrilegus Mair, quòd illa lex per successores venerat usque ad ipsum; cui præcepit Deus, ut manifestaret eam omni populo Hebræorum propter instantem necessitatem, quia multi Judæorum convertebantur ad Christum; ne Judaismus destrueretur. Quam quidem Legem appellavit *Thora sebe alpe*: id est, *Legem ore datam*: & etiam appellavit eam *Misna*: id est, *secundam Legem*. In qua quidem Lege continentur multa erronea, & contraria veritati.

Sed inter cætera continetur, quòd prima Lex non fuit data nisi ad quandam instructionem temporalem: sed ista secunda est de ultima intentione Dei, tamquam declaratio primæ. Et quòd ista secunda debet corrigere primam, cùm sit majoris authoritatis, & de ultima intentione Dei. Et sic continet multa contra veritatem litteræ, pervertendo verum sensum primæ Legis, quam habemus, ad falsum propositum eorum. Et continet etiam omnes traditiones Pharisæorum, ut ostenderet eas à Deo ordinatas. Omnes autem istas traditiones contentas in isto *Misna*, sive secunda Lege, postea redegit in scriptis quidam appellatus *Rabbi Indanassi*, qui secundùm alios vocatur *Rabbi Monoa*, in quodam volumine multis libris diviso: quod Judæi appellant *Misna*, id est, secundam Legem.

Sed tempore *Magni Constantini* videntes Rabbini Hebræorum totum populum Gentilem converti ad Christum, & destrui omnia idola, & omnia templa idolorum consecrari in Ecclesias Christi, ex cujus occasione maxima multitudo Judæorum convertebatur ad Christum, eò quòd manifestè patebat, Christum fuisse verum Messiam, postquam in nomine suo omnia idola delebantur, secundùm oraculo omnium Prophetarum: Hoc ergo videntes Rabbini Judæorum, congregati sunt in Babylonia Ægypti in magna multitudine: qui supradictum *Misna* prolixius & copiosius exposuerunt, & in plures libros diviserunt. Quam quidem scripturam *Thalmud* appellaverunt; in quo quidem Thalmud multa falsa & contra rationem, & naturam, & bonos mores confinxerunt.

Not. de diversis doctrinis Judæorũ.

Inter cætera enim dicunt, quòd quando Moyses accepit supradictam duplicem Legem in monte Sinai, pariter fuerunt cum Moyse animæ omnium Prophetarum, scilicet, *Isaiæ*, & *Hieremiæ*, & aliorum: qui singuli suas singulas acceperunt Prophetias: quæ quidem animæ Prophetarum postea temporibus suis venerunt ad corpora sua: & sic suis temporibus manifestarunt in Israel suas prophetias. Item tertiò dicunt, quòd ibidem fuerunt animæ omnium Rabbinorum, qui composuerunt Thalmud; & ibi in monte Sinai acceperunt intelligentiam Legis & Prophetarum, & totam doctrinam traditam in ipso Thalmud: quæ quidem animæ venerunt ad sua corpora tempore *Magni Constantini*, qui tradiderunt Thalmudicam doctrinam in verbis Thalmud. Et ideo dicunt, quòd illa doctrina non potest mentiri, postquam fuit tradita à Deo simul cum Lege & Prophetis: quam quidem doctrinam Thalmudicam legunt & observant hodie omnes Rabbini Judæorum, & cum ea regunt Judaismum, & Judæos simplices: & in tali deceptione & cæcitate perseverant.

Ex supradictis omnibus ergo patet, quòd doctrina Thalmudica, quam hodie Judæi observant, habuit ortum à secta Scribarum & Pharisæorum. Nam hodie adhuc tenent, & observant documenta falsa & hæretica supradicta. Nam adhuc tenent primum falsum documentum, scilicet, quòd magis obligatur homo honorare ipsum Magistrum legis, quem appellant *Rabbi*; quàm honorare patrem & matrem: & magis subvenire ipsi *Rabbi*, quàm patri & matri. Item observant secundum, & asserunt, quòd soli filii Abrahæ & Israel secundùm carnem sunt salvandi. Item asserunt tertium, quòd absque pœnitentia & restitutione malè ablati salvantur, servando legalia & doctrinam Thalmudicam. Item asserunt, quòd malum propositum & voluntas non obligant ad peccatum, nisi sequatur effectus. Item asserunt, quòd mendacium non est peccatum sine perjurio: & ideo non faciunt conscientiam mentiri Christianis, & aliis nationibus. Item asserunt aliud falsum documentum, quòd licitum est vindicare injuriam quocumque

Tenent Judæi hæc hæretica documenta.

que modo. Item, quòd licitum est habere odio inimicum, & lædere quocumque modo ipsum. Item, dictis & factis ducunt vitam simulatam & fictam, maximè contra Christianos. Item ultimò, tenent, quòd totum præmium legis est temporale, & nihil credunt spirituale. Et sic patet, quòd ista doctrina Thalmudica habet ortum à falsa doctrina Scribarum & Pharisæorum, quam Christus increpat & execratur *Matth.* 5. & 6. & 23.

Item, observant & asserunt tria alia hæretica, & magis detestabilia documenta. Primò: quòd Lex Moysi est in æternum duratura quoad cærimonialia. Secundò: quòd Lex Moysi non promittit nisi temporalia bona. Tertiò: quòd Messias in Lege & Prophetis promissus non erat venturus nisi ad liberandum Israel à captivitate temporali, & ad dandum bona temporalia. Ex quibus concludunt, Jesum Christum non fuisse Messiam. Et sic patet, quòd Judæi moderni nil aliud observant nisi traditiones falsas Scribarum & Phariseorum, & Thalmuditarum, & per consequens doctrinam hæreticam per Christum condemnatam & reprobatam, tamquam fermentum corruptivum Legis & Prophetarum.

Quare Judæorum doctrina est hæretica.

Quæ quidem doctrina ideo dicitur hæretica & corrupta, eò quòd tollit & negat totam veritatem, & verum finem principaliter & finaliter intentum & expectatum in Lege & Prophetis. Nam tota Lex & Prophetæ nil aliud clamabant nec expectabant nisi Christum futurum declaratorem Legis & Prophetarum, & futurum Redemptorem per mortem & passionem, & futurum glorificatorem per suam resurrectionem. Et sic Lex Euangelica nil aliud est, nisi veritas & finis ultimatus, & intentus, & desideratus in Lege & Prophetis. Et ideo dixit Paulus in judicio coram *Festo*, & Rege *Agrippa*, ut patet *Actuum* 26. Unde ait: *Auxilio autem adjutus Dei usque ad hodiernum diem sto testificans minori atque majori nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moyses: si passibilis Christus: si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo.* Ex quibus verbis Apostoli patet, quòd Moyses & Prophetæ nil aliud locuti sunt, nisi Christum passibilem pro nostra redemptione, & resurrecturum pro nostra glorificatione, & annunciaturum lumen & veritatem Legis & Prophetarum. Sed quia nil aliud extra Legem & Prophetas annunciabat *Paulus*, & cæteri Euangelistæ esse completum per Christum, nisi ea quæ Lex & Prophetæ prædixerunt futura: Ergo Lex Euangelica nil aliud est, nisi veritas Legis & Prophetarum, & finis intentus in eis. Judæi ergo moderni auferentes & negantes à Lege istam veritatem & ultimum finem, falsificant Legem & Prophetas: & sic manent hæretici & sacrilegi.

Ex quibus patet, quòd Christiana Religio verè observat Legem Moysi quantum ad substantiam, & essentiam, & veritatem ejus. Et per consequens Judæi moderni nullo modo servant Legem Moysi post publicationem Euangelii: quia cærimoniæ quas observant, jam sunt mortuæ, & mortiferæ, & falsæ, postquam nil futurum jam significant, postquam fuit jam impletum quod ante significabant, prout declaratum est in quinque supradictis Quæstionibus. Et sic manent Judæi cæci in sua obstinatione usque ad secundum adventum Christi, ante quem veniet Elias ad prædicandum eis, & declarandum eis veritatem Legis Moysi & Prophetarum: & tunc cognoscent se esse delusos & deceptos: & sic *convertentur ad Domiuum Deum suum, & David Regem Messiam suum*, ut patet *Zachar.* 3. & *Malach.* 4. & supra probatum est.

Quatuor detinent Judæos in obstinatione.

Ex supradictis etiam patet, quòd quatuor sunt quæ detinent Judæos in sua obstinatione. Primò: quia putant Legem Moysi perfectè justificare hominem & esse semper duraturam; & per consequens non ordinari ad alium finem, & majorem perfectionem, sed esse litteraliter intelligendam: cujus oppositum probatum est in prima & secunda Quæstione. Secundò: quia putant omnia in Lege promissa esse temporalia. Tertiò: quia putant, quòd Messias in Lege promissus non erat daturus bona spiritualia: sed tantum temporalia: & quòd solùm debebat eos liberare à temporali captivitate: quia jam liberabantur ab omni peccato per opera legis. Et sic negant Christum esse Messiam: cujus oppositum probatum est in tertia Quæstione. Quartò: quia putant Legem Euangelicam esse contrariam Legi Moysi, & esse falsam & sacrilegam in sua credulitate & religione: cujus oppositum probatum est in quinta Quæstione. Quam quidem ignorantiam & cæcitatem si deponerent ab oculis mentis, illico viderent veritatem, & converterentur ad Fidem Christi.

Quare Judæi non convertuntur.

Sed hîc quæritur: Unde est, quòd cum Judæi videant manifestè ista supradicta esse vera per Sacram Scripturam Legis & Prophetarum, quare ergo non convertuntur? Ad hoc respondetur, sicut pluries dictum est, quòd Scriptura veteris Testamenti tota est velata velo cærimoniarum, & ænigmatum: sub quibus latet veritas Euangelica. In cujus fig-

signum Moyses ponebat velum sibi ante faciem, quando legebat & promulgabat Legem filiis Israel: ad denotandum, quòd A illa lex erat velata litteralibus cærimoniis, sub quibus latebat veritas Euangelica: quod velum Christus debebat auferre in suo adventu. Sed quando Scribæ & Pharisæi negarunt Christum coram Pilato, & dixerunt: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*: tunc fuerunt obcæcati sub illo velamine, & fuit eis maledictio cæcitatis ante oculos mentis inflicta generaliter usque ad secundùm ad- B ventum: quia quando legunt Moysen & Prophetas, semper habent illud velamen cæcitatis ante oculos. Et sic non possunt cernere veritatem, nisi speciali lumine lustrentur. Quam cæcitatem prædixit eis David *Psalm.* 68. dicens: *Obscurentur oculi eorum ne videant: & non intrent in justitiam*, id est, veritatem *tuam.* Item *Isaiæ* 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & ocu-* C *los ejus claude: ne forte videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & convertantur & sanem eum &c.* Sed quia aliqui continuè, aut interpolatim baptizantur: ideo subdit: *Sed adhuc decimatio &c.*

Unde est advertendum, quòd licèt multi baptizentur per successionem temporis; tamen non eodem fine. Nam tri- *Judæi ex triplici causa veniunt ad Baptismũ*
D plici ex causa multi veniunt ad Baptismum: nam quidam baptizantur violenter, ut fugiant mortem, secundùm quòd frequenter propter eorum scelera expoliantur ex commotione populorum. Et isti vix aut rarò sunt boni usque, ad tertiam generationem: eò quòd latenter docent filios ritus Judaicos. Quidam autem veniunt fictè ad Baptismum, ut valeant cum Christianis conversari & ad negotiationes, & colligenda publica vec-
E tigalia & pedagia admitti &c. & isti rarò sunt boni usque ad tertiam generationem, propter eamdem causam. Quidam autem, licèt pauciores, veniunt ad baptismum, & ex sola illustratione Spiritus sancti pertractando Scripturas cum Christianis: & isti communiter, immò semper sunt boni, cognoscentes veritatem Scripturarum. Cæteri autem semper manent in sua cæcitate propter maledictio-
F nem eis inflictam usque ad adventum Eliæ ante secundùm adventum Christi: ideo nos Christiani, quibus datum est nosse mysterium Regni Dei, agamus gratias Domino nostro Jesu Christo, qui ad cognitionem veritatis nos fecit pervenire. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæcularum. Amen.

VENERABILIS
AC ILLUSTRISSIMI DOMINI
JACOBI PEREZ
DE VALENTIA,
IN CANTICA CANTICORUM
EXPOSITIO.

NUNCUPATIO

ILLUSTRISSIMO DOMINO, DOMINO ALFONSO DE ARAGONIA miseratione Divina Archiepiscopo Cæsar-Augustano Jacobus Perez Episcopus Christopolitanus suo Domino metuendo salutem cum prosperitatem plurimam optat.

SUperioribus diebus (Domine Illustrisime) plurimorum Religiosorum, aliorumque litteratorum virorum vehementi exhortatione fui vexatus, ac discruciatus, ut Cantica Canticorum Salomonis, quæ intellectu difficillima, & ferè inextricabilia sunt & habentur, in lucem aperire vellem, ad hoc ut illi fierent doctiores. Ipse verò hoc animo conjectans, quàm magnam provinciam humeris meis imponerem, & planè mihi difficile laboriosumque videretur, tum ob munus publicum quo fungor, tum ob plurimas occupationes, tàm familiares, quàm domesticas, quibus obruor; tum ob ingravescentem ætatem meam, quæ laboribus juventutis minimè respondet; hoc eis spondere recusavi. Novissimè autem venit ad me sapientissimus Sacræ Theologiæ Interpres & Professor Magister *Michael Figuerola*, tuæ Illustrissimæ Dominationis Præceptor, qui tuo nomine me unicè rogavit, precibusque contendit, ut aliquid ex illo vasto Sacræ Scripturæ agro, cui operam & studium dare expetis, rimari conarer, quod doctrina & scientia cumulatum esset, & tua excellentia dignum haberetur. Ego autem summa cupiditate ductus inserviendi Illustrissimæ Dominationi tuæ, ac parendi tuis imperiis, ad faciendum quod jubebas illicó me accinxi, omni vitæ meæ discrimini objiciendo. Quamobrem cùm totius Sacræ Scripturæ universum campum è vestigio peragrassem, nil mihi magis decorum atque utile, neque tua amplitudine dignum (ut mea fert opinio) visum est, quàm ipsa Salomonis Cantica Canticorum. In quibus Salomon inter Christum & Ecclesiam Sponsam suam mutuum explicat amorem,

unum-

unumquemque fidelem Chriſtianum incitans, & incendens, ut Scripturam Sacram in ſponſam ducat ſuam. Eas igitur ob res animo inſtitui meo, ne tam pretioſa ſupellex incognita extaret : quæ jam pridem parturio aliquando parere. Neminem tamen niſi Dominationem tuam Illuſtriſsimam dignum exiſtimavi, cui hæc eadem dicare deberem : Cùm ſit tibi optima indoles, nobiliſsimum perſpicaciſsimumque ingenium, humanitas, liberalitas, ingens animi magnitudo, ac ſtudiorum Sacræ Scripturæ voluptas vehemens, & oblectatio : tum etiam quia in hac tempeſtate noſtra inter omnes ex clara familia natos, aut Regio ſanguine cretos, qui docti ſint atque habeantur, præter Illuſtriſsimam Dominationem tuam mihi occurrit nemo : tum etiam ob ſummam dignitatem in qua exiſtis, & munus Eccleſiaſticum quo fungeris, & vices Regias, quas in toto Regno Aragoniæ geris : ideo Sacram Scripturam te minimè latere aut fugere exiſtimavi. Verum enim vero cogitans mecum, hoc opus intuendum in tanta eruditiſsimorum litteratiſsimorumque virorum ipſius urbis & Regni, necnon tui Senatus Canonicorum concione & copia, quæ maxima eſt, qui ingenio & prudentia pollent ſingulari ; & quòd non ſit ita comptum atque expolitum ea eloquentia, eo dicendi ornatu, ut par eſt & ratio præſcribit : vereor, ne illud parvifaciant. Atque eò non in minorem animi incertitudinem, hæſitationemque conjectus ſum, quàm fuit noſter Cicero, cùm *librum de Officiis*, quem ad *Marcum* filium dedit, qui Athenis ſub *Cratippo* perſeveraret auditor, in quarum Gymnaſiis & Philoſophorum & eloquentiſsimorum virorum frequentia erat. Verumtamen volens, ac expetens tuæ inclytæ Dominationi morem gerere, hoc Opus expreſsi quò rectius valui, & eo ſtylo ſcholaſtico, & pingui Minerva (ut ſic dixerim) quo omnes tàm docti, quàm mediocres, ac etiam ſimplices Religioſi, & Clerici, cæterique fideles capere, perpendereque valeant. Quod quidem opus clariùs decorabit animum tuum, quàm ſplendida purpura, aut quàm (penè dixerim) ſi opulentiſsima urbe dominationem tuam Illuſtriſsimam donarem. Quare Sacræ Scripturæ per Amplitudinem tuam incumbendum eſſe cenſeo, in qua qui docti evaſerunt, etiam ſi ex humili loco nati ſunt, ſibi vendicarunt nomen, famam, laudem, & gloriam, & ad tantam dignitatem ſublimantur, ut in terris quaſi dii habeantur. Quod facilè Dominatio tua attingere valebit, atque nanciſci. Nam ubi animum intenderis, ingenium valet. Contempletur ergo dominatio tua, ponatque ante oculos, & æmuletur famæ invictiſsimi Regis *Ferdinandi* Amplitudinis tuæ genitoris Chriſtianiſsimi, qui ob exaltationem, laudem, & gloriam ſummi maximique Jeſu Chriſti, ac Fidei Catholicæ honorem & ampliationem, ad delendos, fugandoſque Mauros ex agro Bætico Hiſpaniæ non formidavit, neque exterritus eſt perſonam ſuam adverſus illos bellando, manuſque conſerendo ſtrenuo præſtantique animo ſeſe maximis diſcriminibus objicere. Et tandem ſuo ductu, dexteritate, vigilantia, atque ſolertia illos debellavit, vicit, fugavit, & in ſuam ditionem redegit *Alfamam*, *Aloram*, *Cartamam*, *Rondam*, *Morbellam*, ac famoſiſsimam & bello inſuperabilem Civitatem *Loxam*, & *Cambille* inacceſsibile opidum, atque vicinis cunctis quondam formabile aſylum, quamplurimaque alia oppida, & municipia, quæ multorum ſententia inexpugnabilia habebantur ; ita ut ex Regno omni Granatæ parum reliquum ſit, cui prope diem dominabitur. Qui ſi ventri, & ſomno, atque laſciviis deditus fuiſſet, & in otio marcere voluiſſet, numquam tantam tamque immenſam immortalemque laudem ſibi ſuiſque vendicaſſet. Et quod potiſsimum duco, ut quod ſuperiores Hiſpaniæ

Re-

Reges , quamquam id facere attentaſſent , adimplere non valuerunt , id Pater inclytæ Dominationis tuæ non perterritus , nec victus labore , neque pretio corruptus brevi temporis curriculo peregit , & præſertim in ſua tenera ætate ; quod miraculi loco profectò cenſendum eſt : & non ab re litteris geſta illius mandanda ſunt , ut æternum nomen extet , & ſemper vivere cenſeatur. Et idcirco , Domine Illuſtriſsime , nulla potentia , nulla vis tam magna eſſe poteſt , quin major potiorque ſit per diuturnum ſtudium & vigilantiam circa unamquamque rem , ſive bellicam, ſive litterariam. Quare per Dominationem tuam Illuſtriſsimam conandum atque innitendum eſt , ut non minori gloria atque laude ob litterarum ſacrarum ſtudia in Eccleſia excellas , quàm Parens tuus in armis excelluit. Sed hæc hactenus : nam ſatis, & pluſquam decuit, in his pervagata eſt Epiſtola noſtra. Cantica Canticorum verò legamus.

IN

IN CANTICA CANTICORUM

PROLOGUS.

CAntabo dilecto meo canticum vineæ suæ. Esaiæ 5.

Licèt Esaias cantaverit canticum comminationis contra vineam Domini, quæ erat domus Israel secundum illum statum; tamen multò convenientiùs Salomon in hoc libello Canticorum cantavit canticum vineæ Domini, quæ est Ecclesia Dei, quoad omnes status utriusque Testamenti. Quod quidem Canticum non dicitur canticum comminationis, sed lætitiæ & gratiæ: eò quòd in eo prædicitur totum mysterium nostræ redemptionis & salutis, completum in novo Testamento, ut patebit.

In quibus verbis propositis tanguntur, & notantur quatuor causæ hujus libri *Canticorum Salomonis.*

Nam primò prænotatur causa efficiens, & auctor hujus libri, per hoc pronomen *ego* præ intellectum in ly *cantabo.* Quasi dicat: *Ego Salomon cantabo.*

Secundò notatur causa formalis, per ly *cantabo*: quia ostendit, se velle procedere in hoc opere per modum cantilenæ.

Tertiò notatur causa finalis, per ly *dilecto meo*: per quod ostenditur, quòd hoc opus dirigitur Deo, qui est finis noster, in cujus dilectione consistit finis noster & beatitudo.

Quartò notatur materia hujus libri in ly *canticum vineæ suæ*: quia totus iste liber est de Ecclesia, quæ dicitur *vinea Domini*, ut patebit per singula. Et ideo antequam procedamus ad Expositionem hujus libri: est videndum de unaquaque prædictarum quatuor causarum.

§. I.

QUantum ad primum est dicendum: quòd nemo Hebræorum, nec Catholicorum Christianorum dubitavit usque ad præsentem diem, *Salomonem* edidisse tres libros sapientiales, scilicet, *Proverbiorum*, & *Ecclesiastes*, & *Canticorum*. Sed multi Hebræorum antiquorum dubitarunt, an *Salomon* fuerit illustratus à Spiritu sancto in compositione horum librorum. Qui movebantur tali ratione. Nam Salomon fuit depravatus in senectute, & declinavit ad idola, ut patet. 3. *Reg.* 11. & etiam declinavit ad artes Magicas. Ergo numquam habuit Spiritum sanctum: quia non permisisset ipsum in talia scelera incidere. Item, hoc idem probant singulariter de quolibet libro. Nam primus liber qui dicitur *Proverbiorum*, sive *Parabolæ*, est totus de doctrina Morali, quæ potest haberi absque Spiritu sancto; sicut habuit *Socrates*, & *Aristoteles*, & *Plato*, *&c.* Item, in toto libro Ecclesiastes non loquitur nisi de his quæ sunt sub sole, & non de rebus divinis, ut patet ibidem. Item, in eodem libro licet aliquando memoretur hoc nomen *Deus*: tamen nusquam nominatur *nomen Domini Tetragrammaton*, scilicet quatuor litterarum, quod est hoc nomen *Dominus*, sine quo nomine nihil est sacrum, nec spirituale, nec à Spiritu sancto traditum in Sacra Scriptura. Item, *liber Canticorum* minus videtur traditus à Spiritu sancto: eò quòd in eo non solùm tacetur nomen Domini *Tetragrammaton*, sed etiam nec hoc nomen *Deus*: quia in nulla ejus parte reperitur *Dominus*, nec *Deus*. Ex quibus omnibus concludebant isti, quòd supradicti tres libri Salomonis nullo modo pertinebant ad Sacram Scripturam: quia Salomon non Spiritu sancto illustratus, sed ex proprio ingenio, & non de rebus divinis, sed de rebus humanis confecerat hos tres libros, propter rationes jam dictas.

Alii autem Judæorum dixerunt, quòd licèt primus liber, scilicet *Proverbiorum*, aliquando loquatur de rebus divinis; tamen liber *Ecclesiastes* non loquitur, nisi de rebus humanis, quæ sunt sub sole: & ideo non memoratur in eo nomen Domini *Tetragrammaton.* Et sic multi illorum effecti sunt hæretici, dicentes, nihil esse supra solem; sed animam humanam esse mortalem. Item, isti dixerunt etiam, quòd Salomon non fecit librum *Canticorum*: nisi in commendationem *filiæ Pharaonis* uxoris suæ: cujus pul-

pulchritudinem commendat in illo libro. Et sic multi juvenes lascivi, & mundani sumebant, & usurpabant aliqua carmina ex eo libro, & applicabant ea domicellis amasiis suis: & sic ab utebantur illo libro.

Sed oppositum ostendit *Esdras*, scriptor & restaurator Scripturæ Legis & Prophetarum: qui collocavit supradictos tres libros Salomonis in Canone Sacræ Scripturæ. Et sic Synagoga Judæorum non solum ante adventum, sed etiam post adventum Christi, recepit hos tres libros in Canone in numero viginti duorum librorum, juxta numerum literarum Hebraicarum, licèt collocaverint eos inter *Hagiographa*, ut patet in *Prologo Galeato* Beati *Hieronymi*. Immò dicit *Hieronymus* in *præfatione quatuor Homiliarum*, quas edidit *super Cantica*: quòd facta fuit constitutio inter Hebræos sui temporis, ne quis Judæus plebejus & popularis præsumeret legere istum librum Canticorum Salomonis, nec tria prima capitula libri Geneseos: nec primum capitulum ipsius Ezechielis: nec totam illam partem à 44. capit. usque ad finem ejusdem libri: eò quòd in his quatuor partibus continentur mysteria & secreta profundissima, & ineffabilia. Ideo solis peritissimis magistris conceditur hujus studium, & lectio.

Sed hoc magis confirmat *Traslatio Chaldaica*, quæ in titulis istorum librorum appellat Salomonem Prophetam specialiter in hoc libro, ubi dicit: *Incipit liber Canticorum Salomonis Prophetæ.* Item hoc magis authorizat Salvator, *Joann.* 6. dicens: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quæ quidem scriptura repetitur *Proverb.* 5. ubi secundùm Translationem nostram dicitur: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.*

Item hoc idem confirmat tota Ecclesia, quæ in *Concilio Nicæno* recepit hos tres libros in Canone simul cum cæteris libris sacris. Et sic *Origenes*, & *Clemens Alexandrinus* & *Augustinus*, *primo de doctrina Christiana* enumerant hos tres libros inter cæteros libros sacræ Scripturæ.

Est verum, quòd quidam Catholici dixerunt: quòd licèt isti tres libri sint de rebus Divinis, & traditi à Spiritu sancto, & pertineant ad sacram Scripturam: tamen Salomon non habuit hoc immediatè à Spiritu sancto, sed à David patre suo, qui tradidit ipsi exemplar, & descriptionem Templi, quàm acceperat à Deo, & intellexerat omnia opera exemplaris, ut *patet* 1. *Paralip.* 28. Et sic secundùm istos Salomon locutus est in istis libris ea quæ fuerant revelata David patri suo. Quod probant per ea quæ ipsemet Salomon asserit *Proverbior.* 4. *capit.* ubi ait: *Ego filius fui patris mei tenellus & unigenitus coram matre mea: & docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum &c.* Et sic procedit Salomon in illo libro, prout didicerat à patre suo David, ut patet intuenti. Et sic videtur, quòd quidquid dixit Salomon, dixit ex doctrinâ patri suo revelatâ, prout ipse videtur ibi profiteri. Item hoc idem confirmant: quia Salomon habuit magistros, scilicet, *Eman*, & *Ethan*, *Chalcol*, & *Dorda*, qui docuerunt eum omnia secreta libri Psalmorum, prout didecerunt à patre ejus David. Et sic concludunt isti: quòd licèt omnia tradita in his tribus libris sint Spiritu sancto, non fuerunt tamen revelata immediatè ipsi Salomoni, sed ipsi David patri ejus.

Sed cum instatur contra istos: quòd *Deus dedit Salomoni cor docile & intelligens, in tantum quod nullus fuit ante nec pòst similis illi &c.* ut patet 3. *Reg.* 4. Ad hoc respondent quod scientia, quam postulavit, & habuit Salomon à Deo, non fuit de rebus Divinis, & spiritualibus, sed tantum de rebus temporalibus ad regendum illum populum, ut patet ibidem.

Sed contrarium dicit ipsemet Salomon *Sapient.* 7. ubi ait: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ &c.* Item *Proverb.* 30. *verba congregantis filii vomentis: visio quam locutus est vir, cum quo est Deus: qui Deo secum morante confortatus ait &c.* Unde manifestè profitetur Salomon se immediatè à Deo habuisse spiritum prophetiæ per infusionem Spiritus sancti, & ostendit se esse Prophetam, & locutum fuisse propheticè de Divinis mysteriis. Et sic patet, qualiter licèt Salomon sit Author instrumentalis horum trium librorum; tamen Spiritus sanctus est Author principalis.

Sed nunc restat respondere ad rationes in principio in contrarium adductas. Ad primam ergo dicitur: quòd Salomon in senectute fuerit depravatus, & declinaverit ad idola ex consortio Sacerdotum idolorum; tamen cum hoc stat, quòd in juventute fuerit illustratus à Spiritu sancto: quo spiritu edidit propheticè illos libros de mysteriis Divinis, ut patebit. Immò dicit *Ambros.* quòd *Salomon in fine egit pœnitentiam de peccato suo.* Item dicit *Ambrosius*, quòd *ex Divina providentia permissus est Salomon cadere: quia aliter reputatus fuisset Deus, aut Messias à Judæis, propter stupendam ejus sapientiam & prosperitatem.* Immò dicit *Augustinus*, quòd *Deus quan-*

quandoque permittit quosdam peccare propter bonum eorum, ne putent se ex propriis viribus justificari; ne etiam cum Deo in judicium intrare præsumant, & ex propria justitia superbire. Ideo permittit Deus eos cadere, ut vehementi pœnitentia ad fortiora resurgant. Et sic Beatus *Ambros.* & *Hieron.* & *Chrysost.* Salomon frequenter appellant *Sanctissimum* in scripturis suis.

Ad aliud, quando dicunt, quòd Salomon in *lib. Proverbiorum* non loquitur nisi de rebus moralibus: dicendum: quòd immò loquitur propheticè de rebus Divinis per parabolas morales, ut infra patebit.

Item, cum dicitur, quòd nec *in in libro Ecclesiastes*, nec etiam *in Canticis* ponitur nomen Domini Tetragrammaton. Respondetur: quòd licèt non scribatur ibi illud nomen; tamen ponitur ibi *Deus* & *Sponsus Ecclesiæ*, qui per illud nomen significabatur in Lege & Prophetis, ut dictum est *Psalm.* 8. quia illud Verbum incarnatum, & illa persona Christi est verum *nomen Dei* per illud *Tetragrammaton* significatum.

Ad aliud cum dicunt, quòd Salomon fecit librum Canticorum in commendationem filiæ Pharaonis uxoris suæ, manifestè patet oppositum in littera: Nam si hæc quæ ibi memorantur dicerentur de aliqua muliere, potius caderent in vituperium & irrisionem, quàm in laudem: putà, quando dicitur: Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum: &, Venter tuus sicut acervus tritici &c. Item, ista Sponsa manifestè quandoque dicitur *hortus conclusus*, & quandoque dicitur *vinea*, & quondoque dicitur *Pastorissa*, & quandoque *grex*: quæ omnia soli Ecclesiæ conveniunt, ut patebit: & hæc sint dicta quoad auctorem hujus libri.

§. II.

Quantum autem ad secundum de causa materiali, scilicet, de materia libri Canticorum est advertendum secundùm *Hieronymum* in *Præfatione librorum Sapientialium*: quòd Salomon tria opera scripsit, quæ nobis sunt sine dubio notanda, scilicet, *librum Proverbiorum*, & *Ecclesiastes & Canticorum.* Et hoc fecit secundùm tres status, sive ætates hominum. Nam ad comprimenda flagitia & passiones hominum, quæ maximè regnant in juventute, fecit librum *Proverbiorum* in quo traduntur hujusmodi præcepta correptiva vitiorum. Sed quia in statu virili appetitus tendit ad ardua: putà, ad scientias humanas, aut ad divitias congregandas, aut ad honores, aut dignitates adipiscendas; & sic unusquisque constituit suum finem in aliquo arduo, in quo putat se esse felicem, in tantum quòd homines relicto vero fine, qui est Deus, convertunt se ad ista mundana, corruptibilia, & transitoria, & deceptoria: Ideo Salomon ad tollendam hujusmodi ignorantiam & deceptionem fecit *librum Ecclesiastes*: in quo ostendit, qualiter vera felicitas non potest consistere in aliquo prædictorum temporalium & mundanorum: cum omnia sint transitoria. Et ideo homo in hac vita non potest attingere felicitatem: sed bene potest tenere & reperire viam, per quam tenditur ad veram felicitatem, quæ datur à Deo post hanc vitam: quæ quidem via est observantia Divinorum præceptorum, in quorum observantia consistit spes veræ felicitatis: cùm præmium observantiæ talium præceptorum sit vita æterna. Et sic concludit in fine illius libelli, dicens: *Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Ex quibus verbis vult concludere Salomon: quòd si omnes operationes nostræ debent duci ante tribunal Judicis, & ibi discuti & examinari, an sint bonæ, an malæ; & secundùm eas est nobis dandum præmium: Ergo non possumus errare vivendo secundùm Divina præcepta, postquam per observantiam eorum promittitur nobis vera beatitudo. Et ideo Salomon fecit supradictum librum *Ecclesiastes* ad retrahendos homines ab inordinato appetitu prædictorum, & ad incutiendum eis timorem, comminando futurum Judicium. Sed quia in senectute homo jam properat ad interitum & finem, post quem est aptus ad capessendam ultimam felicitatem: ideo oblitus omnium mundanorum, jam non debet cogitare, nisi de cœlestibus, & quomodo jungatur suo sponso Christo: ideo Salomon fecit *librum Canticorum*, in quo dat doctrinam hujusmodi. Et sic dicit *Hieronymus*: quòd Salomon fecit librum *Proverbiorum* pro juvenibus, & librum *Ecclesiastes* pro viris, & librum *Canticorum* pro senibus.

Alii autem dicunt, quòd primum librum fecit pro *incipientibus*, secundùm pro *proficientibus*, tertium autem pro *perfectis.* Alii autem dicunt, quòd in primo tradit nobis *Ethicam* & bonos mores, & in secundo *Physicam*, & in tertio *Theologiam.*

Sed licèt intelligentia Beati *Hieronymi* & aliorum sit vera, & Catholica, & utilis: tamen adhuc non videtur evacuare, & differere totam intelligentiam supradictorum librorum. Quia non solùm traduntur nobis supradicta ad utilita-

tatem & doctrinam supradictarum trium ætatum hominum, sed etiam prophetice traduntur nobis in eis futura mysteria A de Christo & Ecclesia. Et sic omnes tres libri sunt prophetici, sivè prophetales, & sacri. Et sic intitulantur in Translatione Chaldaica: scilicet, *libri Salomonis Prophetæ*: Unde licèt Salomon in *Proverbiis* comprimat juvenes, & in lib. *Ecclesiastes* retrahat viros à mundanis, & in *Canticis* provocet senes ad amorem Dei, prout dicit *Hieronymus*: tamen Salomon in omnibus dictis suis semper currit duplici sensu, dando duplicem doctrinam: eò quòd in omnibus suis libris & dictis locutus est parabolicè. Nam in libro *Proverbiorum* sumendo parabolam ex doctrina morali, tradit nobis futura mysteria de Christo, qui est vera Sapientia, & de Ecclesia quam erat Re- B dempturus. Hoc idem facit in libro *Ecclesiastes*, sumendo parabolam ex rebus naturalibus, quæ sunt sub sole. In libro autem *Canticorum*, summendo parabolam ex toto discursu veteris Testamenti, prædicit totum discursum Ecclesiæ Christi ab Incarnatione usque ad prosperitatem ejus, prout patebit. Ex quibus patet, quòd Salomon in hoc libro per scripturam parabolicam veteris Testamenti intendit describere amorem & caritatem cum omnibus effectibus ejus, quos Christus ostendit erga Sponsam suam post omnia opera nostræ redemptionis, & econverso. Ex quibus etiam patet, quòd in omnibus libris, & dictis C Salomonis semper est considerandus duplex sensus utilis & scientificus, scilicet, sensus parabolicus moralis, aut naturalis, aut historicus, ex quibus sumit parabolas: & sensus Theologicus, & Propheticus, quem importare intendit per illas parabolas.

Est autem iterum ad majorem evidentiam advertendum, quòd Salomon in suis operibus processit more satyrico. Et ideo liber *Proverbiorum* non habet materiam determinatam, nec dicitur propriè unus liber determinatus: quia Salomon non ordinavit eum eo modo quo jacet. Quia ille liber non est nisi quædam recollectiones congregatæ ex dictis Salomonis, prout reperiebantur dispersæ D & scriptæ in diversis locis & membranis, prout auditores, qui veniebant ex diuersis partibus scribebant ejus dicta sapientissima, & reponebant ea in suis Bibliothecis. Sed postea Reges Hierusalem successores ejus recollegerunt omnia illa dicta in unum volumen.

Et ideo in libro *Proverbiorum* reperiuntur quatuor recollectiones factæ ex dictis Salomonis: quarum secunda incipit à 10. *capitulo*: cujus titulus est: *Hæ parabolæ Salomonis*: Tertia incipit à 25. *capitulo*, cujus titulus est: *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt* E *viri Ezechiæ Regis Juda.* Quarta autem recollectio incipit à 30. *capit.* cujus est titulus: *Verba congregantis filii vomentis &c.* Quam recollectionem addidit *Josias*, aut ipse *Esdras*, qui omnes quatuor recollectiones collocavit in uno volumine, qui dicitur *liber Proverbiorum.* In quo quidem libro non præcisè traditur doctrina moralis, sed per doctrinam moralem parabolicè Salomon prædicit futura mysteria de Christo & Ecclesia. Quod maximè manifestatur in 8. & in 9. *capitulo*, ubi dicit se loqui de rebus magnis & altissimis: scilicet, de mysterio Incarnationis, & Ecclesiæ fundationis, quæ facta est per Divinam Sapien- F tiam incarnatam, qui est Christus, ut patet ibidem. Item in 30. *capit.* manifestè prædicit mysterium Incarnationis, & & Resurrectionis, & Ascensionis per illa tria, aut quatuor difficilia. Et in 31. *capitulo* prædicit totum discursum Ecclesiæ, & sollicitudinem ejus circa fideles filios suos: & hoc per parabolam sapientis, & diligentis mulieris. Et sic patet, qualiter Salomon semper loquitur parabolicè & metaphoricè in verbis suis. Et sic semper est attendendus duplex sensus in eo.

Item, Salomon non solùm edidit ea quæ scripta sunt & collecta in hoc libro, nec omnia dicta sapientialia Salomonis fuerunt congregata in eo: nam G tempore Apostolorum surrexit quidam sapientissimus Judæus Athenis nutritus, & in lingua Græca & Chaldaica peritissimus, vocatus *Philon*, qui multa dicta alia Salomonis reperit per diversa loca dispersa, & in lingua Græca scripta, prout diversi sapientes audierant à Salomone, & in suis bibliothecis reposuerant. Quæ quidem dicta ipse Philon sub uno volumine omnia redegit & congregavit, & redolenti eloquentia Græca conscripsit; quem librum *Sapientiam Salomonis* appellavit: quem librum Beatus *Hieron.* Latinum fecit. Et *Concilium Nicænum* inter libros sacros annotavit. In cujus *secundo capit.* non solùm pro- H pheticè, sed quasi historicè prædicitur passio Christi; & in *tertio* prædicitur victoria Martyrum. Et in 5. & 6. totus ordo finalis judicii: & in 7. & 8. & 9. loquitur de dono sapientiæ & prophetiæ, quod ex oratione & petitione Salomon adeptus est: & in 10. *capit.* confitetur, qualiter Deus elegit ipsum in Regem, ut regeret illum populum, & ædificaret sibi Templum. Et exinde usque in finem libri narrando discursum illius populi, prædixit totum discursum Ecclesiæ Christi, ut patet contemplari volenti. Ex quibus patet, quòd totus ille liber est de doctri-

na

na Prophetica ipsius Salomonis, de Christo & Ecclesia. Et sic potest dici quinta recollectio & additio ad *librum Proverbiorum* : & ideo ponitur inter sapientiales. A

Secundus autem liber Salomonis appellatur *Ecclesiastes*. Ad cujus intellectum est notandum quod Salomon tribus nominibus appellatur. Primò appellatur *Salomon* , quòd nomen imposuit ipsi pater ejus David in ejus nativitate & circuncisione : quod interpretatur *pacificus* ; & hoc ex Divina inspiratione fecit David, in quantum prævidit in spiritu , qualiter iste debebat regere populum , & regnare in magna pace & quiete & prosperitate , & in quantum erat figura veri Salomonis , scilicet Christi. Et sic B David tradidit ipsum nutriendum & educandum ipsi Prophetæ *Natham*. Sed Natham prævidens in spiritu futuram prosperitatem Regni ejus , & quomodo Deus debebat esse ipsi favorabilis in cunctis & propitius , ideo appellavit ipsum *Idida* , id est *dilectum* , sive *amabilem Deo* , ut patet 2. *Reg.* 12. Item, postea ipsemet Salomon appellavit seipsum *Ecclesiasten* , id est , *concionatorem*, sive *congregatorem* , eò quòd in se congregavit scientiam omnium Patriarcharum & Prophetarum , & omnium Magistrorum suorum , & ominum Orientalium , & Ægyptiorum , & per consequens omnes scientias divinas & humanas. Unde dicitur 3. *Reg.* 4. quòd *præ-* C *cedebat Sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium , & Ægyptiorum: & erat sapientior cunctis hominibus , & sapientior Etham Ezrahita , & Heman , & Chalcol , & Dorda. Et erat nominatus in universis Gentibus per circuitum. Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas , & quinque millia carminum. Et disputavit super lignis , à Cedro , quæ est in Libano , usque ad hyssopum , quæ egreditur de pariete: & disseruit de jumentis , & volucribus, & reptilibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendum Sapientiam Salomonis &c.* Et ideo quia in se congregaverat omnes scientias , hinc est quòd se *Ecclesiasten* , id est , *congregatorem* ap- D pellavit. Ideo *Proverb.* 30. de se ipso dicit : *Verba congregantis filii vomentis &c.* Quasi dicat , quòd prius congregavit ab aliis , sive à Spiritu sancto , sententias , quas intendit dicere , & postea evomuit , & manifestavit , & eructavit eas : quia omnia illa congregaverat ex dictis Patriarcharum , & maximè ex *lib. Psalmorum* David patris sui. Item per eundem modum in lib. Ecclesiastes dicit in principio: *Verba Ecclesiastes filii David Reges Israel. Vanitas vanitatum dicit Ecclesiastes &c.* Item in fine illius libri dicit : *Cumque esset Sapientissimus Ecclesiastes , docuit populum , & enarravit* E *quæ fecerat , & investigans composuit parabolas multas : quæsivit verba utilia, & scripsit sermones rectissimos & veritate plenos. Verba sapientium sicut stimuli , & quasi clavi in altum confixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.* Ex quibus omnibus patet , quòd Salomon non solum se nominat *Ecclesiasten* , id est , *concionatorem* , eò quòd docebat populum in libello illo ; sed etiam se nominat Ecclesiasten, id est, congregatorem , in quantum in illo libro & cæteris congregavit dicta sapientium , scilicet Patriarcharum, & Prophetarum , maximè David patris F sui , quam doctrinam habuerunt ab uno solo Deo pastore & rectore omnium per revelationem & inspirationem. Ex quorum dictis composuit illud libbellum, in quo refutat omnes falsas opiniones hominum mundanorum de humana felicitate , respondendo , quòd non consistit in possessione humanarum scientiarum, nec divitiarum , nec bonorum , nec dignitatum ; sed in observantia Divinorum præceptorum.

Ex supradicti, sequitur , quòd ille liber *Ecclesiastes* non est præcisè de rebus humanis, sed etiam divinis ; nec hæc doctrina est humana , sed divina , & divinitus inspirata , in quantum dicit se ista congregasse ex dictis sapientum , quæ G data sunt *à pastore uno* ; & in quantum omnia quæ dicuntur in hoc libro referuntur ad Deum, & in quantum relictis omnibus mundanis exhortatur , & consulit ad divina præcepta observanda.

Secundo sequitur etiam esse falsam opinionem quorundam Judæorum , & multorum pravorum divitum Christianorum , qui putant Salomonem non curasse , nisi de his quæ sunt sub sole ; & putasse animam humanam esse mortalem, & nullam esse futuram vitam præter præsentem. Sed hoc accidit eis ex cæcitate , & superbia , & obstinatione: quia *unusquisque qualis est , talia dicit & operatur, & talis finis videtur ei* 1. *Ethic.* Nam Salomon in hoc libello manifestè osten- H dit , animam humanam esse immortalem & perpetuam , cum ait in *ultimo capit. Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ : antequam veniat tempus afflictionis tuæ , &c. & antequam revertatur pulvis in terram suam unde erat , & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum &c.* Et concludit dicens : *Deum time, & mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo : cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium.* Ex quibus patet, quòd Salomon confitetur animam humanam esse immortalem & perpetuam , & à Deo creatam ; & quomodo post mortem debet

bet apparere ante Deum, qui creavit eam; & quomodo est judicanda & præmianda, aut punienda secundùm opera quæ hîc gessit. Quòd quidem indicium Christus Deus & homo est facturus. Et sic patet, qualiter ille *liber Ecclesiastes* propheticus de Christo & tota Ecclesia utriusque Testamenti: & sic pertinet ad sacram Scripturam: quia finis ejus est, dirigere hominem in Deum justum judicem.

Tertius autem liber, qui dicitur *Cantica Canticorum*, quem præ manibus habemus, excedit omnes alios libros, & obtinet principatum inter omnia opera Salomonis: eò quòd altiori & ampliori, & subtiliori modo prophetiæ prædicit omnia mysteria nostræ redemptionis, & totum discursum Ecclesiæ. Et sic est considerandа duplex materia in hoc libello. Primò materia proverbialis & parabolica, ex qua Salomon accepit parabolam, & in quibus prævidit in spiritu mysteria futura de Christo & Ecclesia. Et ista est tota Scriptura veteris Testamenti, & totus discursus ab Adam usque ad fundationem primi Templi, & usque ad prosperitatem sui regni. Secunda materia principaliter intenta est totum mysterium nostræ redemptionis, & totus discursus Ecclesiæ ab Incarnatione Christi usque ad prosperitatem Ecclesiæ factam per conversionem Magni Constantini, ut per singula patebit. Et sic patet, qualiter Salomon litteraliter loquitur in hoc libro de Christo & Ecclesia: licèt per vocabula metaphorica, prout infra patebit.

§. III.

Quantum ad tertium capitulum hujus Prologi, in quo quæritur de causa formali hujus libri, est primò notandum, quòd duplex annotatur orma in hoc libro: scilicet, forma tradendi, sive tractandi; & forma tractatus. Forma autem tradendi dicitur metaphorica & decantativa, in quantum procedit metricè & decantativè, scilicet metro Sapphico, aut Pindarico, & generaliter Lyrico. Et sic totum hoc opus denominatur *Canticum*, sive *Cantica*. Item, quia in toto isto opere procedit metaphoricè, seu parabolicè: ideo dicitur *Canticum* metaphoricum, seu parabolicum. Sed quia procedit sub triplici metaphora secundùm triplicem conditionem personarum, quas introducit ad loquendum; ideo istud opus sive carmen triplici nomine denominatur & appellatur, secundùm quod sub triplici metaphora introducit Christum & Ecclesiam: quæ sunt personæ principales ad loquendum introductæ. Nam in quantum introducit Christum & Ecclesiam sub parabola, & metaphora sponsi & sponsæ, tunc dicitur *carmen*, sive *Canticum Epithalamicum*, & totum opus dicitur *Epithalamium*, id est, Canticum nuptiale, in quantum describitur amor Christi ad sponsam suam, quam sibi per fidem desponsavit hîc per gratiam, & in futuro per gloriam: in quo Cantico nuptiali explicantur omnes effectus amoris, quos Christus ostendit erga Ecclesiam Sponsam suam in opere nostræ redemptionis & glorificationis, prout patebit per singula Cantica. Sed in quantum quandoque introducit Christum & Ecclesiam sub metaphora pastoris & gregis, tunc dicitur *Carmen bucolicum*, id est, pastorale: & totum opus dicitur quædam *Bucolica* & quedam *Ecloga*, ad modum *Bucolicorum Theocriti*, & *Virgilii*. Sed in quantum introducit Christum & Ecclesiam ad loquendum sub metaphora agricolæ, & vineæ, aut horti, aut agri: tunc potest dici quædam metaphorica *Georgica*. Et sic patet, qualiter triplici modo metaphorico procedit Salomon in hoc opere: scilicet, modo Epithalamico & Bucolico & Georgico. Et sic istud opus partim dicitur *Epithalamium*, & partim *Bucolica*, & partim quædam *Georgica* secundùm diversitatem conditionum personarum introductarum ad loquendum, sive personarum, de quibus fit sermo. Et hoc pertinet ad formam libri, eò quòd denominatio fit à forma.

Secundo modo consideratur in hoc libro forma Tractatûs, in quantum totam habet rationem formæ respectu partium, & prout componitur ex suis partibus, aut dividitur in eas. Et sic totum opus istud dupliciter potest dividi. Uno modo per *decem Cantica* particularia. Alio modo per *dramata*: unde *drama*, *dramatos* Græcè idem est quod interrogatio, sive petitio Latinè. Sed quia istud opus procedit quandoque per modum petitionis & interrogationis, ut ibi: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum? &c.* aut ibi: *Qualis est dilectus tuus?* aut, *Quò abiit dilectus tuus? &c.* Ideo dicitur *Canticum Dramaticum*, id est, dialogicum & interrogativum. Et ideo quot sunt interrogatores, tot dicuntur esse dramata. Et sic *Origenes*, & *Hieronymus* dividebant totum istud opus per *dramata*. Sed satiùs mihi videtur, ut dividatur per *Cantica*, prout in procedendo patebit.

§. IV.

Quantum ad quartum capitulum de fine hujus libri est advertendum quòd Salomon duplicem finem assignat & notat in hoc libro, scilicet, unum *Propheticum*, & alterum *Anagogi-*

gicum. Primus finis & immediatus erat, ut Ecclesia pro illo statu, scilicet populus Israel, reciperet Christum in Sponsum & verum Messiam & Redemptorem in suo primo adventu, quando veniret & appareret in carne. Quod notatur *c.*3. in *quarto Cantico*, cum dicitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius &c.* Quasi dicat: O Israelitæ & Judæi, cum videritis Christum Deum incarnatum venientem in carne, & prædicantem vobis, *egredimini* à jugo Legis, & relinquite cærimonias, & omnia legalia, & recipite Christum in Regem & Messiam & Redemptorem, & recipite doctrinam & legem ejus Euangelicam. Secundus vero finis, qui ultimatus & Anagogicus, est, ut unaquæque anima fidelis postquam est jam per Christum redempta, relinquat ista mundana transitoria, & jungatur Sponso suo Christo per charitatem, & anhelet ad superiorem patriam, & cupiat dissolvi, & esse cum Christo: Et tandem ut tota Ecclesia in fine mundi introducatur ad nuptias cælestis gloriæ & patriæ cum Sponso suo Christo. Quod notatur in fine totius libri, cum Sponsus vocat Sponsam dicens: *Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam*: & ipsa respondens dicit: *Fuge dilecte mi, esto similis capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Quasi dicat: Fugiamus ab hoc misero mundo, & duc me tecum in patriam cælestem. Et secundum istum finem moralem & Anagogicum omnes sacri Doctores antiqui exposuerunt istum librum: unde sicut toti erant sancti, & ferventes charitate, non curabant de sensu prophetico hujus libri: nam præsuppositâ fide postquam jam eramus redempti, non laborabant, nisi deducere animas ad amorem sui Sponsi & Creatoris & Redemptoris. Et sic *Origenes*, & *Beatus Hieronymus*, & *Augustinus*, & *Gregorius*, & *Beatus Bernardus*, & *Venerabilis Beda* magis attenderunt in hoc libro ad sensum moralem & Anagogicum, quàm ad propheticum & litteralem: in tantum quòd vix apud modernos intelligitur & habetur sensus propheticus hujus libri propter causas jam dictas.

Et ideo quia non solum charitas, sed etiam fides incipit frigescere in mundo, & studium sacræ Scripturæ, & ejus fidelis intelligentia multum minui: hinc est quòd postquam Deo favente exposui *librum Psalmorum David* juxta sensum literalem & propheticum; ideo in præsenti conabor cum Dei adjutorio & auxilio, secundum gratiam mihi desuper datam, detegere & referare intellectum, & sensum propheticum sub metaphoris & parabolis in hoc libello latentem & clausum.

Veruntamen valde mihi difficile videtur opus tam arduum aggredi velle tentare: tum propter difficultatem materiæ, quia de rebus altissimis & ineffabilibus mysteriis, scilicet, incarnationis & redemptionis: tum propter latitudinem materiæ: quia de toto discursu Ecclesiæ ab Adam usque ad Judicium: tum propter formam tradendi & tractandi hujus libri: quia procedit modo metaphorico multiplici, scilicet, Epithalamico, & Bucolico, & Georgico: Tum propter defectum humani auxilii: nam omnes sacri Doctores antiqui relicto sensu prophetico & literali, pro majori parte exposuerunt istum librum tantùm quoad sensum moralem & Anagogicum. Item, quia *Origenes*, qui primus post Apostolos attentavit exponere istum librum, tantùm fecit duas Homilias quas *Beatus Hieronymus* transtulit ex Græco in Latinum; in quibus vix absolvit primum Capitulum hujus libri. Item *Beatus Hieronymus* fecit quatuor Homilias, quibus vix absolvit secundum Capitulum hujus libri. Item *Beatus Bernardus* edidit octoginta Homilias, sive Sermones: in quibus vix attingit & explet tertium Capitulum hujus libri. Solus autem *Venerabilis Beda*, & *Beatus Gregorius*, exposuerunt & expleverunt totum librum: sed solum secundum sensum moralem & Anagogicum, sicut cæteri Doctores. Et ideo cum grandi veneratione susceptâ & præsuppositâ doctrinâ supradictorum sanctorum Doctorum, & cum grandi humilitate semper invocato divino auxilio, quid sibi velit iste libellus juxta sensum propheticum & literalem experiri conabor. Et ideo in nomine Jesu ad ejus Expositionem accedamus & primo ad expositionem Tituli: deinde ad expositionem Tractatus.

§. V.

UNde huic libello secundum Latinos præponitur talis Titulus, scilicet, *Cantica Canticorum Salomonis*: secundum vero Hebræos, *Canticum Canticorum ipsi Salomoni.* Et sic videtur differentia inter nos & Hebræos in positione & pronuntiatione hujus Tituli, quem præposuit *Esdras* huic libro. Nam nostra Translatio sonat, multa Cantica contineri in hoc libello. Et litera Hebraica sonat, esse tantùm unum Canticum. Sed in hoc nulla est difficultas: quia totus iste liber potest dici unum cantitum universale, & multa particularia cantica, prout patebit in divisione & prosecutione libri. Sed est valdè notanda differentia: nam per nostram Translationem de-

no-

notatur, quod Salomon fecit istum librum; Et per litteram Hebraicam notatur, quod totum istud Canticum dirigitur ipsi Salomoni. Et sic videtur, quod Salomon fecerit hoc canticum pro seipso, & sibi ipsi. Et sic nullum esset quærendum mysterium, nec spirituale sacramentum, nec aliqua prophetia in hoc libro: quod esset erroneum & hæreticum: quia tunc iste liber non esset annumerandus inter libros Sacri Canonis: quod esset contra dicta in primo Capitulo hujus Prologi. Et ideo pro hujusmodi errore vitando, & differentiâ Translationum hujus Tituli declarandâ, est primò notandum, sicut dictum fuit in Prologo *Expositionis libri Psalmorum*, *Tractatu* 4. quòd omnia nomina Patriarcharum & Prophetarum fuerunt eis imposita prophetice ex divinâ providentiâ & inspiratione prophetica secundùm officia & proprietates eorum, in quantum fuerunt figura Christi futuri, & in quantum Christus fuit figuratus in eis.

Et sic dicit *Augustinus*, & *Leo Papa*, quòd Christus fuit occisus in *Abel*, & liberavit Ecclesiam figuraliter in Noe: & fuit pater Gentium in Abraham, & immolatus in *Isaac*, & benedictus in *Jacob*, & liberavit Ecclesiam, sive genus humanum de captivitate diaboli in *Moyse*; & introduxit fideles in terra viventium in *Josue*; & passus est, & resurrexit in *David*, & ædificavit Ecclesiam in *Salomone &c.* Et sic Christus fuit verus Abel, & verus Noe, & verus David, & verus Salomon. Et quia illi non fuerunt nisi figura & pictura Christi; ideo Christus *Matth.* 12. Judæis quærentibus signum de cœlo, & in qua potestate faciebat miracula, respondit dicens: *Generatio prava & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ: quia sicut Jonas stetit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terræ.* Et subdit: *Ecce plus quam Jonas hîc.* Item, *Regina Austri venit audire sapientiam Salomonis à finibus terræ: & Ecce populus quam Salomon hîc*: Quasi dicat, quòd ille fuit *Jonas* in figura; sed Christus fuit *plus quam Jonas*, & verus Jonas: quia tertia die resurrexit de sepulchro. Item Christus fuit verus, & *plus quam Salomon*: quia ille accepit scientiam ad mensuram: & solùm venit *Regina Austri*, & quidam finitimi ad audiendam sapientiam ejus: sed Christus accepit gratiam & scientiam sine mensura; & ad ejus doctrinam & Legem Euangelicam venerunt omnes Gentes à Solis ortu & occasu, & ab Aquilone & Austro: & ideo Christus fuit *verus Salomon*. Ille autem fuit solùm figura & pictura hujus.

Et ita pariter est dicendum: quòd ille *Salomon* dictus est *Deo amabilis* solùm figuraliter respectu Christi: quia ille fuit amabilis Deo solùm in juventute; sed in senectute fuit depravatus, & Deo factus odiosus: sed Christus fuit semper Deo Patri dilectus, in quo ipsi semper complacuit, & cui semper fuit obediens usque ad mortem crucis. Item, Salomon fuit figuraliter tantùm dictus *Ecclesiastes*, in quantum congregavit in se per studium & doctrinam scientias humanas creatas & divinas. Sed Christus dictus est verus, & *plusquam Ecclesiastes*; quia ipse fuit lux vera quæ illuminavit Salomonem, & locutus est per omnes Patriarchas & Prophetas, & postea locutus est nobis in carne, & illuminavit omnem hominem venientem in hunc mundum. Et sic patet, qualiter Christus est *verus Salomon*, & verus *Deo dilectus*: & verus *Ecclesiastes*: & qualiter Salomon non fuit sortitus hujusmodi nomina, nisi in quantum fuit figura Christi. Sic ergo est dicendum: quòd quia ille Salomon temporalis & terrenus fuit figura Christi veri Salomonis: ideo composuit istum librum de Christo, *Salomone spirituali*, dirigendo ipsum Salomoni spirituali, qui est verè *Deo Patri dilectus* & *verus Ecclesiastes*, & *verus congregator* omnium dissipatorum: & *verus congregator* omnium virtutum & veritatum. Est ergo sensus hujus Tituli: quòd Salomon terrenus, & figurativus fecit hunc librum directum vero Salomoni spirituali, qui est Christus Deus & homo Sponsus Ecclesiæ.

Sed nunc restat quærendum, quare dicitur *Cantica Canticorum*: id est quare additur ly *Canticorum*? Ad hoc breviter respondetur: quòd licèt Genitivus pluralis additus supra Nominativum, seu quemcumque obliquorum, communiter denotet aliquam excellentiam, seu excessum super omnes ejusdem generis, ut *Propheta Prophetarum*, *Philosophus Philosophorum*: licèt etiam istud Canticum Salomonis excedat omnia Cantica Moysi, & aliorum Prophetarum in sublimitate & profunditate prophetiæ; tamen non excedit Cantica David: cùm probatum sit in *Prologo libri Psalmorum*, David fuisse eximium omnium Prophetarum in profunditate prophetiæ de Christo & Ecclesia. Et ideo ille genitivus pluralis non denotat excellentiam altitudinis prophetiæ in Salomone; sed dicit excellentiam in comprehensione multitudinis sententiæ sub brevitate sermonis: eò quòd Salomon comprehendit in istis parvis decem Canticis sententialiter totum discursum Legis ab *Abraham* & *Moyse* usque ad Christum, & exinde usque ad *Magnum Constantinum*: & etiam in quan-

quantum in his decem canticis comprehendit superficialiter omnia Cantica David patris sui, & omnia Cantica Moysi, & aliorum. Et sic dicitur *Canticum Canticorum*, id est, continens omnia alia Cantica: quia licèt David in centum quinquaginta Psalmis comprehenderit totam Legem & Prophetas, & totum novum Testamentum: tamen Salomon in breviori sermone fuit abbreviator sententiæ principalis ipsorum Psalmorum David. Et sic hoc opus dicitur *Canticum*, quasi abbreviatorium Psalmorum & Canticorum David. Unde sicut *Hippocrates* complexus est totum corpus Medicinæ, in brevibus canticis, qui dicuntur *Aphorismi*, & etiam *Avicenna* postea voluit abbreviare magis cantica Hippocratis sub paucioribus & brevioribus canticis: ita pariter Salomon sub decem Canticis voluit comprehendere & abbreviare omnes Psalmos David, immò totum discursum Legis & Prophetarum. Item, hæc est causa quare Esdras intitulavit istum librum *Cantica Canticorum.*

Sed postea venit *Virgo Maria*, quæ fuit prima Prophetissa, & Tympanistria, & prima Euangelista novi Testamenti, quæ composuit illud brevissimum Canticum, scilicet, *Magnificat anima mea Dominum*: in quo sub decem versibus complexa est totam Legem & Prophetas, & totum novum Testamentum: in quo simul fuit Prophetissa & Euangelista, ut patet. Et ideo illud Canticum Virginis meretur dici *Canticum Canticorum*, & *Psalterium decem chordarum:* quia superat omnia Cantica, & omnes Psalmos. Et ideo continuè cantat ipsum Ecclesia in Officio Vesperarum, prout declaratum est in Expositione illius Cantici Virginis Mariæ. Ex supradictis patet, qualiter iste liber dicitur *Cantica Canticorum*: & quomodo Salomon terrenus fecit ipsum de Salomone spirituali Sponso Ecclesiæ.

§. VI.

DEclarato igitur Titulo deveniendum est ad *Tractatum*: & primò ad ejus divisionem: secundò ad ejus Expositionem. Quem quidem Tractatum quidam antiquorum diviserunt per octo capitula. Alii autem, scilicet *Origenes*, & *Hieronymus* diviserunt ipsum per *dramata*. Et sic quot sunt petitiones & interrogationes, in tot partitiones diviserunt eum in suis Expositionibus. Sed satiùs & commodiùs mihi videtur, ut dividamus ipsum per Cantica, & per consequens per mysteria: eò quòd in quolibet Cantico cantatur & explicatur aliquod distinctum mysterium Euangelicum.

Et sic quot sunt Cantica in hoc libro, tot erunt principales partes ejus in exponendo. Sed quia dictum est, quòd materia principalis intenta in hoc libro sunt mysteria Euangelica totius discursus Ecclesiæ Christi ab Incarnatione usque ad Judicium, & maximè usque ad prosperitatem Ecclesiæ datam tempore *Constantini* usque ad *Justinianum*, prout Salomon prævidit in spiritu contemplando totum discursum veteris Testamenti usque ad suum tempus: ideo est advertendum, quòd decem principalia mysteria consideravit, & contemplatus est Salomon in veteri Testamento, in quibus prævidit in spiritu tamquam in speculo decem mysteria futura in novo Testamento, de quibus fecit decem Cantica in hoc libro.

Et ideo antequam accedatur ad Expositionem & divisionem hujus libri, sunt præsupponenda & prænotanda illa, septem principia, quæ ego posui in Expositione *libri Psalmorum, Tractatu* 3. cum illis decem regulis, sive clavibus ad aperienda mysteria novi Testamenti, quæ latebant sub figuris, & gestis, & promissionibus, & generaliter sub littera veteris Testamenti. Quorum principiorum primum est istud: scilicet, quòd tota sacra Scriptura utriusque Testamenti est ab ipso Deo tradita & revelata: putà, in primo Testamento per Patriarchas & Prophetas, & in secundo Testamento per Verbum incarnatum. Ex quo patet, quòd sacra Scriptura non potest mentiri, nec ipsi aliquid falsum subesse. Secundum principium: quòd in Divinis est Trinitas Personarum cum unitate & simplicitate substantiæ, scilicèt, quòd licèt Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint tres Personæ relativæ: tamen sunt unus Deus & una substantia. Tertium, quòd Verbum Divinum Filius Patris assumpsit veram carnem animatam ex Virgine Maria in unitate suppositi: itaque Christus est verus Deus & verus homo. Quartum, quòd Christus in illa humanitate assumpta pro nostra redemptione fuit verè passus, & mortuus, & resurrexit &c. Ex cujus passionis virtute habent virtutem & efficaciam omnia Ecclesiastica Sacramenta, & à quo tamquam à capite descendunt & dirivantur omnia genera gratiarum & donorum spiritualium in totam Ecclesiam. Quintum principium: quòd non solùm Christus est caput & Sponsus Ecclesiæ; sed etiam est finis, & terminus, & veritas totius Legis veteris & Prophetarum. Et per consequens tota Scriptura Legis & Prophetarum nil aliud fuit, nisi via in Christum, & signum, & figura, & umbra: itaque nihil fuit dictum nec gestum in veteri Testamento gratiâ suim, sed in figura & prophetiam Christi,

qui

qui erat finis Legis & Prophetarum: quæ omnia fuerunt completa & verificata per Christum, prout ibi fuit ostensum. Sextum principium, quod Christus non solum fuit, & est caput, & Sponsus Ecclesiæ, & finis & terminus Legis & Prophetarum, in quo finivit cursum Lex & Prophetæ; sed etiam Christus est mediator Dei & hominum. Nam sicut Deus Pater per Filium Verbum suum omnia creavit: ita per eundem Filium suum incarnatum genus humanum recreavit, & reparavit: & sic Christus est medius propitiator, & advocatus, & procurator, & fidejussor, & interpres, & Judex inter nos & Patrem, & medius dispensator omnium bonorum, ut ibi fuit probatum. Septimum principium est, quòd sicut Christus est metrum, & principium, & mensura, & fons omnium bonorum effectivè: ita diabolus est principium & causa omnium malorum & peccatorum persuasivè. Item, non solum prænotanda sunt supradicta septem principia, sed etiam illæ decem Regulæ, & *Claves*, quæ fuerunt assignatæ in eodem tractatu ad aperiendas scripturas sacras, & ænigmata earum.

Quarum prima est de essentia & persona. Secunda, de Christo Deo & homine. Tertia, de Christo capite, & Ecclesia Sponsa sua, sive corpore mystico. Quarta, de natura & gratia. Quinta, de spiritu & litera. Sexta, de sensu verborum in quo fiunt, & non quandoque quem faciunt. Septima, de sæculis & ætatibus divinæ legis, & unius Ecclesiæ ab Adam usque ad Judicium. Octava regula, de diabolo, & ejus corpore. Nona, de specie & genere, sive de toto & parte, tam in numeris, quàm in locis & nationibus. Decima regula, de figuris & tropis grammaticalibus: prout ibi ad longum fuit explicatum. Quæ quidem septem principia & decem regulæ maxime sunt necessariæ ad aperienda mysteria sacra, quæ sub metaphoris & ænigmatibus latent in hoc libro, in quo Salomon sub *metaphora Sponsi & Sponsæ, & Pastoris, & Regis, & Agricultoris, & horti & vineæ* prædicit omnia mysteria Christi & Ecclesiæ, & nostræ redemptionis, sumendo parabolas ex gestis, & promissionibus, & vaticiniis scripturæ veteris Testamenti, sicut fecit *David in libro Psalmorum*.

Quia Salomon considerando & contemplando mysteria sacræ Scripturæ, veteris Testamenti, ibi tanquam in speculo, prævidit in spiritu prophetico futura decem mysteria Christi & Ecclesiæ & totius nostræ redemptionis. Nam primò contemplatus est omnes promissiones de Christo futuro Redemptore factas Patriarchis & Prophetis veteris Testamenti, & specialiter desiderium filiorum Israel existentium in Ægypto petentium liberari de illa captivitate: in quibus prævidit in spiritu totum desiderium Patriarcharum & Prophetarum, & omnium fidelium tam vivorum, quàm mortuorum existentium in Limbo inferni expectantium Christum, ut veniret ad redimendum genus humanum de captivitate peccati, & de Limbo.

Secundò contemplatus est Salomon totam fabricam Arcæ, & Tabernaculi, quod Deus præcepit fabricari ipsi Moysi: super quam fabricam Salomon prævidit in spiritu totum mysterium Incarnationis.

Tertiò contemplabatur Salomon, qualiter Deus intravit in Arcam, & loquebatur, & docebat Moysen de Tabernaculo. Per quod mysterium prævidit prædicationem Christi in humanitate, & dationem Legis Euangelicæ.

Quartò contemplatus est peregrinationem ipsius Arcæ per desertum, à *cujus facie mota est terra*, & factâ sunt multa miracula. Per quod prævidit in spiritu totam peregrinationem Christi per terram promissionis, faciendo stupenda miracula multò majora.

Quintò consideravit ascensum Moysi in montes *Abarin* & *Phasga*, unde prospexit totam terram promissam, & consideravit divisiones & partes ejus, prout Deus ostendebat ipsi, ut patet *Deuter.* 34. Per quod mysterium prævidit Salomon, qualiter Christus lustratâ totâ terrâ promissionis, debebat ascendere Hierosolimam ad prædicandum, & crucifigendum &c.

Sextò consideravit & contemplatus est Salomon, qualiter Moyses post multos labores & vexationes sibi illatas ab illo duro populo, mortuus est in vertice *Phasga*, nec amplius visum est corpus ejus illi populo. Per quod prævidit Salomon, qualiter Christus erat moriturus in monte Crucis in Hierusalem; quem Judæi cæci amplius nunquam erant visuri.

Septimò consideravit Salomon, qualiter *Josue* fuit substitutus Dux per Moysen & introduxit illum populum in terram promissionis. Per quod mysterium prævidit resurrectionem Christi; & qualiter Christus post resurrectionem debebat introducere in terram viventium omnes fideles veteris Testamenti, quos eduxit de inferno, & de captivitate diaboli.

Octavò consideravit Salomon, qualiter *Josue* elegit duodecim Duces, cum quibus adeptus est totam terram promissionis cum signis & portentis. Per quod mysterium prævidit in spiritu, qualiter Christus post resurrectionem debebat mit-

mittere duodecim Apostolos ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, qui totum populum Gentilem subjecerunt A jugo Christi, diabolo foras ejecto.

Nonò consideravit totum discursum illius populi usque ad tempora David, & omnes afflictiones quas passus est à finitimis tempore Judicum, & omnes victorias quas de eis obtinuerunt: & finaliter contemplatus est victorias ipsius David, & quomodo subjecit sibi non solum totam terram Israel, sed etiam omnes populos infidelium finitimorum fecit sibi tributarios. Per quod prævidit Salomon in spiritu decem, & etiam quatuordecim persecutiones Imperatorum & Tyrannorum contra Ecclesiam tempore Martyrum: & quomodo Ecclesia debebat sibi subjicere B totum populum Gentilem.

Decimò contemplabatur Salomon prosperitatem sui regni, & pacem, & multitudinem divitiarum; & quomodo ex præcepto David ædificaverat illud Templum magnificum, & ampliaverat & ditaverat illam civitatem & regnum &c. Per quod mysterium prævidit in spiritu, qualiter Ecclesia Christi post multas persecutiones, multo sanguine martyrum effuso, debebat prosperari, & per totum orbem liberè ampliari, & quietari post conversionem *Constantini*.

De supradictis ergo decem mysteriis Evangelicis, quæ erant facienda in toto discursu novi Testamenti, Salomon fecit decem Cantica in hoc libro, su- C mendo parabolam ex supradictis mysteriis veteris Testamenti. Et sic in unoquoque Cantico cantat unum mysterium Evangelicum. Nam in primo Cantico cantat totum desiderium omnium fidelium veteris Testamenti Christum expectantium. In secundo Cantico cantat mysterium incarnationis Christi. In tertio cantat mysterium vocationis Apostolorum per Christum, & electionis eorum. In quarto cantat ostensionem Christi in carne, & peregrinationem, & operationem miraculorum. In quinto cantat ejus ascensum in Hierusalem, & exhortationem ejus ad Judæos, & ditationem Ecclesiæ in bonis spiritualibus. In sexto cantat Christi mortem & passionem, & D mysterium nostræ redemptionis. In septimo cantat, qualiter Apostoli post receptionem Spiritus sancti prædicaverunt Christum esse verum Messiam populo Judaico, & in Hierusalem. In octavo cantat missionem Apostolorum ad prædicandum per universum orbem. In nono cantat conflictum, & pugnam, & victoriam martyrum. In decimo cantat prosperitatem & pacem Ecclesiæ datam per Constantinum.

Primum Canticum incipit ibi: *Osculetur me osculo oris sui.* Secundum ibi: *Dum esset Rex in accubitu suo.* Tertium E ibi: *Vox dilecti mei: iste venit saliens in montibus.* Quartum ibi: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum.* Quintum ibi: *Quam pulchra es amica mea.* Sextum ibi: *Surge Aquilo, & veni Auster.* Septimum ibi: *Adjuro vos filiæ Hierusalem: si inveneritis dilectum meum.* Octavum ibi: *Quo abiit dilectus tuus?* Nonum ibi: *Quid videbis in Sunamite? &c.* Decimum ibi: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens.*

Ad majorem autem evidentiam eorum quæ dicta sunt, & dicenda, est advertendum: quòd sacra Scriptura veteris Testamenti duobus nominibus generaliter nuncupatur. Nam primò dicitur *Testamentum Dei*, in quantum Deus pro- F misit illi populo bona futura, & in quantum illa promissio erat confirmanda, & complenda per mortem Testatoris. Unde *testamentum* dicitur de *testor*, *testaris*: quod idem est quod confirmare & ratificare. Et sic in tantùm dicitur *Testamentum*, in quantum est confirmatum per ultimam voluntatem Testatoris. Sed quia ultima voluntas est illa quæ per solam mortem testatoris terminatur & finitur; ideo nunquam dicitur *testamentum ratum*, usquequo est confirmatum per mortem testatoris: quia per totum tempus antè poterat ipse testator mutare voluntatem. Et ideo hæres nunquam accipit, nec possidet hæreditatem, nisi post mor- G tem testatoris: quia tunc est validum testamentum. Ex quibus sequitur, quòd Scriptura veteris Legis non fuit verè Testamentum, sed dispositio testamenti; nec dicitur testamentum, nisi in quantum erat confirmandum per mortem Dei Testatoris. Et per consequens oportebat, ut Deus moreretur, ad hoc quod testamentum confirmaretur: quia aliter mansisset caducum & vanum. Sed quia Deus est essentialiter immortalis, & infallibilis, & æternus, quia *in æternum permanet idem, & anni ejus nunquam deficient*, *Psal.* 101. Ideo oportuit, ut Deus fieret personaliter homo, & ut ille homo assumptus personaliter Deus moreretur, ad con- H firmandum testamentum Dei, & ut compleret omnia promissa. Et sic per mortem & sanguinem Christi fuit confirmatum totum vetus Testamentum, ut patet *ad Hebræ.* 9. & 10. Et ideo patres & fideles veteris Testamenti, non potuerunt adipisci repromissiones, nisi simul nobiscum per mortem Christi, *ad Hebræ.* 11. Et sic patet, qualiter Scriptura Legis & Prophetarum in tantum dicebatur *Testamentum Dei*, in quantum erat per mortem & sanguinem Christi confirmandum. Et ideo dixit Christus: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*, id est, noviter in meo sangui-

ne confirmatum, 1. *ad Corinth.* 11.

Secundo modo Scriptura Legis & Prophetarum dicebatur *pactum*, sive *fœdus desponsale*, in quantum Deus elegit sibi illum populum in populum peculiarem & proprium, & ille populus accepit Deum in Deum, & Dominum, & Pastorem spiritualem; & promisit observare Legem ejus, ut patet, *Exod.* 19. 20. & 24. & per totum discursum Legis & Prophetarum. Unde *Exod.* 19. dicit Deus: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta &c.* Cui respondit populus: *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* Item hoc idem respondit totus populus, quando Moyses legit eis volumen Legis, ut patet *Exod.* 24. Ideo tunc Moyses ad confirmationem illius desponsationis, & promissionis immolavit duodecim vitulos, & diffudit unam partem sanguinis super altare, & alteram partem super populum, dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Dominus super cunctis sermonibus his &c.* Ad denotandum, & significandum, quòd illud Testamentum, & illud fœdus desponsale non poterat confirmari, nisi per sanguinem Christi Sponsi hujus populi. Ex quibus patet, quòd sicut illud Testamentum non poterat confirmari & adimpleri, nisi per mortem & sanguinem Christi Testatoris: ita illa desponsalia, sive desponsatio facta inter Dominum & populum, non poterat confirmari, nec adimpleri & ratificari, nisi per præsentiam Dei venturi in carne: eò quòd talis desponsatio facta fuerat per verba de futuro, & per Sponsum in carne familiariter venturum, & cum Sponsa locuturum & conversaturum.

Ex supradictis patet, & prout dictum fuit in *Prologo* Expositionis libri Psalmorum: quòd una Lex, & unum Testamentum dicitur totus discursus sacræ Scripturæ, & totius Ecclesiæ ab Adam usque ad Judicium; & hoc secundum substantiam, & etiam ratione unius Christi crediti. Sed totus iste discursus dividitur principaliter in duo tempora, scilicet, ante adventum Christi: & post adventum ejusdem. Tempus enim ante adventum respectu Dei, dicebatur tempus disponendi & promittendi, in quantum Deus promittebat futuram redemptionem, & glorificationem, & restaurationem toti generi humano, & disponebat illum popum per illa legalia ad recipiendum Christum in suo adventu. Sed respectu earum rerum, quæ gerebantur & fiebant, dicebatur tempus figurandi & significandi: quia omnia illa fiebant & contingebant illis in signum & figuram futurorum. Sed respectu Patriarcharum & Prophetarum, quibus fiebant promissiones, dicebatur tempus desiderandi, & expectandi, & petendi: quia omnes desiderabant, & expectabant, & petabant Christum futurum Redemptorem & glorificatorem, tamquam Sponsum, & Salvatorem. Et sic patet, qualiter tempus ante adventum Christi fuit tempus promittendi, & disponendi, & figurandi, & significandi, & desiderandi, & petendi, & expectandi. Totum autem tempus adventus Christi & totius discursus novi Testamenti fuit tempus adimplendi promissa, & confirmandi disposita, & verificandi signa legalia & figuras, sive ea quæ erant figurata & significata. Et respectu omnium fidelium fuit, & est tempus colligendi, & recipiendi. Quia per adventum Christi omnes fideles veteris Testamenti simul nobiscum receperunt promissiones, scilicet, fructus omnium promissionum, ut ait Apostolus ad *Hebr.* 11. Et nos collegimus & messuimus messes, quas patres veteris Testamenti seminarunt, ut ait Salvator, *Joann.* 4. Ex quibus omnibus patet, qualiter Christus adimplevit & verificavit omnia quæ fuerunt in veteri Testamento disposita, & promissa, & figurata. Et sic etiam confirmavit Testamentum ab initio institutum, & complevit & confirmavit Sponsalia antiqua. Et ideo Lex Euangelica, & totum novum Testamentum nil aliud est, nisi veritas & confirmatio veteris Testamenti, in quo tempore omnes fideles receperunt omnia quæ fuerunt promissa, & desiderata, & petita in veteri Testamento. Et sicut totum illud tempus fuit tempus desiderandi, & petendi, & significandi: ita istud dicitur tempus recipiendi & faciendi. Unde non solum Christus verificavit omnia quæ in Lege veteri fuerunt promissa & figurata: sed adhuc nos verificamus & implemus omnia illa, servando Legem Euangelicam, & exercendo Ecclesiastica Sacramenta: quæ nil aliud sunt, nisi quædam veritates illorum signorum legalium: & sic faciendo & operando recipimus fructus promissionum.

Omnia ergo supradicta considerans & prævidens in spiritu Salomon, fecit istum libellum: in quo voluit ostendere totum ingenium suum; quia sub brevibus, & difficilibus, & obscuris verbis descripsit totum discursum utriusque Testamenti. Et ideo iste libellus redditur difficilior ad intelligendum, eò quòd omnia quæ scripta sunt in utroque Testamento de Christo & Ecclesiâ, & omnia quæ David cantavit in centum quinquaginta Psalmis, voluit Salomon complecti in hoc libello sub triplici metaphora, scilicet sub

sub metaphora Sponsi & Sponsæ, & sub metaphora pastoris, & gregis, & sub metaphora Agricolæ, & vineæ, sive horti: & ideo istud opus simul vocatur *Epithalamicum* & Georgicum; & propter hoc redditur difficilimum ad intelligendum, scilicet ratione styli, & ratione brevitatis. Nam in decem Canticis complectitur totum discursum utriusque Testamenti sub supradictâ triplici metaphorâ. Unde in primò Cantico cantat totum desiderium, & omnes petitiones Patrum veteris Testamenti, & sic explicat tempus desiderandi, & petendi, & expectandi. Et in novem Canticis subsequentibus cantat totum discursum Ecclesiæ ab Incarnatione Christi usque ad tempora *Constantini* & *Justiniani*, & etiam usque ad finem mundi, ubi erit generalis glorificatio. In quibus novem Canticis cantantur novem mysteria de Christo & Ecclesia, prout patebit: in quibus satisfacit, & annuit desiderio & petitionibus Patrum veteris Testamenti per singula. Procedendo ergo ad Expositionem hujus libri, servabitur iste ordo. Nam primò ponetur textus cujuslibet Cantici per versus distinctus. Secundò ponetur ejus Expositio. Incipit ergo Canticum primum.

CANTICUM PRIMUM.

Osculetur me osculo oris sui:
Quia meliora sunt ubera tua vino,
Fragrantia unguentis optimis.
Oleum effusum nomen tuum.
Ideo adolescentulæ dilexerunt te.
Trahe me, post te
Curremus in odorem unguentorum tuorum.
Introduxit me rex in cellaria sua.
Exultabimus & lætabimur in te,
Memores uberum tuorum super vinum.
Recti diligunt te.
Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem,
Sicut Tabernacula Cedar,
Sicut pelles Salomonis.
Nolite me considerare quod fusca sum:
Quia decoloravit me Sol.
Filii matris meæ pugnaverunt contra me:
Posuerunt me custodem in vineis:
Vineam meam non custodivi.
Indica mihi, quem diligit anima mea,
Ubi pascas,
Ubi cubes in miridie,
Ne vagari incipiam
Post greges sodalium tuorum.
Si ignoras te, ò pulchra inter mulieres,
Egredere & abi post vestigia gregum,
Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.
Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis:
Collum tuum sicut monilia.
Murenulas aureas faciemus tibi
Vermiculatas argento.

Osculetur me osculo oris sui. Hoc est primum Canticum hujus libri: in quo introducitur Ecclesia prioris Testamenti tamquam Sponsa, & Christus tamquam ejus Sponsus ad loquendum. Et ideo præsens Canticum habet duas partes principales. Nam in prima ponitur, & explicatur Sponsæ diu desiderata petitio. Secundo Sponsi gratiosa responsio. Ibi: *Si ignoras te ò pulchra.*

Quantum ergo ad primum, pro fundamento totius hujus libri est valde notandum: quòd indigentia & carentia alicujus boni amissi est causa desiderii recuperandi ipsum: sed firma promissio est causa firmæ & vehementis fidei & spei rei promissæ. Et ita accidit in *Adam*: quia cum ipse ante lapsum fuisset creatus in illa opulentia & felicitate, nullam patiens indigentiam; tamen cum statuit & tentavit descendere ab Hierusalem Jericho transgrediendo Divinum præceptum, tunc incidit in latrones: qui expoliaverunt eum omnibus bonis gratuitis, & vulneraverunt & sauciaverunt, & plagis in corpore & anima affecerunt, & semivivum reliquerunt. Et sic ille qui

erat opulentus & felix, & dominus illius Civitatis, cui etiam post longam vitam temporalem erat promissa alia nobilior felicitas æterna in Cœlesti Patria; propter talem ingratitudinem fuit privatus præsenti & futurâ felicitate, & expulsus ab illa Civitate, & factus exul per hanc vallem lacrymarum, & separatus à facie Dei: Et sic factus est miser & indigens omnibus bonis non solùm spiritualibus, sed etiam temporalibus, ut patet *Genes.* 3. Et inde est quòd manet insitum desiderium omnibus hominibus recuperandi illam immortalitatem, & totum illum felicem statum.

Sed dicit *Augustinus in libro Cur Deus homo:* quòd *Deus compatiens miseriæ & indigentiæ ipsius Adæ, & totius posteritatis ejus, promisit ei mittere Filium suum in carne, qui eum ab omni miseria & captivitate redimeret, & sibi reconciliaret, & in patriam amissam & felicitatem reduceret. Et hoc fecit Deus, ne Adam desperaret; sed licèt de instanti miseria valde doleret, tamen de sui suæque posteritatis remedio jam de longinquo gauderet.* Unde *August.* concludit dicens: *Vera itaque ratione didicimus: quòd jam ab Adam Domini præstolabatur adventus.*

Ex quibus verbis Augustini sequitur: quòd miseria & indigentia ipsius Adæ, & totius posteritatis ejus fuit, causa Divinæ promissionis de Christo futuro: & talis promissio fuit causa fidei & spei & desiderii ipsius Adæ de Christo futuro. Ex qua fide & spe & desiderio Adam cum tota sua posteritate fidelium semper expectabat & petebat Christum venturum ad redimendum ipsum.

Secundò sequitur, quòd Ecclesia Christi primò fuit Christo desponsata per fidem in Adam. Quod probatur. Nam si Adam cum tanto desiderio expectabat Christum, ut inquit *Augustinus*: Ergo jam tunc habebat fidem de Christo futuro. Quia spes non est sine fide & Charitate affectiva: quia quod credimus & amamus, cum desiderio expectamus. Et ideo est dicendum, quòd sicut Deus promisit Adæ mittere ipsi Christum in Redemptorem: ita Adam credidit ipsum venturum, & promisit ipsi fidem, & promisit ipsi exhibere cultum Latriæ sub tali fide & spe Christi futuri, in qua fide Adam cum tota sua posteritate fidelium salvabatur. Et sic Adam prout fuit doctus à Deo, docuit filios suos exhibere Latriam Deo in signum fidei de Christo futuro. Et sic *Abel* offerebat oblationem de agnis gregis, & *Cain* de frugibus, *Genes.* 4.

Et quia Latria non solùm consistit in oblatione & adoratione, sed etiam in oratione: ideo legitur *Genes.* 4. quòd *Enos incæpit invocare nomen Domini*, id est, Christum Verbum Incarnatum, quod est *nomen Domini*, ut probatum fuit *Psalm.* 8. Nam illud nomen Domini quatuor litteris scriptum significabat Christum Verbum incarnatum, quem omnes Patres veteris Testamenti invocabant, & expectabant. Item *Henoch* placuit Deo in illa ætate, & Dominus tulit illum, *Genes.* 4. & translatus est in paradisum, *Eccles. iast.* 44. Sed quia sine fide impossibile est placere Deo, ad *Hebr.* 11. Ergo sequitur, quòd *Enos* & *Henoch* jam habebant fidem de Christo futuro, & erant membra ejus, & per consequens continuabant Ecclesiam Christi & Civitatem Dei; & sic expectabant Christum futurum tamquam Sponsum sibi promissum: & sic patet, quòd vera Latria & perfecta, fuit Deo exhibita in prima ætate in signum Christi futuri: & per consequens sequitur, quòd Ecclesia in prima ætate jam fuit Christo per fidem desponsata, quia expectabat eum, & jam ei exhibebat Latriam servitutem.

Item sequitur, quòd Ecclesia Sponsa non solùm ab Abel, sed jam incæpit ab Adam: sed postea fuit divisa in duas Civitates. Nam Cain divisus est à Civitate Dei, & constituit Civitatem diaboli cum suis sequacibus, ut ostendit *August.* per totum *lib.* 15. *de Civitate Dei.* Abel autem mansit tamquam verus civis in Civitate Dei: & fuit occisus propter veram innocentiam suam in figura Christi. Ideo Abel non dicitur primus civis Ecclesiæ, sed primus Justus & Martyr, qui mortuus est pro justitiâ & innocentiâ in figura Christi, qui fuit primus qui effudit sanguinem in figura Christi, & pro Christo. Ut patet *Matth.* 23. Adam autem fuit primus civis & fidelis hujus Civitatis: cui primò facta est promissio de Christo futuro, & primus qui professus est, & expectavit Christum futurum, & qui exhibuit cultum Latriæ, & docuit filios suos: in quo primo Ecclesia desponsata est ipsi Christo per fidem & spem & charitatem: & exinde tota Civitas Dei & congregatio fidelium Christum futurum credentium & expectantium, fuit dicta Sponsa Christi.

Est verum, quòd ista Sponsa semper crevit in fide & perfectione per successum temporis, sicut continuè recepit novas promissiones, & novos modos colendi Deum. Nam in *Noe* accepit novam promissionem de Christo per Arcam, & signum arcûs fœderis. Per quod prævidit mysterium Incarnationis & nostræ redemptionis. Et sic *Noe* construxit altare, & obtulit animalia munda in signum fidei Christi futuri. Item ipsi *Abraham* facta est nova promissio, *Genes.* 15. quando Deus dixit: *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum*

tuum &c. Ubi credidit Abraham de sua generatione secundum carnem Christum futurum, & Verbum incarnandum. Ideo propter talem fidem *reputatum est illi ad justitiam.* Quia in tali fide Christi futuri ante circuncisionem fuit justificatus, ut patet *ad Roman.* 4. & *Galat.* 4. Item alia promissio facta est eidem Abrahæ *Genes.* 22. propter obedientiam & fidem, quando voluit immolare Isaac filium suum : Cui Deus sub jurejurando promisit Christum venturum, & in eo omnes Gentes regenerandas & benedicendas. Et appellavit locum illum in quo fuit immolatus areis pro Isaac, *In monte Dominus videbit.* Unde in littera Hebraica habetur, *In monte Dominus videbitur* : Quasi dicat: In isto monte, ubi immolasti istum arietem, Dominus Jesus Christus videbitur immolari & crucifigi in redemptionem totius generis humani. De quo mysterio dicit Salvator, *Joann.* 8. *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est* : per fidem, supple.

Ex quibus patet, quòd desponsatio Christi & Ecclesiæ facta & incæpta est in *Adam* & *Abel* ; sed jam fuit magis confirmata in *Abraham.* Et sic vehementius fuit Christus in Abraham desideratus. Item, ista desponsatio & unio Christi & Ecclesiæ jam fuit magis confirmata & expressa & figurata in Isaac, *Genes.* 27. quando jam decrepitus & cæcutiens vocavit *Esau* primogenitum suum, ut benediceret eum : sed *Jacob* secundo genitus, sive natus, ex consilio matris simulato habitu surripuit benedictionem: unde Isaac sentiens fragrantiam vestimentorum ipsius Jacob, dixit : *Da mihi osculum fili mi. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus &c.* In quo mysterio prævidit Isaac totum mysterium Verbi incarnationis, & Ecclesiæ cum Christo desponsationis & incorporationis. Prævidit enim, qualiter Filius Dei Verbum æternum debebat osculari humanitatem, & carnem suscipere de genere ipsius Jacob, & unire eam sibi in unitate personali. Et prævidit etiam in spiritu osculum & desponsationem Ecclesiæ cum Christo per mysticam unionem. Et prævidit fragrantiam vestimentorum humanitatis Christi, scilicet fragrantiam Ecclesiasticorum Sacramentorum evaporantem ex meritis passionis : per quam virtutem Sacramentorum Ecclesia erat Christo desponsanda & unienda.

Item, ista desponsatio incarnationis, & Ecclesiæ cum Christo unionis jam fuit magis promissa, & confirmata, & figurata in Jacob *Genes.* 28. quando in somniis vidit Scalam, cujus summitas tangebat cœlum, & pars inferior tangebat terram, & vidit Dominum innixum Scalæ, & Angelos ascendentes & descendentes &c. ubi prævidit Jacob totum mysterium Incarnationis, scilicet, qualiter Deus erat jungendus humanitati per incarnationem in unitate personæ, & qualiter tota Ecclesia erat Christo unienda & incorporanda in unitate mystica.

Item ista desponsatio fuit jam magis confirmata in eodem Jacob, *Genes.* 32. quando luctatus est cum Angelo in forma viri. Nec voluit ipsum dimittere, usquequo benedixit eum : ubi sortitus est hoc nomen *Israel.* Unde dixit : *Vidi Dominum facie ad faciem.* Ubi Jacob prævidit totum mysterium Incarnationis, & Ecclesiæ cum Christo desponsationis, in quantum Deus in forma humana benedixit eum &c. & facie ad faciem ipsi locutus est &c. Item hæc desponsatio fuit magis in ipso Jacob confirmata *Genes.* 49. quando benedicens filio suo *Judæ*, dixit : *Juda te laudabunt fratres tui &c.* &, *Non auferetur sceptrum de Juda &c.*

Item, ista desponsatio Christi & Ecclesiæ jam fuit magis confirmata & manifestata in plebe Israelitica, quando eduxit ipsam, de servitute Ægyptiaca, & fecit ipsam populum sibi peculiarem, & dedit ipsi legem specialem, *Exod.* 19. quando Moyses exposuit populo omnes sermones legis, & respondit omnes populus, dicens : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus.*

Item, ista desponsatio Christi & Ecclesiæ fuit jam magis manifestata & explicata in eodem populo, *Exod.* 24. quando Moyses congregavit totum populum, & legit ipsi totum volumen Legis, & occidit duodecim victimas juxta numerum tribuum filiorum Israel. Unde totus populus respondit dicens : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes &c.* Et tunc Moyses ad confirmationem talis pacti & promissionis & desponsationis, sparsit unam partem sanguinis super populum, & altera super altare. Per quod mysterium fuit figuratum, qualiter illa desponsatio debebat impleri & confirmari per sanguinem Christi futuri : per quem sanguinem illud Testamentum erat confirmandum : & sic per tale pactum ille populus promittebat se recepturum Christum venturum. Ideo Moyses effundendo illum sanguinem super populum, dixit: *Hic est sanguis fœderis, quod pepegit vobiscum Dominus super cunctis sermonibus his.*

Item, ista desponsatio fuit jam magis explicita & confirmata in eodem Moyse & populo, *Exod.* 33. cum Dominus de Tabernaculo loquebatur Moysi facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad ami-

amicum. Cui Moyſes dixit: *Domine ſi inveni gratiam coram oculis tuis, mitte quem miſſurus es, &c.* Cui Dominus finaliter myſterium Incarnationis promiſit cum dixit: *Poſteriora*, id eſt, humanitatem meam *videbis*: quam humanitatem vidit poſtea Moyſes cum *Elia* in monte Thabor in transfiguratione Chriſti, *Matth.* 17.

Item iſta deſponſatio incarnationis Chriſti & Eccleſiæ jam fuit magis explicita & manifeſtata ipſi Moyſi, *Deut.* 18. cui Deus dixit: *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum tuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore ſuo: loqueturque ad eos omnia quæ dixero illi &c.* Ex quo patet, qualiter Chriſtus in Lege promiſſus debebat eſſe ſimilis Moyſi in humanitate: & debebat eſſe Deus, immò Verbum Dei: quia Deus debebat ponere Verbum ſuum in illa humanitate, & perſonaliter nobis loqui, & Eccleſiam ſibi per Legem Euangelicam myſticè unire, & perſonaliter & præſentialiter oſculari. Nam legitur *Exod.* 20. quòd cum cunctus populus audiret voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumigantem, perterriti ac pavore percuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Tunc autem Dominus promiſit mittere Filium ſuum in carne, qui tamquam verus Sponſus abſque terrore familiariter loqueretur eis, & declararet eis legem datam, dicens. *Prophetam ſuſcitabo eis de me medio fratrum tuorum ſimilem tui, ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos quæcunque dixero illi. Et qui verba ejus quæ loquetur non audierit, ultor exiſtam &c.* ut patet *Deuter.* 18.

Ex quibus patet, quòd illa deſponſatio non fuit facta per verba de præſenti in præſentia Sponſi, ſed per verba de futuro in abſentia Sponſi per Moyſen, tamquam per procuratorem Chriſti futuri. Et per conſequens illa deſponſatio numquam fuit confirmata niſi per præſentiam Chriſti, qui per verba de præſenti familiariter locutus eſt illi plebi, & deſponſavit ſibi ipſam, declarando Legem & Prophetas. Item ſequitur ſecundò, quòd ſimul cum Lege data fuit promiſſus Chriſtus interpres & declarator Legis in monte Sinaï. Item ſequitur tertiò, quòd ſub eadem pœna quâ ſe obligavit totus ille populus ad obſervandum Legem Dei datam in monte Sinaï: ſub eadem pœna ſe obligavit ad audiendum & ſequendum Chriſtum in ſuo adventu, tamquam verum interpretem & declaratorem Legis & Prophetarum, per hoc quod ait: *Qui verba quæ loquetur audire noluerit, ultor exiſtam &c.* Quia ſimul cum Lege fuit promiſſus Chriſtus Deus incarnatus, interpres & declarator Legis.

Sed contra poſſet aliquis inſtare dicens: quòd promiſſio hujus Prophetæ non facta eſt in monte Sinaï ſimul cum datione Legis, ſed in campeſtribus Moab, cùm Moyſes reſumeret Legem, ut patet *Deuter.* 18.

Ad hoc reſpondetur: quòd ſi bene & diſtinctè volumus attendere verba Moyſi *Deuter.* 18. videbimus manifeſtè qualiter Deus promiſit illum Prophetam in monte *Horeb* ſimul cum datione Legis. Unde ait Moyſes ad populum: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus. Ipſum audies, ut petiſti à Domino Deo tuo in monte Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti: Ultra non audiam vocem Domini mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui &c.* Ex quibus patet, quòd iſta promiſſio de Chriſto futuro facta eſt in monte Horeb ſimul cum datione Legis: quia licèt Moyſes omiſerit ſcribere illam promiſſionem, *Exod.* 2. tamen ſupplendo explicat ipſam, *Deuter.* 18. ubi repetuntur ea quæ ibi dicta ſunt, & ſupplentur ea quæ ibi fuerunt omiſſa. Ex quo patet, quòd in datione Legis facta fuit deſponſatio Dei cum illa plebe in perſona omnium ſucceſſorum: & per conſequens illa deſponſatio facta fuit per verba de futuro in abſentia Sponſi; & ideo non poterat confirmari niſi per ejus præſentiam, & per Incarnationem Sponſi qui ore ad os erat populo familiariter locuturus, & Legem & Prophetas declaraturus, & ſponſalia confirmaturus & completurus. Unde ſicut per mortem & ſanguinem erat Teſtamentum confirmaturus: ita per præſentiam erat ſponſalia completurus. Et hoc eſt oſculum præſentiæ Sponſi, quod petit Sponſa, dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui &c.*

Item, quia non ſolùm illa plebs Iſraelitica ſecundum carnem erat Chriſtum ſuſceptura & ipſi deſponſanda in adventu ſuo, ſed etiam plebs Gentilis; ideo deſponſatio Chriſti & Eccleſiæ non ſolum fuit manifeſtata, & facta in populo Iſraelitico carnali, ſed etiam in populo Gentili. Nam *Melchiſedech* Rex Salem, qui erat de populo Gentili, tamquam Sacerdos Dei Altiſſimi in fide Chriſti futuri obtulit panem & vinum Deo pro Abraham & toto corpore myſtico, ut patet *Geneſ.* 14. Item *Job*, non de genere *Jacob*, ſed de *Eſau*, expectauit Chriſtum in carne venturum, cum dixit: *Credo quod Redemptor meus vivit: & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum &c. Job* 19. Item, multi de populo Gentili exierunt de Ægypto, &

& juncti sunt cum filiis Israel, & ceperunt Legem simul cum eis. Item *Ruth Moabita* de populo Gentili exivit de terra & cognatione sua, & juncta est populo Israelitico, dicens : *Populus tuus populus meus &c.* Et sic in persona & figura totius populi Gentilis ad fidem Christi venturi fuit Christo desponsata. A

Item, ista desponsatio jam fuit magis explicita & manifestata in *David*, cui facta est de Christo multipliciter repromissio, ut patet 2. *Reg.* 7. & 2. *Paral.* 1. & per totum librum Psalmorum. Item, ista desponsatio Incarnationis, & Christi, & Ecclesiæ jam fuit magis explicita in *Esaia* & *Hieremia*, & cæteris Prophetis, quibus facta fuit revelatio, & maximè in *Daniele*: cui non solum mysterium Incarnationis, & Passionis Christi fuit revelatum, sed etiam locus & tempus, ut patet *Daniel.* 9. Ultimò autem de propinquo ista desponsatio facta fuit & manifestata ipsi *Zachariæ*, cui dictum est ab Angelo : *Exaudita est oratio tua*, *Luc.* 1. Item, fuit facta & revelata ipsi *Simeoni*, *qui responsum acceperat à Spiritu sancto*, *non visurum se mortem*, *nisi prius videret Christum Domini. Luc.* 2. Sed præ cæteris clarius fuit revelata talis desponsatio ipsi *Virgini Mariæ* per multas epiphanias & revelationes ante diem Incarnationis, licèt ignoraret personam, de qua esset Filius Dei carnem assumpturus : quia solum hoc didicit Virgo Maria experimentaliter, quando Gabriel Angelus fuit ad eam missus, dicens: *Ave Maria gratia plena*, *&c. Luc.* 1. Unde licet antè non ignoraret futurum mysterium Incarnationis : tamen ignorabat modum & personam, prout ipsa respondens Angelo dixit : *Quomodo fiet istud? &c.* B C

Ex toto supradicto discursu sequitur primò : quòd tota Ecclesia fidelium ab Adam usque ad Virginem Mariam inclusivè fuit desponsata Christo futuro per fidem. Secundò sequitur, quòd talis desponsatio non fuit facta per verba de præsenti, sed per verba de futuro: quia sicut Christus nondum erat incarnatus, nec promissus de præsenti, sed de futuro : ita promittebant ipsum recipere in suo adventu. Unde licet fides Christi esset eis habitualiter & actualiter præsens; tamen ejus objectum erat futurum : ideo sub tali fide & spe justificabantur & salvabantur. Secundò sequitur, quòd talis desponsatio non fuit facta illis patribus, & fidelibus personaliter, & per modum personæ præsentis : sed per procuratorem & per modum personæ absentis: sicut multæ mulieres quandoque desponsantur alicui viro absenti per procuratorem: quæ quidem desponsatio confirmatur postea per præsentiam sponsi, quando ipsa personaliter, & præsentialiter videt sponsum, & personaliter recipit eum, & osculatur ab eo. Ita ergo simili modo factum est in illa desponsatione Ecclesiæ veteris Testamenti. Nam nullum eorum potuit essentialiter Deum videre, nec locutus est cum Deo, nisi per substantiam mendiam, & per Angelum repræsentantem Deum, ut ait *Augustinus sup. Genes.* D E

Et si dicitur quod *Moyses* loquebatur Deo *facie ad faciem*, *Exod.* 33. dicendum., quod ibi non sumitur *facies* pro divina Essentiâ : quia talis visio facialis fuit negata ipsi Moysi, ut patet ibidem : sed sumitur ibi *facies* æquivocè pro Angelo, per quem Deus loquebatur, & in quo Deus tanquam in facie & per faciem repræsentabatur & noscebatur, ut ait *Augustinus* 2. *de Trinitate*, *cap.* 17. Nam Deus per Angelos loquebatur, & dedit legem Moysi, ut ait *Apostolus ad Hebr.* 1. & Beatus *Stephanus Act.* 6. Quomodo autem intelligitur quod *Moyses vidit Deum facie ad faciem*, jam declaratum est in *Prologo* libri Psalmorum *Tractatu* 2. Nunc autem sufficit scire, quod fideles veteris Testamenti non viderunt Christum nisi per fidem, & per figuras, & per promissiones, & revelationes; & tanquam venturo promiserunt fidem ipsi; & in ejus futuro adventu promiserunt ipsum recipere, & sic tanquam futurum promittebant ipsum recipere. Et sic jam exhibebant ipsi Latriam servitutem per figuras sacrificiorum. Et sic patet, quòd illa desponsatio erat per modum verborum de futuro, & per modum procuratoris, quia mediantibus Angelis, & per modum personæ absentis. F G

Tertiò sequitur, quòd quantò magis tardabat venire Christus, tantò magis crescebat desiderium illius Sponsæ videndi personaliter & præsentialiter Sponsum suum Christum : & sic vehementiùs desiderabat accelerari adventum Sponsi, ut eam repararet, & liberaret de manibus inimicorum, & eam sanaret, & nobilibus vestimentis diversarum gratiarum ornaret & decoraret, & sacris amplexibus ejus frueretur, & osculis ejus consolaretur.

Hoc ergo desiderium hujus Sponsæ, & has petitiones explicat & cantat Sponsa in hac prima parte hujus primi Cantici Salomonis in persona omnium fidelium veteris Testamenti, cùm dicit: *Osculetur me osculo oris sui.* H

In quo Cantico septem petit ista Sponsa ab ipso Sponso. Nam primò petit præsentialiter & personaliter per incarnationem osculari. Secundò petit trahi à Sponso per personalem prædicationem & vitæ sanctitatem. Tertiò petit in thalamum Sponsi introduci. Quartò plebs Gentilis petit cum plebe Israeliti-

tica in advento Sponsi sociari. Quintò petit à nigredine idololatriæ dealbari. Sextò petit pasci pabulo Sacramentorum, & fidei Articulorum. Septimò petit sub umbra Sponsi quiescere & protegi. Secunda ibi: *Trahe me post te.* Tertia ibi: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Quarta & quinta ibi: *Nigra sum, sed formosa.* Sexta & septima ibi: *Indica mihi quem diligit anima mea.*

Quantum ergo ad primum est advertendum: quòd osculum dicit quandam unionem: sed quia Christus quadrupliciter erat nobis uniendus, scilicet, per Incarnationem, & per conversationem & familiarem doctrinam, & per mysticam incorporationem, & per glorificationem, prout promissum erat in veteri Testamento: Ideo Sponsa hoc quadruplex osculum petit à Christo Sponso, & quadruplici osculo petit osculari, scilicet, osculo Incarnationis: secundò osculo Euangelicæ doctrinæ & familiaris conversationis: tertiò osculo mysticæ incorporationis & redemptionis: quartò osculo glorificationis.

Quia ergo, ut supra dictum est, ista Sponsa per multas repromissiones fuerat Christo per procuratores & verba de futuro in veteri Testamento desponsata, & per longam moram & discursum temporis Sponsum suum Christum expectaverat: ideo contracta longâ morâ desiderans præsentiam Sponsi, petit ab eo præsentialiter & personaliter osculari: & posita in tali contemplatione dicit intra se: Utinam Sponsus meus Christus *osculetur me osculo oris sui* per verba de præsenti, & personaliter & præsentialiter per se ipsum, & non per procuratores: sed loquatur ipse mihi per se, & non per Moysen, & per Patriarchas & Prophetas, nec per Angelos, sicut locutus est in toto veteri Testamento. Sed veniat ipse personaliter in carne, & osculetur me primo illo osculo Incarnationis, & accipiat carnem de mea generatione, sicut promisit in principio ipsi *Adæ*, quando ejecit ipsum de paradiso, & sicut promisit *Noe* per signum arcus fœderis, *Gen.*8. & sicut promisit *Abrahæ*, *Genes.*15. & 22. dicens: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: Item, *osculetur me* illo *osculo* Incarnationis, quod petivit *Isaac* in persona Jacob, quando dixit: *Da mihi osculum fili mi*, *Gen.* 26. Et sicut promisit ipsi *Jacob*, *Genes.* 28. per visionem Scalæ: & *Genes.* 32. quando luctatus est cum Angelo. Item osculetur me illo osculo Incarnationis, quod promisit ipsi *David*, 2. *Reg.*7. dicens: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & stabiliam regnum ejus in æternum: & ille erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem.* Item *Psal.*88. *Semel juravi David, & non mentiar: semen ejus in æternum manebit.* Item *Psal.*131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam &c.* Item *Esa.*7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel &c.* Item *Hiere.*31. *Magnum faciet Dominus super terram: fœmina circundabit virum.* Item *Zachar.*2. *Ego ipse veniam, & habitabo in medio vestri &c.*

Item, Sponsus meus non solum osculetur me osculo incarnationis, sed etiam osculo familiaris prædicationis & Legis Euangelicæ dationis: sicut Deus promisit Moysi, *Deut.* 18. dicens: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui*, in humanitate, *& ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ dixero illi.* Item, *osculetur me* illo *osculo* doctrinæ Euangelicæ, de quo dixit *Esaias* 2. *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis suis, quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Item *Esa.*52. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipsi qui loquebar ecce adsum &c. quia oculo ad oculum me videbunt &c.* Item *Hier.*31. *Dabo Legem meam in cordibus hominum, & in visceribus eorum scribam eam &c.*

Item, non solum *osculetur me osculo* Incarnationis, & Euangelicæ doctrinæ; sed etiam *osculo* redemptionis, faciendo me participem suæ passionis, sicut promisit ipsi *Abraham* in sacrificio ipsius *Isaac*: quando dixit: *In monte hoc Dominus videbitur* immolari pro omnibus successivè, *Genes.* 22. Et sic patet per totum discursum *libri Psalmorum*, & *Esaiæ* 53. *Propter scelus populi mei percussi eum &c.* Item hoc idem patet per totum discursum Legis & Prophetarum.

Item non solum *osculetur me osculo* Incarnationes, & doctrinæ, & redemptionis: sed etiam *osculo* glorificationis, & suæ fruitionis, sicut promisit ipsi *David Psalm.* 90. *Protegam eum, & glorificabo eum.* Item *Psalm.*83. *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Et sic patet, qualiter ista Sponsa isto quadruplici osculo petit à Sponso suo Christo osculari in suo adventu, scilicet, *osculo* Incarnationis, & Euangelicæ prædicationis, & redemptionis, & glorificationis.

Et nota: quòd non solum Christus osculatus est Sponsam suam Ecclesiam quadruplici osculo sed etiam Pater; sed aliter & aliter. Nam Christus Filius Dei osculatus est naturam humanam personaliter per Incarnationem: quia sola Persona Filii fuit incarnata, ad quam illa unio personalis fuit terminata: sed Pater in tantum osculatus est humanam naturam,

in

in quantum ipse univit Verbum suum illi humanitati : quia tota Trinitas operata
A est illam benedictam Incarnationem. Et sic illud Verbum æternum dicitur *osculum oris Patris*, quia est æterna Sapientia, quæ *ex ore Altissimi prodiit* ; & sic patet, quòd per illud Verbum & osculum oris sui osculatus est humanam naturam; & per illudmet Verbum & osculum Pater nobis locutus est, & dedit Legem Euangelicam, & redemit, & glorificavit nos, & sibi nos reconciliavit : Et ipse Christus dicitus *osculum Patris*, & *osculum* inter nos & Patrem ; quia nos per gratiam & adoptionem Patri reconciliavit & reunivit. Hoc ergo *osculo oris* Patris, scilicet Verbo æterno, ista Sponsa petit osculari. Item, petit osculari per
B humanitatem Christi, per quam nobis fuit unitus, & per quam nobis prædicavit, & per quam nos redemit Christus, & Patri reconciliavit, & ultimò nos glorificabit. Ideo prudens lector contempletur hoc quadruplex osculum, quo tam Pater, quàm Filius, (licèt non eodem modo) osculatus est Sponsam suam.

Referendo ergo ad Patrem, est iste sensus : Utinam Pater *osculetur me osculo oris sui*, scilicet, mittendo Verbum quod procedit de ore suo, & de tota substantia sua : quod Verbum sumat carnem in unitate suppositi de mea generatione & naturâ; per quem Filium me doceat, & mihi loquatur, & me sibi reconciliet, & glorificet. Referendo autem ad Filium, sensus est iste : Utinam
C Filius Dei Sponsus meus veniat in carne, & *osculetur me osculo*, scilicet, doctrinâ Euangelica *oris sui*, & personaliter in humanitate loquatur mihi, & me reconciliet sibi & Patri per mortem & passionem, & glorificet me per resurrectionem.

Quatuor ergo petit Sponsa per tale osculum : scilicet, uniri Deo per Incarnationem, & doceri per personalem prædicationem, & reconciliari per mortem & passionem, & glorificari per resurrectionem : Quia istis quatuor modis Deus osculatus est nos & univit nos sibi. Et ideo Christus in quantum assumpsit carnem ex humanâ naturâ & ex istâ generatione, vocat eam matrem : sed in
D quantum docuit eam, vocat eam filiam: sed in quantum redemit eam, & univit eam sibi per fidem in unitatem mysticam, vocat eam Sponsam, & etiam in quantum univit eam per gloriam. Ista ergo Sponsa dicit: Utinam *osculetur me* Sponsus meus Christus mihi promissus *osculo oris sui*, eo modo quo dictum est. Deinde Sponsa conversa ad Sponsum alloquitur eum apostrophando, dicens : *Meliora sunt ubera tua vino*: Quasi dicat : Ideo desidero osculari osculo oris tui, ò Christe Sponse, *quia meliora sunt ubera tua vino.*

Ad cujus intellectum est notandum:
E quòd cum totus iste liber sit metaphoricus & parabolicus ; sicut Salomon usurpat vocabula rerum temporalium transferendo ad spiritualia : ita etiam transfert partes sexus fœminini ad masculinum per quandam similitudinem. Et sic *ubera*, quæ pertinent ad mulieres, attribuit Christo per quandam similitudinem: nam sicut mulier nutrit filium duplici ubere & lacte materiali : ita Christus nutrit Ecclesiam duplici ubere & lacte : scilicet, lacte doctrinæ Articulorum, & lacte gratiæ Sacramentorum Ecclesiasticorum. Sed quia ista duo ubera hoc duplici lacte non solùm nutriunt & reficiunt spiritualiter Sponsam, & om-
F nes fideles, sed etiam inebriant eam in amore Sponsi, & delectant in odore virtutum : ideo comparat ea vino. Ideo dicit : O Sponse, ideo peto osculari personaliter & præsentialiter osculo oris tui: *quia ubera tua* emittentia lac doctrinæ fidei Articulorum, & gratiæ Sacramentorum, *meliora sunt* omni *vino* : quia magis inebriant fideles in amore tui, quàm vinum materiale inebriat homines : quia transformant fideles amantes in Deum amatum & desideratum, se & mundum oblivisentes : quia anima magis est ubi amat, quàm ubi animat & informat. Ideo ubera tua meliora & fortiora sunt ad inebriandum, quàm vinum materiale. Et non solùm ista duo ubera tua sunt meliora vino ad inebriandum in amore tuo : sed etiam sunt magis *fragrantia*, &
G fragrantiora *unguentis optimis* : eò quòd docent omnem virtutem, & prohibent omne vitium, & extinguunt omne peccatum. Quibus virtutibus fideles redolent inter omnes nationes & populos, magis quam unguenta aromatica materialia. Et sic ubera tua nutriunt, & inebriant, & redolent, & delectant. Et *nomen tuum* est pretiosissimum & odoriferum sicut *oleum* aromaticum *effusum &c.*

Ad cujus intellectum est notandum: quòd ex myrrhâ, & cinnamomo, & nardo, & balsamo, & cæteris aromatibus fit & conficitur quoddam oleum aromaticum longe pretiosissimum. Est enim primò valde odoriferum & delectabile ex
H compositione omnium istorum aromatum : & est valde penetrativum ratione balsami, & valde attractivum ratione nardi, & ab omni corruptione præservativum, & etiam curativum ratione myrrhæ : quod quidem oleum quantò magis diffunditur, tantò magis operatur, & penetrat, & trahit, & delectat. Ita ergo propriè illa Persona Christi confecta ex tribus aromatibus ; scilicet, ex Verbo Divino, & anima rationali, & carne ; quæ quidem Persona Christi est *nomen Dei* significatum per illas quatuor litteras ve-

teris Testamenti, prout dictum fuit *Psal.* 8. & significatum per istud nomem *Jesus* novi Testamenti: illud profectò *nomem Dei*, scilicet Verbum incarnatum & humanatum diffusum per totum mundum, fuit penetrativum, & præservativum, & sanativum, & odoriferum, sicut *oleum* aromaticum *effusum* super capita Regum & Sacerdotum. A

Nam primò illud *nomen* præservavit *Virginem Matrem* suam ab omni culpâ, tam originali, quàm veniali, quàm actuali: sed omnes alios fideles sanavit & curavit ab originali; licèt quosdam præservavit ab actuali: & omnes alios sanavit & curavit ab originali, & veniali, & actuali. Et sic illud *nomen* fuit præservativum & curativum. Fuit etiam penetrativum; quia totum mundum penetravit: & B fuit attractivum, quia omnia traxit ad seipsum, & totum populum Gentilem ad fidem per Apostolos convertit. Et fuit odoriferum & delectabile: quia omnes Virgines & viri contemplativi currebant in odorem ejus sanctitatis & virtutis. Et fuit inebriativum: quia Martyres illo nomine Jesu inebriati, suæ vitæ corporalis, & hujus mundi obliti, & in Christum transformati diris tormentis sua corpora tradiderunt. Et ideo dicit Sponsa: O Christe Sponse, ideo desidero osculari osculo oris tui, quia non solum *ubera tua sunt meliora vino* ad inebriandum, & magis *fragrantia unguentis optimis* ad delectandum; sed etiam quia *nomen tuum* est suavissimum, & penetrativum, & præservativum, & sanativum, & linitivum, & attractivum, & odoriferum sicut oleum aromaticum effusum super capita Regum & Sacerdotum, & super infirmos, & super capita amantium. Et *ideo adolescentulæ*, id est, plebs & populus Gentilis noviter *dilexerunt* & secutæ sunt *te*. C

Item per ista duo *ubera* Christi possunt intelligi duo Testamenta, scilicet, vetus & novum: à quibus Ecclesia Sponsa Christi jugiter sugit lac doctrinæ salutis. Item multi solùm per *ubera* Christi intelligunt solam doctrinam Euangelicam: & per *vinum* intelligunt Scripturam veteris Testamenti: ut sit sensus, scilicet, quòd melius est *lac* novi Testamenti, quàm Scriptura vinaria cærimoniarum veteris Testamenti. Sed hoc videtur impropriè dictum. Nam Scriptura veteris Testamenti numquam fuit dicta *vinum* sed *vinea*, quæ numquam fuit matura, nec protulit vinum, nisi per Christum in novo Testamento. Et sic doctrina Christi Euangelica non solùm dicitur *lac*, sed etiam *vinum*, ut patuit per totam Expositionem libri Psalmorum, & patebit etiam inferius *Cantico sexto*, ubi dicet Christus: *Bibi vinum cum lacte meo: inebriamini amici &c.* Sic ergo doctrina Christi non solùm dicitur *lac* delectabile & nutritivum, sed etiam *vinum* inebriativum, & unguentum odoriferum. Et *nomen* ejus dicitur *oleum* aromaticum *effusum* per totum mundum, in cujus virtute Apostoli dœmonia ejecerunt, & serpentes peccatorum extinxerunt, & venena mortifera non eis nocuerunt, & idolis comminutis, & principe hujus mundi foras ejecto, omnes Reges & Imperatores cum populo Gentili jugo fidei subjecerunt. E

Est tamen advertendum, quòd inter cætera quæ reddunt materiam hujus libri difficilem ad exponendum & intelligendum, est diversitas Translationum: quia in multis nostra Traslatio differt à litterâ Hebraicâ: unde ubi nostra Translatio habet: *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua &c.* littera Hebraica modò punctuata habet sic: *Utinam oscularetur me osculo oris sui: quia meliores sunt amores tui odoramentis optimis: sicut oleum effusum nomen tuum: ideo domicillæ dilexerunt te.* Quæ quidem littera non differt in sententia in hac petitione. Quæ quidem diversitas Translationum accidit ex æquiuocatione vocabulorum Hebraicorum, propter defectum litterarum vocalium, ut dictum fuit in *Prologo* libri Psalmorum *Tractat.* 6. Unde quia dictio Hebraica posita in hoc loco est æquivoca ad *ubera*, & ad *amores*: vel quia ubera maximè trahunt hominem ad amorem: ideo nostra Translatio secuta est unam significationem illius vocabuli, & magis exprimentem veritatem rei. Nam sicut pueri ponunt totum suum amorem & delectationem in uberibus matris; ita fideles in contemplatione doctrinæ Christi Euangelicæ, & totius sacræ Scripturæ. F G

Item, sicut vinum materiale abundanter & copiosè sumptum inebriat hominem trahens ipsum extra se: ita pariter immò multò fortius contemplatio doctrine Christi, & juge studium sacræ Scripturæ per Christum declaratæ, extrahit hominem extra se, transformando ipsum in amorem Christi Sponsi sui. Et sic benè propriè & accommodatè doctrina Euangelica & gratia Sacramentorum dicitur *vinum* inebriativum, & *lac* nutritivum extortum & exhaustum ex uberibus Christi. Et dicitur *unguentum* odoriferum, & *oleum* aromaticum, ut magis patebit infra. Et ideo advertat fidelis lector ad proprietates vocabulorum, quæ parabolicè & metaphoricè ponuntur in hoc libro. Deinde cum dicit: *Trahe me post te &c.* ponit secundam petitionem: nam postquam explicavit & exposuit causam sui desiderii & petitionis, scilicet, quare petivit osculari personaliter H

ter à Sponso, eò quòd *meliora sunt ubera ejus vino*, & *fragrantia unguentis optimis &c.* ideo in hac secunda petitione petit trahi ad amorem Sponsi, & post Sponsum per illa unguenta fragrantia doctrinæ Christi Euangelicæ, & per prædicationem & sanctitatem ejus, ut possit sugere lac Euangelicum, & gratiam Sacramentorum ex uberibus ejus. Et ideo ait: O Christe Sponse mi, *trahe me post te* per gratiam & Legem tuam Euangelicam. Et omnes fideles *curremus in odorem unguentorum tuorum* Euangelicorum, & in odorem tuæ bonæ conversationis & exempli vitæ tuæ, & doctrinæ, & sanctitatis, ut simus bonus odor Christi per bonam famam & sanctitatem.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd tota justitia & perfectio, in qua fuit *Adam* creatus, consistebat in quadam conformitate voluntatis ejus ad Divinam voluntatem: & sic tota ejus sanctitas, & debitus ordo, consistebat in quadam rectitudine, & subalternatione & obedientiâ partium inferiorum ad superiorem, & universaliter sensualitatis ad rationem. Et isto modo anima ipsius Adam habebat imperium absolutum supra corpus, & spiritus supra carnem, & ratio supra sensualitatem. Et ideo erat dominus suorum actuum, tam in effectu, quàm in affectu: eò quòd ratio trahebat sensualitatem ad libitum suum, & spiritus carnem. Et hoc habebant & possidebant primi parentes in præmium justitiæ originalis. Nam in tantum partes inferiores, & omnes aliæ creaturæ obediebant eis, & ipsi habebant liberum imperium super eas, in quantum ipsi obediebant Deo, & fuerunt voluntates eorum conformes Divinæ voluntati. Sed quando ipsi peccaverunt & deviaverunt à Divinâ voluntate, illico caro eorum insurrexit adversus spiritum, & sensualitas fuit rebellis, & contradixit rationi, & fuit corruptus & perversus totus ordo interior, & corrupta natura, & sauciata & vulnerata in suis potentiis, & perversus appetitus sensitivus, & aversus ab omni bono, & conversus ad omne malum. Et sicut ratio trahebat sensualitatem ad se ante lapsum; ita post lapsum perverso modo sensualitas ut plurimum attrahit ad se rationem.

Et sic homo mansit subjectus sensualitati, & carni, & mundo, & diabolicæ suggestioni. Nam postquam sensualitas fuit corrupta, faciliter trahitur à mundo & diabolo. Et postquam ratio perdidit imperium supra sensualitatem, faciliter trahitur ab ea: & sic *trahit sua quemque voluptas*: putà, ad superbiam, avaritiam, luxuriam, & cætera flagitia & vitia. Nec potest homo ex propriis viribus ab his se retrahere, nec eis resistere, postquam perdidit liberum imperium, nisi juvetur auxilio Dei & gratiâ per Jesum Christum, quem Deus Pater constituit mediatorem, & auxiliatorem, & justificatorem omnium hominum; qui erat venturus ad trahendum omnia ad seipsum per odorem unguentorum suorum Euangelicorum. Et ideo dicit: *Trahe me post te &c.*

Sed ad majorem evidentiam est notandum, secundum *Aristotelem* 10. *Metaphysicæ*, quòd in unoquoque genere est dare unum, quod est metrum & mensura omnium illius generis: sicut *ignis* est in genere calidorum, & *album* in genere colorum. Ita ergo pariter in genere malorum moralium datur diabolus tamquam metrum & causa persuasiva omnium malorum. Ita ergo etiam pariter per oppositum Deus Pater constituit Filium suum Christum Deum & hominem, ut esset metrum, & mensura, & causa effectiva omnium bonorum gloriæ, & omnium meritorum & præmiorum, & omnium virtutum, & activum meritoriorum: in quem Christum omnes homines haberent inspicere, tamquam in exemplar & speculum omnium virtutum, & tamquam ducem & directorem in via virtutum; quem omnes justi debebant sequi quocumque iret. Et sic Christus, in quantum metrum & mensura omnium bonorum gratiæ, & gloriæ, debebat dare omnibus gratiam & gloriam, *Psalm.* 83. *gratiam & gloriam dabit Dominus*: & in quantum dux debebat omnes ducere & vocare: sed in quantum exemplar omnes debebant ipsum sequi per imitationem in odorem unguentorum suorum, id est, sequendo ejus sanctitatem, & doctrinam, & gratiam Sacramentorum: & sic expectabatur Christus ut esset collator omnium bonorum, & dux & tractor omnium fidelium, & norma & regula omnium actuum humanorum, postquam tota humana natura fuerat corrupta in Adam: Ut sicut omnes homines antea sequebantur fœtorem corruptionis, quem serpens antiquus insuflaverat in Adam: ita postea Christus traheret omnes ad se, ut sequerentur odorem suæ integritatis, & sanctitatis, & doctrinæ, & veritatis.

Et ideo dicit Sponsa: O Sponse veni, & osculare me *osculo oris tui*, veniendo in carne: & *quia ubera tua sunt meliora vino*, *fragrantia optimis unguentis* sanctitatis. Et quia *nomen tuum* est diffusum per mundum sicut oleum odoriferum; & *nomen tuum* est odoriferum sicut *oleum* aromaticum *effusum*: *ideo adolescentulæ*, id est, plebs Gentilium, *dilexerunt te*, recipiendo fidem, adorando tuam potentiam in miraculis, & tuam sapientiam in doctrinâ, & tuam sanctitatem in vitâ, & humilitate, & miseri-

ricordiâ. Ideo *trahe me post te*, & omnes *curremus in odorem unguentorum tuorum*, scilicet, gratiæ Sacramentorum, & fidei Articulorum, & donorum Spiritus sancti, & omnium aliorum virtutum & bonorum. A

Item est advertendum: quòd sicut Adam rapiens cibum prohibitum ex arbore, totum genus humanum traxit ad peccatum suum: ita pariter Christus ascendens in arborem crucis omnia traxit adseipsum. *Joann.* 3. Ideo dicit Sponsa: *Trahe me post te &c.*

Ad majorem intelligentiam hujus particulæ est notandum: quòd decem unguenta aromatica & odorifera effudit Christus in suo adventu, quibus reparavit totum genus humanum, & sanavit omnes infirmitates nostras, & restauravit totam ruinam & defectus nostros. Ad quorum unguentorum odorem cucurrerunt & currunt omnes fideles cujusque sexus & ætatis & conditionis, & *sequuntur Agnum quocumque ierit.* Unde primò effudit unguentum fidei, ad cujus odorem currebant omnes fideles veteris Testamenti, & currunt omnes Christiani. Secundum unguentum fuit doctrinæ præceptorum & consiliorum Euangelicorum; ad cujus odorem currebant omnes Apostoli & Discipuli, & turbæ sequentes Christum, ut patet *Matth.* 13. & per totum discursum Euangelicum. Tertiò effudit unguentum sanctitatis, & omnium virtutum, in exemplum omnium justorum; ad cujus odorem currunt omnes animæ justæ & devotæ, & omnes status & conditiones hominum: putà pueri innuptæque puellæ, invenes & virgines, & senes, & continentes, & viduæ imitantes ejus sanctitatem. Quartò effudit unguentum stupendorum miraculorum, sanando ægros, & dœmoniacos, & suscitando mortuos &c. Ad cujus odorem currebat multitudo magna languentium: *Quia virtus de illo exibat.* Et *quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Joann.* 6. Quintò, effudit unguentum mortis & passionis & patientiæ in suis laboribus & persecutionibus: ad cujus odorem currunt omnes peccatores ut sanentur, & omnes miseri consolentur in suis tribulationibus, ut patebit in *sexto Cantico*: & currebant omnes Martyres, & currunt omnes afflicti. Sextò, effudit unguentum septem Sacramentorum in remedium omnium spiritualium infirmatum: ad cujus odorem currunt omnes fideles cujuscumque sexus & conditionis. Septimò, effudit unguentum septem donorum Spiritus sancti in die Pentecostes super Apostolos, unde receperunt omnia dona gratiarum, & genera linguarum, & intelligentiam sacræ Scripturæ &c. ad cujus B C D

odorem currunt omnes Doctores & universaliter omnes Christiani. Octavò, effudit unguentum virtutis nominis Jesu, quod est nomen omnipotentiæ & sapientiæ & misericordiæ & salutis, per quod Apostoli dœmones effugabant, & mira signa faciebant, & tandem omnia idola delerunt, & totum orbem fidei & jugo Christi subjecerunt: ad cujus odorem currimus omnes indifferenter. Nonò, continuè Christus effundit unguentum bonarum internarum inspirationum, & gratiæ actualis ad auxiliandum & roborandum liberum arbitrium, & ad movendam voluntatem ad bene agendum, & malum vitandum, & ad implenda divina præcepta: ad cujus odorem currit tota humana natura in Adam vitiata & infirmata, ut fine patebit. Decimò effudit Christus unguentum glorificationis, & ultimæ perfectionis per suam resurrectionem glorioſam, quam jam communicavit quibusdam sanctis, qui cum eo resurrexerunt ad gloriam, & communicavit Virgini Matri suæ, & communicabit omnibus justis in fine mundi, per quem unguentum sanabimur ab omnibus defectibus & infirmitatibus corporalibus, & beatificabimur in corpore & anima, & recipiemus ultimam perfectionem. Ex quibus omnibus patet, quòd Christus est metrum & mensura, & principium, & fons omnium gratiarum, & bonorum, & perfectionum. Hoc ergo prævidens in spiritu Sponsa veteris Testamenti: quia prævidebat, qualiter Christus erat effusurus supradicta decem unguenta in reparatione totius humanæ naturæ lapsæ: ideo cupiens trahi, & currere post ista unguenta, dicit: *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* E F G

Item est advertendum, quòd sicut Deus existens in Arca lignea Testamenti veteris trahebat totum illum populum per desertum, & totus ille populus sequebatur Arcam in odorem thymiamatis & aliorum unguentorum: ita pariter Christus figuratus per illam Arcam, Deus existens in carne, & in Arca humanitatis trahebat populos in odorem suæ prædicationis, & sanctitatis, & miraculorum. Hoc ergo prævidens illa Sponsa in spiritu, dicit: *Trahe me*, ò Christe, *post te*, sicut illa Arca trahebat illum populum, & *curremus in odorem unguentorum tuorum*, sicut populus Israel currebat post illam Arcam & Tabernaculum odoriferum. H

Deinde etiam cùm subditur tertiò: *Introduxit me rex in cellaria sua &c.* petit Sponsa introduci in thalamum secretorum Sponsi sui Christi, ut ibi doceat eam profunda & secreta mysteria quæ latent sub thalamo & velo sacræ Scripturæ: quia Christum Sponsam in thalamum & cellaria sua introducere, nil

aliud

aliud est nisi fidelibus suis sacræ Scripturæ secreta revelare. Et sic est dicendum, quòd Christus introduxit Apostolos & A Doctores, scilicet, *Augustinum, & Hieronymum, & Ambrosium* in cellaria & apothecas secretorum aromatum sacræ Scripturæ, revelando eis altissima mysteria.

Littera autem Hebraica habet: *Introducat me Rex in domos secretas suas.* Et sic litera est magis clara: quia ista petitio est optativa: sed frequenter Translatio *Septuaginta* ponit præteritum pro futuro, & pro optativo, propter certitudinem prophetiæ, ut sæpius dictum est in Psalmis.

Dicit ergo Sponsa: Utinam Sponsus meus introducat me in cellaria sua, B id est, ad cellas & cameras secretas sacræ Scripturæ, & ad thalamum suum, ubi ipse latet: & ad cellaria aromatum ubi reponuntur & latent secreta mysteria novi Testamenti velata in veteri Testamento sub umbram cærimoniarum. Quia veritas Euangelica latebat sub umbra & thalamo & velo & cortina illarum cærimoniarum: quam veritatem Sponsa desiderabat scire in adventu Sponsi; in quorum intelligentiâ & gustu expectabat & petebat Sponsa lætari cum Sponso: ideo subdit: *Exultabimus & lætabimur in te.* Quasi dicat: O Sponse Christe, si tu introduxeris me in cellaria tua, revelando mihi divina mysteria, & exhibendo mihi lac Euangelicum, & unguenta Sacramentorum; tunc omnes fideles, C *memores uberum tuorum, exultabimus* corpore, & *lætabimur* mente, & totâ animâ *in te*, sugendo lac sapientiæ & gratiæ *uberum tuorum*: quod quidem lac desideraverunt sugere omnes Patriarchæ & Prophetæ. Et ideo *recti*, & justi, & omnes fideles *diligunt te super omne vinum* materiale propter tale lac Euangelicæ doctrinæ, & gratiæ Sacramentorum: Cui lacti nullus sapor corporalis est comparandus.

Et nota, quòd ly *super vinum* potest etiam ordinari cum ly *memores uberum tuorum*: ut sit sensus, scilicet, Nos D *memores uberum tuorum exultabimus, & lætabimur in te, super* omne *vinum* corporale. Et ideo *recti*, & veraces gustantes lac uberum tuorum, *diligunt te.* Sed miseri, & cæci Judæi, & obstinati in sua malitia, quia nolunt gustare lac uberum tuorum, sed currunt post bona temporalia; ideo non diligunt te, manentes in umbrâ legis, non desiderantes intrare in cellaria tua, & comedentes vinaceum, & amurcam, & paleas, à quibus Christus expressit vinum, & oleum, & granum Euangelicum, & reposuit in cellario & horreo suo, ut frequenter in expositione Psalmorum dictum est. In hæc ergo cellaria vini & olei Euangelici, & in apothecas aromatum, & in horreum frumenti Euangelici separati à paleis legis petit introduci ista Sponsa, ut ibi fruatur, & lætetur cum Sponso. E

Ex omnibus ergo supradictis patet, quòd hucusque tria petit Sponsa. Primò osculari per Incarnationem, & familiarem doctrinam, & conversationem, & redemptionem, & glorificationem. Secundò petit trahi per prædicationem Sponsi, & aromata Euangelica. Tertiò petit introduci in secretum thalamum, & cellaria Sponsi, ut cum eo fruatur bonis spiritualibus, ut patet. Et notanter petit introduci in cellaria Sponsi, & non in solum unum cellarium: eò quòd Christus F Sponsus Ecclesiæ habet duo cellaria, scilicet, unum bonorum gratiæ in hoc sæculo, in quo reponuntur bona gratiæ Sacramentorum, & secreta sacræ Scripturæ. Et habet alterum cellarium, scilicet, gloriæ, in quo reponuntur omnia bona gloriæ & fruitionis & æternæ beatitudinis: & ideo Sponsa petit introduci in hæc duo cellaria successivè, dicens: *Introducat me Rex in cellaria sua.* Item etiam dicit Sponsa: utinam introducat me Sponsus meus Christus in thalamum suum & cellaria sua, ut ibi revelet, & doceat me mysteria sacræ Scripturæ, sicut Deus quondam introduxit Moysen in Tabernaculum fœderis, & ibi loquebatur ipsi familiariter tanquam amicus ad amicum &c. Ex supradictis patet, qualiG ter Sponsa sub quadam metaphorâ quinque nominibus appellat Christum Sponsum suum.

Nam primo vocat ipsum *osculum Dei* propter mysterium Incarnationis; scilicet, unionis humanitatis ad Verbum. Secundò vocat ipsum *ubera Dei*, in quantum ex eo totus mundus debebat sugere copiam sapientiæ & lactis Euangelici. Tertiò vocat ipsum *nomen Dei.* Nam sicut nomen vocale, vel scriptum, notificat conceptum interiorem, & notificat proprietates uniuscujusque rei: ita Christus Verbum incarnatum notificavit mun- H do omnipotentiam, & sapientiam, & justitiam, & memoriam Dei Patris, prout fuit declaratum *Psalm.*8. Item quartò vocat ipsum *oleum effusum* odoriferum ratione sanctitatis vitæ & doctrinæ, quæ per prædicationem Apostolorum per totum orbem fuit diffusa. Quintò vocat ipsum *unguentum* aromaticum odoriferum ratione passionis & misericordiæ, in quantum per unguentum suæ passionis iram Patris erga nos placavit & mollificavit, & vulnera nostra sanavit, & in Ecclesiastica Sacramenta odorem & virtutem unguenti passionis inspiravit: quæ quidem Ecclesiastica Sacramenta sunt unguenta passionis Christi: per quæ unguenta

Chris-

Christus nos trahit ad se, ad quorum odorem omnes fideles ipsum sequuntur, & in cellaria ejus introducuntur. Ex quibus omnibus sequitur, quòd Christus est principium & metrum & mensura omnium bonorum humanę naturæ. A

Nigra sum, sed formosa &c.

HÆC est quarta pars principalis hujus primi Cantici, in qua Salomon introducit plebem Gentilem petentem sociari cum plebe Israeliticâ & fideli, & simul cum ea recipere Christum Sponsum suum, ut ex utroque populo fiat una Ecclesia & Sponsa Christi.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd licèt multi de populo Gentili fuerint sociati populo Dei in veteri Testamento; tamen inter cæteros, tres mulieres sponte fuerunt sociatæ populo Dei. In quibus præcipuè fuit figurata spontanea conversio populi Gentilis ad fidem Christi. Et fuerunt figura, quomodo ex conversis de populo Judaico & Gentili debebat fieri una Ecclesia sub uno Rege & capite Christo. Quarum prima fuit *Thamar*; unde legitur *Genes.* 38. quòd post venditionem Joseph, Judas descendens à fratribus suis venit in Canas, & ibi divertit ad virum Odollamitem: & vidit ibi filiam hominis Chananæi nominæ *Sue*, & accepit eam in uxorem; ex qua genuit tres filios, quorum primo nomine *Her* tradidit *Thamar* in uxorem. Ex quo patet, quòd *Thamar* erat de filiabus Chanaam & de populo Gentili. Sed mortuo primo filio junxit eandem Thamar filio secundo, nomine *Onam* in uxorem: quo mortuo absque liberis, restituit eam Judas in domum Patris sui, ut ibi viveret in viduitate expectando *Selam* tertium filium in virum: tunc ipsa Thamar videns quod *Sela* non libenter volebat, immò fugiebat accipere eam in uxorem; & prævidens *Thamar* in spiritu, qualiter Christus in Lege promissus non poterat descendere nisi de tribu Juda: tunc simulato habitu meretricali posuit se in bivio, dum iret Judas socer suus ad tondendas oves. Quam videns Judas, putans esse meretricem, concubuit cum ea, ex qua genuit *Phares* & *Zaram*: ex quo *Phares* descendit Christus secundùm carnem. Et sic Phares fuit mixtus ex duobus populis, scilicet, Israelitico & Gentili. Per quod mysterium fuit figurata Ecclesia Christi, congreganda ex illis duobus populis. *Thamar* ergo figuravit populum Gentilem sponte ad fidem Christi venturum; & *Phares* figuravit Ecclesiam ex utroque populo congregandam. Et figuravit etiam Phares, qualiter Christus ab eo descendens secundum carnem, debebat utrumque populum redimere & salvare. B C D

Secunda vero mulier ex populo Gentili, quæ fuit sponte juncta populo Israelitico, fuit *Rahab*, quæ recepit & salvavit exploratores: quæ sola cum domo sua fuit liberata & reservata in vastatione *Jericho* ut patet *Josue* 6. quæ quidem *Rahab* postea fuit juncta in uxorem ipsi *Salmon* Principi tribus Juda, ex qua genuit *Booz*. Et patet qualiter etiam ipsa Rahab fuit figura populi Gentilis ad fidem venturi. E

Sed multò clarius fuit figura hujusmodi ipsa *Ruth Moabita*. Unde legitur *Ruth in primo capit.* quòd ortâ fame in terra Juda, quidam vir appellatus *Elimelech* compulsus inedia profectus est in terram *Moab* cum *Noemi* uxore sua, & duobus filiis, scilicet, *Mahalon* & *Chelion*. Et factum est cum moreretur Elimelech in terra Moab, mansit *Noemi* orbata viro vidua cum duobus filiis, qui acceperunt singulas uxores de populo Moabitarum, qui post decennium ambo mortui sunt. Tunc autem *Noemi* videns se orbatam viro & ambobus filiis, decrevit redire in Bethlehem patriam suam. *Ruth* autem, una ex nuribus suis, vehementi affectu statuit non dimittere socrum suam: immò venit cum ea in Bethlehem Judæ. Unde cum Noemi diceret ipsi, ut reverteretur ad populum suum, & ad Deos suos: ipsa respondit dicens: *Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus.* Et quocumque perrexeris ibo: & ubi morata fueris, ego pariter morabor. Et sic tandem *Ruth Moabita* venit cum *Noemi* in Bethlehem vivens cum ea secundùm Legem Moysi in magna humilitate & paupertate. Tunc autem accidit, quòd tempore messis *Ruth* abiit ad agrum ipsius *Booz* viri Ephrathei, & sequebatur messores colligendo spicas cadentes de manibus messorum pro vitâ sustentandâ. Videns autem *Booz* honestatem & humilitatem mulieris, præcepit ipsi, ne abiret ad alium agrum; sed colligeret spicas in agro suo. Et voluit, ut comederet & biberet simul cum messoribus & ancillis suis. Quæ cum fuit satiata reversa est ad *Noemi* socrum suam, & narravit ipsi omnia beneficia quæ *Booz* fecerat erga eam. Tunc vero *Noemi* narravit ipsi, qualiter iste *Booz* erat consanguineus viri sui *Elimelech*. Et sic præcepit ipsi, ut rediret iterum ad agrum ejus ad colligendas spicas; & cum *Booz* dormiret de nocte in area, accederet ad pedes ejus, & cooperiret se pallio ejus, & faceret omnia quæ sibi *Booz* diceret. Cum autem *Ruth* fecisset omnia juxta consilium *Noemi* surgens *Booz* à somno, & reperiens *Ruth* ad pedes suos, quæsivit quænam esset? illa autem respondit, F G H

di-

dicens: *Ego sum Ruth ancilla tua: Expande pallium tuum super ancillam tuam, quia propinquus es.* Tunc inquit ille: *Benedicta es tu à Domino filia: quia priorem misericordiam posteriore superasti & non es secuta juvenes pauperes, sive divites*: & tunc *Booz* facto discursu propinquitatis ipsius *Elimelech* soceri ipsius *Ruth*, accepit eam in uxorem. Ex qua genuit *Obed*, qui genuit *Jesse*, qui genuit *David* patrem *Salomonis*. Et sic patet, qualiter ista *Ruth* Mohabita de populo Gentili cum magno affectu juncta fuit populo Dei: & quæ cupiebat esse ancilla, facta est uxor & domina in domo ipsius *Booz*, ex qua Christus descendit secundum carnem. A

Per quod mysterium prævidit Salomon in spiritu totum mysterium conversionis totius populi Gentilis ad fidem Christi; eò quòd *Salomon* erat pronepos hujus *Ruth*: & ideo frequenter contemplabatur hujusmodi mysterium. Unde per hoc quod *Ruth* cum tanta humilitate & instantiâ adhæsit ipsi *Noemi*, & secuta est eam, dicens: *Quocumque perrexeris ibo, & ubicumque morata fueris morabor: populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus &c*: per hoc prævidit Salomon in spiritu, qualiter populus Gentilis dimissâ idololatriâ, & omni ritu superstitioso, cum magna humilitate debebat venire ad fidem Christi, & recipere ejus Legem Euangelicam, & debebat adhærere cum conversis de plebe Israeliticâ, & cum eis simul fieri unus populus Christianus, & una Ecclesia sub uno vero Deo, & uno capite Christo. Et per hoc, quòd ista *Ruth* cum sua humilitate, & magnâ perseverantiâ, ea quæ colligebat spicas post messores, & desiderabat esse ancilla; facta est domina domus, & copulata in uxorem ipsi Booz: Per hoc prævidit Salomon in spiritu, qualiter plebs Gentilis, quæ numquam habuerat Legem, nec Prophetas, sed desiderabat colligere spicas post Apostolos; postea per suam humilitatem & fidem juncta fuit in Sponsam Christo Sponso suo, & fuit domina principalis in Ecclesia, Synagogâ reprobatâ: & ipsa quæ cupiebat colligere spicas sacræ Scripturæ post Apostolos, facta est postea domina totius messis Scripturæ sacræ. Quia pro majori parte omnes Doctores, qui exposuerunt sacram Scripturam utriusque Testamenti, fuerunt conversi de populo Gentili, ut patet de *Eusebio*, & *Ambrosio*, & *Augustino*, & *Hieronymo &c.* B C D

Item per hoc quod *Ruth* sole denigrata *lavit faciem suam*, & expoliavit se vilibus vestimentis, & induit se novis vestimentis, quando venit de nocte ad lectum ipsius *Booz*: per hoc prævidit Salomon in spiritu, qualiter plebs Gentilis sorde & æstu idololatriæ denigrata, & dealbata à nigredine idololatriæ, & expoliata ab omni falsâ superstitione per fidem, debebat indui novis vestimentis fidei, & jungi Sponso suo Christo; & debebat renovari vestibus nuptialibus in domo Christi Sponsi sui, & debebat ungi Baptismo & Chrismate salutis, & lavari & dealbari à nigredine peccatorum, & sorde idololatriæ: & sic tota Ecclesia ex istis duobus populis per fidem congregata debebat vivere sub uno Sponso & Pastore Christo. E

Item per hoc idem prævidit Christum ex utroque populo nasciturum. Et per hoc quòd Christus ex utroque populo erat secundum carnem nasciturus, prævidit in spiritu, qualiter utrumque populum Christus erat salvaturus. F

Prævidens ergo Salomon in spiritu spontaneam conversionem populi Gentilis, & unionem ejus cum conversis de populo Israelitico sub uno Sponso & Pastore Christo in una Ecclesia per omnia mysteria supradicta, & maximè per mysterium ipsius *Ruth* Moabiti, in qua maximè & clariùs fuit figurata conversio Gentium: ideo in hac quarta parte hujus primi Cantici introduxit plebem Gentilem sorde idololatriæ denigratam, venientem tamquam ovem perditam & peregrinam, cupientem & petentem cum plebe Israelitica & fideli sociari ad recipiendum Sponsum suum & Pastorem Christum. G

Ubi duo facit. Nam primò facit quod dictum est, secundò conversa ad Christum, petit ab eo tamquam â vero Pastore pasci, & sub ejus umbra quiescere & protegi. Ibi: *Indica mihi quem diligit anima mea.*

Quantum ergo ad primum videns ista plebs Gentilis, quòd plebs fidelis & Israelitica fuerat jam diu ab Adam usque ad Salomonem per verba de futuro Christo desponsata; & videns quòd ipsa quondam deviaverat à fide unius Dei ad idola per *Cham* & *Nembrod* & *Zoroastem*, & *Ninum*, & alios qui incæperunt idola colere; & videns se tali sorde & æstu denigratam; & videns quod plebs fidelis petebat à Christo Sponso personaliter osculari, & trahi, & ad thalamum ejus introduci: Ideo rogat *filias Hierusalem*, scilicet plebem fidelem, ne despiciat eam in tali expeditione; sed recipiat eam in sua societate ad recipiendum Christum: quia licèt ipsa plebs Gentilis esset denigrata foris per idololatriam: tamen ipsa ita erat pulchra quoad naturam sicut plebs fidelis; quia ita erat ad imaginem Dei creata; & per consequens ita erat capax fidei & beatitudinis, sicut ipsa. Item, quia Christus ita erat ex ipsa plebe Gentili nasci- H

tu-

turus ſicut de Iſraeliticâ, & per conſequens ita erat ipſam redempturus: ideo dicit iſta plebs Gentilis: O *filiæ Hieruſalem*, id eſt, plebs Iſraelitica & fidelis, quæ videtis Dominum per fidem, recipite me in veſtra ſocietate, ut Chriſtus Sponſus *oſculetur* me ſimul vobiſcum *oſculo oris ſui* per Incarnationem, & trahat me per Legis Euangelicæ prædicationem, & introducat me *in cellaria ſua* per redemptionem, & ſecretorum revelationem: quia ita eſt naſciturus ex me ſecundùm carnem, ſicut ex vobis. Et *nolite me conſiderare quod fuſca ſim.* Nam licèt ſim *nigra* per peccatum, tamen ſum *formoſa* per naturam: quia ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſum creata: quia cuncta quæ fecit Deus erant valde bona: ſed poſtea offuſcavit & *decoloravit me Sol*, ſcilicet, æſtus peccati & idololatriæ, eò quòd non vixi ſub umbra & fide unius Dei. Et ponitur hîc *Sol* effectivè pro *æſtu* comburente & denigrante; & ſic ponitur cauſa pro effectu. Et ideo ſui denigrata, perdendo albedinem fidei, quam habuit *Adam*, & *Seth*, & *Enos*, & *Noe*, & cæteri Patres mei.

Unde iſta nigredo accidit mihi ex infidelitate: quia *filii* Evæ *matris meæ pugnaverunt contra me* iſto modo. Nam ipſe *Cham*, & *Nemrod*, & *Ninus*, & cæteri idololatræ, qui fuerunt *filii* Evæ *matris meæ*; quia omnes deſcendimus ab una matre *Eva*, & ab una generatione ipſius *Noe*: & etiam omnes Moabitæ filiæ *Lotb*, & omnes Iſmaelitæ & Idumæi deſcenderunt à *Thare* & uxore ejus, matre *Abrahæ* & *Aram*. Et ſic omnes iſti *filii matris meæ pugnaverunt contra me*, decipiendo animam meam, & denigrando eam per idololatriam. Iſti enim filii matris meæ Evæ, vel *Melchæ poſuerunt me cuſtodem*, id eſt, cultorem *in vineis* idololatriæ, id eſt commoverunt me, & docuerunt me falſos ritus idolorum, & coegerum me cuſtodire & obſervare deteſtabiles ritus & ſuperſtitiones idolorum: & ſic *vineam meam non cuſtodivi*, id eſt, non colui, id eſt, legem naturæ, quam Deus tradidit ipſi *Adam* & *Noe*, & *Melchiſedech*, & *Abrahæ*, & ipſi *Job*, & cæteris fidelibus, *non cuſtodivi* nec ſervavi. Quia illa erat *vinea* mea propria, quam Deus tradiderat patribus meis ſupradictis colendam, in cujus culturâ ſub fide Chriſti venturi fuerunt ſalvati: ſed venerunt ſupradicti filii matris meæ, & relictâ verâ *vineâ* Dei, declinaverunt ad falſam vineam idololatriæ, & illam docuerunt me ſervare. Et ſic in tali ſorde & æſtu peccatorum poſita extra umbram fidei unius Dei, fui denigrata, & abominabilis facta quantum ad extra: ſed non reſtat quin maneat imago Dei in anima, ſecundùm quam ſum capax fidei & gratiæ redemptionis: & ideo licèt ſim *nigra* ad extra *ſicut tabernacula Cedar*, quæ ſunt nigra & ſqualida propter ardorem ſolis: tamen ego ſum formoſa naturaliter ad intra, in quantum ſum ad imaginem Dei: & ſic *ſum formoſa* ad intra *ſicut pelles*, id eſt, cortinæ Templi *Salomonis*. Nam ſicut Templum Salomonis ad intra eſt totum ornatum & pulchrum cortinis ſericis & aureis, & diverſorum colorum: ita Deus ornavit animam meam donis naturæ, ſcilicet, quinque ſenſibus corporalibus, & tribus ſpiritualibus potentiis & incorruptibilibus, ſcilicet, intellectu & memoriâ & voluntate, quibus ſum capax ad gratiam, & redemptionem, & gloriam, procul pulsâ nigredine idololatriæ & peccati. Ergo ò *filiæ Hieruſalem*, ne me deſpiciatis, nec recuſetis me in veſtra ſocietate recipere ad oſculandum Sponſum in ſuo adventu: ut ſimul vivamus ſub uno Sponſo & Paſtore Chriſto, & ſub una Lege, & fide, & Baptiſmo.

Ex ſupradictis patet, quòd *Ruth* Moabita cum *Thamar* & *Rahab*, tamquam procuratrix totius plebis & populi Gentilis, venit in figurâ ad plebem Iſraeliticam, petens ſimul cum ea ſociari ſub eodem Divino cultu & fide Chriſti futuri, ut ſimul populus Gentilis ſalvaretur in Chriſto cum plebe Iſraeliticâ, & fieret unus populus cum ea. Et ſic *Ruth* in perſona totius populi Gentilis dicebat: *Nigra ſum ſed formoſa.*

Notandum eſt etiam, quòd non ſolum ſupradictæ tres mulieres erant de populo Gentili, ſed etiam omnes duodecim Patriarchæ fuerunt filii mulierum de populo Gentili. Unde *Jacob*, qui & *Iſrael*, primò genuit ſex Patriarchas ex *Lia* filiâ *Laban* hominis Gentilis. Secundò genuit duos, ſcilicet, *Joſeph* & *Beniamin*, ex *Rachel* filiâ ejuſdem *Laban*. Tertiò genuit duos ex *Zelpha* & duos ex *Bala*, quæ ambæ erant ancillæ & de populo Gentili. Et ſic patet, qualiter omnes duodecim Patriarchæ erant filii mulierum de populo Gentili, quæ libenter adhæſerunt ipſi *Iſraeli*. Et etiam patet, qualiter *Iſrael* ex mulieribus alienigenis de populo Gentili genuit omnes duodecim Patriarchas: ex quibus fuit multiplicatus totus populus Iſrael.

Ex ſupradictis ergo ſequitur, quòd plebs Judaica moderna falsò, & ſtultè, & inaniter gloriatur de natura ſua. Nam & ſi vult incipere naturam ſuam ab *Abraham* ipſe erat ex parentibus, diis alienis & idolis ſervientibus, ut patet *Joſue ult.* Si autem vult incipere naturam ſuam à *Jacob*, & duodecim Patriarchis; ipſi erant omnes filii ſervitutis, & mulierum de populo Gentili. Unde Jacob pretio ſer-

servitutis emit duas uxores, scilicet, *Liam* & *Rachel*. Unde ipsæ dixerunt : *Pater noster vendidit nos, & comedit pretium* A *nostrum*, ut patet *Genes.* 32. Et sic patet, qualiter omnes sunt filii servitutis.

Item servitus istorum magis patuit in captivitate Ægyptiacâ, ubi fuit *sub oneribus dorsum ejus, & manus ejus in cophino servierunt.* Item magis patuit in terra promissionis tempore Judicum, ubi decies fuerunt traditi servituti finitimorum. Item legitur 2. *Paral.* quòd *Salomon* quæsivit, & numeravit omnes proselytos in terra Israel numero centum quinquaginta millia, & tria millia sexcentos, de numero quorum destinavit septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent. Ex quo sequitur, quòd omnes illi erant adventitii de Gentilitate B ad Judaismum, ex quibus maxima pars Judæorum descendit. Ex quo sequitur, quòd totus populus Judæorum est filius servitutis secundùm carnem, & de populo Gentili : & sic non habet unde glorietur de naturâ suâ, sed magis unde vilipendatur.

Deinde cum dicit : *Indica mihi quem diligit anima mea &c.* petit ista peregrina, scilicet plebs Gentilis, simul pasci cum Sponsâ & protegi sub umbra Sponsi.

Ad cujus intellectum est primò notandum : quòd Salomon sumit parabolam ex mysterio nubis obumbrantis Tabernaculum : unde legitur *Exod. ult.* quòd postquam Tabernaculum Domini fuit fabricatum & erectum, & Arca Testamenti reposita intra Tabernaculum, illico C quædam nubes obumbravit, & incubavit supra Tabernaculum : quæ quidem nubes quatuor faciebat. Nam primò per totam noctem illuminabat totum Tabernaculum circumquaque, in die autem obumbrabat ipsum, protegendo ab ardore solis & caumatibus. Secundò dirigebat totum exercitum, præbendo ipsi ducatum per totum desertum : quia ad motum illius nubis movebatur & dirigebatur totus exercitus. Tertiò, illa nubes pluebat manna ad refectionem & nutritionem totius exercitus, quo cibo totus exercitus pascebatur. Illa ergo nubes illuminabat, & protegebat, & dirigebat, D & pascebat illum. Per quod mysterium prævidit Salomon, qualiter Christus Filius Dei debebat cubare in Tabernaculo Ecclesiæ, tamquam caput, & sedere in thalamo ejus tamquam Sponsus : & qualiter Spiritus sanctus debebat incubarum supra totam Ecclesiam, & obumbrare eam, & illuminare, & protegere, & regere, & pascere eam pabulo Ecclesiasticorum Sacramentorum : quia Spiritus sanctus jugiter pluit super Ecclesiam manna Sacramentorum, & gratiarum, & donorum. Ex supradicto ergo mysterio accepit Salomon parabolam ad petendum E pasci, & quiescere, & protegi, & dirigi in Ecclesiam Christi sub umbra Spiritus sancti.

Secundò est notandum : quòd sicut superius Salomon introduxit plebem Israeliticam & fidelem ad loquendum sub metaphora Sponsæ ; ita hîc introducit plebem Gentilem sub metaphora peregrinæ, & gregis errantis. Et causa hujus diversitatis est. Nam plebs fidelis semper mansit colona & civis in Civitate Dei intra muros fidei Christi futuri ab *Adam* usque ad adventum Christi : & sic semper fuit Sponsa Christi per fidem. Sed plebs Gentilis, postquam deviaverat à fide unius Dei post *Noe*, & declinaverat F ad idola, semper erraverat extra Civitatem Dei tamquam pagana & peregrina, & tamquam ovis quæ perierat sine pastore vero & proprio, ducta per diabolum, & denigrata sorde idololatriæ, & omnium vitiorum : & ideo Salomon in hoc primo Cantico introducit plebem Israeliticam & fidelem tamquam Sponsam ad loquendum cum Sponso suo Christo, cui ab initio fuit desponsata per verba de futuro, ut dictum est. Sed plebem Gentilem introducit ad loquendum tamquam peregrinam, & ovem perditam, quærentem Pastorem, qui pascat eam & protegat sub umbrâ suâ, & dirigat, & illuminet eam. Unde sicut illa petit personaliter osculari, & trahi, & introduci in thalamum tamquam Sponsa G à Sponso : ita ista ovis perdita & peregrina & erratica petit pasci, & protegi, & dirigi à Christo vero Pastore.

Et ideo iste libellus partim dicitur *Epithalamium*, id est, Canticum sponsale, sive nuptiale, in quantum Ecclesia introducitur ad loquendum tamquam Sponsa, & Christus tamquam Sponsus. Et partim dicitur *Bucolica* quædam, in quantum Ecclesia introducitur tamquam ovis, sive tamquam grex ovium, & tamquam peregrina ad loquendum Pastori suo Christo. Et etiam dicitur quædam *Georgica*, in quantum Ecclesia introducitur sub metaphorâ vineæ, aut agri, aut horti. Sed omnia ista possunt compre- H hendi sub metaphora Bucolica, & Cantico Bucolico. Unde *Canticum Bucolicum* dicitur Canticum Pastorale : in quo introducuntur Pastores ad loquendum de ovibus, & armentis, & de pascuis, & fructibus, & floribus, & arboribus : ut patet in *Bucolicis Theocriti*, & *Virgilii*. Ita ergo pariter facit Salomon in isto libro, nam sicut *Virgilius* introducit in Bucolicis Poetas, tamquam Pastores loquentes de regibus sub metaphorâ altissimarum arborum, & magnorum leonum, & loquentes de populis sub meta-

phora arbuſtorum & miricarum : cum dicit in *quarta Egloga*:

A *Sicilides Muſæ paulò majora canamus.*
Si canimus ſilvas, ſilvæ ſint Conſule dignæ &c.

Ita pariter Salomon in hoc libro introducit Chriſtum non ſolum tanquam Sponſum, ſed tanquam Paſtorem, & arborem altiſsimam præbentem umbram & refrigerium toti Eccleſiæ. Et per *capream*, & *cervos camporum* intelligit Patriarchas & Prophetas : & per *Paſtorem* quandoque intelligit Apoſtolos : & per *mala granata* intelligitur Martyres : & per *poma*, & cæteros fructus, intelligit Doctores & Confeſſores : & per *lilia* intelligit Virgines: & per *vineam*, *& hortum*, B *& agrum* intelligit totam Eccleſiam fidelium: & per *cuſtodes vineæ* intelligit Reges, & Prælatos, ut latius patebit per totum iſtum librum : in quo ad magnam partem procedit modo Bucolico & Georgico. Unde quia Salomon loquitur de Eccleſia congregata ex duobus populis, ſcilicet, Iſraelitico & Gentilico: ideo loquitur in hoc libro ſub duplici ſtylo. Nam quia plebs Iſraelitica venit ad Chriſtum tanquam Sponſa, quæ diu ante fuerat ipſi per fidem per verba de futuro deſponſata : ideo introducit ipſam tanquam Sponſam. Sed quia plebs Gentilis venit ad Chriſtum tanquam ovis prædita, & peregrina, & extranea ; ideo in ejus petitione procedit modo Bucolico, mutando ſtylum, ut ſatisfaciat utrique populo. C Unde ſicut *Virgilius* in *prima Egloga* introducit ad loquendum *Tityrum* & *Melibœum*. (Melibœus enim reputabat Tityrum felicem, eò quòd quieſcebat ſub umbra & favore *Octaviani Auguſti.*) Ideo cupiens cum eo quieſcere dicit:

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Silveſtrem tenui muſam meditaris avenâ.
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva:
Nos patriam fugimus : tu Tityre lentus in umbra, D
Formoſam reſonare doces Amarillida ſilvas &c.

Ita ergo pariter iſta plebs Gentilis, quæ tamquam ovis perdita erraverat, veniens æſtu idololatriæ ſordida & denigrata, videns plebem Iſraeliticam venientem ad paſcendum & quieſcendum cum Sponſo, petiit ipſi ſociari, ut dictum eſt. Sed converſa ad Chriſtum petit paſci, & protegi *ſub umbra* ejus ſimul cum plebe Iſraelitica, dicens ad Chriſtum verum Paſtorem: O Chriſte, *quem diligit anima mea*, *indica mihi ubi*, & in quo agro, & in quibus paſcuis *paſcas* oves tuas fideles. Et indica mihi, quibus paſcuis, & quo pabulo Sacramentorum, & gratiæ, & donorum *paſcas* eas : ut ſimul paſcas E me cum eis. Item, *indica mihi* Eccleſiam nube Spiritus ſancti obumbratam, & protectam, & directam, *ubi cubes in meridie*; id eſt, in ardore ſolis, & in æſtu hujus mundi: quam Eccleſiam tu protegis ſub tua umbra ab imbribus & caumatibus perſecutionum hujus mundi. Et etiam *indica mihi* illam cæleſtem manſionem, ubi tu *cubas* per gloriam *in meridie* æternitatis ſine nocte, ubi paſcis beatos illâ cæleſti fruitione ſine aliquo defectu cum omni ſecuritate. Unde ô Chriſte vere Paſtor Deus, ego peto ut paſcas me in tua Eccleſia, & protegas & regas me ſub tua umbrâ : *ne vagari in-*F *cipiam poſt greges*, id eſt, poſt populos ſodalium tuorum, ſcilicet, Regum & Principum de populo Gentili. Unde omnes Reges & Principes dicuntur ſodales & ſocii Dei, in quantum commiſit eis vices ſuas in mundo, ut regant populos & regna. Quia omnis poteſtas à Domino Deo eſt. Et ſic Reges tanquam Vicarii & ſodales Dei regunt mundum. Et ſic Reges, & Principes, & Judices dicuntur dii terræ, ut patet *Exod.* 22. & *Pſalm.* 46. & 80. Et etiam dii Gentium, ſcilicet idola, dicebantur ſodales dei, quantum ad exiſtimationem & opinionem vulgi Gentilis. Quia idola deos putabant, & ſocios magni dei totius naturæ. Dicit ergo iſta plebs Gentilis: O Chriſ-G te *quem diligit anima mea*, *indica mihi ubi paſcas*, & *ubi cubes in meridie*, & recipe me ſimul cum plebe Iſraeliticâ, *ne* tanquam ovis perdita *vagari* & errare *incipiam poſt greges* Principum *ſodalium tuorum*, & poſt greges idolorum, & poſt deos Gentium, qui reputantur dii apud vulgus. Nam ſicut tu diceris *Deus Iſrael* ; ita ipſi dicuntur *dii Gentium* ; & ſic dicuntur dii ſolo nomine, ſed non revera. Et ideo deceperunt me, & denigraverunt me multiplici ſorde peccati cum ſua deteſtabili ſuperſtitione.

H *Si ignoras te ò pulchra, &c.*

HÆC eſt quinta pars principalis hujus primi Cantici : in qua Chriſtus Sponſus & Paſtor præbet gratioſum reſponſum præfatæ peregrinæ, annuendo petitionibus ejus, procedendo modo Bucolico.

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd ſicut in prima Egloga Virgilii *Tityrus* annuit precibus & petitionibus *Melibœi* petentis quieſcere & paſci ſub tegmine fagi cum eo, dicens in fine Eglogæ:

Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte

Fron-

Fronde ſuper viridi : ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſsi copia lactis. A
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ:

Ita ergo pariter Chriſtus Paſtor annuit petitionibus hujus peregrinæ & Sponſæ petentis paſci & quieſcere ſub umbra ejus, quia recipit eam, ut paſcatur in Eccleſia ſua, & quieſcat ſub ſuâ umbrâ, ut patebit in *tertio Cantico*, ubi dicit : *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ &c.* Annuens ergo Chriſtus Sponſus & Paſtor petitioni hujus peregrinæ, dicit: O plebs Gentilis, tu di- B cis, quòd denigrata es æſtu idololatriæ: & quod filii matris tuæ poſuerunt te cuſtodem in vineis idololatriæ ; & ideo petis dealbari & ſociari cum plebe Iſraelitica Sponſa mea; & petis paſci, & protegi, & dirigi ſub umbra Eccleſiæ meæ, *ne incipias* ; immò ne procedas *vagari* & errare ultrà *poſt veſtigia* regum & principium mundi, & falſorum deorum. Ideo dico tibi: quod *ſi ignoras te*: (& ponitur *ſi* pro *quia*) id eſt: quia hucuſque ignoraſti te, non cognoſcendo Creatorem tuum & verum Deum, ambulando poſt falſos deos; & quia ignoraſti Legem & Prophetas: ideo *egredere* ab idololatria, & falſâ ſuperſtitione idolorum, C & *abi poſt veſtigia gregum* meorum fidelium ſequendo Legem Euangelicam, & *paſce hædos* & filios *tuos* in Eccleſia mea *juxta tabernacula Paſtorum*, ſcilicet, Patriarcharum, & Prophetarum, & Apoſtolorum, quos poſui Paſtores in Eccleſia mea. Unde Patriarchæ docebunt te adventum meum per figuras & promiſſiones, & Prophetæ per vaticinia, & Apoſtoli annuntiabunt tibi adventum meum, & myſterium Incarnationis & redemptionis per prædicationem Euangelicam. Ergo *abi poſt veſtigia*, id eſt, poſt prædicationem eorum: & imitando vitam eorum *egredere* à cultu & ritu falſorum deorum.

Quia jam *aſsimulavi te*, *ô amica* D *mea*, *equitatui meo in curribus Pharaonis*. Nam ſicut liberavi exercitum meum, & plebem Iſraeliticam Sponſam meam, à curribus & exercitu Pharaonis in mari Rubro; quia populus meus tranſivit illæſus, & Pharao fuit ſubmerſus & periit cum curribus & exercitu ſuo: Ita ego pariter liberabo te de poteſtate diaboli, & de ſervitute peccati, in qua fuiſti, & ejiciam diabolum foras: & comminuam omnia idola ejus, & ſubmergam diabolum & peccatum in mari Rubro ſanguinis Chriſti, & in aquis baptiſmalibus: per quas aquas baptiſmi ego te dealbabo & E lavabo à nigredine idololatriæ & peccati. Et ſic tu quæ eras nigra & ſordida, eris *pulchra* inter mulieres de plebe Iſraelitica. Et tunc cum fueris tali aquâ baptiſmali abluta, *genæ* conſcientiæ, & facies animæ *tuæ* erunt *pulchræ* pulchritudine innocentiæ : ſcilicet, erunt honeſtæ & *pulchræ* ſicut genæ *turturis* : & *collum tuum* erit *ſicut monilia*, id eſt, ornatum monilibus ſpiritualibus: quia Baptiſmus abluit & dealbat animam, lavando eam à culpâ, & reſtituendo eam in ſtatum innocentiæ ad modum *turturis*, & ornat eam virtutibus Theologalibus, & donis gratiarum Spiritus ſancti.

Sed quia maxime dona Spiritus ſancti F conferuntur in Confirmatione ad intelligendas & prædicandas ſcripturas; ideo ſubdit: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, id eſt, faciemus tibi auricularia aurea ex auribus pendentia, argento punctuata, & depicta, & cælata.

Litera autem Hebraica habet: *Pulchræ ſunt genæ tuæ in ordinibus, ſive in auricularibus: & collum tuum cum monilibus. Auricularia aurea faciemus tibi punctuata argento.* Et tunc litera eſt magis plana: eò quòd Baptiſmus, & Eccleſiaſtica Sacramenta ornant animam varietate virtutum & gratiarum quo ad omnes potentias. Et ſic patet, qualiter Chriſ- G tus Paſtor ſatisfacit plebi Gentili petenti dealbari à nigredine idololatriæ, & paſci, & protegi ſubumbra ejus.

Eſt verum quod iſta reſponſio & exhortatio Chriſti poteſt referri & dirigi, tam ad plebem Iſraeliticam, quàm ad plebem Gentilem peregrinam. Nam plebem Iſraeliticam exhortatur & monet, ut egrediatur à jugo Legis & cærimoniarum, & baptizetur in re, poſtquam in figura fuit baptizata in mari Rubro; & recipiat Legem Euangelicam ſequendo Sponſum. Et plebem Gentilem exhortatur, ut egrediatur ab idololatria & cultu falſorum deorum, & dealbetur per Baptiſmum, & ornetur ornamentis gratiarum. Quia redemptio ita fuit pro- H miſſa populo Gentili ſicut Iſraelitico.

Item Sponſam ex utraque plebe in una fide congregatam promittitur aſsimilari *equitatui ſuo in curibus Pharaonis:* nam ſicut equitatus & exercitus Dei tunc triumphavit de curribus Pharaonis in Ægypto, & in mari Rubro : Ita poſtea Eccleſia Chriſti ex utroque populo congregata triumphavit de Tyrannis & Hæreticis, & de diabolo, ut patebit in *nono Cantico.*

Item, ſicut Deus munivit, & ornavit, & ditavit illam plebem Iſraeliticam monilibus & jocalibus, quæ mutuò

ab Ægyptiis acceperant ; ita pariter Christus ornavit & ditavit Ecclesiam A suam, primò monilibus spiritualibus gratiarum & virtutum, posteà monilibus & bonis temporalibus per Reges & Imperatores de populo Gentili ad fidem conversos, ut patebit in *Cantico ultimo*. Et hoc est quod promittit Sponsus Ecclesiæ Sponsæ suæ, cum ait: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te &c.* Et cum posteà subdit: *Pulchræ sunt genæ tuæ*: &, *Murenulas aureas faciemus tibi &c.* Quæ omnia complevit Christus in suo adventu successivè, prout patebit.

Ex supradictis patent *septem petitiones* factæ in isto primo Cantico, quas plebs Israelitica Sponsa Christi cum plebe Gentili de futuro faciebat & petebat B continuè per Patriarchas & Prophetas, & omnes fideles in veteri Testamento ante adventum Christi cum desiderio. Nam primò petebat *osculari* per Incarnationem. Secundò petebat *trahi* per odorem sanctitatis & doctrinæ, & personalis prædicationis. Tertiò petebat *introduci in cellam Sponsi* per gratiam Sacramentorum, & per intelligentiam sacræ Scripturæ. Quartò petebat plebs Gentilis *sociari* cum plebe Israelitica: & per consequens simul *trahi*, & *introduci*. Quintò petebat *dealbari* à nigredine idololatriæ, & omnis peccati per candorem baptismalem. Sextò petebat *pasci* pabulo bonorum gratiæ in præsenti, & gloriæ in C futuro. Septimò petebat *quiescere* & protegi sub umbra Sponsi, hìc per gratiam, & in Cœlo per gloriam. Quibus septem petitionibus annuit Sponsus, & promisit complere sub tali conditione, scilicet, quòd plebs Israelitica *egrediatur* à jugo legis & cærimoniis in adventu Christi; & plebs Gentilis *egrediatur* ab idololatriâ, & sequatur Apostolos, & Doctores Christi, cui Sponsæ promittit dare triumphum & victoriam contra omnes infideles: & promittit eam ornare & ditare bonis spiritualibus, & etiam temporalibus.

Unde nota: quòd divitiæ & redditus Ecclesiæ, licet sint bona temporalia, tamen sunt annexa bonis spiritualibus. Et D ideo per *murenulas aureas* intelligit bona Ecclesiæ merè spiritualia: sicut sunt gratiæ Sacramentorum, & donorum. Sed per *vermiculata*, sive per *puncta argentea* intelligit bona temporalia annexa spiritualibus, quibus ditata fuit Ecclesia per principes mundi. Et sic Sponsus promittit Ecclesiæ Sponsæ suæ *murenulas aureas vermiculatas argento*, id est, bona spiritualia annexa bonis temporalibus. Item etiam per *murenulas aureas* intelligit virtutes Theologales, & dona Spiritus sancti: sed per *picturas argenteas* intelligit virtutes Morales, prout E sunt annexæ virtutibus & donis supernaturalibus, & prout perficiuntur per dona Spiritus sancti, sicut argentum perficitur & coloratur per aurum. Unde bona naturalia & temporalia comparantur ad supernaturalia sicut argentum ad aurum. Et hoc de primo Cantico.

CANTICUM SECUNDUM.

Dum esset rex in accubitu suo,
Nardus mea dedit odorem suum.
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,
F *Inter ubera mea commorabitur.*
Botrus cypri dilectus meus mihi,
In vineis Engaddi.
Ecce tu pulchra es amica mea,
Ecce tu pulchra es,
Oculi tui columbarum.
Ecce pulcher es dilecte mi, & decorus.
Lectulus noster floridus:
Tigna domorum nostrarum cedrina,
G *Laquearia nostra cypressina.*
Ego flos campi, & lilium convallium.
Sicut lilium inter spinas,
Sic amica mea inter filias.
Sicut malus inter ligna silvarum,
Sic dilectus meus inter filios.
Sub umbra illius quem desiderabam, sedi:
Et fructus ejus dulcis gutturi meo.
H *Introduxit me Rex in cellam vinariam,*
Ordinavit in me charitatem.
Fulcite me floribus,
Stipate me malis:
Quia amore langueo.
Læva ejus sub capite meo,
Ex dextera illius amplexabitur me.
Adjuro vos filiæ Jerusalem,

Per

Per capreas cervosque camporum,
Ne suscietis, A
Neque evigilare faciatis dilectam,
Donec ipsa velit.

DUM esset Rex in accubitu suo &c. Hoc est secundum Canticum hujus libri, in quo Salomon cantat mysterium Incarnationis Christi.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd postquam Salomon in primo Cantico cantavit desiderium Patriarcharum & Prophetarum, & omnium fidelium veteris Testamenti de Christo futuro; & exposuit & expectavit petitionem plebis Israeliticæ petentis oculari per Incarnationem, & trahi per Legis Euangelicæ B prædicationem, & introduci & reconciliari per redemptionem &c. Et exposuit etiam petitionem plebis Gentilis petentis sociari, & dealbari à nigredine, & pasci, & protegi sub umbrâ Christi; & explicavit etiam responsionem Christi annuentis petitionibus utriusque plebis: Nunc in novem Cantitis sequentibus Salomon cantat effectum, & executionem, & adimpletionem supradictarum petitionum & promissionum. Unde postquam in primo Cantico cantavit desiderium, & fidem Sponsæ per totum discursum veteris Testamenti ab Adam usque ad Chris- C tum: nunc in novem Canticis sequentibus, satisfaciendo votis & petitionibus Sponsæ cantat totum mysterium nostræ redemptionis ab Incarnatione usque ad Ascensionem, & exinde cantat totum discursum Ecclesiæ novi Testamenti usque ad secundum adventum Christi, & finem sæculi.

Unde duo facit Sponsus in sequentibus Canticis. Nam primò satisfacit plebi Israeliticæ Sponsæ suæ, adimplendo *osculum* & mysterium Incarnationis, & nostræ redemptionis: eò quòd de illo populo erat carnem assumpturus, & in illo populo crucifigendus &c. Secundò satisfacit populo Gentili, ipsum dealbando & ad pascuam vocando, & cum ple- D be fideli sociando juxta suam petitionem. Secunda pars incipit in *Cantico octavo*, ibi: *Quo abiit dilectus tuus.*

In isto ergo secundo Cantico cantatur mystetium Incarnationis figuratum per *osculum* Sponsi & Sponsæ. Quod quidem mysterium prævidit Salomon in spiritu per fabricationem Arcæ & Tabernaculi fœderis, quod Deus præcepit fabricare ipsi Moysi, *Exod.* 26. unde Salomon assumpsit parabolam ad faciendum istud Canticum.

Ad cujus intellectum est primò notandum, quòd quinque consideravit & contemplatus est Salomon in fabricatione illius Arcæ fœderis: Primò materiam ex E qua facta est: quia ex lignis setim & etiam cedrinis. Secundò consideravit unctionem factam ex confectione myrrhæ & cinnamomi & cæterorum aromatum. Tertiò consideravit ea quæ fuerunt reposita in Arca, scilicet duas tabulas lapideas Legis, & urnam mannæ, & virgam Sacerdotalem ipsius Aaron. Quartò consideravit duo Cherubim super quæ Arca sedebat. Quintò consideravit & contemplatus est Tabernaculum, intra quod Arca illa fuit reposita.

In quibus quinque mysteriis bene consideratis & contemplatis prævidit Salomon in spiritu prophetico totum mysterium Incarnationis Verbi. Nam per hoc quòd illa Arca facta fuit ex lignis setim, F quæ sunt ligna altissima, & imputrefactibilia, & incombustibilia; & ex lignis cedrinis, quæ sunt ligna odorifera, & omnis veneni fugativa, prævidit Salomon, qualiter Corpus Christi, licèt esset formandum ex genere ipsius Adam; tamen non per seminalem generationem, sed per Spiritus sancti operationem ex puris sanguinibus Virginis absque omni labe & vestigio peccati: immò debebat fugare omne venenum peccati, & extinguere & sanare morsum antiqui serpentis.

Item, per hoc quod illa Arca fuit G peruncta & perfusa illo oleo & unguento ex myrrhâ, & cæteris pretiosis aromatibus confecto, prævidit Salomon, qualiter illa humanitas, sive ille Christus Jesus erat ungendus præ consortibus suis oleo donorum Spiritus sancti non ad mensuram, unde, & à quo, & de cujus plenitudine omnes eramus accepturi gratiam pro gratiâ.

Item per ea quæ fuerunt reposita in illa Arca prævidit, qualiter Christus erat futurus Deus & homo, Rex & Sacerdos. Nam ligna setina & cedrina, ex quibus facta est Arca, figurabant humanitatem Christi ex corpore & anima: Virga autem Sacerdotalis figurabat Sacerdotium Christi: & urna Mannæ, quod de cœlo H descendebat, figurabat divinitatem: & Tabulæ Legis figurabant Regnum Christi. Et sic prævidit, qualiter Christus erat futurus Deus & homo, Rex & Sacerdos & Judex. Per illa autem duo Cherubim, in quibus sedebat Arca Domini, prævidit, qualiter Christus debebat esse medius inter duo Testamenta, & sedere super ea. Per hoc autem, quòd illa Arca fuit reposita intra Tabernaculum, prævidit Salomon, qualiter Christus verus Deus & homo erat reponendus in utero Virginis Mariæ, & ferendus in eo per novem menses, & reponendus in Ecclesia in æternum; eò quòd illud Tabernaculum figurabat primo Personam &

ute-

uterum Virginis Mariæ, & ex consequenti totam Ecclesiam, in qua habitat Christus.

Sed iterum est advertendum, quòd A sicut illa Arca figurabat humanitatem Christi: ita Tabernaculum figurabat Virginem Mariam, & Ecclesiam: in quo Tabernaculo Salomon consideravit septem mysteria: Primò, quòd licèt Deus primò præceperit fieri Arcam: tamen Tabernaculum priùs factum est. Secundò considerabit materiam ipsius Tabernaculi: quia ex lignis setim, & cedrinis, & etiam cypressinis. Tertiò considerabit unctionem Tabernaculi: quia ex unguento ex quinque aromatibus, scilicet, ex myrra, & cinnamomo, & calamo, & casia, & oleo. Quartò considerabit ornatum: quia ex cortinis & diversis floribus. Quin- B tò considerabit, qualiter Arca fuit reposita intra Tabernaculum tamquam in proprio habitaculo. Sextò considerabit illum populum qui sequebatur, & circundabat Tabernaculum. Septimò considerabat illam nubem obumbrantem & cooperientem Tabernaculum & totum exercitum. Quæ quidem nubes quatuor faciebat. Nam primò protegebat Tabernaculum & totum exercitum in die ab æstu & ardore solis, & frigoribus, & caumatibus, & ventis. Secundò in nocte illuminabat Tabernaculum & totum exercitum. Tertiò dirigebat totum exercitum prebendo ipsi ducatum, ut patet *Exod. ult.* Quartò pluebat manna super exercitum pro C quotidiano alimento.

Per quæ quidem mysteria prævidit Salomon totum mysterium fabricationis & constructionis Ecclesiæ, & totum ornatum, & omnia dona, quæ Ecclesia recepit à Christo: & totum mysterium nostræ redemptionis & salutis. Nam primum, scilicet, quia Deus prius præcepit fabricari Arcam, tamen Tabernaculum fuit prius factum in executione: per hoc prævidit Salomon, quòd *Virgo Maria*, & tota Ecclesia, figurata per Tabernaculum, fuit facta & fabricata propter Christum, & non econverso. Secundò, quòd illud Tabernaculum materiale figurabat duplex Tabernaculum Christi, scilicet, Tabernaculum maternum & D virginale, in quo Christus debebat habitare secundùm carnem; & ex consequenti figurabat Tabernaculum Ecclesiæ mysticum, in quo Christus debebat habitare per fidem & gratiam: quod Tabernaculum mysticum est tota Ecclesia. Ideo per fabricam illius Tabernaculi materialis prævidit Salomon, qualiter Christus in suo adventu primò debebat fabricare Tabernaculum maternum, scilicet, *Virginem Mariam* Matrem suam, ut ex eâ carnem assumeret. Sed per hoc quòd illud Tabernaculum materiale factum est *ex lignis setim* bene mundatis à spinis & lævigatis, & *ex lignis cedrinis*, prævidit Salomon, qualiter Christus debebat E fabricare Matrem suam ex duobus, scilicet, ex carne setina, & anima cedrina.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd *setim* est arbor spinosa, non multum alta: cujus lignum postquam est mundatum à spinis, & lævigatum à pelle, fit albissimum, & imputribile, & incombustibile: per quod lignum figurabatur *caro Beatissimæ Virginis Mariæ*, quæ licèt esset traducta & propagata ex Adam; tamen ante animationem fuit mundata à spinis Adam per virtutem Spiritus sancti: quia in ventre Matris fuit sanctificata illa caro antequam animata, ut pro majori F parte tenent Doctores: quæ quidem sanctificatio non oportuit quod fieret per gartiam gratificantem, cùm illa caro inanimata non esset capax gratiæ; sed fuit facta per virtutem mundativam Spiritus sancti: sicut exorcizatur aqua, & oleum consecratur in Chrisma, licèt sit res inanimata. Ita pariter caro Virginis fuit per virtutem Spiritus sancti sanctificata, & ab omni fomite mundata, & facta alba & imputribilis & incombustibilis, ne anima in ejus consortio posset fœderi, sed in ea anima cedrina absque omni labe & injuria posset creari & infundi.

Ad cujus intellectum est iterum notandum, quòd *cedrus* est arbor altissima, G quæ maximè crescit in Libano, & est arbor valde odorifera, omnis veneni fugativa. Et ideo in monte Libano, & ubicumque crescit illa arbor, nullus potest vivere serpens, nec vipera, nec animal venenosum. Per quod lignum figurabatur anima cedrina *Virginis Mariæ*. Hanc enim animam Filius Dei creavit, & increando & gratificando, in illam carnem jam primò sanctificatam, & mundatam à fomite Adæ, infudit. Et ideo antiquus serpens non potuit ipsam mordere, nec suo originali veneno inficere. Et sic duplici ratione illa sanctissima anima non potuit ex consortio carnis contaminari, nec culpam originalem trahere: Primò quia illa caro antè fuit mundata, quàm animata: & ideo non potuit animam in- H ficere. Secunda ratio est: quia illa anima non fuit creata in puris naturalibus, sicut animæ omnium aliorum: sed simul fuit creata, & sanctificata, & gratificata, & infusa. Quæ quidem sanctificatio non fuit peccàti purgativa, sed omnis generis gratiarum infusiva, & collativa, & confirmativa: & sic fuit ab omni labe peccati præservata. Et ideo antiquus serpens nullo pacto voluit ipsam mordere, nec suo antiquo veneno originali inficere.

Ex quibus patet, quòd illa originalis

lis culpa, quam Adam transtulit ex sua persona in naturam nostram per libidinosam generationem, à cujus naturâ per carnem libidinosam transivit personaliter in omnes posteros, non potuit transire in personam Virginis : Primò propter sanctificationem carnis factam ante animationem. Secundò propter gratiam prævenientem, & gratificationem factam in creatione animæ, & animatione carnis: quia ut sic peccatum naturæ non potuit transire in personam Virginis ; quia quandiu fuit individuum & persona humana, semper fuit in gratia, & Deo grata & accepta ; & per consequens in primo instanti sui esse fuit Tabernaculum Dei effecta. Et sic *Augustinus in primo Sermone de Nativitate Virginis* dicit: quòd *ipsa fuit primordium & exordium Ecclesiæ, & primum membrum Christi quoad Ecclesiam novi Testamenti, in qua Christus per gratiam habitavit primo.* Item dixit *Augustinus in eodem Sermone: Quid justitiæ, quid sanctitatis hæc Virgo indigere potuit, quæ ad instar cœli continentis omnia gratiæ plenitudinem accepit? aut quis unquam in ejus corpore aut anima locus potuit inveniri peccati, quæ ad instar Tabernaculi, Templum Domini est effecta? Hæc est profecto illa domus, de qua per Salomonem dicitur: Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem &c. Hanc profecto domum Divina Sapientia ædificavit, unde, & ex quâ carnem assumeret, & in qua habitaret: Cui nullus Patriarcharum, nullus Prophetarum est conferendus &c.* Ex quibus patet : quòd de mente *Augustini* fuit, quòd *Virgo Maria* numquam fuit obnoxia culpæ originali, nec aliquod peccatum potuit habere locum in ea. Et hoc prævidit Salomon in spiritu, considerando & contemplando fabricam illius materialis Tabernaculi Moysi facti ex lignis setinis & cedrinis. Tertiò contemplando Salomon unctionem Tabernaculi prævidit sanctificationem Virginis Mariæ & totius Ecclesiæ.

Ad cujus intellectum est valde notandum : quòd Deus præcepit Moysi, *Exod.* 30. ut conficeret quoddam unguentum pretiosissimum ex quinque aromaticis liquoribus, scilicet, ex myrrâ primâ & electâ, & cinnamomo, & calamo, & casia, & oleo oliveti, & ex tali unguento perungeret totam Arcam & Tabernaculum. Per quod mysterium prævidit Salomon sanctificationem *Virginis Mariæ*, & ex consequenti sanctificationem & regenerationem totius Ecclesiæ futuram per passionem Christi, & Ecclesiastica Sacramenta, in quantum isti quinque liquores significabant virtutes Sacramentorum fluentes ex passione Christi.

Unde est advertendum secundum *Constantinum* & *Jacobum*, de *proprietatibus rerum*, quòd *myrrha* est quædam humilis arbor in Arabia : quæ cum agitatur à duobus ventis contrariis, maximè ab Aquilone & Austro, incipit sudare in Vere : & ex rimulis factis in cortice ramorum exit & emanat quidam liquor odoriferus, & pretiosissimus, & virtuosissimus: & ille liquor dicitur *myrrha prima.* Sed quia per tales rimulas non potest exire multus liquor, tunc agricolæ vulnerant arborem in latere, faciendo congruentem scisuram ; & tunc emanat copia liquoris : & tunc totus ille liquor qui emanat in mense *Martii* & *Aprilis*, tam ex incisurâ lateris, quàm ex sudore & rimulis ramorum, dicitur *myrrha prima* & electa probatissima, ad differentiam secundæ myrrhæ, quæ emanat in mensibus sequentibus, quæ non est tantæ virtutis.

Quæ quidem *myrrha prima* obtinet principatum inter omnes liquores in virtute. Nam primò ipsa licèt sit amara, tamen est valde odorifera. Secundò est ab omni corruptione præservativa. Tertiò est omnis mali humoris deficcativa & purgativa. Quartò est omnis incisuræ & vulneris curativa, & omnis doloris remediativa. Per quam myrrham figurabatur virtus passionis Christi. Nam licèt illa passio fuit amara & dolorosa ; tamen fuit nobis suavis & odorifera : quia odor ejus totum orbem penetravit, & fuit in *Virgine Maria* ab omni corruptione peccati præservativa : & in multis fuit purgativa peccati originalis, & præservativa ab omni actuali peccato : sicut in *Joanne Baptista*, & *Beato Nicolao* : & in quibusdam fuit purgativa, tam actulis, quàm originalis : & sic fuit omnium vulnerum nostrorum peccatorum sanativa, & nostrorum dolorum remediativa : quia *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit : cujus livore sanati sumus.*

Unde bene per illam myrrham intelligitur passio & sanguis Christi. Nam sicut illa myrrha materialis non sudat, nec emanat nisi per agitationem ventorum contrariorum, & per rimulas ramorum, & per scisuram factam in latere illius arboris : ita Christus non emisit merita suæ passionis (unde omnia Sacramenta habent virtutem) nisi ex scisione, & agitatione, & persecutione duorum ventorum contrariorum, scilicet populi Judaici & Gentilis. Nam ad executionem ejus passionis concurrit cætus & senatus Scribarum & Pharisæorum populi Judæorum, & *Pilatus* cum suis Ministris, qui erant de populo Gentili. Et sic ex tali persecutione duorum ventorum contrariorum fuit Christus agitatus

per

per alapas, & percussiones, & flagella & clavationes manuum & pedum, unde exivit sanguis tamquam prima myrrha. Sed A
postea per incisuram & vulnus lateris exivit major abundantia myrrhæ in remissionem peccatorum, & virtutem & medelam Sacramentorum, ut latius patebit in 6. *Cantico.* Ideo David in Psalmis, & Salomon in hoc libro, per *myrrham* semper intelligunt passionem & sanguinem Christi.

Item *cinnamomum* est species aromatica, sapida & odorifera, & etiam à corruptione præservativa: & *calamus*, sive *nardus*, est herba valde odorifera, & omnis fœtoris fugativa: & *casia* est dulcis, & lenitiva, & purgativa: & *oleum* est omnis doloris mitigativum: & B
sic quia ex his quinque liquoribus conficitur unum unguentum pretiosissimum & odoriferum habens supradictas proprietates, scilicet, quia tale unguentum est odoriferum, licèt sit aliquantulum amarum; tamen efficitur dulce propter admixtionem cinnamomi & casiæ: & tale unguentum est odoriferum, & sapidum, & salutiferum, & ab omni corruptione præservativum, & omnis doloris mitigativum: per quod figurabatur passio Christi facientis omnes prædictos effectus spirituales in nobis. Et ideo mysticè & figurativè præcepit Deus, ut ex tali unguento ungeretur Tabernaculum, præfigurando myrrham & unguentum passionis Christi, quo *Virgo Maria* & tota Ecclesia erat perungenda: & figurabat illud oleum Catechumenorum, & infir- C
morum, & Chrisma, quod conficit Ecclesia ad liniendos fideles per Sacramentum Baptismi & Confirmationis, & Extremæ Unctionis.

Quo quidem unguento passionis Christi non solùm fuit peruncta Ecclesia, & omnes fideles: sed etiam ipsa *Virgo Maria* in sua creatione, & in primo instanti sui esse, ut dictum est. Quia illa gratia sanctificationis, quâ fuit sanctificata, non fuit ipsi collata, nisi per merita passionis Christi: sed per alium modum. Nam in omnibus nobis fuit purgativa peccati: sed in *Virgine Maria* fuit illa gratia ab omni peccato præservativa, ut dictum est. Ex quo patet, D
quòd *Virgo Maria* ita fuit redempta per Christum, & ejus passionem, sicut cæteri fideles. Nam illa gratia ita traxit virtutem ex passione Christi, sicut gratia, quâ fuimus omnes nos baptizati: sed illa eadem gratia, quæ nos purgavit à peccato *subveniendo*, *Virginem Mariam* præservavit *præveniendo*, prout dictum est.

Et si quis vult obstare: quia in Conceptione Virginis Christus nondum fuerat passus: Respondetur secundum *Hie-*
ronymum in Sermone de Assumptione E
Virginis, & secundùm *August. Hipognosticon contra Pelagianos*, quòd Christus non solùm ante suam passionem, sed etiam ante suam Incarnationem jam dispensabat gratiam & merita suæ passionis: unde antequam pateretur jam miserat Discipulos ad prædicandum & baptizandum: qui Baptismus dabatur per merita suæ passionis; quia *Christus heri & hodie, & in sæcula: ad Hebræos ultimo*: de qua materia satis dictum est in *Psal.* 45. & in *Expositione super Magnificat.*

Per ornatum autem Tabernaculi ex varietate cortinarum & florum, prævidit Salomon ornamenta diversarum virtu-
tum, quibus Christus ornavit Matrem F
suam, de quâ debebat carnem assumere, & in quâ non solùm tamquam in Tabernaculo sponsali, sed etiam tamquam in Tabernaculo materno debebat specialiter humanari. Quia *Virgo Maria* prius fuit Sponsa, quàm Mater Christi: quia priùs concepit Christum mente per gratiam, quàm carne, ut inquit *Augustinus in libro de Sancta Virginitate.*

Item, per hoc quod illa Arca fœderis fuit posita in illo materiali Tabernaculo veteris Legis, prævidit Salomon, qualiter Christus Deus & homo debebat reponi, & per novem menses carnaliter portari in utero Virginali ipsius *Beatæ Mariæ* Matris suæ.

Item, per hoc quod Deus sedens in Arca fœderis super Cherubim intra
G Tabernaculum, & de Tabernaculo loquebatur Moysi, & per Moysen toti populo; prævidit Salomon, qualiter Verbum Divinum existens in Arca humanitatis, & intra uterum Virginis, debebat sanctificare *Joannem Baptistam* in ventre matris suæ: & idem Christus existens in utero matris fecit eam evangelizare, quando dixit: *Magnificat anima mea Dominum &c.* quia filius loquebatur per os matris, sicut ante fuerat locutus per ora Prophetarum.

Item, per hoc quod illa nubes protegebat illud Tabernaculum in die ab æstu & ardore solis, & in nocte illuminabat Tabernaculum, & dirigebat & ducebat
H totum exercitum, & pluebat jugiter illud manna ad cibum & refectionem illius populi; prævidit Salomon, qualiter Spiritus sanctus debebat obumbrare *Virginem Mariam* in sua Annuntiatione, & qualiter Virgo Maria debebat recipere Verbum Divinum missum à Patre tamquam *panem vivum*, & *manna absconditum*, ad vitam & salutem & refectionem omnium fidelium. Quæ quidem virtus Spiritus sancti formavit Corpus Christi in utero Virginis ex puris sanguinibus, & præservavit Virginem ab omni corpo-

ra-

rali corruptione, & eam in perfectâ & integrâ virginitate servavit. Et sic mansit Christus in illo Tabernaculo virginali carnaliter per novem menses, & spiritualiter in perpetuum. Et etiam patet, qualiter istud Tabernaculum Moysi non solùm prefigurabat Tabernaculum Christi maternum, quæ fuit *Virgo Maria*, sed etiam Tabernaculum mysticum, quæ est tota Ecclesia. Et ideo sicut Salomon per illam fabricam Arcæ & Tabernaculi prævidit fabricationem Corporis *Virginis Mariæ* in sua conceptione & creatione, & prævidit mysterium Incarnationis, & prævidit omnes dignitates Virginis Mariæ supradictas: ita pariter prævidit totam fabricationem & regenerationem totius Ecclesiæ.

Prævidit enim, qualiter istam Ecclesiam Christus ex duobus lignis, scilicet setinis & cedrinis; id est, ex duobus populis, Israelitico & Gentili, debebat fabricare. Secundò, qualiter eam unguento suæ passionis myrrhino debebat per Sacramenta perungere. Tertiò, diversitate donorum & gratiarum & virtutum decorare & ornare. Quartò, Christus debebat se in hac Ecclesiâ tamquam in Tabernaculo mysticè includere per fidem & gratiam. Item prævidit, qualiter Spiritus sanctus debebat super istam Ecclesiam incubare & illam illuminare, & protegere, & regere, & dirigere, & super eam fructus gratiarum & donorum & manna Sacramentorum jugiter pluere ad nutritionem, & refectionem, & sanitatem fidelium. Et sic per fabricam & mysterium illius Arcæ & Tabernaculi prævidens Salomon mysterium Incarnationis, & Ecclesiæ fabricationis, fecit hoc Canticum, in quo cantat & explicat omnia supradicta. Et ideo istud Canticum primò verificatur de mysterio Incarnationis, & de Beata Virgine Maria, quæ fuit Tabernaculum Christi maternum: ex consequenti autem verificatur de tota Ecclesia, quæ est Tabernaculum mysticum, in quo Christus habitat per fidem & gratiam. Unde quia plebs Israelitica desponsata per verba de futuro petebat in primo Cantico à Christo Sponso suo personaliter & præsentialiter per Incarnationem osculari, & trahi, & in thalamum introduci: & plebs Gentilis petebat cum altera sociari, & dealbari; & utraque plebs facta una Sponsa petebat simul à Christo pasci, & sub umbra illius protegi & quiescere &c. & quia Sponsus promisit utriusque petitionibus annuere & satisfacere: Ideo in hoc secundo Cantico exequitur de adimpletione promissi. Et sic Salomon introducit Sponsam ad loquendum, agendo gratias, quia recepit osculum & beneficium Incarnationis à Sponso.

Sed est advertendum, quòd in illa benedicta Incarnatione, quæ denotatur & intelligitur per *accubitum* & *amplexum* in hoc Cantico, fuit facta triplex unio. Primò, unio personalis Verbi cum illa humanitate assumpta. Secundò, unio maternalis Christi cum Maria Matre suâ. Tertiò, unio mystica & Sponsalis Christi cum Ecclesiâ. Et sic de qualibet istarum unionum verificatur illud secundum Canticum. Et ideo iste dialogus potest esse, primò inter humanitatem assumptam & Verbum. Secundò inter Virgineam Mariam & Christum Filium suum. Tertiò inter Ecclesiam & Christum Sponsum suum. Sed quia ista triplex unio fuit celebrata in persona Virginis Mariæ, in quantum ex puris sanguinibus ejus Verbum assumpsit carnem, & in ipsa Maria primò Christus desponsavit Ecclesiam: ideo in toto isto Cantico ipsa potest loqui pro humanitate Christi assumptâ, & pro se ipsâ, & pro totâ Ecclesiâ. Et sic Virgo Maria primò in persona sui, quia recepit Christum in utero suo per carnem & fidem, ex consequenti agit agracias in persona Ecclesiæ, cujus ipsa est membrum primum; & agit gratias in persona sui, in quantum meruit esset Mater Dei electa inter omnes mulieres, & singularis inconcipiendo Christum, & portando, & pariendo ipsum ultra Legem aliarum mulierum.

Ad cujus intellectum est notandum secundùm *Augustinum in Sermone primo de Annuntiatione*: quòd in illa benedicta incarnatione & conceptu Filii tota maledictio *Evæ* mutata est in benedictionem *Mariæ*. Nam *Evæ* dictum est: *Quia obedisti serpenti &c. multiplicabo ærumnas tuas: & in dolore pariens conceptus tuos &c.* Sed Mariæ dictum est: *Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* Et, *Spiritus sanctus superveniet in te &c.* Item per Elisabeth dictum est ipsi: *Benedictus fructus ventris tui &c.* Unde quia *Evæ* cum cæteris omnibus aliis mulieribus dictum est, ut conciperent conceptus suos cum fœditate libidinis & corruptione, & portarent eos cum gravedine & multiplici miseriâ, & parerent cum dolore, & majore corruptione: tamen sola *Virgo Maria* concepit Christum sine fœditate & fœtore libidinis ex solo opere Spiritus sancti, & portavit cum gaudio sine gravedine & miseriâ, & peperit sine dolore, & cum integritate virginitatis. Et sic ille conceptus & fructus benedictus non attulit Matri maledictionem aliarum mulierum; immò abstulit omnes illas maledictiones, & attulit ipsi contrarias benedictiones.

Dicit ergo Maria: gratias ago Deo meo, qui adimplevit desiderium meum, & totius Ecclesiæ fidelium: nam ego pe-

tebam in persona totius Ecclesiæ osculari, & trahi à Sponso, & introduci in thalamum ejus, sed totum hoc impletum A est in me: quia ventrem meum virginalem fecit thalamum, in quo voluit habitare in sua Incarnatione: quia ex me voluit carnem assumere, & in me tamquam in suo Tabernaculo & *accubitu* & lectulo habitare per carnis assumptionem: cujus conceptus non fuit mihi cum maledictione secundùm legem aliarum mulierum, immò cum omni benedictione ultra legem aliarum. Nam *cum* Christus *Rex* Sponsus meus *esset in accubitu suo*, scilicet, in thalamo virginali uteri mei, non conceperam ipsum cum fœditate libidinis, nec ex virili semine; sed mystico spiramine, & opere Spiritus sancti. B & sic *dum* ipse *Rex* Christus *esset*, & conciperetur *in accubitu suo*, *nardus mea*, id est, virginitas mea, *dedit odorem suum*: quia non concepi cum libidine fœditatis: sed cum pudore & odore virginitatis & integritatis. Item, *dilectus meus* Christus fuit *mihi* tamquam *nardus* fugans omnem fœtorem & fœditatem. Item fuit mihi tamquam *fasciculus myrrhæ* præservans ab omni corruptione. Unde sicut myrrha posita intra corpora mortuorum non permittit illa corrumpi: ita Christus conceptus in utero meo, non permisit me corrumpi à virginitate, immò servavit integritatem. Et ideo *dilectus meus* C tamquam *fasciculus myrræ inter ubera mea commorabitur* præservans me ab omni corruptione. Item, *dilectus meus* non solum fuit *in accubitu* & utero meo sicut *nardus* & *fasciculus myrrhæ*: sed etiam sicut *botrus cipri in vineis Engaddi*, ubi crescit arbor balsami, quæ dicitur *cyprus*: quasi dicat, quòd Christus fuit sicut balsamum in utero meo. Nam *balsamum* est liquor pretiosissimus penetrativus: nam balsamum positum in vola & palmâ, penetrat totam manum absque incisione & læsione. Ita pariter Christus in concipiendo & nascendo fuit tamquam *balsamum*; quia introivit & exivit per clausam portam clastri virginalis, conferendo prolem & fœcunditatem, D non auferendo virginitatem.

Fuit ergo Christus in utero virginali ipsius Matris Mariæ tamquam *nardus* odorifera pellens omnem fœtorem libidinis & fœditatem: & fuit tamquam *fasciculus myrrhæ* præservans ab omni corruptione: & fuit tamquam *botrus cypri*, sive tamquam *balsamum* intrans & penetrans claustrum virginis, afferendo fœcunditatem, non auferendo virginitatem. Unde Salomon comparat mysterium Incarnationis & conceptis Christi ad Arcam fœderis existentis in Tabernaculo inter illa aromata odorifera absque omni fœtore & corruptione: scilicet in illo Tabernaculo ex lignis setinis & cedrinis incorruptibilibus fabricato, & pre- E tiosissimis unguentis illito & peruncto, & nobilibus cortinis & ornamentis decorato. Quasi dicat Virgo Maria: quòd sicut Deus *Rex regum*, *& Dominus dominantium* erat in illo *accubitu* & Tabernaculo cum illis aromatibus materialibus odoriferis: ita pariter Sponsus pellens omnem fœtorem fœditatis, erat sicut *myrrha* præservans ab omni corruptione, & sicut *botrus cypri*, id est, sicut balsamum penetrans absque læsione præbens fœcunditatem, non auferens integritatem virginitatis.

Et nota: quòd ubi Translatio nos- F tra dicit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus &c.* in Hebræo habetur: *Globus muscì dilectus meus.* Et hoc accidit: quia illud nomen *mor* positum in Hebræo, est æquivocum: Quia uno modo significat odorem, sive rem odoriferam: alio modo significat amaritudinem, sive rem amaram. Et ideo Hebræi moderni sumentes unam significationem, semper per *mor* intelligunt & pronuntiant *muscum* in hoc libro: *Septuaginta* autem, quos sequitur *Hieronymus* in hac parte, transtulerunt hoc nomen *myrrha* in utraque significatione: eò quòd utraque significatio convenit ipsi *myrrhæ*: quia simul est amara & odorifera, habens plures G perfectiones & proprietates, quàm *muscus*. Per quas proprietates ipsa *myrrha* maximè significat passionem Christi, & Ecclesiastica Sacramenta, ut dictum est. Et significat Virtutes, tam Morales, quàm Theologales, quæ sanant omne vitium, & præservant ab omni peccato. Et ideo multò meliùs interpretati sunt Septuaginta, quàm ipsi moderni Hebræi cum suis falsis punctis, & suâ falsâ punctuatione.

Iterum est notandum: quòd illa arbor ex qua nascitur balsamum, dicitur *cyprus* apud Græcos, quam Salomon transtulit ex Assyria in Judæam, & plantavit vineam ex eâ in *Engaddi*, juxta *mare mortuum*, & crescit ad modum vi- H minis per modum vitis: & ideo dicitur *vinea*. Quæ quidem arbor non patitur ferrum: quia si tangitur, aut scinditur ferro, illico aret & siccatur: sed cùm scinditur lapide, vel osse acuto, tunc emittit succum, sive liquorem pretiosissimum, quod dicitur *balsamum*. Et ideo hîc ponitur *botrus* pro liquore illius vitis. Et, dicitur *balsamum* à Civitate *Balserâ*, ubi antiquitus crescebat. Græci autem appellabant etiam ipsum *cyprum*: quia aliquando crevit illa arbor in *Cypro insula*, & facit grana ad modum botri, aut uvæ: sed ille liquor pretiosus qui dicitur *balsamum*, non fit, nec exit de botro, sed ex calamo, sive virgâ illius

vitis

vitis inciſæ, diſtillando illum liquorem. Et dicitur *cyprus*, quod interpretatur *res amœna*, & etiam interpretatur *mixtura*; A eò quòd ille liquor eſt amæniſsimus & pretioſiſſimus & digniſsimus & penetrativus, quo omnes reges ungebantur. Per quod balſamum ſignificatus eſt Chriſtus, & paſſio ejus, & reſurrectio, à cujus unctione omnes dicuntur *Chriſtiani*, id eſt, *uncti*.

Dicit ergo Virgo Maria: Chriſtus Sponſus & Filius meus & *dilectus dum* erat *in accubito ſuo*; ſcilicet, in utero meo, fuit mihi ſicut *botrus cypri*, id eſt, ſicut balſamum *in vineis Engaddi* naſcens. Nam ſicut balſamum penetrat carnem abſque læſione & inciſione, & præſervat â corruptione, & conſervat in B integritate, & perpetuat odorem in vaſe ſuo in quo ſemel ſtetit, & dignificat hominem unctum, ex eo quòd non unguntur eo, niſi Reges & Sacerdotes & Inclyti propter ejus pretium & dignitatem: ita pariter *dilectus meus* penetravit clauſtrum meum in conceptione & nativitate abſque læſſione virginitatis meæ: quia licèt ex me accepit carnis veritatem; tamen ſervavit virginitatis integritatem, & perpetuam dignitatem: Quia etiam poſt partum ſemper appellabor Virgo & Mater Dei, & *beatam me dicent omnes generationes*.

Ex quibus patet, quòd uterus Virginis Mariæ fuit *accubitus* & thalamus Chriſti, nardo odoriferâ omnium virtutum C & gratiarum perfuſus: & fuit capſa *myrrhæ electæ* & balſami pretioſi ipſius Chriſti. Et ipſe Chriſtus fuit in utero virginali tamquam *nardus* odorifera omnium virtutum; & *faſciculus myrrhæ*, ejus virginitatis conſervativus: & tamquam *botrus cypri*, id eſt, tamquam balſamum penetrans abſque læſione, & dignificans, & ungens eam tamquam Reginam hominum & Angelorum.

Et ideo ſunt valde notanda iſta tria aromata hîc methaphoricè poſita, ratione ſuarum proprietatum & perfectionum, quæ per quandam excellentiam conveniunt Chriſto & Virgini Mariæ Matri ejus, qui loquuntur in hoc Cantico. Nam ſicut Deus in figura præcepit Moyſi, ut D preungeret illud Tabernaculum, in quo Arca ſua erat repoſita, unguento iſtorum aromatum: ita implendo illam figuram, voluit illam Matrem, de qua carnem erat aſſumpturus, & in ejus utero quieturus, perungere & ornare unguento diuerſarum gratiarum ſupradictarum. Ideo advertat lector, & quærat. Sed quia Virgo Maria Mater & Sponſa Chriſti egit gratias de beneficiis receptis à Sponſo, & maximè quia faciendo ipſam Matrem Dei, ſervavit in ea Virginitatem: Chriſtus Sponſus & Filius reddendo vi-

ces reſpondet, commendando eam in perſona ejus in quantum Mater, & in E perſona Eccleſiæ in quantum Sponſa, & primum membrum Eccleſiæ, & commendat eam de multiplici pulchritudine.

Unde eſt advertendum: quòd Chriſtum Matrem ſuam, aut Eccleſiam commendare, idem eſt quòd ipſam virtutibus & gratiis decorare, & ornare, & ditare: quia *dicere Dei* eſt facere: ideo totus iſte Dialogus hujus ſecundi Cantici inter Sponſum & Sponſam, nil aliud eſt niſi ille Dialogus, qui fuit inter *Gabrielem* & *Virginem Mariam* in myſterio Incarnationis, *Lucæ* 1. quando Angelus Gabriel miſſus à Deo dixit: *Ave* F *gratiâ plena &c.* Quod myſterium & dialogum propheticè cantat Salomon in hoc Cantico, prout propheticè prævidit in ſpiritu.

Dicit ergo Chriſtus ad Virginem Matrem & Sponſam ſuam: O amica mea, tu dicis, quòd ego ſum *nardus* odorifera, & *faſciculus myrrhæ inter ubera tua*, & ſicut *botrus cypri*. Et ecce ego dico tibi, quòd tu es *pulchra*, id eſt, te feci pulchram quoad animam, pulchritudine omnium gratiarum & virtutum. Et etiam tu es *pulchra* quoad corpus exterius: quia pura & humilis & honeſtiſſima: quia *oculi tui* ſunt ſicut *oculi columbarum* oſtendentes in ſe omnem honeſtatem, & puritatem, & humilitatem abſ- G que amaritudine, & felle, & omni labe. Cui reſpondet Sponſa. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*, & ſpecioſus forma præ filiis hominum: quia tu es *pulcher* & bonus per eſſentiam; ego autem per participationem: unde ſi quid pulchritudinis habeo, illud recepi à te: quia me voluiſti virtutibus & plenitudine gratiarum ornare, & plenam gratiâ appellare & facere, & me voluiſti in tuum Templum & habitaculum maternum eligere & fabricare, & ſanctificare, & conſecrare, & ex meis puris ſanguinibus carnem aſſumere. Et ideo quia tu voluſti ornare hoc Tabernaculum tuum, inde eſt quòd *lectulus noſter* eſt *floridus*, id eſt, varietate virtutum & gratiarum H ornatus, & amœnus, & delectabilis quoad ornatum. Sed quantum ad materiam ex qua feciſti hanc domum tuam & Tabernaculum, dico tibi, quòd *tigna domorum noſtrarum* ſunt *cedrina*. Quia feciſti iſtud Tabernaculum perſonæ meæ ex duabus tabulis completis & conjunctis: ſcilicet, ex carne ſetina mundiſſima & pura, & ex anima Cedri imputrabili, & fugativâ omnis veneni, & omnis peccati. Et ideo antiquus ſerpens non potuit me mordere, nec inficere ſuo dente & veneno peſtiſero, (ſicut dictum eſt) quia *tigna* hujus domus ſunt *cedrina*.

Unde *tigna* dicuntur tabulæ, sive trabes ad invicem colligatæ sustinentes domum. Et *laquearia nostra*, scilicet, trabes majores, sunt *cypressina* & incorruptibilia. Quasi dicat, quòd sicut Moyses fecit illud Tabernaculum materiale ex lignis cypressinis & cedrinis odoriferis & incorruptibilibus, fugitivis omnis veneni: Ita tu Sponse fabricasti me in domum & tabernaculum tuum maternale ex carne cypressina, & anima cedrina: ne venenum peccati me valeret contingere, nec serpens antiquus mordere: quia ante animationem carnem meam mundasti & sanctificasti, & in animatione animam meam simul creasti, & sanctificasti, & consecrasti, & gratificasti, & infudisti, & in me per gratiam habitasti, & sic fui immunis ab omni peccato ab instanti creationis: in tantum quòd ego possum dicere, quod ego sum pulcherrimus *flos campi*, *& lilium convallium* quantum ad puritatem & munditiam. Quasi dicat: Tu me creasti, & fecisti mundam, & puram, & pulchram sicut florem in campo, & lilium in convallibus. Cui respondet Sponsus: Bene dicis, ô Sponsa, quòd tu es *flos campi*, *& lilium convallium*. Nam, *sicut lilium inter spinas*, *sic* tu *amica inter filias*.

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd dictio posita in Hebræo est æquivoca ad rosas & spinas: Et ideo Beatus *Hieronymus* in hoc libro & psalterio semper transtulit illud vocabulum ad *lilia*; Hebræi autem ad *rosas*. Sed forsan in hoc melius est in Hebræo: quia lilia non consueverunt nasci inter spinas, sed rosa nascitur in arbore spinosa. Ideo licèt *Virgo Maria* comparetur *liliis* ratione virginitatis; tamen magis proprie comparatur *rosæ* ratione immunitatis à peccato. Nam sicut ex arbore spinosa nascitur illa rosa pulcherrima & odorifera sine spinis: ita sola virgo Maria inter omnes naturales filios Adam nata fuit ex illa arbore spinosâ Adæ absque aliquâ spinâ originali, & per consequens absque spina peccati. Et ideo dicit ipse Christus, quòd *sicut rosa* nascitur absque spinis *inter spinas*, & ex arbore spinosa: ita sola tu Sponsa & amica mea, nata es *inter filias* omnes ipsius Adam, absque aliquâ spinâ peccati. Et sicut nata es & concepta & animata absque spina originali: ita semper vixisti absque aliquâ spinâ actuali & veniali. Cui respondet Sponsa: O Sponse, bene dicis, quòd ego sum *sicut lilium*, aut *rosa inter spinas*: quia rosa nascitur ex arbore parva & humili: sed tu es arbor altissima, & fructifera, & frondosa, de cujus plenitudine omnes accepimus fructus gratiæ, & sub cujus umbrâ omnes vivimus. Et ideo *sicut malus* est arbor altissima & fructifera *inter* silvas & *ligna silvarum*: *sic* tu *dilectus meus inter filios* Dei, scilicet, inter omnes Angelos & homines: quia illi sunt filii per adoptionem & creationem; tu autem per naturam. Ideo omnes excedis in omnipotentiâ, & sapientiâ, & misericordiâ, & largitate.

Et nota, quòd ista *arbor* est *lignum vitæ*, quod perdidit Adam: in cujus supplementum datus est nobis Christus, qui est verum lignum vitæ, ut dictum est *Psalmo primo*, sub cujus umbrâ desiderabant quiescere Patres veteris Testamenti: sub cujus umbrâ primò quievit Virgo Maria, & ex consequenti tota Ecclesia. Et ideo dicit Virgo Maria simul cum totâ Ecclesiâ: O Christe Sponse, *sicut malus*, id est, *lignum vitæ*, erat nobilius & salubrius inter omnia ligna paradisi: *ita dilectus meus inter filios*, id est, obtinet principatum in potentia, & sanctitate, & sapientiâ, & bonitate *inter* omnes *filios* Dei, scilicet, inter omnes Angelos, & eminet super omnes creaturas. Et ideo Virgo Maria simul cum tota Ecclesia veteris Testamenti desiderabat & petebat protegi & *sedere sub umbra* hujus arboris in primo Cantico. Sed postquam Christus venit in carne, jam Sponsa gaudet sedisse *sub umbra* hujus arboris, diu per omnes fideles veteris Testamenti optatæ; & jam gaudet in comedendo fructum ejus, dicens: *Sub umbra illius quem desiderabam sedi.*

Iterum est advertendum: quòd Salomon per illam nubem, quæ obumbrabat Tabernaculum in die, & illustrabat de nocte, prævidit in spiritu, qualiter Christus debebat obumbrare & protegere Virginem Matrem suam Spiritu sancto, & ex consequenti totam Ecclesiam, & pluere super eam manna gratiarum, & donorum, & Sacramentorum, sub cujus umbrâ, & protectione debebat refici, & pasci, & quiescere, & protegi. Et ideo subdit Sponsa: In tantum est arbor altissima, & fructifera, & suavis iste Filius, quòd *sub umbra illius quem desiderabam sedi.* Nam in primo Cantico ego desiderando petii pasci & quiescere sub umbra ejus; sed ipse adimplevit desiderium & petitionem meam: nam postquam accepit carnem & factus est caput Ecclesiæ, ego *sedi sub umbra ejus* desideratâ, & pascor in pascuis ejus: in tantum quòd *fructus ejus* est *dulcis gutturi meo.* Unde tunc sedi sub umbra Sponsi & Filii mei Christi, quando Angelo nunciante *Spiritus sanctus supervenit in me*, *& virtus Altissimi obumbravit mihi*, disponendo me ad recipiendum Filium Dei in utero meo, & formando illud corpus sanctissimum ex puris sanguinibus meis. Et tunc fuit *fructus dulcis gutturi meo*, quando realiter con-

concepi in me Filium Dei. Quia quòd *conceptum* & natum fuit in me *ſanctiſſimum, vocatum eſt Filius Dei*: & ideo A dixit mihi Eliſabeth: *Benedicta tu in mulieribut & benedictus fructus ventris tui.* Unde ille fructus qui erat in ventre meo, tantùm erat mihi dulcis, quòd continuè fruebar ejus colloquio, & inſpirationibus, & conſolationibus. Nam ille *fructus ventris* mei impulit me, ut irem ad viſitandum Eliſabeth: ubi Chriſtus *fructus ventris mei* ſanctificavit Joannem Baptiſtam in ventre matris ſuæ. Item, ille fructus ſpiravit in me ſpiritum propheticum & Euangelicum quando exultans in ſpiritu cantavi illud Canticum: *Magnificat anima mea Dominum.* In quo Cantico ego fui Euangeliſta annunciando, Salvatorem diu patribus expectatum, eſſe in utero meo, & Iſrael jam ſuſcepiſſe B puerum ſuum. Et fui prophetiſſa, prædicendo omnia quæ facturus erat Chriſtus Filius meus. Quia debebat deponere potentes Reges, & Principes infideles mundi, & exaltare humiles fideles: & debebat implere pauperes bonis ſpiritualibus, & divites Judæos dimittere inanes in ſua ignorantia & cæcitate.

Deinde cum dicit: *Introduxit me Rex in cellam vinariam* eſt advertendum: quòd in triplicem cellam vinariam introduxit Chriſtus Sponſam ſuam Eccleſiam, ordinando charitatem in ea: eò quòd unumquodque iſtorum cellariorum ordinat charitatem in homine fideli. Unde *primum cellarium vinarium* ipſius Chriſti eſt ſacra Scriptura veteris C Teſtamenti, in qua latebat vinum Euangelicum novi Teſtamenti tamquam in vegetibus. Nam myſteria veteris Teſtamenti erant quaſi veteges myſteriorum novi Teſtamenti. In hoc cellarium introduxit Chriſtus Eccleſiam Sponſam ſuam, quando aperuit Apoſtolis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas omnes: quomodo omnia quæ erant ſcripta in Lege & Prophetis, & Pſalmis fuerant completa in eo, ut patet *Lucæ* 24. Item quando miſit eis Spiritum ſanctum, ubi receperunt dona gratiarum, &c. Et ſic ordinavit in eis charitatem. Nam ſacra Scriptura docet ordinem charitatis, putà, qualiter Deus eſt diligendus ſuper omnia, & per ſe, D & propter ſe, & proximus in Deo, & propter Deum: quia *finis* Legis & omnis *præcepti eſt charitas.* 1. *ad Timoth.* 1.

Secundum cellarium Chriſti eſt præſens Eccleſia: in qua ſunt ſeptem vegetes Sacramentorum, in quibus reponitur, & à quibus hauritur gratia Chriſti, quæ datur per Sacramenta Eccleſiaſtica. Quæ quidem gratia vel eſt ipſa charitas, vel ejus radix: quia charitas vel eſt ipſa gratia, vel non ſine gratia ipſi annexa: quæ quidem charitas eſt amor regulativus voluntatis ad diligendum Deum & E proximum ſecundum ſpeciem, modum, & ordinem. Et ſic charitas eſt illa quæ ordinat voluntatem ad diligendum Deum & proximum. Quæ quidem charitas comparatur vino, eò quòd inebriat animam, & transformat amantem in amatum, & extaſim facit, ut inquit *Dionyſius.* Immo anima charitate informata magis eſt ubi amat, quam ubi animat & informat.

Tertium cellarium Chriſti eſt Eccleſia ſuperna cæleſtis, in quo confertur vinum gloriæ, ubi charitas eſt in ſua perfectione, ubi voluntas Beatorum habet quicquid vult, & nihil mali vult, & voluntas omnium Beatorum per charitatem confirmata totaliter eſt converſa F in Deum, & conformis ejus voluntati. Et ſic patet, qualiter eſt triplex cellarium, & triplex vinum ordinans & inebrians voluntatem hominis: ad quod triplex cellarium Chriſtus introduxit Eccleſiam Sponſam ſuam, ordinando in ea charitatem. Iſta ergo Sponſa per ſtatum veteris Teſtamenti petebat adventum Sponſi, ut introduceret eum in hoc triplex cellarium, eò quòd per alium non poterat introduci, ut patet in primo Cantico. Sed quia Chriſtus Sponſus ejus introduxit eam in cellaria ſupradicta: ideo gratias agendo cum gaudio dicit: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.*

Et eſt advertendum: quòd iſta Sponſa in primo Cantico petit introduci in G ſupradicta tria cellaria; ſed in hoc ſecundo Cantico dicit, quòd Sponſus ſolum *introduxit* eam in unam *cellam vinariam*, ſcilicet, in primum cellarium ſacræ Scripturæ, in quod introduxerat *Virginem Mariam* Matrem ſuam revelando ipſi ſecreta ſacræ Scripturæ, ut patet in Cantico ejus. Sed poſtea introduxit totam Eccleſiam Sponſam in alia cellaria, quando inſtituit Eccleſiaſtica Sacramenta, & aperuit nobis viam ad Regnum Cœlorum per Paſſionem, & Reſurrectionem, & Aſcenſionem.

Ad majorem autem evidentiam eſt etiam notandum, quòd licet omnis charitas ſit amor; tamen non omnis amor H eſt charitas. Unde tripex eſt *amor*, putà, unus qui dicitur *naturalis*, qualis eſt patris ad filium, & Poetæ ad ſua poemata. Secundus dicitur *amor perverſus*, procedens ab inordinato appetitu, quo perversè avarus amat pecunias, & ſuperbus honores, & voluptuoſus mulieres. Tertius dicitur *amor ordinatus*, quo ordinatè diligimus Deum & proximum: & iſte dicitur *charitas*, eò quòd ordinat voluntatem ad diligendum Deum & proximum, ſervando *ſpeciem, modum*, & *ordinem.* Unde *ſpecies* diligenda eſt, ſolus

Deus,

Deus, & ejus imago, ſcilicet, homo & Angelus : eò quòd ſola iſta triplex ſpecies eſt quoddam bonum felicitans, aut felicitabile & fruibile. Unde ſolus Deus eſt per ſe fruibilis in ſe, & homo & Angelus ſolum in Deo. Unde ait *Paulus ad Philemonem : Fruar te in Domino, frater. Modus* autem diligendi bonum, eſt ut diligatur res eo modo quo eſt. Et ſic quia Deus eſt per ſe bonum ſuper omnia, & à quo omnia : ideo eſt diligendus à nobis per ſe, & in ſe ſuper omnia. Et quia tam homo, quàm Angelus eſt imago Dei, & à Deo ; ideo eſt diligendus in Deo, cujus eſt imago, & à quo eſt. Item *ordo* diligendi ſumitur à fine. Sed quia Deus eſt propter ſe, & non propter aliud bonum, immò omnia alia ſunt propter Deum, & ordinantur in Deum tamquam in finem ultimatum, quia eſt finis omnium : ideo Deus eſt diligendus propter ſe, & homo & omnia alia propter Deum.

Totum autem iſtum ordinem diligendi facit charitas in noſtra voluntate. Et ideo *charitas* diffinitur, quòd eſt amor ordinans voluntatem ad diligendum Deum & proximum, ſervando ſpeciem, modum, & ordinem, ſcilicet, ad diligendum Deum ſuper omnia, & per ſe, & in ſe, & propter ſe ; & proximum in Deo, & propter Deum. Ex quibus patet, quòd qui diligit Deum non propter ſe, ſed propter aliquam utilitatem, errat in ordine : & qui diligit magis ſe, quàm Deum, errat in modo. Et ideo dicitur, quòd diabolus in principio erravit in modo & ordine : eò quòd dilexit ſe in ſe, & propter ſe, & non in Deo, & propter Deum ; immò incœpit ab amore ſui uſque ad contemptum Dei, contemnendo ejus legem, & deviando ab ejus voluntate, ut dictum eſt ſuper *Pſalmus* 81. & ſuper *Te Deum laudamus*. Charitas ergo eſt illa virtus infuſa ordinativa voluntatis ad diligendum Deum & proximnm : & hanc charitatem ordinavit Chriſtus Sponſus primò in *Virgine Maria* Matre ſua, & ex conſequenti in tota Eccleſia Sponſa ſua, ut patet per totum diſcurſum Euangelicum. Unde primò oſtendit hanc charitatem faciendo, & poſtea docendo. Et ideo dicit *Virgo Maria* in hoc Cantico in perſona ſua & totius Eccleſiæ : *Introduxit me Rex* Sponſus meus *in cellam vinariam*, id eſt, in cellam ſacræ Scripturæ, & in cellam Sacramentorum Eccleſiæ. Et *ordinavit in me charitatem*, id eſt, docuit me ordinem charitatis per Legem Euangelicam, quomodo diligam Deum & proximum, eo modo & ordine quo dictum eſt, & contulit mihi charitatem per Eccleſiaſtica Sacramenta, quâ ordinatè diligo Deum & proximum.

Hoc autem dicitur, quia in omni Sacramento datur gratia, quæ eſt ipſa charitas, aut non ſine charitate : & ideo dicit Sponſa ; *fructus illius* magnæ arboris, ſub cujus umbrâ ſedebam, ſemper fuit *dulcis gutturi meo* : in tantum quòd Filius meus *introduxit me incellam vinariam*, ſcilicet, in cameram penetralis ſecretorum & profundorum myſteriorum Euangelicorum, multa myſteria ſecreta revelando ; & ſic *ordinavit in me charitatem* & dilectionem. Et ideo fui mota ad cantandum illud Canticum *Magnificat anima mea Dominum* ex nimio amore concepto. Unde Sponſus meus & Filius, quando introduxit me in ſuam cellam vinariam, in tantùm vulneravit & inebriavit me vino ſuæ charitatis & amoris & dilectionis, quòd totaliter fui oblita hujus mundi, & mei ipſius, & fui converſa & tracta, ſeu rapta in ipſius amorem ; quia amor transformat amantem in amatum. Et ſic fui facta quaſi languida abſque memoria hujus mundi, & ſuorum bonorum temporalium.

Et ideo vos Angeli ſodales Sponſi & Filii mei Chriſti, *fulcite me*, & ornate me *floribus* hujus agri & horti Filii mei, & *ſtipate* & circundate *me malis* & pomis hujus arboris Filii mei, *quia amore* ejus *langueo*. Quia non poſſum edere alium cibum, nec frui alio fructu, nec alius fructus eſt dulcis gutturi meo, præter fructus ſapidiſſimos hujus arboris : qui quidem fuctus & poma nutriunt fideles, & dant vitam mundo.

Item, non miremini, quòd *langueam amore* hujus Filii & Sponſi mei Chriſti : nam ipſe introduxit me in cubiculum ſuum, & amplexatus eſt me, ſicut mater amplectitur filium, & ſponſus ſponſam : nam *læva ejus*, id eſt, brachium & manus ejus ſiniſtra poſita eſt ſub capite meo : *& dextra illius amplexabitur me*. Nam quando Mater amplectitur Filium parvum, ſuſtinet eum cum ſiniſtrâ poſitâ ſub capite, & cum dexterâ cooperit corpus ejus. Ita pariter Sponſus & Filius meus Chriſtus quodam ſpirituali amplexu amplexatus eſt me, cum lævâ ejus ſub capite ſuſtentando, & cum dexterâ ſuæ potentiæ, & amoris, & favoris me protexit, ab omni malo præſervando, & in omni bono confirmando. Et ſic tenet me amplexam tamquam languidam & ebriam in cellâ vinariâ ſuæ charitatis & amoris & dilectionis.

Sed hic eſt valde advertendum : quòd in hoc Cantico Sponſus ſatisfacit & annuit petitionibus & deſiderio Sponſæ, & ipſa Sponſa agit gratias, eò quòd Sponſus adimplevit deſiderium & petitiones ſuas : putà, quia oſculatus eſt eam oſculo incarnationis, & traxit eam in odo-

rem

rem unguentorum suorum, & introduxit eam in cubiculum suum & cellam vinariam, revelando mysteria & secreta sua, & jam sedit sub umbra illius quem A desiderabat, & refecta est cibis & fructibus illius arboris dulcissimis. Item, quia tale osculum dicit quandam unitatem inter Sponsum & Sponsam, eò quòd in illa benedictâ Incarnatione facta fuit triplex unio: quia primò Verbum assumpsit illam humanitatem in unitate personali & suppositali. Secundò Christus elegit, & univit sibi specialiter & singulariter *Virginem Matrem* suam in quadam unitate maternâ; quia facta est speciale Templum & Tabernaculum maternum ipsius Christi. Tertiò Christus in suâ Matre desponsavit sibi totam Ecclesiam, in quantum ipsa fuit primum membrum Ec- B clesiæ & Christi, & exordium ejus, ut inquit *Augustinus*, & hanc Ecclesiam desponsavit & univit sibi Christus quadam unitatem mysticâ.

Et sic est dicendum: quòd triplex osculum dedit Christus. Nam primò osculatus est illam humanitatem assumptam *osculo Incarnationis*, & osculo personali. Secundò osculatus est *Virginem Mariam osculo filiali* sive materno. Tertiò osculatus est totam Ecclesiam *osculo mystico* & Sacramentali. Sic ergo est dicendum, quòd totum istud Canticum potest verificari de isto triplici osculo, scilicet, incarnationis, & maternitatis, & desponsationis Ecclesiæ. Et possunt primò esse C verba humanitatis Christi, putà, quòd illa humanitas Christi agat gratias Deo, quia Verbum Divinum osculatum est eam osculo & unitate personali; & quia Verbum commoratur inter ubera humanitatis; & quia illud Verbum Divinum fuit illi humanitati assumptæ tamquam *nardus*, & *fasciculus myrrhæ*, & *botrus cypri*; & quia illa humanitas assumpta fuit tamquam *lilium* & *rosa inter spinas*, & quia fuit favorata sub umbrâ Verbi, & amplexata, & personata, & suppositata per Verbum &c.

Item totum istud Canticum verificatur de ipsa *Virgine*, prout in amplexu & utero ejus Christus accubuit & recubuit tamquam in suo thalamo; quia Christus existens in ejus utero fuit ipsi D tamquam *nardus* odorifera, & sicut *fasciculus myrræ* præservans eam ab omni corruptione, & fuit ipsi tamquam *botrus cypri*, & tamquam balsamum penetrans claustrum virginitatis absque violatione, ipsam virginem & intactam relinquendo; & quia Christus introduxit eam in cellam vinariam ordinando in ea charitatem & dilectionem, transformando eam in se, & altissima secreta ipsi revelando. Item, licèt Virgo Maria contineret Christum secundùm carnem in utero suo in quantum Mater: tamen ipsa sedebat sub umbra Christi in quantum Sponsa. Item, ipsa Virgo Mater Christi sedit sub umbra E illius quem desiderabat, quando Spiritus sanctus venit super eam, & obumbravit eam, *Luc.* 1. Et tunc Christus Filius suus amplexus est eam, quando ipsam in persona totius Ecclesiæ sibi desponsavit. Et sic patet, qualiter totum hoc Canticum de ipsa verificatur.

Sed ultimatè verificatur totum istud Canticum de totâ *Ecclesiâ Christi*, quàm Christus sibi desponsavit & univit in unitate mysticâ. Et ideo hoc Canticum est exponendum singulariter & specialiter de tota Ecclesia.

Ad cujus intellectum est notandum, & præadvertendum: quòd Ecclesia in F primò Cantico petiit osculari & trahi a Sponso & introduci in cellaria ejus, & pasci, & federe, & protegi sub umbra ejus. Item dictum est, qualiter licut per illam Arcam fœderis figurabatur Christus Deus & homo, Rex & Sacerdos; ita per illud Tabernaculum, in quo Arca fuit reposita, figurabatur primò *Maria* tamquam Tabernaculum maternum; sed ultimatè figurabatur *Ecclesia*, in quam Christus modò habitat per fidem & gratiam tamquam in Tabernaculo mystico. Et dictum est, quòd Virgo Maria fuit primum membrum Ecclesiæ novi Testamenti, in quam prius habitavit per gratiam, quàm per carnem; & ideo prius G fuit Sponsa, quàm Mater Christi, & prius fuit Tabernaculum spirituale & mysticum Christi, quàm Tabernaculum maternum. Et sic ista Ecclesia novi Testamenti incœpit à Virgine Mariâ, & in ea incœpit desponsari Christo: & ideo ipsa loquitur in hoc Cantico tamquam Sponsa in persona totius Ecclesiæ novi Testamenti, & etiam in persona totius Ecclesiæ veteris Testamenti: quia in ea incœpit compleri desiderium & petitio facta in primo Cantico: quia illa Ecclesia continuatur cum ista per Virginem Mariam & Christum ab Adam usque ad Judicium, licèt per diversos status, ut pluries dictum est.

Deinde cum dicit: *Adjuro vos filiæ Ierusalem*, concludit istud secundum H Canticum. Unde postquam Sponsus Christus complevit desiderium hujus Sponsæ, & jam introduxit eam in thalamum & cellarium suum, & jam tenet eam in amplexu suo, & ipsa jam se reputat felicem, quiescendo sub umba Sponsi, & fruendo bonis spiritualibus ejus, & jam dormit inebriata in ejus amore & amplexu: Ideo ut Christus reddat ipsam securam, ostendit istam desponsationem & unionem esse firmam, & ratam, & perpetuam, & istud osculum esse inseparabile. Et hoc intelligitur de

su-

supradicto triplici osculo, scilicet, Incarnationis, & maternitatis Virginis Mariæ, & desponsationis & amplexus Ecclesiæ. A

Unde dicit Christus : O *filiæ Jerusalem*, id est, animæ fideles, ego *adjuro vos per capreas*, id est, per Patriarchas, *cervosque camporum*, id est, per Prophetas, *ne suscitetis, nec evigilare faciatis* istam *dilectam* à dormitione & à somno & amplexu meo, *donec ipsa velit* : quasi dicat : Nullus credat, quòd postquam ego assumpsi istam humanitatem in unitate suppositi, aliquando dimittam, immò numquam ampliùs dimittam quod semel assumpsi. Ideo dico vobis : quòd *non suscitetis*, nec separetis *eam* ; nec putetis eam separari à meo amplexu : quia numquam dimittam eam. Item, nec suscitetis *Virginem Mariam* Matrem meam à meo amplexu maternali, quia numquam dimittam eam: quia in æternum erit Mater mea, & dilecta, & in gratia confirmata. Item adjuro vos, *ne suscitetis nec evigilare faciatis* Sponsam meam Ecclesiam ab amplexu & amore meo, nec putet aliquis eam unquam à me separari : quia postquam semel desponsavi eam, & univi mihi per fidem & charitatem in unitate mysticâ, numquam eam abdicabo, nec relinquam, nec deseram. Nam licèt aliquando permittam eam pati temporaliter à tyrannis : tamen semper eam liberabo de manibus eorum : & finaliter ipsa dominabitur eis, & conservabo, & protegam eam in amplexu fidei usque ad diem Judicii. Quia licèt continuè fluctuet, tamen non submergetur, nec peribit navicula Petri: quia egò rogabo Patrem pro Petro & grege ejus, ne deficiat fides ejus. Et hoc promittit Sponsus cum adjuratione caprearum, cervorumque camporum. B C

Ad cujus intellectum est advertendum : quòd per *capreas* intelligit Patriarchas, & per *cervos* intelligit Prophetas, qui in veteri Testamento prædixerunt adventum Christi, & perpetuam desponsationem Christi & Ecclesiæ, & quibus facta est de Christo firma repromissio. Unde Patriarchæ dicuntur *capreæ* in Scriptura, eò quòd omnes fuerunt pastores: & Prophetæ dicuntur *cervi* propter similitudinem & velocitatem. Nam sicut cervi semper discurrunt de monte in montem, & à termino in terminum: ita Prophetæ saltant velociter ex unâ materiâ in aliam, & ab uno tempore in aliud. Et ideo Patriarchas appellat capreas, & Prophetas cervos. Item adducit eos in testes firmos, eò quòd eis facta fuit de Christo firma repromissio de Regno Christi perpetuo. Unde sub pacto æterno per signum arcus fœderis facta est de Christo repromissio Christi ipsi *Noe*, *Genes.* 9. Item sub jurejurando & sigo perpetuo facta est eadem repromissio ipsi *Abrahæ*, *Genes.* 15. & 22. Item hoc idem ipsi *Jacob* in visione Scalæ, *Genes.* 28. quando luctatus est cum Angelo, *Genes.* 32. Hoc idem promissum est *Moysi*, *Exod.* 33. & *Deut.* 18. Item Regnum perpetuum Christi & Ecclesiæ promissum est ipsi *David* sub jurejurando & pacto firmissimo, 2. *Reg.* 7. & 23. & *Psalm.* 88. & 131. Item hoc idem patet per *Isaiam*, & omnes Prophetas, maximè *Jerem.* 33. ubi dicit Deus : *Si irritum fieri potest pactum meum cum die & cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo : ita pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus &c.* Et sic patet, qualiter sub jurejurando & pacto firmissimo promisit Deus Patriarchis & Prophetis Regnum Christi æternum super Ecclesiam per gratiam in præsenti, & gloriam in futuro: & per consequens Ecclesia Sponsa Christi numquam separabitur ab ejus amore & amplexu in toto isto sæculo per gratiam, nec in futuro per gloriam. Nam quis separabit nos à charitate Christi? ut inquit Apostolus. E F G

Sub tali ergo adjuratione dicit Christus : *Ne suscitetis, nec evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit* : & ponitur ly *donec* indeterminate & infinitè, sicut dicitur *Psalm.* 71. *Erit abundantia pacis donec auferatur luna.* Sed quia luna numquam auferetur; ergo numquam pax deerit, vel deficiet : ita pariter hîc. Quia Sponsa numquam volet separari ab amplexu & amore Sponsi : ergo numquam separabitur. Ex quibus patet, quòd sicut numquam dissolvetur vinculum Incarnationis : ita numquam fuit dissolutum vinculum maternitatis Virginis Mariæ, quia semper erit Mater Dei : nec unquam dissolvetur vinculum desponsationis Christi & Ecclesiæ in hoc sæculo per gratiam & fidem & charitatem, & in futuro per gloriam & æternam felicitatem, ubi Christus introducet Sponsam ad æternas nuptias Agni, *Apoc.* 21. ubi Christus *erit omnia in omnibus*, 1. *ad Cor.* 15.

H Dicit ergo Christus : O *filiæ Jerusalem adjuro vos per capreas cervosque camporum*, id est, per Patriarchas & Prophetas, id est, sicut promissum fuit Patriarchis, & prænunciatum per Prophetas, *ne suscitetis, neque evigilare facietis*, id est, ne putetis, nec credatis dilecti humanitatem esse separandam à Verbo, nec Virginem Matrem à Filio, nec Ecclesiam à Christo Sponso suo, *donec*, id est, dum ipsa velit. Quasi dicat: Numquam credatis esse separandam; immò prædicate & annunciate, numquam esse separandam.

Ex

Ex dictis autem in hoc Cantico secundo insurgit dubium. Nam dictum est in principio : quòd Christus quiescit in A Ecclesia Sponsâ suâ tamquam in accubitu suo : & in fine Cantici dicitur, quòd Ecclesia quiescit inseparabiliter in amplexu Christi Sponsi sui inter ejus brachia : & sic unus quiescit in amplexu alterius , & econverso : quod videtur impossibile ratione positionis ad locum & continens.

Ad hoc respondetur : quòd sacra Scriptura utrumque affirmat , scilicet, quòd Christus habitat in Ecclesia Sponsâ suâ , & Ecclesia in Christo Sponso suo. Unde dicitur *Joann.* 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis* : & *Psal.* 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Item Salvator , *Joann.* 6. *Qui manducat meam carnem , in me manet , & ego in eo. Item* 1. *Epist. Joann.* 3. *Deus charitas est : & qui manet in charitate, in Deo manet , & Deus in eo.* Et sic patet, qualiter Christus habitat in nobis, & nos in Deo absque contrarietate : quam contrarietatem tollit amor charitativus, qui tollit omnem contrarietatem , & causat unionem. Unde si consideremus vires & proprietates amoris charitativi , de quo Salomon loquatur in hoc Cantico , videbimus hoc esse possibile ; immò necessarium. B

Unde novendecim sunt vires & effectus & proprietates amoris charitativi : quos effectus ostendit Christus Ecclesiæ Sponsæ suæ , & econverso. Nam primò *amor charitativus* causat zelum bonum : quia non patitur malum in amato. Secundò non patitur moras absentiæ ipsius amati. Tertiò trahit amantem ad amatum. Quartò languefacit amantem. Quintò liquefacit ipsum. Sextò vulnerat cor ejus. Septimò inebriat amantem erga amatum. Octavò inflammat eum. Nonò urit ipsum. Decimò, facit inhærere amantem amanti. Undecimò, unit & conciliat unum cum altero. Duodecimò , fortiter tenet. Tertiodecimò , charitas ordinat voluntatem amantis erga rem amatam. Quartodecimò , charitas non quærit quæ sua sunt , sed quæ amantis. Quintodecimò , omnia sustinet pro amato. Sextodecimò , magis amans est in amato, quàm in seipso. Decimoseptimò , transformat amantem in amatum. Decimooctavo , extasim facit in amante. Decimonono , non vult separari , sed in eo in æternum quiescere. Hos ergo novemdecim effectus causat amor charitativus in amante ; & hos omnes effectus amoris ostendit Christus erga Ecclesiam Sponsam suam , ut patet per omnia ista decem Cantica , & in toto discursu Euangelico. C D

Sed quia iste amor charitativus est reciprocus inter Christum & Ecclesiam; E ideo eosdem effectus amoris ostendit Ecclesia erga Christum Sponsum suum juxta possibilitatem & facultatem suam , ut patet in istis eisdem Canticis. Et ideo sicut Christus transformatus in Sponsam suam per amorem facit in ea extasim , & quiescit , & vult quiescere inseparabiliter in æternum in ea : ita econverso Ecclesia transformata in Sponsum facit extasim , & vult quiescere in eo inseparabiliter in æternum : & sic Sponsus habitat in Sponsa , & quiescit in ejus accubitu in æternum ; & Ecclesia quiescit in amplexu Sponsi.

Est verum , quòd aliter Christus habitat in nobis , & aliter nos in eo. Nam F nos habitamus in Christo sicut Sponsa in amplexu Sponsi per gratiam , & fidem & spem, & charitatem in præsenti , & in patria per gloriam : & sic amplexus ejus gratificat & protegit in præsenti , & in futuro glorificat nos.

Christus autem habitat in nobis tamquam in Tabernaculo & accubitu suo. Et hoc tripliciter : nam primò habitat in nobis tamquam in suo tabernaculo personali : & sic habitat solùm , & quiescit in illa humanitate assumpta in atomo ex nostrâ naturâ. Secundò habitat in nobis tamquam in suo tabernaculo & accubitu materno ; & sic habitavit in solo utero Virginis Mariæ per novem menses. Tertiò habitavit & habitabit in nobis , tamquam in suo tabernaculo & G accubitu mystico & sanctificato : & sic accumbit , & habitat , & quiescit in tota Ecclesia toto orbe diffusâ per Ecclesiastica Sacramenta , & dona gratiarum, eam gratificando , & sanctificando : & eodem modo habitat in unoquoque justo & fideli , prout est membrum hujusmodi Sponsæ , cujus Christus est Sponsus & caput.

Ex quibus omnibus patet dignitas & excellentia hujus Sponsæ in statu novi Testamenti supra statum veteris Testamenti. Quia plura & majora signa amoris ostendit ipsi Deus in novo Testamento , quàm in veteri. Primò , quia tunc Deus habitabat in illo populo in illa Ar- H ca lignea, & tabernaculo ligneo : sed nunc habitat in tabernaculo carneo ex nostrâ naturâ personaliter assumpto : & habitavit in tabernaculo materno per novem menses , & habitat in æternum in nostro tabernaculo mystico. Secundò , quia Deus habitabat in illo tabernaculo ligneo tantùm figuraliter : sed in nostro tabernaculo habitat realiter : nam Verbum æternum realiter , & inseparabiliter , & personaliter quiescit in illa humanitate assumptâ in unitate suppositi : & realiter Verbum incarnatum quievit in taberna-

culo materno per novem menſes : & realiter & inſeparabiliter inhabitat, & quieſcit in totâ Eccleſiâ Sponsâ tamquam in tabernaculo myſtico per Eccleſiaſtica Sacramenta. Nam Verbum incarnatum realiter continetur in Sacramento Altaris, & non ſolùm figuraliter, ſicut in ſacrificiis veteris Legis. Item, virtus paſſionis Chriſti realiter continetur in Baptiſmo & Confirmatione & Pœnitentiâ, & cæteris Sacramentis, & non ſolùm figuraliter, & tamquam in ſigno fœderis & ſignaculo fidei, ſicut in Circunciſione & cæteris Sacramentis veteris Legis: & ideo Eccleſiaſtica Sacramenta immediatè conferunt gratiam quam ſignificant, ſicut dictum fuit in Expoſitione *Pſalmi* 39. & in *Tractatu contra Judæos*, *Quæſtione* 1.

Ex quibus patet, quòd majora ſigna amoris oſtendit Deus nobis, quàm illis: quia Deus ſolùm dedit illis in ſuo Tabernaculo ligneo illas duas Tabulas lapideas, & virgam Aaron cum urna mannæ: & hoc dedit in figuram Chriſti futuri, Dei & hominis, Regis & Sacerdotis: Sed Deus dedit ſeipſum nobis realiter Deum & hominem, Regem & Sacerdotem: & ſic Deus dedit illis umbram & figuram; nobis autem dedit veritatem, & veram lucem.

Ex quo patet, quòd perfectiùs Chriſtus Deus & homo habitat in nobis, quàm in illis; & nos perfectiùs habitamus & quieſcimus in amplexu Chriſti, quàm illi. Iſti ergo duo modi quieſcendi explicantur in hoc Cantico. Nam in principio Cantici explicatur myſterium Incarnationis, per quam Verbum Divinum habitat & accubat in Sponſa, cùm dicit: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum &c.* Sed myſterium noſtræ gratificationis & ſalutis, per quam nos quieſcimus in amplexu Chriſti, explicatur in fine Cantici, cum dicitur: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Sed inſeparabilitas æterna, tam accubitus Chriſti in nobis, quàm noſtri amplexus in Chriſto, explicatur, cum concluditur in Cantico: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, nec evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Sed mutuus amor reciprocus cum ſuis effectibus inter Sponſum & Sponſam explicatur in medio dialogi hujus Cantici, cùm Sponſus dicit: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: & cum Sponſa dicit: *Sicut malus inter ligna ſilvarum: ſic dilectus meus inter filios*; &, *Fulcite me floribus: quia amore langueo &c.* & per hoc patet intelligentia hujus ſecundi Cantici, & reſponſio ad dubium. Et hoc de ſecundo Cantico.

(✠)

CANTICUM TERTIUM.

Vox dilecti mei.
Ecce iſte venit ſaliens in montibus,
Tranſiliens colles:
Similis eſt dilectus meus capreæ,
Hinnuloque cervorum.
En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum,
Reſpiciens per feneſtras
Proſpiciens per cancellos.
En dilectus meus loquitur mihi:
Surge, propera amica mea, columba mea,
Formoſa mea, & veni.
Jam enim hiems tranſiit,
Imber abiit, & receſſit.
Flores apparuerunt in terra noſtra,
Tempus putationis advenit:
Vox turturis audita eſt in terra noſtra:
Ficus protulit groſſos ſuos:
Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.
Surge, propera amica mea,
Specioſa mea, & veni:
Columba mea in foraminibus petræ,
In caverna maceriæ,
Oſtende mihi faciem tuam,
Sonet vox tua in auribus meis:
Vox enim tua dulcis,
Et facies tua decora.
Capite nobis vulpes parvulas,
Quæ demoliuntur vineas:
Nam vinea noſtra floruit.
Dilectus meus mihi,
Et ego illi,
Qui paſcitur inter lilia

Do-

Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.
Revertere: ſimilis eſto, dilecte mi,
Capreæ hinnuloque cervorum
Super montes Bether.

VOX *dilecti mei. Ecce iſte venit ſaliens in montibus &c.* Iſtud eſt tertium Canticum, in quo Salomon cantat vocationem Apoſtolorum, ſive vocationem Eccleſiæ in Apoſtolis: & ideo prius videndum eſt, unde Salomon ſumpſit parabolam. Secundò exequendum eſt de Cantico, & ejus Expoſitione.

Quantum ad primum eſt advertendum, quòd Salomon ex duobus aſſumpſit parabolam. Primò ex figura. Secundò ex promiſſione. Nam primò per hoc quod *Deus loquebatur Moyſi facie ad faciem*, *Exod.* 33. id eſt, per Angelum medium, prævidit Salomon in ſpiritu, qualiter Deus debebat loqui mundo per humanitatem perſonaliter aſſumptam. Unde ſicut Deus dedit illam Legem Moyſi per illum Angelum, figurabatur, quòd Deus in humanitate debebat explanare illam eandem Legem Apoſtolis in monte *Thabor*, prout fuit impletum. *Matth.* 5. & 6. & 7. Item per hoc quod quando Arca fuit repoſita intra Tabernaculum, & jam Deus loquebatur Moyſi de Arca & Tabernaculo, & declarabat illi omnia, & diſponebat de omnibus agendis, ut patet *Exod. ultimo*; per hoc prævidit Salomon, qualiter Verbum Divinum debebat introire in Arcam humanitatis per Incarnationem, & totus Chriſtus incarnatus debebat intrare in Tabernaculum Eccleſiæ per fidem & gratiam, & de illa Arca humanitatis debebat loqui fidelibus ſuis, & declarare Legem & Prophetas. Item hoc idem prævidit Salomon per promiſſiones factas, maximè *Deut.* 18. cum dixit Deus: *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum tuorum ſimilem tibi, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos quæcumque dixero illi*: ubi prædivit Salomon, qualiter Deus debebat aſſumere carnem de illo populo, & loqui Apoſtolis, & toti illi populo per illam humanitatem aſſumptam, & declarare Legem & prophetas. Et ſic patet, qualitet ſicut in præcedenti Cantico cantavit oſculum Incarnationis: ita in hoc tertio cantat oſculum familiaris prædicationis, & legis declarationis: & ſic ſatisfacit primæ petitioni Sponſæ.

Hoc ergo prævidens Salomon in ſpiritu, aſſumens parabolam ex ſupradictis, fecit hoc tertium Canticum, in quo introducit Chriſtum Sponſum loquentem, & vocantem Eccleſiam in Apoſtolis, & declarantem eis Legem & Prophetas, prout fuit impletum, *Matth.* 5. & 6. & per totum diſcurſum Euangelicum. Sed præcipuè cantat propheticè Salomon in hoc tertio Cantico totum illum ſermonem quem fecit Chriſtus in monte, declarando Legem & Prophetas, *Matth.* 5.

In quo Cantico tria facit: nam primò facit quod dictum eſt. Secundò cantat acceptationem Legis & doctrinæ Chriſti, & gaudium Eccleſiæ acceptantis Legem Euangelicam. Tertiò prædicit, & cantat ſtabilitatem & perpetuitatem Legis Euangelicæ. Secundum ibi: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Tertium ibi: *Adjuro vos &c.*

Quartum ergo ad primum eſt advertendum, quòd Chriſtus primò deſponſavit Eccleſiam in *Maria* & in *Joſeph*, ſicut dictum eſt: ſed exinde quando *Maria* abiit cum feſtinatione in montana Judææ, ibi vocavit *Joannem Baptiſtam* de ventre matris, & deſponſavit Eccleſiam in eo, & in *Eliſabeth* matre ejus quia uterque confeſſus eſt Chriſtum incarnatum, ut patet *Lucæ* 1. Item, cum eſſet incipiens annorum triginta, illico poſt Baptiſmum & jejunium vocavit Apoſtolos, & aſcendit in montem, & dedit eis Legem Euangelicam: quæ nil aliud eſt niſi declaratio Legis & Prophetarum, ut inquit *Auguſtinus*. Unde Chriſtus qui antè locutus fuerat Patriarchis & Prophetis per Angelos, & locutus fuerat mundo per ora Prophetarum, & dederat *Moyſi* Legem per Angelum medium: tunc aſcendit in montem, & aperiens os ſuum declaravit Apoſtolis Legem & Prophetas, dicens: *Non veni ſolvere Legem aut Prophetas, ſed adimplere.* Et ſic per os proprium, & per illam humanitatem aſſumptam locutus eſt Apoſtolis, & declaravit eis Legem & Prophetas, dando veram intelligentiam, ut patet per totum diſcurſum Euangelicum.

Sponſa ergo, quæ diu deſideraverat, & petierat oſculari oſculo Sponſi per veram declarationem Legis & Prophetarum, audiens Sponſum jam ſibi loquentem per os proprium, cum magno gaudio dicit in principio hujus Cantici: *Vox dilecti mei* & Sponſi Chriſti, audita eſt mihi, ſupple: id eſt, gratias ago, quia jam oſculatur me *oſculo oris ſui*, & loquitur mihi, jam non per Angelos, nec per Patriarchas, aut Prophetas, ſed per os proprium. Unde ſicut iſte Sponſus meus quondam peregrinabatur poſitus in illa Arca per montes & colles, & loquebatur Moyſi de Tabernaculo fœderis, & illud faciebat ſub quadam figura: ita

ita nunc implendo illam figuram positus & latens in humanitate, jam loquitur mihi: & *ecce iste* jam *venit saliens in montibus* Galilææ & Judææ vocando Apostolos, & prædicando: & jam venit *transiliens colles*: primò quando existens in utero matris venit in montana Judææ ad salutandum *Elisabeth*, & ad sanctificandum *Joannem Baptistam*; & postea quando venit, & portavit ipsum Mater ad præsentandum in templo; & quando fugit in Ægyptum, & reversus est in terram Juda: & tandem quando vocavit Apostolos &c. A

Et ideo *dilectus meus* in tali peregrinatione *similis est capreæ, hinnuloque cervorum* in velocitate. Nam sicut caprea cum velocitate currit ad lactandum filium, & cerva hinnulum: ita Christus cum velocitate quæsivit Apostolos, & omnes fideles, per montes & campos, ad lactandos eos lacte divinæ doctrinæ, & sapientiæ. B

Sed ad majorem evidentiam est advertendum, prout supra dictum est: quòd in isto toto libro per *capreas* intelliguntur Patriarchæ, qui fuerunt pastores, quibus factæ fuerunt repromissiones de Christo & Ecclesia. Et per *cervos hinnulosque cervorum* intelliguntur Prophetæ, qui fuerunt veloces in saltando de una materia in aliam, sicut faciunt Satyrici: qui quidem Prophetæ prænunciaverunt C omnia mysteria Christi & Ecclesiæ cum magna velocitate, saltando de una materia in aliam, & de uno mysterio in aliud, & de uno tempore in aliud. Sed quia Christus adimplevit omnia quæ fuerunt promissa Patriarchis, & vaticinata per Prophetas: ideo dicitur *similis* illis, id est, *conformis* promissionibus, & vaticiniis, & prophetiis eorum: quia *non venit solvere legem, sed adimplere* omnes promissiones & vaticinia eorum. Ergo Christus non fuit dissimilis, immò similis illis. Et hoc est quod dicit, & intendit dicere Sponsa, cum ait: *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum*, id est, conformis est toti legi & Prophetis: quia omnia quæ in Patriarchis sunt promissa D & figurata, & in Prophetis vaticinata, adimplevit.

Nam *en* (id est, *ecce*) *ipse* jam *stat post parietem nostrum*, id est, latens in nostra humanitate, sicut fuit promissus Patriarchis & Prophetis, & fuit figuratus per Arcam & Tabernaculum, & per illos Angelos, per quos Deus loquebatur in forma humana. Et jam stat *respiciens per fenestras & cancellos* humanitatis, id est, jam habens oculos humanos, & os carneum & humanum, loquitur mihi familiariter *dilectus meus* Deus & homo, & vocando me, dicit: *Surge amica mea &c.*

Ad cujus intellectum est notandum, E quòd sicut populus Israel erat in Ægypto sub illo jugo captivitatis, ita pariter Sponsa erat sub jugo legis & peccati: & sicut tempore veris Deus eduxit per Moysen illum populum de captivitate: ita in eodem tempore in mense Aprilis, sive Martii, Christus desponsavit, & eduxit Sponsam suam de jugo legis & captivitate peccati per mortem & passionem.

Unde sicut homo in hieme latet frigidus & balbus in domo, non audens exire domum propter frigus intensum, & propter crebros imbres & pluvias, & obscuritatem nubium: ita pariter Spon- F sa erat latens sub frigore, & obscuritate, & nube legis. Item sicut in hieme arbores non faciunt fructus, nec florent propter rigiditatem frigoris, & propter defectum caloris: ita Lex Moysi existens sub frigore & nube cærimoniarum sine calore & præsentia Christi, qui est Sol justitiæ, nec floruit, nec fecit fructum. Sed oriente Sole justitiæ in mundo, qui est Christus, illico causavit Christus vernum, & fugavit noctem, & hiemem, & tenebras legis, & incæpit florere, & facere fructum vinea Legis per Christum. Et sic Christus fugatâ nocte & hieme Legis veteris cum suis nubibus cærimoniarum, portavit ver Euangelicum, in G quo floruit vinea Legis. Et hoc est quod dicit Sponsus, & loquitur etiam more amantium. Nam sicut Amasius surgit de nocte quasi in Aurora, & venit ad domum Amasiæ, & ornat portam ejus diversis floribus tempore veris, & cantando vocat eam, ut surgat de lecto ad audiendam cantilenam, quam cantat amore ejus, & ut sibi loquatur & correspondeat, & reddat vices amoris ipsi: ita pariter Christus venit in mundum & reperit Sponsam suam jacentem in lecto Legis & in nocte frigidam propter frigus Legis: ideo venit ad excitandam eam, & ad vocandum ipsam, ut surgeret à lecto & nocte Legis, & redderet ipsi vices amoris: cui Christus portavit flores & H fructus Euangelicos.

Christus ergo Sponsus vocat Sponsam suam, ut surgat à somno Legis, dicens: O *amica mea*, & *Sponsa*, & *formosa mea*, & *columba mea*, quæ diu jacuisti sub jungo & lecto & nocte legis, surge à jugo legis: & veni ad me, & faciam te formosam per dona gratiarum, & faciam te simplicem sicut columba per Baptismum. *Jam enim hiems* & frigiditas, & nox, & obscuritas legis veteris *transiit*, & *imber* peccatorum jam *recessit* postquam venit Sol justitiæ: quia jam *apparuerunt flores in terra nostra*. Nam sicut recedente hieme, & adveniente vere omnes arbores & vineæ florent, &

ficul-

ficulneæ incipiunt producere ficus propter accessum & favorem & calorem solis: ita adveniente Christo, vinea Legis, & A ager & ficulnea Legis incœperunt florere & fructificare per Christum. Unde jam venit *tempus putationis* vineæ: in quo omnia cærimonialia sunt amputata, ut novi thyrsi & pampini Euangelici valeant pullulare.

Item, sicut in vere auditur vox & cantus turturis per silvas: ita transactâ hieme Legis, & adveniente plenitudine temporis, quando Deus misit Filium suum, audita fuit *vox turturis* Euangelicæ, quæ fuit Virgo Mater Dei, quando dixit: *Magnificat anima mea Dominum &c.* quia jam annuntiavit Deum in carne advenisse &c. Et sic vox Euangelica incœpit tunc audiri in terra nos- B tra. Sed magis audita fuit *vox turturis*, quando Christus ascendit in montem, & incœpit declarare Legem Apostolis, *Matt.* 5. Item, tunc *ficus* Legis, amputatis cærimonialibus foliis incœpit producere ficus & *grossos* Euangelicos per veram intelligentiam. Nam sicut fructus latet in arbore in hieme, & ficus in ficulnea, & uvæ in vite, eò quòd fructus tantum est ibi in potentia tamquam in suis causis materialibus: sed in vere sol & cœlestis influentia educit fructus ex arboribus de potentia in actum: ita pariter omnia mysteria & veritates Euangelicæ latebant sub litterâ Legis: sed venit Christus Sol justitiæ, & eduxit omnia illa mysteria & C veritates in actum & in lucem, & sic apparuit veritas Euangelica, quæ latebat in Lege, sicut formæ latitant in materia, & fructus in arbore. Et ideo subdit quod *vineæ* Legis *dederunt odorem suum* florendo.

Et nota: quòd vineæ florent, omnes serpentes fugiunt, eò quòd odor florum vinearum interficit serpentes. Ita ergo pariter, quando Christus venit & incœpit fugare hiemem & frigiditatem cærimoniarum Legis, & incœpit florere vinea propter calorem solis in vere Euangelico; tunc serpens antiquus incœpit fugere propter odorem vineæ Euangelicæ: quia ille odor, & virtus florum Sa- D cramentorum Euangelicorum interficit diabolum, & extinguit peccata. Et ideo dicit Sponsus, quòd *vineæ* Legis jam *dederunt odorem suum*, fugando diabolum, & extinguendo peccata. Et ideo subdit: *Surge amica mea & Sponsa*, quia diu per totam hiemem Legis veteris jacuisti absconsa sicut *columba in caverna maceriæ* & parietis, & *in foraminibus petræ*: ita tu latuisti absconsa sub umbrâ legalium per totam hiemem & noctem Legis. O ergo columba mea, exi à cavernâ & foramine Legis, & incipe cantare Canticum Euangelicum: & *sonet vox tua in auribus meis*, confitendo E me esse Deum & Messiam & Redemptorem tuum. Et *ostende mihi faciem* conscientiæ tuæ per fidem & charitatem, & *sonet vox* tuæ confessionis *in auribus meis*. Quia *vox tua* erit mihi *dulcis*, cùm audiero à te confessionem veræ fidei Euangelicæ, per quam fidem eris mihi personaliter & præsentialiter desponsata. Quia jam non loquor tibi per Angelos, nec per Prophetas: sed personaliter & præsentialiter loquor tibi per meipsum. Profer ergo fidem Articulorum & fidem Euangelicam per os tuum; & eris mihi vera Sponsa per verba de præsenti. Quasi dicat: Sequere me per fidem Euangelicam, & recipe Baptismum, fidem profitendo, & tunc *vox* tuæ confessionis erit F mihi *dulcis* & acceptabilis, *& facies* animæ & conscientiæ tuæ erit mihi *decora*, & grata, & amabilis.

Deinde cum dicit: *Capite nobis vulpes parvulas &c.* Sponsus avisat Sponsam, ut sit cauta, ne sequatur falsam doctrinam Scribarum & Pharisæorum.

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd quando Christus venit, jam reperit Scripturam Legis & Prophetarum depravatam per falsas traditiones & expositiones Scribarum & Pharisæorum & Sadducæorum. Cujus causa fuit: nam ut ait *Josephus lib.* 18. *Antiquitatum*, & 2. *lib. de Bello Judaico*: quasi per quadraginta annos ante adventum Christi inter cæteras sectas surrexerunt duæ principa- G les sectæ in *Jerusalem*: quarum prima fuit *secta Sadducæorum*, dicta à quodam dicto *Saddoch* Principe & inventore illius sectæ. Illi autem negabant Angelos esse, & alios spiritus: & negabant resurrectionem corporum; & per consequens concedebant mortales esse animas hominum. Item recipiebant solum quinque libros Moysi, & negabant totum residuum veteris Testamenti: & sic ex tali errore committebant multa turpia. Sed tunc ex zelo Legis & Prophetarum surrexit altera secta contraria illi, quæ incœpit à quodam dicto *Phares* de tribu *Simeon*: & ideo ejus Sectatores dicti sunt *Pharisæi*: quasi contra Sadducæos, H à cæteris popularibus divisi in vita & moribus & in habitu. Isti fingebant se zelare Legem & Prophetas: & ideo habiti sunt in maxima veneratione apud populum, & in maxima opinione sanctitatis propter apparentiam exteriorem. Et isti dabant operam studio Legis & Prophetarum præ cæteris: & ideo propter assiduitatem & continuum studium facti sunt periti præ cæteris in littera Legis & Prophetarum, in tantum quòd acceperunt auctoritatem à Summis Sacerdotibus sedendi in cathedra Moysi ad declarandas Scripturas Legis & Prophetarum, & ad ju-

judicandas & discernendas causas civiles, & judicia civilia exercenda : & sic facti sunt de numero illorum septuaginta Judicum, quos Moyses instituit ad discernendas causas & judicia, *Exod.* 18. Et ideo dicebantur sedere *super cathedram Moysi.* Et ideo isti ratione Religionis dicebantur Pharisæi ; sed ratione judiciariæ potestatis, & ratione auctoritatis glossandi & exponendi & declarandi sacras Scripturas Legis & Prophetarum, dicebantur *Scribæ.* Est verum quòd multi ex tribu Simeon propter peritiam Scripturarum, licet non essent ex religione & habitu Pharisæorum ; tamen similiter assumebantur ad potestatem judicandi, & auctoritatem glossandi : & isti dicebantur *Scribæ* tantum.

Ista ergo secta & religio Pharisæorum, & etiam societas Scribarum fuit devotior propter simulationem sanctitatis, & crevit in tantum apud vulgares & cives & plebejos, quòd omnes cives relinquebant eos executores Testamentorum, & tutores vjduarum & pupillorum; & sic regebant populos in temporalibus & spiritualibus. Et sic incœperunt comedere & expoliare domos viduarum, & diripere bona pupillorum, & impinguare domos suas, in tantum quòd omnes divitiæ pervenibant ad manus eorum ; & simplices populares ex ignorantiâ obediebant, & credebant eis. Sed avaritia & cupiditas simul crevit & exarsit in eis cum pinguedine divitiarum. Unde tunc incœperunt ordinare novas traditiones in populo, & glossare omnes sacras Scripturas, & deducere ad lucrum suum temporale, & ad multiplicandas oblationes & decimas & primitias. Et sic facti publici Campsores & Mercatores per se, vel per interpositas personas, paraverunt in Templo mensas nummulariorum: & in porticu Templi vendebant oves & agnos pro sacrificiis & oblationibus : & sic usurpabant sibi omnia lucra. Et ut hoc non reputaretur illicitum apud populum, glossabant Scripturas ad suum intentum, ostendentes populis, quòd ea quæ faciebant, erant de mente Legis, postquam omnia erant ad cultum Divinum. Et sic depravarunt totam Legem & Prophetas, trahentes omnia ad intentum & lucrum suum temporale, negantes omnem sensum spiritualem.

Et ideo Christus reperiens scripturas depravatas per falsam doctrinam & traditiones istarum sectarum, scilicet Sadducæorum, & Scribarum, & Pharisæorum, statuit extirpare fermentum, & falsam doctrinam eorum, & aperire verum sensum sacræ Scripturæ. Ideo ascendens in montem incœpit avisare Discipulos, dicens : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum &c.* Et sic Christus procedit in toto illo sermone declarando veram intelligentiam Legis & Prophetarum, & extirpando falsam doctrinam Scribarum & Pharisæorum : & hoc idem facit per totum discursum Euangelicum. Unde *Matth.* 15. avisans Discipulos, dixit : *Cavete à fermento Sadducæorum & Pharisæorum &c.* Item 22. dicit : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi &c.* Et in toto illo capitulo exprobrat avaritiam, & simulationem, & prava opera eorum. Et ideo videntes Christum totaliter esse contrarium moribus, & avaritiæ, & pravis operationibus suis, statuerunt ipsum interficere, negantes Christum esse Messiam in Lege promissum. Unde sicut erant totaliter mundani & carnales, ita declarabant totam Scripturam temporaliter & carnaliter, expectando bona temporalia.

Et hanc sectam Scribarum & Pharisæorum servant hodie Judæi moderni, eò quòd sunt successores illorum in vita & doctrina & perfidiâ & odio, prout dictum est *Psalmo* 2. & *Psalm.* 81. Et sic patet, qualiter Scribæ & Pharisæi conati sunt dissipare vineam legis per falsam doctrinam & intelligentiam.

Quos Salomon hîc appellat *vulpes*, propter simulationem & fictionem vitæ: Et appellat eos *vulpes parvas*, propter sanctitatem & humilitatem fictam & simulatam : vel à parvitate veritatis : & etiam à parvitate potentiæ & effectus. Nam licèt fuerint conati destruere vineam sacræ Scripturæ ; tamen non potuerunt: quia veritas Scripturæ continuata & conservata est in Euangelio : & ipsi manent in sua cæcitate, & obstinatione, & mendacio, & captivitate.

Dicit ergo Sponsus ad Apostolos: Nolite sequi doctridam vulpinam & fermentum istarum vulpium, scilicet, Scribarum & Pharisæorum : sed *capite nobis istas vulpes parvas*, scilicet, Scribas & Pharisæos, *quæ demoliuntur*, & destruere & dissipare nituntur *vineas* sacræ Scripturæ cum suis falsis doctrinis, & tradictionibus iniquis : & ejicite eos extra vineas nostras, tamquam obcœcatos in malitiâ eorum, ne intelligant sacramenta Dei, & ne comedant de fructibus hujus vineæ, postquam negant adventum Christi, agricolæ hujus vineæ: quoniam vineæ nostræ jam floruerunt per adventum Christi : licèt ipsi non expectant talem fructum spiritualem ex ea, sed bona temporalia. Et ideo ne istæ vulpes parvæ in valore & in potentia & intelligentia veritatis dissipent flores hujus vineæ, *capite eas* & projicite extra vineam, postquam se indignas fecerunt : unde ego expectabam ut ipsi Judæi colligerent

uvas

uvas ex ista vineâ, ipsi collegerunt labruscas amaras pro eis. Sed vos fideles colligite uvas dulces mysteriorum Euangelicorum. Intendit ergo dicere Sponsus ad Sponsam in Apostolis: O *amica mea, & columba mea, Sponsa, ostende mihi faciem tuam* per puritatem Baptismi: & *sonet vox tua in auribus meis* per confessionem veræ fidei: & non sequaris falsam doctrinam & vocem vulpinam Scribarum & Pharisæorum, qui conantur destruere vineas sacræ Scripturæ: sed *capite has vulpes*, & projicite extra vineam, quoniam *vinea mea* jam *floruit &c.*

Dilectus meus mihi, & ego illi.

HÆC est secunda pars hujus Cantici, in qua introducitur Sponsa ad loquendum: quæ auditâ voce Sponsi, quam vocem diu desideraverat: ideo agit gratias, dicens: Gratias ago, quoniam *dilectus meus* præsentialiter & familiariter loquitur *mihi & ego illi*, & jam docet me familiariter mysteria & secreta legis. Et jam *pascitur inter lilia*: quia jam recepit à me cultum Latriæ in Apostolis & Discipulis & fidelibus sequentibus eum. Unde sicut ipse pascit me pabulo doctrinæ, ita ipse pascitur à me pabulo cultus Latriæ, acceptando meam fidem & confessionem fidei & laudis &c. Et iste cultus Latriæ durabit *donec*, id est, dum *aspiret* & perseveret *dies* gratiæ usque ad judicium, & usque *inclinentur umbræ*. Vel sic. *Dilectus meus* loquitur *mihi, & ego illi*: & jam *pascitur inter lilia*, sive rosas fidelium per cultum Latriæ, postquam jam *aspiravit dies* gratiæ, & finita & fugata est umbra legis. Quasi dicat: Nolo audire, nec sequi *vulpes* Pharisæos, nec doctrinam eorum falsam: sed volo sequi Christum, sicut ipse loquitur mihi.

Deinde cum dicit, *Revertere*, postquam ista Sponsa recepit fidem Euangelicam, & veritatem Legis à Sponso in Apostolis & Discipulis in illo monte, desiderans habere copiam in sua societate; & sciens quòd Christus venerat ad redimendum principaliter populum Israel: ideo exhortatur Sponsum, ut lustret in gyrum & circundet totam terram Israel per omnes tribus, & postea revertatur in Jerusalem: ut ibi pro omnibus patiatur. Dicit ergo Sponsa: O *dilecte* postquam vocasti & docuisti me in Apostolis & Discipulis, & jam pasceris inter lilia per Latriam, & jam Apostoli receperunt & sequuntur te: ideo vade, & lustra, & circunda in gyrum totam terram promissionis, vocando omnes filios Israel ad fidem, postquam principaliter & personaliter venisti *ad oves quæ perierant domus Israel.* Et postquam lustraveris totam terram promissionis, *revertere* in terram Juda & Jerusalem, ut ibi pro nobis patiaris.

Unde nota quod ubi Translatio nostra dicit, *Revertere*: in Hebræo habetur *circunda*, sive *lustra*: & est mos & consuetudo amantium, qui lustrant in gyrum domum & vicum amasiæ, ut frequenter eam possint videre & alloqui: Ita ergo eodem modo dicit ista Sponsa: O dilecte mi, perlustra & circunda frequenter domum meam, id est, totam terram promissionis, & postea revertere ad me, & finaliter revertere in terram Juda, ubi in *Bethlehem* fuisti natus, & in *Jerusalem* in Templo præsentatus, ut ibi patiaris pro omnibus, & resurgas, & finias cursum tuum. Et in tali cursu & officio sis velox & *similis* in velocitate *capreæ hinnuloque cervorum*: id est, expedias cursum tuum revertendo *super montes Bether*, id est, super montes Dei: qui sunt montes Judeæ, ubi est Jerusalem sita in monte Sion, & in monte Moria, qui dicuntur *montes Bether*, id est, montes domus Dei: eò quòd in eis est fundata domus Dei: & in uno istorum montium vidit Scalam *Jacob*: & in altero *Abraham* voluit immolare filium: & in altero *Melchisedech* obtulit panem & vinum, ut dictum est *Psalmo* 47. Intendit ergo dicere Sponsa: O *dilecte* lustra totam terram Israel, & *revertere super montes Bether*, scilicet, in Jerusalem, ad patiendum & complendum mysterium redemptionis: & *esto similis capreæ hynnuloque cervorum*: id est, esto similis & conformis Legi & Prophetis: scilicet, imple officium redemptionis in Jerusalem, sicut promisisti Patriarchis, & vaticinatum est per Prophetas, prout dictum est, & magis patebit. In Hebræo autem habetur: *super montes Bether*, id est, super montes divisos. Et tunc esset sensus: Lustra terram velociter, sicut caprea & hynnulus velociter currit *super montes divisos*, sive *diversos*. Sed nostra Translatio videtur magis propria.

Ad majorem evidentiam est notandum, quòd caprea silvestris habet quatuor proprietates & conditiones. Primò, quia fugit vehementer venatores. Secundò, quia est velocior cæteris animalibus in fugiendo. Tertiò, quia semper petit ardua & cacumina montium inaccessibilia, ut ibi salvetur. Quartò, quia semper trahit & ducit filium secum, ut salvetur, nec unquam dimittit nec deserit eum. Has etiam quatuor proprietates habet ipse cervus in fugiendo venatores. Et has quatuor proprietes servavit Christus contra vulpes Pharisæos & Scribas, qui

qui suâ venenatâ & vulpinâ doctrinâ nitebantur vulnerare populos, & dissipare vineam Domini. Et ideo Christus fugit, immò increpavit, & extirpavit velociter falsam doctrinam Scribarum & Pharisæorum. Et ascendit in montem crucis, ducens & trahens secum omnes fideles filios suos, ut eos ibi salvaret & liberaret, Et ideo dicit Sponsa: O Sponse *dilecte mi* perlustra totam terram Israel & *revertere* ad *montes Bether*, id est, domus Dei, quæ est Jerusalem, & ad montem Crucis ubi nos debes salvare. Et ideo *esto similis capreæ hinnuloque cervorum*, id est, sicut caprea & cervus velociter fugiunt venatores, & ducunt & trahunt secum hinnulum, scilicet filium, ut salvent eum super ardua montium: ita tu trahe nos tecum super montem Crucis, & super montes Jerusalem, ut salves nos ibi: & super montem Cœlestem, ut ibi te fruamur.

SECUNDA PARS TERTII Cantici.

In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea:
Quæsivi illum, & non inveni.
Surgam & circuibo civitatem: per vicos & plateas
Quæram quem diligit anima mea:
Quæsivi illum, & non inveni.
Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem:
Num finem diligit anima mea vidistis?
Paululum cum pertransissem eos,
Inveni quem diligit anima mea:
Tenui eum; nec dimittam,
Donec intromittam illum
In domum matris meæ,
Et in cubiculum genitricis meæ.
Adjuro vos filiæ Jerusalem, per cupreas cervosque camporum.
Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam,
Donec ipsa velit.

DEinde cum dicit: *In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea &c.* videns Sponsa, quòd per totam noctem legis numquam poterat reperire Sponsum suum Christum in Tabernaculo Moysi, nec in Templo primo, nec secundo: quia in Arca fœderis non erat realiter incarnatus, nisi in solâ figurâ: ideo postquam reperit ipsum in carne, agit gratias dicens: *Ego quæsivi quem diligit anima mea in lectulo meo*, id est, in Tabernaculo Moysi, & ipsum quæsivi *per* totam *noctem legis*. Et tamen *non potui* ipsum ibi *invenire*: quia tantum erat ibi in figura: & sic dixi in meipsa. Ego *circumibo per vicos & plateas*, id est, discurram per omnes Patriarchas & Prophetas, *quærendo* Christum *quem diligit anima mea*: & *quæsivi illum* sed *numquam* ibi *inveni* in toto Testamento veteri. Et dum circuibam per totum vetus Testamentum quærendo *quem diligit anima mea*, *invenerunt me qui custodiunt civitatem*; scilicet summi Sacerdotes & Scribæ & Pharisæi, qui erant Doctores & prælati positi ad custodiam populi & Templi, quos interrogavi, dicens: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Qui non ostenderunt mihi illum per Legem & Prophetas; immò negarunt eum, dicentes: *Hunc nescimus vnde sit*: Et, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*: immò negaverunt talem Messiam Deum & hominem esse in lege promissum: nec voluerunt recipere eum, nec Legem ejus Euangelicam, nec bona spiritualia, cum tamquam carnales expectarent temporalia.

Sed ego spernens eorum cæcitatem & falsam doctrinam, *paululum cum pertransissem eos*, *inveni* Christum Deum incarnatum Sponsum mihi promissum, *quem* valde *diligit anima mea*. Et ideo illico ad primam vocationem *tenui eum* per fidem firmam & charitatem indissolubilem; & ideo *non dimittam* eum, *donec intromittam illum in domum matris meæ*, *& in cubiculum genitricis meæ*: quæ est plebs Israelitica fidelis. Unde postquam Synagoga ejecit ipsum à se, ego recepi ipsum, in tantum quòd nemo me separabit à charitate ejus. Quasi dicat: Postquam non reperi ipsum in Tabernaculo Moysi, nec in Templis primo & secundo: tantum inveni ipsum in Tabernaculo & Templo humanitatis assumptæ. Et sic *tenui* & recepi *eum* in verum Messiam, *nec dimittam eum*, licèt Scribæ & Pharisæi tamquam vulpes dissuadeant mihi cum comminatione, & cum suo falso fermento.

Ad majorem autem evidentiam est notandum, quòd ista Sponsa quæsivit Sponsum per totam noctem Legis *in lectulo suo*: scilicet, in Tabernaculo ligneo, quod fabricaverat Moyses: sed cum ipsum ibi non reperisset, eò quòd ibi non erat nisi in figura: ideo interro-

ga-

gavit *cuſtodes*, ſcilicet Scribas & Phariſæos, ut oſtenderent ſibi Sponſum; ſcilicet Meſſiam in Lege promiſſum: eò quòd Sacerdotes, & Scribæ, & Phariſæi erant poſiti tamquam cuſtodes & ſpeculatores domus Iſrael: ut cum veniret Chriſtus, oſtenderent eum, populo per Sacram Scripturam. Sed cum Sacerdotes, & Scribæ, & Phariſæi non oſtendiſſent ipſi Chriſtum fuiſſe Meſſiam; immò tamquam *vulpes* diſſipantes vineam Domini negaverunt eum & perſequebantur: ideo iſta Sponſa non acquieſcens falſæ doctrinæ eorum *pertranſivit*, id eſt, contempſit eos: ſed *cum pertranſiſſet eos*, reperit Chriſtum Sponſum ſuum, non in tabernaculo ligneo ipſius Moyſi, ſed in lectulo, & tabernaculo carnis & humanitatis. Et tunc poſtquam iſta Sponſa cognovit Sponſum, *tenuit eum* fortiter per fidem, & ſecuta eſt eum uſque ad mortem: & *introduxit eum in domum matris ſuæ*, ſcilicet in plebem Judaicam: quia Apoſtoli multos de plebe Iſraelitica converterunt ad fidem Chriſti, quando miſit eos ad prædicandum per terram Iſrael, ut patet *Matth.* 10. & *Lucæ* 10. Et etiam converterunt multos in die Pentecoſtes, ut patet *Actor.* 2. & 3. Et ideo dicit: *In lectulo meo &c.*

Adjuro vos filiæ Jeruſalem &c.

HÆC eſt tertia pars hujus Cantici, ubi prædicit firmam ſtabilitatem Eccleſiæ, & indiſſolubile vinculum inter ipſam & Sponſum ſuum.

Unde ait: O *filiæ Hieruſalem*, id eſt, animæ fideles, obteſtor & *adjuro vos per capreas cervoſque camporum*: id eſt, per Patriarchas & Prophetas, quibus facta eſt de Chriſto repromiſſio, *ne ſuſcitetis, nec evigilare faciatis dilectam* à fide & charitate Dei Sponſi *donec ipſa velit*, id eſt, *adjuro vos*, ne puteris unquam ipſam eſſe à ſuo Sponſo ſeparandam in æternum, ſicut promiſſum eſt Patriarchis & Prophetis, prout dictum eſt. Quaſi dicat: Ne timeatis, nec ſeducat vos falſa doctrina Scribarum & Phariſæorum: nec aliquis Hæreticus aut Tyrannus ſeparet vos à charitate Sponſi veſtri Chriſti.

Sed quia dictum eſt in Expoſitione hujus tertii Cantici, quòd in adventu Chriſti vinea Legis dedit fructum ſuum, amputatis cærimonialibus, & ficus legis dedit groſſos ſuos Euangelicos: & quòd Chriſtus tamquam interpres legis amputavit omnia cærimonialia: ideo quæritur: Utrum Chriſtus potuerit hoc facere? & videtur quod non.

Et primò arguitur ſic. Nam Chriſtus, qui venerat ad complendam voluntatem Patris, nec debuit nec potuit venire contra mentem Dei Patris, qui obligavit illum populum ſub multiplici maledictione & firmiſſimo jurejurando ad ſervandam totam Legem, non ſolum quoad præcepta moralia, ſed etiam quoad omnia cærimonialia; & hoc, fœdere æterno, ut patet *Deuteron.* 28. & 29. Et ſub eiſdem maledictionibus & jurejurando ſe obligavit populus, ut patet ibidem. Ergo nec Chriſtus potuit venire contra mentem Patris, nec abſolvere illum populum à cærimonialium obſervatione æternâ.

Secundò arguitur ſic. Nam ſub eadem pœna Deus prohibuit, ne quis præſumeret addere nec minuere aliud præter id quod eſt ſcriptum in Lege datâ Moyſi, ut patet *Deuteron.* 4. Ergo ſequitur quòd Chriſtus nec debuit, nec potuit amputare cærimonialia, putà, ſabbatum &c. nec addere diem Dominicam, & cætera præcepta, & Euangelica Sacramenta.

In oppoſitum autem eſt tota veritas hujus tertii Cantici, ubi dicitur: *Tempus putationis advenit.* Item *Matth.* & *Lucæ* 3. *Securis ad radicem arboris poſita eſt.* Item ibidem: *Cujus ventilabrum in manu ejus, & mundabit aream ſuam: & congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Per quam *arborem* & *paleas* intelliguntur cærimonialia Legis veteris.

Reſpondetur: quòd iſta quæſtio ſatis eſt explicata & ſoluta per totam Expoſitionem *libri Pſalmorum*, & præcipuè in *Tractatu contra Judæos* per totum. Sed hîc breviter reſpondebitur præfatis duobus argumentis.

Pro quorum reſponſione eſt primò notandum: quòd cùm tota Lex cærimonialium fuerit data in ſignum fœderis & pacti, ut patet de Circunciſione & de cæteris Sacramentis, & ſacris, & ſacrificiis, & obſervantiis: ergo ſequitur quod omnia illa cærimonialia erant ſigna alicujus futuræ veritatis; & per conſequens tendebant in illam veritatem ſignificatam tamquam in finem & terminum. Et per conſequens officium omnium illorum cærimonialium non celebrabatur niſi ſub fide & proteſtatione illius futuræ veritatis, quam ſignificabant, & ad quam tendebant omnia illa cærimonialia tamquam in finem & terminum. Sed veritas & finis & terminus totius Legis & Prophetarum fuit Chriſtus, in quem tendebant tota Lex & Prophetæ, ut ſupra dictum & probatum eſt in primo Cantico: Ergo ſequitur, quòd tota Lex & Prophetæ finierunt officium & curſum ſuum in Chriſtum:

tum : & per consequens fideles veteris Testamenti non obligabantur observare cærimonialia nisi usque ad Christum, A quæ fuit veritas & finis Legis & Prophetarum : nec illa multiplex maledictio, nec illud jusjurandum potuit eos obligare nisi usque ad Christum.

Item secundò est notandum, quòd Christus non solum fuit promissus in veteri Testamento, tamquam finis Legis & Prophetarum, sed etiam tamquam Interpres & declarator eorum, ut probatum est in primo Cantico, per id quod ait Dominus, *Deuteron.* 18. scilicet: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui : ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos quæcumque præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur, audire* B *noluerit, ego ultor existam.* Quæ quidem verba dixit Deus in Horeb, quando dedit Legem ipsi Moysi, prout patet in textu illius Capituli. Nam tàm Deus, quàm Moyses refert ista verba ad illud tempus, quando Deus dedit Legem. Nam quando populus audiebat voces, & videbat lampades, & montem fumantem, tunc omnes perterriti, & pavore concussi dixerunt Moysi : *Loquere tu nobis, & audiemus : non loquatur nobis Dominus : ne fortè moriamur &c.* ut patet *Exod.* 20. Tunc Dominus dixit Moysi verba supradicta : scilicet *Prophetam suscitabo eis &c.* Et sic patet, qualiter licèt Moyses non C scripserit ista verba ibi, *Exod.* 20. ubi fuerunt dicta : tamen scripsit ea *Deuteron.* 18. referendo ad tempus dationis Legis, ut patet in textu.

Ex quo patet, quòd Christus Interpres & declarator Legis simul fuit promissus cum datione Legis. Et per consequens quando ille populus se obligavit ad servandum Legem, dicens: *Omnia quæ præcepit Dominus faciemus &c.* tunc etiam se obligavit ad audiendum illum Prophetam Interpretem & declaratorem Legis in suo adventu. Et per consequens se obligavit ad servandum Legem secundùm interpretationem & declarationem illius Prophetæ pro- D missi. Et per consequens sub eisdem maledictionibus & jurejurando se obligavit totus populus ad credendum illi Prophetæ, & ejus interpretationi & doctrinæ. Sed ille Propheta promissus fuit solus Christus, ut pluries probatum est; quia debebat esse major quàm *Moyses*, & *Josue*, & *David*, & *Isaias &c.* Ergo sequitur, quòd ille populus non obligabatur observare illam legem nisi usque ad Christum Interpretem ejus. Et per consequens sub eadem comminatione & jurejurando obligabantur ad servandam Interpretationem & declarationem Legis & Prophetarum faciendam per Christum. Sed tota Lex Euangelica nil aliud E est nisi veritas & declaratio Legis & Prophetarum facta per Christum ; quia *Lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Christum facta est.* Ut patet *Joann.* 1. qui *non venit solvere legem, sed adimplere* : quia *unum jota, nec unus apex preterivit à lege*, quin dictis aut factis fuerit per Christum impletum, ut patet *Matth.* 5. Ergo sequitur quod sub iisdem maledictionibus & jurejurando obligabatur ille populus ad observandam Euangelicam Legem per Christum ferendam, & ad relinquenda cærimonialia per ipsum abolenda.

Ex supradictis ergo patet solutio ad primum argumentum : quia Christus in F auferendo cærimonialia non venit contra mentem Patris ; immò declaravit & roboravit mentem Patris : nec violavit, nec solvit legem ; sed verificavit & adimplevit eam. Et Apostoli & cæteri fideles sequentes Christum, & relinquentes cærimonialia, & observantes Legem Euangelicam, non violarunt legem, nec jusjurandum ; immò adimpleverunt legem & jusjurandum ; & per consequens evaserunt illas maledictiones scriptas in libr. Deuter. Et per consequens Scribæ & Pharisæi, & omnes Judæi moderni sequaces eorum, incurrunt omnes illas maledictiones, tamquam violatores illius promissionis & jurisjurandi. Et per hoc G patet responsio ad primum argumentum.

Sed pro responsione secundi argumenti est advertendum : quòd tria erant consideranda in illis cærimonialibus, scilicet, officium quod celebrabatur. Secundò fides sub quàm celebrabatur. Tertiò Christus futurus, sub cujus fide, & ad quem finem, & cujus gratiâ omnia illa officia fiebant. Et ideo quia illa cærimonialia & officia non fiebant gratiâ sui, sed in fide & gratiâ Christi futuri : hinc est quòd non erant de essentia legis : quia sola fides Christi cum suo fine, quem omnia illa cærimonialia intendebant, erat de essentia legis. Et ideo illa omnia cæ- H rimonialia quoad officium erant quædam accidentia, & per consequens poterant adesse vel abesse præter subjecti corruptionem. Et per consequens non erant de integritate essentiali ipsius Legis, sed fides Christi, & mysteria Euangelica per illa cærimonialia significata, quia erant de essentia legis : ideo manserunt post adventum Christi, amputatis cærimonialibus.

Ex quibus patet, quòd Christus abdicando & repellendo cærimonialia, & declarando eorum veritatem per Legem Euangelicam, nec abstulit, nec addidit aliquid essentiale ipsi Legi : sed solum ma-

manifestavit veritatem latentem sub umbrâ Legis. Unde sicut sol in ortu suo non minuit nec addit aliquid, sed manifestat & patefacit omnia quæ latebant sub umbrâ noctis super faciem terræ: ita pariter Christus in suo adventu nullum essentiale minuit nec addidit Legi: sed solùm patefecit totam veritatem, & omnia mysteria Euangelica, quæ latebant sub umbrâ illorum cærimonialium. Unde nihil fuit in Lege & Prophetis figuratum & vaticinatum, quin fuerit impletum & declaratum per Christum dictis, aut factis; & nil dictum aut factum per Christum, quin fuerit in veteri Testamento figuratum, aut vaticinatum. Et sic patet, qualiter *unum jota* non fuit additum nec diminutum à Lege per Christum, sed omnia fuerunt impleta & patefacta, quæ sub umbrâ Legis latebant. Et sic nos Christiani servando Legem Euangelicam non addimus, nec auferimus aliquid essentiale à Lege Moysi & Prophetis: immò verificamus & implemus ejus significatum: Et sic sunt intelligenda illa verba Dei, *Deuter.* 4. scilicet, *Non addetis adverbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, scilicet, aliud quod sit de essentia sui veri significati. Ex quibus patet, quòd illa Lex non erat æterna quoad officium & significatum, sed quoad fidem, & finem, & verum significatum. Et per hoc patet vera intelligentia hujus tertii Cantici: & patet solutio ad secundum argumentum Judæorum. Et hæc de tertio Cantico.

CANTICUM QUARTUM.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum,
Sicut virgula fumi ex aromatibus
Myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?
En lectulum Salomonis
Sexaginta fortes ambiunt
Ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios,
Et ad bella doctissimi:
Uniuscujusque ensis super femur suum
Propter timores nocturnos.
Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani:
Columnas ejus fecit argenteas,
Reclinatorium aureum,
Ascensum purpureum,
Media charitate constravit
Propter filias Jerusalem:
Egredimini & videte filiæ Sion
Regem Salomonem in diademate,
Quo coronavit eum mater sua
In die desponsationis illius,
Et in die lætitiæ cordis ejus.

QUÆ est ista quæ ascendit per desertum? Hoc est quartum Canticum, in quo cantat progressum Christi per totam terram promissionis vocando filios Israel ad fidem. Quod mysterium prævidit Salomon in spiritu per progressum, & peregrinationem, & ascensum Arcæ fœderis, & Tabernaculi per desertum.

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd quinque contemplatus est & consideravit Salomon in illa Arca fœderis cum sua peregrinatione. Primò materiam ex qua fuit facta: quia ex lignis setinis, & etiam ex lignis cedrinis, quæ maximè abundant & crescunt in Libano. Secundò consideravit ejus unctionem: quia ex unguento confecto ex myrrha, & cinnamomo, & balsamo, ut patet *Exod.* 30. & *ult.* Tertiò consideravit ornatum ejus, quia ex cortinis diversorum colorum. Quartò consideravit custodiam ejus, quia sexcenta tria milia quingenta quinquaginta virorum custodiebant Tabernaculum & Arcam Domini. Quintò consideravit peregrinationem, & ascencensum illius Tabernaculi per totum desertum cum signis & miraculis & prodigiis; *à cujus facie mota est terra, à facie Dei Jacob.* In quibus quinque mysteriis prævidit Salomon totam peregrinationem Christi per terram promissionis, ostendendo se esse Deum per signa & miracula.

Unde per hoc quod illa Arca fuit fabricata ex lignis setinis & cedrinis, prævidit Salomon humanitatem Christi: scilicet, qualiter illud corpus erat formandum ex puris sanguinibus Virginis opere Spiritus sancti, & tota illa humanitas debebat constare ex carne setina imputribili & incorruptibili, & ex anima cedrinâ nulli peccato obnoxiâ, non solum in persona, sed nec etiam in natura.

Et per hoc quod in illa Arcâ fuit repositum Manna & Virga Aaron & Tabulæ Legis, prævidit, qualiter Christus debebat esse Deus & homo, Rex

& Sacerdos, prout dictum est in *secundo Cantico.*

Et per hoc quòd illa Arca fuit peruncta illo prætiosissimo unguento diversorum aromatum, prævidit Salomon, qualiter anima Christi erat ungenda unguento aromatico sapientiæ & intellectus, & omnium donorum & virtutum, non ad mensuram, ut posset omnibus sua dona communicare tamquam caput. Item etiam possimus dicere quod per illam unctionem prævidit omnia dona Spiritus sancti & unguenta omnium Sacramentorum, quæ debebant fluere à Christo in corpus mysticum. Item, per ornatum cortinarum Tabernaculi prævidit ornatum perfectionum, & virtutum, & gratiarum Christi. Item, per illos sexcenta tria millia quingentos quinquaginta, qui custodiebant Tabernaculum & Arcam cum gladiis & ensibus, prævidit sexaginta reges cum suis regnis, qui venerunt ad fidem Christi defendentes nomen ejus cum gladiis & armis temporalibus. Et prævidit etiam sexaginta Prælatos cum gladiis & ensibus Ecclesiasticæ potestatis fidem Christi defendentes: & sexaginta Doctores principales Ecclesiæ, scilicet *Augustinum*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Eusebium*, & *Basilium*, & cæteros defendentes fidem Christi cum gladiis sacræ Scripturæ utriusque Testamenti. Item per hoc quod illa Arca progrediebatur per desertum ascendendo in terram promissionis, in qua dicebatur Deus *sedere super Cherubim*, à cujus facie tota *terra mota est* propter signa & prodigia, prævidit Salomon, qualiter Christus Deus in illa humanitate tamquam in Arca personaliter latens, & sedens super duo Testamenta, debebat exire in desertum Galilææ, & perlustrare totam terram cum signis & miraculis, prout patet per totum discursum Euangelicum.

Hoc ergo prævidens Salomon in spiritu fecit hoc Canticum: in quo introducit filias Jerusalem, primò ad loquendum admirantes super præsentia Christi, & propter mirabilia opera ejus. In quo duo facit. Nam primò facit quod dictum est. Secundò ponitur sodalium Sponsi responsio. Secunda ibi: *En lectulum Salomonis.*

Quantum ergo ad primum, quia Sponsa in Cantu superiori rogaverat Sponsum ut lustraret totam terram Israel vocando eam ad fidem: ideo Christus Sponsus, qui antè non fuerat cognitus nisi Apostolis & Discipulis, descendens de monte incœpit perambulare terram Galilææ, & ostendit se in publicum faciendo signa & miracula, ut patet *Matth.* 8. & per totum discursum Euangelicum. Et sic omnes populi sequebantur, & mirabantur super doctrinâ & miraculis ejus. Admirantes ergo filiæ Hierusalem videntes illam Arcam humanitatis Christi, dicunt: *Quæ est ista* Arca *quæ ascendit* & progreditur per desertum Galilææ odorifera, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?*

In Hebræo habetur: *Sicut vapores fumi.* Et tunc littera est magis plana: quasi dicant: *Quæ est ista* humanitas, sive Deus in humanitate qui *ascendit* in carne humana per *desertum* odoriferus, *sicut vapor fumi myrrhæ, & thuris, & universi pulveris apothecarii?* Quasi dicant: ita procedit odoriferus evaporans ex se odores virtutum, & doctrinæ, & sanctitatis, & miraculorum, sicut Arca fœderis, cujus odorem sequebantur filii Israel. Quasi dicat: Ita sequuntur istum Christum omnes populi per desertum Galilææ, sicut omnes filii Israel sequebantur illam Arcam & Tabernaculum odoriferum per desertum Arabiæ. Totum etiam hoc potest referri ad totam societatem Christi & Apostolorum & totius multitudinis, quæ sequebatur Christum. Unde populi Galilææ videntes Christum cum tota illa societate admirantes, dicunt: *Quæ est ista* societas quæ sequitur istum Jesum Christum, sicut populus Israel sequebatur Arcam Domini? Nam sicut ille populus currebat post odorem, & in odorem unguentorum illius Arcæ: ita tota ista societas sequitur Christum in odorem ejus virtutum, & ejus sanctitatis & signorum: quia *sequebatur eum multitudo magna propter signa quæ faciebat*, *Joann.* 6.

Ad hoc respondet chorus sodalium Christi, scilicet, chorus Apostolorum, & etiam Angelorum, dicens: *En* (id est, *ecce*) *lectulum Salomonis.* Quasi dicat: aspice quòd ista humanitas quam videtis est *lectulus magni Salomonis*, scilicet, regis pacifici, qui est Christus. Nam sicut Deus ibat & latebat in illa Arcâ veteris Testamenti figurativè: ita Deus latet nunc in hac humanitate personaliter tamquam in Arca & tabernaculo. Et ideo sicut tunc ambibant Arcam Domini sexcenta tria millia quingenti quinquaginta cum armis corporalibus ad defensionem Tabernaculi: ita nunc *sexaginta* Reges cum suis regnis *ambiunt* Christum, & defendunt fidem Euangelicam, *omnes tenentes gladios, & doctissimi ad bella*: & isti sunt *ex fortibus Israel*, id est, totius Ecclesiæ toto orbe diffusæ: quia sexaginta Reges cum suis regnis venerunt ad fidem Christi post conversionem *Magni Constan-*

tantini ; qui omnes defendebant Ecclesiam , & fidem Euangelicam cum armis & gladiis & ensibus temporalibus. Item sexaginta Prælati principales Ecclesiæ toto orbe diffusæ , *tenentes gladios* Ecclesiasticæ potestatis *ambiunt* Christum , defendendo fidem ejus. Item sexaginta principales Doctores Ecclesiæ *ex fortibus* Ecclesiæ *ambiunt* Christum , *omnes tenentes gladios* Euangelicæ doctrinæ , & doctissima tela spiritualia, *ambiunt* Christum. Et *ensis* doctrinæ utriusque Testamenti scindens ex utraque parte , est *super femur uniuscujusque* ad defensionem Christi *propter timores* , id est , contra timores & incursus *nocturnos* : id est , contra nocturnos & cæcos incursus Judæorum , & Hæreticorum , & omnium Infidelium : unde omnes incursus Judæorum , & Infidelium , & Hæreticorum dicuntur *nocturni ;* eò quòd procedunt ex cæcitate & ignorantiâ affectata , & perpetratâ , & ex malitia quæ obcæcavit eos , ne intelligant sacramenta Dei , quæ latent in Sacra Scriptura. Quasi dicat , quòd illa humanitas Christi est Arca & Tabernaculum Dei , figurata per Arcam veteris Testamenti. Et tota Ecclesia Dei toto orbe diffusa fuit figurata per illos sexcenta tria millia quingentos quinquaginta , qui sequebantur Arcam. Nam sexcenta tria millia sunt sexaginta decies decem millia. Et sic ille numerus figurabat numerum sexaginta regum Christianorum , qui venerunt ad fidem Christi tempore Constantini : & figurabat numerum sexaginta Prælatorum , aut Doctorum Ecclesiæ. Et potest etiam dici , quòd ponitur numerus determinatus pro indeterminato, sicut quandoque fit in Scriptura.

Et etiam per illos *sexaginta fortes* possunt intelligi sexaginta generationes quæ præcesserunt ab Adam usque ad Christum , in quibus Christus fuit figuratus , ut patet in libro generationis Christi. Nam ab *Adam* usque ad *Abraham* inclusivè fuerunt viginti generationes : & ab *Abraham* usque ad *Virginem Mariam* præcesserunt quadraginta generationes , ut patet in *Matth.* Et sic computantur sexaginta generationes ab *Adam* usque ad *Virginem Mariam*, in quibus Christus fuit figuratus. Nam unusquisque illorum qui ponuntur in illo ordine generationis figurabat Christum secundùm aliquam virtutem. Et sic omnes illi sexaginta *ambiunt lectum Salomonis* , scilicet , humanitatem Christi, *tenentes* singulos *gladios* aut enses virtutum ad defendendum Christum *contra timores nocturnos* Judæorum , & Hæreticorum , & omnium Infidelium : quia per figuras & mysteria , aut vaticinia omnium illorum probantur mysteria Christi & Ecclesiæ , & maximè mysterium Incarnationis & nostræ redemptionis.

Deinde cùm dicit : *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, &c.* explicat mysterium Incarnationis & informationis Corporis Christi ex puris sanguinibus Virginis Mariæ.

Ad cujus intellectum est advertendum , quòd in hoc conveniunt omnes Judæi nobiscum : quòd in toto isto libro per *Salomonem* intelligunt *Deum*. Dicunt enim omnes Magistri Judæorum : quòd iste Salomon qui nominatur in hoc libro, est ipse Deus *Rex pacificus*. Et ideo est videndum quis est iste *lectulus* & *ferculum* , quod fecit sibi Deus de lignis Libani ? Ad hoc dicunt miseri & cæci & nocturni Judæi moderni ; quòd ille *lectulus* & *ferculum* quod fecit sibi Deus, est sola illa Arca & illud Tabernaculum, quod Deus præcepit sibi fieri per Moysen , in qua Arca Deus ferebatur per desertum. Et sic exponunt totum istud Canticum. Sed manifestè apparet eorum cæcitas & deceptio. Nam illud Tabernaculum , aut Arca, non fuit facta ex lignis Libani , sed ex lignis setin materialibus & spinosis , ut dictum est. Nec fuit *constrata* & ornata *mediâ charitate* per filias Jerusalem: Quia tunc Jerusalem erat habitata per Gentiles Idololatras & sceleratos. Nec est dicendum , quòd *mater sua coronaverit* Deum in illa fabricatione Tabernaculi materialis. Et ideo est dicendum , prout dictum est , quòd *Salomon* materialis conditor hujus libri, per illam fabricam illius Tabernaculi & Arcæ materialis prævidit in spiritu totum mysterium Incarnationis , & desponsationis Ecclesiæ cum Christo Domino. Nam per illam Arcam factam ex lignis setinis , & ex lignis cedrinis , similibus illis quæ crescunt in Libano , prævidit & intellexit Salomon humanitatem Christi constitutam ex carne setinâ , & animâ cedrinâ , omnis veneni peccati fugativâ. Et per unctionem Arcæ & Tabernaculi intellexit totum mysterium passionis , scilicet , qualiter Christus erat unguendus unguento myrrhæ passionis ; & per ornatum cortinarum intellexit ornatum virtutum & donorum Christi. Et per populum , sexcenta scilicet millia virorum armatorum ambientium Arcam , intellexit Ecclesiam toto orbe diffusam per sexaginta regna. Et per illam coronam quæ circundabat Arcam intellexit humanitatem & carnem , quâ Virgo Maria coronavit & vestivit Verbum Divinum Filium suum *in die desponsationis* & Incarnationis. Et hoc est quod cantat Salomon propheticè in hac parte.

Unde ait : O *filiæ Jerusalem*, & animæ fideles , vos admiramini dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum &c.*

&c. Ego dico vobis, quòd iſte eſt *lectulus*, id eſt, humanitas, in qua reſidet perſonaliter *Rex Salomon Deus* tamquam in Arca & Tabernaculo: quem Regem Salomonem, ſcilicet Chriſtum Deum & hominem *ambiunt* & colunt cultu Latriæ, *ſexaginta fortes*, id eſt *ſexaginta* Reges fideles cum ſuis regnis, & ſexaginta prælati, & ſexaginta Doctores, omnes tenentes gladios doctrinæ Euangelicæ, & enſes ſacræ Scripturæ, utriuſque Teſtamenti ad defendendum Tabernaculum Eccleſiæ Chriſti contra *timores* & incurſus *nocturnos* Judæorum & Hæreticorum, & omnium Infidelium: unde iſte *Rex Salomon* Deus *fecit* & fabricavit *ſibi iſtam* humanitatem, tamquam *ferculum* & currum, ſive Arcam, in qua fertur Verbum Divinum.

Illa enim humanitas dicitur quaſi *ferculum*, ſive feretrum, in qua fertur & portatur Deus. Et hanc humanitatem fecit Deus *ex lignis Libani* albiſſimis & mundiſſimis: ſcilicet ex carne Setinâ, quam ex puris ſanguinibus Virginis opere Spiritus ſancti formavit in utero: & ex animâ cedrinâ, quam in illa carne creavit & infudit: ex quibus reſultat humanitas, quam perſonaliter & ſuppoſitaliter aſſumpſit ſimul tempore. In quâ humanitate *fecit columnas argenteas* ſeptem donorum Spiritus ſancti non ad menſuram: & *fecit* ſibi *reclinatorium aureum* humilitatis: quia *humiliavit ſeipſum formam ſervi accipiens*. Item, fecit in ea *aſcenſum* & thalamum *purpureum* varietate gratiarum & virtutum. Et etiam fecit *aſcenſum purpureum* diverſorum graduum perfectionum ſanctitatis: quam domum ſuæ humanitatis *conſtravit* & ornavit *media charitate* & dilectione: quia non ſolum parietes, ſed etiam pavimentum hujus humanitatis *conſtravit* & ornavit *media charitate*. Et omnia iſta fecit *propter filias Jeruſalem*, qui ſunt omnes fideles Deum per fidem videntes. Nam propter fideles iſte Rex pacificus Chriſtus accepit iſtam humanitatem, ut in ea pateretur ad ſalvandos & liberandos fideles: & propter nos fecit illas ſeptem *columnas argenteas*, ut nobis dona Spiritus ſancti communicaret. Et propter nos fecit ſibi *reclinatorium aureum* humilitatis, ut ſua paſſio eſſet nobis meritoria: & fecit *aſcenſum purpureum*, & *media charitate conſtravit*, ut omnes ad ipſum aſpicereamus, & eum per charitatem & cæteras virtutes imitaremur, & ſequeremur. Et ſic patet, quòd omnia quæ accepit & fabricavit Chriſtus in illo ferculo & Arca humanitatis, accepit *propter filias Jeruſalem*, ſcilicet, propter animas fideles, & redemptionem & utilitatem noſtram. Quia Chriſtus non ſolùm fuit noſtra redemptio; ſed etiam ſpeculum & exemplum vitæ noſtræ. Et ideo ſubdit exhortando plebem Iſraeliticam, & omnes fideles, ut recipiant iſtum Regem Chriſtum in Meſſiam & Redemptorem, cum viderint ipſum venientem in carne.

Unde ait: O filiæ Sion: id eſt, ò plebs Iſraelitica, & plebs Jeroſolymitana, & omnes animæ contemplativæ, *egredimini* à jugo legis, & umbrâ cærimoniarum: & vos Gentiles *egredimini* à falsâ ſuperſtitione & ſpurcitiâ idolorum: & nolite vos Judæi ampliùs reſpicere cærimonialia, nec Arcam materialem veteris Teſtamenti: nec vos Gentiles velitis reſpicere & adorare falſos Deos: ſed *videte Regem Salomonem* Chriſtum *in diademate* humanitatis & carnis: *quo* diademate carnis *coronavit* & induit *eum* Virgo Maria *mater ſua in die deſponſationis illius*, ſcilicet, in die Incarnationis Chriſti, quando humanitas illa fuit verbo deſponſata & perſonaliter aſſumpta & unita in unitate ſuppoſitali & perſonali: quæ quidem Incarnatio & deſponſatio facta fuit *in die lætitiæ cordis ejus*, ſcilicet, Mariæ Virginis: quia inter ſeptem gaudia Virginis Mariæ illud fuit primum.

Propter iſta autem verba quæ dicta ſunt, eſt maxima altercatio inter Magiſtros Hebræorum. Unde legitur in *Medras Siraſſirim*, id eſt, in Gloſſa Canticorum: quòd dicit *Rabbi Joanan: Quæſivimus totam Scripturam, & non invenimus, quòd Bethſabee fecerit coronam filio ſuo Salomoni. Ideo mirandum eſt quid vult dicere: In diademate quo coronavit eum mater ſua.* Ad quod reſpondet: quòd *Rabbi Simeon* quæſivit hoc dubium â Rabbi *Eleazar*, dicens: *Audiſti unquam à Patre tuo Rabbi Jucef, qui erat ſapiens homo: quæ fuit illa corona quam Bethſabee impoſuit Salomoni filio ſuo?* Cui *Eleazar* reſpondit dicens: quòd *ille Rex Salomon eſt Deus, qui in principio dilexit multum plebem Iſraeliticam, & vocavit eam filiam: prout legitur Pſalm.* 44. *Audi filia &c.* „Item dilexit eam magis, & vocavit eam „ſororem. *Canticorum* 3. *Aperi mihi „ſoror mea &c.* Item dilexit eam multo „magis, & vocavit eam matrem, *Iſaiæ* „50. *Attendite ad me populus meus, & „tribus mea, & mater mea.* Et ſic iſte „*Salomon* eſt Deus: & iſta *Mater Dei* „eſt plebs Iſraelitica: quæ eum corona„vit, prout dicit Salomon in hoc Can„tico. Quo audito *Rabbi Simeon* oſ„culatus eſt *Rabbi Eleazar*, dicens: „Tantum hoc mihi placet, quòd nolo „amplius hodie à te audire. Ex quibus patet, quòd iſti Rabbini tacitè concedunt, Deum accepiſſe carnem ex plebe Iſraeliticâ: quia licèt Deus vocet illam plebem *filiam* per creationem & adoptionem, &

ſo-

sororem per desponsationem ; tamen nullo modo potest eam *matrem* appellare nisi per assumptionem. Et sic hæc caro A est illa *corona* , *quâ eum Virgo Maria* Mater Dei *coronavit* & vestivit , & circundedit in die Incarnationis & lætitiæ cordis sui.

Sed est iterum advertendum , prout dictum est in secundo Cantico : quòd sicut illa Arca quæ reposita fuit in Tabernaculo Moysi, figurabat Christum Deum & hominem incarnatum : ita illud Tabernaculum , in quo reposita est Arca, figurabat primò *Virginem Mariam* , in qua , & in cujus utero fuit Christus repositus , & ex qua carnem assumpsit : ex consequenti autem figurabat totam Ec- B clesiam , in qua Christus habitat per fidem. Et sic Virgo Maria dicitur *Tabernaculum* maternum ipsius Christi : & tota Ecclesia dicitur *Tabernaculum mysticum* in quo Deus habitat per fidem : & ideo tota Ecclesia dicitur *Sponsa Christi*, in cujus thalamo inhabitat : & etiam quælibet anima fidelis dicitur *Tabernaculum*, & *Templum Christi* in quo habitat per gratiam.

Et ideo tota fabrica supradicti lectuli & ferculi Salomonis potest exponi & verificari primò de Virgine Maria. Secundò , de tota Ecclesia. Tertiò , de anima cujuslibet fidelis. Nam *Rex Salomon* & pacificus Christus *fecit sibi lec-* C *tulum* & ferculum & Tabernaculum maternum *ex lignis* candidissimis & purissimis *Libani* , scilicet ex carne setina incorruptibili , quam ante animationem sanctificavit ; & ex animâ cedrina , veneni serpentis fugativa , quam in illa carne creando sanctificavit , & omnibus gratiis & virtutibus ornavit ; & totam illam personam in eodem instanti creationis *unguento myrrhæ* suæ passionis perunxit: quia illa gratia , quâ anima Virginis fuit in principio sui esse sanctificata & infusa , ipsi data fuit ex meritis passionis Christi.

Et ideo peccatum naturæ non potuit in persona Virginis Mariæ transire: quia per gratiam illa fuit prævenia , & D per consequens numquam culpæ originali fuit personaliter obnoxia. Et sic fuit maxima differentia inter Mariam & Christum : nam Christus fuit solus inter mortuos liber , non solum in personâ , sed etiam in naturâ : quia non ex opere Adam conceptus est , sed opere Spiritus sancti. Sed quia Virgo Maria fuit concepta ex opere Adam naturali generatione ; ideo fuit obnoxia & obligata simul cum cæteris in naturâ : sed quia fuit prævenia per gratiam sanctificantem in sua creatione & animatione ; ideo numquam fuit obnoxia , nec obligata in personâ : quia quamdiu fuit individuum & persona humana , semper fuit in gratiâ , & sem- E per fuit spirituale Tabernaculum Dei, & Sponsa Christi : quia antè fuit Sponsa quàm Mater ; & antè concepit Christum mente , quàm carne , ut inquit *Augustinus*.

Item , *Virgo Maria* fuit illud *ferculum* & *lectus* , quem Salomon ornavit , & in quo fecit *columnas argenteas* septem donorum Spiritus sancti , & *reclinatorium aureum* humilitatis , in quo Christus reclinavit : quam humilitatem Deus respexit , & per quam humilitatem in ea voluit reclinari : & in ea fecit Christus *ascensum purpureum* omnium virtutum : & totam illam animam F Virginis *constravit mediâ charitate* & dilectione : & omnia illa ornamenta dedit Christus Virgini Matri suæ *propter filias Jerusalem* , id est , propter omnes animas fideles & devotas , ut aspiciant in Virginem Mariam tamquam in speculum , & imitentur & consequantur eam per omnes virtutes , & in sanctitate vitæ &c. Et ideo Salomon in isto Cantico non solum exhortatur filias Jerusalem , ut egrediantur ad videndum Christum incarnatum , & sequantur & recipiant eum ; sed etiam ut videant Virginem Matrem , quæ *coronavit* & vestivit eum carne , & in quâ reclinavit Christus propter ejus humili- G tatem & charitatem. Ideo monet , ut eam imitentur &c. Item , per hoc *ferculum* & *lectulum* , quem Salomon fecit ex lignis Libani intelligitur etiam Ecclesia Christi toto orbe diffusa : quam Christus *ex* duobus *lignis Libani* , scilicet ex duobus populis , adunavit , & myrrhâ & unguento odorifero suæ passionis perunxit. In qua *fecit* septem *columnas argenteas* in die Pentecostes , quibus tota Ecclesia sustentatur ; & in ea reclinatur per humilitatem , & eam *media charitate constravit* ; & *ascensum purpureum* septem Ecclesiasticorum Sacramentorum ordinavit : quæ quidem septem Ecclesiastica Sacramenta dicuntur *purpurea* : eò quòd sanguine Christi H sunt purpurata, ex cujus passione habent totam virtutem & merita. Tota ergo Ecclesia Christi dicitur *lectulus* & *ferculum* & *Tabernaculum*, quod sibi Christus fabricavit & ornavit & decoravit. Et hæc dicta sint de quarto Cantico.

*** *** ***
*** *** ***
*** *** ***

CAN-

CANTICUM QUINTUM.

A

Quam pulchra es amica mea,
Quam pulchra es!
Oculi tui columbarum,
Absque eo quod intrinsecus latet.
Capilli tui sicut greges caprarum,
Quæ ascenderunt de monte Galaad.
Dentes tui sicut greges tonsarum,
Quæ ascenderunt de lavacro,
Omnes gemellis fœtibus,
Et sterilis non est inter eas.
B
Sicut vitta coccinea, labia tua.
Et eloquium tuum, dulce.
Sicut fragmen mali punici,
Ita & genæ tuæ,
Absque eo quod intrinsecus latet.
Sicut turris David collum tuum,
Quæ ædificata est cum propugnaculis:
Mille clypei pendent ex ea,
Omnis armatura fortium.
C
Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli,
Qui pascuntur in liliis,
Donec aspiret dies, & inclinetur umbræ.

Quàm pulchra es &c. Hoc est quintum Canticum, in quo Salomon cantat patrimonium & dotem ipsius Ecclesiæ Sponsæ Christi, quo Christus dotavit Ecclesiam Sponsam suam. Unde postquam in superiori quarto Cantico cantavit Salomon pulchritudinem Christi Sponsi Ecclesiæ; jam in hoc quinto Cantico cantat pulchritudinem Ecclesiæ Sponsæ ejus, prout prævidit in spiritu per prophetiam *Balaam*, *Numer.*24. Ex qua quidem prophetia assumpsit Salomon propositionem & parabolam ad faciendum istud quintum Canticum.

D

Ad cujus intellectum est notandum: quòd duo fuerunt, qui præviderunt ornatum & prosperitatem Ecclesiæ Christi per ornatum & prosperitatem illius populi peregrinantis per desertum cum Arca. Quorum primus fuit *Balaam*, secundus *Moyses*. Ideo ambo benedixerunt illum populum in figura & persona Ecclesiæ Christi: unde legitur *Numer.*23. & 24. quòd videns *Balac* Rex Moabitarum multitudinem populi Israel venientem ad terram suam, fecit venire *Balaam* ariolum & magum ad maledicendum illum populum. Sed cum *Balaam* immolasset septem vitulos & septem arietes in monte *Phogor*, facta fuit ipsi revelatio à Domino de toto discursu & prosperitate illius populi usque ad Christum, ex illo populo nasciturum. Unde per prosperitatem & ordinem illius exercitus cum Arca peregrinantis per desertum, prævidit futuram prosperitatem, & ornatum, & pulcritudinem spiritualem Ecclesiæ Christi, & ejus victorias & triumphos, & universale regnum Christi. Ideo in persona & figura Christi benedixit illum populum & exercitum, dicens:

E

F

Quàm pulchra tabernacula Jacob, & tentoria tua Israel! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui: ut tabernacula quæ fixit Dominus. Quasi cedri prope aquas fluet aqua de silva ejus. Semen ejus erit in aquas multas. Item infra subdit: *Orietur stella ex Jacobi & consurget virga de Israel, & percutiet filios Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus. Hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel verò fortiter aget. De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis &c.*

In quibus verbis *Balaam* prædixit totum discursum & prosperitatem illius populi, & futurum regnum Christi ex illo populo nasciturum, prout sibi à Deo fuerat revelatum in illo sacrificio. Unde per hoc quod dicit: *Quàm pulchra tabernacula &c.* prævidit, qualiter ille populus debebat capere totam terram *Moab* & transire Jordanem, & capere totam terram promissionis &c. Item, per hoc quod ait: *Videbo illum, sed non modò: Intuebor illum, sed non prope: Orietur stella ex Jacob &c.* prædixit propheticè ortum Christi ex illo populo secundum carnem, & prædixit ejus regnum universale, & triumphos & victorias ejus futuras de populo Judaico & Gentili. & omnia ista prænotavit *Balaam* in illa benedictione.

G

Sed tunc insurgit grande dubium. Nam quomodo potuit *Balaam* tam grande mysterium videre ex divina revelatione, cùm ipse esset ariolus, & magus, & necromanticus, & sacrificaret dœmonibus?

H

Ad hoc respondetur: quòd licet *Balaam* esset Magus: tamen in illo sacrificio non sacrificavit dœmonibus, sed Deo Israel. Unde mos & consuetudo erat apud magos & sacerdotes Gentilium, quando erant in terrâ alienâ, sacrificare diis indigenis & illius patriæ, ut patet per totum *Virgilium*. Et sic legitur: quòd mul-

multi Gentiles invocabant Deum Iſrael, in aliqua neceſsitate. Unde legitur *Jonæ primo*: quòd quando nautæ laborabant in periculo tempeſtatis, acceſsit gubernator ad *Jonam*, dicens: *Surge, & invoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, ne pereamus &c.* Item, *Nabuchodonoſor* expertus mirabilia quæ fecerat Deus Iſrael in eo, invocavit ipſum; & confeſſus eſt ipſum eſſe ſuper omnes Deos. Item *Cyrus* multa donaria dedit ipſi *Zorobabel*, & *Eſdræ* pro fabricâ Templi, ut ille populus oraret Deum Iſrael pro eo in illo Templo &c. Ita ergo pariter audiens *Balaam* mirabilia quæ fecerat Deus Iſrael in Ægypto, & in mari Rubro, & in toto deſerto pro illo populo ſuo; inde eſt quòd volens priùs ſcire voluntatem Dei Iſrael antequam malediceret, ſacrificavit Deo Iſrael illos ſeptem vitulos & arietes. Sed auditâ voluntate Domini, & revelatâ ſibi proſperitate & diſcurſu illius populi, & quomodo erat figura regni Chriſti ex illo populo naſcituri: ideo aſſumptâ parabolâ, dixit: *Quam pulchra &c.*

Ex quibus patet, quòd *Balaam* non ſacrificavit dœmoniis, nec quæſivit ab eis reſponſum in illo ſacrificio, ſed à Deo Iſrael. Et ſic à Domino Deo Iſrael habuit revelationem de Chriſto futuro, & de proſperitate Eccleſiæ: & ſic ex parte Dei benedixit Chriſtum & Eccleſiam in illo populo, aſſumptâ parabolâ. Et ideo dixit *Balaam* ad *Balac*: *Non potero præterire ſermonem Domini Dei mei, ut vel boni vel mali quid proferam ex corde meo. Sed quicquid Dominus dixerit, hoc proferam &c.* Et ponitur ibi Nomen Domini *Tetragammaton*, quod ſoli Deo vero convenit. Ex quo patet, quòd verus Deus eſt ille qui revelavit ipſi *Balaam* futurum regnum Chriſti & Eccleſiæ. Item, hoc idem patet *Deuter.* 23. quando ait Moyſes ad populum: *Et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotomia Syriæ, ut malediceret tibi: & noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eò quòd diligeret te &c.* Ex quibus patet, quòd *Balaam* conſulit Dominum Deum Iſrael in illo ſacrificio, an malediceret illi populo. Sed quia Deus revelavit ei proſperitatem & diſcurſum illius populi uſque ad Chriſtum, & ex inde revelavit ipſi univerſale regnum Chriſti & proſperitatem & pulchritudinem Eccleſiæ: ideo propheticè benedixit illum exercitum, dicens: *Quàm pulchra tabernacula Jacob &c.*

Sed Salomon multo perfectus & clarius per eandem benedictionem & verba ipſius Balaam prævidit in ſpiritu totam proſperitatem, & pulchritudinem, & ornatum Eccleſiæ Chriſti in bonis ſpiritualibus: & ideo fecit iſtud quintum Canticum, aſſumendo parabolam primo ex benedictione *Balaam* factâ in monte *Phogor*. Secundo ex benedictione *Moyſi* factâ in monte *Abarim*, ante quam moreretur: eò quòd utraque benedictio fuit figura benedictionis, & proſperitatis, & dotationis Eccleſiæ Chriſti. Et ideo Salamon primò cantat decorem & dotationem Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, ſumendo parabolam & benedictionem ipſius Balaam. Secundò ex benedictione ipſius Moyſi. Secunda ibi: *Vadam ad montem myrrhæ.* Et hoc facit ſub metaphora pulchræ mulieris decenter ornatæ & dotatæ.

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd quatuor ſunt quæ reddunt mulierem pulchram & amabilem Sponſo. Primò pulchritudo corpis, quæ conſiſtit in optimâ diſpoſitione membrorum. Secundò ſuavitas eloquentiæ & facundiæ. Tertiò decentia apparatus & ornatus, quæ conſiſtit in decentia veſtium, & monilium. Quartò, in ſuavitate & redolentia odoramentorum aromaticorum. Iſta ergo quatuor ſupradicta reddunt mulierem pulchram & amabilem, & Sponſo deſiderabilem.

Sed iterum eſt advertendum, quòd licèt Sponſus mundanus poſsit dotare & ditare Sponſam ſuam in duobus ultimis; ſcilicet, in copiâ ornamentorum, & copiâ odoramentorum, eò quòd ſunt bona fortunæ: tamen non poteſt eam dotare in duobus primis; ſcilicet, in pulchritudine corporis, & ſuavitate eloquentiæ, eò quòd ſunt bona naturæ. Sed Chriſtus Sponſus ſpiritualis Eccleſiæ in omnibus quatuor ſupradictis dotavit & ditavit & decoravit Eccleſiam Sponſam ſuam: eò quòd ipſam regeneravit, & ex ſuo latere peperit. Et ſic non ſolum ipſam ornavit veſtibus ſpiritualibus; ſed etiam per ſingula membra diſpoſuit, & regeneravit. Et ideo Salomon introducit Chriſtum in hoc Cantico alloquentem, & decorantem, & dotantem Eccleſiam Sponſam ſuam, commendando eam de quatuor bonis ſupradictis. Sed quia Deum aliquem commendare, nil aliud eſt niſi ipſum commendatum & bonum facere; quia dicere Dei eſt facere: ideo Chriſtus commendando Eccleſiam ſuam, dotat, & ditat, & pulcrificat, & ornat eam in bonis ſupradictis.

Duo ergo facit Chriſtus principaliter in hoc Cantico. Nam primò commendando Eccleſiam Sponſam ſuam, dotat & beatificat ipſam in duobus primis; ſcilicet, in pulchritudine corporis, quæ conſiſtit in optima & decenti diſpoſitione membrorum, & in ſuavitate eloquentiæ. Secundò, dotat eam in duobus ultimis;

mis; ſcilicet, in ornatu veſtium, & monilium, & in ſuavitate odoramentorum. Secunda pars incipit ibi: *Vadam ad montem myrrhæ.* A

Quantum ergo ad primum eſt advertendum ſecundum Apoſtolum 1. *ad Corinthiorum* 12. & *ad Epheſ.* 4. quòd ſicut unus homo naturalis conſtat ex diverſitate membrorum officialium ſub uno capite, à quo totum corpus recipit omnem ſenſum & motum per ſpiritus animales: ita pariter univerſa Chriſtiana Religio, ſive tota Eccleſia conſtat ex diverſitate ſtatuum & conditionum omnium Fidelium ſub uno capite Chriſto, à quo recipit omnem virtutem & vitam & operationem ſpiritualem. Unde ſicut caput naturale influit in totum corpus & univerſa membra ſenſum & motum ad omnes operationes naturales, & dirigit & regit totum corpus ſimul, & particulariter omnia membra: ita pariter Chriſtus influit ſuam virtutem in totum corpus Eccleſiaſticum, & ſingulariter in omnia membra ad operandum ſpiritualiter & meritoriè. Et hoc in tantum, quòd ſicut membra hominis naturalis nihil poſſunt facere, nec operari ſine capite, & virtute ejus; ita pariter Eccleſia, & quodlibet ejus membrum, nullam operationem ſpiritualem poteſt exercere ſine Chriſto, à quo habet omnem ſpiritualem virtutem; in tantum quòd *nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto*, id eſt, niſi inſpiratus per Chriſtum. Item dicit rurſum *Apoſtolus* ibidem; quòd ſicut membra hominis naturalis ſunt adinvicem connexa & conneceſsitata; ita quòd unumquodque membrum officiale indiget operâ & officio alterius ad perfectionem ſui officii & operationis (nam manus indiget officio pedum, & pedes officio manuum, & pedes & manus officio ventris, & ſic de ſingulis; ſed totum corpus indiget officio oculorum, & aurium, & totius capitis; & tamen unumquodque iſtorum membrorum habet ſuum officium proprium; quæ quidem membra vivificantur in uno corpore ſub uno capite, ex quibus omnibus reſultat unus homo naturalis:) Ita pariter Chriſtus caput Eccleſiæ taliter diſpoſuit Eccleſiam ſuam in diverſitate membrorum, quòd alios fecit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Doctores, alios Virgines, alios continentes, alios conjugatos, alios Prælatos & Epiſcopos, alios Presbyteros, alios Diaconos &c. Et ſic unus Chriſtus verus operatur omnia in omnibus iſtis, & per omnes iſtos tamquam per ſua membra myſtica. Et ſic *Apoſtoli* dicuntur *Chriſti*, in quantum Chriſtus per ipſos peragravit totum orbem ad prædicandum Euangelium. Et dicuntur omnes etiam *lingua Chriſti*, in B C D

quantum per ipſos prædicavit, ut patebit. Unde Chriſtus erat ille qui loquebatur in ore Apoſtolorum, & qui dabat eis os ad loquendum, & oculos ad videndum, & intellectum ad intelligendas ſacras Scripturas, prout dixit eis, *Matth.* 10. *Dum ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur iv vobis &c.* E

Ex quibus omnibus concludit Apoſtolus: quod ſicut omnia membra corporis naturalis non ſunt unum membrum, ſed multa ſe invicem adunantia; nec eundem actum habentia, ſed plures ſe coexigentes, ſed omnia ſunt unum corpus: ita nos ſumus adinvicem membra. Et ita tota Eccleſia conſtans ex diverſitate membrorum, & diverſorum ſtatuum & officiorum, eſt unus Chriſtus myſticus; eò quòd vivificatur & regitur ab uno capite Chriſto, & quia unus Chriſtus verus eſt qui operatur omnia in omnibus membris ejus. Unde ſicut Sol per ſuum influxum & virtutem operatur in omnibus iſtis inferioribus; ita Chriſtus in omnibus membris Eccleſiæ. Et ſic iſta Eccleſia ſortitur diverſa nomina ſub Chriſto. F

Unde in quantum recipit omnem virtutem à Chriſto, & Chriſtus operatur & exercet virtutes ſuas in ea, & per eam, dicitur *Corpus Chriſti*; & quilibet ſtatus, & quilibet fidelis dicitur *membrum Chriſti*, & omnes ſimiliter dicuntur *membra Chriſti.* Sed in quantum tota Eccleſia exivit de latere Chriſti, ſicut Eva ex Adam, ſumus os ex oſsibus Chriſti, & caro ex carne ejus, ut inquit *Apoſtolus ad Ephe.* 5. & maximè quia Chriſtus quotidie regenerat filios, & multiplicat prolem ſpiritualem ex Eccleſia per baptiſmum; & Eccleſia nutrit eos per Eccleſiaſtica Sacramenta: ideo dicitur *uxor Chriſti.* Unde dicit *Apoſtolus* ibidem, quòd Chriſtus valde diligit Eccleſiam ſuam tamquam uxorem: quia eſt os ex oſsibus ejus & caro ex carne ejus, ſicut Eva ex Adam. G

Nam illud quod dicitur *Geneſ.* 2. *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro ex carne mea: propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una &c.* licèt fuerit carnaliter completum in Eva: tamen fuit *magnum ſacramentum*, quod poſtea fuit ſpiritualiter completum in Chriſto & Eccleſia. Quia ex latere Chriſti exivit ſanguis & aqua, unde habent efficaciam & virtutem omnia Sacramenta Eccleſiaſtica, per quæ regenerantur fideles, & nutriuntur continuè, & multiplicata eſt tota Eccleſia. Et ſic tota Eccleſia dicitur *os ex oſsibus Chriſti*, quantum ad firmos & perfectos fideles; & di- H

ci-

citur *caro ex carne Christi*, quantum ad infirmos & imbecilles. Sed satiùs dicitur *os ex ossibus* quantum ad fidem Articulorum, & *caro ex carne* quoad gratiam Sacramentorum. Nam tam fides Articulorum, quàm gratia Sacramentorum exivit ex latere Christi, quando exivit sanguis & aqua, ut ait *Joann. in sua Canonica 1. cap. 5.* dicens: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis*: ista enim tria præbuerunt nobis testimonium fidei, quòd Christus erat verus homo, & fuit verè passus & mortuus pro Ecclesia sua Sponsa. A

Item ibidem in Cruce Christus dimisit Patrem quantum ad apparentiam: quia quasi derelictus à Patre voluit pati & mori; & dimisit Matrem commendatam Discipulo: & ideo non appellavit *matrem*, sed *mulierem*, notificando quod non erat ibi, nec patiebatur in cruce, tamquam Filius naturalis Mariæ, & tamquam homo particularis; sed tamquam Sponsus Ecclesiæ & Redemptor universalis. Et sic dicit *Apostolus* & *Augustinus*, quòd *Christus ibi reliquit Patrem & Matrem, & adhæsit Ecclesiæ uxori suæ, quam ex suo latere edidit, & facti sunt duo in carne una, quadam mysticâ & sacramentali & indissolubili unione.* Ex quâ uxore Christus continuè regenerat & multiplicat & nutrit & sanat prolem suam per Ecclesiastica sacramenta. Et isto modo Ecclesia dicitur *uxor Christi* valde dilecta secundùm *Apostolum* & *Augustinum* Tertio autem modo tota Religio Christiana, sive Ecclesia, dicitur *Sponsa Christi* dilecta: & hoc dupliciter. Primò in quantum Christus eam sibi in Baptismo desponsavit, & ipsa illi integram & inconcussam fidem promisit. Secundò, in quantum Christus eam ditavit, & varietate ornamentorum spiritualium decoravit. Unde de primo dicit *Apostolus 2. ad Cor. 11. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* De secundo autem dicitur *Psal. 44. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.* Item *Psalm. 67. Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus ejus dividere spolia &c.* Item *Isai. 61. Gaudens gaudebo in Domino: & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: & indumento justitiæ circundedit me: quasi Sponsam decoravit me corona, & quasi Sponsam ornatam monilibus.* B C D

Ex omnibus supradictis patet, qualiter Ecclesia inter cætera sortitur ista tria nomina: quia dicitur *Corpus Christi*, in quantum est constituta pulchra & bene dispositа varietate membrorum officialium: secundò, prout processit ex latere Christi, & Christus continuè ex ea regenerat prolem, dicitur *uxor Christi*: sed dicitur *Sponsa*, in quantum Christus ipsam summè diligit, & eam magnis ornamentis decoravit & ditavit. Omnia ergo supradicta prævidens Salomon in spiritu maximè contemplando *Psalmum* 44. & 67. & cæteros Psalmos David Patris sui, confecit hoc Canticum quintum, & cætera sequentia, in quibus dotat & commendat Ecclesiam Sponsam suam in pulchritudine, & optima dispositione membrorum, & in pulchritudine & varietate ornatus, & perfusione odoramentorum. E

Iterum est advertendum: quòd Christus sicut successivè ornavit & decoravit Ecclesiam Sponsam suam secundùm diversos status & gradus; ita pariter successivè commendat eam in residuo hujus libri secundùm diversos status & gradus. Ideo in hoc quinto Cantico commendat eam pro statu Apostolorum & Discipulorum ante passionem suam. In octavo autem Cantico commendat eam pro statu Apostolorum, & omnium fidelium immediatè post resurrectionem. In nono autem commendat eam pro statu pugnæ Martyrum & Religiosorum & Doctorum. In ultimo autem commendat eam pro statu prosperitatis & pacis post conversionem Constantini. F

Item rursus est advertendum: quòd Christus bis ornavit Ecclesiam suam. Primo in principio suæ ostensionis, quando elegit sigillatim omnes Apostolos & Discipulos, & misit eos ad prædicandum. Secundò immediatè ante passionem, quando instituit Sacramentum Eucharistiæ, & dedit Apostolis potestatem conficiendi illud Sacramentum. G

Et ideo duo facit Salomon in hoc Cantico. Nam primò introducit Christum decorantem Ecclesiam suam in principio suæ ostensionis. Secundò, introducit eundem Christum ornantem eandem Ecclesiam suam immediatè ante passionem suam. Ibi: *Vadam ad montem.*

Quantum ad primum est advertendum: quòd Christus non solùm ornavit Ecclesiam suam, sed etiam primò formavit eam, & parturivit, & produxit eam de latere suo, & regeneravit per Baptismum, & disposuit & distinxit eam in varietate membrorum, quando in principio elegit Apostolos & Discipulos, & baptizavit eos. Et tunc ornavit eam & decoravit, quando tradidit potestatem Discipulis, & misit eos ad baptizandum, ut patet. *Matth. 10.* & *Lucæ 9. & 10.* Tunc enim Christus dedit Ecclesiæ suæ in Apostolis & Discipulis oculos, & capillos, & dentes, & labia, & collum, & ubera, & cætera membra. H

Hoc ergo prævidens Salomon, memorat in hac parte octo membra Spon-

sæ Christi. Et introducit Christum commendantem Ecclesiam Sponsam suam in optima dispositione istorum octo membrorum, quæ sunt ista, scilicet oculi, capilli, dentes, labia, eloquium, genæ, collum, ubera: per quæ quidem membra intelligit octo status, sive officia Ecclesiæ. A

Unde per *oculos* intelligit Apostolos & Prælatos Ecclesiæ, quibus Christus revelavit secreta sua: per quos quidem Apostolos Ecclesia videt mysteria sacræ Scripturæ tamquam per oculos. Per *capillos* intelligit populos: nam sicut capilli descendunt & procedunt & dependent à capite, & multiplicantur in magnum numerum: ita populi fideles descendunt, & dependent à Christo Capite Ecclesiæ, & multiplicantur in magnum numerum per regenerationem baptismalem. Item per *dentes* intelligit eosdem Apostolos, & Prælatos, & Doctores, & Prædicatores Ecclesiæ: per quos Ecclesia masticat & ruminat & digerit intelligentiam sacræ Scripturæ tamquam cibos spirituales ipsius animæ. Item, per *labia* intelligit primò eosdem Apostolos & Doctores, qui prædicarunt & prædicant populis doctrinam Euangelicam: & ex consequenti intelligit populos fideles, qui confitentur fidem Articulorum, & veritatem Euangelicam. Et per *eloquium dulce* intelligitur ipsa veritas Euangelica, quam Apostoli prædicaverunt, & prout ipsa Ecclesia Catholica confitetur. Item etiam per *eloquium dulce* intelliguntur officia Ecclesiastica, & orationes fidelium, quæ fiunt in Ecclesia. Item per *genas* intelliguntur viri Religiosi, & Virgines, & continentes, in quibus consistit honestas Ecclesiæ. Item per *collum* intelliguntur Prælati Ecclesiæ, qui positi sunt in turri Ecclesiæ tamquam supra *turrim David* ad speculandum, ne veniant inimici Ecclesiæ ad invadendum eam: de quibus dicitur *Ezech.* 3. & 33. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.* Item per *duo ubera* Ecclesiæ *similia duobus gemellis capreæ* intelliguntur duo Testamenta, quorum lacte & doctrinâ nutriuntur fideles. Et etiam per *unum uber* intelligitur fides Articulorum, sive doctrina sacræ Scripturæ: & per *aliud* intelligitur gratia Sacramentorum: quibus duobus uberibus tota Christiana Religio fruitur, & crescit, & nutritur in hac peregrinatione. Sub tali ergo dispositione membrorum decoravit & formavit Christus Ecclesiam Sponsam suam. B C D

Ipse enim Christus dedit *oculos columbinos* Sponsæ suæ, quando dixit Apostolis: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, Matth.* 10. Item, ipse dedit illi copiam capillorum, quando dixit ibidem: *Messis quidem multa; operarii autem pauci:* & *Joann.* 4. quando dixit: *Videte regiones, quia albæ sunt ad messem.* Item, tunc dedit Christus *dentes* Ecclesiæ ad ruminandum & suggerendum, quando dixit: *Veniet Spiritus veritatis, & docebit vos omnem veritatem, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis, Joann.* 14. Item, quando aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas, *Lucæ* 24. Item, tunc dedit eis *labia coccinea* ad loquendum eloquium dulce; quando dixit eis: *Dum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, Matth.* 10. Item, tunc dedit Christus Ecclesiæ *genas* rubeas ad præbendum bona exempla honestatis populo, quando dixit Apostolis: *Vos estis sal terræ: quod si sal evanuerit, in quo salietur?* & *Vos estis lux mundi*, præbendo, supple, exemplum vitæ & doctrinæ. Item, tunc Christus dedit Ecclesiæ *collum* & *turrim* fortitudinis ad tolerandos, & repellendos incursus inimicorum, quando dixit: *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum. Nolite timere eos qui occidunt corpus &c.* Item, tunc Christus dedit Ecclesiæ *duo ubera* ad lactandos fideles, quando dixit Petro. *Pasce oves meas &c. Joann.* 21. Et sic patet, qualiter Christus disposuit & decoravit Sponsam Ecclesiam varietate membrorum secundùm exigentiam suam: & qualiter reddidit ipsam pulchram, & sufficientem, nec deficientem in necessariis. E F G

Et de hac pulchritudine, & sufficientia, & optimâ dispositione commendat eam Christus in hoc quinto Cantico, dicens: O *quam pulchra es amica mea* Sponsa, in dispositione membrorum, supple. Et *quam pulcha es*, in apparatu & ornatu vestimentorum & odoramentorum, supple. Et notanter dicit bis, *quam pulchra*; scilicet, ut unum referatur ad dispositionem membrorum, & alterum ad ornatum vestimentorum & odoramentorum, ut patebit. Et ideo quoad primum subdit: *Oculi tui columbarum*, id est perspicaces, & penetrantes mysteria sacræ Scripturæ, sicut oculi columbarum: Quasi dicat: Apostoli & Prælati & Doctores, per quos vides tamquam per oculos, sunt perspicaces & penetrativi sicut *oculi columbarum*: quia *quæcumque audivi à Patre meo, nota feci eis*; & ista scientia quam dedi eis, non est inflata & superba & leonina; sed humilis, & columbina: & non dedi Apostolis & Doctoribus meis oculos leonum superborum; sed oculos simplicium columbarum. H

Sed quia ista simplicitas & humilitas

latebat in mente & conscientia Apostolorum (quia scientia eorum erat non inflata, sed cum interiori humilitate & A bona intentione & charitate) ideo subdit: *Absque eo quod intrinsecus latet.* Quasi dicat: *Oculi tui* intellectuales sunt subtiles & perspicaces sicut columbæ: non cum tumore superbiæ; sed cum humilitate & charitate in conscientia latente. Et ideo nolui eligere ad Apostolatum Philosophos & Imperatores, sed simplices & Piscatores: ut non per Philosophos lucrarer Piscatores; sed per Piscatores lucrarer Philosophos & Imperatores. Et infirma, & abjecta, & humilia hujus mundi elegi, ut fortia & superba quæque confunderem & vincerem.

Deinde cum dicit: *Capilli tui &c.* B comparat *capillos*; id est, populos Ecclesiæ Sponsæ Christi, *gregibus caprarum*, quæ generantur & multiplicantur in *monte Galaad.*

Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est in Expositione *Cantici Moysi*, & legitur *Num.* 32. quòd in *monte Galaad*, & in tota terra *Basan*, quæ adjacet juxta montem Galaad, generantur & multiplicantur magis greges caprarum, quàm alibi: sicut accidit quòd una regio aut terra est magis apta ad generationem quorumdam animalium, quàm altera. Ita & illa regio est apta & uberrima pascuis pro animalibus alendis & generandis: ideo petierunt eam *filii Ruben* in sortem, tamquam majores, ut patet *Numeri* 32. Ideo Sponsus comparat *capillos*, id est, populos Ecclesiæ C Sponsæ suæ *gregibus caprarum*, *quæ ascenderunt de monte Galaad.*

Unde est advertendum, quòd in Hebræo ponitur unum Verbum quod significat *calefieri in generatione*; ubi dicitur: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ calefiunt de monte Galaad.* Quasi dicat, quòd populi tui sunt multiplicati in magnum numerum per totum orbem terrarum per generationem baptismalem, sicut *greges caprarum* per calorem coitus carnalis multiplicantur in monte Galaad: & idem sensus est. Nam populus Christianus *ascendit* & multiplicatus est in magnum numerum per Baptismum, sicut capreæ *ascenderunt* & creverunt in D magnum numerum in monte Galaad per generationem carnalem.

Deinde cum dicit: *Dentes tui sicut greges tonsarum*: comparat *dentes* hujus Sponsæ (qui sunt Apostoli & Prædicatores, & Euangelistæ, & Doctores) gregibus ovium ejusdem regionis.

Unde est advertendum: quòd quia illa regio est calida; greges ovium balneantur & lavantur in aquis illius planitiei Basan: & dum oves sunt lotæ, ascendunt ad montem Galaad; & cæteros montes circumadjacentes, & sic fiunt albissimæ & pingues: & sic tam oves, quàm E capreæ sunt valde generativæ, & sic multiplicant prolem & generationem in magnum numerum; in tantum quòd nulla est sine prole: immò dicitur quòd pariunt geminos fœtus, ultra consuetudinem ovium & caprarum aliarum regionum. Et ideo in duobus comparat *dentes* Ecclesiæ gregibus caprarum & ovium illius regionis. Primò in albedine & mundicia. Secundò in fæcunditate & ubertate prolis. Dicit ergo: *Dentes tui* (qui sunt Apostoli & Euangelistæ & Doctores & prædicatores) sunt albissimi & mundi *sicut greges tonsarum*, id est, ovium, *quæ ascenderunt de lavacro* & balneo F in æstate in illa regione: & sunt fæcundæ in generatione, in tantum quòd omnes sunt fæcundæ duobus *gemellis*: quia quælibet earum parit duos gemellos: & *nulla est sterilis* sine prole *inter illas.* Quasi dicat: quòd ita fuerunt Apostoli & Euangelistæ, & Doctores, & Prædicatores in primitiva Ecclesia, scilicet, mundi & purificati per Christum ex lavacro Baptismali; & ita fœcundi per dona gratiarum, quòd nullus fuit sterilis & sine fructu inter eos: quia unusquisque eorum non solum convertit unam Provinciam per suam prædicationem, sed etiam duas, vel tres.

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd sicut in homine naturali sunt dentes anteriores, qui dicuntur *incisorii* ad scindendum; & sunt alii collaterales, G qui dicuntur *molares*, ad molendum & terendum & ruminandum cibum materialem: ita pariter Ecclesia Sponsa Christi habuit dentes anteriores in principio, scilicet, Apostolos & Euangelistas, qui inciderunt nobis sacram Scripturam in quatuor Euangelia, & Epistolas, & Canonicas, & Actus Apostolorum, & Apocalypsim. Sed postea dati sunt Ecclesiæ dentes posteriores & molares; scilicet, Doctores, & Prædicatores, qui contriverunt, & digesserunt, & glossarunt, & declararunt, & ruminarunt nobis totam doctrinam Euangelicam, Apostolicam quam illi priùs inciderant. Et sic nullus illorum fuit sterilis & sine fructu; immò quilibet il- H lorum talentum sibi à Christo traditum germinavit; & omnes reversi sunt ad Christum *portantes manipulos suos*, sicut Christus dixit eis: *Ego misi vos ut eatis & fructum afferatis &c. Joann.* 15. Sed quia ipsi Apostoli & Euangelistæ & Doctores & Prædicatores & Prælati non solum sunt dentes Ecclesiæ ad scindendas & ruminandas sacras Scripturas, sed etiam sunt labia ad loquendum & prædicandum doctrinam Euangelicam & Apostolicam populis fidelibus; ideo subdit:

Sicut vitta coccinea labia tua, Unde-

de *labia* Apostolorum & Euangelistarum, & omnium Doctorum dicuntur *coccinea:* quia numquam fuerunt sine rubedine, & A ardore, & igne charitatis: quia *finis totius legis est charitas.* Et sic omnes loquebantur cum rubedine charitatis. Ideo dicuntur habere labia coccinea. Unde sicut rubedo *cocci* sive *Alquermes* decorat labia pulchræ mulieris: ita rubedo charitatis decorat totam sacram Scripturam; nec potest esse aliquis bonus, nec ejus opus meritorium, nisi fundetur & procedat à charitate, & tendat in charitatem. Et ideo *eloquium* talium labiorum dicitur *dulce*, & generat dulcedinem in animo audientium cum fide & charitate attendentium. Et quia tota sacra Scriptura procedit à talibus labiis, & B inter talia labia versatur & ruminatur; ideo dicit *David Psalmo* 113. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* Item *Psalm.* 18. *Desiderabilia super aurum, & dulciora super mel & favum.* Et hoc intendit innuere Sponsus, cum ait: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*

Deinde cum dicit: *Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ;* commendat Sponsam suam Ecclesiam quoad statum Religionis & honestatis, sive de Religione & honestate, quâ debet nitere & pollere principaliter omnis Prælatus & Religiosus, & ex consequenti omnis fidelis: quæ quidem Religio & honestas maximè ostenditur in genis, & in eru- C bescentia genarum.

Ad cujus intellectum est notandum, quòd genæ sunt illæ partes vultus, quæ sunt immediatè sub oculis tenentes nasum in medio; & sic sunt partes anteriores & nudæ; quas partes natura pilis non cooperit, sicut cæteras partes capitis. Nam natura cooperit verticem capitis capillis, & texit tempora & maxillas pilis barbæ in viris; & tamen dimisit solas genas nudas sine pilis: ut per barbam ostendatur fortitudo, & gravitas, & authoritas in viro; & per genas circumquaque, sive ad latera contectas, ostendatur veritas & honestas in eo quoad conversationem.

Unde genæ sunt nuntiæ, & quasi D speculum cordis, & interioris intentionis quoad gaudium, & lætitiam, & tristitiam, & timorem, & audaciam, & veritatem. Nam quando quis gaudet in corde, ridendo ostendit gaudium in genis. Et quando tristatur, demissis genis incipit flere; & sic ostendit in genis dolorem cordis. Et quando timet mortem, illico genæ hominis pallescunt, eò quòd sanguis fugit ad tegendum & subveniendum cordi. Sed si timet infamiam, tunc genæ erubescunt quodam leni rubore, eò quòd sanguis exit ad superficiem genarum, volens quasi eas cooperire, ne E lædantur aliquâ infamiâ. Item, quando quis nil timet, & loquitur veritatem; tunc loquitur vultu sereno non mutato; cujus oppositum facit quando loquitur mendacium. Et sic patet, qualiter genæ sunt speculum honestatis, & veritatis totius hominis. Et ideo natura reliquit eas nudas; sed circuntexit eas pilis capitis & barbæ in viris: Sed quia fœminæ non habent barbam; ideo nutriunt comam & crines capitis ut possint tegere tempora & maxillas ad circuntegendas genas. Et postquam sunt nuptæ, consuetudo & natura docet quòd velent & tegant caput & collum & maxillas artificialiter cum pannis lineis aut sericis: ut solus vultus, scilicet oculi, & genæ, F & os maneat nudus ad exercenda officia eorum, putà, oculi advidendum, & os ad loquendum & gustandum, & nares ad odorandum, & genæ ut sint speculum supradictorum, scilicet veritatis & honestatis. Et ideo dicit Salomon in persona Christi in hac parte, quod sicut ista Sponsa Christi habet oculos, qui sunt Apostoli, & Prælati, & Doctores: ita similiter habet genas, qui est Prælatorum status & Religiosorum, in quibus tamquam in speculo ostenditur veritas & honestas Christianæ Religionis; & debent esse speculum Religionis, & honestatis, & veritatis in vita & doctrina; ut exemplo & doctrinâ eorum cæteri mo- G veantur ad credendum, & bene operandum. De quibus dicit Christus, *Matth.* 5. *Vos estis sal terræ:* &, *Vos estis lux mundi &c.*

Et ideo comparat statum Prælatorum & Religiosorum, & totius Christianæ Religionis ad *fragmen mali punici*, sive granati per medium secti: primò, quia continet multa grana sub quodam ordine congregata & situata. Secundò, quia omnia illa grana sunt undique una pelle contecta, præter illam partem mediam. Tertiò, quia illa grana ostendunt faciem rubeam. Quartò, quia talia sunt intrinsecus sicut extrinsecus quoad ruborem & saporem: quia talia H sunt illa quæ latent, sicut illa quæ apparent in superficie fragminis. Talis ergo erat illa Sponsa Christi, scilicet Ecclesia Apostolorum in principio; & talis debet esse omnis Prælatus, & quælibet Religio. Nam primò tota illa multitudo erat sub uno Pastore Christo ordinata: & postea sub Petro. Secundò omnium *erat anima una, & cor unum in Deo,* ut patet in *Actibus Apostolorum.* Item tertiò, quia omnes rubebant & fervebant rubore & igne charitatis. Quartò, quia quales erant in vultu & ore exterius, tales erant interiùs in corde, & econverso. Et ideo *ibant gaudentes à*

conf-

conſpectu concilii : quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati, non timentes minas Principum, dicentes: A *Magis oportet obedire Deo, quàm hominibus*, *Actuum* 5. Et ſic Prælati & Religioſi debent eſſe *ſicut fragmen mali granati*: ſcilicet, vivere ſub una communitate, & ordinata Religione, & oſtendere honeſtatem in facie, & veritatem in ore ad exemplum aliorum; & debent rubere non ſolum rubore charitatis non fictæ, ſed etiam rubore erubeſcentiæ & verecundiæ in facie: id eſt, debent cavere & erubeſcere peccare, ne oculos divinæ majeſtatis offendant, & ne proximis & inferioribus exemplum peccandi & ſcandalum præbeant: eò quòd ſunt poſiti tamquam ſpeculum & lumen ſuper candelabrum: quibus dixit Chriſtus: *Sic* B *luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*, *Matth.* 5. Et ſic etiam non ſolum Prælatus & Religioſus, ſed etiam quilibet Chriſtianus debet erubeſcere peccare; non ſolum ne offendant Deum, ſed etiam proximum, ipſum ſcandalizando: quod maximè eſt in Prælatis & Religioſis & Eccleſiaſticis attendendum. Ideo dicit Auguſtinus *in Sermone de Communi vita Clericorum*: quòd *bona opera ſunt facienda propter nos & conſcientiam noſtram: ſed bona fama obſervanda eſt propter vos, & exemplum veſtrum.* Et ſic patet, qualiter ſtatus Prælatorum & Religioſorum C ſunt *genæ Eccleſiæ* Sponſæ Chriſti: & qualiter ſunt *ſicut fragmen mali punici.*

Et ideo Chriſtus volens commendare Sponſam ſuam Eccleſiam quoad religionem & honeſtatem, quæ maximè viguit in Apoſtolis, & Doctoribus, & Martyribus, & Sacerdotibus in primitiva Eccleſia, dicit: O Sponſa, *ſicut fragmen mali punici* eſt bene ordinatum & rubicundum: ita & genæ tuæ, ſcilicet, Apoſtoli & Euangeliſtæ, Prælati & Religioſi, & omnes Chriſtiani ſunt rubicundi rubore charitatis & erubeſcentiæ & honeſtatis & veritatis. Sed quia talis honeſtas non eſt ficta nec palliata, ſed vera & intrinſeca, talis in corde, qualis in facie; ideo ſubdit: *Abſque eo quod intrinſecus latet*, ſcilicet ultra rectam intentionem & affectum charitatis latentem in corde. D

Deinde cum dicit: *Sicut turris David collum tuum &c.* comparat ſtatum Prælatorum, & Apoſtolorum, & Doctorum ipſi *turri David.*

Ad cujus intellectum eſt notandum ut legitur 2. *Reg.* quòd *David* ædificavit turrim altiſsimam in monte Sion, ut eſſet ſpecula ad prævidendum de longe inimicos venientes contra Civitatem Jeruſalem, & munivit ipſam copiâ armorum & propugnaculorum in defenſionem E Civitatis, & ut omnes confugerent ad eam, & ſalvarentur tempore neceſſitatis & belli. Per quam quidem turrim figurabatur ſtatus Apoſtolorum, & Prælatorum, qui ſunt poſiti altiores in gradu dignitatis & ſcientiæ, tamquam ſpeculatores ad prævidendos inimicos Eccleſiæ; ſcilicet, Infideles & Hæreticos. Et ideo armavit eos Chriſtus armis & propugnaculis ſpiritualibus, quæ ſunt arma virtutum, & dona Spiritus ſancti ad repellendos incurſus Infidelium & Hæreticorum. Et ideo dicuntur *collum Eccleſiæ.* Nam ſicut collum eſt altior pars corporis ſub capite, per quod deſcendunt omnes vires capitis, & ſenſus, & mo- F tus à capite ad omnia membra inferiora: ita ſunt Apoſtoli & Prælati altiores immediatè ſub capite Chriſto; per quos deſcendit omnis poteſtas, & vires ſpirituales à Chriſto capite in cætera membra corporis Eccleſiaſtici & myſtici. Item, ſicut ſpeculator erigit collum ad videndum de longe, & ſpeculandum inimicos, & res longinquas: ita pariter Eccleſia tamquam erigens collum per Prælatos & Prædicatores prævidet, ut caveat mala futura. Item, ſicut caput, in quo ſunt oculi, ponitur ſupra collum, ut prævideat loginqua: ita oculi Eccleſiæ ſunt ſupra Prælatos & Prædicatores ad providendum mala futura, & precavendum G nociva. Et ſic patet, qualiter Prælati, & Doctores, & Prædicatores ſunt *collum Eccleſiæ*, altiores in ſcientiâ, & dignitate, & poteſtate, ſimiles turri David ad prævidendas & præcavendas inſidias, & incurſus inimicorum & Infidelium & Hæreticorum. De quibus dicitur *Ezech.* 30. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael.*

Et ideo dicit Chriſtus: O Sponſa, *collum tuum* eſt altiſſimum & fortiſſimum in eminentia dignitatis & ſcientiæ, & ſapientiæ, & poteſtatis: Et munitiſſimum *ſicut turris David* in armis ſpiritualibus virtutum & donorum; *quæ* quidem *turris eſt ædificata cum propugnaculis*, ad propugnandum contra inimicos: & *omnis armatura* hujus turris Eccleſiæ eſt H armatura non debilium, ſed *fortium*: quia armatura Eccleſiæ non timet eos qui ſolùm occidunt corpus; ſed tantum timet Dominum, qui poteſt animam occidere & mittere in gehennam. Ideo Apoſtoli & Martyres non timebant Reges & Præſides mundi: nec verbera carnificum: eò quòd armatura eorum erat *armatura fortium*, & inexpugnabilis turris: quæ quidem armatura ſunt dona Spiritus ſancti.

Deinde cum ſubdit: *Duo ubera tua &c.* oſtendit, qualiter Eccleſia Sponſa Chriſti non ſolum eſt turris inexpugna-

bi-

bilis, & habet armaturam fortium ad repellendos incursus & insidias inimicorum; sed etiam habet *duo ubera* ad alendos & nutriendos & lactandos fideles filios. Quæ quidem ubera sunt duo Testamenta; scilicet novum, & vetus, quorum lacte lactat & nutrit *duos binnulos gemellos*; scilicet, duos populos sub una fide Christi congregatos: scilicet Ecclesiam ex utroque populo, Judaico, & Gentili sub una fide conversam. Item etiam habet Ecclesia *dua ubera*, scilicet, uber & mammillam doctrinæ sacræ Scripturæ, & uber gratiæ Sacramentorum: ex quorum uno sugunt fideles lac fidei Articulorum; & ex altero lac gratiæ Sacramentorum. Et ista sunt *duo ubera* Ecclesiæ, quibus lactat & nutrit duos filios *gemellos*, scilicet, ex utroque populo conversos: & etiam lactat *duos binnulos gemellos*: scilicet perfectos, & infirmos. Unde in primitivâ Ecclesiâ isti *duo gemelli*, scilicet, pars populi Judaici, & major pars populi Gentilis venerunt ad fidem, qui lactati sunt & nutriti isto duplici ubere. Et ideo dicit: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ*, id est, abundantia in lacte, sicut duo ubera capreæ duos gemellos lactantia & nutrientia. Et comparat ubera Ecclesiæ uberibus capreæ, eò quòd inter cætera animalia maximè abundant lacte: & comparat, & appellat istos duos populos *gemellos*, eò quòd antiquitùs descendunt ex una matre *Eva*; & ab una uxore *Noe*; & nunc sunt regenerati ax una capra, scilicet, ex una Ecclesia per Christum, & regenerationem baptismalem.

Sed quia iste modus nutriendi filios Ecclesiæ per lac fidei articulorum, & gratiæ Sacramentorum durat per totum diem & tempus gratiæ; scilicet, à primo adventu Christi, in quo incæpit ista dies aspirare, & durabit usque ad finem mundi, in quo desinet iste dies gratiæ, & succedet dies æternus gloriæ (qui quidem dies gratiæ finietur in vespere mundi, cujus finis dicitur *nox*, eò quòd ampliùs non erit tempus operandi; nec merendi, sed præmium recipiendi, ut ait Salvator, *Joann. 9. Oportet operari dum dies est: veniet autem nox, quando nemo poterit operari.*) Ideo dicit Sponsus, quòd isti duo gemelli *pascuntur in liliis* & rosis sacræ Scripturæ: & *in liliis* gratiæ Sacramentorum; non in æternum, sed *donec aspiret dies*: id est, dum duret iste dies gratiæ: & *inclinentur umbræ* finalis Judicii: quia postea pascentur isti duo gemelli pabulo æternæ fruitionis & gloriæ. Et sic patet pulchritudo & optima dispositio membrorum hujus Sponsæ Christi: de qua pulchritudine commendat eam in hac prima parte.

SECUNDA PARS CANTICI quinti.

Vadam ad montem myrrhæ,
Et ad collem thuris.
Tota pulchra es amica mea,
Et macula non est in te.
Veni de Libano Sponsa mea,
Veni de Libano, veni:
Coronaberis de capite Amana,
De vertice Sanir & Hermon,
De cubilibus leonum,
De montibus pardorum.
Tulnerasti cor meum soror mea Sponsa,
Vulnerasti cor meum
In uno oculorum tuorum,
Et in uno crine colli tui.
Quam pulchræ sunt mammæ tuæ,
Soror mea Sponsa!
Pulchriora sunt ubera tua vino,
Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.
Favus distillans labia tua Sponsa,
Mel & lac sub lingua tua:
Et odor vestimentorum tuorum,
Sicut ador thuris.
Hortus conclusus soror mea Sponsa,
Hortus conclusus, fons signatus.
Emissiones tuæ,
Paradisus malorum granatorum
Cum pomorum fructibus.
Cypri cum nardo,
Nardus & crocus,
Fistula & cinnamomum
Cum universis lignis Libani,
Myrrha & aloe
Cum omnibus primis unguentis.

Fons

Fons hortorum : puteus aquarum viventium, A
Quæ fluunt impetu de Libano.

V. *Adam ad montem myrrhæ.* Hæc est secunda pars hujus quinti Cantici. In quo Christus dotat, & decorat Ecclesiam Sponsam suam ornamentis spiritualibus, & odoramentis aromaticis; & hoc prout Salomon prævidit in spiritu contemplando mysteria, quæ fecit Moyses ante mortem suam in figura Christi.

Ad cujus intellectum est valde advertendum: quòd Moyses Dux illius populi, cui omnia contingebant in figura B Christi, duos actus inter cæteros fecit immediatè ante mortem suam, dum fuit propinquus morti in fine sui ducatus, ut patet in *Deuteronomio.* Nam primò congregavit majores natu illius populi in *campestribus Moab* juxta Jordanem, & recitavit, & rememoravit eis omnia beneficia & miranda, quæ Deus eis fecerat in illis quadraginta annis per totam illam peregrinationem ab exitu Ægypti usque ad illum locum: & commemoravit eis omnes rebelliones, & ingratitudines, quas commiserant contra Deum, & commissuri erant successivè in futurum usque ad extremum tempus, in qua infidelitate & malitia erant mansuri. & ideo comminativè prædixit eis per multas maledictiones eorum obstinatorum finalem punitionem; & confecit illud Canticum; C scilicet: *Audite cœli quæ loquor.* In quo prædixit eorum finalem obstinationem, & punitionem, & damnationem, & finaliter populi Gentilis substitutionem & conversionem, ut patet in fine Cantici, cum dicit: *Laudate Gentes populum ejus,* prout ibi fuit declaratum. Hoc autem facto, *Moyses* ex Dei præcepto ascendit in *montem Abarim*, & exinde speculatus est totam terram promissionis, ut patet *Deuteron.* 32. quâ consideratâ & visâ, benedixit duodecim tribubus prædicendo eis bona futura, ut patet, *capit. sequent.* scilicet 33.

De quibus duobus actibus contrariis valde admirati sunt & admirantur Magis- D tri Hebræorum. Admirantur enim, quòd Moyses cum tanta vehementia maledixerit illum populum, & comminatus fuerit tam gravem punitionem, & bonorum privationem in illo Cantico; & postea immediatè cum tanto affectu benedicat eis per singulas tribus in *capitulo sequenti.*

Ad quod respondent: quòd quia Moyses prævidit rebelliones & apostasias eorum, & idololatriam futuram; ideo primò comminatur malis & idololatris: sed finaliter benedixit bonis & fidelibus præsentibus & futuris. E

Sed iste intellectus est manifestè falsus & insufficiens: nam in fine Cantici maledictis Israelitis, benedicit populum Gentilem. Item, illæ maledictiones omnes & punitiones perserverant hodie in toto illo populo, qui putat servare Legem Moysi, & abominatur omnem idololatriam. Quæ quidem punitio omnes eos comprehendit, tam bonos, quàm malos; quia omnes perseverant in hac captivitate & miseria per 1486. annos post Christum.

Et ideo est dicendum: quòd cæcitas & malitia eorum impedit eos ne intelligant sacramenta Dei in illis mysteriis clausa. Unde *Moyses*, qui fuit verus F Propheta, non solum præxidit infidelitatem crebram illius populi, quam debebat committere contra Deum adorando idola, sed etiam prævidit ultimam obstinationem & rebellionem futuram contra Christum verum Messiam, quem Principes Sacerdotum & Pharisæi debebant crucifigere, & successores eorum in eadem obstinatione permanere in extremo tempore usque ad Judicium. Et ideo Moyses hoc prævidens in spiritu, non solum comminatur eis maledictionem temporalem propter idololatriam, quam continuè commiserunt usque ad destructionem primi Templi; sed etiam comminatur eis maledictionem & pœnam, tam temporalem, quàm æternam propter infidelitatem, quam commissuri erant con- G tra Christum Messiam suum in extremo tempore, in qua erant perseveraturi usque ad Judicium: & hoc patet per hoc quod dicit Moyses *Deuteron.* 31. *capit.* in fine maledictionum, & antequam pronunciet Canticum. Unde ait: *Novi enim, quod post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis cito de via quam præcepi vobis. Et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.* Ex quibus patet: quòd ista captivitas & punitio, quam patiuntur in hoc extremo tempore, & ultimâ ætate post destructionem secundi Templi, non inest eis H propter idololatriam; sed quia irritaverunt Deum, occidendo Christum Messiam suum, & semper irritant eum manendo in eadem obstinatione.

Sed promulgatâ istâ sententiâ Moyses ascendit in montem Abarim ex præcepto Dei, & speculatus est, & consideravit totam terram promissionis usque ad montem Libanum & Hermon, & Amana, & Sanir, & Galaad, & usque ad mare nostrum, & usque ad mare mortuum; in quo spatio erant collacandæ omnes tribus per sortes suas: & prævi-

dit qualiter in extremo tempore, scilicet in ultima ætate, Christus Messias illam terram totam debebat peragrare, prædicando, & miracula faciendo, putà, per totam terram Zabulon & Nephthali, usque ad radicem Libani, & trans Jordanem per terram Gad, & Manasse, & per terram Juda, & Ephraim; ex quibus duodecim tribubus Christus debebat regenerare duodecim Apostolos & septuaginta duos Discipulos, per quos erat multiplicanda tota Ecclesia toto orbe diffusa per regenerationem baptismalem: quæ quidem Ecclesia erat futura *verus Israel* secundum spiritum & promissionem.

Omnia ergo ista prævidens Moyses in spiritu considerando illam terram de monte Abarim, benedixit in spiritu prophetico duodecim tribubus Israel spiritualibus, quę ex illis duodecim Apostolis erant in Christo regenerandæ. Et sic patet qualiter Moyses in figura Christi in illo Cantico, & Capitulis præcedentibus comminatur maledictionem, & temporalem punitionem filiis Israel secundum carnem, & infidelibus Christi crucifixoribus. Sed *capit.* 33. benedixit tribubus & filiis Israel secundum spiritum per Christum & Apostolos regenerandis, prout Moyses prævidit in spiritu prophetico. Et sic illico post hæc Moyses mortuus est in illo monte, ut patebit in *Cantico sequenti*. Et sic tollitur & solvitur contrarietas quæ videtur in illis duobus actibus.

Et ideo *Moyses* non principaliter benedicebat illam terram promissionis materialem, quam oculis carneis distinctam per sortes videbat, sed benedicebat Ecclesiam Christi per illam terram figuratam, quam oculis propheticis & mentalibus toto orbe diffusam cernebat. Unde Moyses aspiciendo versùs Aquilonem ex *monte Abarim*, videbat, qualiter altissimus mons Libanus terminabat tamquam caput totam terram promissionis, ex cujus latere emanabat fluvius Jordanis, qui irrigabat totam terram promissionis, & fœcundabat eam usque ad mare mortuum: per quod prævidit in spiritu, qualiter Christus Messias in Lege promissus erat futurus caput & principium Ecclesiæ; ex cujus latere debebat emanare fluvius Baptismalis & virtus omnium Sacramentorum, qui debebat fœcundare & irrigare totam Ecclesiam Christi ad regenerandos fideles.

Item, per hoc quod illa terra erat tota circundata ab Oriente monte *Amana*, & *Sanir*, & *Hermon*, & *cubilibus leonum*, & *montibus Pardorum*, prævidit, qualiter Ecclesia Christi debebat angustiari, & infestari in principio à Judæis, & infidelibus, & tyrannis, & Imperatoribus idololatris, & hæreticis. Et per hoc quod videbat eam obsessam à Meridie deserto Arabiæ, prævidit, qualiter in medio temporis ab Arabibus & Saracenis erat affligenda. Sed per hoc quòd videbat illam terram ab Occasu obsessam mari nostro Mediterraneo, prævidit in spiritu, qualiter in fine temporis, & in occasu mundi Ecclesia erat affligenda per Anti christum.

Sed quia Deus dixit *Moysi*, quòd ipse vivus non poterat introire terram illam, sed post mortem ejus Josue debebat introire cum toto illo populo & obtinere illam terram &c. per hoc prævidit Moyses in spiritu, qualiter ante mortem Christi nullus poterat introire terram viventium; sed post mortem & resurrectionem Christi debebat introducere totum populum fidelem in terram viventium, & finaliter etiam per Apostolos & Martyres & Doctores debebat triumphare de Judæis, Imperatoribus, & Hæreticis, & omnibus Infidelibus. Sub tali igitur respectu consideravit Moyses totam illam terram promissionis, & considerando benedixit; scilicet, quia per illam benedixit Ecclesiam Christi futuram, quam illa terra figurabat. Sed nunc restat applicare figuram figurato.

Ad cujus intellectum est advertendum quòd Christus per Moysen figuratus, qui *non venit legem solvere, sed adimplere*, & verificare omnia gesta & dicta Patriarcharum & Prophetarum, eodem modo processit in sua peregrinatione hujus vitæ, sicut Moyses. Nam sicut Moyses per quadraginta annos duxit & minavit illum populum per desertum cum signis & portentis usque ad mortem suam: ita pariter Christus per quadraginta menses duxit populum suum, scilicet Ecclesiam Apostolorum & Discipulorum in hoc mundo, computando à die ostensionis suæ, scilicet Baptismi, usque ad passionem. Nam per tres annos & quatnor menses prædicavit, & peregrinatus est etiam post Baptismum, secundùm eos qui tenent, quòd primâ vel tertiâ Aprilis fuit passus. Et sic Christus per quadraginta menses fuit peregrinatus per totam terram promissionis, faciendo multò majora miracula quàm Moyses; scilicet, mortuos suscitando, & infirmos curando, & dæmones fugando, & ventis imperando: quæ fuerunt multò majora signa & miracula quàm Moysis, ut dictum fuit in Expositione *Psalm.* 28. & in *Tractatu contra Judæos*.

Item, sicut Moyses in fine suæ peregrinationis congregavit majores natu coram toto populo, & retulit totam Legem narrando omnia beneficia, quæ Deus fecerat illi populo; & comminatus est futuras maledictiones & punitiones

nes prævaricatoribus & transgressoribus Legis, sicut dictum est: ita pariter Christus in fine suæ peregrinationis ante mortem suam ascendit Jerosolymam, & videns civitatem sacrilegam & sui Messiæ homicidam, comminando eis futuram ruinam, *flevit super illam &c.* Et postea ingressus in Templum ejecit ementes & vendentes: & altera die congregatis majoribus natu; scilicet, Scribis & Pharisæis, & Principibus Sacerdotum, exprobravit eis iniquitates eorum: & comminatus est eis futuram punitionem temporalem & æternam propter infidelitatem, & ingratitudinem, & homicidium, ut patet *Matth.* 22. & 23. & 24.

Item, sicut Moyses post datam maledictionem & prænunciatam futuram punitionem illius populi rebellis ascendit in montem *Abarim* & consideratâ totâ terrâ promissionis benedixit duodecim tribubus secundùm spiritum & promissionem antequam moreretur, sicut dictum est: ita pariter Christus implendo illam figuram, & totam Legem, postquam comminatus est, & prænuntiavit futuram damnationem suorum crucifixorum, & omnium successorum obstinatorum, ascendit in montem *Sion* & factâ cœnâ cum discipulis, surrexit à mensâ, & lavit pedes eorum, & recumbens instituit Sacramentum Eucharistiæ, & tradidit seipsum eis sacramentaliter. Et postea habuit longum sermonem cum Discipulis, benedicendo eis, promittendo, & dando eis bona spiritualia; scilicet, pacem & charitatem & scientiam in hac vita, & promittendo futuram felicitatem, ut patet *Joann.* 13. *capit.* usque ad 17. inclusivè.

Ex quibus omnibus patet, qualiter omnia quæ fecit Moyses, fecit in figura Christi. Et qualiter Christus per omnia complevit, & verificavit omnia gesta Moysi, & omnium Prophetarum.

Salomon ergo prævidens in spiritu omnia ista mysteria Christi, figurata per supradicta gesta Moysi, fecit illud Canticum, introducens Christum ad loquendum in hac secunda parte Cantici: In qua Christus dotat, & decorat Sponsam suam Ecclesiam in Apostolis & Discipulis congregatam in die Jovis sanctâ, quando cœnâ factâ lavit pedes Discipulorum suorum; ubi ostendit eos pulchros & mundos in anima ab omni inquinamento post recessum Judæ: quibus tradidit Sacramentum Eucharistiæ tamquam mundis. Et postea in suo Testamento legavit eis suam pacem & charitatem, & omnia bona gratiæ, ut patet per illum longum sermonem; ubi ostenditur, qualiter dotavit & decoravit Ecclesiam Sponsam suam bonis spiritualibus, per vestimenta, & odoramenta, & fructus pomorum intellectis.

Dicit ergo Christus Sponsus Ecclesiæ: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: id est, ascendam in Jerusalem, qui dicitur *mons myrræ & thuris*: eò quòd ibi fiebant sacrificia & offerebantur oblationes, & adolebantur in altari thus, & myrrha, & tymiamata, & cætera odoramenta significantia passionem Christi. Et ideo appellat Christus Jerusalem *montem myrrhæ & thuris*, id est, passionis & sacrificii. In Hebræo autem habetur *Vadam ad montem Moria*, id est, ad montem ubi Abraham sacrificavit filium suum Isaac in voto, & arietem in effectu; quem montem appellavit, *In monte Dominus videbitur*, scilicet, sacrificari & immolari, supple, prout fuit declaratum in Expositione *Psal.* 47. & in plerisque locis. Dicit ergo Christus: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, id est, ad montem meæ mortis & passionis, quæ est Jerusalem. Hoc profectò dixit Christus post suam peregrinationem, quando assumpsit duodecim Discipulos secretò, & dixit illis: *Ecce ascendimus Jerosolymam: & Filius hominis tradetur ad flagellandum & crucifigendum*, *Matth.* 22. & *Lucæ* 18.

Deinde cum dicit: *Tota pulchra es amica mea*: commendando Sponsam suam, dotat & decorat & pulchrificat ipsam Christus munditiâ & pulchritudine spirituali, reddens ipsam puram & mundam, non habentem rugam neque maculam.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd Christus in die Jovis sanctâ, cœnâ factâ, surgens à cœnâ antequam instituere Eucharistiam, & traderet eam Discipulis, lavit pedes eorum: ut ostenderet munditiam & puritatem eorum; & quomodo nemo debet accedere ad tantum Sacramentum, nisi mundus ab omni maculâ & labe peccati, non solum mortalis, sed etiam venialis; & non solùm ab omni peccato in effectu, sed etiam in affectu & cogitatione. Et ideo lavit pedes eorum, per quos sensualitas & affectus & cogitatio significatur. Et ideo dixit eis: *Qui mundus est*, à peccato supple, in effectu, *non indiget nisi ut pedes lavet*, id est, sensualitatis affectum & cogitationem. Sed quia solus *Judas Scarioth* manebat in suo malo proposito tradendi, quem jam vendiderat; ideo subdit Christus: *Et vos mundi estis, sed non omnes*, ut patet *Joann.* 13. Et ideo postquam *Judas* filius perditionis recessit ab illa societate, tamquam membrum decisum, & alienum ab Ecclesia, tunc mansit illa societas & Ecclesia tota pulchra sine aliqua macula vel ruga. Et ideo re-

cedente illo, dixit Christus: *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo*, ut patet ibidem. Quasi diceret Christus: Nunc ista societas, scilicet Ecclesia Sponsa mea, manet clara & pura & pulchra sine macula. Et hoc dicebat Christus, quia tota Ecclesia consistebat in centum viginti personis justis & mundis, cujus Ecclesiæ Christus erat caput, & *Virgo Maria* primum membrum in puritate, & exinde *Apostoli* & *Discipuli* cum *Maria Magdalena*, & cæteris mulieribus: & sic tota erat pulchra Ecclesia sine macula. A

Et ideo dicit Christus in hoc Cantico: *Tota pulchra es amica mea*, quoad dispositionem membrorum secundum gradus dignitatis & officiorum, sicut dictum est. Et *tota es pulchra*, quoad ornatum virtutum: & *macula* peccati *non est in te*. Nam Christus caput hujus Ecclesiæ fuit immunis & liber, non solum in persona, sed etiam in natura, ab omni labe peccati: *Virgo* autem *Maria* fuit præservata in persona per gratiam ante lapsum: Cæteri autem omnes fuerunt mundati per circuncisionem in signum, & per Baptismum in re, prout dictum fuit in *Tractatu contra Judæos*. Et sic illa societas erat tota pulchra sine macula. B

Deinde cum dicit: *Veni de Libano*, explicat pulchritudinem hujus Sponsæ. Ad cujus intellectum est notandum secundùm quod dictum est: quòd tota illa terra promissionis erat figura Ecclesiæ Christi secundùm omnes suas partes, quas continet, & quibus clauditur. Nam *Libanus*, qui est in capite terræ promissionis, significabat Christum, qui est caput Ecclesiæ. Et fluvius *Jordanis* fluens & manans ex latere Libani, & discurrens, & irrigans, & fœcundans totam terram promissionis, figurabat Baptismum, & cætera Sacramenta Ecclesiæ irrigantia & fœcundantia totam Ecclesiam in fructibus & bonis spiritualibus. Et ideo sicut omnia bona terræ promissionis proveniunt ex Libano, & maximè per illam aquam fluvii Jordanis, ita omnia bona spiritualia proveniunt Ecclesiæ ex latere Christi, à quo fluxit sanguis & aqua in virtutem Ecclesiasticorum Sacramentorum. C D

Item, tria bona faciebat illa aqua Jordanis utilia in illa terra. Nam primò mundabat & lavabat sordes; quia sine aqua nulla sordes mundatur bene. Secundò, refrigerabat & resocillabat & fortificabat bibentes. Tertiò, fœcundabat terram in copia fructuum, & pomorum, & arborum. Ita ergo pariter aqua Baptismi, & virtus aliorum Sacramentorum tria bona faciunt in Ecclesia Sponsâ Christi. Nam primò mundant ab omni sorde peccati; scilicet, originalis, venialis, & mortalis. Secundò, roborant & fortificant ad resistendum & pugnandum contra carnem, & mundum, & diabolum. Tertiò, generant fructus virtutum & meritorum in anima. E

De istis ergo tribus bonis spiritualibus commendat Christus Ecclesiam Sponsam suam irrigatam flumine sanguinis sui lateris; & commendando dotat & decorat eam. Et primò commendat eam de munditiâ & puritate, quam adepta est per Baptismum & cætera Sacramenta ab omni peccato. Secundò, commendat de fortitudine & victoriâ, quam adepta est per Sacramentum Confirmationis, & alia Sacramenta. Tertiò, commendat eam de fructibus meritorum, & virtutum, quos adepta est per omnia Sacramenta. Secunda ibi: *Coronaberis*. Tertia ibi: *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ!* F

Quantum ergo ad primum est advertendum quod *Libanus* interpretatur *candidus* & *albus*; eò quòd semper candet & albet nivibus, à quo undique fluunt aquæ vivæ, maximè ex latere Meridionali, à quo fluit Jordanis; qui quidem mons significat Christum totum candidum, & immunem ab omni maculâ in persona & in natura: ideo ex ejus latere existit fluvius Sacramentorum, qui omnia mundificat à peccato, & albificat albedine virtutum. Et sic mundavit à triplici peccato, scilicet originali, actuali, & veniali. Et ideo Sponsus albificans Sponsam suam & mundificans ab isto triplici peccato, dicit: *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni*, id est, veni de Libano candidata per Baptismum, & mundata à culpâ originali in Adam perpetrata. Et veni de Libano à culpa actuali & mortali per pœnitentiam expurgata & dealbata: & veni de Libano ab omni veniali per Extremam-Unctionem mundificata & candidata. Item quia in Baptismo dantur nobis tres Theologales Virtutes, scilicet, fides, spes, & charitas, per quas anima redditur munda & candida; ideo ter vocat Sponsam, dicens: *Veni de Libano Sponsa mea*, scilicet, candida per fidem: & *veni de Libano* per charitatem, & *veni* per spem. G

Item, per Ecclesiastica Sacramenta consequimur tria bona, scilicet, fidem Articulorum, & gratiam Sacramentorum, & merita ex observantia præceptorum. Ideo vocat ter Sponsam ad recipiendum ista tria bona, dicens: *Veni de Libano Sponsa mea*, scilicet, per fidem Articulorum, & *veni* per gratiam Sacramentorum, & *veni* per observantiam præceptorum: quæ quidem tria bona proveniunt Ecclesiæ ex Libano, scilicet Christo capite & Sponso ejus, emanantia ex latere ejus, prout dictum est. Sed H

quia

quia Ecclesia Sponsa Christi veniens de Libano, non solum venit dealbata & mundata ab omni labe peccati, sed etiam venit armata fide & spe & charitate, quas accepit in Baptismo, & septem donis Spiritus sancti, quæ recepit in Confirmatione; & robore & augmento virtutum, quod accepit in Eucharistia; & cæteris Sacramentis, quibus adepta est coronam victoriæ, & triumphavit de mundo & carne & diabolo: ideo subdit Sponsus, dicens: *Veni, & coronaberis.*

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd corona dabatur agonizantibus & certantibus in ludis Megarensibus & Olympiacis, ut ait *Aristot.* 1. *Ethicorum*: & sic dicit *Apostolus* 1. *ad Timoth.* quòd *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*: & sic corona dabatur in signum victoriæ & triumphi: & sic ponitur hîc *coronari* pro triumphare. Sed quia Ecclesia talibus armis & virtutibus de mundo & carne & diabolo triumphavit: ideo dicitur, *Veni & coronaberis*, id est, triumphabis. Et ponuntur hîc quinque montes significantes metaphoricè quinque potestates, contra quas pugnavit, & de quibus triumphavit Ecclesia.

Ad cujus intellectum est advertendum, sicut supra dictum est: quòd sicut terra promissionis clauditur & obsidetur ab oriente quinque montibus, scilicet *Amana*, & *Sanir*, & *Hermon*: & *Galaad*, in quo sunt cubilia leonum, & versus meridiem clauditur deserto *Pharan*, in quo sunt montes Pardorum: ita Ecclesia per terram illam figurata fuit in principio & ortu suo infestata & obsessa quinque potestatibus & inimicis. Nam per *Amana*, quod interpretatur *angustians*, fuit figurata potestas Scribarum & Pharisæorum, & Principum Sacerdotum, qui in principio infestarunt Ecclesiam, ut patet in *Actibus Apostolorum.* Et per *Sanir*, quod interpretatur *lucerna*, sive *scientia*, figurabatur potestas Philosophorum, & omnium infidelium Gentilium, quibus fuit puncta & impugnata Ecclesia in principio. Item per *Hermon*, quod interpretatur *anathema*, fuit figurata potestas & iniquitas Hæreticorum, qui fuerunt excommunicati & separati ab Ecclesia, quam infestarunt & afflixerunt tempore Arianorum, & aliorum Hæreticorum. Et per *leones* intelliguntur Reges & Imperatores, qui Ecclesiam infestarunt tempore Martyrum. Item per *montes pardorum*, qui sunt in Arabia, intelligitur potestas Saracenorum, quæ habuit ortum ex Arabia, quæ supra modum infestavit & infestat Ecclesiam per totum orbem.

Sed quia de supradictis quatuor, scilicet, Judæis, & Philosophis, & Imperatoribus, & Hæreticis jam triumphavit Ecclesia, ut patet intuenti, & debet triumphare finaliter de pardis Saracenis secundùm Scripturas Prophetarum: ideo dicit Christus: *Veni de Libano Sponsa mea, veni, & coronaberis*, id est, triumphabis *de capite Amana*, id est, de culmine potestatis Sacerdotum, & Scribarum, & Pharisæorum: & *de vertice Sanir*, id est, de culmine potestatis & vepribus Philosophorum. Et *de Hermon*, id est, de Hæreticis anathematizatis: & *de cubilibus leonum*, id est, de Imperatoribus: & etiam *de cubilibus leonum*, id est, de templis idolorum, quæ erant cubilia, in quibus habitabant leones & dracones, *Isai.* 35. Et *coronaberis*, id est, triumphabis finaliter *de montibus* & regionibus *pardorum*, id est, Agarenorum: qui dicuntur pardi, eò quòd illa Hæresis est confecta ex diversis coloribus Hæresum, sicut dictum est in Expositione *Psalm.* 82. Triumphavit etiam Ecclesia *de capite Amana*, scilicet de peccato originali, quod est caput & principium primum: & *de vertice Sanir*, id est, de vepribus concupiscentiæ latentis in carne, quæ causat omne peccatum in voluntate per consensum. Et *de Hermon*, id est, de peccato actuali: quod separat hominem à Deo: & *de cubilibus leonum*, id est, de persecutoribus mundanis: & *de montibus pardorum*, id est, de Hæreticis pictis varietate mendacii. Isti ergo quinque montes, id est potestates, infestarunt & impugnarunt Ecclesiam successivè. Primò Judæi. Secundò Philosophi mundi. Tertiò Hæretici. Quartò Imperatores & Reges. Quintò Saraceni: de quibus triumphavit, & finaliter triumphabit Ecclesia.

Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa &c.

IN hac parte explicat Sponsus causam quare motus est ad amorem Sponsæ.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd quatuor sunt quæ reddunt mulierem pulchram & amabilem, & movent Sponsum ad amorem ejus. Primò, optima dispositio membrorum. Secundò, suavitas eloquentiæ & verborum. Tertiò, ornatus & decor vestimentorum. Quartò, suavitas odoramentorum. Quæ quidem quatuor per quandam excellentiam habet Sponsa Christi Ecclesia, quæ movent Christum ad amorem ejus. Unde optima dispositio membrorum Ecclesiæ est optimus ordo statuum, & graduum, & dignitatum, & officiorum: sicut sunt Patriarchæ, & Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Martyres, Doctores, Prælati, Sa-

Sacerdotes , Reges , Milites , Cives, Populares , Religiosi , Virgines , continentes , & conjugati , & singulariter unusquisque fidelis. Eloquia autem Ecclesiæ sunt sacræ Scripturæ utriusque Testamenti , & sacrorum Doctorum , & Prædicatorum , Prælatorum , & Sacerdotum. Vestimenta & ornamenta Ecclesiæ sunt virtutes & dona gratiarum , quæ dantur in Sacramentis. Odoramenta vero harum vestium sunt opera misericordiæ , & orationes & Officia Canonica, quæ sunt in Ecclesia : quæ quidem opera tam activa , quàm contemplativa procedunt ex virtutibus & donis gratiæ. Quæ ideò dicuntur *odoramenta* , quia ascendunt usque ad aures Dei , & delectant Deum , & trahunt proximum ad devotionem & imitationem. Est ergo Ecclesia Sponsa Christi pulchra in optima dispositione membrorum , & suavis in odore.

Et ista quatuor moverunt Christum Sponsum ad ejus amorem. Et hocintendit Salomon dicere in hac ultima parte hujus quinti Cantici. Dicit ergo primò sic : *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa in uno oculorum tuorum.* Ad cujus intellectum est notandum : quòd natura humana à principio usque in finem mundi semper habet duos oculos. Primus dicitur oculus fidei , quo fideles vident cœlestia spiritualia : & istum oculum habuerunt soli fidelis veteris Testamenti , scilicet Patriarchæ & Prophetæ , & cæteri fideles : quo oculo in spiritu videbant & credebant & expectabant , & continuè petebant Christum futurum Redemptorem , prout dictum est in *primo Cantico.* Et eodem oculo fidei præsens Ecclesia videt & credit Christum venisse , & mundum redemisse , & expectat eum ad glorificandam eam in secundo adventu. Iste ergo oculus fidei hujus Sponsæ vulneravit Deum , qui tactus dolore cordis descendit de cœlo in terram , sumens carnem ex Virgine , *ut audiret gemitus compeditorum , & solveret filios interemptorum , Psalm.* 101. Et eodem oculo fidei Apostolorum & Discipulorum vulneravit cor Christi ad patiendum mortem , cum dixit : *Majorem hac dilectionem nemo habet , ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et iste idem oculus fidei spe & charitate formatæ vulnerat & movet continuè Christum ad subveniendum Ecclesiæ Sponsæ suæ usque ad diem Judicii, quando veniet ad totaliter liberandum eam à tribulationibus hujus mundi. Et hoc intendit dicere Christus in hac parte : unde ait : O Ecclesia *Soror mea , tu vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum* , scilicet , uno oculo fidei Patriarcharum & Prophetarum & fidelium veteris Testamenti, quorum clamore ego inclinavi cœlos & descendi in terram in uterum Virginis. Et non solum vulnerasti cor meum isto oculo fidei tempore Patriarcharum & Prophetarum , ut venirem in carne ; sed iterum vulnerasti per fidem Apostolorum & Ecclesiæ novi Testamenti , ut paterer : & quotidie vulneras , ut eam liberem à malis temporalibus & spiritualibus , & veniam finaliter ad glorificandum eam.

Et non solum *vulnerasti me* in uno oculo fidei ; sed etiam *in uno crine colli tui.* Nam sicut humana natura habet duos oculos , scilicet , oculum fidei ad contemplandum spiritualia , & oculum naturalem & carnalem ad videndum temporalia ; ita pariter habet duos crines: videlicet duos populos à Deo dependentes , scilicet , populum fidelium , qui non solùm dependet à Deo per creationem, sed etiam per recreationem : & habet populum hominum terrenorum , qui solum dependet à Deo per creationem. Iste ergo crinis spiritualis & fidelis vulneravit Christum ad descendendum de cœlo in carne , & vulnerat quotidie , ut veniat per gratiam. Et ideo notanter repetitur ly *vulnerasti cor meum.* Nam primum refertur ad oculum & crinem fidei fidelium veteris Testamenti : & alterum ad oculum & crinem fidelium novi Testamenti. Hoc etiam potest referri ad *Virginem Mariam,*

Nam licèt omnes Patriarchæ & Prophetæ & Doctores sint oculi Christi & Ecclesiæ ad videndum & contemplandum spiritualia & Divina : tamen oculus Virginis columbinus fuit acutior , & perspicatior , & rectior , & humilior : quia acutiùs vidit secreta Divina , & cum majore innocentia & humilitate. Et ideo Christus respiciens hanc humilitatem summam in Virgine Maria , hinc est quòd magis inclinavit eum ut veniret in ipsam, quàm in aliam , prout dictum est in Cantico ejus , *Lucæ* 1. Et per hanc rationem Virgo Maria fuit crinis tam pulcher & honestus , quòd vulneravit Christum, & inclinavit ad amorem sui. Ideo notanter dicitur , *In uno crine colli tui.*

Nam sicut Christus dicitur *caput Ecclesiæ* : ita Virgo Maria dicitur *collum Ecclesiæ.* Nam sicut collum situatur immediatè sub capite , per quod descendit omnis sensus , & virtus , & motus ad alia membra hominis : ita Virgo Maria est immediatè post Christum , per quam descendunt omnes gratiæ à Christo in omnes fideles eam invocantes. Ideo dicitur Mediatrix inter nos & Christum, ut dictum est in Expositione Cantici Virginis.

In Hebræo autem habetur : *Vulnerasti me in uno monili colli tui.* Et tunc lit-

littera esset magis plana, referendo tam ad totam Ecclesiam, quàm ad Virginem Mariam. Nam *monilia* spiritualia sunt virtutes quæ decorant animam, imò totum hominem. Sed inter cæteras virtutes, quæ reddunt mulierem pulchram & amabilem, est humilitas cum charitate: & in hac Virgo Maria, & tota Ecclesia fidelium veteris Testamenti vulneravit Filium Dei, & fecit ipsum in carne venire. Deinde cùm dicit:

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ! &c.

OStendit quomodo non solum vulnerarunt, & moverunt Christum ad mortem oculus & crinis Sponsæ; sed etiam *mammæ* & ubera copiosa & dulcia: unde dictum est, quòd ubera Sponsæ sunt duo Testamenta: vel fides articulorum, & gratia Sacramentorum, quibus fideles nutriuntur. Nam sapor intelligentiæ sacræ Scripturæ delectat animam fidelium, & gratia Sacramentorum nutrit eos. Ista ergo duo ubera, quia sunt delectabilia *super aurum, & dulciora super mel & favum. Psal.* 18. Ideo delectant, & vulnerant Christum, & inclinant ut veniat ad nos. Dicit ergo Sponsus: O Ecclesia *Soror mea & Sponsa quam pulchræ sunt mammæ tuæ!* quoad dispositionem, & figuram, & plenitudinem, & copiam lactis doctrinæ sacræ Scripturæ, & gratiæ Sacramentorum: *Pulchriora*, id est, sapidiora *sunt ubera tua vino.*

Unde dicuntur *mammæ* quoad officium mammandi & sugendi, & in quantum suguntur: sed dicuntur *ubera* quoad copiam & ubertatem lactis: quod quidem lac doctrinæ, & Sacramentorum est sapidius vino, & magis inebriativum, in tantum quòd transformat amantem in amatum, & extasim facit secundum *Dionysium.*

Sed quia ista doctrina & gratia Sacramentorum sunt quædam unguenta odorifera, putà ad sanandum, & confortandum, & delectandum fideles: ideo subdit: *Odor unguentorum tuorum* est, supple, & redolet, & delectat *super omnia aromata.* Et non solum ista tua ubera sunt dulcia, & lac est sapidum, eò quòd odor unguentorum ipsorum est delectabilis super omnia aromata; sed etiam *eloquium tuum*, ò Sponsa, est suavissimum & dulcissimum: quia labia tua sunt sicut *favus distillans*: & *mel & lac* est & fluit continuè *sub lingua tua.* Nam labia hujus Sponsæ sunt Apostoli & Evangelistæ, & Doctores, qui distillaverunt nobis mel & lac, ut est doctrina Evangelica & Apostolica, & scriptura sacrorum Doctorum & Prædicatorum, quorum labia semper distillant mel & lac, de quibus David dicit *Psalm.* 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!*

Deinde cùm dicit: *Odor vestimentorum tuorum.* Ostendit, quòd non solum movent Christum ad diligendam Ecclesiam Sponsam suam ubera doctrinæ sacræ Scripturæ & gratiæ Sacramentorum; sed etiam *odor vestimentorum* ejus. Unde vestimenta Ecclesiæ, & cujuscumque animæ fidelis, sunt virtutes, ut inquit *Cicero* in *libro Officiorum*: quia virtutes sunt ornatus animi. Sed quia virtutes non cognoscuntur, nec redolent, nisi per operationes, quæ sunt fructus & effectus virtutum: ideo opera misericordiæ, & operationes cujuscumque virtutis dicuntur odoramenta virtutum & vestimentorum Ecclesiæ, & fructus omnium fidelium.

Sed ista odoramenta, & operationes virtutum sunt in duplici genere. Nam quædam dicuntur *operationes activæ*, sicut sunt opera misericordiæ corporalia, & etiam spiritualia. Aliæ autem dicuntur *operationes contemplativæ*: sicut meditationes & orationes Canonicæ, quæ fiunt in Ecclesia in officio tam diurno, quàm nocturno. Et etiam orationes particulares & privatæ, quæ privatè fiunt à quocumque fideli. Unde de bonis operibus & fama eorum dicit *Apostolus* 2. *ad Corinth.* 2. *Christi bonus odor sumus.* Et de odore orationum dicitur *Apocal.* 5. *Habentes singulas citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum: quæ sunt orationes Sanctorum.* Et talia odoramenta vestimentorum vulnerant Deum in corde, & inclinant eum ad nostras petitiones complendas. Dicit ergo Sponsus. O Sponsa, *odor vestimentorum tuorum* spirans ex vestimentis tuis, quæ sunt operationes virtutum & orationes, sunt mihi *sicut odor thuris.* Nam sicut odor thuris offertur soli Deo & ascendit sursum: ita oratio & Latria penetrat cor & aures Dei: & sic orationes, & bona opera sunt sicut odor thuris.

Deinde cum dicit: *Hortus conclusus soror mea.* Comparat Ecclesiam ad hortum & paradisum delitiarum, quoad fructus odoriferos. Nam sicut Deus à principio plantavit paradisum delitiarum plenum diversis arboribus fructiferis ad communem vitam hominum, & plantavit in medio lignum vitæ ad perpetuandam vitam, & fecit in eo oriri fontem, à quo emanant quatuor flumina, quæ irrigant totum paradisum: ita pariter Christus Deus incarnatus in suo adventu plantavit Ecclesiam suam ad instar illius paradisi: & sic ista Ecclesia per Christum plantata dicitur *hortus* undique igne charitatis conclu-

cluſus, quæ habet arborem vitæ, qui eſt Chriſtus in medio inter alias arbores, qui ſunt fideles. A cujus latere procedit A etiam fluvius *fons ſignatus*, & lanceâ militis apertus: qui quidem fons totam Eccleſiam per quatuor flumina Euangelica influit & irrigat, & cæteris arboribus refrigerium & nutrimentum & vitam præſtat.

Item *emiſsiones*, id eſt, virgulta & arbuſta naſcentia & germinantia in hoc horto, ſunt ſicut *paradiſus*, id eſt, hortus *malorum granatorum cum* omnium *pomorum fructibus*: & comparat fructus Eccleſiæ paradiſo, ſive horto *malorum granatorum* ratione multitudinis, & unitatis, & charitatis. Nam ſicut in malo B granato congregatur multitudo granorum rubeorum ſub una pelle ordinatorum: ita pariter in Eccleſia Chriſti congregatur multitudo fidelium charitate rutilantium ſub una fide ordinatorum: ſed gradus diverſorum ſtatuum ac dignitatum, ſicut dicitur in *Actibus Apoſtolorum*, quod illius multitudinis *erat cor unum in Deo, & erant eis omnia communia.*

Item ſubdit, quòd *emiſsiones*, id eſt, fructus emiſsi & nati in hoc horto Eccleſiæ non ſolum ſunt ſicut *paradiſus malorum granatorum* in multitudine cum unitate charitatis, & paradiſus cum malis granatis quoad multitudinem & unitatem: ſed etiam *cum* omnium alio- C rum *pomorum fructibus* quoad ſaporem & odorem virtutum.

Et iſta Eccleſia Sponſa Chriſti non ſolum eſt *hortus* malorum & pomorum, ſicut dictum eſt; ſed etiam hortus aromatum, ex quo, & in quo emittuntur & naſcuntur & generantur ſeptem aromata, ſive ſeptem arbores, ſive ſeptem plantæ aromaticæ, ſcilicet, *cypri cum nardo*, & *nardus & crocus*, & *fiſtula*, & *cynamomum cum omnibus lignis Libani* odoriferis & ſalutiferis: & *myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.* Per que quidem ſeptem aromata odorifera & ſalutifera intelliguntur ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ ſunt odorifera, in quantum conferunt gratiam & virtu- D tes in præſenti, & gloriam in futuro: & ſunt ſalutifera, in quantum purgant & liberant à morbo quocumque, & ægritudine peccati. Et germinatur *nardus* inter iſta ſeptem aromata: eò quòd eſt duplex nardus, quarum una non facit ſpicas, ſed ſolum herbam, & eſt fœminini generis: de qua dictum eſt in *ſecundo Cantico*: *Nardus mea dedit odorem ſuavitatis.* Alter autem dicitur *nardus ſpicatus* proferens ſpicas & grana, & eſt maſculini generis: de quo dicitur *Marci* 14. *Mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati pretioſi*: & ſic enumerantur ſeptem aromata in hoc Catalogo. Quorum primum dicitur *Cyprus*, E quæ eſt quædam vitis aromatica, ex cujus inciſione emanat balſamum, prout dictum eſt in *ſecundo Cantico.* Poteſt etiam per *cyprum* intelligi quædam radix aromatica, quæ dicitur *cyperus*, habens in radice multa grana quibuſdam foliis ad modum racemi colligata. Unde *cyperus* eſt ſpecies junci, quæ poſita ad ignem ſuavem odorem emittit: & ideo dicitur *cyperi* in numero plurali propter multitudinem granorum. Et forſan vitio ſcriptorum ponitur in hoc loco *cypri* pro *cyperi.* Secundum dicitur *nardus*, quæ eſt quædam herba ſpicata, aut ſine ſpicis, ut dictum eſt. Tertia herba aro- F matica dicitur *crocus*, in medio cujus floris ſiunt quædam fila rubea, quæ valent ad confortandum & lætificandum cor, & roborandas vires, & ad colorandum ferculum cibale, quod communiter & vulgariter *zafranum* appellatur. *Fiſtula* autem eſt caſia, quæ eſt medela ſuavis, dulcis, & lenitiva. *Cynnamomum* vero eſt ſpecies valde odorifera, & ſapida, & penetrativa guſtus & olfactus, & conſortativa cerebri: quam vulgares *canellam* appellam. *Myrrha* autem eſt quoddam gummi ex quadam arbore parva diſtillatum, ſicut ſupra in *ſecundo Cantico* dictum eſt; & hoc idem eſt dicendum de *Aloe.* Quæ quidem duo aromata licèt G ſint amariſsima; tamen ſunt odorifera, & ad medelam purgativa, & ab omni corruptione præſervativa.

Per ſupra ergo memorata ſeptem aromata intelliguntur metaphoricè ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta. Quæ quidem ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta ideo ſeptem ſupradictis aromatibus comparantur, eò quòd ſunt odoriſera, in quantum conferunt ſeptem virtutes, ſcilicet, tres Theologales, & confortant quatuor Cardinales: aut quia conferunt ſeptem dona Spiritus ſancti: & ſunt ſalutifera in quantum purgant ab omni morbo peccati: & ſunt etiam præſervativa ab omni putredine vitiorum. Bene ergo merito Eccleſia Sponſa Chriſti dicitur H *hortus concluſus*, & bene ſeptus & muratus charitate & divina protectione. Et dicitur etiam *fons ſignatus* ſigno vulnerum & plagarum Chriſti, à quo fluit iſte fons vitæ irrigans iſtum hortum & fæcundans ipſum, & faciens in eo creſcere ſupradicta aromata.

Et ideo ſubdit, quòd eſt *fons hortorum*, id eſt, irrigans hortos & arbores hujus horti: & eſt *puteus* & receptaculum *aquarum viventium*, *quæ* cum *impetu fluunt de Libano*, id eſt, de latere Chriſti. Unde ſicut aquæ quæ cum impetu fluunt de Libano non ſunt ſtagnales & immobiles, nec mortuæ, nec putridæ & morbidæ, ſed vivæ, & fontales,

&

& mobiles, & fructiferæ decurrentes per totam terram promissionis utiles ad fructificandum; & per consequens sicut terra promissionis est puteus & receptaculum omnium aquarum fluentium de Libano ex latere Meridionali: ita pariter Ecclesia est *puteus* & receptaculum omnium *aquarum viventium* fluentium & decurrentium ex latere & cæteris vulneribus Christi. A

Unde istæ aquæ Sacramentales fluentes ex latere & passione Christi, qui est verus Libanus, dicuntur *viventes*, in quantum vivificant & conferunt vitam gratiæ in præsenti, & vitam æternam in futuro. Et dicuntur fluere & decurrere *cum impetu* de isto Libano: quia cum impetu & violentiâ & dolore passionis & mortis & flagellorum & vulnerum emanarunt illæ aquæ ex corpore Christi, & continuè discurrunt per totam Ecclesiam ipsam irrigando & fæcundando. Et etiam dicuntur *cum impetu de Libano* istæ aquæ *fluere*, ratione copiæ & sufficientiæ: quia *fluminis impetus lætificat Civitatem Dei*: & *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, *Psal.* 45. Dicitur ergo Ecclesia *hortus malorum granatorum*, quantum ad multitudinem fidelium in ea sub una fide congregatorum: & dicitur *hortus* aliorum pomorum, quoad fructus nutritivos fidei articulorum: quia doctrina sacræ Scripturæ nutrit animam: Et dicitur *hortus* septem aromatum ratione septem Ecclesiasticorum Sacramentorum. Et dicitur *hortus conclusus*, in quantum fructus & aromata Ecclesiæ non exeunt extra Ecclesiam, nec nutriunt, nec vivificant infideles, qui sunt extra gremium & murum fidei Ecclesiæ: sed solùm nutriunt eos qui sunt intra Ecclesiam. Et per eandem rationem dicitur *fons signatus*, id est, clausus. Nam sicut aquæ Jordanis & ceteræ aquæ defluentes de Libano non exeunt extra terram promissionis, immò submerguntur in *mari mortuo* juxta *Hierichunta*, nec illæ aquæ proficiunt habitantibus extra terram promissionis: ita pariter aquæ Sacramentorum non exeunt, nec proficiunt Infidelibus & Paganis extra Ecclesiam. B C

Ex prædictis patet esse falsam & insufficientem & deceptoriam expositionem & intelligentiam *Rabi Salomon* in hoc Cantico, & cæterorum cæcorum modernorum Judæorum in hoc Cantico: qui dicunt, quòd Salomon in hoc Cantico in persona Moysi existentis in *monte Abarim* commendat terram promissionis de pulchritudine situs, & ubertate arborum, & fructuum, & aquarum, & de copia supradictorum aromatum, quæ crescunt in terra illa Israel materiali: quod manifestè deprehenditur falsum. Nam forsan in D

tota Syriâ, & Assyria, & Mesopotamia, & Media, & Persia non est pars aliqua terræ ita misera & sterilis, & sicca, & inaquosa sicut est illa terra Chanaam: nam non habet nisi aquam Jordanis, quæ solum prodest habitantibus in ejus ripa usque ad Mare mortuum Sodomorum, ubi demergitur. In cæteris autem partibus non habet nisi aquas pluviales & cisternales: & quia rarò pluit in illa terra, ideo frequenter laborant fame & inedia propter sterilitatem. Et ideo frequenter fugiunt in Ægyptum & alias terras finitimas propter inediam & indigentiam panis & aliorum ciborum: ut patet de *Abraham*, & *Isaac*, & *Jacob*, qui descendit in Ægyptum cum filiis & nepotibus suis tempore famis. E

Item manifestum est, quòd istæ arbores aromaticæ, quæ hîc commemorantur non crescunt nec germinantur in tota illa terra Chanaam, sed in sola Arabia, & India, & Æthiopia. Miseri ergo & ceci Judæi non percipiunt, qualiter Deus non promisit illam terram Patribus veteris Testamenti in præcisum præmium, sed in figuram Christi, sicut dictum est frequenter in *Expositione Psalmorum*, & in *Tractatu contra Judæos, quæstione* 3. Quia in illa terra non fluit tanta copia mellis & lactis, & aliorum bonorum, sicut dicitur *Deuter.* 8. immò est maxima penuria omnium istorum: sed tunc illa terra fluxit melle & lacte Euangelico, quando Christus prædicavit, & miracula fecit, & legem exposuit, & dona Spiritus sancti Apostolis dedit, & passionem & mortem passus est, & operatus est salutem nostram in illa terra, ex qua doctrina Euangelica, flumen lactis & mellis Ecclesiasticorum Sacramentorum derivatum defluxit per totum orbem terrarum, & per totam Ecclesiam: & hoc est quod Deus promittebat Patribus veteris Testamenti observantibus illam legem sub protestatione & Fide Christi venturi. Et hanc terram benedicebat in spiritu Moyses de monte Abarim ante mortem suam, sicut supra dictum est. F G

Unde si præcisè Deus promisisset illam terram Moysi, & cæteris Patribus propter observantiam Legis, maximam injuriam feciisset Deus Moysi, qui præ cæteris servabat Legem, & obedivit Deo: & tamen Deus non permisit eum in eam intrare, cùm permiserit innumeros alios pravos introire: & ideo miseri Judæi non percipiunt, qualiter omnia illa contingebant illis in figura. Nam per hoc quod Moyses ante mortem non potuit introducere illum populum in terram promissionis, sed *Josue* successor introduxit eum post mortem Moysi, figurabatur, quod Lex & Prophetæ non pote- H

rant introducere homines in terram viventium, sed solus Christus post mortem & passionem suam, per *Josue* figuratus: & per consequens sola Lex Christi Euangelica per Ecclesiastica Sacramenta poterat justificare: quia *oportebat sic Christum pati & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam*, *Lucæ* 24. A

Hanc ergo terram spiritualem viventium per Christum conferendam desiderabat Moyses, & benedicebat, & commendabat ante mortem suam de monte Abarim: & hanc commendat Salomon in persona Christi in hoc quinto Cantico per metaphoram pulchræ mulieris, & paradisi, & horti conclusi, & fontis signati, eo modo quo dictum est: quæ quidem commendatio non fuit nisi quædam dotatio & decoratio, qua dotavit & decoravit Christus Ecclesiam Sponsam suam ante suam passionem. Nam tunc disposuit & decoravit eam pulchritudine, & optimâ dispositione membrorum, quando elegit duodecim Apostolos, & septuaginta duos Discipulos, & *misit eos in omnem Civitatem & locum, quo erat ipse venturus*, dando eis potestatem calcandi super scorpiones, ut patet *Matth.* 10. & *Lucæ* 10. B

Item, tunc decoravit & ornavit eam ornatu virtutum, & fecit eam hortum conclusum, & fontem signatum, & puteum aquarum viventium, quando in die cœnæ lavit pedes Discipulorum, & C instituit & dedit eis Sacramentum Eucharistiæ, conferendo eis potestatem conficiendi illud, & per longum sermonem exhortatus est eos ad perferendas persecutiones propter fidem, & reliquit eis suam pacem & charitatem, prout patet *Joann.* 13. usque ad 17. *capitulum* per longum sermonem. Ex dictis ergo in hoc Cantico quinto patet, qualiter Christus dotavit & ornavit & decoravit Ecclesiam Sponsam suam bonis spiritualibus ante passionem suam.

Est autem notandum secundùm *Augustinum* in *libro de Sancta Virginitate*: quòd si universa Ecclesia sit desponsata uni viro Christo, & cùm universa Ecclesia nihil aliud sit nisi congregatio omnium fidelium, & tota Religio Christiana: ergo unaquæque anima Christiana, & cujuscumque fidelis & justi, dicitur Sponsa Christi: & per consequens de qualibet animâ justi verificabuntur ea quæ dicta sunt in hoc Cantico, & cæteris, cùm unusquisque fidelium sit membrum Christi. Et ideo unaquæque anima justi est pulchra per Baptismum, & oculi ejus sunt columbini per fidei perspicacitatem, & humilitatem in credendo, *absque eo quod intrinsecus latet*, scilicet, cum recta intentione latente in conscientiâ: cujus *capilli* sunt virtutes, & *dentes* ejus sunt assidua meditatio, quâ ruminat intelligentiam sacræ Scripturæ die ac nocte. *Labia* ejus est sermo cum charitate prolatus: *Eloquium dulce* est salubris doctrina, vel oratio facta cum devotione, quæ maximè est Deo acceptabilis. *Genæ* vero viri justi est exemplum bonæ & religiosæ vitæ. *Collum* ejus est fortitudo, quâ tentationibus resistit. *Ubera* ejus sunt opera misericordiæ, tam corporalia, quàm spiritualia. D E

Sed quia anima justi omnia ista offert Deo in sacrificium, ideo dicitur *ascendere in montem myrræ & collem thuris*. Sed quia supradictæ virtutes sunt pulchritudo animæ, & reddunt eam pulchram & decoram; & quia nulla macula F peccati potest simul esse in anima cum charitate & cæteris virtutibus: ideo dicitur *tota pulchra* sine macula in tali statu. Et quia talis anima sic pulchra & sine macula est digna jungi Sponso suo Christo, inclinans in ipsum amorem suum: ideo vocat eam, dicens: *Veni de Libano*: scilicet candida per puritatem & mundiciam. Sed quia istæ virtutes reddunt Sponsam, scilicet animam, mundam & candidam non solùm ab originali, sed etiam actuali & veniali culpâ: ideo ter vocat eam Sponsus dicens: *Veni de Libano*, id est, veni candida de mundo, & carne, & diabolo: aut de culpa originali, & actuali, & veniali. Aut, *Veni de Libano* candida per fidem, spem, G & charitatem. Sed quia ex tali afflictu & victoria meretur coronam & triumphum: ideo dicit illi Sponsus: *Veni coronaberis*, id est, coronam triumphi accipies: quia triumphasti *de capite Amana*: id est, de angustia & infestatione diaboli; & *de vertice Sanir*: id est de superbia intrinseca hujus mundi; & de *Hermon*: id est anathemate carnalis concupiscentiæ; & *de cubilibus leonum*, id est, de persecutionibus magnorum Imperatorum, quos vicisti, mala patienter tolerando; & *de montibus pardorum*, id est, de insidiis Hæreticorum.

Sed quia anima super omnia inclinat Christum in uno oculo charitatis & H in uno crine humilitatis; ideo dixit Sponsus: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Item quia ubera misericordiæ ipsius justi suguntur, & nutriuntur eis pauperes Christi: ideo dicit: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ.* Item quia orationes viri justi sunt Deo acceptæ magis quàm odor aromatum: ideo subdit: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Item quia ex ore viri justi semper distillant orationes, aut bona doctrina: ideo dicit *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Item quia ope-

opera misericordiæ, & aliarum virtutum ipsius viri justi sunt Deo grata & accepta & delectabilia: ideo subdit: *Odor vestimentorum tuorum.* Item quia anima justi sic virtutibus fulta & decorata est similis horto copioso multorum fructuum & pomorum, quæ quidem anima semper germinat fructus & opera virtutum: ideo dicitur: *Hortus conclusus & fons signatus &c.* A

Sed quia *Virgo Maria* est primum & perfectius membrum Ecclesiæ post Christum, qui est caput Ecclesiæ: ideo per amplius & perfectius verificantur omnia dicta in hoc Cantico de Virgine Maria, quàm de aliquâ aliâ creaturâ, eò quòd in majori gradu, & per amplius & copiosius & perfectius fuit ornata & decorata supradictis virtutibus & perfectionibus, quàm alia pura creatura, & per amplius & perfectius triumphavit de mundo & carne & diabolo, & omni genere vitiorum & inimicorum, quàm alia pura creatura, prout dictum fuit in Expositione super *Magnificat*: Ideo est dignum quod explicetur in Expositione hujus libri, & maximè in hoc loco, & explicetur & exprimatur, quomodo omnia prædicta verificentur de tota Ecclesia, & quomodo de Virgine Maria. B

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd tria dicta sunt in hoc quinto Cantico, quæ sunt digna magnâ perscrutatione. Quorum primum est illud, quod ait Sponsus commendando Ecclesiam Sponsam suam, quando ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et ideo quæritur primò: quomodo ista verba possunt verificari de tota Ecclesia Sponsa Christi, cùm nos videamus multa ejus membra immunda, & sorde diversorum peccatorum deturpata & maculata? Ergo non est tota pulchra sine macula. C

Ad hoc respondet Beatus *Gregorius*, quòd quælibet anima post pœnitentiam remanet tota pulchra sine macula: & sic verificantur verba Sponsi de qualibet anima justi post pœnitentiam. Sed licèt hoc contineat verum; tamen non evacuat difficultatem litteræ: quia Sponsus Christus litteraliter loquitur de tota Ecclesia Sponsa sua, quam sufficienter ornavit & decoravit omni genere ornamentorum spiritualium. D

Et ideo dicunt alii, quòd quandoque aliquid verificatur de aliquo ratione partis magis principalis, sicut mulier dicitur pulchra ratione vultus, licèt habeat aliquas partes turpes latentes; ita ergo tota Ecclesia dicitur *tota pulchra* sine macula ratione *Virginis Mariæ*, quæ est principale membrum Ecclesiæ post Christum, qui est caput. Quia ergo *Virgo Maria* est, & fuit semper *tota pulchra*, numquam alicui maculæ peccati obnoxia, nec deturpata: ideo verificatur de tota Ecclesiâ, quòd sit tota pulchra sine macula. E

Sed licèt *Virgo Maria* fuerit semper *tota pulchra* sine macula, prout dictum est in *secundo Cantico*, & dicetur in sequenti quæsito; tamen ista responsio non evacuat difficultatem. Nam *Apostolus* 2. *ad Corinth.* 11. de tota Ecclesia dicit: *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Item *ad Ephes.* 5. dicit, quòd Christus exhibuit & reddidit Ecclesiam Sponsam suam *non habentem rugam neque maculam.*

Et ideo ad tollendam hujusmodi difficultatem est advertendum: quòd iste terminus *totus, tota, totum* quandoque connotat in rebus totalitatem formæ, quandoque totalitatem materiæ. Unde totalitas formæ domus est ipsa pulchra & decens figura ejus: sed totalitas materiæ dicuntur lapides, & cæmentum, & ligna, & tegulæ: & sic domus poterit esse tota pulchra ratione optimæ & decentis formæ, licèt habeat aliquam partem materialem turpem: putà, aliquem lapidem, vel lignum. Item ergo pariter in Ecclesia est considerandа totalitas formæ, quæ consistit in fide Articulorum, & gratiâ Sacramentorum, & observantiâ præceptorum, & varietate & sufficientiâ graduum & officiorum. Secundò est considerandа totalitas materiæ, quæ consistit in multitudine & diversitate membrorum tam infirmorum, quàm sanorum. Primo ergo F G modo ratione formæ Ecclesia Sponsa Christi est tota pulchra sine aliqua macula: quia sufficienter Christus decoravit eam virtutibus Theologalibus, scilicet, fide, spe, & charitate, & septem Donis Spiritus sancti, & gratiâ septem Sacramentorum, & optimâ Lege Euangelica, & sufficienti copiâ ministrorum, & graduum, & officiorum, & sic nihil deficit ad pulchritudinem formæ ejus. Sed propter hoc non tollitur quin Ecclesia habeat aliqua membra materialia turpia per peccatum, & infirma: nec tollitur, quin aliquis Minister Ecclesiæ, aut Prælatus possit male & indecenter uti officio suo, absque hoc quòd deturpet pulchritudinem formæ ipsius Ecclesiæ. Unde H Ecclesia propter hoc habet copiam pulchritudinis Sacramentorum & officiorum, ut possit assiduè mundare & pulchrificare membra materialia, quæ quotidie deturpantur sorde peccati. Et sic Ecclesia semper est tota pulchra sine macula ratione formæ: quia Fides Ecclesiæ non patitur secum aliquod falsum, aut mendacium, nec Charitas aliquod peccatum, nec Spes aliquod terrenum, quin tendat in altum: & sic de singulis partibus formalibus Ecclesiæ.

Est autem iterum advertendum, quòd formarum quædam est tota in toto, & tota in qualibet parte, sicut anima intellectiva: & quædam est tota in toto, sed non in aliqua parte, sicut forma circuli. Et quædam est tota in toto, & in aliqua parte; sed non in qualibet parte: sicut forma sensus tactus est in toto animali, & in aliqua parte; sed non in ossibus. Ita ergo est dicendum de forma Ecclesiæ, quòd est tota in toto corpore Ecclesiastico; sed non in qualibet parte & membro materiali. Sed potuit reperiri in *Virgine Maria* tota forma Ecclesiæ: putà fides Articulorum, & tota gratia Sacramentorum, & observantia præceptorum, & tota varietas & copia graduum & dignitatum: quia fuit virgo, & Sponsa, & fecunda, & Euangelista, & Martyr, prout fuit dictum super *Magnificat*: & sic fuit tota pulchra quoad formam Ecclesiæ. A B

Sed diceret forsan aliquis, quòd *Virgo Maria* non fuit Sacerdos, & per consequens non potuit conficere Eucharistiam, nec ministrare alia Sacramenta: & per consequens non habuit totam pulchritudinem Ecclesiæ.

Ad hoc respondetur, quòd licèt *Virgo Maria* non fuit Sacerdos ad conficiendam Eucharistiam; tamen habuit aliquid æquivalens, & etiam superexcedens, quod numquam habuit aliquis Sacerdos hujus Ecclesiæ. Nam illud idem Corpus Christi, quod conficit Sacerdos per verba consecrationis, confecit Virgo Maria in suo ventre virginali ex puris sanguibus suis opere Spiritus sancti. C

Item, sicut Sacerdos per illa verba facit descendere Christum in illud Sacramentum, ut inquit *Ambrosius*: ita Virgo Maria dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, fecit Filium Dei descendere de cœlo, & sumere illam carnem ex ea, quam consecrat Sacerdos, ut inquit *Augustinus*.

Item, sicut Christus Sacerdos sanctificat fideles per Sacerdotes temporales ministrantes Ecclesiastica Sacramenta: ita per vocem & salutationem Virginis Matris suæ sanctificavit Joannem Baptistam, & illustravit Elisabeth spiritu prophetico, prout dictum est in Expositione super *Magnificat*. Et sic patet, qualiter tota ista Ecclesia est tota pulchra sine macula quoad formam, licèt habeat aliqua, immò multa membra materialia infirma & sorde peccati deturpata: & patet etiam, qualiter Virgo Maria est tota pulchra sine macula, non solùm quoad formam totam Ecclesiæ; sed etiam est tota materialiter pulchra, quia numquam in ejus corpore aut anima locus potuit inveniri peccati, ut inquit *Augustinus* in *Sermone secundo de Nativitate Virginis*: & numquam fuit in tenebris, sed semper in luce, & numquam in nocte, sed semper in die, ut inquit *Hieronymus* super *Psalm.* 77. D E

Secundò autem dictum est in hoc quinto Cantico, quomodo Ecclesia fuit coronata, id est, triumphavit *de capite Amana, & de vertice Sanir, & Hermon, & de cubilibus leonum, & de montibus pardorum*. Et dictum est, quomodo omnia dicta in hoc Cantico, & quatuor præteritis principaliter verificantur de Virgine Maria: eò quòd tunc erat principalius membrum Ecclesiæ post Christum. Et ideo est videndum, quomodo Virgo Maria triumphavit *de capite Amana, & de vertice Sanir &c.* F

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd *Amana* est mons in fine terræ promissionis inter Aquilonem & Meridiem plenus serpentibus; & ideo interpretatur *iniquus*, aut *coangustians*, aut *comprimens*, aut *angens*, quod est proprium serpentibus. Unde serpens dicitur *anguis* ab *angendo*: eò quòd tortuoso circulo angit hominem, & iniqua astutia insidiatur, & iniquo & mortifero morsu mordet hominem.

Et ideo in hoc loco per *Amana* intelligitur diabolus serpens antiquus, qui astu iniquo & mendaci decepit primos parentes, & momordit eos septuplici morsu, scilicet, morsu peccati in anima, & morsu venenosæ concupiscentiæ in carne, & morsu mortis & incinerationis in corpore; & specialiter momordit mulierem morsu ærumnarum in conceptu, & partu, & morsu subjectionis & servitutis: quia subjecit eam sub potestate viri, quæ antè erat consors & æqualis. Et hos septem morsus transmiserunt primi parentes ex sententiâ Domini in omnes posteros, ut patet *Genes.* 3. Et sic patet, qualiter serpens antiquus triumphavit de primis parentibus, & de eorum posteris per hos septem morsus. G

Sed si cum charitate & attentione volumus contemplari hoc mysterium in sacra Scriptura, videbimus qualiter serpens antiquus non potuit mordere *Virginem Mariam* Matrem Christi aliquo morsu illorum septem, nec per consequens triumphavit de ipsa: immò Virgo Maria triumphavit de ipso diabolo antiquo serpente. Quod sic probatur ex sententia & decreto Dei in ipsa sacra Scriptura. Unde legitur *Genes.* 3. quòd postquam ex suasu serpentis *Eva* comedit fructum, & dedit ex eo *Adæ* viro suo, ambo cognoverunt se esse nudos & confusos: per quod denotatur confusio & corruptio culpæ, tam in corpore, quàm in anima. Et tunc Deus promulgavit H

sen-

sententiam contra omnes tres, scilicet, contra serpentem, & omnes complices ejus diabolos, & contra Evam, & contra Adam : quæ quidem sententia fuit data & promulgata secundùm ordinem, prout peccatum fuerat perpetratum. Unde quia serpens primò ex invidia decepit mulierem, & exinde mulier persuasit viro ut commederet : ideo per prius fuit lata sententia & maledictio contra serpentem, & exinde contra mulierem, & ultimò contra virum, & totam eorum posteritatem. Sed antequam Deus proferret & promulgaret sententiam contra Evam & Adam cum eorum posteritate, simul in sentrentia data contra diabolum fuit Virgo Maria exempta, & privilegiata à communi sententia humanæ naturæ, latà in primis parentibus ; immò in eadem sententia latâ contra diabolum Deus pronuntiavit, qualiter Virgo Maria debebat triumphare de diabolo, & non subjici, nec comprehendi in sententia lata contra primos parentes, & eorum posteritatem : unde dixit Deus serpenti : *Maledictus eris inter omnia animantia : inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & insidiaberis calcaneo ejus.* Deinde Deus pronunciavit & promulgavit sententiam contra mulierem, dicens : *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos : in dolore paries filios, & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tibi.* Deinde ultimò promulgavit sententiam contra virum: quæ fuit communis contra omnes posteros utriusque sexûs, dicens : *Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi : & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua assumptus es : quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Ex hac triplici sententia patet, quòd septem mala contraxerunt primi parentes ex peccato & sententia Dei. Primò fuit inflicta eis corruptio & morbus concupiscentiæ in carne, & sensualitate, ex cujus consortio anima contrahit culpam originalem, per hoc quod dixit Deus serpenti : *Tu insidiaberis calcaneo ejus,* id est, inficies ejus carnem & sensualitatem, quæ est calcaneum animæ. Et etiam per hoc quod dixit Deus ipsi Adæ: *Maledicta terra*, id est, maledicta caro & sensualitas *in opere tuo*, id est, ex peccato, & inobedientia, & esu cibi prohibiti : quia *spinas* peccati originalis, *& tribulos* peccati actualis *germinabit tibi &c.* Hoc autem dixit : quia caro infecta per solum consortium in animatione infligit peccatum originale in anima, & postea sensualitas corrupta causat, & infligit peccatum actuale in anima, & voluntate per solum consensum & operationem.

Item ex sententia data mulieri patet, qualiter triplicem pœnam incurrit mulier ex peccato. Primò pœnam ærumnarum & miseriæ, quam quælibet mulierum patitur omni mense ex menstruo. Secundò, dolorem in pariendo. Tertiò subjectionem sub potestate viri. Per sententiam autem datam contra Adam incurrit totum genus humanum non solum laborem corporalem, sed etiam maledictionem, & corruptionem carnis & sensualitatis, quæ continuè germinat spinas & tribulos peccatorum in anima. Et ultimò incurrit resolutionem, & putrefactionem, & incinerationem in morte.

Ex supradictis *sequitur primò*, quòd septem mala incurrit totum genus humanum ex peccato primorum parentum ex sententia Dei : quorum quatuor sunt communia omnibus hominibus utriusque sexûs descendentibus à primis parentibus per naturalem generationem, scilicet, corruptionem carnis, sive morbum concupiscentiæ. Secundò, peccatum originale in anima. Tertiò, actuale in voluntate per consensum. Quartò, resolutionem in terram, & putrefactionem, & incinerationem per mortem. Solæ autem mulieres incurrerunt pœnam ærumnarum in menstruo & in conceptu, & dolorem in partu, & subjectionem viri. Et sic patet qualiter diabolus serpens antiquus supradictis septem morsibus momordit totum genus humanum, & per consequens triumphavit de primis parentibus, & de tota eorum posteritate per hos septem morsus.

Secundò sequitur ex sententia & decreto Dei, quòd *Virgo Maria* non fuit comprehensa in supradicta Dei sententia latâ contra primos parentes & eorum posteritatem : immò ex Dei decreto fuit præexempta & excepta à tali sententia : & per consequens serpens antiquus non triumphavit de ea : quod probatur. Nam antequam ferret Deus sententiam contra primos parentes, dixit diabolo : *inimicitas ponam inter te & mulierem : sed ipsa conteret caput tuum :* tunc manifestum est, quòd ista quæ erat contritura caput serpentis, non fuit Eva : quia ipsa jam erat victa & contrita per serpentem ; immò sibi data fuit sententia pro omnibus suis posteris. Ergo sequitur, quòd illa mulier, quæ erat contritura caput serpentis, erat sola Virgo Maria, prout indifferenter tenent concorditer omnes Catholici Doctores : Ergo sequitur, quòd ille serpens antiquus numquam poterat mordere Virginem Mariam, postquam per eam caput ejus erat conterendum. Ex quo patet, quòd Virgo Maria

nullo

nullo illorum septem morsuum fuit per serpentem morsa nec vulnerata: quia aliter non contrivisset caput serpentis. Et sic etiam patet, quòd cum antiquus serpens triumphasset de omnibus aliis; tamen non valuit triumphare de Virgine Maria, postquam nullo morsu potuit ipsam mordere: immò ipsa Virgo Maria triumphavit de antiquo serpente, postquam contrivit caput ejus.

Et sic patet, qualiter ex sententia & decreto Dei fuit promulgatus triumphus Virginis Mariæ contra diabolum, & fuit pronuntiata exceptio ejusdem à communi sententia aliorum, antequam communis sententia promulgaretur: cujus effectus patuit postea per experientiam. Nam omnes Doctores concordant, quòd Virgo Maria fuit exempta à triplici pœna inflicta omnibus mulieribus: quia non ex menstruo nec coitu, sed ex purissimis sanguinibus opere Spiritus sancti Christum concepit, ut patet *Lucæ* 1. & sine dolore peperit, & non fuit viro subjecta: quia solum datus est ipsi in obsequium & custodiam, ut testis suæ virginitatis. Item, omnes concordant quod fomes carnis in ea à principio fuit extinctus vel ligatus: & omnes concordant, quòd non poterat peccare mortaliter nec venialiter: eò quòd à principio fuit in gratia confirmata: & jam tota Ecclesia communiter tenet cum *Augustino*, quòd corpus ejus non fuit in sepulchro incineratum: sed quod anima in tertia die recuperavit corpus glorioſum.

Ex quibus patet, quòd in his sex Virgo Maria non fuit comprehensa, nec subjecta communi sententiæ datæ & latæ primis parentibus. Sed tota Ecclesia non habet aliunde unde hoc possit excusare, nisi quia Virgo Maria antè fuit exempta, quàm promulgaretur communis sententia: eò quòd erat contritura caput serpentis, ne morderet eam. Ergo per eamdem rationem & locum authoritatis cogimur dicere, quòd Virgo Maria fuit exempta à morsu peccati, & culpæ originalis, quia aliter non contrivisset caput serpentis: & per consequens sicut conceditur quod Virgo Maria triumphavit de serpente quoad sex morsus; ita triumphavit de illo quoad septimum morsum, quod est peccatum originale, qui est primus morsus, quo serpens mordet & sauciat hominem in anima. Et sic patet, qualiter Virgo Maria perfectè contrivit caput serpentis, & triumphat de ipso. Et hoc est quod intendebat dicere Salomon in persona Christi dirigens verba Cantici ad Virginem Mariam, dicens: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quasi dicat: nulla macula peccati, nec aliqua illarum septem pœnarum est in te, quæ fuerunt inflictæ in Adam ex peccato ejus, & sententiâ Dei: ideo *veni de Libano* puritatis, & *coronaberis*, id est, triumphabis *de capite Amana*, id est, de capite antiqui serpentis, quod contriuisti: quod quidem caput contritum & calcatum sub pede & calcaneo tuo, non potuit te mordere aliquo illorum septem morsuum.

Quomodo autem Virgo Maria fuit obligata in Adam, quoad naturam; sed illa obligatio non potuit transire ad personam propter præviam sanctificationem factam in primo instanti sui esse, eò quòd anima illa simul fuit creata, & sanctificata, & infusa, & sic simul fuit sanctificata caro cum anima; & etiam caro potuit sanctificari ante animationem per virtutem sancti spiritus; & sic persona Virginis non fuit obnoxia alicui peccato, sed semper fuit Templum & Tabernaculum Spiritus sancti à principio suæ creationis: Et quomodo omnes authoritates Sacri Canonis & Sacrorum Doctorum inductæ contra hoc propositum non procedunt nisi de peccato naturæ: jam ostensum & declaratum fuit largo modo in Expositione *Psalmi* 45. & super *Magnificat*, & partim superius in *Cantico* 2. Et ideo hìc non oportet immorari, sed sufficit ostendere quomodo Virgo Maria triumphavit *de capite Amana*, id est, de peccato originali, & actuali, & veniali: & quomodo triumphavit de corruptione & fomite carnis, & de triplici maledictione & miseriâ inflictâ cæteris mulieribus.

Ultimò triumphavit de morte: quia non potuit eam incinerare; immò resurrexit in corpus glorioſum. Et sic patet, qualiter triumphavit *de capite Amana*, id est, de capite serpentis antiqui quod contrivit: & sic non solum fuit benedicta inter omnes mulieres, sed etiam inter omnes homines utriusque sexûs: quia in omni maledictione fuit immunis: immò maledictio Evæ, & omnium hominum fuit conversa in benedictionem Mariæ, ut inquit *Augustinus*.

Secundò est videndum, quomodo Virgo Maria triumphavit *de vertice Sanir*. Ad cujus intellectum est notandum: quòd ultra *Amana* quatuor montes pugnarunt contra Virginem Mariam, de quibus ipsa finaliter triumphavit, scilicet, *Sanir*, & *Hermon*, & montes & cubilia *leonum*, & montes *pardorum*: per quos quatuor montes intelliguntur quatuor potestates & conditiones hominum, qui conati sunt impugnare Virginem Mariam, & ejus virginitatem & dignitatem. Primus mons dicitur *Sanir*, quod interprætatur *Deus lucernæ*, sive *scientiæ*, & sic *vertex Sanir* idem est quod altitudo, sive tumor, aut elatio, & fastus scientiæ Philosophiæ mundanæ: per quod

quod intelligitur fastus & elatio Philosophorum hujus mundi. *Hermon* autem interpretatur *Anathema*, id est, maledictio & separatio: per quem montem intelligitur iste mundus, & sollicitudo ejus, quæ separat homines à Deo: vel intelliguntur omnes Judæi, & omnes Infideles, qui sunt à Deo separati, & malecti. Per montes verò & *cubilia leonum*, intelliguntur Reges & Principes hujus mundi, maximè populi Gentilis & Infidelis. Et etiam per cubilia leonum intelliguntur templa idolorum, ut patebit. Per montes vero *pardorum* in scriptura communiter intelliguntur omnes Hæretici: eò quòd multis & falsis & fictis coloribus concinnarunt & palliarunt sectas suas, & inter se varias habuerunt opiniones. Omnes ergo isti pugnarunt contra Virginem Mariam: sed ipsa finaliter de eis triumphavit.

Primo ergo omnes Philosophi volentes omnia comprehendere sub naturâ, & de omnibus volentes reddere rationem, conati sunt impugnare mysterium Incarnationis, dicentes: Impossibile esse mulierem concipere sine viro, & concipere & parere cum virginitate, & esse Matrem Dei: & Deum fieri hominem personaliter: Sed finaliter Virgo Maria de Philosophis triumphavit. Nam *Dionysius* Areopagita, qui apicem & verticem & principatum Philosophiæ Athenis obtinebat, credidit mysterium Incarnationis, & partum virginalem ipsius Mariæ, & factus est fidelis ad prædicarionem Pauli cum multis aliis Philosophis, ut patet *Actor.* 18. Item *Gregorius Nacianzenus*, & *Basilius*, & *Eusebius*, & *Augustinus*, & *Clemens*, & *Dionysius Alexandrinus*, & alii innumeri ex Philosophis facti sunt Catholici, & Doctores Ecclesiæ: qui omnes innumeros libros, & tractatus, & sermones luculentos ediderunt de Virginitate & dignitate Virginis Mariæ. Ex quo patet, quòd Virgo Maria triumphavit *de vertice Sanir*, id est, de altitudine & fastu & elatione Philosophorum.

Item secundò triumphavit de vertice *Hermon*, id est, de solicitudine hujus mundi. Nam in tertio anno renuntiavit huic mundo, & fuit præsentata in Templo, & dedicata ad servitium Dei usque ad ejus desponsationem, quando simul cum voto virginitatis fuit desponsata ipsi Joseph viro Sancto & Justo & Virgini: & sic ambo cum virginitate & paupertate duxerunt vitam humilem & pauperem Christo ministrantes. Et sic patet qualiter Virgo Maria triumphavit de fastu & pompa hujus mundi. Et triumphavit etiam de *Hermon*, id est, de anathemate, & de maledictione Judæorum, qui sibi & suæ dignitati contradixerunt. Nam quadragesimo secundo anno post passionem Christi partim fuerunt fame consumpti, & partim trucidati, & partim in captivitatem redacti, & per mundum dispersi, & civitas eorum simul cum regno fuit destructa & incensa. Et quia reliquiæ illorum adhuc hodie contra Virginem Mariam blasphemare non cessant; ideo continuè patiuntur opprobria & frequentes cædes, & clades, & vastationes, & expoliationes. Et sic patet, qualiter Virgo Maria triumphavit de *Hermon*, id est, de *anathematizatis* & maledictis Judæis, & continuè triumphat de ipsis.

Item Virgo Maria triumphavit *de montibus* & *cubilibus leonum*, id est, de Regibus & Imperatoribus, qui per trecentos annos & ultra persecuti sunt Christianam Religionem, quæ Christum adorat, & Virginem Matrem suam veneratur. Nam ipsi qui antè propter idola persequebantur Christianos, & Virginem Mariam, postea ad fidem conversi, deleverunt idola, & templa idolorum consecraverunt in Ecclesias Christi & Virginis Mariæ: & sic illa templa, quæ erant cubilia leonum, facta sunt Ecclesiæ Christi, & Virginis Mariæ, & cubilia Sanctorum: Et *in cubilibus ubi prius habitabant dracones, ortus fuit viror calami & junci, & fuit facta semita sancta*: nec fuit ibi amplius leo, nec mala bestia, ut dicitur *Isaiæ* 35. Et sic patet, qualiter Virgo Maria triumphavit de cubilibus leonum, scilicet, de Imperatoribus & tyrannis Infidelibus: quia finaliter omnes subjecit jugo Christi, & venerantur ipsam cum devotione: & cubilia leonum, scilicet, templa idolorum consecraverunt in Ecclesias Christi & Virginis Mariæ, & aliorum sanctorum: unde principales Ecclesiæ communiter sunt dedicatæ ipsi Virgini Mariæ pro majori parte ubique terrarum.

Item ultimò triumphavit *de montibus pardorum*, id est, de omni turba & pravitate Hæreticorum. Nam in primitiva Ecclesia surrexerunt contra Virginem Mariam *Ebion*, & *Cerinthus*, dicentes Virginem Mariam non esse Matrem Dei, sed puri hominis, & Jesum Christum totaliter ab ipsa incœpisse: tamen hoc convicit Beatus *Joannes Euangelista*, ostendens Christum esse ab æterno secundùm divinitatem, & ex Maria ex tempore secundùm veram humanitatem, dicens: *In principio erat Verbum &c. Et Verbum caro factum est.* Item postea surrexerunt *Nestoritæ*, dicentes duas esse personas in Christo, scilicet, divinam & humanam: & per consequens Virginem Mariam non esse Matrem Dei, sed solius hominis. Sed omnes isti fuerunt condemnati per Ecclesiam in Concilio Ephesi-

sino, ubi fuit ostensum & determinatum per sacras Scripturas, in Christo esse duas naturas in una persona tantùm & A suppositò; & per consequens Virginem Mariam esse veram Matrem Dei & hominis. Item *Manichæi* pugnarunt contra Virginem Mariam, dicentes, ipsam non esse Matrem Dei, eò quòd Christus non eratverus homo nisi in apparentia: sed erat solus Deus. Quem cum tota sua secta convicit Augustinus per multos libros & tractatus, ostendens Christum accepisse veram carnem ex Virgine Maria; & per consequens ipsam esse veram Matrem Christi Dei & hominis. Postea surrexit *Helvidius* blasphemans contra perpetuam virginitatem Mariæ, & dicens, quòd licèt Virgo Maria concepe- B rit & pepererit Christum cum integra virginitate; tamen postea genuerat alios filios ex Joseph: quem Helvidium Beatus *Hieronymus*, & *Augustinus*, convicerunt per singulas invectivas contra eum. Et sic patet, qualiter Virgo Maria triumphavit finaliter *de montibus pardorum*, id est, de omnibus sectis hæreticorum. Ideo de ipsa cantat Ecclesia: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.*

Ex supradictis patet quomodo Virgo Maria triumphavit de supradictis quinque montibus, per quos intelliguntur quinque potestates, quas ipsa superavit: & per consequens Virgo Maria nunquam habitavit in monte *Amana*, id est, in monte serpentum: immò ipsa contrivit caput antiqui serpentis; & per con- C sequens non potuit ipsam aliquo morsu mordere: nec habitavit in vertice *Sanir*: id est in fastu & tumore mundanæ philosophiæ: immò per suam humilitatem & fidem meruit transcendere omnem mundanam scientiam & philosophiam, quando fuit obumbrata per Spiritum sanctum in sua annunciatione, & rapta usque ad tertium cælum, ubi vidit arcana & mysteria Incarnationis, & nostræ redemptionis perfectius quàm Paulus, prout dictum est super *Psalm.67.* & super Magnificat. Item Virgo Maria nunquam habitavit in *Hermon*, id est, in anathemate & obstinatione Judæorum, nec in pompa hujus mundi: quia renuens hunc mun- D dum, facta est specialis ministra Christi, & ipsum secuta est semper cum virginitate & sanctitate & humilitate usque ad passionem & resurrectionem & ascensionem, prout dictum est super *Magnificat.*

Item, non habitavit *in cubilibus leonum*: nec in *montibus pardorum*: quia omnes Imperatores & tyrannos superavit, & omnes hæreses exterminavit & interemit, ut dictum est: sed semper habitavit in monte *Libano*, id est, in mon- te candido, & in monte puritatis & sanc- titatis, in quo nullus serpens, nec bes- E tia nocens, nec animal venenosum potest habitare, prout supra dictum est in *secundo Cantico.* Unde sicut mons Libanus eminet super omnes illos quinque montes supradictos in altitudine, quia est altior & excelsior illis, & superat eos in ubertate & fertilitate; quia cum omnes illi sint steriles, iste vero fœcundus germinans arbores fructiferas & dignissimas, putà, cedros & hujusmodi; item superat illos montes in puritate; nam cum illi montes sint pleni serpentibus & draconibus, & leonibus, & pardis & cæteris animalibus nocivis & venenosis: solus Libanus est liber & mundus ab om- F ni bestia venenosa: ideo secure pascuntur in eo greges ovium, & armenta boum: Ita ergo à simili Virgo Maria per Libanum figurata, superavit omnes supradictas quinque potestates: primò in altitudine dignitatis: secundò in fecunditate virtutum: tertiò in puritate & munditia ab omni malo & vitio & peccato. Et sic Virgo Maria dicitur habitasse in Libano, & superasse & triumphasse de illis quinque potestatibus per illos quinque montes intellectis. Ideo dicit Christus ad Virginem Matrem suam in die suæ Assumptionis: O quam *pulchra es amica mea, macula non est in te. Veni de Libano*, in quo semper habitasti per excellentiam dignitatis, quia Mater Dei; & per fœcunditatem sanctitatis, & omnium virtutum & gratiarum, & G per puritatem & munditiam & immunitatem ab omni vitio & peccato & morsu & veneno antiqui serpentis. Et ideo *coronaberis*, & coronam accipies & triumphabis *de capite Amana*, id est, de antiquo serpente, qui te mordere non valuit. Et triumphabis *de vertice Sanir*, id est, de omni Philosophia & scientia mundana: *& Hermon*, id est, de pompa mundi, & anathemate & obstinatione Judæorum: *& de cubilibus leonum*, id est, Imperatorum & tyrannorum: & *de montibus pardorum*, id est, de temera præsumptione Hæreticorum. Quasi dicat: *Veni de Libano* gratiæ in montes aromatum supernæ gloriæ, & *coronabe-* H *ris*, & coronam gloriæ obtinebis pro supradictis triumphis. Et sic patet, quomodo omnes isti triumphi Virginis Mariæ possunt applicari ad duodecim dignitates ejusdem, quæ fuerunt assignatæ in Expositione *super Magnificat.* Et ideo prudens & devotus Lector non dedignetur hìc & ibi contemplari. Et hoc de secundo quæsito.

Tertiò dubitatur propter id quod dicit Sponsus in hoc quinto Cantico, scilicet: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, in uno oculorum tuorum, &*

in

in uno crine colli tui. Et ideo videndum est, quis est iste *oculus* & *crinis*, quo Virgo Maria vulneravit Christum? Et A quomodo potuit ipsum vulnerare, ut descenderet de cœlo?

Ad quod est dicendum: quòd *oculus* dicitur quasi lumen occultum. Et ideo priùs verificatur de oculo mentali interiori, scilicet, de recta & occulta intentione, quàm de oculo corporali & exteriori: de quo quidem oculo interiori ait Salvator *Matth. 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum, erit: si autem oculus tuus fuerit nequam totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ex dictis Salvatoris patet, quòd simplex & recta intentio est unus communis oculus totius hominis: quæ quidem recta intentio fundatur in humilitate & simplicitate cordis. B Et sic dicit *Augustinus*, quòd simplicitas & humilitas est fundamentum & origo omnium virtutum, & quasi lucerna & oculus dirigens omnes virtutes: quæ quidem humilitas nascitur & provenit ex cognitione sui ipsius in homine. Nam homo cognoscens seipsum, & naturam suam miseram & fragilem, & vitiatam ex inobedientia & peccato primorum parentum, tunc humiliatus incipiet à contemptu sui usque ad amorem Dei. Et videns se ita fragilem, & pronum ad peccandum, non despiciet proximum: immò miserebitur fragilitati ipsius proximi. Et in hoc consistit vera humilitas, scilicet, incipiendo à contemptu sui usque ad amorem Dei & proximi. C Quæ quidem humilitas nascitur in homine ex cognitione sui ipsius: sicut superbia per oppositum nascitur ex inconsideratione ipsius. Quia si quis consideraret & cognosceret seipsum, non esset superbus, sed humilis. Et ideo dicit *Juvenalis* & omnes Philosophi & Poetæ, quòd hoc verbum, *Cognosce te ipsum*, descendit de cœlo in lamina aurea scriptum, in templum Apollinis. Et sic dicit etiam *Augustinus*: quòd sicut superbia, quæ est initium omnis peccati, est prima suggestio diaboli: ita humilitas, quæ est initium omnis virtutis, est primum donum Dei. Et sic patet, qualiter humilitas in homine est quidam communis oculus dirigens omnem virtutem: quia cas- D titas sine humilitate nihil prodest, ut inquit *Gregorius.*

Potest etiam dici, quòd duplex est oculus interior hominis, scilicet, *oculus rectus*, & *simplex*: & iste dicitur oculus dexter, quo homo justus omnia rectè respicit. Alter autem dicitur *oculus sinister*, quo homo nequam omnia superbè & fictè & fraudulenter videt. Et ideo Virgo Maria non vulneravit Christum oculo sinistro, sed oculo dextro, scilicet, humilitatis, & simplicitatis, ut faceret ipsum de cœlo in terram descen- E dere.

Item etiam est advertendum, quòd quælibet virtus dicitur quidam *oculus animæ.* Nam Justitia est quidam oculus, quo anima omnia rectè judicat & videt & operatur omnia justa. Et Fortitudo est oculus, quo omnia fortia videt & aggreditur: & Temperantia est oculus, quo anima omnes delectationes temperatè videt, & omnia castè videt. Sed Humilitas est illa virtus & oculus, qui omnes virtutes dirigit, & retrahit à superbia. Et ideo humilitas est tantæ perfectionis, quòd non solum est amabilis & acceptabilis Deo, sed etiam omnibus hominibus. Sed quia iste oculus humilitatis perfectius fuit in F Virgine Maria, quàm in aliqua alia creatura: ideo oculus humilitatis Virginis Mariæ in tantum vulneravit Filium Dei, quòd fecit ipsum descendere de cœlo in uterum ejus, & sumere carnem ex ea, quando dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Et ideo dixit Maria in suo Cantico: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ut patet *Lucæ* 1. Et sic patet, quòd inter alios oculos virtutum Virginis Mariæ, oculus humilitatis fuit ille qui vulneravit cor ipsius Filii Dei, ut descenderet de cœlo in uterum ejus.

Sed est iterum advertendum secundùm *Augustinum*: quòd sicut Humilitas est origo & radix & oculus omnium vir- G tutum: ita pariter Charitas est forma & ultima perfectio earumdem: quia nulla virtus Theologalis, aut Moralis est meritoria, nisi fuerit informata Charitate: & sic omnis vera virtus incipit ab humilitate, & finitur in charitatem. Et ideo ostendit *Augustinus* 5. *de Civitate Dei*: quòd apud Romanos, & universaliter omnes Gentiles, nulla fuit vera virtus moralis; eò quòd eis nulla fuit vera humilitas, nec charitas, sed honoris ambitio, & gloriæ cupiditas. Sed quia virtutes sunt ornatus animi, ut inquit *Cicero*; unde sicut crines ornant collum pulchræ mulieris; ita virtutes ornant animum: ideo Salomon in hoc loco per crinem colli Sponsæ intelligit virtutes, quæ or- H nabant Virginem Mariam; & per collum intelligit ipsam Virginem Mariam, quæ dicitur collum totius corporis Ecclesiastici. Nam sicut in corpore humano immediatè post caput & sub capite collocatur collum, per quod à capite in omnia membra inferiora descendit omnis sensus, & motus, & vita: ita pariter in corpore Ecclesiastico Virgo Maria collocatur immediatè post Christum, per quam à Christo descendunt ad nos omnia dona gratiarum interclusivè, prout est media-

trix inter nos & Christum Filium suum, & caput nostrum, sicut fuit declaratum in Expositione super *Magnificat*. Et ideo quia inter crines virtutum, quæ descendunt à capite nostro Christo, & ornant collum Virginis, Charitas dicitur principalis, & forma omnium: ideo dicit Sponsus, quòd sicut Sponsa *vulneravit cor* ejus *in uno oculo*, scilicet, humilitatis: ita *vulneravit cor* ejus *in uno crine colli* ejus, qui fuit crinis charitatis. Et sic asserit Christus, quòd humilitas & charitas Virginis Mariæ vulneraverunt cor ejus, & fecerunt ipsum descendere de cœlo in terram, & in uterum ejus, quia *excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit*, *Psalm.* 136. A

Sed tunc insurgit major difficultas & majus dubium. Nam si humilitas datur à solo Deo, & charitas cum cæteris virtutibus descendunt à solo Christo capite nostro, & ornarunt Virginem Mariam, sicut crines descendentes à capite ornant collum: Ergo quomodo istæ virtutes potuerunt vulnerare, & movere Filium Dei ad veniendum in carne, si Virgo Maria non habuit has virtutes à se, nec ex natura sui, sed fuerunt ipsi largitæ ex gratia Christi? B

Ad hoc respondetur, sicut dictum est *super Magnificat*: quòd Filius Dei non respexit humilitatem cum cæteris virtutibus in Maria tamquam formam efficientem, sed tamquam formam disponentem, ut à Deo diligeretur, & ut ejus Mater efficeretur: sicut aurifex facit annulum, & cœlat gemmam pretiosam in eo. Et sic diligit annulum, & magni pendit ipsum propter lapidem pretiosum, quem in ipso cœlavit: Ita pariter Deus creavit Virginem Mariam, & in creando omni genere virtutum ornavit & decoravit, & sufficienter disposuit, ut esset digna fieri Mater Dei, ut ex ipsa carnem assumeret. Et sic Christus respexit in Virgine Matre sua, & dilexit humilitatem, & charitatem, & cætera bona spiritualia, quæ à primo instanti suæ creationis in ea plantavit. Et sic ista humilitas casta, sive humilis Virginitas, fuit unus oculus, & charitas unus crinis, quibus Virgo Maria vulneravit cor Christi Sponsi sui, ut descenderet in uterum ejus. Ex quo patet, quòd Virgo Maria prius fuit Sponsa Christi, quàm Mater. Nam à principio sui esse fuit Sponsa ornata monilibus supradictis: sed postea in decimo tertio anno facta est Mater ejus per mysterium Incarnationis. Et hoc de tertio Quæsito, & toto quinto Cantico. C D

CANTICUM SEXTUM. E

Surge Aquilo, & veni Auster,
Perfla hortum meum,
Et fluant aromata illius.
Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.
Veni in hortum meum soror mea Sponsa,
Messui myrrham meam cum aromatibus meis: F
Comedi favum cum melle meo,
Et bibi vinum meum cum lacte meo.
Comedite amici, & bibite,
Et inebriamini charissimi.
Ego dormio & cor meum vigilat:
Vox dilecti mei pulsantis:
Aperi mihi soror mea,
Amica mea, columba mea,
Immaculata mea: G
Quia caput meum plenum est rore,
Et cincinni mei guttis noctium.
Expoliavi me tunica mea:
Quomodo induar illa?
Lavi pedes meos:
Quomodo inquinabo illos?
Dilectus meus misit manum suam per foramen,
Et venter meus intremuit ad tactum ejus. H
Surrexi, ut aperirem dilecto meo:
Manus meæ stillaverunt myrrham,
Et digiti mei pleni myrrha probatissima.
Pessulum ostii mei aperui dilecto meo:

At

At ille declinaverat, atque transierat. A

Anima mea liquefacta est,
Ut dilectus locutus est:
Quæsivi & non inveni illum:
Vocavi, & non respondit mihi.
Invenerunt me custodes
Qui circumeunt civitatem:
Percusserunt me,
Et vulneraverunt me:
Tulerunt pallium meum
Custodes murorum. B

SUrge *Aquilo & veni Auster.* Hoc est Canticum sextum, in quo Salomon cantat & explicat mortem & passionem Christi, unde habent virtutem, & efficaciam, & originem omnia Ecclesiastica Sacramenta, & omnia ornamenta & bona spiritualia, quibus Christus ornavit, & dotavit, & decoravit Ecclesiam Sponsam suam, prout Salomon prævidit in spiritu per mortem *Moysi.*

Ad cujus intellectum est notandum, prout legitur *Deuteron.* 33. & 34. quòd postquam *Moyses* comminatus fuerat maledictionem & punitionem obstinatis filiis Israel secundum carnem, qui Christum erant crucifixuri, & in eadem perfidia permansuri, ascendit in montem *Abarim*, & considerando illam terram, prævidit in spiritu totam futuram dispositionem, & multiplicationem Ecclesiæ, & filiorum Israel secundùm spiritum & promissionem per Christum ex duodecim Apostolis regenerandorum; & sic benedixit filiis Israel secundùm spiritum & promissionem, & postea mortuus est Moyses in illo monte, & sepelivit eum Dominus per Angelum suum *Michaelem*, ut dicitur in *Canonica Judæ*, nec amplius inventum est corpus ejus, nec aliquis novit ipsum usque in præsentem diem: & ideo fleverunt eum filii Israel triginta diebus. Per quod mysterium prævidit Salomon in spiritu, qualiter Christus per Moysen figuratus primò debebat prænuntiare & comminari Judæis crucifixoribus suis & obstinatis futuram damnationem, prout fecit *Matthæi* 22. & 23. & 24. Et postea benedicere Ecclesiæ suæ, scilicet Apostolorum, & Discipulorum, & omnium fidelium futurorum, prout fecit, *Joann. capit.* 13. usque ad 17. inclusivè. Postea debebat ascendere in montem Crucis, & ibi pro omnibus nobis realitet mori, & in sepulchro sepeliri: cujus corpus de cætero nemo mortale & passibile poterat videre: C D

quia postquam surrexit, *amplius non moritur, nec mors illi ultra dominabitur.* E Item prævidit in spiritu, qualiter tota Ecclesia Apostolorum & mulierum debebat facere magnum planctum super mortem Christi, & quærere eum in sepulchro: sed non amplius ipsum mortalem reperire, sicut factum est, prout referunt omnes Euangelistæ.

Omnia ergo ista prævidens Salomon in spiritu, fecit hoc sextum Canticum, in quo introducit Christum cantantem & explicantem mysterium suæ passionis & mortis. Duo ergo facit Salomon in hoc Cantico. Nam prius introducit Christum explicantem suam passionem. Secundò introducit Ecclesiam Discipulorum & mulierum deflentem passionem Sponsi sui F Christi, & quærentem ipsum in sepulchro. Ibi: *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.*

Quantum ad primum est valde notandum, quòd Salomon considerat Christum Redemptorem tamquam unum corpus aromaticum, sive tamquam unam apothecam, sive tamquam unum hortum plenum arboribus & plantis aromaticis: qui quidem hortus contrariis ventis passionis agitatus emisit diversos odores pretiosissimos, ex quibus fuerunt confecta pretiosissima unguenta ad sananda vulnera peccatorum. Sed quia odor est valde diffusivus & multiplicativus, prout dicit *Commentator in secundo de anima*: quia G vultures ultra mille milliaria venerunt ad corpora mortuorum in bello Trojano, sentientes de loginquo odorem eorum: ideo tantæ virtutis fuit odor Christi, quòd per quatuor mille annos ante ejus adventum omnes Patres veteris Testamenti senserunt ejus odorem. Et sic *Adam* & *Abel* & *Noe*, & omnes posteri fideles jam currebant ad Christum per odorem fidei ipsius, prout dictum est in *primo Cantico.*

Item secundò est etiam cum fide & charitate advertendum secundum *Augustinum super Joann. & super Genes.* quòd sicut tota *Eva* erat virtualiter in illa costa *Adæ* intra ipsum Adam antequam formaretur, & exiret de latere H ejus in mulierem: ita pariter tota Ecclesia erat virtualiter in corpore & ventre Christi ante passionem, quæ postea exivit de latere Christi, quando Miles aperuit ipsum, & exivit sanguis & aqua, unde habent virtutem & efficaciam omnia Ecclesiastica Sacramenta. Et sic asserit *Augustinus*, quòd tota Ecclesia erat virtualiter in corpore Christi, & exivit realiter de latere ejus per mortem & passionem. Sed cum ista Ecclesia Sponsa Christi dicatur *hortus conclusus*, & *fons signatus*, & hortus in quo crescunt & germinantur poma & aromata Ecclesiastica; est ergo di-

dicendum, quòd totus iſte hortus aromatum virtualiter erat in corpore Chriſti ante mortem & paſsionem. Sed per talem paſsionem iſte hortus emiſit & expiravit odorem, & aromata fructuum, & Eccleſiaſticorum Sacramentorum ad extra, ex quibus aromatibus conſtat formaliter Eccleſia, prout dictum eſt. Sed ſicut arbores aromaticæ non emittunt odorem, niſi quando contrariis ventis agitantur: ita pariter corpus Chriſti, in quo virtualiter continebantur aromata Eccleſiaſtica, noluit illa emittere, niſi valde agitatum ictibus, & vulneribus percuſſum. Unde arbor myrrhæ duobus modis diſtillat liquorem ſuum: uno modo in menſe Martii & Aprilis, quando agitatur ventis contrariis: & illa dicitur *myrrha prima*, ſed pauca. Sed poſtea agricolæ faciunt inciſuram in cortice lateris illius arboris, & tunc emanat myrrha copioſa: Ita pariter fuit in paſsione Chriſti. Nam primo Judæi & Gentiles, tamquam venti contrarii, agitarunt, & percuſſerunt, & flagellarunt corpus Chriſti: & tunc ille ſanguis flagellorum, & etiam clavorum fuit quaſi myrrha prima: ſed poſtea miles aperuit lanceâ latus Chriſti, & tunc exivit copioſè ſanguis & aqua, quaſi myrrha ſecunda in medelam & ſalutem omnium peccatorum. Et ideo in hoc libro ſemper per myrrham intelligitur ſanguis & paſsio Chriſti, & ſic etiam per omnia alia aromata hîc memorata.

A B

Iterum autem eſt advertendum ſecundum *Auguſtinum & Magiſtrum primi ſententiarum, diſtinctione ultima*: quod quatuor voluntates concurrerunt in mortem & paſsionem Chriſti, ſcilicet, voluntas bona Dei Patris, qui *propter nimiam charitatem qua dilexit nos, miſit Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, ut damnaret peccatum noſtrum in carne, *ad Rom.* 8. Secunda fuit mala voluntas Judæorum: qui ex invidia & malitia occiderunt eum, ne regnaret ſuper eos, & ne perderet locum & gentem. *Joan.* 11. Tertia fuit bona voluntas Patriarcharum, & Prophetarum, & omnium fidelium veteris Teſtamenti petentium Chriſtum, ut veniret in carne ad liberandum genus humanum, ut patet per totum diſcurſum Legis & Prophetarum, ut patuit in *primo Cantico*. Quarta fuit bona voluntas Chriſti, qui ſponte tradidit ſemetipſum pro nobis; primò, ut placeret & obediret Deo Patri, ut patet *Matth.* 26. & *Lucæ* 22. cum dixit Patri: *Fiat voluntas tua*. Secundò, ut toti generi humano ſubveniret, & ipſum liberaret, ut ipſe dicit *Joann.* 10. *Animam meam pono pro ovibus meis*. Et ſic dicit *Auguſtinus*, quòd bona voluntas Patris & Filii, & etiam omnium fidelium, fuit completa per malam voluntatem Judæorum. Sed mala voluntas Judæorum dicitur contraria voluntati Patris & Filii, & fidelium, quantum ad intentionem & finem: ideo iſtæ voluntates, ſcilicet, Dei Patris, & Judæorum deſignantur per duos ventos contrarios, ſcilicet, per *Aquilonem*, & *Auſtrum*. Quatuor ergo venti, id eſt, quatuor voluntates deſignatæ per quatuor ventos perflaverunt & agitaverunt hortum Chriſti, ut fluerent & expirarent aromata paſsionis ejus ad noſtram ſalutem.

C D E

Quæ quidem quatuor voluntates deſignantur per quatuor ventos. Nam per *Aquilonem* deſignatur mala, & frigida, & atrox, & invida voluntas Judæorum. Et per *Auſtrum* deſignatur voluntas Patris. Et per *Orientalem ventum* deſignatur voluntas Filii. Et per *Occidentalem* deſignatur voluntas omnium fidelium. Et has quatuor voluntates concurrentes ad paſsionem Chriſti explicat Salomon per Chriſtum in hac parte.

F

Unde ait: O *Aquilo*, id eſt, aſpera & frigida voluntas Judæorum per defectum charitatis, *ſurge* cum impetu & violentia contra me. Et ò tu *Auſter*, id eſt, benigna & charitativa voluntas Patris, *veni*, & ſimul cum Aquilone *perfla*, & agita *hortum meum*, id eſt, corpus meum, per mortem & paſsionem. *Et fluant*, & expirent, & manent *aromata illius* per vulnera flagellorum, & clavorum, & lanceæ in virtutem & efficaciam Sacramentorum.

G

Et nota, quod in hac locutione explicatur ſpontanea voluntas Chriſti Filii Patris, quæ excitat voluntatem Patris, & Judæorum, ut ſurgant, & veniant ad perflandum hortum ejus: unde Chriſtus voluntariè & ſponte ſe obtulit Judæis, quando dixit *Apoſtolis*: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur*. Item quando dixit Judæis: *Quem quæritis? Ego ſum: ſi ergo me quærites, ſinite hos abire*. Item, tunc ſe ſponte obtulit Patri quando dixit: *Fiat voluntas tua*. Et ſic patet triplex voluntas.

H

Sed quarta, ſcilicet voluntas omnium fidelium veteris Teſtamenti explicatur, cum ſubditur in perſona Sponſæ: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*. Unde Sponſa, id eſt, tota Eccleſia fidelium veteris Teſtamenti, uſque ad *Zachariam*, & *Simeonem*, & *Joſeph*, & *Virginem Mariam* incluſivè cum magno deſiderio vocat Chriſtum, ut veniat in hortum paſsionis, & colligat, & comedat, & guſtet fructum ſuæ paſsionis, ad fideles reficiendos, & vivificandos, & nutriendos. Dicit ergo Sponſa: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*, id eſt, ſuæ paſsionis, *ut comedat fructum pomorum ſuorum*, ſcilicet, recipiat alapas, & flagel-

gella,& vulnera. Quasi dicat: Sicut Adam comedit pomum ligni prohibi in horto paradisi in perniciem totius generis humani: ita *veniat dilectus meus* in hortum passionis, *& comedat fructum pomorum* suæ passionis in salutem omnium credentium. A

Deinde cum dicit: *Veni in hortum meum soror mea Sponsa.* Hic ponitur gratiosa Sponsi responsio annuentis votis & petitionibus Sponsæ. Unde est advertendum, quòd tota Passio Christi fuit actus justitiæ & punitionis pro peccato primorum parentum, & raptu cibi prohibiti, quem rapuerunt in horto paradisi contra voluntatem Dei: qui quidem fructus licèt eis visus fuerit pulcher & dulcis: tamen nobis fuit fœtidus & amarus, in quantum corrupit totum genus humanum. Et ideo Christus, qui voluit superare diabolum, non fola potentiâ, sed verâ justitiâ, voluit in se pro nobis luere & pati pœnam illius peccati: & quod non rapuit, voluit exsolvere. Unde sicut Adam in horto paradisi commisit crimen: ita Christus expiator illius sceleris, voluit intrare hortum *Getsemani*, & ibi oravit pro Adam, & omnibus posteris ejus: & ibi voluit capi, & ligari, & trahi, & percuti per Ministros Pontificum. Item quia Adam extendit manus ad arborem, & rapuit fructum prohibitum: ita Christus extendit manus & brachia in arbore Crucis, & ibi fuit manibus & pedibus conclavatus, & lanceâ percussus. Item Adam comedit pomum dulce advescendum: sed Christus bibit acetum myrrhatum & amarissimum in cruce. Sed licet illa passio fuerit Christo amarissima sicut myrrha: tamen fuit nobis dulcissima sicut mel, quoad effectum, & fuit odorifera sicut omnia aromata confortativa, & inebriativa sicut vinum, & nutritiva sicut lac. B C

Et ideo ponuntur hîc, & memorantur sex liquores, quibus passio Christi comparatur quoad effectum quem facit in nobis, scilicet, myrrha, & cætera aromata, & favus cum melle, & vinum cum lacte. Unde licèt myrrha sit amara; tamen est malorum humorum purgativa, & à corruptione præservativa: ita passio Christi licet fuerit ipsi amara & dolorosa, tamen fuit malorum humorum nostri peccati purgativa, & à futura corruptione præservativa: & hoc per virtutem quam contulit Baptismo ad purgandum peccatum originale, & Pœnitentiæ ad purgandum actuale & veniale; & est præservativa à corruptione per Sacramentum Confirmationis: & sic passio Christi fuit sicut myrrha, quæ distillat ex latere illius arboris. Item, sicut omnia aromata licet semel sint ex arbore collecta, tamen semper expirant & redolent odorem suavissimum: Ita pariter passio Christi licet semel fuerit facta & collecta ex arbore Crucis; tamen semper redolet & emittit suavissimum odorem aromaticum, & distillat suum saporem dulcissimum, sicut favus, & sicut mel. Est ergo nobis passio Christi per virtutem quam contulit Sacramentis, purgativa, va, sicut myrrha, odorifera sicut omnia aromata; & distillativa virtutis sicut favus, & dulcissima sicut mel, & confortativa, & inebriativa sicut vinum, & nutritiva sicut lac, maximè per Sacramentum Eucharistiæ. Hos autem fructus dixit Christus se collegisse ex horto passionis, & comedisse, & gustasse in arbore Crucis. D E

Dicit ergo Christus: O Ecclesia *Soror mea* per assumptionem humanitatis, & *Sponsa* mea per mysticam unionem, & in fide desponsationem, jam *veni in hortum meum* hujus peregrinationis & passionis; & *in hortum* orationis, ut annuerem votis & clamoribus tuis, quibus ab initio mundi me vocasti per Patriarchas, & Prophetas, & fideles veteris Testamenti. Et jam *messui myrrham* meæ passionis *cum aromatibus meis*: id est, cum odoriferis effectibus & virtutibus meæ passionis: & jam *comedi favum cum melle meo* omnibus fidelibus dulcissimo, & jam *bibi vinum* vobis confortativum *cum lacte meo* ad vestram nutritionem & refectionem. *Comedite* ergo *amici* hunc favum mellis, quod pro vobis pa- F
ravi, *& bibite*, *& inebriamini* hoc vino G
charitatis & virtutis inebriativæ & nutritivæ: quia hunc cibum & potum desiderarunt omnes Patriarchæ & Prophetæ, & omnes fideles veteris Testamenti. Quem cibum & potum non potuit dare Moyses, nec etiam Lex per ipsum data: quem cibum non poteratis recipere, nisi per mortem & passionem meam.

Jam ergo est tempus recipiendi istum cibum & potum ex mea passione manantem: quia etsi *ego dormio* somno mortis, tamen *cor meum vigilat* in vestra redemptione. Unde licet videatis me verè mortuum in Cruce & in sepulchro; H
tamen *cor meum*, id est, anima mea, *vigilat*. Quia descendit ad inferos ad condemnandum diabolum, & liberandos Sanctos Patres & fideles.

Unde nota: quòd licèt Christus penderet mortuus in Cruce, & jaceret in sepulchro: tamen semper vigilabat in exercendo opera nostræ redemptionis: nam anima ejus unita cum Verbo judicabat diabolum in inferno, discutiendo & examinando causam nostram. Et corpus ejus unitum eidem Verbo, semper distillabat virtutem & merita illius passionis ad nostram salutem; & distillabat virtutem Sacramentorum. Nam post emissionem spi-

ſpiritus Miles lancea aperuit latus ejus, unde exivit ſanguis & aqua in remiſsionem & pretium peccatorum, & virtutem Sacramentorum: & ſic licèt Chriſtus eſſet verè mortuus; tamen cor ejus ſemper vigilabat exercendo opera noſtræ redemptionis. Unde mors ejus dicta eſt *dormitio*, propter facilitatem reſurrectionis & evigilationis. Item, Chriſtus dicebat ſe in illa morte dormire propter firmam ſpem reſurrectionis: & dicebat ſe vigilare propter continuum exercitium, & unicum actum noſtræ redemptionis: quia dum eſſet jam mortuus, fuit in latere vulneratus, unde exivit pretium noſtræ redemptionis. Et ſic vigilabat in noſtra redemptione non ſolum quoad animam, ſed etiam quoad corpus. Unde notandum quod totam iſtam cantilenam cantavit, & omnia iſta verba dixit Chriſtus in Cruce, & omnia iſta verba audierunt Virgo *Maria*, & *Joannes Evangeliſta*, qui erant ibi juxta Crucem tamquam procuratores pro tota Eccleſia, & etiam *Magdalena*, & aliæ mulieres, quæ erant non longe à Cruce. Nam cum Chriſtus dixit: *Sitio*, vocabat omnes fideles cum magno deſiderio ad guſtandum fructum ſuæ paſsionis, ut inquit *Auguſtinus*.

Ideo Sponſa audiens vocem Chriſti vocantis eam de Cruce ad guſtandum fructum ſuæ paſsionis, dicit: *Vox dilecti mei pulſantis*, id eſt, audita eſt mihi vox dilecti mei pulſantis ad oſtium meum.

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd Salomon comparat in hac parte ſolicitudinem Chriſti in noſtra redemptione ad ſolicitudinem Sponſi & amantis temporalis erga ſuam Sponſam, ſive amaſiam. Nam conſuetudo eſt amantium in nocte dum cæteri dormiunt, venire ad oſtium ſponſæ: & ibi cantare, & exponere amorem ſuum, & laborem, & dolorem, quem patitur & ſuſtinet amore ejus: immò ponit manum per feneſtram pulſando, & faciendo ſignum intra domum, ut ipſum audiat ſponſa. Et ſi ſponſa diligit eum compatiens illi, ſurgit à lecto, ut aperiat ipſi, & confabulentur adinvicem, & reddet ipſi vicem amoris. Ita ergo pariter fecit Chriſtus Sponſus noſter in noſtra redemptione. Nam dum nos eſſemus in lecto tenebrarum, & peccatorum, & ignorantiæ, & in nocte cærimonialium & ſuperſtitionis Gentilitatis, venit de Cœlo in terram, & per tres annos pulſavit ad oſtium noſtrum cantando doctrinam Euangelicam: & tandem venit ad oſtium Crucis, per quod intramus in iſtam Eccleſiam per gratiam, & ibi poſuit manum ſuam per foramen, quando ibi fuit conclavatus, & lancea percuſſus, & ibi vocando nos ad fidem, & gratiam, & fructum ſuæ paſsionis, cantavit iſtam cantilenam, quam Salomon explicat in hoc loco. In quo cantico Chriſtus explicat labores & dolores, quos pro nobis ſuſtinuit & paſſus eſt; & explicavit amorem quem gerebat erga Eccleſiam Sponſam ſuam. Et hoc explicavit per ſeptem verba, quæ dixit pendendo in Cruce.

Quorum primum verbum direxit ad Patrem, dicens: *Heli heli lamma Sabacthani*, id eſt, *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Id eſt, quare dereliquiſti membra mea, & totum genus humanum per tot tempora in poteſtate diaboli propter peccatum ipſius Adæ? Et quare me dereliquiſti in poteſtate Judæorum, ut ego patiar pro peccato omnium hominum? Secundum verbum direxit ad Patrem pro omnibus peccatoribus, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Tertium verbum direxit ad latronem pendentem, & veniam petentem, dicens: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* Quod quidem verbum dirigitur omnibus pœnitentibus. Quartum verbum direxit ad Matrem, dicens: *Mulier, ecce filius tuus: & ad Diſcipulum: Ecce Mater tua*: ubi non appellavit eam Matrem, ſed mulierem: ad oſtendendum, quòd Chriſtus patiebatur ibi tamquam perſona communis, & caput Eccleſiæ: Et ſic Virgo Maria erat membrum Chriſti; & per conſequens ita patiebatur pro ea, ſicut pro cæteris. Nam illa gratia, qua Virgo Maria fuit ſanctificata in primo inſtanti ſui eſſe, per quam fuit præſervata ab originali peccato, traxit virtutem ex paſſione Chriſti. Ideo Virgo Maria fuit verè redempta, & perfectiùs quàm cæteri, ſicut dictum fuit in Expoſitione *Pſalmi* 45. & ſuper *Magnificat*. Et ideo Chriſtus in Cruce non appellavit eam Matrem, ſed mulierem, tamquam membrum Eccleſiæ cum cæteris redemptum. Quintum verbum fuit *Sitio*: Per quod verbum oſtendit Chriſtus deſiderium ſalutis & redemptionis omnium noſtrûm. Et ſic per tale verbum vocabat omnes ad participandam ſuam paſsionem, ut inquit *Auguſtinus*. Et ſic in hoc verbo includitur totum iſtud Canticum, ut videbitur. Sextum verbum quod dixit, fuit: *Conſummatum eſt*: Per quod oſtendit Chriſtus, quòd omnia myſteria & promiſſa Patriarcharum, & dicta omnium Prophetarum erant in ſe completa & verificata: & per conſequens, quòd jam ſecerat debitum ſuum quoad paſsionem, & noſtrarum redemptionem animarum: quia non reſtabat niſi reſurrectio quoad redemptionem corporum. Septimum & ultimum verbum fuit, quando dixit: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Ubi commendavit etiam Patri animas omnpoſ-

nium fidelium & credentium. Sed cum postea subdit: *Redemisti me Domine Deus veritatis*, loquitur in persona membrorum: quia Christus in capite non fuit redemptus, sed Redemptor suorum membrorum. Sed appellat Patrem Redemptorem, in quantum acceptavit passionem Filii in pretium nostræ redemptionis, ut dictum est *Psalm.* 17. & 30. Et sic Christus dictis supradictis verbis expiravit & emisit spiritum: ubi fuit ostensa vera mors ejus.

Hæc ergo septem verba fuerunt illud Canticum quod Christus cantavit in Cruce ad ostium Sponsæ. Quod quidem canticum audivit Beata Virgo Maria, & Joannes stantes juxta Crucem in persona totius Ecclesiæ. Quæ quidem verba intraverant per foramen & fenestram animæ Virginis Mariæ, & pulsaverunt animam ejus, & pertransiverunt, & vulneraverunt eam tamquam gladius, & commoverunt omnia viscera ejus, sicut prædixerat ipsi *Simeon.*

Hoc ergo mysterium explicat Salomon in persona Christi in hoc Cantico: Unde ait, quod dum Christus Sponsus diceret verba supradicta pulsando in Cruce ad ostium humanæ naturæ, vocando eam, tunc Sponsa jacens in lectô doloris & mæroris, dixit intra se: Audita est mihi *vox dilecti mei* ad ostium *pulsantis.* Sed dum ipsa surgebat ad aperiendum, tunc ipse Sponsus semper continuabat suum Canticum & verba, dicens de Cruce: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea.* Et appellat humanam naturam *sororem*, in quantum ex ea assumpsit carnem in unitatem suppositi: & appellat *amicam*, quia majorem amicitiam & charitatem non potuit ipsi ostendere, quàm pati pro ea: & appellat eam *columbam*, in quantum per suam passionem reddidit eam pulchram non habentem rugam neque maculam, ut dictum est in Cantico præcedenti.

Dicit ergo: *Aperi mihi* portas infidelitatis & tenebrarum, & recipe me per fidem, & efficieris amica & columba mea: quia propter te descendi de cœlo, & peregrinatus sum, & perambulavi terram cum fame & siti & multis laboribus, ut quærerem ovem perditam, & finaliter in fine peregrinationis fui captus in horto & ligatus, & per terram tractus, & per totam istam noctem afflictus amore tui, & ductus ad domum *Annæ*, ubi recepi alapam, & multa opprobria & convitia; & exinde ad domum *Caiphæ*, ubi fui percussus in facie, & conspútus, & contumeliis affectus: & deinde fui ductus ad domum *Pilati*, & ibi flagellatus: & sic *dedi corpus meum percutientibus, & genas meas vellentibus.* Et amore tui *faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.*

Et ideo *aperi mihi: quia caput meum plenum est rore* sudoris & sanguinis ex ictibus & percussionibus; *& cincinni*, id est, capilli mei pleni sunt *guttis noctium.* Quasi dicat: sicut amasius & Sponsus patitur rorem & pluviam vigilando ad ostium & fores Sponsæ: ita ego quærendo Sponsam meam per totam illam noctem, passus sum pluviam alaparum, & ictuum, & percussionum, & sputorum, & flagellorum, & sic *caput meum plenum est rore*, id est, sudore: & *capilli mei guttis noctium*, quæ solent cadere in nocte super capillos amantium. Et appellat Christus omnia illa flagella & convitia guttas noctium, eò quòd tam Judæi, quàm milites Pilati affligentes Christum erant in nocte tenebrarum. Ideo dixit eis: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Nam Judæi erant obtenebrati per invidiam & malitiam: Gentiles vero per ignorantiam: Discipuli autem, & præcipue Petrus, per cæcitatem negationes. Et sic omnes ambulabant in nocte tenebrarum. Et sic non solum affligebant Christum in illa nocte temporis, sed etiam in nocte peccatorum & tenebrarum.

Sed quia Christus per tot afflictiones quas passus fuerat in nocte fuit in meridie Crucifixus, & in latere percussus, & verè mortuus, quia anima fuit corpore expoliata: ideo subdit: *Expoliavi me tunica mea:* scilicet tunicâ corporis: quia corpus verè fuit ab anima in cruce separatum, & destitutum; & anima descendit ad inferos, ad Sanctos Patres & fideles omnes liberandos. Sed quia tale corpus expoliavit, ut nostram mortem destrueret: ideo in resurrectione recuperavit corpus immortale & impassibile, & sic non recuperavit mortalitatem, nec alios defectus corporales & humanos: quia omnia illa manserunt in sepulchro cum omnibus cærimonialibus incinerata. Et sic Christus in Cruce non solum exuit, & expoliavit corpus ab anima: sed per amplius tunicam mortalitatis & passibilitatis, & tunicam gravem omnium cærimonialium & legalium: quia omnia ista fuerunt mortua & crucifixa cum Christo, ut inquit *Apostolus ad Coloss.* 2.

De hac ergo tunica legali, & de tunica mortalitatis & passibilitatis dicit: *Quomodo induar illa?* Quasi dicat nullo modo: quia numquam amplius induar tunicâ mortalitatis: quia Christus amplius non moritur, nec mors illi ultra dominabitur. Nec amplius induar tunicâ cærimonialium & legalium: quia jam est rupta & putrefacta, & mansit incinerata in sepulchro: quia Pascha Judæorum fuit mortuum cum omnibus legalibus, & crucifixum in Cruce cum Christo, & se-

sepultum cum eo : & Sabbatum fuit signatum & inclusum in sepulchro cum Christo. Sed in die Dominica non surrexit Pascha nec Sabbatum cum Christo, sed sola dies Dominica, Paschâ & Sabbato cum omnibus legalibus manentibus in sepulchro incineratis : sicut dictum fuit in *Tractatu contra Judæos*, *Quæstione prima*, *& secunda.* ? Et de hac tunica putrefactâ & incineratâ dixit Christus: *Quomodo induar illa* ? Quasi dicat: Nullo modo : quia recuperavit & reinduit corpus ; sed non cum tali tunica mortali & legali. A

Item, quia Christus in Cruce *lavit pedes* & manus suas sanguine effuso per vulnera in ablutionem peccatorum, qui quidem pedes non amplius fuerunt coinquinati sanguine mortali : ideo subdit: *lavi pedes meos : quomodo coinquinabo illos.* Quasi dicat : nullo modo coinquinabo illos sanguine mortali, postquam semel passus sum, & surrexi in corpus immortale & glorioſum. B

Et nota : quòd Christus madefaciendo pedes & manus & corpus suum illo sanguine, lavit & mundavit manus, & pedes, & totum corpus Ecclesiæ suæ ab omni sorde peccati : quæ quidem Ecclesia numquam amplius coinquinabitur quantum ad formam, licèt quotidie possint coinquinari quædam materialia membra : sicut dictum est in *Cantico præcedenti.* In Hebræo autem habetur : *Lavi manus meas : quomodo coinquinabo illas.* Sed totum potest esse : quia Christus in C passione non solum lavit manus Sponsæ, sed etiam pedes & totum corpus, ut dictum est : quia lavit peccata, & affectiones, & conscientias omnium fidelium : & sic reliquit Ecclesiam suam *non habentem rugam neque maculam*, eo modo quo dictum est.

Sed dum Sponsus cantaret verba sua in cruce, *misit manum suam per foramen* lateris, quando miles lanceâ aperuit ipsum. Et introivit vox ejus pulsando usque ad interiora Sponsæ : ideo dicit Sponsa : *Dilectus meus Christus misit manum suam per foramen*, id est, fenestram ostii mei, scilicet, per latus suum: D per quod exivit tota Ecclesia : & per quod ingreditur & egreditur in cubile Ecclesiæ, & sic per illud foramen misit Christus manum : & tetigit manum & conscientiam Sponsæ : quia in corpore Christi erat virtualiter tota Ecclesia, ut supra dictum est : quia tunc *apertum est ostium in cœlo*, *& visa est Arca Testamenti*, *Apocal.* 11. quia omnia mysteria Legis veteris fuerunt manifestata & consummata in corpore Christi, & in apertione lateris ejus. Et ideo dicit Sponsa: *Dilectus meus misit manum per foramen: & venter meus intremuit ad tactum ejus.* Hoc dicit, quia tota virtus Sacramentorum, quæ est in utero Ecclesiæ, E exivit ex latere Christi : ex quo utero quotidie & assiduè Christus regenerat fideles per Baptismum, & alia Sacramenta.

Item Christus cantando in Cruce misit manum suæ virtutis, & suæ passionis per foramen & fenestram conscientiæ animæ *Virginis Mariæ*, & totius Ecclesiæ : quia in tantum Virgo Maria fuit tacta dolore cordis, quòd illa passio pertransivit & penetravit tamquam gladius aniam ejus. Et sic etiam est dicendum de tota Ecclesia, quam passio Christi & ejus virtus penetravit usque ad interiora. Ideo dicit Sponsa : *Surrexi*, *ut aperirem dilecto meo : & manus meæ distillaverunt myrrham : & digiti mei pleni* F fuerunt *myrrha probatissima.* Hæc dicit: quia passio Christi tantam impressionem fecit in anima Virginis, quod anima Virginis erat tamquam fons myrrhæ passionis Christi : quod sic est intelligendum. Nam quando quis ponit manum in melle ; tunc manus & digiti ejus distillant mel. Ita pariter anima Virginis, & manus & digiti Ecclesiæ per quendam contactum distillant mel, quod ex passione Christi emanat. Nam quando Christus posuit manum per latus suum & tetigit Ecclesiam, quæ virtualiter erat in corpore suo, implevit eam myrrhâ suæ passionis : & sic manus & digiti Sponsæ, quæ est potestas & virtus ipsi collata, G dicuntur distillare myrrham : quia continuè dispensant merita passionis Christi per Ecclesiastica Sacramenta. Et sic dicimus, quod per quandam redundantiam manus Ecclesiæ sunt plenæ myhrhâ, & distillant myrrham passionis Christi fidelibus distribuendo & dispensando. Item, manus & digiti animæ Virginis Mariæ, & Apostolorum, & mulierum, fuerunt pleni myrrhâ præ amaritudine & dolore passionis Christi.

Deinde cum dicit : *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo*, est advertendum quòd *pessulum* est quoddam instrumentum & sera ferrea, & dicitur à *pendendo:* H eò quòd in die pendet ex una portarum, sed in nocte per transversum colligat ambas portas & fores, & sic claudit totam domum. Ita pariter per totum tempus & noctem Legis ante adventum Christi Ecclesia erat clausa pessulo cærimoniarum. Sed quando Christus posuit manum per fenestram, & vocavit Sponsam, tunc illa surrexit à lecto Legis, & removit pessulum cærimoniarum ; & sic apertæ sunt fores Legis, & patefacta est Ecclesia Christi, quæ intra cærimonialia latebat. Sponsa enim aperuit & removit pessulum portarum animæ suæ, quando Magdalena & cæteræ mulieres, & mul-

multi alii videntes Christum mortuum in Cruce, crediderunt ipsum esse Filium Dei, videntes eclipsim solis & lunæ, & A tenebras super universam terram, & monumenta aperta, & velum templi scissum: ideo dixit *Centurio*: *Vere Filius Dei erat iste.* Et multi reversi sunt in civitatem percutientes pectora sua, *Lucæ* 23.

Et ideo dicit Sponsa, quòd surrexit ut aperiret dilecto, & aperuit pessulum, ut loqueretur, & reciperet Sponsum suum ad ostium canentem & vocantem: *at* pro sed, *ille declinaverat*: quia jam emiserat spiritum, & mortuus erat, *atque transierat* de hoc mundo per mortem. Item Sponsa aperuit pessulum dilecto suo, quando *Maria Magdalena* B cum altera Maria emerunt aromata, ut irent ad monumentum, & ungerent Jesum: *Angelus autem Domini descendit de cœlo, & accedens revoluit lapidem*, qui erat tamquam pessulum claudens sepulchrum: sed quando mulieres venerunt ad sepulchrum, viderunt lapidem revolutum, & sepulchrum apertum, sed non invenerunt Jesum: quia jam surrexerat, & *declinaverat*, & recesserat, & *transierat* de morte ad vitam immortalem. Nam primo *declinaverat* in Cruce de vita ad mortem. Et *declinaverat* ad infernum ad liberandos patres: sed ex sepulchro quando surrexit, transivit de morte ad vitam gloriosam. Et ideo *anima* Virginis, & aliorum fidelium primò *liquæfacta est* dolore & amaritudine cordis, quando vidit ipsum mortuum in Cru- C ce: sed liquefacta est immenso gaudio, quando certificata est per multas visiones ipsum resurrexisse. Et ideo dicit: *Anima mea liquefacta est* dolore cordis: *ut* (pro *postquam*, & *quando*) *dilectus meus* Christus *locutus est* illa septem verba in Cruce. Sed magis fuit liquefacta gaudio, quando *locutus est* post resurrectionem.

Et ideo subdit: *Quæsivi illum, & non inveni: vocavi* illum, *& non respondit mihi*: quia dum erat mortuus non poterat mihi respondere in Cruce, nec in sepulchro.

Deinde cum dicit: *Invenerunt me custodes*, est advertendum: quod in illo D triduo tota Ecclesia Apostolorum erat absconsa in cœnaculo propter metum Judæorum, non audens confiteri Christum, nec apparere publicè. Ideo dicitur perdidisse fidem non in corde, sed in ore: quia in sola *Virginem Maria* mansit fides, ut communiter tenetur. Ex quo patet, quòd metus mortis percussit Sponsam Christi in Apostolis, & expoliavit pallium fidei ejus. Et ideo dicit Sponsa in persona Apostolorum: *Invenerunt me custodes*, id est, Principes Sacerdotum & Scribæ, & Pharisæi, qui erant cus- E todes murorum Sinagogæ: & *custodiunt civitatem* tamquam judices & rectores: qui *percusserunt me*, *& vulneraverunt me* vulnere timoris & minarum, & sic isti custodes murorum *tulerunt pallium* fidei meæ, id est, fortitudinem fidei meæ, quo ante operiebar & tegebar.

Et nota: quòd custodes civitatis, scilicet Sacerdotes & Scribæ & Pharisæi, & complices eorum, dupliciter *percusserunt & vulneraverunt* Sponsam, & tulerunt pallium ejus: Primo modo in capite: quia percusserunt & vulneraverunt Christum, & tulerunt & expoliarunt pallium corporis & carnis ab anima, & tulerunt pallium mortalitatis & pasi- F bilitatis. Secundò modo *vulneraverunt* Sponsam in membris vulnere timoris & minarum: *tulerunt pallium* fortitudinis fidei ejus, quando tulerunt Petro pallium fidei, quando ex timore negavit Christum; & tulerunt cæteris Apostolis & Discipulis pallium fidei, quando relicto eo, omnes fugerunt, & per totum triduum erant absconsi in cœnaculo propter metum Judæorum. Et etiam hoc ad litteram fuit impletum de *pallio* materiali, quando fugientibus Apostolis in captione Christi, *adolescens quidam amictus sindone super nudo* corpore, relicto sindone nudus fugit: per quod fuit figuratum, qualiter omnes fugientes perdiderunt spirituale pallium fidei, & tulerunt etiam pallium cærimoniarum, quod tegebat Ecclesiam sub legalibus. Ex su- G pradictis patet intelligentia hujus Cantici.

Sed ex dictis in hoc Cantico emergunt tres dubitationes: quarum prima est. Utrum necesse fuerit Christum pati & mori propter pretium nostræ redemptionis, & ut Ecclesiastica Sacramenta haberent efficatiam ad tollendum peccatum, & conferendam gratiam, ex eo quòd dicit: quòd Christus *messuit myrrham* Sacramentorum ex sua passione? Secundo quæritur: Utrum Christus dormiendo in Cruce & in sepulchro poterat vigilare in opere nostræ redemptionis, & mereri per vulnus lateris factum post mortem? Tertio quæritur: Utrum Apostoli per- H diderunt pallium fidei in triduo, & per consequens, si fuerunt Hæretici? & per consequens si Ecclesia Sponsa Christi mansit sine membris in illo triduo, propter hoc quod dicit: *Tulerunt pallium meum custodes murorum*?

Ad quod est dicendum: quòd Doctores Ecclesiastici, tam sacri, quàm Scholastici altissimo & subtilissimo modo disputant & pertractant has tres difficultates. Sed in hoc loco sunt pertractandæ modo humano & perceptibili, ut omnes simplices Sacerdotes & fideles valeant

capere intelligentiam hujus Cantici. Et ideo ad primum est advertendum secundùm *Augustinum* 11. *de Trinitate capit.* 13. quòd licèt Deo non defuerit alius modus nos redimendi sibi possibilis; tamen iste modus passionis Christi fuit magis justitiæ congruus & nobis magis utilis: quia diabolus amator potentiæ, impugnatorque justitiæ, non erat superandus potentiâ, sed justitiâ. Unde cum ipse sit amator potentiæ, & impugnator justitiæ, non debuit superari potentiâ quam amat, sed justitiâ quam impugnat. Ex verbis ergo *Augustini* colligitur, quòd modus passionis Christi non fuit necessarius respectu Omnipotentiæ Dei: quia aliter poterat mundi peccatam remittere; sed fuit necessarius necessitate congruentiæ respectu Divinæ justitiæ, & obstinationis diaboli, & respectu nostræ utilitatis.

Ad quorum declarationem est advertendum: quòd cùm Christus venerit in mundum tamquam metrum & mensura omnium bonorum, & regula omnium actuum humanorum; ad quatuor habuit respectum in suo adventu & passione: Primò habuit respectum ad Patrem, ad cujus voluntatem venit complendam. Secundò, ad sacram Scripturam Legis & Prophetarum, adquam venit verificandam, & confirmandam. Tertiò, ad genus humanum, ad quod venit redimendum, & relevandum, & restaurandum. Quartò habuit respectum ad diabolum, ad quem venit vincendum & expugnandum. Ad satisfaciendum ergo quatuor supradictis respectibus, necessè fuit Christum pati tale genus mortis, ut patebit per singula. Ideo ponuntur *decem conclusiones*. Quarum prima est ista:

Quòd necesse fuit Christum pati, ad complendam voluntatem Patris, & ad adæquandam justitiam cum misericordia.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd duo sunt consideranda in voluntate Dei in regimine mundi, scilicet, justitia, & misericordia. Unde per justitiam vult nullum malum impunitum: & per misericordiam vult omnes homines salvos fieri cum integritate justitiæ. Sed si profundè volumus attendere, videbimus, quod impossibile est, quòd talis voluntas Dei, scilicet, justitia Dei cum summa misericordia possit compleri & servari circa eumdem hominem, nisi interveniat passio Christi adæquans misericordiam cum justitia. Eò quòd ista duo præcipiunt & efficiunt contraria: nam summa justitia dicit, quòd nullum peccatum transeat impunitum; immò quòd solvatur omne debitum ab integro ab ipso peccatore. Sed summa Dei misericordia dicit, quòd parcatur peccatori pœnitenti, & dimittatur ipsi omne debitum, ut patet in parabola de decem millibus talentorum, *Matth.* 18. Sed hoc est impossibile respectu peccatoris. Nam si omne peccatum puniatur in peccatore secundùm quantitatem suam, tunc pœna peccatoris erit infinita in quantitate durationis; eò quòd omne peccatum mortale est infinitum in quantum committitur contra objectum infinitum, qui est Deus, à quo peccator avertitur & separatur; per quam aversionem meretur ad minus pœnam damni in infinitum, prout communiter tenent omnes Doctores: & per conversionem ad bonum commutabile meretur pœnam sensûs æternam: & per consequens impossibile est, ut cum tali justitia Dei possit stare misericordia, quæ dimittit omne debitum. Et ideo fuit necessaria passio Christi, quæ adæquaret justitiam Dei cum misericordia, & econverso: quia per passionem fuit in eo sufficienter punitum omne peccatum suorum membrorum, & per eandem passionem fuit nobis dimissum omne debitum & pœna æterna. Et sic ibi fuit completa & observata justitia simul cum misericordia. Et ideo in quantum Christus passus est, & punitus pro peccatis omnium nostrûm, dicitur *Isaiæ* 53. *Omnes nos quasi oves erravimus, sed Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, & vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.* Et sic patet, qualiter omnes fuimus in Christo verè puniti, & justitia Dei fuit in eo completa. Sed in quantum in eo fuit nobis dimissum omne debitum æternum, & nobiscum facta misericordia, dicitur *Psalm.* 102. *Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors. Non in perpetuum irascetur: neque in eternum comminabitur. Non secundùm peccata nostra fecit nobis, nec secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Ex quibus patet, quòd omnes nos justè merebamur æternam pœnam pro peccatis nostris & primorum parentum, & secundum quantitatem & exigentiam eorum. Sed ex misericordia Dei per passionem Filii ejus dimisit omnes iniquitates nostras. Et sic in Christo & per Christum facta est simul justitia & misericordia erga nos. Et ideo dicitur *Psalm.* 83. quòd in Christo *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Et sic patet, qualiter sola passio Christo potuit adæquare justitiam Dei cum misericordia, & econverso, erga genus humanum.

Sed hîc occurrunt duo dubia: quorum primum est: Quomodo passio unius ho-

hominis Christi potuit sufficienter satisfacere pro peccatis omnium hominum, qui merebantur pœnam æternam ? Secundò, dato quod Christus hoc potuerit facere, dubitatur, quomodo nos potuimus illam passionem participare, & quomodo illa passio potuit nobis prodesse ?

Ad primum respondetur secundùm *Augustinum*, libro *cur Deus homo cap.* 9. quòd propter quatuor passio Christi fuit tantæ virtutis & valoris, ut pro omnibus peccatis posset satisfacere in infinitum. Primò, quia Christus erat Deus & homo : & per consequens infinitæ virtutis. Secundò, quia Filius Dei unigenitus & dilectissimus. Tertiò, quia innocens & justissimus. Quartò, quia cum summa & extensa charitate & obedientia & humilitate illam passionem pro nobis susceptit. Propter primum ergo fuit ejus pretium infiniti valoris intensivè ad tollendam pœnam infinitam. Propter secundum verò fuit Deo acceptabile sacrificium. Propter tertium potuit pro cæteris pati & satisfacere, postquam ipse erat immunis ab omni peccato. Propter quartum verò fuit simul Deo acceptabile, & omnibus utile, & infinitum extensive. Et ideo dicit *August.* in loco præallegato: *Gratias igitur Omnipotenti Deo agimus: quia sicut graviter cecidimus, ita mirabiliter & misericorditer sumus relevati, & misericordiam omne debitum transcendentem pro mediatoris morte reperimus. Nempe quid misericordius intelligi potest, quàm cùm peccatori æternis tormentis damnato, & unde se redimat omnino non habenti, Pater dicat: Accipe unigenitum meum, & da pro te ? & ipse Filius dicat : Tolle me, & redime te. Quid ergo justius, quàm cui datur pretium majus omni debito, ut peccatum dimitat illi, qui pro debito offert hoc pretium ?* Ex dictis Augustini patet, quòd Christi passio ideo est pretium infinitum majus omni debito, eò quòd Christus est Deus & Filius Dei unigenitus ; & illa passio fuit Deo pro omnibus acceptabilis : quia facta fuit cum summa charitate, in quantum Christus pro omnibus nobis se obtulit ; & fuit etiam Deo acceptabilis, & pro omnibus valida & utilis, in quantum Agnus purus, & justus, & innocens pro omnibus peccatoribus mortuus est. Ideo dicitur *Isai.* 54. *Tanquam agnus ad occisionem & ovis coram tondente ductus est : qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* : ideo *livore ejus sanati sumus.* Item 1. *Petri* 2. *Christus passus est pro nobis, qui peccatum non fecit, nec invenitus est dolus in ore ejus : qui peccata ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Item, idem Christus *pro peccatis nostris passus est, justus pro injustis.* Et sic patet, qualiter passio Christi fuit infiniti pretii, & potuit satisfacere pro infinitis peccatis. Item hoc idem fuit declaratum super *Psalm.* 17.

Sed nunc restat secundò videre, quomodo passio Christi potuit transire ad nos & prodesse nobis ? Ad hoc respondetur, prout dictum est super *Psalm.* 17. & 21. quod septem modis Christus potuit assumere causam nostram tamquam suam, & sufficienter pati pro nobis. Primo modo, tamquam advocatus. Secundò, tamquam procurator. Tertiò, tamquam fidejussor potuit pro nobis solvere pretium. Quartò, tamquam Dominus pro servo assumit belium. Quintò, tamquam pater pro filio, aut sponsus pro sponsa. Sextò, tamquam pastor pro grege. Septimò, tamquam caput pro membris patitur & dolet. Unde quia Christus factus est caput Ecclesiæ, & assumpsit eam in Sponsam & corpus suum mysticum in unitate fidei per Baptismum : ideo à Christo capite descendunt ad membra omnes virtutes, & dona gratiarum, & merita ejus passionis. Et quia quandocumque quis baptizatur in Christo, efficitur membrum ejus ; ideo illico participat merita ejus passionis, & virtus passionis ejus transit ad ipsum tamquam à capite ad membrum. Et sic dicit Apostolus *ad Roman.* 6. quod sicut omnes fuimus baptizati in Christo ; ita omnes fuimus in eo crucifixi, & mortui, & consepulti : & per consequens resuscitati à peccato : quia sicut peccatum ipsius Adam transivit in omnes suos naturales filios ; ita gratia & passio Christi transivit in omnia membra sua, qui sunt fideles in Christo baptizati. Unde sicut peccatum Adæ transivit in omnes filios suos per generationem naturalem ; ita gratia & virtutus passionis Christi transivit in omnes fideles per regenerationem baptismalem & alia Sacramenta.

Ex supradictis omnibus patet, qualiter passio Christi fuit necessaria ad adæquandam justitiam Dei cum misericordia erga genus humanum. Nam summa justitia servatur circa peccatorem pœnitentem, in quantum ejus peccata sufficienter puniuntur in Christo capite suo, qui offert seipsum, & passionem suam pro peccatoribus pœnitentibus : & summa misericordia servatur erga eumdem peccatorem, in quantum per merita passionis Christi remittitur ipsi pœna æterna, & omne debitum, & datur ipsi gloria æterna, quam non meretur. Et sic passio Christi implevit, & continuè adimplet Divinam Patris voluntatem, adæquando misericordiam cum justitia, & econverso.

Secunda Conclusio : quòd necesse fuit

fuit Christum pati, ut confirmaret Testamentum vetus. Ad cujus intellectum A est notandum, quod testamentum dicitur de *testor*, *testaris*, quod idem est quod confirmare, & ratificare. Et ideo Jurisperiti dispositionem bonorum confirmatam per ultimam voluntatem Testatoris appellant *Testamentum*, dicentes, quòd testamentum est ultima voluntas Testatoris, id est, dispositio bonorum propriorum per ultimam voluntatem Testatoris confirmata. Ultima autem voluntas Testatoris dicitur illa, quæ per mortem ejus terminatur. Et sic sola Testatoris mors est illa, quæ confirmat testamentum: quia per totam vitam suam poterat Testator mutare voluntatem; & ideo nunquam dicitur verum testamentum, nisi per mortem confirmatum. Et hæc est causa quare hæres non accipit hæreditatem nisi post mortem Testatoris, quia antè non erat propriè testamentum, nisi quædam dispositio testamenti: sed in tantum dicitur testamentum, in quantum expectatur confirmari per mortem Testatoris. B

Ex quibus patet, quòd duo sunt necessaria ad perfectum & verum testamentum. Primò, dispositio bonorum, sive hæreditatis, facta per Testatorem. Secundò, confirmatio facta per mortem ejusdem: quia necesse est ut mors Testatoris intercedat, ut inquit *Apostolus ad Hebræ.* 8. quia aliter testamentum non esset validum, nec confirmatum. Et ideo cum tota Scriptura Legis, & Prophetarum dicatur Testamentum Dei: sequitur, C quòd non poterat dici verum Testamentum Dei, nisi in quantum Deus erat moriturus & confirmaturus illud suum Testamentum per mortem suam: & per consequens necesse erat Deum mori, ut confirmaret suum Testamentum morte intercedente; aliàs ejus Testamentum fuisset irritum, & non validum. Sed quia Deus est immortalis & impassibilis secundum suam essentiam, ideo erat necesse ut assumeret humanam carnem, in qua posset mori & pati ad confirmandum Testamentum, ut postquam non poterat mori nec pati in natura, posset pati in persona. Et sic patet, qualiter Deus D erat de necessitate incarnandus & moriturus, ut confirmaret suum antiquum Testamentum. Et sic per multas figuras Patriarcharum, & vaticinia Prophetarum promiserat in suo Testamento venire in carne & moriturum, ut confirmaret suum Testamentum: & non solum promisit se moriturum & confirmaturum Testamentum quacumque morte, sed per suum sanguinem debebat ipsum confirmare.

Unde legitur *Exod.* 24. quod Moyses accepit volumen Legis, & congregatis filiis Israel, legit eis omnes sermones Domini: qui responderunt & dixerunt: *Omnia quæ locutus est Dominus* E *faciemus, & erimus obedientes.* Moyses vero occidit duodecim vitulos: & assumpto sanguine in crateribus, effudit medietatem super altare, & alteram medietatem super populum dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Ex quibus verbis ostenditur, quod illud Testamentum Dei non poterat nisi per sanguinem confirmari. Hoc idem patet *Zachar.* 9. ubi dicit Propheta: *Lætare filia Sion: ecce Rex tuus venit justus & Salvator, ipse pauper sedens super asinam &c.* Et conversus propheta ad Christum futurum Salvatorem, dicit: *Tu quoque in* F *sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, ubi non erat aqua.* Ex quibus patet, quod Christus Deus factus homo per mortem & sanguinem debebat confirmare suum Testamentum. Et ideo dicit *Apostolus ad Hebr.* 9. Quod *Christus novi Testamenti mediator est: Ut morte intercedente redemptione inventa repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Et sic probat *Apostolus*, quod illud Testamentum nunquam fuit ratum & confirmatum, nisi per mortem Christi Testatoris. Et ideo fideles veteris Testamenti non potuerunt accipere repromissiones, nisi nobiscum. Ex quibus omnibus patet, quod passio Christi fuit necessaria, ut vetus Testamentum Dei confirmaretur.

G *Tertia conclusio*: quòd necesse fuit Christum tale genus mortis pati, ut verificaret totam Scripturam Legis, & Prophetarum. Pro declaratione autem & probatione hujus conclusionis est advertendum, sicut dictum fuit super *Psal.* 39. & in *Tractatu contra Judæos, quæstione* 1. *&* 2. *&* 3. quod tota Lex Moysi data fuit in signum & figuram futurorum. Et totum residuum Scripturæ veteris Testamenti sunt quædam promissiones & vaticinia futurorum bonorum de Christo & Ecclesia, ut ibi probatum fuit per sacras Scripturas. Nam Circuncisio data fuit in signum fœderis, & Sabbata & sacrificia H in fœdus signumque perpetuum. Sed tam signum quàm figura est relativum. Nam signum alicujus signati; signum, & figura alicujus figurati, figura: item promissio alicujus promissi boni, promissio; & prophetia alicujus rei futuræ Prophetatæ, prophetia. Et sic tota Lex vetus & Prophetæ erant signa futurorum, & per consequens non poterant verificari nisi per adventum illorum bonorum, quæ per illa signa fuerant figurata, & significata, ac promissa, aut vaticinata: Aliter omnia signa, & figuræ, & promissiones, & vaticinia manerent falsa & irrita & vana. Unde quia omnia sacrificia veteris Legis

non

non erant, nec fiebant gratiâ fui, nisi in quantum figurabant & significabant passionem Christi, & non fiebant nisi in signum & figuram ejus: ideo erat necesse ut per veram & realem passionem Christi verificarentur: aliter omnia fuissent signa falsa & vana. A

Unde sicut Testamentum vetus fuisset irritum & vanum, nisi fuisset confirmatum per mortem Christi Testatoris, ut supra dictum est: ita pariter tota Scriptura Legis, & Prophetarum quoad signa & promissiones & vaticinia mansisset falsa & mendax, nisi fuisset per mortem Christi verificata, & impleta per Christum & Legem Euangelicam. Ideo sicut novum Testamentum nihil aliud est nisi confirmatio & ratificatio veteris Testamenti: ita pariter nihil aliud est nisi veritas Legis & Prophetarum. Unde sicut tota Scriptura Legis, & Prophetarum dicebatur Testamentum Dei, in quantum erat confirmandum per mortem Christi Testatoris: ita eadem Scriptura dicebatur signum fœderis, in quantum erat verificanda per eandem Christi passionem. Et ideo dicitur *Joann.* 1. *Quòd Lex per Moysen data est; gratia autem & veritas per Christum facta est.* Ideo dixit etiam Salvator *Matth.* 5. *Non veni solvere Legem, sed adimplere: jota unum, aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant.* Item *Matth.* 26. *Filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo.* Item *Joann.* 19. *Omnia hæc facta sunt, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum.* Hoc idem dicit Salvator. *Joaan.* 5. *Scrutamini Scripturas: quia ipsæ testimonium perhibent de me. Si crederetis Moysi, crederitis forsitan & mihi; Moyses enim de me scripsit.* Ideo etiam dicitur *Lucæ ultimo*, quod Christus *incipiens à Moysé & Prophetis interpretabatur illis* duobus Discipulis *omnia quæ de eo scripta erant.* Et postea dixit omnibus Discipulis in Cænaculo congregatis: *Oportebat impleri quæ scripta erant in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Ex quibus patet, quòd necesse fuit Christum pati, ut verificaretur tota Scriptura Legis, & Prophetarum, eò quòd Christus erat terminus & finis, & veritas eorum. B C D

Ex omnibus supradictis sequitur, quòd omnes Scribæ & Pharisæi, & Judæi moderni, qui eos sequuntur, falsificarunt & falsificant Scripturam Legis, & Prophetarum, negando Christum esse verum Messiam in Lege promissum, & negando & contemnendo Legem Euangelicam, cum Christus fuerit ejus verificator, & Lex Euangelica sit veritas totius Scripturæ Legis, & Prophetarum, & Christus fuerit confirmator veteris Testamenti per suam mortem & passionem.

Et sic etiam negando Christum, faciunt mendacem Deum, & totam Legem & Prophetas. De quibus ait Dominus *Hierem.* 31. *Irritum fecerunt testamentum meum.* E

Item sequitur, quòd omnes Judæi à passione Christi usque ad præsens tempus obstinati & Christum negantes, sunt Hæretici in Scriptura Legis, & Prophetarum. Hoc probatur: Nam omnes illi qui cum pertinacia deviant à veritate sacræ Scripturæ, & negantes ejus veram intelligentiam asserunt aliquid quod est contra Legem Dei, sunt Hæretici. Sed omnes Judæi moderni sunt hujusmodi. Igitur sunt Hæretici: Major est nota: Minor probatur. Nam Christus est veritas & finis Legis & Prophetarum: Ergo negando Christum, & Legem Euangelicam, negant veram intelligentiam Legis & Prophetarum, & asserunt pertinaciter oppositum veritatis, expectando Messiam temporalem futurum, qui temporaliter liberet eos. Et sic contemnunt bona vera spiritualia propter falsa temporalia; & sic irrisores sunt Legis, & contemptores Dei, & bonorum suorum in Lege promissorum: & sunt mendaces & falsificatores sacræ Scripturæ, & blasphemi, facientes Deum mendacem in dictis, & promissis, & revelationibus suis factis Patriarchis & Prophetis, prout plenius fuit declaratum in *Tractatu contra Judæos in fine.* F

Quarta conclusio: Quod necesse fuit Christum pati, ut pro nobis solveret omne debitum; scilicet pro omnibus præsentibus, præteritis, & futuris. Ad cujus intellectum est advertendum, prout dictum fuit super *Psalm.* 39. & *contra Judæos, quæstione prima;* quòd cum totum genus humanum fuisset obligatum in Adam ad æternam servitutem sub potestate diaboli, per nullum pretium temporale, & terrenum, & finitum poterat redimi & liberari à tali debito & servitute. Et hæc fuit causa, quare nec Sacramenta, nec sacrificia, nec oblationes poterant de se liberare hominem à peccato, nec solvere sufficiens pretium pro debito. Unde ibi fuit probatum qualiter Circuncisio non poterat liberare ab originali culpâ. Et ratio est ista. Nam in Circuncisione solum dabatur ille modicus sanguis effusus, & illa pellicula ab scisa, quæ erat vilior pars totius corporis: sed nunquam pars potest redimere totum, nec pars corporalis poterat redimere animam, cùm in se non contineret pretium æquale: quia omne quod redimitur, æquali vel majori pretio redimitur. Et sic nunquam corpus, nec pars ejus, poterit redimere animam, nec totum hominem. G H

Item, totus ille puer qui circunci-

de-

debatur, erat immundus quoad corpus & animam: Ergo illa particula sanguinis & pelliculæ ita erat immunda, & peccato & servituti subjecta, sicut totus homo; & per consequens non erat Deo acceptabile pretium ad mundandum & liberandum totum hominem. Et ideo oportebat offerri aliquem hominem mundum, & liberum ab omni peccato, & non obnoxium peccato primorum parentum, nec in natura, nec in persona; qui quidem homo contineret in se pretium mundum & infinitum: qui non solum offerret partem sui, sed se totum, ut totum hominem redimeret, & liberaret à servitute & morte peccati, immò ab utraque morte, scilicet corporis & animæ: & talis fuit solus Christus Deus & homo justus & innocens, non obligatus in Adam, prout sæpius dictum est. Et ideo illa circuncisio & modicus sanguis, & pellicula carnis, non dabatur in pretium sufficiens pro illo puero, sed in signum pretii futuri per Christum in Cruce solvendi: sicut quando quis emit domum, aut agrum, & non solvit pretium, sed solum dat denarium in signum pretii, promittens solvere pretium post annum: ita pariter faciebant fideles veteris Testamenti in illa circuncisione, quia non dabant illum modicum sanguinem in solidum pretium pro illo puero, sed in signum pretii futuri solvendi per Christum, in quantum promittebant Deo Patri solvere pretium sufficiens per passionem Christi: & sic liberabatur ille puer à servitute peccati: & ideo ille puer non liberabatur à peccato præcisè per illam circuncisionem. sed per fidem Christi futuri, sub qua fide dabatur & fiebat illa circuncisio: quia illa circuncisio non erat nisi signaculum fidei, ut probat *Apostolus* per totam *Epistolam ad Romanos, & Galathas, & Hebræos.*

Item adhuc datur aliud exemplum magis accommodatum huic casui. Unde consuetudo est inter viros belligeros, quòd si quis captus in bello sub fide promittit domino suo solvere intra certum tempus pretium redemptionis, in cujus fidei signum & arrham dat annulum suum, quòd ille servus dimittatur sub tali fide & signo usque ad tempus solutionis prætaxatum: Tunc manifestum est, quòd ille servus captus non dimissus est, nec liberatus à servitute propter annulum, sed propter fidem promissam. Nec ille annulus fuit datus in pretium, sed in signum pretii solvendi: Nec ille liberatus est propter annulum, sed propter pretium sub fide promissum. Ita ergo pariter fideles veteris Testamenti in illa circunsione dabant illam pelliculam præputii circularem factam ad modum annuli, quam non dabant in pretium solidum, sed in arrham & signum pretii futuri solvendi per Christum. Et sic dabant etiam illum modicum sanguinem in signum & arrham sanguinis Christi effundendi in Cruce: & sic fiebat illa circuncisio sub fide & protestatione solvendi per Christum. Et sic pro tunc sub tali fide liberabantur fideles veteris Testamenti à servitute peccati, & pœna inferni.

Ex quibus patet, quòd sicut nec illa pellicula circularis & annulata, nec ille modicus sanguis erat pretium redemptionis illius circuncisi, sed signum fidei & arrha futuri pretii & sanguinis Christi in pretium effundendi: ita ille circuncisus non liberabatur tunc per illam circuncisionem, sed per fidem Christi futuri, sub qua fiebat illa circuncisio, cujus fidei illa circuncisio erat signaculum, ut probat *Apostolus ad Roman.* 4. & *ad Galat.* per totum: ubi probat *Apostolus*, quòd Sacramenta & opera veteris Legis non justificabant, nec liberabant per se hominem à servitute peccati, sed per fidem Christi futuri, cujus erant signaculum, & sub qua fide fiebant. Et sic est dicendum de omnibus sacrificiis & holocaustis, quæ offerebantur pro peccato actuali: quia non offerebantur in pretium, sed in signum futuri pretii, in quantum erant figura & signum passionis Christi: quia de se non poterant liberare hominem, cum in se non continerent sufficiens pretium: sed in tantum liberabant de præsenti, in quantum dabantur in signum pretii futuri cum fide & protestatione solvendi sufficiens & perfectum pretium per passionem Christi. Et sic tam circuncisio quàm sacrificia fiebant in signum fœderis; immò fuerunt data in signum fœderis, ut patet *Genes.* 17. & per totum *Leviticum.*

Secus autem est de Sacramentis novæ Legis, quæ realiter continent de præsenti virtutem passionis Christi, quod est pretium sufficiens: ideo de præsenti ilico justificant & liberant à peccato, & efficiunt quod significant. Et ideo fuit necesse Christum venire in carne, & pati tale genus mortis, ut solveret pretium solidum & sufficiens pro omnibus fidelibus veteris Testamenti, qui dederant signum pretii per circuncisionem, & sacrificia, & oblationes: quia non solùm circuncisio & sacrificia, sed etiam oblationes, quæ fiebant à fidelibus in prima & secunda ætate, erant signacula fidei Christi futuri, & dabantur in signum pretii futuri solvendi per Christum in Cruce. Et ideo fuit necesse, ut Christus solveret illud pretium pro omnibus illis in Cruce; & non solum pro illis, sed pro omnibus præsentibus & futuris, ut patet per totam *Epistolam ad Roman.* immò per totam doctrinam Apostolicam: quia illud pre-

pretium fuit, & est majus omni debito, ut supra dictum est per *Augustinum*. Ideo dicit *Augustinus super Psalmum* 21. *sermone* 2. *Ecce Christus passus est, ecce mercator ostendit merces suas: ecce pretium quod dedit: ecce sanguis ejus fusus est: in sacco ferebat pretium, percussus est lanceâ, scissus est saccus, & emanavit pretium orbis terrarum.* Ex quibus omnibus patet, quod necessaria fuit passio Christi ad solvendum omne debitum: & ad liberandum totum genus humanum à servitute peccati. Et ideo quia jam solutum est in Cruce pretium pro præteritis, & collatum Sacramentis novæ Legis pro futuris, dicit Christus in hoc Cantico: *Jam messui myrrham meam & comedi favum: comedite, & satiamini, bibite, & inebriamini*: quasi dicat: Quia jam solutum est pretium, & jam Sacramenta continent ipsum in se virtualiter & realiter.

Quinta conclusio: quod necessaria fuit passio Christi ad purgandum & mundandum hominem à macula & sorde peccati.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd totum genus humanum ex peccato primorum parentum non solum fuit deditum in servitutem sub potestate diaboli, sed etiam fuit infectum in carne, & animâ maculâ peccati. Et ideo non solum indigebat redimi ab illa servitute, & solvere pretium pro debito per passionem Christi, prout dictum est; sed etiam indigebat mundari, & purgari à macula omnis peccati, ut posset Deo reconciliari. Et ideo ex latere Christi non solum exivit sanguis in pretium nostræ redemptionis, sed etiam aqua in ablutionem peccatorum, ut patet *Joan.* 19. Et sic ex passione Christi collata fuit virtus Baptismo, & Pœnitentiæ, & Extremæunctioni, & cæteris Sacramentis, non solum ad conferendam gratiam, sed etiam ad abluenda peccata: quæ quidem ablutio fit per Ecclesiastica Sacramenta. Ex quibus patet, qualiter necessaria fuit passio Christi ad purganda & abluenda peccata per sanguinem ejus, ut demonstrat *Apostolus ad Hebræos* 8. & 9. & 10. Ideo dicitur *Apocal.* 1. quod Christus *dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Sexta conclusio: quod necesse fuit Christum pati tale genus mortis, ut passio ejus esset metrum & mensura omnium virtutum, & exemplum patientiæ in omnibus adversitatibus.

Ad cujus intellectum est notandum secundum *Eusebium* & *Augustinum*: quòd ante mortem & passionem Christi, & cognitionem Euangelii, pauci audebant aggredi mortem & tormenta pro veritate & justitia defendenda; & multi desiciebant in tolerandis & perferendis adversitatibus & tribulationibus: immò multi Reges, & Principes, & Imperatores procuraverunt sibi mortem, & occiderunt seipsos, non valentes miserias hujus mundi patienter tolerare, ut patet de *Nerone*, & *Domitiano*, & *Catone*, & *Hannibale*, & *Lucretia*, & *Cleopatra*, & multis aliis, qui seipsos occiderunt. Immò ipse *Cæsar* desperans de victoria, seipsum voluit interimere prope *Ilerdam*, ut inquit *Lucanus*. Et hoc accidebat, quia non habebant speculum, nec exemplum patientiæ de aliquo justo & summo viro, nec expectabant futuram felicem vitam. Sed postquam principes mundi venerunt ad fidem Christi, & cognitionem Legis Euangeliæ, non legimus aliquem Regem nec Principem fidelem sibi conscivisse nec intulisse mortem, nisi quosdam maniaticos & phreneticos. Cujus ratio est: nam quando aliquis fidelis cujuscumque conditionis & dignitatis sit, laborat in aliqua adversitate, aut persecutione, & infirmitate, ilico recurrit ad passionem Christi, & Legem Euangelicam, & imputans illas persecutiones & advertitates provenire ex peccatis suis, patienter tolerat illas: & inspiciens in passione Christi, qui plura pro nobis passus est, jam ampliori patientia perfert eas.

Et sic ex passione Christi habent rei & peccatores unde agant pœnitentiam; & miseri unde habeant patientiam; & justi unde perferant martyrium pro veritate fidei. Unde nullum genus adversitatis quis potest pati, quin Christus illud fuerit passus. Et sic ex speculo passionis Christi habet unusquisque unde patienter consoletur. Unde ait *Augustinus super Joann.* exponens illud: *Dabant ei alapas: Sic implebat quod de se dixerat Christus: Sic martyres informabantur ad omnia, quæ persecutoribus libuisset facere, perferenda: sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat. Sic illud granum multiplicandum seminabat horribili contumelia, ut mirabiliter pullularet in gloria.* Item idem *Augustinus, de verbis Apostoli, sermone* 15. *Si in te fuerit charitas, communicabis passionibus Christi, & verus martyr eris. Traditus est ille excelsus, per quem omnia facta sunt, in opprobrium hominum, & abjectionem plebis, & contumelias, & flagella, in mortem, & docuit nos exemplo passionis, cum quanta patientia in ipso ambulemus: firmavit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illo patienter sperare debeamus.* Item idem *August. super Psalm.* 61. *Eja fratres, opus erat sanguine justi ad delenda peccata & ebi-*

10-

rographum peccatorum noſtrorum. Opus erat exemplo patientiæ, & humilitatis: opus erat ſigno crucis ad diabolum & Angelos ejus debellandos: opus erat paſſione Domini, qua redemptus eſt orbis. Quanta bona egit paſsio Chriſti! & tamen paſsio juſti hujus non eſſet, niſi iniqui Deum occidiſſent. Ex ſupradictis omnibus patet, qualiter talis paſsio Chriſti fuit neceſſaria pro audacia & fortitudine Martyrum, & ad exemplum patientiæ miſerorum, & ut eſſet menſura omnium virtutum, ut juſti ſequerentur agnum quocumque ierit per imitationem. A

Septima Concluſio: Quòd paſsio Chriſti fuit neceſſaria non ſolum ad redimendum totum hominem, ſed etiam ad recuperandum Regnum Cœlorum pro membris Chriſti. B

Prima pars eſt probata per ſupradicta. Secunda vero probatur. Nam propter tranſgreſsionem primorum parentum non ſolum fuimus privati illa habitatione terreſtris paradiſi, de qua illi fuerunt ejecti & exules, ſed etiam fuimus privati futurâ felicitati & poſſeſſione regni cœlorum, ad quam ipſi & poſteri eorum fuiſſent translati poſt longum tempus, ſi in illa juſtitia originali ſtetiſſent: quod regnum cœlorum non potuit recuperari pro nobis, niſi infinito pretio paſſionis & Reſurrectionis Chriſti, ut inquit *Auguſtinus*. Ideo dixit Salvator ante paſſionem ſuam: *Vado vobis parare locum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, *Lucæ* 22. Item *Luc.* 24. *quia ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & ita intrare in gloriam ſuam.* Item *Joann.* 14. *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet: quia vado parare vobis locum: & ſi abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum: ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Ex quibus patet, quòd neceſſaria fuit paſſio Chriſti: ut per eam Chriſtus emeret cœlum, & nobis ibi locum præpararet. C

Octava Concluſio: Quòd neceſſe fuit Chriſtum pati tale genus mortis & paſſionis, ut non ſolùm potentiâ, ſed juſtitiâ diabolus vinceretur. D

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd diabolus non tenebat, nec poſsidebat hominem ſub ſua poteſtate tamquam dominus, aut judex, nec tamquam creditor; ſed tamquam carcerarius, & tortor, & lictor, executor Divinæ juſtitiæ. Et ideo pretium redemptionis non erat ſolvendum diabolo, ſed Deo Patri, cui facta fuerat injuria & inobedientia. Et ſic diabolus executor Divinæ juſtitiæ, qui ſemper fuit amator & cupidus dominii & potentiæ, tenebat hominem incarceratum ſub ſua poteſtate quaſi tyrannicè, donec ſolveretur & redderetur pretium redemptionis Deo Patri, & fieret juſta & ſufficiens punitio & juſtitia de homine, ne ſumma juſtitia Dei maneret læſa, nec violata, ſed integra & ſatisfacta. Et ideo venit Chriſtus in carne, & Pater poſuit in eo iniquitates omnium noſtrorûm, & Chriſtus paſſus eſt & vulneratus propter peccata noſtra, & attritus propter ſcelera noſtra, & percuſſus propter ſcelus populi Dei, & languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, in tantùm quòd livore ejus ſanati ſumus, & liberati, ut patet *Iſai.* 53. Et ſic in Chriſto capite noſtro punita ſunt omnia peccata noſtra, & ſatisfacta injuria Dei, & redintegrata juſtitia, & Chriſtus ſolvit ſufficiens pretium Deo Patri pro toto genere humano, prout ſupradictum eſt: & per conſequens Chriſtus juſtè abſtulit, & repetivit prædam à diabolo, qui eam torquebat, & tyrannicè poſsidebat. Sed quia diabolus tentando hominem & præcipitando ipſum in peccatum dicitur victor, & tamquam victor & triumphator poſsidet ipſum: ideo quando propter paſsionem Chriſti fuit ipſi homo ablatus; tunc diabolus dictus fuit victus & debellatus: quia ipſi fuit ablata præda, quam diu poſſederat ſub ſervitute. Sed poſtea magis fuit victus & debellatus, quando in virtute paſsionis Jeſu fuit de populo Gentili ejectus & propulſatus. Et ſic etiam quotidie diabolus vincitur, quando per pœnitentiam à peccatoribus, quos ſub ſervitute peccati poſsidebat, ejicitur. Sed quia totum hoc factum eſt, & fit in virtute paſsionis Chriſti, per quam facta fuit noſtra juſtitia: ergo ſequitur, quòd per juſtitiam, & ex juſtitia tunc fuit victus & debellatus diabolus, & per eamdem juſtitiam quotidie vincitur & debellatur. Ex quo patet, quòd neceſſaria fuit paſsio Chriſti, ut diabolus amator potentiæ vinceretur juſtitiâ, quam ſemper impugnavit, prout dicit *Auguſtinus*. E F G

Sed eſt advertendum ſecundum *Auguſtinum* in *Enchiridio*: quòd quaſi omnia peccata fuerunt annexa peccato primorum parentum. Nam ibi fuit furtum, quia rapuit fructum prohibitum ab arbore. Secundò, ibi fuit ſacrilegium & blaſphemia; quia voluit uſurpare deitatem credendo ſerpenti, qui dixit: *Eritis ſicut* dii: & per eamdem rationem commiſit crimen læſæ majeſtatis Adam. Item commiſit homicidium: quia ſeipſum, & totum genus humanum in mortem præcipitavit: & ideo Chriſtus, ut ſufficienter totum peccatum primorum parentum expiaret, & omnia peccata futurorum in ipſo punirentur, & pro omnibus ſatisfaceret, fuit flagellatus ut latro pro omnibus H

bus latronibus, & conſputus, & alapis cæſus pro omnibus ſacrilegis & blaſphemis, & ſpinis coronatus pro omnibus ſuperbis & uſurpatoribus regiæ majeſtatis: & fuit ſuſpenſus & mortuus in Cruce pro omnibus homicidis pœnitentibus. Et ſic patet, qualiter Chriſtus ſufficienter ſatisfecit pro peccatis omnium præteritorum & futurorum: ideo juſtè potuit eos liberare de poteſtate diaboli, qui per talem juſtitiam manſit victus & debellatus, & Chriſtus manſit victor & triumphator.

Nona Concluſio: Quòd ordo noſtræ redemptionis fuit neceſſarius neceſsitate congruentiæ ad vincendam aſtutiam diaboli.

Ad cujus intellectum eſt advertendum ſecnndùm *Auguſt.* in quodam *Sermone de Paſſione & Cruce Domini*, quòd Chriſtus eundem ordinem ſervavit in noſtra redemptione, quem tenuit diabolus contra primos parentes & poſteros ſuos. Et ſic Chriſtus non ſolùm vicit diaboli potentiam, ſed etiam ejus aſtutiam. Unde diabolus tenuit hanc aſtutiam ad tentandum primos parentes: Nam primò cepit formam ſerpentis, ſub qua forma latebat venenum ſatanicum, & venenoſo ſibilo inſufflavit in fructum prohibitum, & infecit eum. Et tunc oſtendit mulieri pomum exterius pulchrum & ſuave ad veſcendum, ſed intus mortifero veneno infectum, perſuadendo ut comederet cum viro ſuo. Et ideo illico cum comederent fuerunt infecti & ſauciati in carne vulnere inordinatæ concupiſcentiæ, & in anima vulnere peccati: quam quidem corruptionem carnis per libidinoſam generationem tranſmiſerunt in omnes poſteros: ex cujus carnis libidinoſæ contactu, ſine conſortio, unaquæque anima trahit culpam originalem: & ex conſenſu concupiſcentiæ voluntas contrahit peccatum actuale. Et ſic diabolus ſub tali aſtutia infecit, & ſibi ſubjugavit totum genus humanum, ut inquit *Auguſt.* & ideo Filius Dei totius generis humani prudens & ſufficiens reparator & reſtaurator, & contra diabolum triumphator, eundem ordinem ſervavit in noſtra redemptione.

Nam ſicut diabolus accepit formam ſerpentis, ſub qua latebat venenum ſatanicum, & hamus fraudulentus quaſi ſub eſca ad decipiendum & vincendum hominem: ita Chriſtus per oppoſitum aſſumpſit formam hominis, ſub qua latebat antidotum ſalutis, & hamus deitatis ad decipiendum, & vincendum diabolum. Et ſicut diabolus ſerpens antiquus inſufflavit in illum fructum, ſuum venenum, & infecit ipſum: ita Spiritus ſanctus inſufflavit in illam humanitatem aſſumptam, ſpiritum ſapientiæ & intellectus, & ſanctificavit illam humanitatem & gratificavit, ut eſſet ille homo plenus omnis gratiæ, de cujus plenitudine omnes acciperemus. Et ſic ſicut primi parentes comedendo de illo fructu prohibito & venenato illico fuerunt corrupti & ſauciati in corpore & anima, incurrentes ſententiam duplicis mortis: ita per oppoſitum comedentes iſtum fructum ſalutiferum, qui eſt Chriſtus, omnes ab illo morbo ſanantur, & ab illa morte ibi perpetrata vivificantur. Item, ſicut primi parentes contra præceptum & voluntatem Dei extenderunt manum ad lignum, & rapuerunt fructum, & guſtantes fuerunt interfecti & per generationem infecerunt omnes poſteros: ita pariter Chriſtus, ut expiaret ſcelus eorum, extendit manus & brachia ſua ad arborem & lignum crucis, & inde collegit & guſtavit amaros fructus paſsionis: qui quidem fructus licèt ſibi fuerint amari; tamen nobis fuerunt dulciſsimi. Et ideo omnes fideles comedentes de fructu paſsionis, quem nobis porrexit Chriſtus, ſanantur à morbo cibi prohibiti, quem diabolus porrexit primis parentibus, & ex conſequenti omnibus ſuis poſteris. Item, ſicut diabolus inſufflando ſuper cibum prohibitum intulit & inflixit in eo illud venenum mortiferum ad inficiendum primos parentes, & ex conſequenti totum genus humanum: ita pariter Chriſtus inſufflavit in ſeptem Eccleſiaſtica Sacramenta, infundendo virtutem ſuæ paſsionis, tamquam medelam & antidotum ſalutiferum ad ſanandos omnes fideles à morbo & veneno illius cibi prohibiti. Item, ſicut Adam tranſmiſit venenum & peccatum ſuum in omnes poſteros filios ſuos per libidinoſam & carnalem generationem: ita pariter Chriſtus tranſmiſit virtutem & merita ſuæ paſsionis in omnes fideles filios adoptivos per baptiſmalem & ſanctificantem regenerationem.

Ex quibus omnibus patet, quòd Chriſtus in ordine noſtræ redemptionis non ſolum vicit potentiam diaboli per juſtitiam, ſed etiam vicit ejus aſtutiam per contrariam diſpoſitionem. Hunc ergo ordinem & diſpoſitionem vult explicare in perſona Chiſti Salomon in hoc ſexto Cantico, cùm dicit: *Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum*, id eſt, veni perſecutio Judæorum, & tormenta Miniſtrorum Pilati. Et *veni* tu *Auſter*, id eſt, voluntas Patris, & perfla, & agita corpus meum per paſsionem & mortem, ut fluant aromata & merita per vulnera flagellorum & clavorum & lanceæ ad complendam omnem juſtitiam, & ſananda vulnera peccatorum. Et ſicut ſerpens antiquus inſufflavit in fructum prohibitum, unde fluxit venenum ad inficiendum totum genus humanum: ita tu

Aquilo & *Auſter* inſufflate hortum corporis mei : ut fluant ex eo aromata Chriſtianæ redemptionis & ſalutis , ad fugandum illud venenum peccatorum. Et ſubdit : Jam *veni in hortum meum*, ſcilicet, in hortum paſsionis & crucis : & jam *meſſui myrrham* Sacramentorum ex arbore crucis. Et jam guſtavi & comedi favum paſsionis cum melle , & bibi vinum cum lacte paſsionis : quam myrrham & favum cum melle , & vinum cum lacte immiſi & tranſtuli in Eccleſiaſtica Sacramenta ad ſanandos , & reficiendos , & alendos fideles : ideo vos *amici* fideles *venite* ad me per fidem *& comedite* , *& ſaturamini* iſtâ myrrhâ & favo cum melle Sacramentorum : & bibite & inebriamini iſto vino cum lacte , & ſatiamini , & ſanabimini ab infirmitate , & recuperabitis vitam per gratiam : quia licèt ego dormiam in cruce ; tamen *cor meum vigilat* in veſtra redemptione. Et ſic patet, qualiter paſsio Chriſti vicit aſtutiam diaboli. Ideo dicit *Auguſt.* in *Sermone unius Martyris : Quæ fortitudo draconis contra mortem Domini , qui ſerpentem ſuſpendit in ligno ? triumphavit enim de morte , quam diabolus propinaverat per aſtutias ſuas homini. Et cum exaltaret Moyſes ſerpenten in eremo in ligno , populus qui mordebatur à ſerpente , attendebat ſerpentem , & ſanabatur. Sic & modo quencumque momorderit aſtutia ſatanæ intueatur Chriſtum in ligno pendentem : ibi enim mors occiſa eſt , Dominus ſemper vivit : ſed ut occideret mortem , veſtitus eſt morte.* Ex ſupradictis ergo patet , qualiter neceſſe fuit Chriſtum pati tale genus mortis , ut vinceret aſtutiam diaboli , & malitiam ejus.

Decima Concluſio : quòd paſsio Chriſti fuit neceſſaria ad roborandos , & adæquandos , & condigniſicandos omnes actus humanos erga Deum , ut eſſent fructiferi , & digni gratiâ in præſenti , & gloria in futuro : & etiam ad adæquandum omnes actus humanos inter ſe , ſive erga proximum.

Ad cujus intellectum eſt notandum ſecundùm *Apoſtolum ad Rom.* 8. quòd *paſsiones* , id eſt , operationes hujus ſæculi , *non ſunt condignæ* , nec ſufficientes , nec comparabiles *ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis :* quod dupliciter accidit. Uno modo ratione imperfectionis : quia nulla operatio humana poteſt eſſe de ſe ita perfecta , quin patiatur aliquem defectum in aliqua circunſtantia ; per quem defectum illa operatio non eſt digna comparari præmio cœleſti : unde jejunium noſtrum non poteſt ita perfectè fieri , quin in aliquo deficiamus. Nam jejunium debet fieri cum patientia , & puritate mentis , & oratione & eleemoſyna : ſed impoſsibile eſt ex parte noſtra , quin deficiamus in aliqua circunſtantia.

Et ita eſt dicendum de oratione: quia non fit cum ſufficienti fervore : ſed cum aliqua vaga & devia cogitatione admixta , & non cum tota attentione : & ita etiam eleemoſynæ noſtræ non fiunt ſemper cum intentione , & largitate , & devotione. Et ſic de omnibus operationibus , quæ ſemper patiuntur aliquem defectum.

Ideo dicitur *Iſai.* 64. quòd *omnes nos , & juſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ*; propter quod non ſunt de ſe dignæ præmio æterno , nec ſufficienter ſatisfaciunt pro peccatis commiſsis ; & ſic propter tales defectus non ſunt condignæ. Item ſecundò , non ſunt condignæ ratione valoris : quia quantuncumque ſit perfecta bona operatio noſtra , ſemper eſt finita & brevis : Ergo de ſe non eſt tanti valoris , ut poſſet ſatisfacere pro debito infinito in ipſo pœnitente ad delendam pœnam peccati infinitam.

Et ſic nulla pœnitentia injuncta poſſet ſatisfacere pro debito peccati : nec minus non poſſet ſufficere bona operatio ad præmium æternum conſequendum: quia ipſi non poteſt comparari in valore: de quo dicitur per *Eſa.* 64. *& Apoſtolum ad Corinth.* 2. *quòd nec oculus vidit, nec auris audivit , nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe* : Ergo nulla operatio humana de ſe eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum pro debito peccati , nec ad conſequendam futuram gloriam condigna. Et ideo ad perficiendas operationes noſtras , & ad ſupplendum defectum earum , & ad faciendas ipſas condignas præmio æterno , & futurâ gloriâ , fuit neceſſaria paſsio Chriſti , quæ adæquat , & condigniſicat omnes operationes noſtras. Unde applicata paſsio Chriſti jejunio noſtro ſupplet omnes deiectus ejus , & perficit ipſum, & reddit ipſum validum & condignum præmio æterno , quando ſumus in ſtatu gratiæ. Et ſic eſt dicendum de eleemoſyna , quæ de ſe parvi valoris eſt , ſed addita Chriſti paſsio facit illam validam, & dignam præmio æterno. Et datur exemplum de annulo aureo unius unciæ qui de ſe vix valet ſex ducatos , ſed ſi addatur & cæletur in eo carbunculus, reddit ipſum magni pretii & valoris ad emendam unam civitatem.

Sic ergo oratio, vel eleemoſyna noſtra de ſe parvi valoris eſt : ſed ſi applicentur ipſi merita paſsionis Chriſti : faciunt ipſam condignam & validam ad emendum Regnum Cœlorum. Unde eſt iterum advertendum , quòd jejunium & oratio , & peregrinatio , & labores , & omnia opera quæ Chriſtus fecit , computantur in paſsione ejus : quia tota vita Chriſ-

Christi fuit unus actus passionis & pœnitentiæ pro nobis continuus, & non interpolatus, prout dictum fuit super *Psal.* 26. & dicetur in sequenti Quæstione: quæ quidem opera Christi non solum fuerunt facta ad delenda nostra peccata, sed etiam ad perficiendas operationes nostras, & ad supplendum defectum earum. Nam Christus jejunavit, ut perficeret & consecraret jejunium nostrum, & peregrinatus est, ut perficeret nostras peregrinationes: & fecit eleemosynas, & opera misericordiæ, ut perficeret opera misericordiæ nostra, & suppleret defectus eorum, & faceret ea valida & condigna præmio æterno. Ex quibus patet, qualiter passio Christi condignificat, & adæquat omnes nostras operationes erga Deum.

Et si quæratur, quomodo passio Christi applicetur operationibus nostris, & reddat eas validas? Respondetur, quòd quandocumque homo fidelis efficitur membrum Christi per fidem charitate formatam; tunc in omnibus operationibus suis participat passionem Christi: quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ad *Rom.* 9. & sic propter participationem passionis omnia opera justorum redduntur valida & condigna. Et ideo quilibet pœnitens, aut justus in omnibus operationibus suis semper debet invocare passionem Christi. Unde quando dicimus: *Pater de cœlis miserere nobis*, nil aliud intendimus dicere, nisi: O Pater rogamus ut accipias passionem Filii tui in pretium pro peccatis, & delictis, & defectibus nostris. Et quando oramus Filium dicentes: *Christe Fili Dei vivi miserere nobis*, nil aliud intendimum dicere nisi: O Christe Fili Dei Redemptor mundi, rogamus, ut velis offerre passionem tuam Patri pro peccatis nostris, & velis applicare passionem tuam in omnibus operationibus nostris, ut sint dignæ pœnitentiâ in hoc sæculo, & vitâ æternâ in futuro. Et sic patet, qualiter sola passio Christi potest adæquare operationes nostras erga Deum.

Sed est ulterius advertendum, quòd passio Christi non solum adæquat operationes nostras erga Deum, sed etiam erga proximum. Unde quando quis læsit & offendit proximum in persona, vel in bonis, vel in fama, & non valens satisfacere, dicit passo injuriam: O frater, rogo amore passionis Christi, ut parcas mihi; nil alid intendit dicere, nisi, Rogo te frater postquam tibi non possum satisfacere, ut acceptes passionem Christi in recompensationem injuriæ tibi factæ, postquam Christus pro nostris delictis passus est, & pro omnibus exoravit. Tunc manifestum est, quòd si passus injuriam parcit reo, acceptavit passionem Christi in pretium & recompensationem suæ injuriæ. Et sic passio Christi fuit illa quæ adæquavit recompensationem, sive operationem inter duos proximos.

Ex quo sequitur primò, quòd si passus injuriam non vult remittere, nec parcere precanti veniam amore passionis Christi, videtur continere passionem Christi; immò videtur pluries existimare injuriam suam, quàm passionem Christi: quod est absurdum & sacrilegum. Item sequitur secundò, quòd talis obduratus in sua malitia non est dignus ut sibi subveniat passio Christi, postquam eam contemnit non parcendo proximo, nec remittendo propriam injuriam: prout satis explicat Salvator in parabola de decem millibus talentorum, *Matth.* 18. Ex quibus patet, qualiter passio Christi non solum dignificat & perficit & adæquat operationes nostras erga Deum, sed etiam erga proximum.

Ex omnibus ergo supradictis per decem Conclusiones patuit, qualiter fuit necessaria passio Christi, & quomodo necesse fuit Christum pati tale genus mortis & passionis, non necessitate coactionis ex parte Dei, quia non defuit sibi alius modus possibilis; sed ille modus fuit necessarius necessitate congruentiæ ex parte nostræ salutis. Et hoc decem rationibus.

Primò, ad adæquandam Dei justitiam cum misericordia erga nos. Secundò, ad confirmandum Testamentum per mortem Testatoris. Tertiò, ad verificandam Scripturam Legis & Prophetarum. Quartò, ad solvendum omne debitum nostrum. Quintò, ad purgandum & mundandum omne peccatum. Sextò, ad dirigendos omnes actus humanos, & ut essent exemplum patientiæ, & speculum miserorum in omni adversitate. Septimò, ad emendum & recuperandum cœlum, & omne deperditum in Adam. Octavò, ad vincendam potentiam diaboli per justitiam. Nonò, ad destruendam astutiam diaboli per prudentiam. Decimò, ad condignificandas & adæquandas nostras operationes erga Deum & proximum. Et hoc de primo quæsito.

Secundò quæritur circa illud quod dicit Christus in hoc Cantico, scilicet: *Ego dormio, & cor meum vigilat*: ubi dictum est in Expositione, quomodo Christus non solum pro nobis meruit per ea quæ facta sunt in vita, sed etiam post mortem circa eum, & quomodo licèt dormiret in Cruce & in sepulchro, tamen semper vigilabat operando nostram redemptionem, & recipiendo vulnus in latere. Et videtur quod Christus non potuit mereri per vulnus lateris, nec per sepulturam. Nam spatium merendi vel demerendi conceditur hominibus tantùm

in hac vita usque ad mortem terminativè, ut inquit *Augusti. in Enchiridio*: quia A post mortem non est tempus merendi, sed præmium recipiendi. Cum ergo Christus jam esset mortuus, quando latus ejus fuit lancea perforatum, ut patet *Joan.* 19. ergo post mortem non potuit per illud vulnus mereri, nec in nostra redemptione vigilare.

In oppositum autem est textus hujus Cantici.

Ad cujus declarationem est notandum: quòd sicut in domificatore consideratur triplex actus, scilicet, primus, & secundus, & tertius: ita pariter in Christo. Nam primus actus domificatoris est ipse habitus artis, quem non solum habet in vigilia, sed etiam in somno. Actus autem secundus est considerare se- B cundum artem circa domum faciendam, & circa formam, & figuram, & partes ejus: quod non potest fieri nisi in vigilia. Actus vero tertius est, quando manuales operantur successivè circa partes domûs, fabricando partem post partem. Ita ergo pariter in Christo considerabatur triplex actus: scilicet primus, secundus, & tertius. Actus primus fuit gratia unionis, & omnes habitus gratiarum & donorum, quos à primo instanti creationis animæ habuit. Actus autem secundus fuit consideratio nostræ redemptionis, & propositum firmum & immobile operandi nostram redemptionem: iste actus fuit unicus & continuus, & non C interciſus, nec interpolatus in tota vita ejus: quia semper fuit ipsi præsens jejunium, & labores, & convitia, & opprobria, & injuriæ, & captio, & flagella, & vulnera clavorum & lanceæ: & omnia quæ erat passurus fuerunt ipsi præsentia, & semper sine intervallo erat in firmo & immobili proposito sponte patiendi illa. Et in hoc actu secundo fuit semper in somno & in vigilia: quia licèt pars sensitiva quandoque dormiret; tamen pars intellevicta & rationalis semper fruebatur in Verbo, & semper in actu secundò considerabat, & sponte proponebat pati. Sed quia propter tale immobile propositum merebatur pro omnibus operationibus futuris, non solùm in D vita, sed etiam post mortem: ideo à primo instanti conceptionis jam meruit propter vulnus lateris, & sepulturam, & cætera opera. Et ita est dicendum de Martyribus.

Nam *Beatus Vincentius* non solùm merebatur propter martyrium, quod patienter propter Christum tolerabat; sed etiam jam meruit in vita propter omnia quæ ipsi fecerunt post mortem, putà, quia fuit cadaver ejus projectum canibus ad comedendum; postea fuit projectum in mare &c. Et ita est dicendum de cæteris sanctis: eò quòd in vita meruerunt E propter firmum propositum, ut omnia illa prodessent.

Actus autem tertius ipsius Christi fuit, quando realiter operabatur opera nostræ redemptionis ad extra, putà, per quadraginta dies jejunando, & prædicando, & miracula faciendo, & mortem patiendo, & vulnus lateris recipiendo: qui quidem actus licèt essent successivi, & distincti circa nos, tamen quia erant de essentia passionis & redemptionis; ideo omnes illi actus simul dicti sunt unus actus redemptionis, quasi unitate aggregationis respectu unius finis: quia omnes illi actus fuerunt una via ad unicum finem; & etiam fuerunt unus actus ratione unius firmi & continui F propositi Christi: ideo omnes illi actus computabantur in nostra redemptione, & in Christi passione. Et sic Christus ab instanti conceptionis semper fuit in isto actu tertio: nam illico incœpit opera nostræ redemptionis: quia statim incœpit orare Patrem pro tota Ecclesia: & in tali oratione semper sine intermissione perseveravit. Item, statim movit Virginem Matrem suam, ut iret ad visitandum Elisabeth, ut ipse sanctificaret Joannem Baptistam. Et sic in utero virgineo semper pro nobis orabat; & post nativitatem jam incœpit flere, & frigus, & alios dolores pati: quæ omnia pertinebant ad nostram redemptionem; & sic erat subjectus parentibus, & observabat opera G Legis usque ab Baptismum; & postea incœpit operari in Lege Euangelica: & sic prosecutus est opera redemptionis usque ad mortem, & etiam post mortem usque ad sepulturam, & resurrectionem.

Et sic patet, quòd Christus semper fuit simul in actu secundo, & successivè in actu tertio circa nostram redemptionem. Et idio à primo instanti meruit plenè & perfectè respectu sui pro omnibus operibus successivis futuris, tam post mortem, sicut ante: & hoc accidebat propter unicum actum, & firmum propositum nostræ redemptionis, eo modo quo dictum est. Unde sicut sol semper H est in actu primo & secundo respectu sui, quia semper illuminat, & in se habet totum suum lumen, tam in aurora, quàm in meridie; sed illud lumen non attingit omnes partes mundi simul, sed successivè: ita pariter Christus, sicut in se habebat totum suum propositum, & totam virtutem suæ passionis simul, tam in primo instanti, quàm in tota vita: ita habebat totum meritum: sed postea illud propositum successivè exivit in actum respectu nostri. Et ideo respectu sui semper meruit pro nobis propter omnes actus.

Sed

Sed illud quod facit majorem difficultatem in hac materia est: quòd secundum communem opinionem Christus post mortem in triduo non fuit homo. Et si non erat homo, ergo non erat caput Ecclesiæ: quia Christus in quantum Deus & homo, est caput Ecclesiæ. Et si non fuit homo, neque erat caput Ecclesiæ: Ergo virtus Sacramentorum non potuit emanare ex latere ejus: quia Christus ut caput Ecclesiæ influit virtutem in Sacramenta, nec Sacramenta habent efficaciam nisi à Christo, ut est caput Ecclesiæ: Ergo si Christus non fuit homo in triduo, nec caput Ecclesiæ; sequeretur quod Ecclesia non exivit ex latere Christi: quod est directe contra *Augustinum*. Et sequeretur etiam, quòd ille sanguis cum aqua, qui exivit ex latere Christi, non fuisset effusus in remissionem & redemptionem peccatorum: quod esset contra *Clementinam de summa Trinit. & Fide Cathol.*

Ad hoc respondetur: quod si vellemus sequi opinionem & positionem *Magistri*, quam sequitur *Ægidius de Roma*, & quidam alii magni viri, nulla esset difficultas. Dicunt enim, quòd Christus fuit, & erat homo in triduo, isto modo, scilicet, quòd licèt fuerit mortuus, & anima verè à corpore separata: tamen quia ista duo erant juncta & unita personaliter in Verbo, ideo Verbum poterat dici homo, postquam habebat ista duo sibi personaliter unita, licèt inter se essent separata. Et sic concedunt: quod licèt ista duo inter se non erant unus homo; tamen in uno tertio, scilicet, in Verbo personaliter unita poterant dici homo. Item concedunt, quòd licèt in illo triduo ex anima non resultabat humanitas in corpore, eò quòd erat ab eo separata; tamen ex corpore & anima resultabat humanitas in Verbo, licèt non inter se. Et isto modo intelligunt illud quod ait *Damascenus*, scilicet: *Quod Verbum semel assumpsit nunquam dimisit.* Et sic isti concedunt, quod Christus fuit homo & caput Ecclesiæ; & per consequens ex latere Christi capitis Ecclesiæ exivit sanguis & aqua in remissionem peccatorum, & ad efficaciam & virtutem Sacramentorum: & sic ratio ducta supra in oppositum nullam affert difficultatem secundum eos.

Et sic arguitur contra istos à superiori negato. Nam si Christus in triduo non fuit corpus animatum, nec vivum: ergo nec erat homo.

Ad hoc respondent: quòd hæc illatio Dialectica non habet locum in hoc singulari mysterio supernaturali, ubi partes essentiales hujus hominis non habent propriam personalitatem: sed post mortem manserunt sub eadem personalitate Verbi unita. Et ideo non sequitur, nisi quòd Christus in illo triduo non erat homo vivus in se, sed homo mortuus, cujus partes essentiales licèt erant separatæ inter se; tamen nulla earum fuit corrupta, nec amisit personalitatem: & ideo ex eis poterat resultare humanitas in Verbo, cui personaliter erant unitæ.

Sed quia ista positio communiter non tenetur, nec placet *Universitati Parisiensi*, nec majori turbæ Doctorum: Ideo est dicendum, salva semper Fide Catholica, & meliori judicio: quòd licet Christus non fuerit naturalis homo in triduo, eò quòd erat verè mortuus, & partes humanitatis erant realiter separatæ: tamen adhuc Christus erat verè caput Ecclesiæ.

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd licèt Christus Deus, & homo sit caput Ecclesiæ: tamen principalitas hujus personæ consistit in Verbo, eò quòd Verbum habet rationem principalis agentis, & humanitas habet rationem instrumenti: quia Verbum non assumpsit humanitatem, nisi ut esset instrumentum nostræ redemptionis, ut ait *Damascenus*, & communiter tenetur. Assumpsit enim corpus, ut esset instrumentum patiendi; & animam, ut esset instrumentum merendi. Et ideo Verbum erat agens principale: & corpus & anima respectu Verbi movebantur tanquam instrumentum in omni opere redemptionis. Et ideo ad hoc quod Verbum esset caput Ecclesiæ, sufficiebat pro illo tunc, quòd haberet corpus & animam sibi personaliter unitam, licèt inter se essent pro tunc separata: quia Verbum cum anima poterat operari in inferno, educendo animas fidelium veteris Testamenti: & corpus poterat instrumentaliter operari in Cruce, vulnus lateris recipiendo, & cætera mysteria ad corpus pertinentia, tam in sepulchro, quàm in Cruce patiendo. Et hoc sufficiebat ad hoc quòd Christus tanquam caput Ecclesiæ perficeret opera nostræ redemptionis. Et ideo fuit necesse, quòd sicut anima non fuit corrupta in tali separatione & morte; ita nec corpus corrumperetur, nec incineraretur, nec sumeret aliam formam substantialem, sed maneret idem numero: quia aliter fuisset variata nostræ redemptionis operatio mutando instrumentum, si non mansisset idem corpus, quod Christus ex puris sanguinibus Virginis assumpserat ad instrumentum nostræ redemptionis.

Et ideo est dicendum, quod ille homo verè fuit mortuus: & dato quòd non fuerit homo in illo triduo; tamen idem Christus, & idem caput Ecclesiæ mansit cum eisdem instrumentis nostræ redemptionis: & ideo illud corpus mortuum dicebatur corpus Christi: & sic ex ejus latere-

tere exivit sanguis & aqua in remissionem & redemptionem peccatorum, ut dicit *Clementina*, & ex illo latere exivit tota Ecclesia, & efficacia, & virtus Sacramentorum, ut inquit *Augustl.* Etiam hoc semper meruit Christus à principio suæ conceptionis propter immobile & firmum propositum patiendi, & continuum actum operandi, prout supra dictum est. Et ita pariter illa anima dicebatur anima Christi, postquam ipsi erat personaliter unita, & per ipsam operabatur in Limbo. Et sic patet, qualiter Christus semper fuit caput Ecclesiæ in triduo: & quomodo opera ejus fuerunt efficacia ad perficiendum nostram redemptionem. Sed oportuit ut corpus animam recuperaret, & anima recuperaret corpus glorioſum ad suam exaltationem ex merito tantæ B passionis, & ad ultimam perfectionem nostræ redemptionis, ut patebit in sequenti Cantico.

Sed nunc restat dubium: Utrum corpus Christi mortuum in illo tridio fuerit, & manserit substantialiter idem numero cum vivo?

Et videtur quod non: Quia sicut homo mortuus dicitur æquivocè: ita corpus hominis mortui dicitur æquivocè, 2. *de Anima*, & 7. *Metaphys.* & sic non mansit idem substantialiter, postquam amisit formam substantialem; sed mansit solum idem cum quadam æquivoca similitudine & figura.

Sed in oppositum arguitur: quia se- C queretur, quòd Christus variasset opera nostræ redemptionis, variando instrumentum: quod est inconveniens.

Ad hoc dicunt quidam, quòd idem corpus numero mansit, postquam mansit eadem forma corporeitatis: sed hoc est superflue dictum, nec evacuat difficultatem. Nam superfluè ponitur in homine, & quolibet alio animali forma corporeitatis substantialis: cùm homo sufficienter sit corpus per solam quantitatem: & est sufficienter substantia & ens actu per solam animam, ut patet 3. *de Anima.* Unde homo in tantum est corpus, in quantum anima informat & perficit materiam extensam, & figuratam per quantitatem, & dispositam per physicas qualitates: & sic anima dicitur *actus &* D *forma substantialis corporis organici physici potentia vitam habentis*, ut patet 2. *de Anima.* Et sic quantitas dat esse corporeum & extensum & dimensionatum illi materiæ: & figura & qualitates primæ disponentes ipsam materiam extensam & corpoream, dant ipsi esse organicum: & sic ex materia sic per quantitatem dimensionatâ, & per qualitates dispositâ & organizatâ resultat corpus organicum aptum, ut sit instrumentum animæ ad operandum: & tale corpus sic organicum actuat, & informat, & perficit ipsa anima, dando ipsi esse animatum, & esse E substantiale & entitativum: quia anima intellectiva est forma substantialis, & quod verè est, ut ait *Aristot.* 3. *de Anima*, & dicitur in *Clementina de Sancta Trinit. & Fide Cathol.* Et ideo corpus Christi mansit idem corpus organicum, postquam mansit eadem quantitas, sive eadem materia extensa per eandem quantitatem, & dispositа & organizata per easdem qualitates non corruptas.

Sed est videndum, quomodo mansit eadem substantialitas & entitas in illo corpore organico, cùm non manserit eadem anima, quæ dabat ipsi esse substantiale & entitativum?

Ad hoc dicunt quidam: quod sicut F Sol influit lumen in diaphanum & actuat ipsum; ita anima influit esse substantiale & entitativum in corpus organicum, sive in illam materiam organizatam, & sic actuat eam. Ex quo patet, quòd esse substantiale, quod anima dat materiæ, & corpori organico, est effectus ipsius animæ & non ipsa anima; & per consequens illud esse substantiale & entitativum collatum materiæ distinguitur ab anima, sicut effectus à causa: quia anima non solum habet rationem formæ, sed etiam causæ efficientis: sed Deus potest conservare effectum in aliquo semel collatum à causa, absque illa causa: ergo Verbum, quod erat personaliter unitum illi G corpori organico mortuo, potuit conservare in illo corpore esse substantiale & actualiter entitativum, semel ipsi ab anima collatum, licet anima esset separata in illo triduo. Unde sicut Verbum conservabat illas qualitates cum quantitate in illa materia, ne corrumperentur & putrefierent absque anima: ita potuit conservare esse substantiale absque anima. Et sic dicunt Doctores, quòd licet Christus non surrexisset, tamen illud corpus nunquam fuisset putrefactum, nec in cineratum, postquam erat Verbo personaliter unitum. Unde sicut conservabat qualitates sine anima, ita poterat conservare esse substantiale sine ipsa; eò quòd erat ejus effectus.

Sed quòd hoc possit Deus facere, H patet. Nam transubstantiatam substantiam panis in corpus Christi, manent eadem omnia accidentia sine subjecto cum omnibus effectibus substantiæ panis conservatis cum illis accidentibus ex divina virtute. Nam illa accidentia efficiunt omnia, quæ faciebat substantia panis, & ipsum vinum: nam illa accidentia nutriunt & satiant comedentes, si sumantur in magna quantitate: & accidentia vini inebriant, si sumantur in magna quantitate: immò ex illis accidentibus generantur vermes, & ex vermibus generantur

tur parvæ muscæ, sive musquiliones. Ex quibus patet, quòd Deus conservat omnia illa accidentia cum effectibus panis & A vini, licèt sint separata à corpore Christi: Ergo multò magis Verbum potuit conservare esse substantiale absque anima in illo corpore sibi personaliter unito. Et sic patet, qualiter illud Corpus Christi mortuum erat substantialiter idem numero cum omnibus suis accidentibus, licèt anima esset separata: eò quòd à Verbo habebat esse personale, & numerale. Unde licèt ab anima habuisset primo esse substantiale illud corpus; tamen mansit conservatum illud esse in eo propter unionem ad Verbum: Et sic illud corpus mortuum potuit esse instrumentum Verbi non variatum pro illo tunc in ope- B re nostræ redemptionis, prout dictum est. Et per hæc patet responsio ad instantiam.

Ex supradicta quæstione, & difficultate secunda, & etiam ex hoc quod dicitur in textu hujus sexti Cantici: scilicet, quòd *Virgo Maria* cum tota Ecclesia quæsivit Christum, & vocavit eum, & non respondit, eò quòd jam transierat de hoc mundo ad Patrem per mortem corporalem, quando inclinato capite emisit ipsum, insurgit tertia difficultas: scilicet. Utrum Christus in illo triduo fuit Filius Virginis Mariæ, & Maria fuerit Mater Christi?

Ad quod arguunt quidam magni viri quod non: unde arguunt sic. Filius & Mater, sive Pater, sunt relativa primi ordinis, & per consequens sunt simul na- C tura, secundùm *Aristot.* hoc est, simul ortu & occasu secundùm *Augustinum*: & per consequens perempto uno correlativorum, perimitur & reliquum, quoad mutuam relationem: mortuo ergo Christo, fuit perempta relatio, sive filiatio, qua referebatur ad Matrem, & econverso: Ergo pro tunc nec Christus fuit Filius Virginis, nec Virgo Maria fuit Mater Christi.

Item, Virgo Maria erat Mater Christi ratione humanitatis assumptæ, & per consequens erat Mater Dei, in quantum illa humanitatis, sive ille homo erat personaliter Deus: & sic Virgo Maria dicebatur Mater Dei & hominis: Sed in D illo triduo Christus non fuit homo, prout communiter tenetur: Ergo Virgo Maria non fuit Mater illius hominis, & per consequens nec Mater Dei, nec Mater Christi.

In oppositum autem arguitur. Nam Christus per totum triduum semper fuit caput Ecclesiæ, nec desiit esse caput Ecclesiæ, nec perempta fuit relatio ejus ad Ecclesiam corpus suum, prout dictum est. Ergo sequitur per eandem rationem, quòd ejus relatio ad Matrem suam non fuit perempta per talem mortem, nec desiit esse Filius Virginis, nec Maria E Virgo desiit esse Mater Christi & Dei.

Pro cujus declaratione est notandum: quòd sicut conceptio & generatio humana Christi fuit singularis sine pari: quia non ex coitu, nec opere alicujus viri, sed solo opere Spiritus sancti fuit Corpus Christi formatum & organizatum, non ex menstruo, nec ex sanguine corrupto, sicut cæteri; sed ex puris sanguinibus Virginis: & simul anima fuit ibi creata à tota Trinitate; & simul illa humanitas conditionata fuit in atomo personaliter assumpta per Verbum: quæ quidem conceptio & generatio nec ha- F huit, nec habebit aliam parem: ita mors Christi fuit singularis sine pari. Nam ibi fuit vera mors: quia realiter anima fuit separata à corpore; & sic Christus verè fuit mortuus: sed illa mors fuit sine corruptione & nova generatione: & sic fuit singularis inter omnes alias mortes omnium animalium, & omnium aliorum hominum. Nam in morte cuislibet hominis non solum separatur anima à corpore; sed etiam corrumpitur corpus, & ex homine generatur cadaver: quia illa materia recepit novam & aliam formam substantialem, quæ dicitur forma cadaveris, quæ dicitur forma rei corruptæ, consistens in esse corrupto, & tendit actualiter, & naturaliter, & successivè in putrefactionem & resolutionem. Sed hoc non accidit in morte Christi: quia idem G Corpus Christi substantialiter numero, quod Spiritus sanctus formavit ex puris sanguinibus Virginis, mansit unitum personaliter & suppositaliter Verbo in Cruce & sepulchro post separationem animæ, ut suprà dictum est; & per consequens non fuit ibi facta corruptio, nec generatio novæ formæ substantialis: quia tunc Verbum de novo assumpsisset aliam speciem, & per consequens fuisset variatum subjectum nostræ redemptionis, quod fuit Corpus Christi, ex puris sanguinibus Virginis formatum: quod fuisset absurdum, & maximum inconveniens.

Et ideo dicitur, quòd sicut humana generatio Christi fuit singulariter ex- H quisita absque aliqua præcedenti corruptione; ita ejus mors fuit singularis & exquisita inter omnes mortes absque corruptione, & nova generatione alterius formæ. Et ideo dicit David *Psalm.* 15. in persona Christi ad Patrem: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem: quoniam à dextris es mihi, ne commovear.* Quasi dicat: Licèt realiter fuerim mortuus, & anima fuerit separata à corpore; tamen quia corpus numquam fuit derelictum, nec pernosaliter separatum à Verbo, sed semper in illo triduo fuit

sup-

suppositatum & personatum per Verbum, & conservatum: ideo non potuit videre corruptionem, nec per consequens putrefactionem, nec incinerationem. Ex supradictis corollariè infertur Conclusio principaliter intenta: scilicet, quòd Christus semper in triduo fuit Filius Virginis: quod probatur. A

Nam illud Corpus ex puris sanguinibus formatum & nutritum, ratione cujus ipsa dicebatur Mater Christi, numquam fuit corruptum per mortem, nec perdidit eandem personalitatem, sive suppositalitatem, per quam suppositabatur à Verbo: sed semper fuit idem corpus numero substantialiter & personaliter, prout suprà dictum est: Ergo nunquam fuit corrupta filiatio, nec relatio Christi ad Virginem Mariam: quæ quidem relatio fundabatur in Christo ratione illius corporis assumpti: & per consequens semper Christus fuit Filius Virginis, & Virgo semper fuit Mater Christi & Mater Dei. B

Sed si dicitur contra: quia ipsa in triduo non fuit Mater hominis, eò quòd Christus non fuit homo in triduo: Ergo nec fuit Mater Christi, nec Mater Dei. Ad hoc respondetur quod tenendo cum *Magistro*, nulla esset difficultas: tamen tenendo cum communi Schola Theologorum, adhuc non sequitur: Christus in triduo non fuit homo: Ergo non fuit Christus. Nam Verbum assumpsit humanitatem, ut per corpus esset instrumentum patiendi; & per animam instrumentum merendi. Et ista duo habuit in triduo personaliter unita ad sufficientiam nostræ redemptionis, licèt inter se essent separata. Nam Verbum habebat in Cruce personaliter corpus unitum, ut instrumentaliter vulneraretur in latere, ut ex eo exiret sanguis & aqua in redemptionem peccatorum, & efficaciam Sacramentorum, & ut corpus exanime tamquam pauper curaretur, & sepeliretur in sepulchro alieno: quæ omnia erant necessaria ad nostram justificationem & nostræ redemptionis perfectionem, ut suprà dictum est. C

Item, idem Verbum erat unitum cum anima in inferno, examinando causam generis humani, & condemnando diabolum, & liberando hominem per justitiam. Et sic patet, quòd licèt Verbum desieret esse homo naturalis per separationem animæ à corpore, tenendo communem positionem: tamen non desiit esse Christus, quia sufficienter habuit partes hominis sibi personaliter unitas ad instrumentum consummationis nostræ redemptionis: quia sufficienter exercebat, & consummabat nostram redemptionem per corpus & animam secundum exigentiam justitiæ: quia istum modum D exigebat nostra justitia, scilicet, ut ille homo assumptus realiter moreretur, & anima separaretur à corpore, & corpus mortuum penderet in Cruce in satisfactionem omnium nostrûm, & sepeliretur in alieno sepulchro, & quod anima descenderet ad inferos, ne sua membra descenderent. Nam sicut Christus ascendit in cœlum, ut sua membra post eum ascenderent: ita anima ejus descendit ad inferos, ne sua membra illuc descenderent; sed ibi nostram causam examinaret, & ostenderet qualiter pro nobis erat sufficienter satisfactum. E

Ex quibus etiam omnibus patet: quòd sicut Verbum non desiit esse Christus, ita non desiit esse caput Ecclesiæ, nec Ecclesia desiit esse corpus, nec Sponsa Christi, ut magis in sequenti quæstione patebit. Et sequitur etiam per eandem rationem, quòd non desiit esse Filius Virginis, nec Virgo desiit esse Matrem Christi, nec Mater Dei: & per hæc patet responsio ad responsiones in principio inductas. Et hæc de tertia quæstione hujus Cantici. F

Tertiò etiam quæritur circa istud sextum Canticum, Utrum *Petrus*, & cæteri Apostoli perdiderunt totaliter fidem in triduo, & potuerint dici hæretici, eò quòd dicit Sponsa: *Percusserunt me, & tulerunt pallium meum*, id est, vestem fidei, *custodes murorum*? Et videtur; quòd Petrus fuerit Hæreticus, eò quòd incœpit anathematizare & jurare, quòd non noviset hominem. *Mar.* 14. & sic cum juramento negavit Christum. G

Item, videtur, quòd omnes Apostoli fuerint Hæretici in Articulo Resurrectionis: quia quando mulieres nuntiarunt eis Christum resurrexisse, visa sunt eis quædam deliramenta, *Lucæ* 24. Item duo Discipuli desperantes de resurrecne, recesserunt à societate aliorum, dicentes: *Nos expectabamus quod esset redempturus Israel.* Item, *Thomas* qui dicitur *Didymus*, id est dubius, tamquam incredulus dixit: *Nisi misero digitum meum in fixuram clavorum, non credam.* Item, recumbentibus omnibus Apostolis Jesus exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis: Ergo omnes fuerunt duri & increduli, & per consequens Hæretici in illo triduo. H

In oppositum est. Nam in illo triduo, sicut Ecclesia non fuit sine capite, ita nec caput fuit sine corpore Ecclesiastico continente plura membra, qui fuerunt Discipuli & Apostoli, & tota illa societas centum viginti, ut patet *Actor.* 1. Et sic Apostoli non simpliciter perdiderunt fidem, nec fuerunt Hæretici.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd *fides in actu est firma inhæsio Catho-*

tholicæ veritatis ſine formidine alterius partis. Et hæreſis eſt *obſtinata impugnatio fidei alicujus Articuli cum pertinaci aſſertione contrariæ falſitatis* : & ſic de ratione actualis fidei eſt firma inhæſio ſine formidine. Sed de ratione hæreſis eſt obſtinatio contra veritatem Catholicam ſimul cum pertinacia. Et ſic non dicitur actualiter fidelis, niſi qui fortiter & firmiter inhæreat omnibus Articulis fidei abſque hæſitatione & formidine ; ita quod nil credat eſſe verius Articulis fidei in veritate, nec falſius eorum oppoſitis in falſitate, ut inquit *Ariſtot.* 1. *Poſteriorum* , de principiis ſcientiæ. Sed ad hoc quod aliquis ſit Hæreticus ſufficit , quòd cum obſtinatione impugnet veritatem unius Articuli , & cum pertinacia aſſerat oppoſitum ejus. Et ideo ille qui eſt tepidus , vel dubius , vel titubat in fide , nec firmiter inhærens , nec obſtinatè impugnans veritatem fidei , nec pertinaciter aſſerens oppoſitam falſitatem, & timore , aut formidine penè non audet confiteri fidei veritatem , non dicitur propriè fidelis , nec Hæreticus : ſed dicitur medius inter fidelem & Hæreticum; quia dicitur infirmus in fide.

Et ita eſt dicendum de *Petro* , & *Thoma* , & cæteris Apoſtolis in triduo, & etiam uſque ad Aſcenſionem : quia nec perfectè fuerunt fideles , & Hæretici, ſed infirmi in fide : & ſic non fuerunt totaliter extra Eccleſiam, quia non corde obſtiato impugnabant fidem Reſurrectionis ; ſed titubabant & formidabant. Unde Petrus non fuit Hæreticus , quando negavit Chriſtum : quia non obſtinato corde , ſed formidine & timore negavit ore : nec negavit corde Chriſtum eſſe Deum & Meſſiam in Lege promiſſum; ſed ſolùm negavit ore ſe noviſſe hominem : nec perdidit fidem in habitu , ſed ſolo actu in ore : & ideo illicò flevit amarè , gallo cantante. Ex quo patet, quòd non fuit Hæreticus , nec perdidit habitum fidei ; ſed fuit infirmus in actu. Et ita eſt dicendum de omnibus Apoſtolis , quando relicto Chriſto omnes fugerunt : quia non perdiderunt totaliter fidem in habitu , qua non reverſi ſunt ad ſua , ſed adhuc congregati in Cœnaculo, expectarunt Reſurrectionem per totum triduum : ad quos ingreſſus eſt Chriſtus in die Reſurrectionis abſente Thoma, ut patet *Joann.* 20. Ex quo patet , quòd non obſtinato corde impugnabant veritatem Reſurrectionis ; ſed tamquam infirmi titubabant. Et ita etiam Thomas non dictus eſt Hæreticus , ſed infirmus , & durus , & tardus ad credendum , quærendo experimentum. Et ita eſt dicendum de illis Diſcipulis duobus , qui illa die ibant in *Emmaus* : quos increpans Chriſtus , non dixit Hæreticos , ſed ſtultos , & tardos ad credendum. Et ſic eſt etiam dicendum de omnibus undecim recumbentibus , quorum Jeſus increpavit & exprobravit incredulitatem & duritiam : quia non increpavit Hæreſim , ſed duritiam , & infirmitatem eorum , & tarditatem ad firmiter & ſine formidine inhærendum & credendum.

Ex quibus patet , quòd licèt illa ſocietas aliquando perdiderit fidem in actu ex infirmitate ; tamen non in habitu , nec corde obſtinato cum pertinaci aſſertione alterius partis. Et ideo numquam fuit Hæretica : & ſic ſemper fuit Eccleſia Chriſti , licèt infirma : ſicut homo infirmus ex omnibus membris non deſinit eſſe homo.

Item , dubitatio , vel negatio , vel aſſertio numquam dicitur Hæretica , niſi ſit de directo contra id quod eſt per Eccleſiam determinatum , & promulgatum. Et ideo *Papias* , & *Irenæus* , & *Lactantius* , qui aſſeruerunt fideles victuros per mille annos in hoc ſæculo poſt ſecundum adventum Chriſti , non reputantur hæretici ab Eccleſia : eò quòd tunc nondum contrarium erat determinatum. Item Beatus *Cyprianus* , qui dixit Hæreticos , & ab eis baptizatos eſſe rebaptizandos , non fuit cenſendus Hæreticus: eò quòd nondum contrarium erat determinatum. Sed modò unuſquiſque talia aſſerens reputaretur Hæreticus , poſtquam Eccleſia contrarium determinavit. Ita ergo pariter eſt dicendum de Apoſtolis & Diſcipulis dubitantibus & titubantibus in paſſione Chriſti de ejus Reſurrectione: eò quòd Spiritus ſanctus nondum confirmaverat in Apoſtolis Eccleſiam uſque ad diem Pentecoſtes , nec dum Euangelium fuerat promulgatum. Sed poſt adventum Spiritus ſancti , & promulgationem Euangelii , non potuit eſſe dubitatio de aliquo Articulo fidei & negatio , abſque Hæreſis pravitate , prout magis declarabitur in *Expoſitione Euangeliorum* , Deo concedente.

Nec eſt dicendum , quòd tota illa Eccleſia quoad omnia membra fuerit infirma in illo triduo. Quia inter cætera unum membrum habuit ſaniſſimum , ſcilicet *Virginem Mariam* , in qua fuit conſervata integra fides Eccleſiæ , ſpe & charitate formata. Et ideo non ceſſavit, nec deſivit Eccleſia in illo triduo , nec in toto tempore uſque ad Aſcenſionem , & miſſionem Spiritus ſancti.

Item , licèt tota perfectio formæ Eccleſiæ , non fuerit conſervata in quolibet membro infirmo : tamen fuit conſervata in Virgine Maria , tamquam in uno membro ſano , & principali poſt Chriſtum , qui erat caput Eccleſiæ, prout ſuprà dictum fuit in *quinto Cantico.* Et ideo per totum illud triduum , & uſque

ad Pentecoſten, ſicut Eccleſia non fuit ſine capite Chriſto; ita nec caput fuit ſine Eccleſia in illa ſocietate, nec illa ſocietas deſivit eſſe Eccleſia, licèt pro majori parte membrorum erat infirma. Quòd patet. Nam ſemper fuit in unum congregata per totum triduum in Cœnaculo, expectando Reſurrectionem, & poſtea per quadraginta dies expectando Aſcenſionem, & poſtea per decem dies expectando Spiritum ſanctum, ut patet *Actor.* 1. & ſic ſemper fuit congregata ſub aliqua ſpe & fide Chriſti; & per conſequens nunquam deſivit eſſe Eccleſia. A

Ex ſupradictis ergo patet: quòd licèt *cuſtodes murorum*, ſcilicet, Pricipes Sacerdotum & Scribæ & Phariſæi, & Pilatus cum ſuis Miniſtris percuſſerint & vulneraverint Eccleſiam Apoſtolorum & Diſcipulorum vulnere terroris & timoris, & tulerint & abſtulerint ipſi veſtem & pallium fidei actualis; tamen non fidei habitualis. Et ideo non totaliter deſtruxerunt, nec anihilaverunt Eccleſiam: quia adhuc manſit in ea aliqua ſcintilla vitæ, ſcilicet fidei, & ſpei, licet vulnerata & infirma. Et ſic Apoſtoli non fuerunt Hæretici, ſed infirmi in fide. Aliud eſt enim eſſe infirmum in fide, & aliud Hæreticum. Nam aliquis poteſt titubare, & eſſe infirmus in fide ex timore, & hoc abſque impugnatione obſtinata veritatis fidei, & pertinaci aſſertione alterius partis; & ſic non erit Hæreticus ille talis. B

Et nota, quòd notanter dicitur in textu: *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem &c.* Quia Scribæ & Phariſæi, & Principes Sacerdotum, qui erant poſiti ad cuſtodiam civitatis, non introibant civitatem ſacræ Scripturæ; ſed tanquam cæci & canes circumibant civitatem, non attingentes veram intelligentiam Scripturæ. Et ſic ambulabant in cæcitate, & mendaci traditione extra omnem veritatem: quia *In circuitu impii ambulant.* Et ideo ſicut ipſi erant vulnerati & fauciati peſtifero & Hæretico veneno infidelitatis contra Chriſtum: ita conati ſunt percutere Apoſtolos vulnere terroris & timoris, & expoliare eos pallio fidei. Sed non potuerunt totaliter obtinere obtentum ſuum. Nam Chriſtus reſurrexit tertia die, & Apoſtolos viſitavit, oſtendens eis veritatem ſuæ reſurrectionis; & per quadraginta dies increpavit incredulitatem eorum: & finaliter in die Pentecoſtes induit eos pallio ſapientiæ, & intellectus, & conſilii, & fortitudinis, & omnium donorum & gratiarum. Et ſic manent Judæi in ſua cæcitate obſtinati, tamquam canes circundantes civitatem uſque ad finem & veſperam mundi, & fideles ſucceſſores Apoſtolorum manent in fide Chriſti confirmati uſque ad ſecundum adventum Chriſti. Et hoc de ſexto Cantico. C D

E CANTICUM SEPTIMUM.

Adjuro vos filiæ Jeruſalem,
Si inveneritis dilectum meum,
Ut nuntietis ei quia amore langueo.
Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto,
O pulcherrima mulierum?
Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adjuraſti nos?
Dilectus meus candidus & rubi-
F *cundus,*
Electus ex millibus.
Caput ejus aurum optimum:
Comæ ejus ſicut elatæ palmarum;
Nigræ quaſi corvus.
Oculi ejus ſicut columbæ
Super rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ,
Et reſident juxta fluenta pleniſſima.
Genæ illius ſicut areolæ aromatum
G *conſitæ à pigmentariis.*
Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam.
Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.
Venter ejus eburneus,
Diſtinctus ſapphiris.
Crura illius columnæ marmoreæ,
Quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.
Species ejus ut Libani,
Electus ut cedri.
H *Guttur illius ſuaviſſimum,*
Et totus deſiderabilis:
Talis eſt dilectus meus:
Et ipſe eſt amicus meus,
O filiæ Jeruſalem.

HOC eſt Canticum ſeptimum, in quo Salomon cantat excellentiam, & potentiam, & dignitatem Chriſti, quam

quam Ecclesia Apostolorum cantavit & evangelizavit in Jerusalem post receptionem Spiritus sancti. Et per consequens Salomon cantat prædicationem & publicationem Euangelii factam per Apostolos post receptionem Spiritus sancti, primò in Jerusalem & populo Judaico, & postea in populo Gentili, ut patebit per Cantica sequentia.

Ad cujus intellectum est notandum, prout dictum fuit in superiori Cantico: quòd ista Sponsa, scilicet congregatio Apostolorum & Discipulorum, timore percussa, & terrore vulnerata, & pallio fortitudinis fidei expoliata per totum triduum latuit in Cœnaculo usque ad Resurrectionem: & adhuc latuit ibi usque ad diem octavum, ubi iterum apparuit Jesus præsente Thoma, ut patet *Joann.* 20. Et ideo tunc ista Sponsa magis certificata de Resurrectione Sponsi sui, abiit ab Jerusalem in Galilæam, ut patet *Matth. ultimo*: & ibi iterum se manifestavit Jesus *Petro*, & *Joanni*, & *Thomæ*, & cæteris Apostolis & Discipulis ad mare Tiberiadis, & comedit cum eis, ut patet *Joann.* 21. Et sic magis certi de Christi Resurrectione, venerunt ad montem Oliveti, & ibi locutus est eis Jesus de Regno Dei, præcipiens ne discederent ab Jerosolymis, donec reciperent Spiritum sanctum: & sic videntibus illis elevatus est in Cœlum. Post cujus Ascensionem undecim Apostoli cum tota turba Discipulorum & mulierum, numero centum viginti reversi, in Jerusalem latuerunt decem diebus in Cœnaculo usque ad diem Pentecostes, in quo receperunt Spiritum sanctum.

Ex quibus omnibus patet, quòd ista Sponsa, scilicet, societas Apostolorum & Discipulorum per quinquaginta tres dies, scilicet, à captione Christi usque ad Pentecosten latuit profuga, & timore perterrita, & percussa, & vulnerata, & pallio fortitudinis fidei expoliata: in quibus quinquaginta tribus diebus non ausa est coram populo Christum nominare, nec veritatem Euangelicam & Resurrectionem Christi prædicare. Sed postquam recepit Spiritum sanctum, ab omni vulnere terroris sanata, & virtute spiritus sancti ex alto induta, & pallio donorum Spiritus sancti vestita & armata, omni formidine rejectâ, repente exivit de Cœnaculo, & cum audacia coram principibus Sacerdotum & Scribis & Pharisæis, & omni populo incœpit Christum prædicare & euangelizare, & ejus Resurrectionem & Ascensionem manifestare, & ipsum esse Deum & hominem, & Messiam in Lege & Prophetis promissum publicè confiteri, & per sacras Scripturas probare & demonstrare, ut patet *Act.* 2. Et per totum discursum illius libri.

In quo die inter cætera, duo magna mirabilia opera Spiritus sancti manifestata sunt. Quorum primum fuit; quòd *Petrus*, qui in captione Christi ad vocem unius ancillæ timore perterritus Christum negaverat, & omnes alii Apostoli, & Discipuli qui relicto Christo aufugerant, & per quinquaginta tres dies timore percussi, & pallio fortitudinis fidei expoliati latuerant; tunc recepto Spiritu sancto, cum tanta fiducia & audacia audebant Christum prædicare adversus Principes Sacerdotum, & Scribas, & Pharisæos, quos ante miserabiliter formidabant, dicentes: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*: Et *ibant omnes gaudentes à conspectu concilii pro nomine Jesu contumeliam pati*, ut patet *Act.* 5.

Secundum opus mirabile fuit: quia *Petrus* cum cæteris, qui nunquam litteras didicerant, in solis rebus rusticis & piscatione enutriti; in illa die contra Scribas & Pharisæos, & Legisperitos sedentes in cathredra Moysi, cum grandi sapientiâ & audaciâ incœperunt disputare, & eis Christum fuisse verum Messiam in Lege promissum per sacras Scripturas demonstrare: quorum rationibus & authoritatibus Scribæ & Pharisæi resistere non valentes, confusi & convicti recesserunt: in tantum, quòd videntes turbæ Pharisæos & Scribas per Apostolos esse convictos, ad tria millia de turba crediderunt, & Baptismum receperunt, ut patet *Act.* 2. & sic per prædicationem Apostolorum, & miracula, quæ fiebant per eos in virtute nominis *Jesu*, crevit numerus & Ecclesia fidelium.

Omnia ergo ista prævidens Salomon in spiritu, fecit istud septimum Canticum, in quo introducit Ecclesiam Apostolorum & Discipulorum publicè prædicantem Christum in Jerusalem post receptionem Spiritus sancti: & introducit plebem simplicem & devotam Apostolos devotè audientem, & de qualitate Sponsi quærentem.

Et ideo tria fiunt in hoc Cantico. Nam primo Ecclesia Apostolorum, & etiam mulierum, quærit Sponsum suum Christum in Jerusalem, ubi antè nec quærere, nec prædicare audebant. Secundò, plebs fidelium Judæorum qui conversi sunt, quærit de qualitate & dignitate hujus Sponsi. Tertiò, ipsa Sponsa publicè prædicat & euangelizat deitatem, & majestatem, & potentiam, & sapientiam, & cæteras perfectiones Christi Sponsi sui. Secunda erit ibi: *Qualis est dilectus tuus.* Tertia ibi: *Dilectus meus candidus.*

Quantum ergo ad primum est advertendum secundum omnes Euangelistas: quòd postquam Christus fuit depositus de Cruce, & positus in sepulchro, dum

Apostoli laterent in Cœnaculo propter metum Judæorum per totum triduum, primo mulieres emerunt aromata, & die Dominica manè diluculo venerunt ad monumentum, ut ungerent Jesum. Sed cum invenissent lapidem revolutum ab ostio monumenti, & fuisset eis nunciatum per Angelos, Christum resurrexisse; tunc sola *Magdalena* mansit juxta sepulchrum, cæteris recedentibus ad nuntiandum Apostolis Christi Resurrectionem. Sed interim Christus apparuit Magdalenæ sub specie hortulani: ipsa autem putans Christum esse hortulanum, dixit: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Item, in eodem spatio temporis Christus apparuit mulieribus euntibus ad Apostolos, & Apostoli, scilicet *Petrus*, & *Joannes* ex relatu mulierum venerunt ad sepulchrum ad quærendum Christum; quibus apparuit Christus in via dum reverterentur. Ex quibus patet, quòd tota Ecclesia tam virorum, quàm mulierum quærebat Christum in illa die cum grandi affectu & amore. Et eodem modo de tota Ecclesia Sponsa Christi pro illo statu possunt verificari verba posita in principio hujus septimi Cantici. Unde ait Sponsa ad filias & mulieres Jerusalem, & maximè ad devotas, inter quas quærebat Christum, dicens: O *filiæ Jerusalem, adjuro vos*, id est, sub sacro juramento veritatis Legis, & Prophetarum vos obligo & exhortor, *ut nuntietis mihi, si inveneritis dilectum meum*, qui fuit sepultus in monumento: quia tulerunt Dominum meum & nescio ubi posuerunt eum: ideo *amore langueo.*

Sed est iterum advertendum, quòd Ecclesia Apostolorum & Discipulorum non solum quæsivit & expectavit Sponsum suum per illud triduum, & totum spatium usque ad missionem Spiritus sancti, sed etiam cum majori affectu ilico post receptionem Spiritus sancti quæsivit eum in cordibus hominum, publicè Christum prædicando; primò in Jerusalem, & exinde per totam terram promissionis, & per totam *Syriam*, & *Arabiam*, & *Græciam*, & per totum orbem, ut patet per totum librum *Actuum Apostolorum*, & in Ecclesiastica Historia.

Et sic ista adjuratio posita in principio hujus septimi Cantici, magis propriè verificatur de prædicatione Apostolorum facta primò in Jerusalem, & exinde per totum orbem. Unde recepto Spiritu sancti, dixit *Petrus* cum tota Ecclesia Apostolorum ad totum populum Jerusalem: O *filiæ Jerusalem adjuro vos* per sacram Scripturam Legis, & Prophetarum, *ut nuncietis mihi, si inveneritis dilectum meum*, id est, si creditis eum in cordibus vestris. Quasi dicat: quia ex dictis sacræ Scripturæ potestis videre ipsum esse Deum, & hominem, & Messiam in Lege promissum, quem vos ignorantes crucifixistis, qui mortuus est pro peccatis omnium, & resurrexit à mortuis, prout omnes Prophetæ testimonium perhibent de ipso. Ideo per easdem sacras Scripturas vos adjuro & moneo, ut recipiatis ipsum in verum Messiam & Redemptorem: & si inveneritis ipsum, & credideritis in cordibus vestris, rogo ut *annuncietis* mihi, *quia amore langueo.* Unde hoc dicebat Ecclesia Apostolorum: quia in tantum fuit accensa in amorem & charitatem Christi per receptionem Spiritus sancti, quòd non timens minas Scribarum & Pharisæorum, nec Regum, nec Principum, cum fiducia prædicabat Christum: desiderans omnes populos adducere ad fidem ejus.

Deinde cum dicit: *Qualis est dilectus tuus*, ponit devotam interrogationem audientium prædicationem Apostolorum in Jerusalem in die Pentecostes, & diebus sequentibus.

Ad cujus intellectum est notandum, ut legitur *Act.* 2. & 3. quod cùm *Petrus*, & cæteri Apostoli publicè prædicarent coram Populo, Christum esse Filium Dei, & post mortem resurrexisse in corpus glorioſum, & sedisse à dextris Dei Patris tamquam hæredem, & accepisse potestatem super totum universum; tunc omnes admirabantur. Et ideo admirantes, quærebant de qualitate, & dignitate, & majestate Christi resurgentis, dicentes: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum?* Quasi dicerent: Tu dicis quod iste *dilectus* Sponsus tuus est Filius Dei dilectus à Deo Patre, & in tantum dilectus, quòd suscitavit eum à mortuis tertia die, & tradidit ipsi regnum mundi. Ergo dic mihi *qualis est* iste *dilectus tuus* in natura & majestate? Et quomodo procedit *ex* Patre *dilecto?* Et dic etiam nobis: quare quæris eum cum tanta solicitudine, *quia sic adjurasti nos?*

Ad cujus intellectum ast advertendum, quod filiæ Jerusalem tria dicunt in præsenti quæstione. Primò quia bis dicunt, *Qualis est dilectus ex dilecto?* Per quod explicant duplicem processionem Filii ex Patre. Quarum prima est ab æterno secundum divinitatem. Secunda est processio temporalis secundum humanitatem. Et ideo quærunt de qualitate Christi, non solùm secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem. Item secundò istæ filiæ Jerusalem vocant istam Sponsam *pulcherrimam mulierum*: per quod notificant pulchritudinem, & plenitudinem donorum, & gratiarum, & bonorum spiritualium, quam adepta est Ecclesia in die Pentecostes per receptionem Spiritus sancti. Item tertiò dicunt; *quia*

quia ſic adjuraſti nos: per quod denotatur magna ſollicitudo & charitas, quam habebant Apoſtoli & Diſcipuli in publicatione Euangelii ad convertendos fideles, oſtendendo, & probando per ſacras Scripturas, Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem, & Meſsiam in Lege promiſſum. Et ideo filiæ Jeruſalem eos interrogabant. A

Deinde cum dicit: *Dilectus meus candidus & rubicundus &c.* ponitur prompta reſponſio Sponſæ ad filias Jeruſalem, explicando majeſtatem, & potentiam, & ſapientiam, & omnes dignitates Chriſti Sponſi ſui, deſcribendo ipſum per omnia membra ſua.

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd decem membra Chriſti enumerat & memorat Sponſa, per quæ denotat & notificat decem dignitates & perfectiones Chriſti Sponſi ſui ſuper omnia creata, ſcilicet, caput, comas, oculos, genas, labia, manus, ventrem, crura, ſpeciem, & guttur. Unde per *caput* intelligit Chriſti divinitatem, ut ait *Apoſtolus* 1. *ad Corinth.* 11. *Caput Eccleſiæ Chriſtus: & caput Chriſti Deus.* Et ideo, quia Chriſtus non eſt Deus per participationem, ſed per eſſentiam ſecundum divinitatem; ideo non dicit, Caput ejus aureum; ſed *Caput ejus aurum optimum.* B

Item, per *comas nigras* intelligit Chriſti fortitudinem & victoriam, quam habuit de diabolo, & mundo, & morte: eò quòd nigredo & criſpitudo capillorum denotant fortitudinem in homine. Ideo dicit: *Comæ ejus ſicut elatæ*, id eſt, folia *palmarum* erecta ſurſum & rigida ad vincendum & triumphandum. C

Item per *oculos columbinos* intelligit Chriſti perſpicacitatem in diſcernendo, & rectitudinem in judicando. Et per *genas odoriferas & aromaticas* intelligit ejus honeſtam vitam, & converſationem in hac peregrinatione. Et per *labia* intelligit ejus prædicationem. Et per *manus tornatiles & aureas* intelligit ejus miram potentiam, & opera miraculoſa. Et per *ventrem plenum ſapphiris* intelligit ipſum fuiſſe capſam & armarium omnium virtutum. Et per *crura & baſes aureas* intelligit fidei articulos, & gratiam Sacramentorum, ſuper quas fundavit Eccleſiam. Et per *ſpeciem & ſtaturam* intelligit ejus pulchritudinem, & magnitudinem, & excellentiam, & imperium. Et per *guttur* intelligit ſuavitatem ſermonum ejus. D

Fuit ergo & eſt Chriſtus caput & principium primò omnium rerum per creationem: quia *omnia per ipſum facta ſunt*, *Joann.* 1. Et eſt caput Eccleſiæ, & hominum, & Angelorum. Quia Deus poſuit eum ſuper omnem Eccleſiam, & Principatum, & Poteſtates: & iſtud caput eſt Deus non per participationem, ſed per eſſentiam. Et ideo caput ejus non dicitur *aureum*, ſed *ipſum aurum*: ad denotandum, quòd Chriſtus non eſt Deus per participationem, ſicut cæteri ſancti; ſed eſt Deus per eſſentiam: quia Chriſtus eſt Verbum Filius Patris ſibi coeſſentialis. Item, oculi ejus ſunt mundi, & recti, & perſpicaces volantes ſuper totam Scripturam: ſicut *columbæ ſuper rivos aquarum*, *quæ ſunt lacte lotæ*, id eſt, lacteo colore dealbatæ, *quæ reſident juxta fluenta.* Ita ergo Chriſtus eſt mundus, & rectus, non accipiens perſonam hominum in judicando; & perſpicax in diſcernendo & penetrando ſecreta Dei Patris, & ſacræ Scripturæ: quia quæcumque audivit & hauſit ex puteo ſapientiæ Patris, nota fecit nobis. E F

Habet Chriſtus *comas* nigras, & tortuoſas, & rigidas, & elatas, & elevatas per fortitudinem, quia fuit fortis in perferendis injuriis, & laboribus, & tormentis, & ferendo mortem & paſsionem. *Genæ* ejus ſunt odoriferæ ſicut *areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis* & aromatariis: quia ejus vita & converſatio honeſta fuit omnibus exemplaris, & odorifera. Ideo omnes currebant in odorem & famam unguentorum ejus. Item, *labia* ejus fuerunt *diſtillantia myrrham primam* in prædicando: quia prædicabant pœnitentiam, & extirpabant vitia, inſerendo virtutes. Et *manus* ejus, per quas deſignatur potentia & operatio, fuerunt *tornatiles*, id eſt, munitæ, & armillis aureis circundatæ, & *plenæ hyacinthis:* quia opera miraculoſa, quæ faciebat manus potentiæ Chriſti, erant aurea & hyacinthina ſuper omnem facultatem humanam in ſuſcitando mortuos, & ægros ſanando, & opera miſericordiæ exercendo. Item, *venter* ejus fuit *eburneus*, *diſtinctus ſapphiris*, id eſt, fuit capſa & arca plena lapidibus pretioſis, ſcilicet, virtutibus, & bonis, & theſauris ſpiritualibus. Unde in Hebræo habetur: *Venter ejus capſa eburnea plena ſapphiris.* Quia Chriſtus fuit arca & armarium omnium virtutum, & theſaurorum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & gratiarum, & omnium virtutum, & bonorum ſpiritualium, de cujus plenitudine omnes accepimus. Item, *crura ejus*, ſuper quæ fundavit Eccleſiam, ſunt ſicut *columnæ marmoreæ*, ſcilicet, fortiſsimæ ad modum marmoris. Quæ quidem columnæ Eccleſiæ ſunt fundatæ ſuper baſes aureas, ſcilicet, ſuper fidem, & charitatem, & gratiam Sacramentorum. Item, *ſpecies* & pulchritudo Chriſti, quæ conſiſtit in abundantia bonorum, & magnitudine, & altitudine imperii, & ſupereminentiæ & dignitatis, eſt ſicut Libani. Nam ſicut mons Libanus ſuperexcedit omnes alios montes Syriæ in altitudine G H

&

& pinguedine pascuarum, & fructuum, & aquarum : ita Christus qui est *mons Dei, mons pinguis*, superexcellit & excedit omnes montes, scilicet, Reges, & omnes creaturas in altitudine perfectionum, & copia fructuum virtutum, & bonorum spiritualium. Et sicut cedrus est arbor electa, & incorruptibilis, & altissima super omnes alios arbores: ita Christus immortalis post resurrectionem, excedit omnes creaturas in dominio & imperio: quia sedet à dextris, id est, in potioribus bonis Patris, & data est illi potestas in Cœlo, & in terra, & in omnibus abyssis. Ideo dicitur *electus*, id est, elevatus, *ut cedri*. Item *guttur ejus* est *suavissimum*, scilicet, doctrina Euangelica, quæ ex gutture & ore ejus processit, & nobis reliquit, est suavissima & dulcissima audientibus.

Ex quibus patet, quòd totus Christus est desiderabilis & bonus, quantum ad omnia supradicta, scilicet, quoad caput, & comas, & oculos : quia omnia sunt bona & desiderabilia, & nil fuit in eo, quin fuerit bonum & desiderabile Sponsæ suæ Ecclesiæ. Et ideo concludit Sponsa Canticum suum dicens : *O filiæ Jerusalem, talis est dilectus meus* Christus, qualem vobis descripsi & prædicavi. *Et ipse est amicus* & Sponsus *meus*, quem vidi & audivi, quem amavi, quem credidi, quem dilexi, & tamquam Deum colui & in verum Messiam in Lege promissum suscepi.

Ex supradictis omnibus patet, quomodo Ecclesia Apostolum & Discipulorum vulnerata vulnere timoris, & expoliata pallio firmitatis fidei, non ausa fuerat publicè per quinquaginta tres dies fidem Christi confiteri; sed recepto Spiritu sancto in die Pentecostes induta pallio fortitudinis fidei, & aliorum donorum & gratiarum, publice & cum fiducia ausa est cantare Canticum supradictum, confitendo & probando Christum esse Deum & hominem & Messiam in Lege promissum; & hoc probando per Scripturas Legis, & Prophetarum, & convincendo Judæos, ut patet per totum discursum *Actuum Apostolorum*. Et hæc dicta sint de septimo Cantico.

* * *
* *

* * * \

populo Gentili. In ſecunda verò introducit populum laudantem, & beatificantem eandem Sponſam. Ibi: *Sexaginta ſunt reginæ &c.* A

Quantum ad primum eſt notandum, prout legitur *Act.* 13. quòd poſtquam Eccleſia & cætus Apoſtolorum prædicavit & annuntiavit publicè & cum fiducia verbum Dei populo Judaico, probando & confitendo Chriſtum eſſe verum Meſſiam in Lege promiſſum; in qua prædicatione Eccleſia cantavit præcedens Canticum, prout dictum eſt, commendando virtutes & perfectiones Chriſti: tunc licèt multi Judæorum fuiſſent converſi ad Chriſtum per prædicationem Apoſtolorum; tamen major pars illius populi contradixit prædicationi Apoſtolorum, & negavit Chriſtum, & perſecuta eſt Eccleſiam. Tunc Paulus & Barnabas videntes ingratitudinem illius populi, dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei: ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos judicaſtis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Conſtitui te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes gaviſæ ſunt &c.* Ex quibus patet, qualiter reprobatis Judæis cæperunt Gentiles converti, ut patet. *Act.* 13. & per totum diſcurſum illius libri. Et ſic Chriſtus Sponſus Eccleſiæ dicitur declinaſſe & deſcendiſſe à populo Judaico ad populum Gentilem, in quo fecit & plantavit hortum ſuum, ex quo collegit plures *fructus*, id eſt, plures fideles, quàm de plebe Judaica. B C

Hoc autem prævidens Salomon in ſpiritu, ſumendo parabolam & figuram ex *Joſue*, qui ordinatis & conſtitutis duodecim principibus & capitaneis, adeptus eſt totam terram promiſsionis, quam Gentiles & idololatræ poſsidebant: ita pariter Chriſtus conſtituit illos duodecim Apoſtolos, per quos adeptus eſt totum populum Gentilem. Et ideo Salomon in hac prima parte hujus Cantici cantando converſionem populi Gentilis introducit tres ſpecies perſonarum ad loquendum.

Nam primò introducit filias Jeruſalem de Sponſo interrogantes, per quas intelliguntur minores Judæi per Apoſtolos converſi. Secundò introducit Sponſam ad quæſitum reſpondentem. Tertiò introducit Sponſum, plebem Gentilem ad fidem vocantem, & eam decorantem, & ſibi ſociantem. Secunda ibi: *Dilectus meus deſcendit.* Tertia ibi: *Pulchra es amica mea.* D

Quantum ad primum: quia in ſuperiori Cantico Sponſa commendaverat Sponſum, & explicaverat ejus virtutes & perfectiones ingentes; ideo filiæ Jeruſalem, id eſt, animæ devotæ, & fideles quærunt, & interrogant Sponſam, dicentes: *O pulcherrima mulierum quo abiit dilectus? quo declinauit dilectus tuus & quæremus eum tecum.* Iſti verò interrogantes, erant noviter converſi de Judaiſmo, & minores, qui interragabant cætum Apoſtolorum. Quia tria dicunt: ſcilicet, *Quò abiit?* id eſt, quare receſſit à Judæis. Et *quò declinavit?* quia recedere à populo Judaico, & ire ad populum Gentilem, declinare eſt tamquam à majori & digniori ad minorem. Item ſubdunt: *Quæremus ipſum tecum*: quia multi converſi ex Judæis prædicabant etiam populo Gentili cum Apoſtolis. Deinde cum dicit: *Dilectus meus deſcendit in hortum &c.* ponitur reſponſio Sponſæ juxta quæſitum. E

F Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd delubra & templa Gentilium, in quibus prius habitabant, & adorabantur idola, dicebantur cubilia draconum & dæmonum: ſed poſtea factæ ſunt Eccleſiæ Chriſti, & Sanctorum, in quibus colitur & adoratur verus Deus trinus & unus, & offertur verum ſacrificium Euchariſtiæ, & veræ orationes & oblationes; & celebrantur divina officia Deo acceptabilia, quibus Deus dicitur paſci & delectari. Et ſic Gentilitas per fidem & Baptiſmum facta eſt areola aromatum ſpiritualium, quibus Chriſtus dicitur paſci. Nam ſicut Chriſtus paſcit nos cibis ſpiritualibus Sacramentorum, & doctrinâ: ita dicitur à nobis paſci liliis, & roſis, & aromatibus bonorum operum, & orationum, & univerſaliter cultu Latriæ, in quantum delectatur in noſtris bonis operibus, & acceptat illa ad vitam æternam. G

Reſpondens ergo Sponſa ad quæſitum adoleſcentularum & filiarum Jeruſalem, quando dixerunt: *Quò abiit & declinavit dilectus tuus?* dicit: *Dilectus meus* Chriſtus, reprobatis Judæis incredulis, quibus primùm oportebat loqui Verbum Dei, quia indignos ſe fecerunt, ideo converſus ad Gentes, *Deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum.* Nam ex populo Gentili, & ex templis, & delubris ejus fecit ſibi *areolam aromatum*, & hortum fructiferum, ejectâ ſpurcitiâ idolorum, *ut paſcatur in hortis* populi Gentilis, & *colligat* ex eo *lilia*, ſcilicet, Virgines, & Martyres, & Confeſſores, & Doctores, & Juſtos utriuſque ſexus; & paſcatur ibi paſtu Latriæ, ſcilicet, ſacrificiorum, & oblationum, & orationum. Et dicitur Chriſtus deſcendere à populo Judaico ad Gentilem tamquam à digniori, qui ante Deum colebat, ad minus dignum, qui idola venerabatur. H

Sed quia per talem deſcenſum Chriſti

ti ad plebem Gentilem, ſicut plebs Gentilis converſa paſcit Chriſtum per latriæ cultum; ita Chriſtus paſcit eam pabulo Eccleſiaſticorum Sacramentorum, & per conſequens fit mutuus paſtus: ideo ſubdit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi: qui paſcitur inter lilia.* Quaſi dicat: Ego exhibeo cultum & ſervitutem latriæ dilecto & Sponſo meo Chriſto; & exhibeo ipſi fideles per regenerationem; quia continuè regenerat ex me filios, & Martyres, & Virgines, & Confeſſores, & Juſtos utriuſque ſexûs per Baptiſmum & alia Sacramenta. Sed ipſe largitur & exhibet mihi paſtum & pabulum ſpirituale: ſcilicet dona Spiritus ſancti, & gratiam Sacramentorum in præſenti, & gloriam in futuro. Et ſic ad invicem correſpondemus nobis, & exhibemus & reddimus vices amoris. B

Item, ego exhibeo dilecto cultum Latrię, cui obligor ex debito; ſed ipſe gratis & liberè largitur mihi jocalia, & bona ſponſalia, & ſpiritualia in dotem: quia *tamquam Sponſam decoravit me corona*, & copiâ bonorum ſpiritualium, mihi familiariter loquendo; immò jam ſatisfacit mihi & correſpondet meæ petitioni & deſiderio. Nam ego cum ingenti affectu & deſiderio in *primo Cantico* petivi dealbari, & mundari à nigredine idololatriæ, & ſpurcitiâ Gentilitatis, & ſociari cum filiabus Jeruſalem in eadem Eccleſia, & paſci in uno & eodem horto, & quieſcere ſub umbra Sponſi in meridie. Sponſus autem jam audivit vocem C meam, & annuit votis & petitionibus meis, quia tam familiariter loquitur mihi per Apoſtolos ſuos: & ego loquor ipſi, cantando pſalmodiam & Divina Officia: quia jam miſit Apoſtolos ſuos ad prædicandum Euangelium omni creaturæ per univerſum mundum. Et ſic jam loquitur mihi Sponſus, & audio vocem ejus Euangelicam. Et ego jam loquor illi, & reſpondeo ipſi, confitendo ipſum eſſe verum Deum & hominem, & verum Meſſiam in Lege promiſſum. Et ſic reſpondeo ipſi per fidem, ſpem, & charitatem, D & cultum latriæ. Et ſic Sponſus meus *paſcitur inter lilia* Martyrum, & Virginum, & omnium juſtorum, eorum bona opera, & cultum latriæ delectabiliter acceptando.

Deinde cum dicit: *Pulchra es amica mea, ſuavis &c.* introducitur Sponſus ad loquendum, & ornandum, & dotandum Eccleſiam Sponſam ſuam de populo Gentili bonis ſpiritualibus, ſicut ante dotaverat Eccleſiam de converſis ex Synagoga.

Ad cujus intellectum eſt advertendum, ſicut fuit dictum in *primo Cantico*: quòd ſicut Deus eſt creator univerſalis ab initio; ita factus eſt ex tempore, & in tempore conſtituto Redemptor univerſalis, tam populi Gentilis, quàm Iſraelitici. Et ideo, ſicut Patriarchæ & Prophetæ in perſona totius populi Iſraelitici petebant Chriſtum Meſſiam in Lege promiſſum, ut veniret ad oſculandum eos oſculo oris ſui, & ut traheret eos poſt ſe, & introduceret in cubiculum ſuum: ita pariter tota plebs Gentilis hoc idem petebat, & petiit per *Thamar* & *Rahab*, & *Ruth*, tamquam per procuratrices: quia omnes illæ petierunt Chriſtum in perſona totius populi Gentilis, in quantum deſideraverunt ſociari in populo Dei, & venerunt ad fidem & cultum unius Dei; & ſic deſiderarunt Chriſtum venturum, ſimul cum ſucceſſoribus eorum, ut dictum fuit ibi: & deſiderarunt dealbari à F ſpurcitia, & nigredine, & ſorde idololatriæ, dicendo: *Nigra ſum, ſed formoſa &c.* Et ideo ſicut Sponſus ſatisfecit plebi Judaicæ, & Synagogæ fidelium per ſex Cantica, quia jam venit in carne, & oſculatus eſt eam per Incarnationem, ut patuit in *ſecundo Cantico*, & oſculatus in eam oſculo oris ſui perſonaliter per Euangelicam prædicationem, ut patuit in *Cantico tertio*: & jam traxit eam per familiarem doctrinam, & converſationem, & miraculorum operationem, ut patuit *Cantico quarto*: & jam introduxit eam in thalamum ſuum, & ornavit veſtibus ſponſalibus: ut patuit *Cantico quinto*: & jam patuit & refecit eam pabulo Sacra- G mentorum emanantium ex paſſione Chriſti, ut patuit *Cantico ſexto*: & jam Eccleſia congregata ex converſis de Judaiſmo ex populo Iſraelitico recepit Chriſtum in Sponſum, commendando, & confitendo ejus virtutes, & perfectiones, & omnipotentiam & magnificentiam, ut patuit in *Cantico ſeptimo*, ſcilicet in Cantico præcedenti: ita ergo pariter in hoc octavo Cantico, & duobus ſequentibus Sponſus ſatisfacit, & vult ſatisfacere votis & petitionibus plebis Gentilis, petentis dealbari à nigredine idololatriæ, & ſociari cum plebe Iſraelitica, & paſci cum ea, & ſimul quieſcere ſub umbra Sponſi. H Quam petitionem Chriſtus adimplevit, cùm miſit Apoſtolos ad vocandum & convertendum populum Gentilem ad fidem Euangelicam. Et ſic Chriſtus per Apoſtolos ſuos & Diſcipulos vocavit plebem Gentilem in eandem Eccleſiam, & dealbavit eam, & ornavit, & decoravit, & dotavit eam eiſdem ornamentis & monilibus ſponſalibus, quibus ante ornaverat Eccleſiam ex Synagoga converſam; & ſic ex utroque populo facta eſt unica Eccleſia & Sponſa Chriſti. Et ſic in his tribus ultimis Canticis maximè loquitur Salomon de Eccleſia populi Gentilis jam factâ unâ, & ſociatâ cum Judaica, ſive Iſraelitica, ut patebit.

Di-

Dicit ergo Christus Sponsus : O amica mea de populo Gentili, tu in principio petisti à nigredine idololatriæ dealbari, & cum filiabus Jerusalem sociari, & simul pasci & quiescere ; & ideo completo jam mysterio redemptionis in populo Israelitico, & postquam illi satisfeci per Incarnationem, & familiarem prædicationem, & mortem, & passionem, & resurrectionem &c. tandem volui descendere ad te, ut satisfacerem votis & petitionibus tuis, mittendo tibi Apostolos & Discipulos ad prædicandum, ut in persona mea te dealbent & mundent à nigredine idololatriæ, & pulchram faciant per Baptismum, & alia Sacramenta. A

Et nota, quòd licèt Christus vocaverit plebem Gentilem, & baptizaverit per Apostolos tamquam per Ministros; tamen quia per seipsum dat gratiam & bona spiritualia ; ideo loquitur in persona propria. Item, dicere Christum, & commendare pulchritudinem plebis Gentilis, idem est quod facere : quia commendando ipsam de pulchritudine, idem est quod facere ipsam pulchram, & ipsam decorare ornamentis sponsalibus hìc memoratis. B

Item est advertendum, quòd licèt Sponsus repetat & iteret in hoc Cantico octavo bona spiritualia, & ornamenta, quæ præmemoravit & explicavit in quinto Cantico ; tamen talis repetitio & iteratio non est superflua, nec otiosa ; sed denotat duos populos in diversis temporibus successivè ad fidem conversos, quos Christus sub eadem Ecclesia connexuit, & eisdem ornamentis sponsalibus decoravit. C

Dicit ergo Christus : O *amica mea* conversa de plebe Gentili, ego dico tibi, quòd tu *es pulchra*, id est, pulchram te facio simul cum plebe Israelitica. Et tu es *decora* facta *sicut Jerusalem*. Nam tu in primo Cantico petisti dealbari, & decorari, & sociari filiabus Jerusalem; & ego dico tibi, quod tu es facta *decora sicut Jerusalem*, & ipsi consociata in unam Ecclesiam, & eisdem ornamentis sponsalibus decorata, postquam recepisti eadem Ecclesiastica Sacramenta, quia eadem septem dona Spiritus sancti recepisti, & ad pugnandum contra mundum, & carnem, & diabolum eisdem armis armata fuisti : & ideo tu es facta *terribilis* ad pugnandum, *sicut* una *acies castrorum* bellicorum ad bellandum & pugnandum, *ordinata* pro fide Euangelica defendenda. D

Item, pulchritudo tua summè delectat me : *Averte* ergo *oculos tuos à me &c.* Et loquitur ironicè, more amantium : sicut sponsus carnalis quandoque dicit Sponsæ : Averte oculos tuos à me; quia tantum sunt pulchri, quod penetrant cor meum, & interficunt me. Ita ergo pariter metaphoricè dicit hìc Christus : O Sponsa mea, *averte oculos tuos*, scilicet, fidei, & charitatis, & humilitatis : quia tantum mihi placent, & sunt grati, quòd *me avolare fecerunt*, id est, ut relicto & reprobato populo Judaico incredulo, me compulerunt, ut repentè descenderem, & venirem ad te. E

Ad cujus intellectum est advertendum, sicut dictum est in *Cantico quinto*: quòd Christus non respexit in nobis istos oculos, & ista bona tamquam formam efficientem, sed tamquam formam disponentem, quam ipse in nobis impressit, ut nos sibi gratos faceret. Unde tria genera oculorum vulneraverunt Christum, & fecerunt ipsum avolare, ut veniret ad nos redimendum. Primò oculi imaginis naturalis, in quantum solum hominem creavit in hoc mundo inferiori ad imaginem suam, aptum & capacem ad suam beatitudinem participandam & capessendam : & ideo advolando descendit ad redimendam suam imaginem, quam in utroque populo reperit. F

Secundò, vulneraverunt & moverunt Christum oculi prædestinationis. Nam quos Pater ab æterno prædestinavit, hos filius factus homo ex tempore vocavit, & hos justificavit in præsenti, & magnificavit & glorificavit in futuro, *ad Rom. 9*,

Tertiò autem sunt oculi gratiæ, propter quos sumus Deo grati & accepti ad vitam æternam : & hos dedit nobis gratis Christus. Item enim Christus dedit nobis oculos fidei cum charitate, quibus eum cognoscimus, & diligimus, & meremur, & sumus apti ad vitam æternam: & isti oculi penetrant cor Christi, & faciunt eum advolare ad præmium nobis conferendum : & sic Christus amat quod in nobis plantavit. Et sic patet, quòd Christus antè dilexit nos, quàm nos ipsum: quia Deus ante mundi constitutionem dilexit, & elegit nos, ut essemus sancti, & postea gratificavit nos in Christo Filio suo, *ad Phil. 1.* & sic patet, quòd Christus dotavit & ornavit Ecclesiam Sponsam suam ornamentis sponsalibus, ut sibi placeret, & amplius eam diligeret : quæ quidem ornamenta sunt fides Articulorum, & gratia Sacramentorum, & robur ad observationem præceptorum, & varietas statuum & officiorum & dignitatum. Et ideo per oculos possunt etiam intelligi Doctores, scilicet, *Augustinus Hieronymus* & cæteri, qui fuerunt de populo Gentili, multi plures, quàm de populo Judaico ; per quos Doctores tamquam per oculos videt Ecclesia. Qui quidem oculi Doctorum, eò quòd erant G H

cum fide & charitate, ideo Christum advolare fecerunt.

Et sic etiam subdit: *Capilli tui*, id A est, populi ex Gentibus conversi, facti sunt copiosi, & albissimi, & multiplicati per regenerationem Baptismalem, *sicut greges caprarum, quæ apparuerunt de Galaad* in magno numero. Et *dentes tui*, qui sunt iidem Doctores, in quantum ruminant & masticant, & digerunt sacram Scripturam, facti sunt albi & mundi *sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro*, prout dictum est in cantico quinto: quia *omnes* Doctores sunt *gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis*, in quantum ex utroque Testamento quotidie pariunt sacram Scripturam, & præbent eam populis fidelium.

Et sic etiam *genæ tuæ*, quæ sunt bonæ & honestæ operationes coram po- B pulo apparentes, sunt rubeæ per charitatem, *sicut cortex mali punici absque occultis*. Nam sicut malum punicum sub una pelle rubea continet multa grana rubea & pulchra: ita Ecclesia Sponsa Christi sub una pelle & tegmine fidei & charitatis continet copiam fidelium rubore & ardore charitatis ardentium, cujus lux lucet coram hominibus, non ut videatur ab hominibus ad propriam laudem; sed ut glorificent Dominum qui in Cœlis est. Et ideo subdit, *Absque occultis*. Quasi dicat: Quòd talia opera sunt cum interiori gaudio, & recta intentione latente, testimonium reddente conscientia eorum. Et sic Eccle- C sia, & quilibet justus est pulcher, & rubet charitate intus & extra: quia non ad ostentationem propriam operatur & exercet opera virtutum, sed ad laudem Dei, & proximi bonum exemplum & utilitatem. Hoc etiam dicit: quia in Ecclesia multi sunt Martyres latenter in corde, licèt non martyrium receperunt publicum in carne.

SECUNDA PARS CANTICI Octavi.

Sexaginta sunt reginæ,
Et octoginta concubinæ, D
Et adolescentularum non est numerus.
Una est columba mea, perfecta mea,
Una est matri suæ,
Electa genitrici suæ.
Viderunt eam filiæ Sion,
Et beatissimam prædicaverunt,
E *Reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.*
Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens,
Pulchra ut Luna, electa ut Sol,
Terribilis ut castrorum acies ordinata?
Descendi in hortum nucum
Ut viderem poma convallium,
Et inspicerem si floruisset vinea,
Et germinassent mala punica.
F *Nescivi: Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.*
Revertere, revertere Sunamitis:
Revertere, revertere, ut intueamur te.

DEinde cum dicit: *Sexaginta sunt reginæ &c.* hæc est secunda pars hujus octavi Cantici.

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd omnes Reges terræ & Principes mundi gerunt Vices Dei in regendo: quia omnis potestas à domino Deo est. Unde dicit Divina Sapientia: *Per* G *me Reges regnant: per me Principes imperant & decernunt justitiam. Proverb.* 8. Et est dicendum, quòd omnis humana potestas est à Deo, aut præceptivè, aut permissivè. Unde Reges regnant ex Dei voluntate præceptiva, eò quòd ex electione incœperunt regnare, & optimis legibus regunt, & discernunt judicia. Et ideo propter talem honestum ordinem dominandi regiæ potestates & regna metaphorice dicuntur *uxores* Dei, & *reginæ*: tyrannicæ autem potestates, eò quòd violenter regunt & reguntur, ideo dicuntur *concubinæ*, quasi adulterinæ: quia non legitimè possidentur, nec reguntur. Et Salomon hîc *regna* & *regias potestates mundi* appellat *reginas*; & tyrranides H appellat *concubinas*; & civitates & oppida appellat *adolescentulas*, quasi ancillas regum & Principum. Et quia plures sunt tyranni, quàm reges legitimi in mundo; ideo posuit *concubinas* in majori numero. Et quia civitates & oppida sunt in multò majori numero, quàm reges, sive regna & tyrannides; ideo ponit eas sub numero quasi infinito. Sed quia licèt omnia ista regna mundi, & principatus, & tyrannides, & civitates sint plures in numero, & sint diversæ linguæ, & diversi

versi mores ; & licèt sub diversis humanis legibus regantur & vivant temporaliter : tamen ex omnibus his, & in omnibus his facta est unica Ecclesia sub uno capite Christo & Principe congregata, & unico Baptismo regenerata , vivens sub unica Lege Euangelica , & unica gratia Sacramentorum , & unica fide Articulorum : quia ubique terrarum unica est Ecclesia Sponsa Christi , sicut unicus est Sponsus.

Et hoc est quod intendit dicere Salomon in hoc Cantico & loco in persona Christi. Unde ait : *Sexaginta sunt reginæ* , id est, regiæ potestates : *& octoginta concubinæ* , id est , tyrannides in mundo , *& adolescentularum* , id est, civitatum, & oppidorum , & aliorum populorum *non est numerus* , quia sunt quasi infiniti in mundo. Sed in omnibus his *una est columba mea* , id est , unica est Ecclesia Sponsa mea , simplex , & innocens , & pura sicut columba : & unica & perfecta est *matri suæ , & electa genitrici suæ.*

Ad cujus intellectum est notandum, quòd Christus dicitur Sponsus Ecclesiæ, in quantum eam sibi univit per gratiam & fidem , & ipsa dicitur filia Christi , in quantum ipsam regeneravit : sed quia Christus regeneravit totam Ecclesiam & regenerat continuè fideles ex aqua & Spiritu sancto : ideo Spiritus sanctus dicitur Mater Ecclesiæ Sponsæ Christi. Et ideo dicitur *columba* & columbina, quia ex Spiritu sancto regenerata. Et dicitur *perfecta matri suæ* : quia non ex voluntate carnis , nec viri , sed ex solo Spiritu sancto est regenerata & renata. Et ita etiam dicitur *electa matri suæ* , scilicet , Spiritui sancto : ex cujus virtute & gratia Dei regenerata dicitur & renata. Et non est mirandum , quòd Salomon appellet Spiritum sanctum *Matrem* Ecclesiæ : quia hoc nomen *spiritus* in Chaldæo & Hæbræo est fæminini generis: sicut in Latino est masculini generis , & in Græco neutri generis , ut inquit *Hieronymus in Sermone de Assumptione Virginis.* Intendit ergo dicere Sponsus : quia licèt multa & diversa sint regna, & principatus , & potestates in mundo viventes sub diversis legibus humanis ; tamen ex omnibus his , & in omnibus his unica est Ecclesia Sponsa Christi, vivens sub unico Principe , & unica fide & charitate, & unica Lege Euangelica.

Deinde cum dicit: *Viderunt eam &c.* est advertendum : quòd postquam Ecclesia Apostolorum & Discipulorum recepit Spiritum sanctum , ilico non post multos dies fuerunt Apostoli & Discipuli per diversas Provincias & regna mundi , ad prædicandum Euangelium omni creaturæ , dispersi , prout eis Christus præceperat in die Ascensionis. Et sic *Matthæus* profectus est in *Æthiopiam* , & *Bartholomæus* & *Thomas* ad regna Indorum, & *Andræas* apud Scythas , & *Simon* & *Judas* prædicarunt per Ægyptum & Chaldæam , & *Petrus* & *Paulus* per Græciam usque ad Italiam : & sic singuli per gratiam sermonum , & virtutem Spiritus sancti , & propter signa quæ faciebant suscitando mortuos, & sanando infirmos, & ejiciendo dœmonia, convertebant multos ad fidem Christi. Et unusquisque Apostolus faciebat sibi societatem & exercitum fidelium conversorum ex Gentilitate.

Tunc ergo *filiæ Sion* , id est, animæ devotæ , & fideles noviter conversi, & Reges , & Principes , & tyranni , & civitates , & populi Gentilium videntes Ecclesiam in Apostolis & Discipulis, tamquam *aciem ordinatam* ita per mundum cum signis & virtutibus progredi & proficisci semper augendo , & homines ad fidem convertendo: tunc omnes istæ potestates *prædicaverunt* Ecclesiam & Christianam Religionem *beatissimam* : quia in tam magnum numerum augebatur , & quia tot & tantis signis & virtutibus coruscabat : & sic prædicabant eam beatissimam propter magnitudinem & excellentiam Sponsi, qui eam beatificabat, & ad tantum & talem gradum exaltabat & dignificabat , & tam magnis donis & muneribus decorabat : & hic non solùm *filiæ Sion* , scilicet fideles jam conversi , sed etiam *reginæ & concubinæ*, id est, regiæ potestates , & principatus , & tyrannides laudaverunt eam , videntes & admirantes signa , quæ faciebat contra dœmones in curandis infirmis. Et ideo sic admirantes, & *eam beatissimam prædicantes & laudantes* , dicebant : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna , electa ut Sol , terribilis ut castrorum acies ordinata* ?

Ad cujus intellectum est notandum, quòd Ecclesia Christi in principio fuit *quasi Aurora consurgens.* Nam sicut aurora consurgens de nocte & tenebris nondum habet totum lumen , sed aliquantulum rutilat & splendet , habens partem de tenebris , eò quòd adhuc est inter tenebras : ita pariter Ecclesia in principio: quia consurgebat ex nocte & tenebris Legis , & ex nocte & tenebris idololatriæ. Ideo conversi de Judaismo , licèt splenderent radiis luminis Euangelici ; tamen quia ex toto non valebant relinquere cærimonialia , ut patet *ad Rom.* & *Galath.* per totum : ideo Ecclesia in principio erat *quasi aurora consurgens* , in quantum illi pauci conversi habitabant inter infideles. Sed postea quando Ecclesia jam fuit magis multiplicata ; tunc fuit *pulchra ut luna* , quando est plena ex ra-

radiis ſolis : quia tunc fideles abominantes cærimonialia, & ſuperſtitionem idolorum, jam erant magis purificati & firmi in Lege Euangelica. Sed poſtea tempore *Decii*, & *Maximiani* & *Diocletiani* jam Eccleſia fuit electa & excellens ſicut Sol. Nam ſicut Sol in meridie non ſolum non patitur tenebram admixtam, ſed etiam omnia illuminat : ita pariter Eccleſia, jam tempore illorum Imperatorum multiplicata, non ſolum pellebat omnem tenebram, tam legalem, quàm idololatricam, ſed etiam ſplendebat per totum Orbem: quia jam habebat Doctores illuminantes totum orbem ſuis prædicationibus & doctrinis: & tunc erat frequentia Martyrum, qui rigarunt & auxerunt Eccleſiam ſanguine ſuo. Et ſic Eccleſia pro tunc non ſolum fuit *electa ut Sol* ratione ſplendoris doctrinæ Euangelicæ, ſed etiam fuit *terribilis ut caſtrorum acies*, & phalanx *ordinata* ad pugnandum contra tyrannos & infideles : immò fuit acies ad pugnandum per Doctores contra infideles. Et fuit *terribilis acies ordinata* per Martyres ad pugnandum contra tyrannos. Et notanter dicitur : *Quæ eſt iſta quæ progreditur ?* Nam Eccleſia Apoſtolorum egreſſa eſt ultra limites, ſcilicet, ex populo Iſraelitico, & progreſſa in populum alienum & Gentilem. Quaſi dicat : *Quæ eſt iſta quæ* cum tanta audacia & fiducia ex populo infirmo & humili audet progredi armata per populum Gentilem contra Reges, & Principes, & deos, & leges imperatorum & regum?

Deinde cum dicit : *Deſcendi in hortum nucum*, Sponſa explicat & dat rationem ſui adventus, explicando reſiſtentiam quam reperit in populo Gentili, propter quod incedit armata.

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd poſt obitum Apoſtolorum crevit aliquantulum Eccleſia per univerſum orbem, ſecundùm quòd aliqui Imperatores permittebant vivere Chriſtianos : & ſic fuerunt novem perſecutiones in Eccleſia : inter quas perſecutiones fuerunt quandoque paces ; & hoc à *Nerone* uſque ad *Diocletianum* : ſed tunc inſurrexit quædam perſecutio contra Eccleſiam major cæteris : in quam perſecutione interfecta fuerunt infinita millia Martyrum, ubi valde fuit Eccleſia perturbata : & ſic Eccleſia undique vexabatur à tribus inimicis : ſcilicet ab Imperatoribus, & Regibus idololatris, & ab Hæreticis, & hominibus carnalibus & mundanis : & hanc turbationem & perſecutionem Eccleſiæ memorat Sponſa in hac parte, dicens: Nom miremini ſi ſic progredior armata ſicut *terribilis caſtrorum acies ordinata*; quia *deſcendi in hortum nucum*, ſcilicet, in populum Gentilem mihi ab æterno prædeſtinatum, & per Patriarchas & Prophetas ad fidem prænunciatum. *Deſcendi* enim *ut viderem poma convallium*, ut colligerem juſtos per Baptiſmum & fidem ; & ut *inſpicerem ſi floruiſſet* & fructificaſſet *vinea* populi Gentilis, germinando fideles : & ſi *germinaſſent mala punica* : ſcilicet Martyres, & Virgines, & cæteri juſti & fideles.

Et nota, quod *nux* eſt genus ad omnem fructum habentem nucleum ſub dura teſta : & ſic etiam amygdalum & avellana dicitur nux. Et ideo in Hebræo habetur : *Aſcendi in hortum amygdali.* Per quod intelligitur populus Gentilis, qui ſub teſta idololatriæ continebat imaginem Dei, & magnam partem prædeſtinatorum. Et ideo ille hortus dedit fructum ſuum per Baptiſmum tempore gratiæ. Nam Baptiſmus maturavit fructum illius horti, & uvas illius vineæ, quem fructum Apoſtoli & Eccleſia collegerunt. Quaſi dicat : Ego veni ad colligendos fructus ſupradictos ; ſed in tali expeditione reperi maximam reſiſtentiam. Et ideo *neſcivi*, id eſt, dubitavi & timui: & *anima mea conturbavit me propter quadrigas* bellicas & acies contrarias ipſius *Aminadab*, id eſt, propter exercitus populi Gentilis, & Principum, & Regnum, qui perſequebantur me, & tormentis affligebant, in tantum quòd Chriſtiani fugiebant per montes & latibula ſpeluncarum. Unde in tantum ingruit illa perſecutio, quòd Beatus *Marcellinus* ex timore adolevit idolis incenſum, de quo ſcelere cum martyrio poſtea fuit purgatus.

Eſt autem advertendum, quòd ubi noſtra Translatio habet, *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*, id eſt, populi mei : in Hebræo habetur : *propter quadrigras Aminadab*, id eſt, populi principantis : quæ quidem littera eſt magis conſona veritati : quia populus Gentilis tunc dominabatur & principabatur in mundo. Et ideo dicit Eccleſia *Anima mea turbata eſt propter quadrigas Aminadab*, id eſt, propter exercitus & perſecutiones & tormenta populi Gentilis principantis & dominantis in mundo : quam quidem perſecutionem inter cæteros ſævius & atrocius exercebant *Maximianus* & *Diocletianus*.

Et ideo videns Eccleſia plebem Gentilem reſiſtentem prædicationi Euangelicæ, dicit ipſi: *Revertere, revertere Sunamitis.*

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd populus Gentilis deſcendebat ex *Noe*, qui fuit verus Dei cultor. Sed receſſerat à vero cultu Dei per filios *Cham* & *Japhet*, maximè in confuſione linguarum in fabricatione turris Babel. Et ſic populus Gentilis habitabat & laborabat tri-

triplici infirmitate. Primò in idololatria per falsum cultum deorum. Secundò in falsitate doctrinæ per falsam superstitionem pontificum templorum. Tertiò habitabat & erat involutus in spurcitia & fœditate carnis, & aliorum peccatorum. Et ideo Sponsa vocat ter illum populum, ut egrediatur ab illo triplici ergastulo & infirmitate, & revertatur ad Dominum Deum suum, à quo per infidelitatem ante recesserat.

Iterum est advertendum : quòd ubi Translatio nostra dicit : *Revertere Sunamitis*, in Hebræo dicitur : *Revertere Sulamitis.* Unde *Sunamitis* interpretatur *captiva* seu *lapidea.* Et sic conveniebat tunc plebi Gentili, quæ erat *lapidea*, in quantum corde duro adorabat idola lapidea, & verè erat *captiva* in potestate diaboli. *Sulamit* autem interpretatur *integra* & *perfecta* : & sic illa plebs ante Baptismum non potuit dici integra nec perfecta ; sed hoc convenit ipsi post Baptismum. Dicit ergo Sponsa ad plebem Gentilem sibi resistentem : O *Sunamitis*, id est captiva & lapidea, *revertere* à falso cultu deorum, & & à falsitate doctrinæ Sacerdotum Gentilium, & à lascivia carnali, & superbia, & avaritia, quæ maximè regnat in te ; & convertere ad Dominum Deum tuum, *ut intueamur te*, & baptizemus, & vera & sana doctrina instruamus te. Item, *revertere* à falso cultu, & prava doctrina, & immunditia carnis ad perfectionem & integritatem fidei Euangelicæ. Item, *revertere* à triplici peccato, scilicet, ab originali, & mortali, & veniali, in quibus laboras : quæ quidem peccata nulla lex potest delere nec sanare, nisi sola Euangelica : & sic ex Sunamite efficieris *Sulamit*, id est, ex lapidea & captiva, efficieris integra & perfecta per Baptismum.

Qui quidem Baptismus maturavit fructus horti, & uvas vineæ populi Gentilis : & confregit duram testam nucum, & extraxit inde imaginem Dei, & numerum prædestinatorum, qui latebat sub testa cærimonialium in plebe Israelitica, & sub testa lapidea & idololatrica in plebe Gentili. Qui quidem etiam Baptismus sicut ante fecerat pulchram, & decoraverat plebem Judaicam ; ita postea decoravit plebem Gentilem.

Sed circa fundamentum hujus Cantici octavi dubitatur. Nam dictum est in tertio & quarto Cantico, quòd Christus per se & personaliter soli plebi Israeliticæ prædicavit, & ultra terminos Israel ad prædicandum & miracula faciendum non exivit, & solam terram Israel prædicando, & miracula faciendo peragravit, ut patet per totum discursum Euangelicum. Et in hoc Cantico octavo dictum est, quòd Christus per se non descendit personaliter ad populum Gentilem, sed per Apostolos. Et ideo quæritur : Quare Christus non perrexit illico ad populum Gentilem ad prædicandum & miracula faciendum ? quia forsan fuisset magis acceptus.

Ad hoc respondetur : quòd hoc fecit Christus triplici ex causa & ratione. Primò ad majorem confusionem populi Judaici, & ostendendam & manifestandam ejus cervicem duram & ingratitudinem. Secundò, ad majorem laudem populi Gentilis, & ostendendam ejus obedientiam. Tertiò ad utilitatem totius generis humani, & necessitatem nostræ redemptionis.

Primum probatur. Nam si Christus prius prædicasset, & miracula fecisset in populo Gentili ; tunc Scribæ & Pharisæi habuissent causam ipsum repellendi, & excusationem ipsum contemnendi, & non recipiendi eum : quia non erant obligati ad recipiendum aliquem extraneum, nec venientem ad populum Gentilem in Messiam, sed solum venientem ad eos ; & hoc secundùm Legem & Prophetas. Ideo voluit personaliter venire ad eos, prout promissum fuerat in Lege & Prophetis. Et sic manifestata fuit eorum cæcitas, & ingratitudo, & malitia. Ideo ait Salvator. *Joann.* 15. *Si non venissem, & eis non locutus fuissem, & opera in eis non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem non habent excusationem de peccato suo.*

Secundum probatur. Nam maxima laus & meritum provenit populo Gentili : qui non vidit Christum in carne prædicantem, nec miracula facientem ; tamen ad solam prædicationem Apostolorum recepit Christum : quod fuit reputatum ad magnam confusionem Judeorum, prout prophetaverat David *Psalm.* 17. *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi : filii alieni inveterati sunt &c.* Hoc idem ait Salvator, *Matth.* 8. *Amen dico vobis, quòd non inveni tantam fidem in Israel : multi enim venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno Cœlorum ; filii autem regni mittentur in tenebras exteriores.* Hoc idem dicit Salvatur, *Lucæ* 13.

Tertium autem probatur : Nam mos & inclinatio naturalis inerat Gentilibus deificare homines virtuosos. Si enim videbant in aliquo aliquid Divinum ultra consuetudinem naturæ, illico faciebant ipsi statuam, & adorabant eum tamquam Deum. Et isto modo deificarunt *Herculem*, & *Martem*, & *Saturnum*, & *Mercurium*, & *Jovem*, & *Phebum*, & *Esculapium.* Unde legitur *Act.* 14. quòd

cum

cum *Paulus* prædicaret Listris cum *Barnaba*, & Paulus sanasset claudum ex utero matris suæ ; tunc turbæ clamaverunt, A dicentes: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos: & vocabant Barnabam Jovem ; Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat Dux verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante januas afferens cum populis, volebat sacrificare &c.*

Ex quibus patet, quòd si Paulum & Barnabam propter sanationem unius claudi voluerunt turbæ adorare, & eis tamquam diis tauros sacrificare: ergo multò magis populi Gentiles deificassent & adorassent Christum cæcos illuminantem, & mortuos suscitantem, & ventis imperantem &c. Et sic nostra redemptio fuisset impedita. Et ideo Christus noluit venire B ad populum Gentilem, qui faciliter ipsum recepisset; sed venit ad populum duræ cervicis, in avaritia & malitia obduratum: qui videns Christum suis moribus contradicentem, & sua scelera detestantem, faciliter ipsum oderunt & crucifixerunt. Et sic nostra redemptio habuit locum & opportunitatem. Et hæc fuit causa, quare Christus non venit ad prædicandum per se populo Gentili; sed misit Apostolos suos, prout prædicitur in hoc Cantico octavo, & sequenti. Et hæc de octavo Cantico.

CANTICUM NONUM. C

Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?
Qum pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia Principis!
Junctura fæmorum tuorum, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.
Umbilicus tuus crater tornatilis,
Nunquam indigens poculis.
Venter tuus sicut acervus tritici,
Vallatus liliis. D
Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.
Collum tuum sicut turris eburnea.
Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.
Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.
Caput tuum ut Carmelus.
E *Et comæ capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.*
Quàm pulchra es, & quam decora charissima, in deliciis.
Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.

QUid videbis in Sunamite, *nisi choros castrorum* ? Hoc est nonum Canticum, in quo Salomon cantat profectum Ecclesiæ, conversæ de populo Gentili.

Ad cujus intellectum est notandum, F prout jam dictum est: quòd Ecclesia de populo Gentili successivè habuit quatuor status. Nam primò, scilicet in principio, tempore Apostolorum fuit *quasi Aurora consurgens*, eò quòd pauci fuerunt conversi. Et sic Ecclesia habitabat inter idololatras & infideles, & inter tenebras multorum infidelium. Sed postea tempore *Trajani*, & *Commodi* facta est *pulchra ut Luna:* quia per omnes partes mundi crevit in majorem numerum. Sed tempore *Philippi* Imperatoris jam facta est *electa ut Sol*: quia jam ipse Philippus Imperator factus est Christianus cum *Alexandra* matre sua per *Originem*. Et jam tunc incœpit magna copia Christianorum: & G jam incœpit habere Ecclesia copiam magnorum Doctorum: quia tunc fuit *Origenes*, & *Clemens Alexandrinus*, & *Dionysius Alexandrinus*, & plures alii, qui tamquam Sol incœperant suâ doctrinâ & scriptis mundum illustrare. Sed tempore *Diocletiani*, & *Constantini* facta est Ecclesia *terribilis ut castrorum acies ordinata:* quia tunc Ecclesia jam in Christo roborata incœpit pugnare contra sævitiam Imperatorum & Regum, & Principum infidelium: in qua persecutione interfecta sunt multa millia Martyrum: ut patet per Ecclesiasticam Historiam. Postea autem Ecclesia pugnavit contra carnem, & mundum, & diabolum per Virgines, & Anachoritas, & viros perfectos, & Monachos. Postea pugnavit contra Hæ- H reticos per Doctores. Et sic in Ecclesia apparuerunt multi exercitus pugnantes contra inimicos Ecclesiæ.

Nam primò surrexit exercitus & chorus Martyrum ad pugnandum contra Tyrannos & Imperatores. Secundò surrexit exercitus Virginum & Monachorum in Ægypto & Mesopotamia, ad pugnandum contra carnem, & mundum, & diabolum. Tertiò surrexit exercitus Doctorum ad pugnandum contra Hæreticos. Sed omnes isti exercitus finaliter triumpharunt de inimicis Ecclesiæ: & sic Ecclesia

cleſia de omnibus inimicis finaliter triumphavit. Nam per Martyres triumphavit de Regibus & imperatoribus; & per Virgines de carne, & per Monachos & Eremitas, de mundo & diabolo; & per Doctores triumphavit de Hæreticis. A

Sponſus ergo videns Eccleſiam Sponſam ſuam ſic proficere, & pugnare contra inimicos per diverſos exercitus bellatorum, dicit: *Quid videbis in Sunamite*, id eſt, in Eccleſia ex gentibus converſa, *niſi choros*, id eſt, phalanges & *exercitus caſtrorum* bellicorum paratos ad pugnandum contra inimicos? Quaſi dicat: Tota Eccleſia eſt in pugna contra inimicos fidei, & de omnibus triumphat. Deinde cum dicit: *Quàm pulchri ſunt greſſus &c.* explicat, & explicando commendat choros & exercitus pugnatorum Eccleſiæ. B

Quatuor ergo facit. Nam primò commendat totam Eccleſiam Sponſam ſuam in univerſali. Secundò ſpecialiter commendat chorum & exercitum Martyrum. Tertiò exercitum Religioſorum, & Monachorum. Quartò exercitum & chorum Doctorum. Secunda ibi: *Dixi, aſcendam in palmam.* Tertia ibi: *Ego dilecto meo.* Quarta ibi: *Quis mihi det te fratrem meum.*

Unde Salomon ſequitur ordinem temporis Eccleſiæ, ſecundum quòd Eccleſia proceſsit in proficiendo. Nam primò profecit in populo. Secundò in martyribus, ſeu in copia Martyrum. Tertiò in copia Virginum & Monachorum. Quartò in copia Doctorum: de quibus omnibus tractatur in hoc nono Cantico. Quintò autem profecit in copia Imperatorum, & Regum, & Pontificum; & ſic fuit in ſua proſperitate: de quo tractabitur in ſequenti & ultimo Cantico. C

Quantum ergo ad primam partem hujus noni Cantici eſt advertendum: quòd tota pulchritudo Eccleſiæ conſiſtit in ornatu virtutum, & donorum, & gratiâ Sacramentorum, & pulchra diſpoſitione membrorum: ſcilicet, in varietate ſtatuum, & graduum, & officiorum. Et ideo Salomon ter deſcripſit pulchritudinem Eccleſiæ, ſecundum quòd Chriſtus ſucceſsivè ter ipſam dotavit & decoravit per diſcurſum temporis. Nam primò deſcripſit pulchritudinem Eccleſiæ in ſtatu Apoſtolorum, ſecundum quod eam dotavit & decoravit Sponſus ante ſuam paſsionem, quando miſit Apoſtolos ad prædicandum in omnem civitatem & locum quo erat ipſe venturus, ut patet *Matth.* 10. & *Lucæ* 10. Et etiam ſecundum quod eam decoravit Chriſtus in nocte paſſionis per longum ſermonem, ut patet *Joann.* 13. uſque ad 17. *cap.* quam pulchritudinem cantavit Salomon in quinto Cantico. Secundò decoravit Chriſtus Eccleſiam ſuam in populo Gentili per prædicationem Apoſtolorum in principio, quando fuit *quaſi Aurora conſurgens*, cui communicavit eadem ornamenta ſpiritualia, & dona gratiarum, quæ dederat Eccleſiæ converſæ de populo Judaico: quam pulchritudinem cantavit Salomon in Cantico præcedenti. Nunc autem in hoc nono Cantico cantat pulchritudinem, quam Chriſtus dedit Sponſæ ſuæ in ſuo profectu tempore pugnæ: quæ quidem pulchritudo conſiſtit in copia & varietate diverſorum ſtatuum, & graduum, & dignitatum, & membrorum, & officiorum Eccleſiæ: qui quidem ſtatus & officia intelliguntur per membra officialia, & ornamenta pulchræ mulieris: quæ quidem Eccleſia magis profecit in copia & diſtinctione graduum, & membrorum, & officiorum in plebe Gentili, quam in plebe Judaica. D E F

Sed Salomon deſcribit diſpoſitionem membrorum hujus Sponſæ modo oppoſito. Nam in quinto Cantico incœpit deſcribere membra Sponſæ à capite, procedendo ad alia membra: Hìc autem incipit à pedibus, ſeriatim procedendo uſque ad caput: cujus ratio eſt: Nam Eccleſia de populo Iſraelitico incœpit creſcere à majoribus uſque ad minores. Nam primo fuit vocata & electa *Virgo Maria*, quæ erat de ſtirpe regia, & exinde *Joannes Baptiſta*, & Apoſtoli, qui erant de eadem ſtirpe pro majori parte: & omnes iſti fuerunt principes, & majores, & capita Eccleſiæ. Ex conſequenti autem vocati ſunt minores, ſcilicet, Diſcipuli, poſtea multi devoti, qui ſecuti ſunt Chriſtum. In Eccleſia autem de populo Gentili primò vocati ſunt minores, & populares, & infirmi: ſed poſtea venerunt Martyres, poſtea Virgines, & Confeſſores; poſtea Doctores, & poſtea venerunt Imperatores & Reges, & magni Pontifices, qui fuerunt capita Eccleſiæ, & totius mundi. Et ideo Salomon deſcribens pulchitudinem Eccleſiæ converſæ de populo Gentili, incœpit à pedibus Sponſæ, qui ſunt plebei & populares. G

Unde eſt advertendum, ſicut ſuprà dictum eſt: quod ſicut mulier habet diverſa membra quibus exercet operationes ſuas: ideo Salomon ponit hìc decem membra hujus Sponſæ, per quæ intelliguntur decem membra, ſive ſtatus & gradus officiales Eccleſiæ: quæ ſunt pedes, femora, umbilicus, venter, ubera, collum, oculi, naſus, caput, comæ. H

Unde per *pedes* hujus Sponſæ intelliguntur populares, quibus ambulat iſta Sponſa. Item, *crura* & *femora* hujus Sponſæ ſunt duo populi ad fidem converſi, ſcilicet, Judaicus & Gentilis, in quibus tota Eccleſia conſiſtit. *Baſes* autem *aureæ*, quibus ſuſtentatur tota Eccleſia, ſunt fides & charitas. Iſti duo popu-

puli conversi sunt connexi sub una *junctura* fidei, & catena charitatis : *umbilicus* autem hujus Sponsæ est matrix Ecclesiæ, ubi concipiuntur & regenerantur fideles per Baptismum : *venter* verò est ipsa Civitas Dei triplici muro septa, scilicet, fide, spe, & charitate : in quo ventre & ambitu continentur omnes fideles, sicut triticum in acervo & horreo. *Duo ubera* hujus Sponsæ sunt duo Testamenta, quorum lac sugunt fideles. Vel sunt duo status, scilicet, Sacerdotum, qui præbent fidelibus lac gratiæ Sacramentorum : & status Doctorum & Prædicatorum, qui præbent lac doctrinæ sacræ Scripturæ, & pascunt fideles doctrinâ & exemplo. *Collum* autem hujus Sponsæ sunt Prælati, qui tamquam speculatores ponuntur in Ecclesia ad prævidendum gladium venientem contra Ecclesiam, ut clament clangentes buccina. *Ezech.* 33. *Oculi* etiam sunt Doctores & Prælati, quibus videt Ecclesia credenda & agenda, scilicet, quæ sunt necessaria ad vitam activam & contemplativa. *Nasus* etiam, Prælati sunt Ecclesiæ, qui naso discretionis discernum inter lepram & lepram : & sunt etiam Judices, qui discernunt inter justum & injustum, tribuentes unicuique quod suum est. *Caput* autem Ecclesiæ est duplex ; unum principale, à quo derivatur omnis virtus & potestas in Ecclesiam, & iste est Christus : & alterum dicitur caput vicarium, exercens & gerens vices Christi : & iste est Summus Pontifex in tota Ecclesia, & quilibet Episcopus in sua diœcesi, & quilibet Rex in suo Regno quoad temporalia. *Comæ* autem hujus capitis sunt omnes populi fidelium, dependentes à capite Christo. Vel sunt omnes virtutes & potestates ex Christo derivatæ.

Per supradicta ergo membra pulcræ mulieris designat Salomon quasi omnia officia, gradus, & dignitates, & status Ecclesiæ in communi. Quæ quidem officia & gradus & dignitates maximè viguerunt in Ecclesia conversa de populo Gentili : & ideo dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Nam quot dignitates & officia continet, tot choros & exercitus castrorum dicitur habere ad pugnandum contra inimicos infideles.

Christus ergo volens explicare & commendare pulcritudinem Ecclesiæ Sponsæ suæ in optima dispositione membrorum, incipit à pedibus, dicens : O Ecclesia Sponsa mea *filia Principis*, id est, populi Gentilis principantis in mundo ! Hoc dicit, quia solus populus Gentilis, unde pro majori parte Ecclesia est egressa, principabatur & dominabatur per Imperatores, & Reges, & Principes ; cùm populus Israeliticus ubique serviret : & ideo appellat eam *filiam Principis.*

Dicit ergo : *Quam pulcri sunt gressus*, id est, pedes *tui in calceamentis* : scilicet, populi tui bene instructi & morigerati. Nam sicut calceamenta reddunt pedes honestos : ita boni mores decorant populum. Unde per gressus pedum calceatorm, intelliguntur affectiones, & operationes per bonos mores directæ & ordinatæ : quod primum quæritur & aspicitur in populo & Ecclesia Christi.

Item, per *calceamenta* intelligit constantiam fidei, & charitatis, quibus calciati fideles absque metu calcabant supra serpentes & scorpiones, non timentes minas principum.

Sed quia isti populi fideles sunt duo ex Judæis & Gentilibus conversi, & sub una catena, & junctura, & nexu fidei & charitatis connexi & colligati : ideo subdit : *Junctura femorum tuorum*, id est, duorum fidelium populorum ad unam fidem conversorum, sunt *sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis* : id est, ista fides & charitas, quæ conjungunt istos populos, sunt sicut catenæ aureæ fabricatæ manu Christi Artificis : qui tamquam lapis angularis ex duobus parietibus fecit unum, & ex utraque plebe fecit unam Ecclesiam fabricatam & colligatam talibus monilibus, & aureis compedibus, & vinculis charitatis & fidei.

Deinde cum dicit : *Umbilicus &c.* Commendat Christus Ecclesiam Sponsam in fœcunditate matricis ad concipiendam copiam prolis, Et comparat *umbilicum*, id est, matricem ejus ad craterem, sive bassinum plenum vino : in quo nunquam deficit poculum : ita in umbilico Ecclesiæ, quæ est illa piscina aquæ baptismalis, in qua regenerantur fideles, nunquam deficit aqua ad baptizandum : quia continuè emanat gratia Sacramentorum ex latere Christi, & recipitur in umbilico Ecclesiæ.

Deinde cum dicit : *Venter tuus*, comparat ventrem Ecclesiæ ad horreum continens acervum tritici, in quo continentur infinita grana tritici : ita in utero Ecclesiæ continetur infinita multitudo fidelium : Ideo dicit : O Sponsa, *venter tuus* est *sicut acervus tritici* in horreo, id est, sicut horreum continens acervum tritici, id est, est copiosus & fœcundus in multitudine prolis & filiorum. Et iste venter tuus non est vallatus adulterino commercio, sed castissimo connubio : quia est *vallatus liliis*, & septus rosis castitatis & fidei : quia isti filii Ecclesiæ non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri ; sed ex aqua & Spiritu sancto sunt regenerati, & ex Deo nati sunt.

Item, *duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ*, id est, duo status scilicet, Sacerdotum & Prædicatorum, ex qui-

quibus filii sugunt lac Sacramentorum, & doctrinæ scripturarum ; sunt pulchra, & plena, sicut ubera capræ, quæ duo hinnuli gemelli sugunt. Quasi dicat: Quòd sicut duo hinnuli gemelli sugunt ubera matris, & nutriuntur : ita duo populi gemelli ex Judæis & Gentilibus conversi sugunt uberaMatrisEcclesiæ,quæ sunt plena lacte Sacramentorum & doctrinæ, & intelligentiæ sacræ Scripturæ. Quasi dicat: Sicut duo ubera capreæ copiosè nutriunt duos gemellos ; ita ubera Ecclesiæ copiosissimè nutriunt istos populos ad unam fidem conversos : & hoc ex copia lactis Sacramentorum, & fidei Articulorum, & duorum Testamentorum, quæ dispensantur per Sacerdotes & Prædicatores.

Deinde cum dicit : *Collum tuum &c.* comparat collum Ecclesiæ ad turrim eburneam fortissimam & candidam. Et isti sunt milites, & Imperatores, & Reges, & Principes Christianorum, qui elevati supra corpus Ecclesiæ defendunt eam armis temporalibus. Item, *collum* Ecclesiæ sunt Prælati, qui ponuntur tamquam speculatores supra turrim, ut prævideant inimicos venientes contra Ecclesiam. Unde sicut supra collum hominis, quæ est turris ejus, ponuntur tres speculatores, scilicet, oculi ad videndum, & nasus ad discernendum, & voluntas tamquam caput ad eligendum, & eliciendum operationes, & imperandum: ita pariter supra turrim Ecclesiæ ponuntur Prælati tamquam speculatores, ut per scientiam sacræ Scripturæ videant tamquam per oculos, & per dona gratiarum discernant tamquam per nasum; & per potestatem Ecclesiasticam eligant, & imperent tamquam per caput, immò tamquam capita Ecclesiæ. Ideo dicit Sponsus: O Sponsa, *collum tuum*, scilicet Prælati & Principes, est rectum, & altum, & albissimum, & fortissimum *sicut turris eburnea*, scilicet, rectum per justitiam ; altum in dignitate, & ad prævidendum ; album in puritate ; fortissimum ad defendendos fideles.

Item, *oculi*, qui sunt Prælati per scientiam sacræ Scripturæ, obligantur invigilare supra populum, & prævidere ne veniat gladius inimicorum, non solum peccatorum, sed etiam infidelium, & Hæreticorum; sunt clari *sicut* duæ *piscinæ* fontales quæ sunt *in Hesebon*, in terra Basan ultra Jordanem, *quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

Unde est advertendum ad litteram, quòd in *porta Hesebon* erant duæ piscinæ fontales plenæ aquâ clarissimâ, & transparenti propter ejus munditiam, ad quas piscinas conveniebat continuè multitudo mulierum ex partibus & populis circunstantibus ad hauriendam aquam, propter ejus salubritatem & claritatem : & ideo *Hesebon* dicebatur *filia multitudinis*: non solum propter copiam populi, quam in se continebat, sed etiam propter multitudinem mulierum, quæ ad hauriendam aquam ex confinibus concurrebant. Et ideo dicit, quòd duo oculi Ecclesiæ sunt clari & transparentes ad penetranda mysteria sacræ Scripturæ, & ad prævidenda mala futura : sicut sunt illæ duæ piscinæ Hesebon. Item, *Hesebon* dicitur etiam *filia multitudinis*, in quantum ex ea veniebat multitudo ciborum, & arietum, & victualium in terram promissionis, ut dicitur *Deuter.* 32. scilicet *ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum de armento, & lac de ovibus, & adipem de armento arietum filiorum Basan &c.* Sufficit quòd per oculos intelligit Doctores, qui penetrant & speculantur mysteria sacræ Scripturæ; & Prælatos, qui vigilant super gregem Christi.

Item subditur: *Nasus tuus sicut turris Libani.* Ad cujus intellectum est notandum : quòd sicut Doctores, & Prælati, & Sacerdotes dicuntur *oculi*, in quantum per eos videt Ecclesia : ita etiam dicuntur *nasus*, in quantum per eos discernit. Nam sicut nasus, id est, olfactus discernit inter odores convenientes & disconvenientes, & bonos & malos: ita Prælati, & Sacerdotes, & Scribæ docti tenentur discernere inter lepram & lepram peccati, ut possint convenientem medelam adhibere. Tenentur discernere inter veram & falsam doctrinam, ne Hæretici inficiant Ecclesiam : ideo Prælati & Sacerdotes ponuntur speculatores supra gregem Ecclesiæ ad præcavendum mala futura.

Unde est advertendum, quòd inter montem Libanum & Hermon est introitus à terra promissionis in Emath & campum Damascenum, ubi Rex Tyri concessit Salomoni partem terræ, ubi ædificavit altam turrim Salomon, ubi posuit continuos speculatores : quæ quidem turris respicit contra Damascum. Et similiter Salomon ædificavit complures alias turres per montes eminentes terræ promissionis : & ideo speculatores, qui erant positi in turri, quæ respicit contra Damascum, videntes gentes armorum venientes ex Damasco, & intrantes introitum Emath, illico faciebant signum, cui respondebant per ordinem omnes aliæ turres. Et sic in parvo spatio temporis adventus inimicorum sciebatur in Jerusalem, & per totam terram promissionis. Et sic omnes se præparabant ad cavendas insidias inimicorum, & ad resistendum eis : Ita ergo pariter Ecclesia, quæ est quædam altera *turris*, *quæ res-*

picit contra Damaſcum, id eſt, contra homines ſanguineos, & terrenos, & peccatores, poſuit ſupra ſe Prælatos & A Sacerdotes tamquam ſpeculatores, ut diſcernant inter Catholicos & Infideles, & Hæreticos, & inter lepram & lepram peccati; & præmoneant ſimplices, ut caveant peccata, & Hæreſes, & ſchiſmata.

Et ita *Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſit*, tamquam bonus ſpeculator exiſtens ſupra *turrim quæ reſpicit contra Damaſcum*, ſcilicet, ſupra culmen & apicem Epiſcopalis dignitatis, quando perſenſit *Julianum* miſcentem venenum & fermentum Pelagianum inter bonam maſſam Eccleſiæ, ilico congregavit Concilium omnium Epiſcoporum Numidiæ, & declaravit doctrinam Pelagiano- B rum eſſe Hæreticam & peſtiferam: & ſuper hoc ſcripſit *Epiſtolam* ad *Innocentium Papam*, ut invigilaret ſuper gregem ſuum, & aviſaret totam Europam: & ita pariter ſcripſit omnibus Epiſcopis Africanis & Orientalibus. Et ut magis eradicaret, & eliminaret illud peſtiferum venenum, ſcripſit libros *de Baptiſmo Parvulorum*, & *de Natura & Gratia*, & *Hipognoſticon*, & libros contra *Julianum*, & complura alia volumina contra illam ſectam. Et ita pariter fecit *Beatus Hieronymus*, & *Athanaſius*, & *Hilarius*, & cæteri ſacri Doctores & Prælati contra ſectam Arianam, & alias peſtiferas ſectas: & ideo dicitur, quòd *naſus* Eccleſiæ eſt ſicut *turris Libani, quæ* C *reſpicit contra Damaſcum.* Nam ſicut Libanus, qui eſt candidus & mundus, reſpicit contra Damaſcum, quod interpretatur *ſanguineus*: ita pariter turris Eccleſiæ reſpicit & invigilat contra ſanguineos, & Hæreticos, & peccatores, ut eos arceat ab Eccleſia.

Deinde cùm dicit: *Caput tuum ut Carmelus*, comparat caput, id eſt, Prælatos Eccleſiæ ad montem Carmelum, qui eſt altiſsimus mons in terra promiſſionis poſt Libanum. Unde ſicut per Libanum intelligitur Chriſtus, qui eſt caput principale ipſius Eccleſiæ: ita per Carmelum intelligitur *Papa*, qui eſt caput vicarium gerens vices ipſius Chriſti. D Unde Carmelus interpretatur *cognoſcens*, ſive *ſcientia circunciſionis*: per quod deſignatur Papa, & omnes Prælati, qui non ſolum debent cognoſcere, & diſtinguere inter lepram & lepram peccati, & hæreticæ pravitatis; ſed etiam debent circuncidere, & eliminare omne peccatum ab ovibus ſuis, & omnem hæreticam pravitatem ab Eccleſia. Et ideo dicit: *Caput tuum*, id eſt Papa, & omnes Prælati, qui capita Eccleſiæ ſunt alti & eminentes, & proſpicientes ut Carmelus, & ſcindentes omne peccatum, & omnem Hæreſim, & falſam doctrinam ab Eccleſia: & etiam quia per caput Ec- E cleſiæ primò & principaliter intelligitur Chriſtus, à quo derivantur omnia bona ſpiritualia, & omnis virtus, & gratia, & poteſtas in Eccleſiam: Ideo ſequitur: *Comæ capitis tui ſicut purpura regis.*

Nam ſicut comæ deſcendunt à capite ſupra totum corpus: ita omnes poteſtates Prælatorum, & Imperatorum, & Regum deſcendunt, & procedunt, & derivantur à Chriſto ſuper Eccleſiam. Et ſic omnes Prælati & Imperatores dicuntur *comæ capitis Eccleſiæ*, qui eſt Chriſtus. Et dicuntur etiam *purpura Regis* Chriſti: quia poteſtatem & authoritatem Chriſti induuntur Prælati & Reges ad F regendam Eccleſiam, & Chriſtianam Religionem. Et dicitur iſta *purpura Regis juncta* ſive *vincta*, id eſt, tincta *canalibus.* Nam ſicut purpura tingitur & rubricatur tincturâ & colore coccineo in canalibus fictilibus: ita veſtis humanitatis Chriſti primò fuit tincta ſanguine paſſionis; deinde ex illa veſte humanitatis per vulnera tamquam per canales decurrit, & fuit derivatus ſanguis Chriſti in totam Eccleſiam: unde virtus Sacramentorum rubricata ſanguine Chriſti, derivata fuit per vulnera tamquam per canales in Eccleſiam. Item per eandem rationem derivata fuit Eccleſiaſtica poteſtas in Apoſtolos, & per Apoſtolos tamquam per canales derivata eſt eadem poteſtas in om- G nes ſucceſſores. Et iſta eſt illa veſtis purpurea ſanguine Chriſti rubricata, quæ veſtit, & ornat, & decorat totam Eccleſiam. Sic ergo omnes Prælati & Reges dicuntur *comæ capitis* Chriſti, induti veſte purpurea Regiæ poteſtatis Chriſti.

Iterum eſt advertendum: quòd *capilli* & *comæ* idem ſunt; ſed ſolùm differunt in reſpectu: dicuntur enim *capilli*, in quantum derivantur, & procedunt, & dependent à capite. Sed dicuntur *comæ*, in quantum ornant & decorant caput & faciem & totum corpus mulieris. Et ideo reputatur decens & honeſtum, ut mulier nutriat comam. 1. *ad Corinth.* H 11. Et ideo in quantum capilli procedunt & dependent à capite; non ſolum Prælati, ſed etiam totus populus Chriſtianus dicuntur *capilli* & *coma Chriſti*: quia omnes dependemus, & trahimus originem ſpiritualem à Chriſto tamquam à capite: Et ſic omnes dicimur Chriſtiani. Per eandem rationem omnes Chriſtiani dicuntur *comæ capitis Chriſti* rubricatæ ejus ſanguine per Eccleſiaſtica Sacramenta. Sed quia Martyres magis rubent ſanguine Chriſti, quàm cæteri: ideo magis merentur dici *comæ* & *purpura* Chriſti *tincta canalibus.* Nam non ſolùm rubent ſan-

sanguine Christi per Ecclesiastica Sacramenta, sicut ceteri omnes Christiani; sed etiam speciali modo rubent sanguine Christi: quia ipsum realiter secuti sunt per martyrium, & laverunt stolas suas in sanguine suo, ut inquit *Augustinus super Apocalypsim.* Et ideo martyres tenent supremum locum in Ecclesia.

Quinque ergo genera capillorum dependent à nostro capite Christo, & derivantur in Ecclesiam Sponsam suam, & decorant eam. Nam primò derivatur omnis gratia & virtus Sacramentorum, & derivantur omnia dona gratiarum & meritorum. Secundò derivantur omnes fideles per gratiam Sacramentorum regenerati. Tertiò derivatur omnis Ecclesiastica potestas in omnes Prælatos & Sacerdotes ad dispensandam gratiam Sacramentorum, & omnem jurisdictionem; & ex consequenti à Christo derivantur omnes Prælati habentes talem potestatem. Quartò per eandem rationem à Christo derivantur omnes Principes Sæculares per sæcularem potestatem: quia *omnis potestas à Domino Deo est.* Et *omnis potestas fuit tradita Christo à Patre in Cœlo & in terra, Matth.* 28. Quintò autem, & speciali modo derivantur Martyres & Virgines: eò quòd imitati sunt Christum in morte sua, & sequuntur Agnum quocumque ierit. Omnia ergo ista quinque genera capillorum faciunt unam *comam* sanguine Christi rubricatam & purpuratam, à Christo capite procedentem, & in totam Ecclesiam Sponsam ejus derivatam, ipsam ornantem & decorantem: quæ non solùm dicitur *coma*, sed etiam *purpura Regis juncta canalibus* vulnerum Christi, à quibus tingitur & purpuratur: quæ quidem purpura totam Ecclesiam ornat & decorat: de qua dicitur *Psalm.* 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.*

Postquam ergo Christus lavit Ecclesiam Sponsam suam in canalibus suæ passionis, & ornavit eam, & decoravit purpurâ regiâ suo sanguine rubricatâ, & per consequens reddidit ipsam pulchram non habentem rugam neque maculam, sed omnibus supradictis bonis ornatam, & optimo ordine membrorum & officiorum dispositam, volens eam commendare, dicit: O *carissima* Sponsa, quam ego caro pretio mei sanguinis redemi & lavi & ornavi, *quàm pulchra es* in dispositione membrorum, & graduum varietate & dignitatum! *& quàm decora es* in ornatu virtutum & gratiarum; & per consequens quam beata es *in deliciis* spiritualibus, quibus gaudes & lætaris cum tuo Sponso!

Sed quia ista Ecclesia Sponsa Christi per talia bona sibi à Sponso collata fuit elevata & exaltata super omnem humanam facultatem, & eminet super omnes alias nationes, sicut palma super omnes alias arbores (Nam sicut palma superat omnes alias arbores in rectitudine & altitudine & fructu, & ideo propter ejus altitudinem & eminentiam, quia videtur cœlum attingere, datur victoribus in signum triumphi.) Ita ergo Ecclesia, sive Christiana Religio excedit & superat omnes alias Religiones in rectitudine veritatis: quia sola ipsa continet veritatem colendo unum verum Deum trinum & unum incarnatum in Filio &c. & sic continet rectam veritatem in cultu Latriæ. Et ipsa superat alias nationes in altitudine dignitatis, quia cœlum attingit: Nam licèt peregrinamur in hoc sæculo; tamen conversatio nostra in cælis est: quia non sumus hospites & advenæ, sicut homines terreni, & ceteræ nationes; sed sumus jam cives sanctorum, & domestici Dei, nunc per gratiam, & in futuro per gloriam. Et sic Ecclesia in altitudine dignitatis & conversationis jam attingit cœlum.

Item Ecclesia est similis palmæ, & nobilior cæteris Religionibus in dulcedine & perfectione fructus: nam nulla alia Religio facit fructus meritorios, nisi sola Christiana: nec colligit fructus gratiæ & gloriæ, nisi sola ista: nec ex alia Religione Deus colligit fructus sibi acceptos, nisi ex sola ista. Nam ex ista collegit primò illum fructum sibi sapidum & suavem super omnes fructus, scilicet, *Virginem Mariam* Matrem suam, & ex ista arbore collegit *Joannem Baptistam*, & omnes Apostolos, & Discipulos, & postea Martyres, & Virgines, & Doctores, & Confessores.

Et ideo dicit Sponsus: O Sponsa *carissima, quam pulchra es & decora in delitiis* & fructibus spiritualibus. Nam *statura tua*, & altitudo dignitatis *assimilata est palmæ*, quæ supereminet omnes alias arbores in rectitudine, & altitudine, & dulcedine, & perfectione fructus. Sicut autem statura tua est assimilata palmæ: ita *ubera tua* sunt assimilata *botris*, sive uvis & racemis ipsius palmæ. Nam sicut fructus palmæ, qui sunt dactyli, excedunt omnes alios fructus in suavi dulcedine: ita ubera Ecclesiæ, sive dulcedo & sapor lactis uberum Ecclesiæ excedit omnes alios sapores. Quod quidem lac uberum Ecclesiæ est lac gratiæ Sacramentorum, & fidei articulorum, & observantiæ præceptorum. Et dicitur etiam lac duorum Testamentorum, quod superat omnes alios liquores & sapores.

Sed est ulterius valde advertendum: quòd licèt omnia supradicta sint benè & Catholicè dicta, quoad expositionem ultimorum versuum: tamen Salomon majus

sacramentum vult etiam nobis detegere.

Ad cujus intellectum est notandum: quòd apud omnes nationes & religiones palma denotat & designat victoriam. Et ideo palma dabatur victoribus in signum triumphi; & sic arbor palmę dicitur arbor victoriæ, ut dictum est. Sed quia in nulla alia arbore quis adeptus fuit tantum triumphum, nec tantam victoriam, quantam & qualem adeptus est Christus in Cruce contra mundum, & diabolum; quia ibi triumphavit de diabolo & morte, & recuperavit prædam de potestate diaboli: ideo bene meritò communiter in sacra Scriptura per *palmam* intelligitur arbor crucis, quæ est arbor summæ victoriæ. Et non solùm dicitur arbor triumphalis ratione præfatæ victoriæ: sed dicitur arbor fructifera, assimilata palmæ ratione copiæ fructuum diversorum. Nam omnia bona, in toto isto Cantico supra memorata, & omnes fructus spirituales supradicti fuerunt germinati & collecti ex arbore crucis. Et sic crux fuit illa arbor, quæ cum Christo supradictos fructus germinavit.

Ideo Christus ut deducat Sponsam suam ad amorem suæ passionis, & ad devotionem, & contemplationem, & veneration Crucis, ex qua Christus collegit omnia bona illa, & communicavit Ecclesiæ, dicit: O Sponsa mea per unionem, & *carissima* per redemptionem, & pretium mei sanguinis, quo te redemi, multum mihi obligaris: quia tota tua pulchritudo, & copia bonorum, quibus te ditavi & decoravi, procedit ex mea passione: & ideo *statura*, & altitudo tua *assimilata est palmæ*, id est, arbori crucis fructiferæ, ex qua collegi omnia bona, quæ tibi concessi, & etiam te feci altam & fructiferam sicut arborem palmæ, id est, sicut arborem crucis. Nam sicut tunc germinavit omnes fructus redemptionis & salutis per passionem meam: ita tu assiduè germinas eosdem fructus per Ecclesiastica Sacramenta, & communicas omnibus fidelibus. Quasi dicat: Eosdem fructus, quos ego ex mea passione in cruce collegi, eosdem tu dispensas per Ecclesiastica Sacramenta. Ideo *statura tua* & dignitas *assimilata est palmæ*. Ex ista ergo arbore palmæ, ò Sponsa *carissima*, dedi tibi pedes rectos ad recte per hunc mundum ambulandum, & bene calciatos, ne spinæ & vepres tibi nocerent in tua peregrinatione. Et dedi tibi femora fortissima ad totum corpus Ecclesiæ sustinendum: & dedi tibi umbilicum fœcundum ad fideles concipiendos & regenerandos: & dedi tibi ventrem plenum tritico Sacramentorum ad eos nutriendos: & dedi tibi duo ubera gratiæ Sacramentorum, & fidei Articulorum, & donorum Spiritus sancti ad eos potandos: & dedi tibi collum super omnes alias nationes sursum elevatum ad cœlum attingendum: & dedi tibi oculos ad mysteria profunda penetranda: & nasum ad inter bona & mala discernendum: & caput ad judicandum. Et dedi tibi comas sanguine meo rubricatas ad tui decorem & ornatum: quæ bona omnia adeptus sum & collegi ex arbore crucis in mea passione, & communicavi tibi. Ex quo patet, quòd *statura tua assimilata est palmæ*, & arbori crucis: quia omnia bona quæ habes, inde collegisti.

SECUNDA PARS HUJUS noni Cantici.

Dixi: Ascendam in palmam,
Et apprehendam fructus ejus.
Et erunt ubera tua sicut botri vineæ:
Et odor oris tui sicut malorum,
Guttur tuum sicut vinum optimum,
Dignum dilecto meo ad potandum,
Labiisque & dentibus illius ad ruminandum.
Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.
Veni dilecte mi,
Egrediamur in agrum,
Commoremur in villis.
Manè surgamus ad vineas,
Videamus si floruit vinea,
Si flores fructus parturiunt,
Si floruerunt mala punica:
Ibi dabo tibi ubera mea.
Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris.
Omnia poma nova & vetera servavi tibi, dilecte mi.

DEinde cum dicit: *Dixi: Ascendam in palmam &c.* exequitur Salomon secundam partem hujus Cantici: in quo introducit Ecclesiam Sponsam Christi ad loquendum, & reddendum vices amoris Sponso suo.

Ad

Ad cujus intellectum est notandum: quòd postquam Sponsa audivit à Sponso omnia supradicta, & cognovit amorem A suum erga eam: quia dispositerat ipsam in tam optima dispositione membrorum, & decoraverat & ornaverat ipsam tot & tantis ornamentis, & ditaverat eam tam magnis & pretiosis bonis; & armaverat eam tam fortibus armis ad pugnandum contra omnes inimicos; & dixerat ultimò, quòd omnia bona collegerat ex arbore crucis, & ideo assimilaverat eam arbori palmæ in rectitudine, & altitudine, & utilitate fructus: Ideo Sponsa non ingrata: sed avida ad reddendum vices amoris pro tantis bonis receptis, respondendo Sponso ait: O Sponse, tu dicis quod *statura mea assimilata est palmæ*; & quòd omnia bona descenderunt ab arbore palmæ, B scilicet crucis triumphalis: ideo volente imitari, sequendo te per crucem & martyrium, ego *dixi*: *Ascendam in palmam*: id est, deliberando dixi, & proposui ascendere in palmam martyrii, id est, tollere crucem, & sequi te: & hoc dixi, & proposui in crucem ascendere, ut *apprehendam fructus ejus*. Unde postquam tu dedisti mihi arma ad pugnandum, scilicet, fidem, & charitatem, & dona Spiritus sancti, volo illa exercere contra diabolum, & tyrannos, & Hæreticos.

Iterum est notandum: quòd per *palmam*, ad quam ascendit Ecclesia Sponsa Christi, intelligitur campus pugnæ & C victoriæ. Unde sicut Christus ascendit in crucem ad pugnandum pro nobis contra diabolum, ex qua arbore collegit fructus nostræ redemptionis & salutis: ita Ecclesia ascendit in palmam, id est, in campum victoriæ & pugnæ, ad pugnandum contra tyrannos, & infideles pro fide Christi, & contra carnem & mundum, & contra Hæreticos. Et ideo facti sunt quatuor exercitus, qui ascenderunt in palmam ad pugnandum. Nam primò ascendit chorus, sive exercitus Martyrum ad pugnandum contra Principes, & tyrannos, & infideles. Secundò ascendit exercitus virginum, & Continentium ad pugnandum contra carnem. Tertiò, ascendit in campum pugnæ & palmæ exercitus Contemplativorum & D Monachorum ad pugnandum contra mundum & pompam ejus. Quartò, ascendit exercitus Doctorum ad pugnandum contra Hæreticos. Isti ergo quatuor exercitus ascenderunt in arborem palmæ, sive in campum pugnæ ad pugnandum. Et ideo Ecclesia superiùs dicta est *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Et dictum est etiam superius: *Quid videbis in Sunamite, nisi choros*, id est, exercitus *castrorum*? Sed quia omnes isti exercitus finaliter triumpharunt de inimicis suis; ideo dicuntur collegisse fructus victoriæ ex arbore palmæ, sive ex arbore crucis: E quod idem est quod arbor, sive campus pugnæ & victoriæ.

Unde sicut quatuor genera pugnatorum ascenderunt in palmam ad pugnandum; ita Ecclesia quatuor genera fructuum collegit & apprehendit ex arbore palmæ. Nam primò collegit Martyres sive fructum & victoriam martyrii. Secundò collegit Virgines, & Continentes. Tertiò Confessores & Monachos. Quartò Doctores cum suis scriptis & doctrinis. Omnes isti quatuor exercitus dicuntur pugnatores: quia vita Christiani, si secundùm Euangelium vivat, pugna, & martyrium, & crux est, ut inquit *Augustinus* super *Joann.* Et de quocumque istorum dicit Salvator, *Matth.* 16. F *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et sic etiam secundùm *August.* omnes conjugati viventes secundùm Euangelium tollunt crucem suam, & sequuntur Christum suo modo.

De omnibus ergo istis supradictis dicit Sponsa: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Quia omnes istos fructus collegit Ecclesia ex arbore palmæ, & ex omnibus his collegit fructus meritorum: quos fructus reposuit in suo horreo, sive cellario. Et isti sunt thesauri, quos Ecclesia dispensat filiis suis simul cum meritis passionis Christi, quan- G do concedit Indulgentias, & fundit orationes, dicens: *Per merita passionis Christi & sanctorum ejus.* Dicit ergo Sponsa: *Ascendam in palmam*, id est, in arborem pugnæ, & crucis, & victoriæ, *& apprehendam fructus ejus.* Et tunc *ubera tua*, ò Sponse, *erunt* mihi *sicut botri vineæ*, Martyres proferendo: quia exinde colligam Martyres effundentes sanguinem pro Christo, qui erunt tamquam vindemia in torculari.

Item, *odores* tui, qui sunt viri Sancti, & Virgines, & Continentes, & Religiosi, & Confessores, & Contemplativi effundentes odorem sanctitatis, & bonæ famæ, erunt *sicut odor pomorum.* Nam sicut *poma* pretiosa bene matura expirant ex se bonum odorem: ita viri sanc- H ti & honesti emittunt odorem bonæ famæ vitâ & exemplo: de quibus ait *Apostolus* 2. *ad Corinth.* 2. *Bonus odor sumus vobis.* Quasi dicat: Sponsa: Ego apprehendam & colligam ex ista palma Virgines, & Continentes, & Confessores, & viros Sanctos expirantes bonos odores suæ bonæ famæ & sanctitatis, sicut fuit *Beatus Paulus primus Eremita*, & *Antonius*, & *Benedictus*, & *Franciscus*, & *Augustinus*: quorum odores duxerunt alios ad bene vivendum.

Item, *guttur tuum* erit mihi sicut

vinum

vinum optimum. Quasi dicat: Quòd Doctores, qui sunt *guttur tuum*, emittunt vinum optimum suæ doctrinæ, & suorum A Scriptorum. Quod quidem vinum erit *dignum*, & bonum, & acceptum *dilecto meo* Christo ad potandum, *& labiis & dentibus illius ad ruminandum.*

Ad cujus intellectum est notandum: quòd vinum sapientiæ & intelligentiæ, quod sancti Doctores expresserunt ex vinea sacræ Scripturæ, in tantùm fuit de se optimum & continens veritatem, quòd fuit *dignum* acceptari à Christo, & Ecclesiâ Sponsâ ejus: & ideo dicit, quòd fuit dignum ad potandum: id est acceptandum ipsi Christo & Ecclesiæ. Et fuit *dignum* & dulce labiis & dentibus Christi & Ecclesiæ *ad ruminandum.* Nam Ecclesia per suos Prædicatores continuè ru- B minat scripta & doctrinam *Augustini*, & *Hieronymi*, & *Basilii*, & aliorum Doctorum.

Item Doctores Scholastici posteriores continuè ruminant dicta sacrorum Doctotum piorum, ea declarando, & in suis Quæstionibus disputando. Et sic vinum illorum sacrorum Doctorum, quod Ecclesia collegit ex vinea & arbore palmę, semper ruminatur nobis, & à nobis ad fidem nostram confirmandam, & contra Hæreticos confundendos, & ad vitam & conversationem nostram dirigendam. Omnes ergo istos fructus supradictos collegit Ecclesia ex arbore palmæ. Sed quia in tali collectione fructuum causatur quædam mutua, & reciproca, & conversa collatio & exhibitio, ideo subdit: *Ego* C *dilecto meo & ad me conversio ejus.*

Ad cujus intellectum est notandum secundùm *Augustin. de Verbis Apostoli*: quòd tota nostra Latria & servitus erga Deum non est nisi quædam mutua & reciproca retributio. Nam primò Deus est donator & largitor bonorum: & ex consequenti pro gratiarum actione retribuimus ipsi Latriam servitutem. Nam quia primò ipse ex nihilo creavit nos, ideo retribuimus ipsi adorationem cum prosternatione, ratione summæ majestatis & potestatis. Et quia gubernat nos, & providet nobis de bonis temporalibus, ideo tribuimus ipsi vices per oblationem. Sed quia redemit nos, ideo retribuimus ipsi D per laudes continuas, & patimur martyrium & persecutiones propter justitiam fidei ejus. Et sic semper Deus est primus largitor, & per consequens Latria, & bonæ operationes nostræ, non sunt nisi quædam retributiones gratiarum: & ideo dicit *Augustinus*, quòd martyrium Martyrum non fuit nisi quædam retributio in signum Latriæ: quia prius pro nobis obtulit se, & pronobis mortuus est: & virginitas Virginum, & continentia, & labor, & afflictio carnis sanctorum fuit E etiam quædam retributio.

Item si Martyres mortui sunt pro Christo, prius Christus dedit eis gratiam & fortitudinem ad toleranda tormenta, & ad resistendum Tyrannis: & prius dedit Apostolis os & sapientiam, & dona Spiritus sancti ad loquendum ante Reges & Præsides, & ad pugnandum cum eis. Et ita dedit gratiam & virtutem Virginibus, & Continentibus ad pugnandum contra carnem: & dedit gratiam Confessoribus ad pugnandum contra mundum, & antiquum serpentem: Et dedit sapientiam & veram intelligentiam Doctoribus ad intelligendas sacras Scripturas: & sic ediderunt multa scripta, & pugnarunt & triumpharunt de Hæriticis. Ex quibus patet, quod martyria Martyrum, F & continentia Virginum, & bona opera Confessorum, & omnium justorum, & omnis doctrina Doctorum non fuerunt nisi quædam retributiones: quia retribuebant Deo per effectum quod ab eo priùs acceperant per gratiam. Et sic quicquid offert Ecclesia Christo Sponso suo, non est nisi quædam retributio, & gratiarum actiones pro beneficiis priùs receptis: & sic est quædam mutua & reciproca & conversa retributio.

Ideo dicit Sponsa: *Ego* offero *dilecto meo* omnia ista bona, *& ad me conversio ejus*: quia è converso ipse primo mihi tribuit omnia bona: quia ex arbore palmæ crucis prius ista bona collegi. Item, ipse mihi gratis omnia ista bona G gratiæ tribuit: sed ego retribui ipsi bona Latriæ: sed ad me conversus retribuit mihi bona gloriæ: sicque ipse est primus & ultimus in largiendo: ideo semper est *ad me conversio* & retributio ejus.

Et ideo subdit: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum &c.* Ad cujus intellectum est notandum: quòd cum hoc carmen sit nuptiale, Salomon ponit casus qui accidunt inter amantes & Sponsos carnales, applicando ad Christum & Ecclesiam, qui sunt Sponsi spirituales. Unde accidit quandoque, quòd puella elegit nbi Sponsum ultra scitum, immò contra voluntatem parentum; & sic clam diligit Sponsum, & ostendit ipsi amorem H cum magna difficultate in absconso: sed cum hoc pervenit ad notitiam parentum, affligunt Sponsam, ne loquatur, nec jungatur Sponso tali; sed abiiciat ipsum, & jungatur alteri ad nutum parentum & consanguineorum. Sed cum illa summè diligat Sponsum, cui primò promisit fidem, nullo pacto vult acquiescere parentibus. Cum autem parentes atrociter affligant ipsam non consentientes, immò repugnantes matrimonio per ipsam contracto, habentes odio Sponsum quem

ipsa

ipsa elegerat ; tunc illa vehementer sollicitat Sponsum , ut educat se de domo parentum , & ducat extra civitatem , ubi liberè reddat ipsi vinces amoris , & stent & morentur ibi , usquequo ira parentum sit placata , & consentiant parentes in matrimonium , & reducant eos in civitatem & in domum suam. Et hoc frequenter accidit in sponsalibus carnalibus & mundanis , quæ dicuntur clandestina sponsalia , quæ postea approbantur per parentes & Ecclesiam.

Ita ergo accidit Ecclesiæ Sponsæ Christi tempore persecutionum Imperatorum , & maximè in persecutione *Diocletiani* & *Maximiani*. Nam tunc temporis multæ puellæ contemnentes nuptias carnales , detestantes ritum & superstitionem Gentilitatis promittebant Christo virginitatem , & desponsabantur Christo per fidem & Baptismum ultra voluntatem parentum , ut patet de *Beata Crispina* , & *Margarita* , & *Barbara* , quas parentes in fideles affligebant , ut Christum Sponsum denegarent. Hoc idem fecit magna multitudo utriusque sexus in illa tempestate , qui contra voluntatem non solum parentum , sed contra decreta Imperatorum , & Regum , & totius Gentilitatis Christo per Baptismum , detestantes idololatriam , adhæserunt : in qua tempestate fuit mota tam grandis persecutio contra Christianos & Ecclesiam Sponsam Christi , quòd in decem annis fuerunt occisa infinita millia Martyrum per totum orbem , nec Christum negarunt : unde personæ eorum capitali sententia , & variis & atrocibus tormentis puniebantur , & bona temporalia fisco adjudicabantur. Et sic tota Ecclesia undique afflgebatur & vexabatur intolerabiliter , in tantum quòd multi Christiani videntes intolerabilia tormenta aliorum , & arbitrantes se illa non posse pati , potius elegerunt fugere ad montes & speluncas , & ibi Deo servire , quàm Christum negare.

Et ita fecit *Paulus* primus Eremita , qui videns tormenta , quæ patiebantur Martyres in *Alexandria* , se non posse tolerare , fugit in desertum : quem postea secuti sunt multi alii Christiani. Et sic incœpit ordo Eremitarum , & Monachorum in Ægypto in illa persecutione : qui quidem Monachi & Eremitæ postea creverunt in magnum numerum per totum orbem. Et non solum fugerunt ad montes in illa persecutione homines simplices , sed etiam Papa , & Episcopi , & Sacerdotes , qui per totam illam persecutionem latebant in speluncis. Et sic illa Ecclesia fugit de domo parentum suorum , scilicet de populo Gentili , cujus erat filia , & latebat & *morabatur in villis* & speluncis serviendo Christo Sponso suo. Et hoc est quod intendit propheticè exprimere Salomon in hac parte.

Unde quia superius dixit Sponsa : *Ego dilecto meo , & ad me conversio ejus* , id est , sicut Sponsus dilectus meus dat mihi bona gratiæ , ego dilecto meo tribuo Latriam servitutem : sicut ego tribuo & exhibeo dilecto meo Latriam servitutem , ita conversio ejus est ad me , id est , econverso ipse dabit mihi , & expecto bona gloriæ ab eo : sed quia impedior & prohibeor ab Imperatoribus & tyrannis exhibere liberè Latriam servitutem Christo Sponso meo , quia volunt me cogere Christum negare : ideo potius volo fugere ad montes. Et sic Ecclesia conversa ad Christum Sponsum , dicit : O dilecte mi , licèt Imperatores & tyranni atrociter persequantur , & diris tormentis affligant me , ut deseram te , & adorem idola nefanda : tamen nunquam deseram te , cui semel vovi fidem : sed sequendo consilium tuum , qui dixisti , *Matth.* 10. *Si persecuti vos fuerint in una civitate , fugite in aliam* , sic ego volo fugere furiam tyrannorum : Ideo *veni dilecte mi* , fugiamus ad tempus furiam persecutorum , & *egrediamur in agrum* extra civitates , & *commoremur in villis* , & turribus , & eremitoriis , & speluncis : & ibi in eremo serviam tibi in hymnis , & orationibus , & sacrificiis. Et *manè surgamus ad vineas* excolendas , ibi celebrando divina officia in absconso propter metum tyrannorum , ne impediant & prohibeant nos : & ibi expectabimus , & videbimus *si floruerunt vineæ* , & *si flores* vinearum & aliarum arborum *parturiunt fructus* : id est , ibi expectabimus , usquequo sit placata ira Imperatorum , & Principum , & tyrannorum contra Christianos : id est , usquequò tu illumines eos , & reddas benivolos erga Ecclesiam , & convertantur ad fidem : prout fuit completum per conversionem magni *Constantini* , ut patebit.

Hoc autem dicit : quia vinea populi Gentilis , licèt in principio esset horrida & inculta , tamen paulatim videns miracula & signa , quæ per Martyres & viros Sanctos fiebant , incœpit florere. Et sic cum labore parturivit fructus fidei , & parturiebat usque ad Constantinum : quia multi interim convertebantur ad fidem , ut patet in historiis Martyrum. Unde dum *Beatus Urbanus Papa* latebat in rure & prædio *Beatæ Cæciliæ* , ipsa Cæcilia semper florebat , & fructus salubres parturiebat in civitate : & sic convertit Sponsum suum *Valerianum* & *Almachium* fratrem ejus , & misit eos ad Urbanum , qui cum cæteris Sacerdotibus latebat in speluncis , & in illo rure : ideo Urbanus gratias agens , dicebat : *Domine*

ne Jesu Christe seminator casti consilii, suscipe fructus quos in Cæcilia seminasti: quia Cæcilia famula tua quasi apis tibi argumentosa deservit. Et sic in illa persecutione passa sunt multa millia Martyrum & Virginum utriusque sexus & ætatis. Et sic illa *vinea semper florebat & parturiebat fructus* Martyrum, dum Ecclesia latebat & morabatur in villis & in agris. A

Et ideo dicit: *Videamus si floruerunt mala punica*, scilicet, Virginum & Martyrum. Et dum *mala punica*, id est Martyres, florent & parturiuntur in civitatibus, ego *dabo tibi* in agro *ubera mea*, scilicet ubera Latriæ: quia nunquam cessabo à Divino cultu in hymnis, & orationibus, & sacrificiis, & jejuniis B orando pro Ecclesia, ut tu comprimas & humiliens corda Imperatorum & Infidelium Gentilium ad fidem, ne amplius persequantur Ecclesiam.

Et ideo *mandragoræ*, per quas intelligitur fœcunditas Ecclesiæ, jam *dederunt odorem suum in portis nostris.*

Ad cujus intellectum est notandum: quòd *mandragora* est quoddam pomum genitum in radice cujusdam herbæ facientis folia ad modum parvæ lactucæ. Et sic *Mandragoræ* sunt tamquam tubera terræ valde odorifera, habentia similitudinem humani vultus. Et habent hanc proprietatem ut dicunt herbarii: quod si quis defert secum mandragoras, attrahit cæteros ad amorem & nutum sui. Item C habent aliam proprietatem: quòd si mulieres manducant mandragoras, disponuntur faciliter ad fæcunditatem & conceptum prolis. Et ideo *Ruben* attulit mandragoras matri suæ *Liæ*, ut disponeretur ad concipiendum: quæ dixit *Jacob* viro suo: *Dormias mecum hac nocte pro mandragoris*, *Genes.* 30. Ideo Salomon per quandam metaphoram, Divinas & internas spirationes & illuminationes appellat *mandragoras* in hoc loco: eò quòd quando Deo placuit in illa persecutione Deus inspiravit multa corda hominum: quæ quidem inspirationes tamquam mandragoræ generabant fructus fidei in mentibus Gentilium, & D trahebantur ad fidem Christi; & sic pro fide Christi se morti offerebant. Item, post illam persecutionem, immò in eadem persecutione, ex nutu Dei, & propter horridam ægritudinem *Diocletianus* cessavit à persecutione: & postea Deus inspiravit in *Constantinum* mandragoras spiritualium inspirationum; qui tractus & conversus ad Christum, revocavit exilium Christianorum, & magnificavit Ecclesiam, ut patebit. Ideo dicit Sponsa quod *mandragoræ*, scilicet virtus Spiritus sancti & inspirationes, *dederunt odorem suum in portis nostris*: scilicet in Principibus & Imperatoribus, qui sunt portæ populi Gentilis. Vel *in portis* E Ecclesiæ, per quem odorem fuit fœcundata & multiplicata Ecclesiæ. Quasi dicat: Quòd fecunditas & augmentum Ecclesiæ jam apparet *in portis nostris.* Et hoc dicit Sponsa: quia dum ipsa orabat in agro latenter & in eremo, multi ad fidem convertebantur, & postea martyrio coronarbantur in populo in civitatibus.

Et quia ex omni sexu & ætate, scilicet juvenes, & senes, & Virgines, innuptæque puellæ ad fidem Christi continuè convertebantur, & martyrio coronabantur: ideo subdit: *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi:* F id est, obtuli tibi Martires ex omni sexu & ætate. Nam ego servavi, & obtuli tibi *poma nova*, sicut fuerunt *Cæcilia*, & *Agnes*, & *Agatha*, & *Lucia*, & *Catherina*, quæ in puerili ætate passæ sunt. Et obtuli tibi *poma vetera*, sicut fuerunt *Marcellinus*, & *Urbanus*, & multi alii, qui in senectute passi sunt in illa persecutione.

Hoc etiam dicit: quia in illa ætate multi convertebantur ad Christum; alii in pueritia, alii in adolescentia, alii in senectute. Unde quædam puellæ dedicabant & consecrabant Deo virginitatem suam: & quædam viduæ servabant continentiam: & quidam senes segregabantur ad montes ad serviendum Deo. G Et sic Sponsa continuè offerebat Christo Sponso suo *poma nova & vetera.* Hoc etiam potest intelligi de Doctoribus, qui continuè offerebant Christo *poma nova & vetera* prædicando, & probando ipsum esse verum Deum & hominem, & Messiam in Lege promissum, per authoritates & Scripturas novi ac veteris Testamenti, juxta illud *Matth.* 13. *Omnis scriba doctus profert de thesauro suo nova & vetera.*

TERTIA PARS HUJUS NONI Cantici.

H *Quis mihi det te fratrem meum*
sugentem ubera matris meæ,
ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?
Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ,
Et in cubiculum genitricis meæ:
Ibi me docebis,

Et

Et dabo tibi poculum ex vino condito,
Et mustum malorum granatorum meorum.
Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.
Adjuro vos filiæ Jerusalem,
Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

HÆC est tertia pars hujus noni Cantici, in qua Rex Salomon explicat desiderium Ecclesiæ redeundi ab eremo ad civitates, mitigata rabie tyrannorum, expectando pacem & tranquillitatem Ecclesiæ per conversionem totius populi Gentilis.

Ad cujus intellectum est notandum, sicut dictum est; quòd ista Sponsa erat filia populi Gentilis secundum carnem, quæ ad fidem Christi noviter erat conversa contra voluntatem suæ matris, scilicet Gentilitatis: & dictum est, qualiter Gentilitas affligebat filiam suam, scilicet Ecclesiam, eò quòd ultra voluntatem, immò contra voluntatem suam desponsaverat sibi Christum in Sponsum. Et ideo ista Sponsa fugit in eremum cum Christo Sponso, suo non pro semper, sed ad tempus, usquequo mitigaretur ira principum, & totius Gentilitatis matris suæ: ut mitigatâ irâ converteretur ad eum Gentilitas, & consentiret Christo Sponso Ecclesiæ. Et ideo sicut Sponsa carnalis, quæ fugit à domo matris & parentum cum Sponso sibi clàndestine desponsato, dum est in illo exilio, semper desiderat redire ad domum matris, & inducere matrem & parentes ad amorem Sponsi, & consensum sui conjugii: ita pariter Ecclesia Sacerdotum dum erat in eremo quasi relegata propter metum & crudelitatem tyrannorum, semper & continuè orabat Deum, ut converteret corda Principum & tyrannorum, & converteret, & mollificaret iram & sævitiam Gentilitatis matris suæ, ut Christum reciperet, & ipsa Ecclesia posset liberè & publicè Christum Sponsum suum colere, & ejus nomen prædicare, & Legem Euangelicam promulgare per omnia regna mundi: quod completum est per conversionem magni *Constantini.*

Nam cum *Beatus Silvester* metu diræ persecutionis per magna tempora lateret cum suo Clero & Sacerdotibus in montibus Serapinis semper orando pro pace Ecclesiæ, & monitu Apostolorum *Petri* & *Pauli* fuit vocatus, & quæsitus per Magnum *Constantinum* Imperatorem, qui putans ad mortem vocari, obnixe exhortabatur totum Clerum suum ad martyrium perferendum pro fide Christi. Sed multò & longè aliter fuit favorabilis toti Ecclesiæ Imperator, quàm Sylvester putabat: quia fuit ipse Imperator baptizatus, & ad fidem Christi conversus. Et in tantum fuit toti Ecclesiæ benignus effectus, quòd ipse suum Palatium Lateranense in Ecclesiam Salvatoris fecit consecrari, & generalem licentiam & facultatem concessit, ut Ecclesiæ in honorem Christi possent per totum orbem noviter fabricari, & templa idolorum in Ecclesias consecrari, & Lex Euangelica per totum orbem publicè prædicari: & sic ad exemplum Imperatoris omnes Reges & Principes mundi fuerunt baptizati: qui de thesauris suis Ecclesias fabricarunt, & ditarunt.

Et sic Ecclesia per universum orbem fuit magnificata, & Sponsum suum Christum sine timore publicè fuit prædicando confessa. Et tunc surrexit maxima copia Doctorum: scilicet, *Athanasius*, *Basilius*, *Gregorius Naziancenus*, *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, & cæteri, qui publicis prædicationibus omnes populos instruxerunt, & suis scriptis sacras Scripturas exposuerunt, & suis disputationibus omnes Hæreticos devicerunt, & ab Ecclesia eliminaverunt. Et sic patet, qualiter Ecclesia de omnibus inimicis finaliter triumphavit: & hoc intendit explicare in hac parte.

Dicit ergo Sponsa existens in illo exilio ad Sponsum: *Quis det te fratrem meum*, id est, quis dabit mihi *te fratrem meum sugentem ubera matris meæ*: id est, ad sugendum ubera matris meæ? Quasi dicat: O Christe, tu es frater meus per carnis assumptionem; quia sumus filii ejusdem humanitatis.

Unde nota, quòd Christus dupliciter dicitur *frater Ecclesiæ* Sponsæ suæ. Uno modo per carnis assumptionem, in quantum est homo: quia omnes participamus eandem humanitatem, & sumus filii Adam. Alio modo dicitur Christus frater Ecclesiæ, in quantum est ejus Sponsus: quia sunt duo in carne una. Ideo Sponsa appellat Christum *fratrem.*

Iterum est advertendum, propter id quod ait: *sugentem ubera matris meæ*: quòd Ecclesia illa conversa de populo Gentili habebat duplicem matrem, scilicet unam carnalem, ex qua descendebat secundum carnem; & illa erat Gentilitas, sive generatio Gentilis: Habebat autem alteram matrem spiritualem, quæ est *Virgo Maria*: nam postquam Christus est frater adoptivus & Sponsus Ecclesiæ, & Virgo Maria est Mater Christi

naturalis ; ergo est mater adoptiva ipsius Ecclesiæ.

Potest ergo esse duplex sensus in A hoc versu : primò quòd dicat Sponsa ad Christum : *Quis det te fratrem meum sugentem*, id est, qui suxisti ubera Mariæ Matris meæ, *ut inveniam te foris ?* Alio modo potest intelligi referendo ly *matrem* ad Gentilitatem matrem carnalem ipsius Ecclesiæ : & tunc sensus est verus & conformis litteræ : quasi dicat Sponsa: Quis erit ille Deus, & ille Imperator illuminatus per Deum, qui det & concedat te Christum fratrem & Sponsum meum, ut sugas ubera Gentilitatis matris meæ, acceptando ab ea servitutem Latriæ, scilicet, ut tota Gentilitas convertatur ad fidem, & exhibeat tibi ubera latriæ, sicut ego facio : & per consequens sicut su- B gis ubera mea, ita sugas ubera totius Gentilitatis matris meæ. Quasi dicat: Utinam Deus Pater, & tota Trinitas illuminet Imperatores & Reges, & totam Gentilitatem, ut ego quæ sum in hoc exilio, possim reverti ad civitates & populos, & ad Gentilitatem matrem meam, & possim eam baptizare, ut Sponsus meus sugat ubera matris meæ, acceptando ejus latriam.

In Hebræo habetur : *Quis daret mihi, ut tu tamquam frater meus sugas ubera matris meæ* ? Et tunc littera est magis clara, & conformis huic expositioni. Et ideo sequitur : *Inveniam te solum foris, & deosculer te, & me nemo* C *jam despiciat.*

Ad cujus intellectum est advertendum, quòd hîc loquitur ad modum eorum, qui primò contraxerunt sponsalia clandestina ; qui primò se osculantur in abscondito : sed postquam parentes consentiunt in matrimonio, & matrimonium est notum toti populo ; tunc Sponsi se osculantur in publico absque erubescentia. Ita ergo pariter fecit primitiva Ecclesia de populo Gentili. Nam primò fuerat clandestinè Christo desponsata contra voluntatem & scitum parentum, eo modo quo supra dictum est : postea metu parentum fugit ad montes, & erat ibi in agro per totam persecutionem *Dio-* D *cletiani* : & sic ibi osculabatur Sponsum in abscondito & secreto. Sed postquam *Beatus Silvester* cum suo Clero reversus est in civitatem, & baptizavit *Constantinum*, & concessa est facultas Christianis publicè prædicandi Euangelium, & ædificandi Ecclesias, & Divina officia celebrandi ; tunc Ecclesia osculabatur Sponsum suum in publico, & itinere, & in plateis, ubi publicè confitebatur Christum, & ejus Legem Euangelicam.

Et hoc intendit dicere Sponsa, cùm ait : *Quis mihi det* & concedat *te* Christum *fratrem meum*, *ut sugas ubera* totius Gentilitatis *matris meæ*, ejus latriam acceptando : *ut* publicè *inveniam te foris* : scilicet, in itinere, & in platea : & ibi *solum osculer te*, publicè coram omnibus tuum nomen confitendo, & prædicando : ut in tali prædicatione & cultu *nemo jam* amplius *me despiciat*, nec persequatur, sicut factum est usque ad præsentem diem : quia per decem Imperatores sui afflicta & infestata fugiendo per nemora.

In Hebræo habetur : *Quis mihi det, ut tu tamquam frater sugas ubera matris meæ, ut invenirem te in vico, & osculare te, & nemo me despiceret* ? Et tunc littera est magis clara.

Et ideo sequitur : *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.* Et hoc F dicit : quia illa Sponsa introduxit Christum in domum matris suæ : scilicet, ad populum Gentilem, quando in populo Gentili publicè nomen Christi prædicavit, & Ecclesias construxit. Unde sicut in principio Apostoli converterunt illam parvam Ecclesiam ex populo Gentili ; ita postea illa parva Ecclesia multis tribulationibus afflicta, convertit totum residuum Gentilitatis ; & per consequens convertit *matrem suam*, & *introduxit Sponsum in domum* Gentilitatis *matris suæ.* Et ideo sequitur : *Et ibi me docebis.* Quasi dicat : Quòd postquam introduxero te in domum matris meæ, & publicè potero nomen tuum prædicare, tunc *ibi me do-* G *cebis*, id est, dabis mihi Doctores, quibus revelabis secreta sacræ Scripturæ, & referabunt, & declarabunt scripturas utriusque Testamenti, & defendent Ecclesiam contra Hæreticos.

Hoc autem dicit : quia ilico post conversionem Constantini fuit in Ecclesia copia magnorum Doctorum : sicut fuit *Athanasius*, *Basilius*, *Gregorius Naziancenus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Hilarius*, *Augustinus*, & cæteri, qui Spiritu sancto illustrati glossarunt scripturas, & instruxerunt fideles, & debellarunt, & exterminarunt Hæreticos. Sed quia scientia eorum non fuit ab alio nisi à Christo, qui eos per Spiritum sanc- H tum edocuit ; ideo dicit, *Ibi me docebis.*

Sed quia Ecclesia esset ingrata recipiendo tot beneficia à Sponso, nisi redderet vices amoris per exhibitionem latriæ ; ideo subdit Sponsa : *Et dabo tibi proculum ex vino condîto*, id est, sicut tu me docebis, secreta sacræ Scripturæ aperiendo ; ita ego *dabo* & offeram tibi *proculum* prædicationis *ex vino condîto*, scilicet, ex intelligentia sacræ Scripturæ, quæ est dulcior omni vino.

Unde dictum est, qualiter intelligentia & veritas Euangelica est quoddam vinum condîtum & expressum ex vinea sacræ

cræ Scripturæ veteris Testamenti. Et hoc vinum conditum expresserunt Doctores ex sacra Scriptura, & obtulerunt Christo: quod quidem vinum fuit *dignum* & sapidum *dilecto* Christo *ad potandum*, *& dentibus*, id est, populis ejus, *ad ruminandum*, prout dictum est supra. A

Item Sponsa non solum obtulit Sponso poculum sacræ Scripturæ, sed etiam poculum Sacramenti altaris ex vino condito & consecrato. Et ita pariter offert poculum aliorum Sacramentorum, & fidei articulorum, & poculum observantiæ præceptorum, & operum misericordiæ: quod poculum est Sponso valde sapidum & acceptum.

Sed quia Ecclesia non solum offert Christo merita passionis, sive vinum passionis ejus in Sacramentis, sed etiam offert vinum meritorum Sanctorum Martyrum, & Virginum, & Confessorum; ideo subdit: *Et dabo tibi mustum malorum granatorum meorum.* Unde per *mala granata* intelliguntur principaliter Martyres, qui pro Christo sanguinem fuderunt: & ex consequenti intelliguntur omnes Confessores, & sancti, & justi, qui omnes continentur sub una pelle & tegmine fidei & charitatis: sicut enim in malo granato continentur multa grana rubea sub una pelle; ita omnes fideles rubricati sanguine Christi continentur sub gremio Ecclesiæ. *Mustum* ergo istorum malorum granatorum, scilicet Sanctorum Martyrum, sunt merita eorum expressa ex martyrio & laboribus, quos pro Christo sustulerunt. Unde hoc *mustum malorum granatorum* offert Ecclesia Christo Sponso suo in festivitatibus, quas celebrat in memoriam sanctorum. Item, hæc merita sanctorum offert quotidie Ecclesia simul cum passione Christi in Sacramento altaris, ut patet cum dicit in Canone: *Communicantes & memoriam venerantes in primis gloriosæ Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum & Martyrum.* Et hoc est mustum malorum granatorum, & poculum quod Ecclesia offert quotidie Christo Sponso suo. B C

Ex supradictis ergo patet, qualiter ista Ecclesia Sponsa Christi exivit in campum pugnæ *terribilis ut castrorum acies ordinata* cum multis choris & exercitibus castrorum bellicorum, & pugnavit diu contra inimicos suos; sed tandem devicit eos, & triumphavit de omnibus. Nam per Martyres devicit omnes Tyrannos, & per Virgines & Continentes triumphavit de carne: & per Monachos, & Eremitas, & Religiosos triumphavit de mundo, & diabolo, & pompis ejus: & per Doctores triumphavit de Hæreticis. Et sic postquam tempore *Constantini* devicerat omnes supradictos, & fuerat tota Gentilitas conversa; tunc Sponsa absque timore & erubescentia osculabatur Sponsum in publico, & erat in ejus amplexu, & favore ejus, Legem Euangelicam prædicando, & publicè divina officia celebrando. Et ipse Sponsus jam publicè favebat Sponsæ, tenens eam in suo amplexu favorabili, quando *Constantinus* dotavit eam magnis muneribus & divitiis, & dominio temporali, & amplo patrimonio. D E

Videns se ergo Sponsa in tanto honore, & prosperitate, & favore Sponsi constitutam, concludit dicens: *Læva eis sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, id est, jam Christus Sponsus meus honorificavit me, in tantum quod *læva ejus*, scilicet, dominium temporale, & copia bonorum temporalium est *sub capite meo*, ad sustentandum statum honorificum in hoc mundo: *& dextera illius*, id est, potestas ejus spiritualis, quam mihi concessit ad regendam Ecclesiam, *amplexabitur me.* Quasi dicat: quòd Christus Sponsus meus amplexabitur me totam *lævâ*, id est brachio sinistro, scilicet, copiâ bonorum temporalium sub capite meo: *& dextera*, id est, potestas ejus spiritualis erit supra me: & sic utroque brachio amplexabitur me, scilicet, temporali & spirituali: & sic jam in suo amplexu prospero & favorabili, tàm victrix, quàm triumphatrix, & domina totius mundi favorata. F G

Sed quia Sponsa agens gratias glorificata fuerat in Christo, eò quòd amplexatus fuerat eam, supponendo lævam copiæ bonorum temporalium sub capite, ad sustentandum ejus honorificum statum, & ponendo dexteram bonorum spiritualium super eam; & per consequens Sponsa jam quiescebat, quasi dormiens in amplexu Sponsi liberata à persecutionibus & laboribus: ideo Sponsus ejus exhortatur, & adjurat filias Hierusalem; id est, omnes devotos fideles, ne excitent & impediant eam ab illa quiete & prosperitate, in qua manet; & ne separet eam ab amore & fide Sponsi; nec impediat ipsam à cultu Latriæ. Ideo ait Sponsus: *O filiæ Jerusalem adjuro* & admoneo *vos, ne suscitetis:* id est, ne impeditatis: *nec evigilare faciatis dilectam* à somno contemplationis & Latriæ, *donec*, id est dum *ipsa velit.* H

Ad majorem intelligentiam hujus, est valde notandum, quòd Salomon in hoc libello enumerat & memorat tres amplexus hujus Sponsi ad Sponsam. Et post quemlibet amplexum facit adjurationem, & adjurat filias Jerusalem, ne suscitent Sponsam: qui quidem tres amplexus cum

suis adjurationibus referuntur ad diversa mysteria. Unde primus amplexus fuit Incarnationis, & humanitatis susceptionis, A quando Verbum æternum Filius Dei assumpsit, & univit sibi illam humanitatem personaliter in unitate suppositali. Hunc autem amplexum Incarnationis memoravit in *Cantico secundo*, cum dixit: *Dum esset Rex in accubitu suo &c.* Et hoc magis explicavit in fine hujus Cantici, cum dixit: *Læva ejus sub capite meo &c.* sed ilico subdit Sponsus, dicens: *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum*, id est, per Patriarchas & Prophetas, *ne suscitetis, nec evigilare faciatis dilectam*, scilicet, humanitatem assumptam ab unitate personali, qua est Verbo unita, *donec ipsa velit.* Et adjurat per Pa- B triarchas & Prophetas; eò quòd eis fuit sub jurejurando promissum mysterium Incarnationis, & adventus Christi in carne. Hoc autem dicit: quia *quod semel Christus assumpsit numquam dimisit*: unde licèt in triduo anima fuerit à corpore separata per mortem, tamen Verbum neutrum dimisit.

Secundus autem amplexus fuit Filii Dei ad Ecclesiam de populo Israelitico tempore ejus ostensionis & prædicationis: quia tunc Christus recepit in suo amplexu Ecclesiam congregatam de populo Israelitico, quando vocavit Apostolos, & Discipulos, & alios fideles de illo populo ad fidem: & hoc per prædicationem & miraculorum operationem: quem C amplexum memoravit Sponsa in fine tertii Cantici, cum dixit: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec intromittam illum in domum matris meæ*, scilicet, Synagogæ, & *in cubiculum genitricis meæ*, id est, plebis Israeliticæ, quæ genuit me secundum carnem: quod fuit impletum, quando Christus misit Apostolos ad prædicandum in omnem civitatem & locum quo erat ipse venturus: in qua prædicatione multos converterunt & baptizaverunt, ut patet *Lucæ* 11. Et sic illa Ecclesia Apostolorum introduxit Sponsum in domum matris D eorum per fidem. Hoc idem fecerunt post receptionem Spiritus sancti: quia in illa die baptizati sunt ad tria millia de illo populo, & multò plures in diebus sequentibus: ut patet in *Actibus Apostolorum*. Et sic patet, qualiter illa Sponsa introduxit Christum in domum matris suæ, ut amplecteretur eam Sponsus: & sic mansit illa Ecclesia in amplexu Sponsi. Sed quia illa Sponsa semel conversa nunquam recessit ab amplexu Sponsi, ideo ibidem ilico subdit Sponsus adjurando filias Jerusalem, dicens: *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum &c.*

Tertius amplexus fuit quando Christus amplexus est Ecclesiam de populo E Gentili, quando Christus amplexus est eam cum multo favore, prout dictum est in hoc Cantico nono. Ad quem amplexum sequitur tertia adjuratio ad filias Jerusalem. Sed ista adjuratio non facta est cum conditionibus supradictarum duarum adjurationum. Nam illa adjuratio facta est per capreas cervosque camporum; ista autem tertia non, prout patet in littera. Causa cujus potest esse ista. Nam licèt ista Ecclesia nunquam erit separata ab amplexu Sponsi, facta una cum Ecclesia conversa de plebe Israelitica (eò quòd licèt fluctuet continuè, tamen nunquam submergetur navicula Petri) tamen quia Patriarchæ & Prophetæ non præfi- F xerunt, nec limitarunt tempus hujus Ecclesiæ à *Constantino*, & à tempore ejus prosperitatis usque ad secundum adventum Christi: ideo Sponsus non adjuravit filias Jerusalem per capreas cervosque camporum in hac tertia adjuratione. Alia causa potest esse, eò quòd populus Gentilis non habuit Patriarchas nec Prophetas, qui prophetarent amplexum hujus Sponsæ ad Christum, nec adventum Christi ad populum Gentilem, sicut habuit populus & plebs Israelitica: ideo hæc tertia adjuratio non fit per capreas, cervosque camporum. Et hoc de nono Cantico.

CANTICUM DECIMUM.

G

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,
Deliciis affluens,
Innixa super dilectum suum?
Sub arbore malo suscitavi te:
Ibi corrupta est mater tua,
Ibi violata est genitrix tua.
Pone me ut signaculum super cor
H *tuum,*
Ut signaculum super brachium tuum:
Quia fortis est ut mors dilectio,
Dura sicut infernus æmulatio:
Lampades ejus, ut lampades ignis, atque flammarum.
Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,
Nec flumina obruent illam:
Si dederit homo omnem substantiam

tiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. A

HOC eſt decimum & ultimum Canticum, in quo Salomom cantat proſperitatem & pacem Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, illi datam & conceſſam poſt converſionem Conſtantini.

In quo quatuor facit: Nam primò deſcribit quandam admirationem de felici ſtatu hujus Sponſæ. Secundò, deſcribit quandam exhortationem Sponſi ad Sponſam, ne ipſum obliviſcatur, allegando beneficia ipſi collata. Tertiò memorat progreſſum & continuum exercitium Sponſæ, ut ſatisfaciat Sponſo, & reddat vices amoris. Quartò, explicat finale præmium deſideratum, & ultimatum terminum beatitudinis Sponſæ. Vel ponit vocationem B Sponſæ ad ſuperiorem fœlicitatem, & altiorem ſtatum. Secunda ibi: *Sub arbore malo ſuſcitavi te.* Tertia ibi: *Soror mea parvula eſt.* Quarta ibi: *Mille tui pacifici.*

Quantum ad primum ergo Salomon introducit chorum adoleſcentularum admirantium ſubitam proſperitatem hujus Sponſæ.

Ad cujus intellectum eſt advertendum, prout ſupra viſum eſt: quòd iſta Sponſa à principio ſui, ſcilicet, poſt Chriſti aſcenſionem, ſemper fuit afflicta & abjecta, & pugnavit in campo cum inimicis; ſed obtentâ victoriâ & triumpho de omnibus, fuit magnificata per magnum *Conſtantinum*, in tantum quod Imperator largitus eſt ipſi urbem Romanam cum C toto patrimonio ipſi adjacenti, & dedit ipſi ſeptuaginta duas civitates, & duo millia oppidorum (ut fertur) in Italia, & inſulis adjacentibus. Et ſic Conſtantinus relictâ Italiâ in poteſtate *Sylveſtri* Vicarii Chriſti, elegit ſibi ſedem apud *Bizantium* Thraciæ, quæ poſtea *Conſtantinopolis*, id eſt, Civitas Conſtantini nuncupata eſt. Et ſic exinde omnes Reges terræ, & Imperatores, & Principatus ſubjecerunt colla jugo Chriſti, & Eccleſiæ Sponſæ ejus. Et ſic Eccleſia manſit domina mundi, deliciis ſpiritualibus, & etiam temporalibus affluens: & manſit innixa & reclinata in favorabili amplexu Chriſti Sponſi ſui.

Videntes ergo adoleſcentulæ, & filiæ D Jeruſalem, id eſt, minores civitates & oppida ad Chriſtum converſæ, & ſimplices fideles tam ſubitam mutationem Sponſæ de adverſitate in proſperitatem, & de perſecutione & afflictione in copiam deliciarum, admirantes dicunt: *Quæ* mulier *eſt iſta quæ aſcendit de deſerto? &c.* In quibus verbis tria bona explicat, quæ faciunt ad felicem & proſperum ſtatum hujus Sponſæ: primo quia *aſcendit de deſerto*, id eſt, quia exit de campo pugnæ & perſecutionis, & aſcendit ad ſtatum pacis & felicitatis. Secundò, quòd aſcendit *deliciis affluens*: per quod explicatur copia & ſufficientia bonorum ſpiritualium & temporalium, & plenaria poteſtas ſuper totum orbem, tradita ipſi à Chriſto Sponſo ſuo. Tertiò dicitur, quòd erat *innixa* & reclinata *ſuper dilectum ſuum*, ſcilicet, Chriſtum Sponſum: quia tenebat ipſam amplexam utroque brachio, ſcilicet, temporali & ſpirituali: per quod denotatur ejus ſecuritas, & quies, & favor. Et ideo filiæ Jeruſalem, quas Sponſus adjuraverat, ne excitarent Sponſam dormientem in ejus amplexu; videntes tam ſubitam mutationem ab adverſitate in proſperitatem, dicunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis* & divitiis *affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* F

Ad cujus majorem evidentiam eſt notandum: quòd iſta Sponſa ter exivit ad oſtentionem populorum, & diverſimode: & ideo filiæ Jeruſalem tribus vicibus admirantes interrogaverunt de ſtatu hujus Sponſæ. Nam primò *aſcendit per deſertum* Iſraeliticum, *ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii*, ut dictum eſt in quarto Cantico: quod fuit, quando Eccleſia Apoſtolorum peregrinata eſt cum Sponſo ſuo per totam terram promiſſionis cum ſignis, & virtutibus, & miraculis, ut ibi dictum eſt: ut patet per totum diſcurſum Euangelicum. Et ideo filiæ Jeruſalem, & adoleſcentulæ, id eſt, omnes G populi terræ promiſſionis admirantes opera Chriſti mirabilia, & opera Diſcipulorum, qui etiam in nomine Jeſu-Chriſti ſanabant infirmos, & ejiciebant dœmonia, ut patet *Lucæ* 11. & *Matth.* 10. dicebant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum? &c.* Et dicebatur illa Sponſa aſcendere, eò quòd Chriſtus aſcendebat Hieroſolymam ad campum paſsionis ad crucifigendum.

Secundò, iſta Sponſa exiit, & progreſſa eſt per derſertum populi Gentilis, & hoc *quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata* ad pugnandum parata: ut dictum eſt Cantico octavo. Et ideo *videntes eam filiæ Sion, & Reginæ,* H *& concubinæ laudaverunt eam* de fortitudine & mirabilibus actibus ejus; & admirantes dicebant: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens? &c.* prout ibi dictum eſt. Et dicebatur Sponſa progredi per deſertum, eò quòd procedebat & perſeverabat in ſua continua pugna contra inimicos.

Tertiò autem, quia iſta Sponſa poſt converſionem *Conſtantini* exivit de deſerto pugnæ, & perſecutionis, & *deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum*

Spon-

Sponſum, aſcendit in tam altum culmen dignitatis & proſperitatis: ideo filiæ Jeruſalem admirantur, dicentes: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto &c.* Filiæ ergo Jeruſalem de populo Judaico mirabantur in quarto Cantico virtutes, & mirabilia opera hujus Sponſæ, quæ fiebant in nomine Chriſti Sponſi ejus. Sed in octavo Cantico filiæ Jeruſalem, id eſt, converſi de populo Gentili mirabantur fortitudinem, & multiplicem pugnam, & victoriam hujus Sponſæ contra inimicos. In principio autem hujus decimi Cantici admirantur ejus proſperum & felicem ſtatum, eo modo quo dictum eſt.

Fuit ergo iſta Sponſa ilico poſt Chriſti Aſcenſionem & per Spiritus ſancti miſſionem, *quaſi Aurora conſurgens* à nocte legis, & tenebris idololatriæ: poſtea creſcendo fuit *pulchra ut Luna*: poſtea magis lucida, incipiens habere doctores, facta eſt *electa ut Sol*: poſtea tempore Imperatorum perſequentium, facta eſt *terribilis ut caſtrorum acies ordinata* ad pugnandum contra eos, & omnes alios inimicos: ſed habitâ victoriâ de omnibus, facta eſt per converſionem *Conſtantini* divitiis & *deliciis affluens*, *innixa* & reclinata *ſuper dilectum ſuum*, tamquam domina mundi.

Item, iſta Sponſa fuit *quaſi Aurora conſurgens* in lege naturæ, & *pulchra ut Luna* in Lege veteri; ſed fuit *electa ut Sol* in Chriſti adventu: ſed fuit *terribilis ut caſtrorum acies ordinata* in tempore perſecutionum: ſed fuit *deliciis affluens*, & *innixa ſuper dilectum* poſt converſionem Conſtantini. Et hoc eſt quod intendit dicere Salomon in hac prima parte.

Deinde cum dicit: *Sub arbore malo ſuſcitavi te &c.* Introducitur Sponſus ad exhortandam Sponſam, ne ingrata obliviſcatur amoris Sponſi & beneficiorum receptorum.

Ad cujus intellectum eſt advertendum, ſicut frequenter dictum eſt: quòd omnia bona quæ poſsidet Eccleſia, emanant ex paſsione Chriſti; & hoc, tam bona temporalia, quàm ſpiritualia: Nam manifeſtum eſt quòd omnis virtus & gratia Sacramentorum traxerunt virtutem ex paſsione Chriſti; & omnia dona Spiritus ſancti, quæ dantur in Confirmatione, dantur per merita paſsionis Chriſti: & omnia merita Chriſti, quæ diſpenſat Eccleſia per Indulgentiarum largitionem, emanant ex paſsione Chriſti: & ſic eſt dicendum de omnibus bonis ſpiritualibus. Et non ſolùm bona ſpiritualia, ſed etiam bona temporalia data ſunt Eccleſiæ propter merita paſsionis Chriſti. Nam Conſtantinus, ut infra patebit, dotavit Eccleſiam magnâ copiâ bonorum temporalium, ut fieret particeps, & conſequeretur merita paſsionis Chriſti: & hic omnes Reges & Principes Chriſtianorum ædificaverunt Eccleſias, & ditarunt eas, & multi milites & cives inſtituerunt beneficia in Eccleſia, ut participarent merita paſsionis Chriſti. Et ſic eſt dicendum de omnibus elemoſynis, & oblationibus, & decimis, & primitiis, quæ dantur Eccleſiæ.

Sed quia talia dona adeptus eſt nobis Chriſtus in arbore Crucis, ideo dicit Chriſtus ad Sponſam, quòd *ſub arbore malo ſuſcitavit eam* à morte æterna; & in arbore Crucis ſuſcepit pro ea mortem & paſsionem, & adeptus eſt copiam & ſufficientiam meritorum, & bonorum ſpiritualium & temporalium, ad ditandum & magnificandum ipſam: ideo ex copia tantorum bonorum non debet ſuperbire, nec extolli, nec poſita in tanta felicitate debet ſponſum obliviſci, nec ab ejus amore recedere: quia in arbore Crucis caro pretio ſui ſanguinis redemit eam, & à morte æterna ſuſcitavit, & innumeris bonis ditavit. Et per conſequens Sponſa ſemper memor tantorum beneficiorum debet vices amoris rependere: quia amor non niſi æquali amore comparatur & perſolvitur. Sed majorem dilectionem non potuit Chriſtus oſtendere Sponſæ, quàm pati & mori pro ea, & facere eam conſociam, & participem, & conſortem ſuorum meritorum, & fructuum eorum: ergo Sponſa non poteſt recompenſare, nec rependere vices tantæ dilectionis, niſi quòd moriatur pro Chriſto, vel ejus præcepta & voluntatem obſervet.

Dicit ergo Sponſus: O Sponſa non ſuperbias, nec te extollas in ſuperbiam & faſtum, eò quòd poſita es in tam alto culmine dignitatis, & copia bonorum & deliciarum & in tam proſpero ſtatu: quia hoc non habes ex natura tua, nec genere tuo: quia ex Adam & natura corrupta non habes niſi malum, putà, mortem, tam temporalem, quàm æternam. Et ab eis non traxiſti niſi omnem miſeriam & infirmitatem: à me autem habes omnem gratiam & ſalutem: quia *ſub arbore malo ſuſcitavi te* à morte peccati, & omni miſeria.

Unde *malus* eſt quædam arbor fructifera excellens in fructu ſuper omnes arbores, ſicut dixit Sponſa in *Cantico ſecundo. Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios.* In Hebræo autem habetur: *Sub pomo ſuſcitavi te.* Et ideo per *malum*, ſive *pomum* intelligitur arbor Crucis, quæ protulit nobis fructus incomparabiles meritorum: ſub qua arbore Crucis Chriſtus ſuſcitavit totum genus humanum à morte æterna. Unde ſicut Adam comedendo fructum prohibitum ſub arbore ſcientiæ boni & mali præcipitavit totum genus humanum in mor-

mortem, ubi *corrupta* & fauciata fuit tota humana natura *mater noſtra*, unde trahimus originem : ita per oppoſitum Chriſtus ſervando obedientiam Patris, guſtando in cruce amaritudinem paſſionis, ſuſcitavit genus humanum à morte æterna, & ſanavit ab omni infirmitate & miſeria. A

Ideo dicit Chriſtus : *Sub arbore malo*, id eſt, ſub arbore crucis *ſuſcitavi te*: quia, ſupple, *ibi*, id eſt, ſub arbore prohibita *corrupta eſt* tota natura *mater tua* : & *ibi*, ſcilicet in paradiſo terreſtri ſub eadem arbore *violata eſt* natura *genitrix tua* : nam voluntas, quæ antè erat libera facta, violata per carnem & ſenſualitatem corruptam, quaſi violatur & cogitur violentiâ complacentiæ ad peccandum, & omne nefas perpetrandum: quia manet prona ad malum, & cum violentia & difficultate facit bonum : quia *Regnum Cœlorum vim patitur* propter corruptionem naturæ, *& violenti rapiunt illud.* B

Et ideo quia iſta littera eſt tranſpoſita, debet ſic ordinari in conſtructione, ſcilicet, quia *ibi*, ſcilicet in paradiſo terreſtri & horto delitiarum *ſub arbore* prohibita tota natura *mater tua fuit corrupta*, quando primi parentes comederunt fructum prohibitum ; & *ibi* fuit *violata*, id eſt, violenter expoliata *genitrix tua* omnibus bonis gratuitis, quando Adam volens deſcendere ab Jeruſalem in Jericho incidit in latrones, qui ipſum expoliaverunt, & fauciaverunt, & ſemivivo relicto abierunt : ideo ego ſumens te ſuper humerum meum, *ſuſcitavi te* ſub arbore crucis &c. quia *ibi* in arbore crucis germinavi fructus meritorum ad ſanandum vulnera tua, & ad ſuſcitandum te à peccato per Baptiſmum, & cætera Sacramenta. C

Item aliter poteſt intelligi iſta littera, referendo ly *mater* ad Synagogam & Legem veterem, & Gentilitatem : & ly *genitrix tua* ad præſentem Eccleſiam. Quaſi dicat : O Sponſa, ego *te ſuſcitavi ſub arbore* crucis : & *ibi* in cruce corrupta & mortua & extincta eſt mater tua Synagoga ſimul cum Lege Moyſi : quia mecum fuit crucifixa, & mortua, & ſepulta : & etiam *genitrix tua*, ſcilicet, Gentilitas *ibi fuit violata* cum ſuis ſuperſtitionibus : quia ibidem fuit diabolus convictus, & de populo Gentili violenter efectus & jugatus. D

Alia autem Translatio ſecundùm Hebræum habet ſic ; ſcilicet : *Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violenter parturivit te genitrix tua* : & tunc explicatur majus ſacramentum. Nam ſub arbore Crucis Chriſtus ſuſcitavit nos à morte æterna, quam incurrimus in Adam propter eſum ligni prohibi : *Et ibi*, ſcilicet in Cruce Chriſti, corrupta & mortua eſt mater noſtra, tam Gentilitas, quàm Synagoga : ſed ibidem Crux, quæ eſt mater noſtra, cum magna violentia & dolore Chriſti peperit *& parturivit* totam Eccleſiam Sponſam ex latere Chriſti. Crux ergo, ſive charitas Chriſti, quæ eſt mater noſtra parturivit nos cum violentia & dolore per latus Chriſti. Et ſic utraque Expoſitio eſt ſatis conformis litteræ, & Catholicæ fidei & veritati. E

Et ideo ſubdit Sponſus, dicens : *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Quaſi dicat : Si ita eſt quòd ego te ſuſcitavi ſub arbore crucis à duplici morte, quam incurriſti in Adam, & fui clavis in manibus clavatus, & lancea perforatus in latere, & ex latere meo parturivi te cum immenſo dolore & violentia, & pro te fui vulneratus, & ferro, & flagellis ſignatus in toto corpore : ergo *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum* per fidem & charitatem : & *ut ſignaculum ſuper brachium tuum*, per operationem & effectum, ſicut ego te dilexi per affectum & effectum. Quaſi dicat : Quòd ſi Deus præcepit filiis Iſrael, ut portarent ſigna legis in fronte, & digito, & manu ; eò quòd liberavit eos de Ægyptiaca ſervitute, & de manu *Pharaonis* in mari Rubro : ergo majorem cauſam habes tu portandi ſignaculum meæ paſſionis in corde per affectum, & in brachio per effectum. Unde hoc dicit : quia non ſufficit portare nomen Chriſti in ſolo corde, ſed etiam in ore & opere, ipſum publicè confitendo & prædicando, ſicut ipſe publicè pro nobis in cruce paſſus eſt : & ideo *corde creditur ad juſtitiam, confeſsio autem* oris *fit ad ſalutem.* F G

Et reddit cauſam, quare tenemur ipſum corde diligere, & ore & opere confiteri, dicens : *Quia fortis eſt ut mors dilectio.* Quaſi dicat : Tantùm fuit fortis dilectio & charitas, quàm in corde erga vos geſſi, & opere oſtendi, quòd uſque ad mortem crucis me ſponte exhibui : & *æmulatio* fuit *dura ut infernus*: id eſt, tantum fuit dura *æmulatio*, id eſt, ſtimulus amoris erga vos, quòd me fecit in infernum deſcendere, ut inde antiquam prædam repeterem, & fideles veteris Teſtamenti liberarem. Fuit ergo illa *æmulatio dura* & laborioſa. Et non ſolum liberavi illos præſcitos de inferno, ſed omnes juſtos futuros præripui, ne in illum locum deſcenderent. Ergo major fuit iſta liberatio totius generis humani ab æterna morte & ſervitute ſpirituali, quàm fuit liberatio Iſrael de Ægypto & ſervitute temporali. H

In Hebræo autem habetur : *Dura ut infernus invidia.* Et tunc eſſet ſenſus, quòd invidia, quâ Judæi occiderunt Chriſ-

Christum pro nobis, fuit dura & crudelis sicut pœna Inferni : sive quòd pœnæ, quas Christus pro nobis passus est ex invidia Judæorum, fuerunt duræ & crudeles, sicut dolores inferni. Sed forsan magis est conformis Translatio nostra cum superiori expositione. Est verum, quòd sicut hoc nomen *stimulus*, sive *æmulatio* apud nos est æquivocum ad amorem & ad invidiam, sive odium : ita pariter vocabulum positum in Hebræo. Sed Judæi moderni accipiunt & pronunciant alteram significationem. Sed significatio quam accipit superior Expositio, videtur magis conformis, ut dictum est : quia illa dilectio & charitas, quam Christus gessit erga nos, deduxit ipsum usque ad mortem Crucis. Et ille stimulus amoris fecit ipsum descendere usque ad infernum, ad B prædam antiquam ropetendam, & infernum expoliandum.

Et ideo subdit : quòd *lampades ejus* : scilicet dilectionis, & stimuli amoris, quos erga nos gessit, fuerunt sicut *lampades*, & faces, & ardores *ignis*, *atque flammarum*. Quasi dicat : Quòd sicut ardor ignis & flammæ totaliter comburunt & consumunt facem, & lignum, & carbonem : ita ignis & ardor charitatis totaliter cremavit Christum tamquam verum holocaustum, in ara Crucis pro nobis ; quia tantùm fuit copiosa apud eum redemptio, quòd totum sanguinem pro nobis effudit & exhausit.

Et ideo subdit : quòd tantùm fuit C fortis ille ignis, & ardor, & flamma charitatis : quòd *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem* : id est, quod nullæ minæ, nec persecutiones, nec tormenta, nec flagella, nec mors potuerunt extinguere charitatem & amorem, quin pro nobis Christus moreretur : & per consequens ille ignis & ardor charitatis fuit major, & fortior quocumque igne materiali : quia non est ignis, nec flamma tam grandis, quin extinguatur per multam aquam. Item, *nec flumina* iræ & persecutionum *obruerunt illam* charitatem. Unde est advertendum, quòd per *aquas multas* intelligit persecutiones, quas Christus passus est in sua peregrinatione ante mortem & passionem : quia multas injurias, & opprobria, & labo- D res passus est, ut patet per totum discursum Euangelicum : quæ quidem persecutiones & labores nunquam potuerunt extinguere charitatem ejus, nec retraxerunt eum ab incœpto opere redemptionis. Item, per *flumina* intelligit iram Scribarum & Pharisæorum, & potestatem *Pilati* gerentis vices Imperatoris. Sed nec ista *flumina* potuerunt obruere & prosternere illam charitatem : ergo fuit fortior, & firmior, & immobilior illa charitas Christi, quàm quælibet turris, vel domus sita juxta flumina, quin cor- E ruat, si illa flumina successivè inundent. Sed charitas Christi nunquam potuit corruere, nec obrui per violentiam & inundationem persecutionum Scribarum & Sacerdotum, nec Imperatoriæ potestatis, quam *Pilatus* exercebat : quia mors & passio Christi ministrata per eos, non potuit retrahere Christum ab ardore charitatis. Et ideo concludit Christus, quòd majorem charitatem nemo poterat ostendere pro amico, quàm ipse ostendit pro nobis : nam non solùm dedit pro nobis bona temporalia & bona fortunæ ; sed dedit pro nobis seipsum ad mortem : quia *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, *Joann.* 15.

F Et ideo subdit, quòd *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet illam.* Quasi dicat : Quòd non sunt comparanda bona temporalia ad vitam hominis. Nam *si homo dederit omnem substantiam suam*, id est, omnes divitias & bona temporalia pro dilectione unius amici, *quasi nihil despiciet eam* substantiam & bona temporalia, respectu illius qui dat seipsum, & vitam pro amico : quia multi dant, & offerunt bona temporalia pro amico ; sed nolunt dare vitam suam, nec mori pro eo : & sic magis diligunt seipsos, quàm bona temporalia & amicum : quia *pellem pro pelle*, *& cuncta quæ ho-* G *mo habet dabit pro anima sua*, ut patet *Job primo.* Sed Christus omnia bona temporalia dedit pro nobis : quia pauper venit in hunc mundum, & pauper voluit vivere, ut nos divites faceret in suo regno. Item, magis dilexit nos, quàm vitam suam : quia seipsum & vitam suam obtulit ad mortem pro nobis, ut nos vivificaret, & à morte liberaret.

Ex quibus patet, qualiter charitas Christi excessit omnia bona mundana, & omnem dilectionem aliorum. Et ideo dicit, quòd *ponamus* hanc suam charitatem, & mortem, & passionem, & ejus nomen & Legem Euangelicam *in corde nostro* per affectum, & *in brachio* nostro tamquam *signaculum* per operationem & effectum. Hanc autem charitatem impar- H tivit Christus Martyribus suis, qui pro eo reddendo vices amoris, passi sunt carceres & tormenta usque ad mortem. Et ideo sicut commendat suam charitatem erga nos ; ita commendat charitatem Martyrum & aliorum Sanctorum erga seipsum.

Sed forsan etiam improperat in hoc loco ingratitudinem malis Prælatis & Christianis : qui saginati pinguedine & copia bonorum temporalium, quæ ex meritis Christi crucifixi possident, elati in superbiam contemnunt Christum & bo-

bona ſpiritualia, & convertuntur ad temporalia : quod forſan jam tunc prævidens Salomon in ſpiritu prophetico in perſona Chriſti, improperat ingratitudinem malis Chriſtianis & Prælatis, & etiam Regibus & Principibus : quia omnis poteſtas derivatur à Chriſto crucifixo, cui data fuit à Patre in cœlo & in terra, *Mathæi* 28.

Soror noſtra parvula,
Et ubera non habet.
Quid faciemus ſorori noſtræ
In die quando alloquenda eſt?
Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea:
Si oſtium eſt, compinguamus illud tabulis cedrinis.
Ego murus, & ubera mea ſicut turris,
Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.

QUia ſuperius in prima parte hujus Cantici Chriſtus explicando beneficia, quæ nobis contulit, & charitatem quam nobis oſtendit, exhortatus eſt Sponſam, ut redderet ſibi vices amoris, dicens : *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum &c.* nunc autem in hac ſecunda parte explicat, quibus modis debet Sponſa ipſi reddere vices amoris.

Ad cujus intellectum eſt advertendum : quòd omnia præcepta charitatis reducuntur ad duo, ſcilicet declinare à malo, & facere bonum : unde Deus in Lege veteri & nova nil aliud quærit à nobis. Ideo ait per os David *Pſalm.* 32. *Declina à malo, & fac bonum.* Et nil aliud Chriſtus quærit à nobis, niſi ut reddamus ipſi vices amoris. Sed quia nemo poteſt declinare à malo, niſi viriliter reſiſtat tentationibus mundi, & carnis, & diaboli : & nemo poteſt operari, ſive facere bonum, niſi exercendo opera miſericordiæ erga proximum, & opera Latriæ erga Deum : ideo Sponſus duo facit in hac parte. Nam primò exhortatur Sponſam, ut declinet à malo, continuè pugnando, & reſiſtendo mundo, & carni, & diabolo.

Et hoc oſtendit, & præcipit metaphoricè, in quantum Eccleſia eſt quoddam oppidum & præſidium, ſive civitas bene munita, in qua fideles ſemper pugnant contra inimicos obſidentes, & infeſtantes eam. Secundò exhortatur Sponſam ad bene operandum, & exercendum opera miſericordiæ erga proximum, & opera Latriæ erga Deum, in quantum Eccleſia eſt quædam vinea, in qua omnes diverſimode laborant pro ultimo præmio adipiſcendo, & fructum paſſionis conſequendo & lucrando. Secunda pars erit ibi : *Vinea fuit pacifico.*

Quantum ad primum eſt advertendum : quòd Eccleſia noviter converſa de populo Gentili tempore Conſtantini, dicta eſt *parvula*, eò quòd tunc erat novitia in fide. Et ideo dicebatur non habere mammillas ſapientiæ & intelligentiæ ſacræ Scripturæ : quia veniens noviter ex ſuperſtitione Gentilium, & curioſitate Philoſophorum, nondum noverat Scripturas ſacras utriuſque Teſtamenti, nec aſcenderat ad arcem Euangelicam veræ ſapientiæ per Chriſtum ædificatam. Unde, ſicut dictum eſt in *quarto Cantico*, ſacra Scriptura utriuſque Teſtamenti, & intelligentia ejus, dicuntur duo ubera Eccleſiæ, quæ continuè propinant lac doctrinæ & gratiæ Sacramentorum. Item ibidem altitudo & ſublimitas Euangelicæ intelligentiæ dicitur *collum* Eccleſiæ, & *turris David ædificata cum propugnaculis, ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium.*

Eccleſia ergo dicitur habere *ubera*, in quantum habet ſapientiam Euangelicam, & gratiam Sacramentorum ad nutriendos filios. Et dicitur *turris* munita, in quantum eſt elevata, & attingit ardua & profunda ; & habet arma ſapientiæ ad repellendos incurſus inimicorum : quam quidem turrim Chriſtus, qui eſt ſapientia Patris, in Eccleſia ædificavit. Unde dicitur *Prov.* 9. quòd *ſapientia ædificavit ſibi domum*, id eſt, Eccleſiam, & *excidit columnas ſeptem*, id eſt, ſeptem Sacramenta, ſuper quæ ſuſtentatur Eccleſia ; & ſeptem Dona Spiritus ſancti ad defendendum eam. Et *miſit ancillas ſuas*, ſcilicet Apoſtolos, & Doctores, & Prædicatores, *ut* ſimplices & infirmos *vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis.* Et ſubdit : *Si quis eſt parvulus, veniat ad me.* Ex ſupradictis patet, quòd Eccleſia noviter converſa de populo Gentili tempore *Conſtantini* parvula erat : quia nondum attigerat arcem ſapientiæ : quia noviter erat vocata ad arcem per *Silveſtrum* & alios Prædicatores : & ſic nondum ipſa habebat mammillas ad propinandum lac cæteris ; immò Beatus Silveſter, & cæteri Prælati Eccleſiæ propinabant ipſi mammillas ad ſugendum.

Cum ergo iſta Sponſa ſoror Chriſti tunc noviter converſa eſſet parvula, & inermis, & infirma, & novitia, non habens mammillas lactis Euangelici ad præbendum cæteris : tunc Sponſus ejus

Christus ilico post conversionem Constantini præbuit ipsi copiam Doctorum ex noviter conversis, sicut fuerunt *Chrysostomus*, & *Eusebius*, & *Athanasius*, & *Basilius* apud Græcos: & *Ambrosius*, & *Hieronymus*, & *Augustinus* apud Latinos: in quibus abundavit copia lactis, unde omnes accepimus. Et tunc illa Sponsa jam facta est provecta habens mammillas sapientiæ. Item, ipse Christus, qui est *Sapientia*, per eosdem Doctores ædificavit arduam & munitissimam arcem in Ecclesia ad tuendos fideles, & repellendos infidelium & omnium inimicorum incursus. Nam omnes libri quos *Augustinus* & cæteri Doctores scripserunt, non sunt nisi quædam arma defensiva ad tuendos fideles contra inimicorum incursus, & sunt quædam ubera ad eosdem nutriendos.

Sed quia isti Doctores tamquam ancillæ Divinæ Sapientiæ continuè clamitant, & vocant parvulos ut veniant ad arcem, ut ibi tueantur, & comedant panem, & bibant vinum quod Divina Sapientia miscuit in mensa: ideo oportet, quòd ista turris munita, & civitas altis mœnibus murata habeat ostium, per quod introducat parvulos ad arcem & civitatem. Et sic Ecclesia dicitur *arx* & *turris* ardua & altissima, habens lac ad nutriendum, & propugnacula ad defendendum, & ostium ad introducendum fideles & parvulos ad arcem: quæ omnia data sunt Ecclesiæ per Christum Sponsum ejus.

Et hoc est quod intendit dicere Salomon in hac parte. Unde ait Sponsus ad Angelos sodales suos: *Soror nostra* Ecclesia noviter conversa de populo Gentili, quam noviter nobis in conjugium sociavimus, *parvula* est & novitia in fide: ideo *mammillas* lactis intelligentiæ novi ac veteris Testamenti *nondum habet*: quia non fuit nutrita & lactata, nisi curiositate Philosophorum, & superstitione idolorum.

Quid ergo *faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est*? scilicet, quando erit de fide & intelligentia sacræ Scripturæ interroganda, & ad disputandum contra Hæreticos vocanda, & ad expugnandos, & extirpandos, & eliminandos eos ab Ecclesia concitanda? Quasi dicat: oportet ut ipsi præbeamus auxilium, & ex parvula & inermi faciamus eam magnam, & fortem, & altam, & muniamus eam altis muris & mœnibus, & turribus, & propugnaculis: & ideo (*si* pro quia) quia *murus est*, id est, quia eam muris & mœnibus munivimus, & sepsimus, *ædificemus super eum propugnacula argentea*, id est, Imperatores & Principes ad defendendum Ecclesiam armis sæcularibus contra incursus infidelium: ut illi qui antè erant Ecclesiæ persecutores & impugnatores, sint ejus defensores & fautores ut Imperatores & Reges terræ, qui propter idola persequebantur antè Christianos, nunc ad fidem conversi deleant idola propter Christum, & fabricent noviter Ecclesias in honorem Christi, & templa idolorum in Ecclesias Christi faciant consecrari.

Item *si* (pro quia) *ostium est*, id est, feci eam ostium; vel feci ostium in eam ad introducendos fideles ad arcem Ecclesiæ & mœnia civitatis; ideo *compingamus*, & conjungamus, & claudamus *illud tabulis*, id est, portis *cedrinis*, id est, faciamus ipsi portas cedrinas: qui sunt Doctores, & prælati, & ministri Ecclesiæ, qui introducunt parvulos & simplices in Ecclesiam per Ecclesiastica Sacramenta. Unde Doctores & Prædicatores vocant parvulos ad arcem suis scriptis & prædicationibus: sed Prælati, & Ministri, & Sacerdotes introducunt eos per ostium, ministrando eis Ecclesiastica Sacramenta.

Et nota, quòd Prælati, & Doctores, & Ministri Ecclesiæ dicuntur *portæ Ecclesiæ*, in quantum introducunt bonos in Ecclesiam, & excludunt malos per Ecclesiasticam potestatem: sed dicuntur portæ *cedrinæ*, quoad quatuor proprietates & conditiones, quas debent habere omnis bonus Prælatus & Minister Ecclesiæ, sicut habet cedrus.

Nam quatuor proprietates habet *cedrus*. Primò enim est arbor altissima super omnes alias. Secundò, quòd est odorifera. Tertiò incorruptibilis, & immunis ab omni tinea. Quartò, quòd fugat & interficit serpentes, & omne animal venenosum fugat. Has ergo quatuor proprietates debet habere omnis bonus Prælatus & Minister Ecclesiæ. Primò, quòd sit altus in scientia sacræ Scripturæ; ut sciat invigilare super gregem, & vocare parvulos ad Ecclesiam per sacram doctrinam. Secundò, quòd redoleat fragrantiâ & odore virtutum, & bonæ famæ, & vitæ, ut non solum verbo, sed potius exemplo vitæ discant & sequantur ipsum simplices & minores. Tertiò, quòd sit incorruptus, & mundus ab omni vitio, ne alios inficiat. Quartò, quòd habeat Ecclesiasticam potestatem; ut per Ecclesiastica Sacramenta omne venenum peccatorum extinguat, & Hæreticos, & obstinatos, & incorrigibiles mucrone Excommunicationis excludat. Tales ergo Prælati, & Ecclesiæ Ministri dicuntur *portæ cedrinæ* ipsius Ecclesiæ. Sed omnia numera & bona spiritualia supradicta recepit Ecclesia à Christo Sponso suo post conversionem Magni Constantini: quia tunc facta fuit turris altissima, & munita, & inexpugnabilis, & secura.

Ideo

Ideo dicit Sponsa : *Ego murus* , id
est , facta sum murus , & civitas , &
turris bene murata : *& ubera mea* facta A
sunt *sicut turris* : quia Prælati non solum
nutriunt fideles lacte Sacramentorum &
doctrinæ sacræ Scripturæ , sed etiam de-
fendunt fideles & Ecclesiam contra Hæ-
reticos. Et sic non solum sunt *ubera* ad
lactandum , sed *turris* ad defendendum:
quia per eamdem doctrinam nutriunt &
defendunt fideles , & parvos contra magnos Hæreticos , & Infideles. Et omnia
ista habuit *reperiens quasi pacem coram*
eo , scilicet , Sponso meo Christo per
conversionem Constantini , & aliorum
Imperatorum & Regum : quia ex quo
facta sum libera *coram eo quasi pacem*
& quietem *reperiens* , liberata ex præ- B
teritis persecutionibus & afflictionibus,
ego jam sum *murus* , id est , civitas be-
ne murata , & munita ; & *ubera mea* fac-
ta sunt *turris* altissima & fortis , & præ-
sidium munitissimum.

Et nota, quòd notanter dicit, *Quasi pacem reperiens* : quia licèt ista Sponsa repererit pacem quiescendo à persecutione idololatrarum & Gentilium , tamen non quievit simpliciter & absolute ab omni pugna & persecutione : quia paulo post Constantinum incidit in persecutionem Hæreticorum , maximè Arianorum : quæ persecutio fuit sævissima & atrocissima per Wandalos in Africa , & per Gothos in Europa , scilicet , Italia, & Hispania , & per *Constantium* Impe- C
ratorem , & *Justinam* in Italia , & Græcia , ut patet in Ecclesiastica Historia. Sed postea surrexit secta Mahometica, quæ atrotiùs & vehementius vexavit , & continuè infestat Ecclesiam : & sic Ecclesia tamquam turris munitissima semper pugnat contra inimicos.

Ulteriùs est aduertendum , quòd tota ista particula potest intelligi , & exponi moraliter & mysticè , referendo ad naturam corruptam. Unde supra dixit Sponsus , quòd tota natura mater fuerat corrupta quoad sensualitatem & potentias naturales sub arbore prohibita ; & quod ibi fuit *violata* , id est , ab omnibus bonis gratuitis , & habitibus originalibus violenter expoliata ; & sic mansit prona D
ad omne malum , & inepta ad bonum faciendum. Et sic mansit parvula & infirma , non habens mammillas ad eliciendum ex se lac alicujus boni operis : & mansit imbellis ; quia diabolus & aper de-silva destruxerat sepem & murum ejus. Et ideo ista resistere non poterat diabolo , nec mundo , nec carni , nisi per gratiam Christi & ejus Sacramenta muniretur , & armaretur. Et ideo Christus reperiens eam sicut parvulam , & expoliatam , & inermem , & imbellem , munivit eam muro Sacramentorum , & armis virtutum. Et hoc est quod dicit.

Unde ait Sponsus de Sponsa : quòd
E Sponsa & *soror nostra* , scilicet tota humana natura , & quælibet anima , *parvula est* de se in fortitudine , & *non habet de se mammillas* , nec aliquod bonum spirituale : eò quòd in natura fuit corrupta , & omnibus bonis expoliata : *Quid* ergo *faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda* & impugnanda *est* ab inimicis , id est , carne , & mundo , & diabolo ? Quasi dicat : Oportet quòd muniamus & roboremus eam per gratiam, postquam nil boni habet per naturam. Ideo *si murus est* , muniamus eam muro fidei , & spei , & charitatis : & postquam sic fuerit muratus , *ædificemur super* mu-
F rum ejus *propugnacula argentea* donorum Spiritus sancti , & omnium moralium virtutuum : & *si est ostium* : id est, quia fecimus ostium in ea , per quod intramus ad eam per Baptismum : tunc *compingamus* & claudamus *eum tabulis*, id est , portis *cedrinis* humilitatis , & devotionis , bonæ vitæ , & sanctæ conversationis. Tunc anima devota sic muro virtutum munita dixit : *Ego* sum *murus* : id est , bene murata & roborata, *ex quo facta sum pacem reperiens* , id est , postquam per Christum & Ecclesiastica Sacramenta sum Deo pacificata & reconciliata.

G *Vinea fuit pacifico in ea , quæ*
habet populos:
adidit eam custodibus:
ir affert pro fructu ejus mille
argenteos.
Vinea mea coram me est.
Mille tui pacifici , & ducenti
his , qui custodiunt fructus
ejus.

HÆC est secunda particula tertiæ partis hujus decimi Cantici , in
H qua Rex Salomon ostendit , quòd Sponsa non solùm obligatur ad resistendum malo , & declinandum à malo , pugnando contra mundum , & carnem , & diabolum , & membra ejus , qui sunt Hæretici , & pravi homines , & infideles ; sed adhuc obligatur facere bonum erga Deum & proximum , ut reddat Sponso vices amoris. Et ideo sicut in superiori particula probavit , sive monuit Sponsus, qualiter Sponsa semper contra hostes debet pugnare , & hoc in quantum Ecclesia est quædam civitas mœnibus & muris munita, in qua continuè pugnant fideles: ita in hac particula monet , ut Sponsa sem-

semper laboret operando & faciendo bonum ; in quantum Ecclesia est quædam vinea , in qua fideles continuè laborant diversimode unusquisque in ordine suo. A

Et dicit : quòd ista *vinea* non est sita in loco arcto , sed est toto orbe diffusa *in ea* parte & regione *quæ habet populos* : id est , ubicumque sunt populi, & in omni parte mundi habitabili est ista vinea Christi Regis *pacifici*. Et dicit, quòd istam *vineam* toto orbe diffusam *tradidit custodibus* custodiendam , & cultoribus excolendam.

Nam primò ipse Christus Rex pacificus plantavit istam vineam in terra promissionis in illo Collegio Apostolorum , & Discipulorum , & justorum utriusque sexûs , ut dictum est *Cantico tertio & quinto* : & postea rigavit eam B sanguine suo , ut dictum est *Cantico sexto*. Postea *tradidit eam* Apostolis , qui ipsam vineam per totum orbem suis prædicationibus ampliarunt , & suo sanguine rigarunt. Et sic ista vinea *produxit suos palmites* ab Jerusalem usque ad fines terræ , & *à mari usque ad mare , & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, Psalm.* 71. & 79. Quia *in omnem terram exivit sonus eorum* , & prædicatio Apostolorum , & *in fines orbis terræ verba eorum , Psalm.* 18. & ad *Rom.* 10. Et sic istam vineam continuè ampliarunt & roborarunt Prælati , qui fuerunt successores Apostolorum : & roborarunt eam Martyres , & cæteri fideles multo labore. Sed jam fuit perfectè ampliata & confirmata & pacificata per conversionem C Constantini : & tunc Christus non solùm *tradidit eam* Prælatis ad custodiendum spiritualiter , sed etiam Imperatoribus, & Regibus , & Principibus Christianis ad regendum & custodiendum temporaliter , & cæteris fidelibus excolendam, ut unusquisque in suo ordine laboraret in hac vinea. Et sic non solùm posuit custodes , sed etiam cultores , ut excolerent & laborarent in ea , *dum dies est, antequam veniat nox , in qua nemo poterit operari , Joann.* 9. Et sic omnes laborant in hac vinea usque ad serò & vesperam mundi , *Matth.* 20. ut unusquisque colligat fructum & recipiat denarium in fine laboris , ut patet ibidem. D Et ideo dicit , quòd *vinea fuit pacifico*, id est , ipsi Christo , qui omnia pacificavit in sanguine suo , & attulit pacem mundo in cujus Nativitate cantarunt Angeli : *Gloria in excelsis Deo , Lucæ* 2.

Isti ergo *pacifico fuit* quædam *vinea*, quam ipse plantavit *in ea* regione & parte mundi *quæ habet populos* : id est ubicumque sunt populi. *Et tradidit* & commisit eam *custodibus* : id est Prælatis & regibus custodiendam , & cultoribus, scilicet , omnibus fidelibus Christianis excolendam : unde sicut omnes Prælati & E Principes mundi ad custodiendam & regendam hanc vineam unusquisque in suo ordine sunt per Christum constituti : ita omnes fideles sunt ad laborandum unusquisque in sua hora & ætate vocati & deputati : & sic tradita est cultoribus & custodibus.

Unde nota , quòd propter tria Christus dicitur *pacificus* : Primò , quia duo Testamenta , novum scilicet & vetus, per seipsum adunavit & concordavit , & tamquam terminus communis utriusque Testamenti fuit : scilicet finis unius , & principium alterius. Secundò , quia per sanguinem suum nos Deo Patri reconciliavit & pacificavit. Tertiò , quia duos populos , scilicet Judaicum & Gentilem, F sub una fide & Ecclesia congregavit & pacificavit : & ideo dicit: *Vinea fuit pacifico in ea* scilicet Ecclesia *quæ habet populos* , scilicet duos sub una fide conjunctos , scilicet Judaicum cum Gentili. Ideo dicitur *princeps pacis , Esaiæ* 9. Sed sicut Apostoli ampliarunt istam vineam per totum Orbem , & ditarunt eam bonis spiritualibus ; ita postea *Constantinus*, & Reges , & Principes Christianorum dotarunt & ditarunt eam bonis temporalibus.

Nam primò *Constantinus* ilico post conversionem consecravit palatium suum in Ecclesiam Salvatoris juxta portam Lateranam ; & postea ædificavit duas Basilicas in honorem Apostolorum *Petri* & G *Pauli :* & donavit Ecclesiæ urbem Romam cum toto patrimonio adjacenti, & septuaginta duas civitates in Italia cum multis aliis oppidis : & relictâ Italiâ , elegit sibi sedem apud Constantinopolim in Græcia : & sic exemplo ejus multi Reges & Principes facti Christiani , aut templa idolorum in Ecclesias consecraverunt; aut novas Ecclesias in honorem Christi ædificaverunt , & eas amplissimis donis & muneribus dotarunt & ornarunt. Totum hoc fecerunt , putantes per bona temporalia merita passionis Christi adipisci & participare , & quasi emere fructus hujus vineæ.

Ideo dicit Christus , quòd *vir*, id est Constantinus , & quilibet alius Rex, aut H Princeps Catholicus , & devotus Christianus *afferet* Christo *mille argenteos, pro fructu* hujus vineæ emendo & adipiscendo. Et ponitur numerus determinatus pro indeterminato magno numero : quia multa millia nummorum , & talentorum , & ponderum argenti obtulit & exposuit Constantinus, & alii Reges pro fructu hujus vineæ acquirendo: quia inæstimabile fuit pretium , quod Constantinus largitus est Ecclesiæ , cùm ipsi tradidit urbem Romam , quæ erat caput mundi ; & hoc

cum

cum suo adjacenti patrimonio. Et sic est dicendum de cæteris Regibus & Principibus Christianorum. A

Sed ne quis putaret, quòd postquam Christus tradidit istam vineam supradictis custodibus tuendam & regendam in absentia sua post Ascensionem, quòd propter hoc cessaverit ab ejus cura & custodia, nec amplius intenderet in ejus tutela: ideo subdit: *Vinea mea coram me est*, id est, semper est ante oculos meos, & invigilo super eam. quia principaliter custodio eam rogando Patrem, ne deficiat fides Petri. *Lucæ* 22. quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam:* quia semper mitto Angelos meos ad docendos Prælatos & populos, eos docendo & avisando, ut præcaveant futura pericula; & etiam ad B exterminandos inimicos & Saracenos, ut sæpius compertum est, ut patet & legitur in historiis Hispaniæ, & in historia Jerosolymitana. Ex quibus patet quod hæc vinea semper est coram Christo ad custodiam.

Deinde cum dicit: *Mille tui pacifici &c.* explicat diversitatem meritorum & præmiorum laborantium in hac vinea.

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd præsens Ecclesia respectu futuræ quandoque in sacra Scriptura dicitur *ager*, in quo seminamus. Sed futura Ecclesia dicitur *horreum*, in quo reponimus fructus gloriæ, quos hîc seminamus per gratiam: quia hîc seminamus C temporalia, ut colligamus spiritualia. Et ideo dicit *Apostolus* 2. *ad Corinth.* 9. quod *qui parcè seminat* in hoc agro hujus Ecclesiæ, *parcè metet* pro alio sæculo: & *qui seminat in benedictionibus*, id est, abundantia, *de benedictionibus*, id est, abundanter *metet* in alio sæculo. Item, præsens Ecclesia quandoque in sacra Scriptura dicitur *vinea*, in qua omnes laboramus per gratiam, plantando & colendo, ut colligamus fructus gloriæ in alio sæculo. Ideo dicit *Apostolus* 1. *ad Corint.* 3. quod *qui plantat & qui rigat in hac vinea unum sunt: unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum laborem suum.* Hoc idem patet *Matth.* 20. de illis qui per totam diem laborarunt in hac vinea: in sero autem acceperunt D denarium pro mercede. Ex quibus patet: quòd totum tempus hujus vitæ & vineæ est tempus laborandi, & colendi, & lucrandi, & merendi: & tempus Ecclesiæ futuræ est tempus metendi, & colligendi, & præmiandi, & fruendi. Hîc ergo laboramus, ut ibi colligamus, & metamus, & præmiemur, & fruamur: & hîc negotiamur, ut ibi otiemur, & satiemur, & quiescamus.

Est verum, quòd secundum mensuram & quantitatem meritorum laboris hujus vitæ erit ibi quantitas & mensura E fructûs & præmiorum: quia *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem*, ut inquit *Apostolus*. Et ideo dicit Salvator, *Matth.* 13. quod ex illo agro quidam collegerunt fructum trigesimum: quidam sexagesimum, quidam autem centesimum, prout quis magis, aut minus laboravit. Sed quia Christus verus Salomon & *pacificus* plus laboravit in hac vinea, quàm omnes cæteri: ideo absque proportione majus præmium, & majorem numerum fructuum & præmiorum collegit, & meruit colligere ex hac vinea: quia eam primò plantavit & excoluit, & tandem proprio sanguine rigavit, & augmentavit. Post Christum autem magis laboraverunt in F hac vinea Apostoli, & Martyres, quàm Doctores: & magis Doctores, quàm Eremitæ, & cæteri Confessores: & magis Religiosi, quàm conjugati: Ergo si fideles conjugati merentur fructum trigesimum, tunc Religiosi boni merentur sexagesimum, & Doctores centesimum, & Apostoli & Martyres ducentesimum. Et per consequens Christus, qui primo vineam plantavit, & sanguine suo rigavit, meretur millesimum, immò infinitum: & ideo *sedet à dextris*, id est in potioribus bonis Patris.

Et ideo Deus Pater tamquam justus & principalis Judex dispensator præmiorum, dicit ad Christum, in quantum homo G est: *Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructum ejus.* Unde ly *tui pacifici*, est genitivi casus hujus pronominis *tu*: id est, mille fructus meritorum & præmiorum erunt *tui* Christi *pacifici*. In Hebræo autem habetur: *Mille tibi Salomoni*, scilicet pacifico: & tunc est littera magis plana. Quasi dicat Deus Pater: *mille* fructus meritorum dabuntur *tibi pacifico*, qui plantasti hanc vineam, & rigasti eam sanguine tuo; & per consequens quia plus laborasti: sed *ducenti* fructus meritorum in præmium dabuntur *his*, scilicet Prælatis, & principibus, *qui custodiunt fructum ejus*, & ponitur utrobique numerus determinatus pro indeterminato: Nam Christus in H plantatione & rigatione hujus vineæ infinitum numerum meritorum adeptus est, non solum pro se, sed etiam ut posset membris suis dispensare, quia semper successivè dispensat merita suæ passionis, quæ collegit ex hac vinea: tamen nunquam explentur ejus merita, nec deficiunt: merita autem quæ dantur custodibus ex vinea, sunt finita.

Sed causa quare sunt sub numero ducentenario ista merita mensurata, est ista: Nam dicit Salvator, *Matthæi* 13. quòd ex illo agro per Christum seminato quidam collegerunt fructum *trigesimum*,

sicut

ſicut fueruut, & ſunt omnes juſti Conjugati : & quidam *ſexageſimum*, ſicut ſunt Virgines, & Continentes, & Religioſi : & quidam *centeſimum*, ſicut ſunt Martyres. Sed quia Prælati & Paſtores habent duplicem laborem in hac vinea, quia ſimul ſunt cultores ſicut cæteri ; & ultra hoc ſunt cuſtodes, invigilando ſuper Gregem ipſum prædicationibus & Sacramentis Eccleſiaſticis paſcendo & nutriendo : ideo colligunt duplicem fructum ex hac vinea. Nam ſi cæteris dantur centum fructus meritorum : ergo cuſtodibus & Prælatis in duplo laborantibus dabuntur ducenti. Et hoc eſt quod intendit dicere. A

Sed adhuc reſtat magnum dubium. Nam ſi Chriſtus tunc collegit *mille*, id eſt, innumerabiles fructus meritorum ex hac vinea, quando pro nobis paſſus eſt, & eam plantavit ; ſed poſtea cuſtodes & cultores colligunt continuè hos fructus ſecundum quantitatem laborum : quæritur An Chriſtus poſt paſsionem & aſcenſionem ſuam colligat fructus hujus vineæ ſimul cum cuſtodibus & cultoribus ? B

Ad hoc reſpondetur : quòd ſemper & continuè Chriſtus colligit fructus hujus vineæ ; & iſta vinea parit ipſi fructus novos.

Ad cujus intellectum eſt notandum: quòd omnia bona quæ fiunt in hac vinea, tam per cultores, quàm per cuſtodes, pariunt triplicem fructum : & hoc triplici, & diverſo reſpectu : eò quòd omnis bona operatio juſti cædit in triplex bonum, & triplicem fructum. Nam eleemoſyna quam facit unuſquiſque juſtus amore Chriſti, cedit in fructum Latriæ reſpectu Chriſti, quia offertur ipſi in Latriam; & cedit & parit fructum miſericordiæ reſpectu proximi, in quantum ſubvenit ipſi, & relevat ipſum à miſeria : & parit fructum meritorum reſpectu largientis & facientis eleemoſynam. C

Item, bona quæ faciunt Prælati & Sacerdotes in Eccleſia, exercendo & miniſtrando Sacramenta, & celebrando Divina officia & orationes, primò pariunt Chriſto fructum Latriæ, in quantum illa acceptat in ſervitutem & Latriam ſibi gratam. Secundò, pariunt toti populo fructum gratiæ. Tertiò, pariunt Prælato fructum meritorum : quia duplicem fructum colligit propter duplicem laborem. D

Item, bonus Prælatus, & Prædicator, & Religioſus triplicem fructum parit in bene vivendo & operando. Nam primò parit Chriſto fructum Latriæ. Secundò, parit ſibi fructum meritorum. Tertiò, parit cuilibet proximo, & toti populo fructum boni exempli: quia propter exemplum eorum omnes videntes, Deum glorificant. Ideo dicit Salvato omnibus Prælatis & Religioſis, *Matth* 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* Per oppoſitum autem, mali Prælati, & Sacerdotes, & Religioſi male vivendo : primò offendunt Deum. Secundò, occidunt animam ſuam. Tertiò, ſcandalizant populum. Ex quo patet, qualiter non ſolum cultores, ſcilicet populus, & Prælati cuſtodes, ſed etiam Chriſtus ſemper & continuè colligit fructus ex hac vinea : quia continuè colligit Latriam, quæ conſiſtit in tribus bonis ; ſcilicet in adoratione, & oratione, & oblatione: & continue colligit numerum electorum ex hac vinea. Et ideo multò plures fructus colligit Chriſtus ex hac vinea, quàm omnes Prælati ſimul & cuſtodes : & ideo Deus Pater arbitrer & Judex dicit: *Mille* fructus dabuntur *tibi pacifico* ex hac vinea, *& ducenti his qui cuſtodiunt fructum ejus.* Tacet autem de cultoribus: quia ſi cuſtodibus dantur *ducenti*, ſignum eſt quod cultoribus dimidio labore laborantibus dabuntur *centum* fructus, aut *ſexaginta*, aut *triginta*, unicuique ſecundum quantitatem ſui laboris, ut patet *Matth.* 13. Et ſic patet, qualiter cultoribus debetur *centeſimus* fructus hujus vineæ, & cuſtodibus *ducenteſimus* ; ſed Chriſto plantatori debetur *milleſimus.* E F

Item, cuilibet cultori hujus vineæ debetur *centeſimus* fructus, ſcilicet præmium eſſentiale per Divinam viſionem: ſed Martyribus, & Doctoribus, & Prælatis, qui fuerunt ampliatores, & cuſtodes hujus vineæ, debetur fructus duplex, ſcilicet *ducenteſimus* : quia ultra præmium eſſentiale debetur ipſis aureola, tamquam præmium accidentale: Chriſto autem plantatori debetur fructus *milleſimus*, id eſt, plenitudo omnium meritorum & præmiorum ad diſpenſandum: & ſic *ſedet à dextris*, id eſt, in potioribus bonis Patris. G

Quæ habitas in hortis,
Amici auſcultant te:
Fac me audire vocem tuam. H
Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes aromarum.

HÆC eſt quarta & ultima pars hujus decimi Cantici, in qua Sponſus vocat & appellat Sponſam ad recipiendum præmium ultimatum ſui laboris & peregrinationis, quod eſt præmium gloriæ. Unde poſtquam ſuperiùs vocavit eam ad laborandum in vinea ex

qua

qua collegit fructus meritorum, nunc autem finaliter vocat eam ad quietem in patriam cœleſtem, ut ibi recipiat ultimatum finem, & præmium beatitudinis, & colligat fructus gloriæ. A

Ad cujus intellectum eſt primò notandum: quòd iſta Sponſa tria petivit in primo Cantico, dum erat in ſtatu veteris Teſtamenti. Nam primò petivit oſculari à Sponſo: ſecundò trahi: tertiò introduci in thalamum, ſive cellaria ejus. Sed plebs Gentilis idololatriâ denigrata petivit alia tria: ſcilicet, cum Sponſa Iſraelitica ſociari & paſci, & ſub umbra Sponſi quieſcere ſimul cum illa: quæ omnia complevit Sponſus. Nam primò jam oſculatus eſt Sponſam Iſraeliticam per Incarnationem, ex ea carnem ſumendo. B Secundò, jam traxit eam, & vocavit per prædicationem: & jam introduxit eam in cellarium gratiæ per mortem & paſſionem, & Eccleſiaſtica Sacramenta, ut patuit à Cantico ſecundo uſque ad ſextum & ſeptimum incluſivè. Item, jam complevit petitionem plebis Gentilis: quia jam vocavit eam per Apoſtolos, & dealbavit eam à nigredine idololatriæ, & ſociavit eam cum plebe Iſraelitica ſub una Eccleſia, & pavit eam eodem pabulo gratiæ Sacramentorum & doctrinæ; & fecit eam quieſcere ſub umbra ſuæ protectionis & quietis: & introduxit eam in cellam vinariam, & in vineam Eccleſiæ, ut patet ab octavo Cantico uſque ad decimum incluſivè. C

Poſtquam autem Sponſus complevit petitionem Sponſæ quoad omnia quæ pertinebant ad gratiam, nunc in calce totius libri, & in fine Cantici vocat eam ad cellarium gloriæ, ſcilicet, in patriam cœleſtem, ut introducat eam ad ultimas nuptias, & ad thalamum & amplexum gloriæ, & paſtum ultimæ & æternæ fruitionis, *ſuper montes aromatum:* quod complebitur in die Judicii, quoad univerſam Eccleſiam; & completur particulariter in fine cujuslibet juſti.

Vocabit ergo Sponſus Sponſam in noviſſimo die ad recipiendum fructus gloriæ, dicens: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam.* D

Ad cujus intellectum eſt notandum, quòd dum Chriſtus fuit peregrinatus in carne mortali in hac via, ipſe loquebatur familiariter cum Sponſa prædicando, & miracula faciendo. Et ipſa loquebatur cum Sponſo petendo neceſſaria: quia *Magdalena* familiariter loquendo, ab ipſo petivit veniam ſuorum peccatorum: & ſic omnes infirmi familiariter loquendo petebant ſanari ab eo. Et omnes Apoſtoli & Diſcipuli familiariter loquendo cum Chriſto petebant doceri ab eo. Et ideo dicebat Sponſa in *Cantico tertio: Dilectus meus* loquitur *mihi & ego illi.* E Sed poſt aſcenſionem jam Sponſus non locutus eſt Sponſæ familiariter & perſonaliter, niſi per amicos Angelos mediantes: & hoc durabit uſque ad ſecundum adventum in noviſſimo die, quando nobis loquetur, poſt quod erit Judicium. Et tunc introducet Sponſam ad ultimas nuptias, id eſt gloriæ: & ibi Sponſa perſonaliter loquetur Sponſo verba laudis; & Sponſus gaudebit ſuper Sponſam, & abſque medio perſonaliter audiet vocem Sponſæ.

Unde Eccleſia per tria genera amicorum loquitur Sponſo pro ſtatu iſto. Nam primò loquitur ipſi per Angelos, qui revelant ſanctis hominibus & perfectis voluntatem Dei per viſibiles apparitiones, aviſando Eccleſiam de periculis futuris, vel revelando nobis ſecreta myſteria. Unde Angelus Domini extraxit *Petrum* de carcere: & Angeli revelarunt Apoſtolis propinquam ruinam Jeruſalem, monentes eos, ut recederent inde, ut patet in Eccleſiaſtica Hiſtoria. Et ſic Angeli ſunt mediatores inter Sponſam & Sponſum, prout fuit figuratum in viſione *Jacob*, qui videbat Angelos deſcendentes de Cœlo, & aſcendentes per Scalam, *Geneſ.* 28. & ſic dicit *Hieronymus ſuper Matthæum*, quòd *Angeli deferunt orationes noſtras apud Deum.* Et ita etiam dicitur in Canone Miſſæ: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per Angelum tuum in ſublime altare tuum.* G Et ſic patet, qualiter Angeli ſunt mediatores inter Sponſam & Sponſum.

Secundò, ſunt mediatores Sancti, qui in patria ſunt. Nam quia nos ſumus indigni exaudiri, ideo interponimus *Virginem Matrem* Chriſti, & omnes alios Sanctos, ut intercedant inter nos & Chriſtum Sponſum. Ideo dicimus: *Sancta Maria ora pro nobis*: & *Sancte Petre ora pro nobis.*

Tertiò, ſunt mediatores ipſi Sacerdotes, qui audiunt peccata noſtra per Sacramentum Confeſſionis. Ex quibus patet, quòd pro ſtatu iſto Sponſus non audit Sponſam familiariter, niſi per amicos ſuos: ſcilicet Angelos, & Sanctos, & Sacerdotes, tamquam per mediatores. Sed poſt diem Judicii, quia nulla erit miſeria, nulla neceſſitas, non erit opus interceſſione, nec aliquo mediatore. Sed liberata à miſeria hujus mundi Sponſa, Deum facialiter videbit, & facialiter eum in ſæcula ſæculorum abſque aliquo medio laudabit, & eo fruetur. Et hoc idem præſtabitur unicuique juſto, quando ab hac mortali vita ad aliam vitam immortalem transferetur. Et hoc eſt quod dicit Sponſus in fine hujus Cantici. H

Unde ait: O Sponſa *quæ habitas in hor-*

hortis Ecclesiæ Militantis offerendo mihi fructus Latriæ, & laborando in vinea, *amici* mei: scilicet, Angeli, & A Sancti, & Sacerdotes *auscultant te*, & audiunt vocem tuam, tamquam mediatores per me deputati; & ipsi deferunt mihi vota tua, tamquam intercessores: Ergo veni ad patriam cœlestem & recipe fructum ultimæ beatitudinis: & *fac me* in patria *audire* personaliter *vocem tuam*: scilicet, simul cum Angelis me in sæcula sæculorum laudando. Hoc autem dicit Sponsus; quia ibi in patria cessabunt oblationes & sacrificia, & cessabit omnis labor, sed solum vacabitur Dei laudibus, ut inquit *Augustinus* 22. *de Civit. Dei, cap. ult.* quia *beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, *Psalm.* 83.

Ulterius est notandum: quòd duB plices nuptias celebravit Christus cum Ecclesia Sponsa sua. Primæ fuerunt nuptiæ Redemptionis & Incarnationis, & mysticæ unionis: & ad has vocavit Sponsus Sponsam in primo adventu. Secundæ nuptiæ dicuntur nuptiæ glorificationis, ad quas vocabit Christus Sponsam suam in secundo adventu: de quibus dicitur *Apocal.* 19. *Gaudeamus & exultemus, quoniam venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se*: & hoc ostendit Salomon in calce & fine totius libri. Nam postquam Christus per supradicta decem Cantica vocavit Sponsam ad primas nuptias, dicens: *Veni de Libano Sponsa mea*, & celebravit cum ea nuptias redemptionis, dicens: *Venite amici* C *& comedite &c.* & ornavit eam ornamentis gratiæ, ut patuit *Cantico* 5. & 9. ideo in fine hujus libelli vocat eam in secundo adventu ad nuptias glorificationis, dicens: *Quæ habitas in hortis &c.*

Deinde Sponsa præbet Sponso spontaneum assensum, cum dicit: *Fuge dilecte mi, & assimulare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd ista Sponsa in statu veteris Testamenti petebat trahi à Christo, & currere in odorem unguentorum ejus: sed quando venit Christus in carne, effudit sua unguenta gratiæ: ad quorum odorem cucurrit Sponsa, ut patet per omnia Cantica supradicta. Ideo postquam D experta est odorem unguentorum gratiæ in præsenti, hinc est quod in fine hujus peregrinationis petit trahi à Sponso in cœlestem patriam, & currere in odorem unguentorum gloriæ ejus. Ideo dicit: *Fuge dilecte mi &c.* Quasi dicat ascende in Cœlum, & *trahe me post te*, & curram *in odorem unguentorum* tuæ gloriæ. Et sic patet, qualiter Salomon, sive ista Sponsa concludit finem sui Cantûs in hoc libro cum principio. Nam in principio petebat currere post Christum in odoE rem unguentorum gratiæ: in fine autem petit & desiderat trahi & currere in odorem unguentorum gloriæ.

Etiam iterum est notandum: quòd *caprea* dicitur capra silvestris: quæ quidem caprea habet quatuor proprietates. Quarum prima est, quòd valde fugit consortia hominum. Secunda, quòd in currendo & fugiendo est animal velocius & levius cæteris animalibus. Tertia, quòd semper petit ardua, & cacumina montium inaccessibilia. Quarta, quòd cum cætera animalia, tam volatilia, quàm quadrupedia cum vulnerantur, aut insequuntur à venatoribus dimittant filios, & fugiant; caprea tamen vexata à venatoribus, nunquam dimittit, nec deserit filium, sed innuit ipsi dando signum fuF gæ. Et trahit semper filium secum prævium, vel ad latus; & animando & concitando filium ad fugam, trahit, & ducit ipsum secum ad ardua & prærupta cacumina montium inaccessibilia hominibus; & sic salvat se & filium. Et has easdem quatuor proprietates habet *cervus*: & ideo filius cervi dicitur *hinnulus*: eò quòd annuit, & paret nutui & signo matris, fugiendo consortia hominum, & velociter sequendo matrem usque ad cacumina montium, ut salvetur cum matre. Vel *hinnulus* dicitur ab *hinniendo*; & est quoddam animal simile cervo, quod vulgariter dicitur *capreolus*: quæ quidem animalia maximè abundant in *Corsica*, quæ sunt velocissima cursu, similia G capreis supradictis quoad proprietatem. Christus ergo per has quatuor proprietates fuit *similes capreæ hinnuloque cervorum* in die Ascensionis.

Nam primò ipse fugit consortia, & miserias hominum mortalium. Secundò, fugit & ascendit velociter: quia in parvo spatio ascendit usque ad Cœlum Empyreum. Tertiò, petivit ardua & altiora: quia ascendit super omnes Cœlos, & Hierarchias Angelorum. Quartò, non dimisit fideles filios suos; immò eduxit eos de ergastulo & periculo inferni, & collocavit eos simul secum in cœlo: quia quando Christus ascendit in altum *captivam* secum *duxit captivitatem Psalm.* 67. Et ita faciet in novissimo die: quia H in corpore glorificato ab ista mundana miseria liberatam Sponsam suam universalem Ecclesiam collocabit *super montes aromatum* cœlestis beatitudinis. Et hoc idem facit continuè de qualibet anima justi post transitum ab hac vita mortali: & hoc est quod vult explicare Sponsa in fine hujus Cantici & totius libelli nuptialis & pastoralis.

Unde ait: O Sponse, tu dicis, quòd *faciam te audire* præsentialiter in cœlo *vocem meam*, & non loquar tibi amen-

amplius per amicos & interceſſores, ſed perſonaliter loquar tibi : & ego dico tibi , quòd jam cupio diſſolvi ab hoc corpore , & vitâ mortali , & miſera , & periculoſa ; & cupio eſſe tecum in cœlo. Ideo *fuge dilecte mi* ab hac mortali vitâ, & non ſis ſimilis lupo , & cæteris animalibus , quæ deſerunt filios , & fugiunt, ut ſolum ſalvent ſeipſa : ſed *aſſimilare*, & eſto ſimilis *capreæ , hinnuloque cervorum* , qui non deſerunt filios , ſed ſecum fugiendo ducunt & trahunt filios ad ardua montium , & ſic liberant & ſalvant eos : *Fuge* ergo tu *ſuper montes aromatum* , id eſt , ſuper montes altiſſimos & arduos Cœlorum , & Hierarchias Angelorum, ubi ſemper ſpirant aromara gloriæ : & fugiendo ad tales arduos montes, duc me tecum, ſicut capreæ & cervi ducunt ſecum hinnulos ſuos. Quaſi dicat : *Fuge* tu , quia ego ſequar te , ſicut hinnulus ſequitur matrem. Unde *hinnulus* dicitur , quia annuit & obedit nutui matris , & ſequitur eam. Ita ergo ſequar te in *montes aromatum* , & curram in odorem cœleſtis gloriæ & fruitionis , in quibus montibus Chriſtus paſcit oves ſuas herbis virentibus : de quibus dicitur *Ezech.* 34. *Ego ipſe requiram oves meas , & viſitabo eas , & liberabo eas de omnibus locis , in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis : & educam eas de populis , & congregabo eas de terris. Et educam eas in terram ſuam , & paſcam eas in paſcuis uberrimis & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua eorum : ibi requièſcent in herbis virentibus , & in paſcuis pinguibus.* Item *Pſalm.* 67. *Mons Dei mons pinguis: mons in quo Deo beneplacitum eſt habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.* Et ſic patet , qualiter Sponſa petit fugere cum Sponſo de fœtoribus hujus mundi , & habitare ſuper montes aromatum cœleſtis beatitudinis & fruitionis , ut ibi Sponſus audiat vocem laudis ejus.

Ex omnibus ergo ſupradictis in ſupradictis decem Canticis patet , qualiter Chriſtus Sponſus Eccleſiæ utriuſque Teſtamenti complevit deſiderium, & omnes petitiones , quas ſua Sponſa faciebat in veteri Teſtamento quas petitiones cantavit in primo Cantico. Nam primò, petebat oſculari oſculo Incarnationis. Secundò , petebat , ut Chriſtus Incarnatus effunderet ſua unguenta odorifera ad reparandam naturam humanam , & traheret ipſam , ut ipſa poſſet ipſum ſequi, & poſt ipſum currere in odorem unguentorum ejus. Tertiò , petebat , ut ipſam introduceret in cellaria ſua, ut ibi poſſet ſatiari talibus unguentis , & quieſcere cum Sponſo. Quartò, plebs Gentilis peregrina ſorde idololatriæ denigrata petebat dealbari. Quintò, cum plebe Iſraelitica ſociari. Sextò , cum ea paſci bonis ſpiritualibus. Septimò , ſub umbra Sponſi quieſcere & tutari.

Has quidem petitiones Chriſtus adimplevit : nam primò venit in carne, & per conſequens oſculatus eſt Sponſam, uniendo ipſi naturam noſtram in unitate ſuppoſiti : & poſtea uniendo ipſi totam Eccleſiam in unitate myſtica , ut patuit in *ſecundo Cantico.* Secundò , adimplevit ſecundam petitionem : quia effudit decem genera unguentorum aromaticorum, quibus ad ſe traxit omnes fideles , & omnes cucurrerunt & currunt poſt eum in odorem unguentorum ejus , ut patuit in 3. & 4. *Cantico.* Item tertiò , adimplevit tertiam petitionem : quia Sponſam introduxit in thalamum ſuum , & ipſam dotavit , & ornavit bonis & ornamentis ſpiritualibus , ut patuit *in* 5. *Cantico.* Item quartò , implevit ſextam petitionem : quia de Cruce omnes vocavit ad comedendum & bibendum ſalutiferum cibum & potum ſuæ paſſionis , ut patuit *in* 2. *Cantico.* Item adimplevit quartam & quintam petitionem : quia plebem Gentilem per Apoſtolos ſuos à nigredine idololatriæ dealbavit , & ornamentis ſpiritualibus decoravit , & cum Sponſa de populo Iſraelitico in unam Eccleſiam ſociavit, ut patuit in *Cantico* 8. & 9. Item ſeptimò , adimplevit ſeptimam petitionem: quia Sponſam ſuam ex utroque populo congregatam ſub proſpero favore ſuo amplexus eſt , & ſub umbra & amplexu ſuo protexit , & copiâ bonorum ſpiritualium & temporalium ditavit , & locupletavit: quia divitiis ſpiritualibus & temporalibus *affluens innixa ſuper dilectum ſuum* tempore *Conſtantini* , & ejus ſucceſſorum in mundo apparuit : quam dilectus ejus *ſub arbore malo* , id eſt, ſub umbra Crucis *ſuſcitavit* & in civitatem Eccleſiæ muro inexpugnabili & propugnaculis munitam ad pugnandum contra Hæreticos & Infideles introduxit ; & exinde in vinea hujus Eccleſiæ per gratiam ad laborandum , & lucrandam mercedem collocavit ; tandem autem ad ſupernos montes aromatum ad fruendum per gloriam appellavit , ut patuit in iſto 10. & *ultimo Cantico.* Ex quibus omnibus patet , qualiter Chriſtus Sponſus Eccleſiæ in ſuo adventu complevit totum deſiderium Sponſæ ſuæ , & ſatisfecit omnibus ſeptem petitionibus , quas expoſuerat in primo Cantico.

Ulterius eſt etiam advertendum , ſicut dictum fuit in principio , & etiam in *Cantico ſecundo* , quòd Salomon in hoc libello voluit cantare & deſcribere mutuum amorem Chriſti ad Eccleſiam Sponſam ſuam , & econverſo : & quomodo Chriſtus voluit oſtendere omnia ſigna &

effectus amoris erga Sponsam suam, scilicet Ecclesiam, quos potest ostendere amicus ad amicum. Unde dictum fuit in *secundo Cantico*, quòd viginti sunt effectus veri amoris & charitatis. A

Primò, quia zelat non patiens malum in amato. Secundò, quia non patitur moras absentiæ. Tertiò, quia cum diligentia quærit amatum. Quartò, quia trahit amantem ad amatum. Quintò, quia langue facit amantem. Sextò, quia liquefacit cor ejus ab omni duritia. Septimò, quia vulnerat cor ejus. Octavò, quia inebriat amantem. Nonò, quia inflammat. Decimò, quia urit. Undecimò, quia unit amantem cum amato. Duodecimò, quia fortiter inhæret. Decimotertiò, quia fortiter tenet, postquam reperit amatum. Decimoquartò, quia ordinat B voluntatem, & omnes actus amantis erga amatum. Decimoquintò, quia non quærit quæ sua sunt, sed quæ amati. Decimosextò, quia ad mortem se exponit pro amato. Decimoseptimò, quia magis est in amato, quàm in seipso. Decimooctavò, quia transformat amantem in amatum. Decimononò, quia in eo extaxim & soporem facit. Vigesimò, quia in amato statuit in æternum quiescere. Et ideo Christus tamquam verus Sponsus & amator humanæ naturæ & Ecclesiæ Sponsæ suæ, omnes supradictos viginti effectus ostendit erga Ecclesiam Sponsam suam.

Nam primò, non patiens malum C culpæ, nec maculam peccati, nec jugum servitutis in Sponsa sua, nec patiens moras ejus absentiæ, de cœlo in terram descendit, & venit *in similitudinem carnis peccati*, ut peccatum nostrum damnaret in carne, & tolleret culpam nostram, & nos à servitute peccati liberaret: & sic ostendit primum & secundum effectum amoris, ut patuit in *secundo Cantico*.

Item, cum diligentia & labore cum sua prædicatione, & doctrina, & operatione miraculorum nos quæsivit, & ad se traxit, ut patuit in *tertio & quarto Cantico*. Et sic ostendit tertium & quartum effectum amoris.

Item querendo nos, amore languit & totus liquefactus fuit, & amor noster D vulneravit cor ejus. Ut patuit in *Cantico* 5. Et sic ostendit quintum, & sextum, & septimum effectum amoris.

Item charitas inebriavit ipsum in Cruce, & inflammavit & ussit, & transformavit ipsum in amorem suæ Sponsæ, in tantum, quod extasim mortis fecit in Cruce: quia dum ibi dormivit, cor ejus vigilabat in nostra redemptione, ut patuit in *Cantico sexto*: in qua Cruce ostendit omnes viginti effectus amoris, ut possunt patere intuenti, & devotè contemplanti omnia quæ dicta sunt in illo sexto Cantico, & etiam in decimò Can- E tico, ubi dicit Christus: *Sub arbore malo suscitavi te &c.* Item ibidem: *Pone me ut signaculum super cor tuum: quia fortis est ut mors dilectio, & dura ut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum &c.*

Sed ultimum effectum amoris, quod est in æternum velle quiescere in amato, ostendit Christus erga Sponsam in fine totius libelli, cùm vocavit eam ad æternas nuptias gloriæ, dicens: *Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam &c.*

Sed omnes hos supradictos viginti effectus amoris ostendit Ecclesia erga Christum Sponsum suum volens repen- F dere, & reddere vices amoris, quoad seam possibilitatem: quærendo Sponsum, & currendo post ipsum, & tenendo ipsum fortiter, ut patuit in *tertio Cantico & sexto*; & patiendo persecutiones & tormenta usque ad mortem pro fide Sponsi, ut patuit in *nono Cantico*: & jugiter laborando in vinea Sponsi, ut patuit in *decimo Cantico*. Et tandem vocata ad ultimas nuptias gloriæ, fugiendo pericula, & miserias hujus sæculi, secuta est Sponsum, ut patet in calce & fine totius hujus libelli. Ex quibus patet, qualiter Salomon in hoc libello prophetice cantavit mutuum amorem Christi ad Ecclesiam, & econverso, quem Christus os- G tendit in suo adventu, operando nostram redemptionem & reparationem.

Sed quia quod dicit Apostolus de tota Ecclesia, scilicet, quòd est *desponsata uni viro Christo*, verificatur etiam de qualibet anima fideli, ut inquit *Augustinus libro de Sancta Virginitate*; hinc est, quòd pro majori parte omnes sancti exponentes hunc librum, non multum curarunt de sensu Prophetico: quia jam præsupponebant fidem: sed omnes insudarunt circa sensum moralem, in quantum anima cujuslibet fidelis debet laborare reddere vices amoris Sponso suo Christo, & quærere eum per bona opera, & relictis rebus mundanis jungi & inhærere ipsi per bona opera, & per gratiam, & fidem, & charitatem, ut post hanc vitam H mortalem jungatur ipsi per gloriam. Et hæc fuit sancta sollicitudo omnium sanctorum antiquorum circa Expositionem hujus libri.

Sed quia novimus nostris temporibus fidem minui & tepescere, & ex diminutione fidei charitatem frigescere: quod forte accidit ex ignavia & diminutione studii sacrarum litterarum; quia *à maximo usque ad minimum omnes student avaritiæ* & honoris hujus sæculi, ut inquit Apostolus: Et quia etiam novimus nostris temporibus complures recidivantes

tes à vera fide & intelligentia sacræ Scripturæ apostatasse, & ad vomitum cærimoniarum Legis Mosaicæ animum diabolica fraude deceptum revocasse, & forsan in mortifero ritu perseveravisse: Ideo mihi visum fuit in *Libro Psalmorum David*, & in hoc libro Canticorum Salomonis cum divino auxilio sensum propheticum perscrutari & investigare, ut mysteria veræ Fidei Euangelica, quæ maxime in his duobus libris propheticè latebant, in lucem simplicibus Sacerdotibus, & cæteris fidelibus manifestentur: ne Judæi obstinati & cæci cum suis mendacibus & callidis figmentis possint veritatem fidei in Scriptura veteris Testamenti, latentem simplicibus Christianis occultare, & ad falsum sensum pervertere, atque retrahere.

Et ideo cum charitate & humilitate rogo omnes fideles Christianos, ut cum charitate velint legere hunc libellum Salomonis cum præsenti expositione. Quia nil aliud ostendit, nisi qualiter Christus Deus & homo Verbum incarnatum est metrum, & mensura, & principium, & fons, & largitor omnium bonorum, & reparator humanæ naturæ lapsæ per peccatum primorum parentum: quam quidem naturam sanavit & reparavit per decem unguenta, quæ effudit per totum mundum, prout dictum est in *primo Cantico*: sine quo nihil est bonum, nihil sanctum, nihil perfectum, nihil sanum, nihil validum & firmum. Qua quidem Expositione habitâ, faciliter unusquisque mediocriter eruditus poterit ad expositionem moralem pervenire, applicando ea quæ dicuntur de tota Ecclesia unicuique animæ fideli & devotæ.

QUÆSTIO FINALIS pro complemento hujus Operis.

§. I.

SED quia dictum fuit in primo Cantico, qualiter tota humana natura expectabat & petebat Christum, ut sanaret eam per effusionem unguentorum suorum, ut in odorem eorum omnes possent currere post Christum; & dictum est etiam per omnia Cantica sequentia, qualiter Christus effudit unguenta aromatica suæ prædicationis, & mortis, & passionis, quibus reparavit ruinam humanæ naturæ, & sanavit infirmitates omnium nostrûm; & sic concluſum est in fine hujus libelli Christum fuisse metrum, & mensura, & principium & fontem omnium bonorum, & reparatorem humanæ ruinæ: ideo ad majorem declarationem eorum quæ dicta sunt, quæritur.

Utrum solus Christus sit metrum, & mensura, & largitor omnium bonorum, & reparator humanæ naturæ; ita quòd à nullo alio ruina humanæ naturæ potuerit reparari: sed quòd oporteat omnes currere in odorem unguentorum ejus, ad quodlibet bonum consequendum?

Et arguitur primò, quod non. Nam ante adventum Christi fuerunt multi viri sancti & virtuosi in veteri Testamento, qui præter Christum consecuti sunt virtutes: quia Christus nondum venerat. Ergo Christus non est principium & largitor omnium bonorum.

Item secundò, non solum in populo Hebræorum, sed etiam in populo Gentili fuerunt multi Philosophi virtuosi, sicut fuit *Socrates*, & *Plato*, & *Pythagoras*, & cæteri. Et apud Romanos fuerunt multi viri famosi, qui gesserunt & fecerunt opera memoratu dignissima: sicut fuit *Brutus*, & *Fabricius*, & *Cato*, & *Scipiones*, & *Marcus Regulus*, & cæteri, quos Romana commendat historia. Et tamen illi nunquam habuerunt notitiam de Christo.

Item, hoc idem patet apud Saracenos, inter quos reperitur magna justitia, & multi viri eleemosynarii & misericordes: sed Saraceni non colunt, nec sequuntur Christum, nec Legem ejus: ergo sequitur, quod præter Christum sunt boni.

In oppositum autem est illud *Joannis primo: Omnia per ipsum facta sunt: & vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, de cujus plenitudine omnes accepimus.* Item *cap.*15. *Sine me nihil potestis facere.* Item *Actor.*4. *Non est aliud nomen sub Cœlo in quo nos oporteat salvos fieri &c.*

Respondetur quod veritas hujus quæstionis comprehendit quasi totam Theologiam viatoris. Ideo ut ab omnibus simplicibus fidelibus intelligatur & capiatur, oportet quod humano & simplici modo pertractetur: quia hìc non movetur nisi ad simplicem intelligentiam simplicium Sacerdotum, & Religiosorum, & cætetorum fidelium. Ideo pro ejus decisione erunt quatuor articuli.

Nam in primo declarabuntur quidam termini cum quibusdam distinctionibus, ne laboremus in æquivoco.

In secundo autem videbitur, qualiter humana natura bona per Deum creata, fuit per peccatum primorum parentum dissipata.

Tertio verò videbitur, qualiter per Christum fuit sufficienter per gratiam & gloriam reparata.

In quarto autem articulo movebuntur & solventur quædam dubitationes multum utiles & necessariæ.

§. II.

SUPER ART. 1.

QUantum ergo ad *primum articulum* est primò advertendum: quod ista tria nomina, scilicet, *perfectio*, sive *perfectum*, & *optimum*, & *bonum*, idem substantialiter significant: sed differunt penes modos significandi. Nam *perfectio* dicitur in quantum perficit rem: & sic perfectum dicitur, quod per aliquam perfectionem perficitur. *Optimum* autem dicitur, in quantum est optabile & appetibile propter talem perfectionem. *Bonum* verò, dicitur, in quantum beat; id est, contentat, & sufficienter satiat appetitum. Et sic omne perfectum est appetibile, & omne appetibile dum possidetur, beat & contentat, & satiat, & quietat appetitum habentis: nec est curandum de consuetudine Grammaticorum, qui hoc nomen *optimum* per supplementum assignant in comparatione summi gradus respectu hujus nominis *bonum*, dicendo *bonum*, *melius*, *optimum*.

His ergo habitis ponitur *prima distinctio*: scilicet, quòd bona sunt in triplici genere. Nam quædam dicuntur *bona naturæ*, quædam *bona gratiæ*, & quædam *bona gloriæ*: nec est necesse poni quartum genus. Nam bona moralia, & bona fortunæ sunt per se bona naturæ: sed propter peccatum primi hominis amiserunt nomen post lapsum, prout patebit. Unde *bona naturæ* hominis sunt illa quæ naturaliter perficiunt ejus naturam ad suas naturales operationes sibi proportionatas. *Bona autem gratiæ* sunt illæ perfectiones præter naturam à solo Deo gratis datæ, & naturæ superadditæ ad sublimandum eam supra ejus facultatem, vel ad supplendum defectum ejus, prout patebit in *tertio* & in *quarto articulo*. *Bona* vero *gloriæ* sunt illa quæ supernaturaliter & perfectè beatificant hominem in altero sæculo.

Secunda distinctio. *Bona naturæ* sunt in quadruplici genere. Nam quædam dicuntur bona speciei, & quædam bona modi, & quædam bona ordinis, & quædam bona finis naturæ hominis proportionati. *Bona* quippe *speciei* sunt illa, quæ immediatè perficiunt speciem ab intrinseco: sicut sunt potentiæ animæ, quæ oriuntur ab anima, & per consequens fluunt ex principiis speciei, & sunt accidentia consequentia formam, & principia operandi & vivendi: sicut sunt potentiæ & vires vegetativæ, & sensitivæ, & appetitivæ, & intellectivæ. Ista enim dicuntur *bona naturæ speciei*; quia immediatè ab intrinseco perficiunt naturam specificam, & sunt immediata principia operandi. Sed est aliud bonum perficiens speciem ab extrinseco quod est esse actualis existentiæ, influxum à primo ente, perficiens, & actuans, & suppositans naturam, & constituens eam in esse actualis existentiæ. Et ideo *Aristotel.* 1. *Posteriorum*, genus & differentiam ponit in *primo modo dicendi per se*: eò quòd sunt principia essentialia ipsius speciei. Sed accidentia propria consequentia formam ponit in *secundo modo*, eò quòd fluunt ex principiis speciei, & ex forma: sed esse actualis existentiæ ponit in *tertio modo*; eò quòd actuat & perficit totam speciem cum suis potentiis, & contrahit ipsam ad actum individualem & personalem: & sic competit primæ substantiæ. Est verum quòd *Boetius* in Libello *de Hebdomadibus* ponit esse existentiæ in secundo modo dicendi per se, tamquam primum bonum naturale, quod omnia appetunt. Et sic patet, qualiter potentiæ animæ, & esse actualis existentiæ dicuntur bona naturalia ipsius speciei immediata. Bona autem naturalia modi, dicuntur habitus & dispositiones potentiarum animæ; eò quòd naturaliter modificant & perficiunt eas, & habilitant ad suas naturales operationes, sine quibus potentiæ non possent exercere operationes suas, nec exire in actum sentiendi. Nam sicut potentiæ sensitivæ non exirent in actum sentiendi nisi actuarentur & disponerentur per species suorum objectorum: ita pariter potentia intellectiva non intelligeret, nisi disponeretur per species intelligibiles, aut habitus objectorum: & sic habitus & dispositiones dicuntur perfectiones potentiarum.

Bonum autem *ordinis naturæ* hominis est, quòd partes inferiores subjiciantur & obediant superioribus, scilicet, quòd caro & sensualitas obediant rationi, & voluntati rationali; & voluntas obediat Deo, & sit conformis per omnia divinæ voluntati: Ista ergo se habent per ordinem, scilicet, anima, potentiæ, habitus, sive dispositiones, & ordo operationum, sive ordo in operando.

Bonum tandem *naturalis finis* ipsius hominis, ejus naturæ proportionati, erat ante lapsum, ut perpetuaret vitam felicem in illo terrestri paradiso cum dominio & imperio super omnia animalia, & plantas, & mineralia, utendo eis liberè ad suam facultatem. Et hoc erat ipsi præmium meritum, & promissum pro ejus laboribus: & sic patent quatuor bona naturæ homini debita & proportionata.

Tertia distinctio: quod licet omnes gratiæ conveniant in hoc, quòd omnes sunt à solo Deo gratis datæ, & naturæ superadditæ: tamen aliqua est gratia, quæ non solum est à Deo gratis data, sed etiam est gratum faciens habentem. Et ista est gratia habitualis, quæ datur in Baptis-

tiſmo, & Confirmatione, & Pœnitentia, qua perficit totam eſſentiam animæ, & facit hominem Deo gratum & acceptum ex ſolis meritis Chriſti, cujus homo per talem gratiam imaginem gerit, & Chriſto configuratur: omnes autem aliæ gratiæ perficiunt potentias animæ, & non ſemper gratificant habentem apud Deum: ſicut eſt gratia poteſtativa Ordinis, & gratia ſanitatum, & prophetiæ, & gratia ſermonum &c. quæ quidem dona gratiarum dantur ad utilitatem totius Eccleſiæ, prout ait *Apoſtolus primæ, ad Corinth.* 12. A

Quarta diſtinctio: quod præter gratias habituales ſupradictas reperitur & memoratur in ſacra Scriptura quædam gratia, quæ dicitur motiva, & auxiliativa liberi arbitrii, ſine qua homo poſt lapſum non poteſt reſiſtere tentationibus interioribus, nec vitare peccata, nec implere divina præcepta, ut infra patebit. Quam quidem gratiam defendit *Auguſtinus* contra Pelagianos: & dividit eam in *prævenientem*, & *incipientem*, & *operantem*, & *perficientem &c.* Et *Magiſter ſententiarum in* 2. *diſtinct.* 26. dividit eam in *prævenientem*, & *ſubſequentem*, in quas partes non poteſt dividi gratia habitualis gratifica: quæ licèt habeat gradus, tamen introducitur in inſtanti per Sacramenta; iſta autem datur præter Sacramenta, ut infra patebit. B

Quinta diſtinctio: quod bonorum gloriæ quædam ſunt bona corporis, ſicut immortalitas, ſive impaſsibilitas, & claritas, & ſubtilitas, & agilitas; & quædam pertinent ad animam, ſicut viſio divinæ eſſentiæ: & quædam pertinent ad utrumque, ſicut viſio humanitatis Chriſti, & fruitio, & ſecura poſſeſsio: quia homo glorificatus poſt Reſurrectionem, per ſenſus exteriores videbit humanitatem Chriſti, & per oculos mentis videbit humanitatem cum divinitate: & ſic totus homo videbit totum Chriſtum: & ſic totus homo in corpore & anima beatificabitur, & fruetur bonis gloriæ. C

§. III.

SEcundò eſt valde advertendum & notandum: quòd tres perplexus fuerunt apud Philoſophos ante adventum Chriſti, quos ipſi numquam potuerunt ſolvere, nec ad eorum cauſæ cognitionem pervenire. Quorum primus eſt, quod omnibus eſt inſitus naturaliter quidam appetitus cujuſdam ſtatûs vitæ felicis abſque omni defectu & miſeria: putà, quia omnes naturaliter deſiderant vitam immortalem: quia omne ens appetit permanere in hoc ſæculo, & deſiderant hanc immortalem vitam ſine omni defectu & miſeriâ, cum ſufficientia omnium bonorum ad ſacietatem appetitûs: quam vitam omnes putant eſſe beatam. Sed quia videbant Philoſophi quòd talis ſtatus non poteſt haberi in hac vitâ, nec unquam aliquis habuit ipſum ſtatum: ideo mirabantur Philoſophi, unde inerat omnibus talis appetitus? Et unde privatio talis ſtatûs? cùm appetitus naturalis non ſit fruſtrà: quia videntur iſta duo contradici; ſcilicet, quod ſit naturalis appetitus omnibus inſitus, & quod ſit fruſtrà: & ſic erant Philoſophi in hoc perplexu ante adventum Chriſti. D E

Secundus perplexus Philoſophorum fuit, quòd omnes experimur in nobis quamdam perverſam inclinationem in carne & ſenſualitate, totaliter contrariam & repugnantem ſupradicto naturali appetitui, & tollentem, & impedientem totaliter effectum & finem ejus; immò inducentem ad totum oppoſitum. Et hoc videmus manifeſtè. Nam inclinatio prava & appetitus carnis ducit hominem in varias & peſsimas infirmitates, abbreviantes vitam hominis uſque ad interitum; ut patet de Gula & Luxuria. Item Luxuria non ſolùm inducit varias ægritudines, ſed etiam cauſavit in mundo varia bella, & ſeditiones, & homicidia: ut patet de *Bello Trojano* propter raptum *Elenæ*: & de *Bello fraterno Thebanorum:* & inter *Atreum* & *Thriſten*: & de *Bello Tarquiniorum* propter ſtuprum *Lucretiæ* &c. Item propter cupiditatem dominandi, & divitias acquirendi multi perierunt, ut non ſolum ſæcularis, ſed etiam ſacra teſtatur hiſtoria: quia omnia impediunt, & auferunt vitam hominis, & inducunt infinitas miſerias, contra omnem felicitatem quam naturaliter unuſquiſque deſiderat & appetit. Et iſte fuit ſecundus perplexus, quem Philoſophi nunquam potuerunt abſolvere. F G

Tertius perplexus apud Philoſophos fuit: quòd omnes Philoſophi cognoverunt iſtum inordinatum appetitum ſenſitivum eſſe perverſum in homine, contra totum ordinem naturæ, & totius univerſi. Nam in ordine naturæ omnia inferiora ſubordinantur & obediunt ſuperioribus: ut elementa obediunt corporibus cœleſtibus, & cœli obediunt Intelligentiis moventibus: & omnes intelligentiæ obediunt primæ, & movent propter Deum amatum & deſideratum, ut patet 12. *Metaphiſ.* & *primo Cœli*, & *primo Metheororum.* In ſolo autem homine reperitur iſte perverſus ordo: quia ſenſualitas & caro, quæ eſt pars inferior & vilior, ſemper pugnat adverſus ſpiritum & animam, id eſt, adverſus rationem, quæ eſt ſuperior & nobilior, & ſemper reſiſtit ipſi, & ut plurimum trahit voluntatem rationalem, ut ſibi conſentiat in ſuo pravo appetitu. Et ſic licet unuſquiſque cognoſcat talem pravam inclinationem eſſe contra rationem, H

&

& contra virtutes morales, & contra Legem Dei : tamen omnes pro majori parte temporis sequuntur sensualitatem, contra conscientiam & divina præcepta. Et tamen ante adventum Christi nullus Philosophorum potuit reddere rationem, unde proveniat talis perversitas in solo homine, & tale monstrum in humana natura. Immò volentes Philosophi inquirere de hac perversitate inciderunt in diversos errores. A

Unde *Anaxagoras* dixit, hoc monstrum accidisse in principio mundi, quando omnia erant confusa in illo chao : quod quando ille intellectus separando discordia, & combinando concordia creavit omnia recta & ordinata in sua natura ; tamen non rectè compaginavit hominem: quia compaginavit carnem sic malè dispositam, & discordem cum anima rationali : & ideo sicut tunc in illo chao ista duo erant discordia ; ita & nunc : ideo semper discordant, & pugnant inter se adinvicem in homine, contra totum ordinem universi. B

Alii autem Philosophi dixerunt, hoc evenire ex cœlestibus constellationibus, sub quibus homines generantur & nascuntur. *Aristoteles* autem non ausus est clarè solvere hanc difficultatem : immò quandoque videtur sibi contradicere. Nam quandoque dicit sensualitatem esse naturaliter inclinatam ad malum, sed cum grandi difficultate per virtutes morales posse domari : & quandoque dicit, quòd felicitas quæ per morales virtutes acquiritur, est donum deorum ; & per consequens etiam ipsæ morales virtutes, in quarum operatione consistit, & acquiritur felicitas, essent donum Dei, & non naturæ. Et sic *Aristoteles* non potuit reddere hujus causam. C

Manichæi autem, volentes reddere causam hujus perversi ordinis & monstri, dixerunt, in homine esse duas animas : unam bonam, factam ex substantia principis lucis : alteram malam, factam ex substantia principis tenebrarum: ideo in homine erat continua pugna. D

Origeniani autem sibi falsum nomen imponentes, dixerunt, ante hujus mundi constitutionem omnes animas fuisse in Cœlo conversatas, & peccasse contra Deum : ideo fuerunt postea positæ in corpora malè complexionata : & ideo est continua pugna inter carnem & animam. Quas quidem detestabiles opiniones improbat *Augustinus*, *contra Manichæos* in libro *de Duabus animabus*, & in libro *de Natura boni*. Ex quibus patet, quòd nec Philosophi, nec Hæretici potuerunt solvere tres supradictos perplexus: eò quòd non noverunt sacras Scripturas, in quibus fuit nobis revelatum, qualiter ista mala fuerunt humanæ naturæ inflicta in pœnam peccati primorum parentum, ut in sequenti articulo patebit. E

Sed nunc restat quartus perplexus qui scandalizat, & facit titubare simplices Christianos in hoc tempore. Nam nos videmus homines scientificos, & sacris litteris eruditos, qui ex sacra Scriptura sciunt reddere causas supradictorum malorum, & solvere perplexus supradictos, & sciunt, & prædicant, qualiter nemo potest evadere pœnas æternas, nec consequi vitam æternam, nisi per observantiam Legis Euangelicæ: & sciunt, quòd *superbis Deus resistit*, *humilibus autem dat gratiam* : & tamen complures eorum videmus inflatos tumore superbiæ. Item sacra Scriptura, quam prædicamus, nil aliud clamat nisi bona temporalia esse transitoria & falsa, & per consequens contemnenda ; & bona futura quærenda : tamen nos videmus complures eorum esse sauciatos avaritiâ, & luxuriâ, & ambitione bonorum & dignitatum ; & sic faciunt totum oppositum eorum quæ sciunt & prædicant. F

Item, videmus omnes principes & reges terræ, & prælatos Ecclesiæ scientes se reddituros rationem de suis omnibus subditis à maximo usque ad minimum : & hoc sub comminatione pœnæ æternæ. Et tamen plures eorum extorquentes bona temporalia cum sollicitudine, ita contemnunt salutem & utilitatem populi, ac si nunquam essent morituri, nec rationem Deo reddituri: Ideo iste perplexus scandalizat simplices fideles, & facit eos titubare. Sed inserius solvetur iste perplexus, ubi videbitur, qualiter præter scientiam & fidem est necessaria gratia auxiliativa liberi arbitrii, ad vitandum omne malum, & adimplenda divina præcepta. Et hoc de primo Articulo. G

§. IV.

SUPER ART. 2.

H QUantum autem ad *secundum Articulum* ponuntur octo Conclusiones de mente *Augustini* contra Pelagianos. Quarum prima est ista:

Adam fuit creatus cum omnibus quatuor bonis naturæ. Ista Conclusio sic probatur ex sacra Scriptura, *Genes.* 1. Nam *omnia quæ fecit Deus*, *erant valde bona*, id est, integrè & perfectè bona, & non diminutè secundùm integritatem & sufficientiam suæ naturæ : ut dicit Glossa: quia omnia fecit Deus *in numero*, *pondere*, & *mensura*, *Sapient.* 11. aut sub specie, & modo, & ordine ; & per consequens propter aliquem finem : ut inquit *August.* 4. *super Genes.* Ergo sequi-

quitur, quod Deus creavit hominem cum omnibus bonis proportionatis ejus naturæ, & sufficientibus ad integritatem & necessitatem ejus. Sed quatuor sunt bona necessaria ad integritatem, & sufficientiam humanæ naturæ: scilicet, species, modus, & ordo, & finis homini sufficiens & proportionatus, ut dictum est. Ergo cum omnibus istis bonis fuit creatus homo: unde bona speciei hominis sunt potentiæ, & proprietates, & vires, & esse, quibus homo operatur. Sed quia homo omnibus inferioribus debebat præsidere, scilicet, mineralibus, & plantis, & animalibus; ideo fuit creatus cum omnibus viribus eorum, ut cum omnibus conveniret: ideo habet esse cum mineralibus; & habet omnes vires animæ vegetativæ cum plantis, & omnes potentias sensitivas cum animalibus; & habet appetitivam potentiam cum eisdem: sed ultra istas inferiores potentias habet vires ipsius animæ intellectivæ, scilicet intellectum, & memoriam, & voluntatem, quæ pertinent ad partem rationalem, in qua convenit homo cum Angelis. Habet ergo omnes vires sensitivas, ut cognoscat omnia sensibilia; & habet intellectum, ut cognoscat omnia intelligibilia: & sic anima intellectiva hominis continet virtualiter omnes vires inferiorum: & omnes aliæ continentur in ea, sicut trigonum in tetragono, ut ait *Arist. 2. de Anima.*

A

Omnes autem istæ vires dicuntur *bona speciei humanæ*: eò quòd immediatè sequuntur formam, & sunt immediata principia operandi. Sed quia omnia fecit Deus cum suo modo & dispositione ad expeditè operandum: ideo creavit istas vires in homine cum suis habitibus, ut absque impedimento & mora posset faciliter operari. Unde sicut creavit omnes arbores in illo paradiso cum fructibus suis, ita creavit intellectum, & voluntatem, & appetitum sensitivum hominis cum habitibus suis: quia aliter anima hominis non fuisset *valde* & integrè *bona*. Et sic creavit intellectum cum omnibus habitibus intellectualibus, scilicet, cum habitu intellectus, quo immediate adhæsit primis principiis; & cum habitu sapientiæ, quo immediatè incœpit contemplari primas & superiores causas altissimas, scilicet Deum, & Intelligentias: & cum habitibus omnium scientiarum rerum naturalium, & mathematicalium, quo illico speculabatur omnia naturalia: quia illico imposuit nomina omnibus rebus creatis secundùm naturas suas, ut patet *Genes. 2.* Item habuit *Adam* habitum prudentiæ de omnibus agibilibus, & habitum artis de omnibus factibilibus.

B

C

D

Item, non solùm intellectus sed etiam appetitus sensitivus, & sensualitas fuit creata habituata cum omnibus habitibus virtutum moralium: putà, cùm habitu temperantiæ, quâ modificabat concupiscibilem circa omnia delectabilia & utilia; & cum habitu fortitudinis circa omnia terribilia, & cum cæteris habitibus modificantibus sensualitatem circa bona utilia; & circa honores &c. quos quidem habitus habebat sine impedimento alicujus passionis.

E

Item, sicut creavit intellectum & sensualitatem cum suis habitibus, non creavit voluntatem sine proprio habitu naturali, qui est justitia modificans ipsam voluntatem ad rectè volendum, & eligendum, & imperandum. Unde justitia dicitur *perpetua voluntas tribuens unicuique quod suum est*, id est, est perpetuus & integer habitus voluntatis, quo voluntas tribuit unicuique quod suum est: per quem habitum ipse *Adam* regulabat omnes suas operationes erga Deum & homines, & erga seipsum, & tribuebat Deo veram Latriam ipsi debitam, & hominibus mutuum obsequium. Et recte voluntas imperabat sensualitati, & cæteris animantibus, & plantis, & mineralibus utebatur in facultatem suam. Non enim voluntas fuit creata minus integra & perfecta cum suo proprio habitu justitiæ, quàm intellectus cum suis habitibus scientificis & intellectivis, & quàm irascibilis & concupiscibilis cum suis habitibus & virtutibus moralibus. Et ista dicebatur *originalis justitia* in Adam. Dicebatur enim *originalis*, in quantum ab origine creationis cum cæteris habitibus traxit ipsam: & etiam in quantum omnibus suis posteris per generationem communicasset ipsam.

F

G

Unde omnes isti habitus supradicti dicebantur etiam *originales* & naturales: primò, in quantum ab origine fuerunt concreati ad modificandas vires naturales in suis operationibus. Secundò, in quantum erant proportionati & necessarii ipsi naturæ ad suas naturales operationes exercendas absque impedimento aliquo: & sic pertinebant ad integritatem naturæ; & ideo computabantur inter bona naturæ.

H

Sed ultra hæc bona modificantia & habilitantia vires naturales hominis, fuit necessarium bonum ordinis in potentiis supradictis: qui quidem ordo consistit in debita conformitate virium & partium inferiorum ad superiores. Et ideo phantasia erat subdita intellectui, & sensualitas erat subdita & obediens voluntati rationali: & universaliter tota caro & corpus erat subditum spiritui, & voluntas hominis cum omnibus viribus erat subdita & obediens, & tota intenta divinæ voluntati. Et in hoc consistebat tota

ta originalis justitia ipsius *Adam*, & debitus ordo ejus : & iste ordo dicebatur *naturalis* in Adam. Nam sicut omnia elementa naturaliter subduntur cœlis; & Cœli parent Intelligentiis moventibus; & Intelligentiæ parent Divinæ voluntati, quia movent propter Deum amatum & desideratum 12. *Metaphysicæ* : Ergo secundum ordinem naturæ sensualitas debet parere voluntati rationali, & voluntas debet parere Deo. Et ideo species, modus, & ordo, & omnia prædicta computantur inter bona naturæ hominis.

Sed quia species & modus & ordo tendunt ad aliquem finem naturæ proportionatum ; ideo naturalis finis & præmium hominis erat habitare & vivere in hemisphærio Australi, qui dicitur *paradisus voluptatis* ; eò quòd ibi duxisset vitam beatam cum omnibus bonis naturalibus absque defectu aliquo bonorum naturalium, sine morte, & liber ab omni infirmitate, & dolore, & tristitia. Quæ quidem bona proveniebant tribus ex causis : primò ex aspectu cœli. Nam secundùm *Ptolomeum*, & *Aristotelem secundo Cœli*, Hemisphærium australe est vertex, & caput, & superior pars mundi. Ideo illæ stellæ sunt favorabiliores mittentes uberes, & favorabiles, & salubres influentias. Et ideo propter favorem cœli in illa parte nulla causatur, nec accidit pestilentia, nec sterilitas, nec vetustas, nec calor excessivus, nec tenebra; sed aura placida, & salubris, & temperatissima in lumine & calore, & uniformis, prout dictum fuit *Psalm.* 71. Et sic conservabat omnes plantas successivè cum fructibus earum : & sic etiam conservasset *Adam* cum ejus posteris in esse salubri. Et sic prima causa erat aspectus cœli : secunda vero locus ille, qui est sub tali aspectu : tertia causa vitæ perpetuandæ sine infirmitate & morte, erat lignum vitæ : & sic primi parentes affluebant omnibus bonis naturalibus absque aliquo defectu ; & in his consistebat tota eorum naturalis felicitas & beatitudo, tam corporis, quàm animæ.

Nam per intellectum contemplabantur omnia creata & increata, licèt non viderent Deum per essentiam : & per voluntatem habebant quidquid boni naturalis volebant, & nihil mali volebant, & incorpore nullum patiebantur defectum. Et ideo erat Adam felix & beatus naturali beatitudine : quia felicitas nil aliud est, nisi tranquillitas animi omni tristitiâ & defectu vacantis, & bonum sufficiens delectans habentem. Ex quibus patet, quòd primi parentes fuerunt creati cum omnibus bonis naturæ in sua integritate. Quæ quidem bona sunt species, modus, & ordo, & ille finis & possessio illius loci cum suis bonis, in quo *Elias* & *Henoc* ducunt vitam felicem usque ad secundum adventum Christi. Quæ quidem felicitas in tantum dicitur *naturalis*, in quantum est proportionata humanæ naturæ.

Ex quibus patet, quòd omnes habitus, quos modò *morales* appellamus, tunc poterant dici naturales quadrupliciter. Primò, quòd à principio erant inditi naturæ. Secundò, in quantum erant naturæ proportionati, non excedentes naturam. Tertiò, quòd pertinebant ad integritatem naturæ. Quartò, quia omnes posteri traxissent illos habitus ab origine & nativitate : sed post lapsum jam non possunt hujusmodi habitus dici naturales, sed morales ; eò quòd per longam moram, & frequentes actus noviter acquiruntur. Unde tunc in Adam habitus præcesserunt passiones & actus : sed modò post lapsum in nobis passiones, & actus præcedunt habitus, qui contra passiones refrænandas ex actibus generantur. Item, illa habitatio paradisi erat homini naturalis : eò quòd erat super omnia animantia naturæ hominis proportionata & collata.

Secunda Conclusio.

Præter illa quatuor bona naturalia supradicta, primi parentes fuerunt creati in gratia supernaturali gratum faciente.

Probatur ex authoritate *Augustini super Genes.* dicentis : quòd primi parentes post longam vitam sine morte & dolore fuissent translati in vitam meliorem ad cœleste regnum : sed talem vitam non potuissent consequi naturaliter per bona naturæ : quia sicut per habitus intellectuales naturales non potuissent videre Divinam essentiam ; ita nec per solum habitum naturalem originalis justitiæ meruissent illud supernaturale præmium, nec frui Divinâ essentiâ. Et ideo est dicendum, quòd habuerunt gratiam gratificam supernaturalem sublimantem eos ultra & super humanam facultatem ad merendum illam vitam supernaturaliter beatam : quia per solam originalem justitiam non poterant mereri, nisi illam præsentem beatitudinem humanæ naturæ proportionatam ; in qua erant : quæ non ponebat eos extra, nec ultra humanam facultatem. Et ideo dicunt quidam, quòd illa originalis justitia vel erat radicata in gratia gratifica cum Fide, & Spe, & Charitate ; vel erat juncta cum ipsa, ut ultra præsentem beatitudinem possent mereri futuram.

Et ideo est dicendum, quòd ultra habitus naturales intellectus & voluntatis habuit *Adam* habitus theologales, scili-

licet, Fidem, Spem, & Charitatem de Christo futuro Salvatore quem in spiritu prophetico prævidit incarnandum quando fuit in illo sopore: quæ quidem virtutes non fuerunt sine gratia. Ex hoc patet, quòd *Adam* non solum habuit gratiam gratificam pro illo statu, sed etiam gratiam & donum prophetiæ: quia in illo sopore prævidit mysterium Incarnationis, & etiam Ecclesiæ surgentis ex latere Christi per formationem *Evæ* ex sua costa, ut inquit *Augustinus super Joann.* & *super Genes.* Quod quidem mysterium explicavit propheticè *Adam*, quando surgens à sopore dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis &c.*

A

Tertia Conclusio.

PRimi parentes per peccatum licèt non perdiderint *bona speciei*, quæ sunt vires naturales ipsius animæ & corporis; tamen perdiderunt modum, & ordinem, & finem: quia fuerunt expoliati omnibus bonis & habitibus omnium potentiarum, quibus expeditè, & rectè, & ordinatè operabantur: & per consequens fuerunt expoliati illâ originali justitiâ cum suo præmio.

B

Quòd probat Augustinus *Hypognosticon*, *responsione prima.* Nam ilico post esum ligni prohibiti noverunt se nudos, id est omnibus bonis gratuitis & gratificis expoliatos: & ideo absconderunt se, & fugerunt à facie domini, *Genes.* 3. Hoc idem ait Salvator *Lucæ* 10. per parabolam illius hominis qui descendens ab Jerusalem in Jericho incedit in latrones, qui expoliaverunt, & percusserunt eum, & semivivo relicto abierunt &c. ubi dicit *Augustinus*: quòd bene merito primus homo fuit omnibus bonis expoliatus. Nam sicut ipse fuit aversus à Deo, perdendo originalem justitiam: ita Deus fuit aversus ab eo auferendo bona quæ ipsi contulerat. Nam perdendo originalem justitiam, perdidit omnia bona naturalia, quæ per illam justitiam possidebat: & perdendo justitiam originalem, perdidit etiam gratiam, per quam expectabat, & potuisset consequi futuram beatitudinem. Item, perdidit *bonum ordinis*: quia perdidit liberum imperium quod voluntas rationalis habebat supra sensualitatem: quia sicut voluntas rationalis imperabat; ita sensualitas & caro obediebat, & parebat: sed post lapsum non paret, sed potius imperat, ut patebit. Et sicut perdidit *bonum modi* & *ordinis*, ita etiam *bonum finis:* quia fuit expulsus ab illo paradiso deliciarum, & præsenti felicitate ipsi naturaliter proportionatâ, & sic fuit expulsus ab illo hemisphærio Australi in hoc hemisphærium Aquilonare, ubi tamquam exules omnes posteri vivimus cum jugi miseria, expoliati omnibus illis bonis.

C

D

E

Ex supradictis *tribus Conclusionibus* solvitur primus perplexus philosophorum: scilicet, unde inest nobis appetitus vitæ immortalis, & impassibilis, & felicis, quam nemo in hac vita potest habere? quia talis appetitus est naturalis, nec est frustrà, postquam aliquis in hoc sæculo potuit possidere, prout primi parentes ante lapsum. Et ideo ex privatione illius statûs manet nobis insitus talis appetitus: quia privatio est causa appetitus.

Quarta Conclusio.

F HOmo per peccatum non solum fuit expoliatus omnibus bonis *modi*, & *ordinis*, & *finis naturalis*; sed etiam fuit percussus & sauciatus in omnibus potentiis, & in tota persona: & hoc, quintuplici vulnere; propter quod non potest liberè, nec faciliter operari.

Prima pars patet per præcedentem Conclusionem. Secunda autem pars patet per singula ad experientiam, & prout experimur in nobis. Unde primò, homo fuit sauciatus in complexione, vulnere infirmitatum & ægritudinum, & morborum: quia non est aliqua pars in homine, quæ non sit subjecta alicui ægritudini, immò multis: putà, quia accidit ophthalmia in oculis, vertigo in cerebro, pleuritis in pleura, & collica passio in collo &c. prout tradidit *Avicena in* 4. G & 5. *Canone*: quæ quidem mala inducunt finaliter mortem. Ex quo patet, quòd mors, & febris, & omnes istæ infirmitates jam non possunt dici mala naturalia, sed pœnalia: quia in pœnam peccati inflicta.

Item secundò, fuit homo vulneratus & sauciatus vulnere improbi laboris in toto corpore: quia ille absque labore poterat vivere, cui terra sponte dabat omnem fructum; & omnia animalia & plantæ, & mineralia erant ipsi ad libitum subjecta: nunc autem non potest acquirere victum & vestitum absque intolerabili labore: quia unusquisque cum sudore, & labore, & dolore vescitur H pane suo ex sententia Domini, *Genes.* 3. Et ideo omnia ista bona temporalia, quæ de sui natura sunt bona naturaliter, & ad necessitatem hominis creata, & in principio liberaliter collata, nunc perverso nomine dicuntur *bona fortunæ*, ratione modi acquirendi & possidendi: quia tunc naturaliter erant omnia communia: sed nunc cum labore & fraude, ut plurimum, acquiruntur, & ab indignis possidentur: & ideo mutato nomine dicuntur bona fortunæ.

Item tertiò, fuit homo vulneratus

in sensualitate vulnere pravæ concupiscentiæ. Nam sensualitas, quæ erat subordinata rationi, & habituata temperantiâ, & fortitudine, & continentiâ, & parsimoniâ &c. expoliata hujusmodi virtutibus moralibus & sibi naturaliter inditis, fuit percussa & sauciata vulnere inordinatæ concupiscentiæ, quæ est fomes & causa omnium malorum: in qua sensualitate sic expoliata & sauciata successerunt omnes animi *passiones*, qui dicuntur *ægritudines animi*: putà, gaudium, & tristitia, ira, & odium, & invidia &c. quæ non possunt refrænari, nisi per morales virtutes noviter acquisitas. Et sic isti habitus virtuosi, qui antè erant bona naturalia, & indita, jam non possunt dici bona naturalia, sed *moralia*: quia cum longa morâ & labore sunt noviter acquisiti ex frequentatis actibus: nec morbus concupiscentiæ, nec passiones possunt dici mala naturalia, sed pœnalia; id est, in pœnam peccati inflicta. Nam habitus naturales præcesserunt passiones & concupiscentiam in sensualitate: & passiones, & concupiscentia modò præcedunt virtutes morales: & sic neutra dicuntur jam naturalia. Et quo patet, quòd sensualitas fuit vulnerata morbo concupiscentiæ, per quam inclinatur ad omne malum, & est segnis ad omne bonum, & rebellis semper & repugnans rationi, & insurgens & colluctans adversus spiritum.

Item quartò, tota pars rationalis fuit sauciata multiplici vulnere. Nam intellectus, qui per habitus intellectuales concreatos poterat contemplari non solum naturalia, sed etiam supernaturalia per habitum intellectus, & sapientiæ, & habitum scientiæ concreatæ; & hoc absque phantasmatibus, quia poterat ad libitum intelligere per phantasmata, vel sine phantasmatibus: nunc omnibus illis habitibus expoliatus, non potest intelligere sine phantasia: quia *necesse est intelligentem phantasmata speculari*, ut patet 3. *de Anima*: & sic necesse est ut intellectus convertatur ad phantasiam, si vult intelligere: & ita pariter voluntas quia fuit expoliata originali justitiâ, quâ omnia rectè volebat, & Divinæ voluntati erat conformis, fuit conversa in suis operationibus ad sensualitatem corruptam, & appetitum sensitivum corruptum & depravatum. Et ista pœna rationabiliter fuit homini inflicta, ut inquit *Augustinus*. Nam postquam voluit averti à Deo & ab ejus voluntate, & conversus ad mulierem, ut ipsi complaceret: tunc intellectus expoliatus bonis naturalibus, fuit conversus ad phantasiam de necessitate in sua operatione, & voluntas ad sensualitatem, & superiora ad inferiora; scilicet, spiritus ad carnem &c. unde eveniunt homini omnia mala. Nam intellectus frequenter decipitur per phantasiam in suo judicio, & voluntas depravatur per sensualitatem in sua operatione. Et ideo quia intellectus non potest habere scientiam de rebus nisi per phantasiam: inde est, quòd frequenter decipitur circa cognitionem rerum.

Et ideo Philosophi primi volentes ex propriis viribus inquirere naturas, & causas rerum, decepti inciderunt in varios errores: ut patet 1. & 2. *Metaphysicæ*, & 1. *Physicorum*, & 1. *de Generatione*, & 1. *de Anima*. Item, non solum fuerum decepti in intellectu speculativo circa naturas rerum, sed etiam in intellectu practico circa cognitionem boni honesti, & utilis, & delectabilis: ex cujus errore accidit prava electio in voluntate. Ex quibus omnibus patet infirmitas nostri intellectus, & omnium aliarum potentiarum: & patet etiam perversus ordo inter eas; quia intellectus decipitur à phantasia, & voluntas ab intellectu practico decepto, & allicitur à sensualitate corruptâ: unde modum hujus perversi ordinis & deceptionis ponit *Aristotel.* 3. *de Anima*, & 7. *Ethicorum*.

Unde est advertendum: quòd in homine sunt considerandæ duæ partes principales, scilicet pars *rationalis* & *sensualitas*; prout comprehendit sensus exteriores & interiores, scilicet phantasiam, & appetitum sensitivum: unde phantasia sequitur sensum, & appetitus sequitur phantasiam. Phantasia autem judicat de sensatis convenientibus, vel disconvenientibus, sive delectabilibus, & tristabilibus. Et sic omne delectabile, aut inutile dicit malum: & sic *appetitus*, qui dividitur in *irascibilem*, & *concupiscibilem*, sequitur omne delectabile, aut utile tamquam bonum; & fugit omne tristabile, tamquam malum. Et sic sequitur honores, & dignitates, & omnia ardua sibi apparentia bona: & *concupiscibilis* optat & sequitur voluptates carnis, & pecunias, & cætera sibi concupiscibilia tamquam bona. Et utraque, scilicet *irascibilis* & *concupiscibilis* fugit omnia tristabilia tamquam mala,

Item, in parte rationali sunt duæ potentiæ distinctæ, scilicet *intellectus*, & *voluntas*: unde sicut appetitus sequitur phantasiam & sensum; ita voluntas in primo actu sequitur intellectum. Sed iste intellectus habet duas portiones, scilicet *superiorem*, qui dicitur intellectus speculativus; & *inferiorem*, qui dicitur intellectus practicus: unde sicut intellectus speculativus speculatur speculabilia; ita intellectus practicus cognoscit & ratiocinatur de agibilibus: sed iste *intellectus practicus* adhuc habet duplicem portionem,

nem , scilicet , unam *superiorem* , per quam cognoscit , & judicat de agibilibus in universali , prout ipsi offeruntur A per Legem divinam vel humanam. Et habet aliam portionem *inferiorem* , per quam judicat de particularibus , prout ipsi offeruntur per phantasiam. Et tunc intellectus practicus jungitur phantasiæ, & fit unum cum ea in intelligendo : & sic judicat de bonis delectabilibus , & utilibus secundùm apparentiam & judicium phantasiæ ; & sic pervertitur in suo judicio. Nam sicut antè per superiorem portionem judicabat Legem Dei esse bonam , & per consequens observandam , & omne malum esse vitandum , & omne adulterium, aut furtum , & homicidium esse malum , & per consequens vitandum , & sic tunc non decipiebatur B in suo judicio ; & tunc voluntas sequens tale judicium intellectus in prima sua operatione volebat Legem Dei observare , & omne homicidium , & furtum, & adulterium tamquam malum vitare , & sic voluntas dicebatur recta & bona : Ita postea cum phantasia offert intellectui practico aliquod bonum delectabile , aut utile particulare per appetitum sensitivum optatum : & intellectus junctus phantasiæ , & deceptus , judicat illud esse bonum & sequendum : tunc voluntas in secundo actu sequens intellectum deceptum , & conversa ad appetitum pravum , fit simul unum cum eo. Et sic depravata voluntas sequitur desiderium C sensualitatis , appetendo illud bonum apparens , scilicet utile , aut delectabile, licet sit nocivum & malum , & contra Legem divinam & humanam , & contra bonos mores : & sic causatur peccatum in voluntate in tali electione & executione. Et sic patet , qualiter uterque decipitur , tàm intellectus , quàm voluntas per conversionem ad sensualitatem.

Et ideo dicit *Aristoteles* 3. *Ethicorum* : quòd *omnis malus est ignorans*, id est , deceptus : quia licet cognoscat in universali ; tamen decipitur in particulari per conversionem ad phantasiam & sensualitatem , ut patet de incontinente , 7. *Ethicor.* cujus deceptio causatur D ex falso discursu argumentationis , quia arguit in quatuor terminis : ideo potiùs videtur habere opinionem , quàm scientiam de particularibus. Nam primò in Majori propositione dicit , omne adulterium tanquam malum esse vitandum , eò quòd est contra Legem : sed quando offertur ipsi ista mulier , sicut in Minori propositione deberet dicere ; hoc est adulterium ; ergo vitandum : tamen alterando terminum , dicit , hoc esse bonum delectabile : & sic concludit : Ergo sequendum : & sic peccat in forma arguendo in quatuor terminis ; & per consequens causatur peccatum & ignorantia in intellectu practico , & error , & E pravitas in voluntate , sequendo intellectum & sensualitatem : & ex consequenti causatur culpa in anima.

Et ideo dicit *Aristoteles* 3. *de Anima* : quòd voluntas , quæ ponitur quasi medium inter intellectum & appetitum sensitivum , si sequitur intellectum , prout judicavit in universali ; tunc ipsa dicitur recta & justa : quia intellectus ut sic dicitur rectus. Sed si voluntas sequitur sensualitatem , sive appetitum inferiorem, & intellectum practicum deceptum & depravatum per phantasiam ; tunc voluntas rationalis dicitur prava & iniqua, & facta bestialis simul cum sensualitate: quia tunc voluntas jam non est recta, F nec rationalis , sed prava , & bestialis, & monstruosa effecta per consortium sensualitatis : quia agit contra naturam.

Nam sicut rota primi mobilis naturaliter trahit omnes orbes inferiores motu recto ab Oriente in Occidentem: ita intellectus,& tota pars rationalis naturaliter deberet ad se & secum trahere phantasiam , & totam sensualitatem , & non econverso. Et ideo quando sensualitas trahit ad se voluntatem , & partem rationalem ; tunc talis motus & actus est perversus & monstruosus , & non naturalis. Et ideo sicut per motum primi mobilis rectum nunquam causatur malum , nec peccatum , nec monstrum in natura , nec aliquis defectus , sed solùm G causatur eclypsis, aut causantur sterilitates , aut pestilentiæ , aut tempestates per orbes inferiores , qui moventur in circulo obliquo contra motum primi mobilis : ita pariter per primam operationem partis rationalis nunquam causatur deceptio in intellectu practico , nec peccatum in voluntate : sed quando sensualitas trahit ad se partem rationalem ad suum libitum ; tunc causatur peccatum & monstrum in anima : quia tunc intellectus fit quasi phantasia , & voluntas fit sensualitas : quia nec intellectus per se, nec sensualitas per se est sufficiens principium ad movendum , sive ad prosequendum : sed ex his fit unum princi- H pium sufficiens ad prosequendum bonum utile , vel delectabile.

Ex quibus patet : quòd totus iste discursus per *Aristotelem* explicatus est contra naturam , non solum animæ ipsius, sed etiam contra ordinem ipsius universi , in quo semper inferiora obediunt superioribus. Et hunc eumdem perversum ordinem nostrarum potentiarum memorat *Apostolus ad Rom.* 7. ut infra patebit. Et sic *Aristoteles* , & omnes Philosophi bene concedunt talem motum & modum esse perversum , & pravum , & monstruosum , & contra naturam , &

ordinem universi : tamen nunquam potuerunt pervenire ad cognitionem causæ , unde tale monstrum proveniat in homine.

Et hoc accidebat eis : quia non noverant sacram Scripturam , in qua nobis est revelatum , qualiter hæc monstruositas & perversitas fuit inflicta toti generi humano in pœnam peccati primorum parentum : eò quòd omnes potentiæ fuerunt expoliatæ omnibus bonis habitibus concreatis , & fuerunt vulneratæ quintuplici vulnere , scilicet , vulnere multiplicis ægritudinis in complexione; & vulnere laboris , & doloris in toto corpore pro victu & vestitu acquirendo; & vulnere , & morbo concupiscentiæ in carne ; & vulnere pravæ conversionis & electionis in parte rationali , ex quo infligitur vulnus culpæ peccati in anima.

Sed utrum vulnus concupiscentiæ dicat aliquam formam positivam superadditam sensualitati ; an dicat solam privationem modi & ordinis : longum esset hîc disputare. Forsan dicetur in Expositione Euangelicæ veritatis super illud *Lucæ* 10. de illo homine qui descendens ab Hierusalem in Jericho , quem latrones non solùm expoliaverunt , sed etiam percusserunt , & sauciarunt , & plagis impositis , & semivivo relicto abierunt &c. Sed sufficit ad præsens scire , quòd sicut sensualitas , sive appetitus sensitivus fuit sauciatus vulnere pravæ concupiscentiæ , & inclinationis ad voluptuosa , & delectabilia , & utilia, quæ sunt falsa bona : ita voluntas rationalis fuit vulnerata quodam vulnere cœci & inordinati amoris & complacentiæ, ut cæteris omissis , velit sensualitati complacere. Et ideo dicit *Augustinus* libro *de Perfectione justitiæ hominis* : quòd ex tali vulnere manet nostrum liberum arbitrium claudicatum : & sic oportet quòd sanetur per gratiam , ad hoc quod rectè velit & operetur. Ex prædictis patet solutio secundi & tertii perplexus , quos Philosophi nunquam potuerunt persolvere.

Quinta Conclusio.

OMnia mala , tàm culpæ , quàm pœnæ , scilicet , omnia quinque vulnera supradicta traxerunt omnes posteriori à primis parentibus per carnem corruptam.

Hanc Conclusionem probat *Augustinus contra Manichæos , & super Joann. Homil.* 2. isto modo. Nam omnes posteri vel trahunt ista mala cum carne , vel cum anima : non cum anima , quia anima non est ex traduce ab *Adam* per generationem , sed à solo Deo per creationem ; & sic non potest creari nisi bona : quia Deus autor mali non est , nisi solius boni. Ergo sequitur quod trahimus hujusmodi mala per solam carnem, quæ est ex traduce à primis parentibus.

Hoc confirmatur. Nam primi parentes talem carnem communicarunt posteris suis , qualem ipsi habebant tempore generationis : sed tempore generationis post lapsum jam habuerunt carnem & sensualitatem corruptam , & sauciatam per vitium concupiscentiæ , quæ est fomes omnis mali : Ergo talem carnem sic corruptam & vitiatam cum suo onere transtulerunt successivè in omnes posteros. Ex quibus patet , quòd primi parentes omnia mala , tàm culpæ , quàm pœnæ transmiserunt in omnes posteros per carnem sic corruptam , & vitiatam & libidinosam.

Ex quibus sequitur secundùm *Augustinum* : quòd tria mala , sive tria genera malorum latent seminaliter & potentialiter in carne à parentibus traducta , antequam animetur. Quæ quidem mala exeunt à potentia in actum post animationem successivè. Nam ibi primò in complexione corporali latent omnia genera infirmatum & ægritudinum corporalium. Secundò , in ipsa sensualitate latet morbus concupiscentiæ , & latent omnes passiones animi : quæ quidem concupiscentia est fomes omnium malorum culpæ , tàm originalis , quàm actualis. Omnia enim ista mala exeunt ex carne à potentia in actum per animationem successivè. Nam illicò anima per solum consortium talis carnis sic corruptæ trahit peccatum & culpam originalem , & trahit debitum originalis justitiæ perditæ in *Adam* ; eò quòd anima fit una persona cum tali carne traducta ex primis parentibus. Item secundò , per tale consortium illicò exeunt in actum mala pœnæ in ipso corpore , scilicet dolor , & tristitia ; & successivè succedunt ægritudines , & infirmitates variæ. Tertiò , quando homo pervenit ad majorem ætatem , & usum rationis , exeunt omnia mala actualis culpæ ab ipsa sensualitate in animam. Nam sicut caro corrupta per solum consortium causat culpam originalem in anima ; ita concupiscentia , quæ est fomes omnis peccati latens in carne & sensualitate , causat culpam actualem , tàm venialem , quàm mortalem in voluntate per consensum. Et sic patet qualiter omnia ista mala latebant seminaliter in carne ante animationem , & qualiter exeunt in actum post animationem. Et patet etiam, qualiter anima omnia mala culpæ trahit à carne & sensualitate corruptâ & sauciatâ. Ex quibus etiam sequitur: quòd omnia

nia mala, tam culpæ, quàm pœnæ traximus à primis parentibus; eò quòd ab eis traximus solam carnem sic corruptam & sauciatam, in qua latent seminaliter omnia mala culpæ & pœnæ. A

Ex supradictis sequuntur *sex doctrinæ* secundum mentem *Augustini*. Quarum prima est, quòd malum culpæ non est in carne formaliter, sed solum materialiter & seminaliter; sed contrahitur formaliter in anima, aut per solum consortium sicut est peccatum originale: aut per consensum deliberatum; & sic est peccatum mortale: aut per consensum indeliberatum; & sic est peccatum veniale. Et ponitur exemplum de arsenico & silice: nam in arsenico non est mors formaliter, sed seminaliter: sed transit formaliter in B hominem, si gustatur ab eo. Item ignis non est formaliter in silice; sed transit formaliter in stupam per ictum, & confricationem ferri. Ita pariter peccatum latens materialiter & seminaliter in carne & concupiscentia sensualitatis, transit actualiter & formaliter in animam per consortium, aut consensum, prout dictum est.

Secunda doctrina: quòd licèt in eodem instanti temporis anima creetur & infundatur in corpore, & inficiatur ab eo per culpam originalem, eò quòd creando infunditur, & infundendo inficitur: tamen in tali ordine sunt consideranda successivè quatuor instantia naturæ. Nam in primo instanti anima consideratur prout C à Deo creatur. In secundò, prout creatur bona naturaliter cum suis viribus & potentiis, scilicet cum intellectu, & memoria, & voluntate; per quod dicitur facta ad similitudinem & imaginem Dei: & sic dicitur naturaliter bona. In tertio autem instanti consideratur prout infunditur corpori corrupto. In quarto autem, prout inficitur ab eo, & est infecta & mala malo culpæ. Ex quo patet, quòd prius intelligitur bona per naturam, quàm mala per culpam: quia in uno instanti temporis possunt intelligi multa instantia naturæ.

Tertia doctrina: quòd duplex imago reperitur in quolibet homine. Prima D est imago Trinitatis in anima per creationem à Deo impressa, per quam dicitur bona naturaliter. Secunda dicitur imago ipsius Adam, primò impressa in carne seminaliter, & exinde translata in animam formaliter: per quam imaginem natura hominum dicitur corrupta & mala per culpam & pœnam. Unde dicit *Augustinus contra Faustum*, & 12. *super Genes.* quòd hanc imaginem reliquerunt primi parentes in nobis impressam ex vestigio & similitudine sui peccati. Nam sicut ad illud peccatum concurrerunt tres personæ, scilicet serpens offerens pomum prohibitum, & *Eva* acceptans ipsum, & E offerens viro, & *Adam* comedens ipsum, ut complaceret uxori: ita pro majori parte ad omne peccatum concurrunt tres partes hominis, scilicet sensus offerens rem delectabilem, vel utilem, & appetitus sensitivus, & sensualitas appetens, & alliciens voluntatem ut consentiat, & ipsa voluntas condelectans, & sequens sensualitatem. Nam sicut serpens ostendit fructum, persuadendo mulieri, & mulier persuasit viro, ut comederet: ita sensus offert rem prohibitam ipsi sensualitati; & sensualitas offert, & persuadet voluntati; & sic consummatur peccatum per consensum voluntatis.

Et sic patet, qualiter primi parentes reliquerunt nobis impressam imagi- F nem & vestigium sui peccati: & sic etiam patet, qualiter in quolibet homine reperitur duplex imago, scilicet imago Trinitatis, per quam dicitur bonus naturaliter; & imago primorum parentum, per quam dicitur malus pœnaliter & culpabiliter. Sed in Christiano ultra duas imagines supradictas reperitur alia imago, per quam configuratur Christo per Baptismum, & Ecclesiastica Sacramenta: quæ quidem imago Christi licèt ad præsens non tollat imaginem ipsius *Adam* de carne; tamen tollit ipsam ab anima nostra. Unde ait *Apostolus* 1. *ad Corinth.* 15. quòd postquam omnes usque ad Christum portavimus imaginem ipsius Adam ter- G reni, portemus ergo imaginem ipsius *Adam cœlestis*, qui est Christus. Et sic patet, qualiter reperitur triplex imago in Christiano, scilicet imago Trinitatis in anima, quam accepit per creationem, per quam dicitur bonus naturaliter. Secunda est imago ipsius Adam terreni in carne, per quam natura nostra dicitur corrupta & sauciata fomite & morbo concupiscentiæ, unde eveniunt omnia mala culpæ, quam imaginem accepimus per libidinosam generationem. Tertia est imago Christi in anima, quam accepimus per gratiam Baptismi & regenerationem.

Ex supradictis etiam sequitur *quarta doctrina*, scilicet, quòd quando *Au-* H *gustinus* dicit, quòd *nostra natura fuit corrupta in Adam &c.* ibi non sumitur natura pro natura specifica, sed pro carne, sive pro generatione. Unde est advertendum, quòd natura humana tripliciter sumitur in sacra Scriptura. Primo enim modo sumitur pro ipsa essentia & natura specifica resultante ex corpore organico & anima rationali, significata per diffinitionem: & isto modo dicitur *bona naturaliter*; & sic humanitas, & species, & humana natura reperiuntur in Christo. Secundo modo humana natura sumitur pro tota generatione, & col-

lec-

lectione omnium descendentium ab *Adam* per naturalem generationem : sicut dicitur natura , id est , generatio *Scipionum*, & *Claudiorum* , aut *Tarquiniorum*, aut filiorum Israel. Et isto modo dicitur *ad Romanos* 5. quòd *omnes in Adam peccaverunt ;* id est , tota humana natura fuit obligata in Adam : quia omnes suos posteros ad pœnam sui peccati obligavit in sua natura. Et sic etiam dicitur, quòd tota humana natura fuit corrupta in Adam. Tertio modo sumitur humana natura pro carne , quam unusquisque traducit ex Adam per naturalem generationem. Et sic dicit *Augustinus* , quòd *unusquisque habet naturam* , id est , carnem & sensualitatem *corruptam ex Adam* : quia nil habemus ab Adam , nisi carnem corruptam per imaginem ejus : quia animam habemus à solo Deo per creationem. Unde caro dicitur natura in nobis: eò quòd est nata & tradu&ta ex Adam : anima autem non dicitur nata, nec genita , sed ex nihilo creata. Et sic tota linea successiva ab Adam usque ad unumquemque per generationem dicitur ejus natura : & ista dicitur natura corrupta. Et isto modo solus Christus dicitur liber in natura à tali corruptione , eò quòd non descendit ab Adam per naturalem generationem. Et sic *Virgo Maria* non dicitur libera in natura , sed liberata in persona per præviam sanctificationem: & sic peccatum & corruptio naturæ non potuit transire ad personam Virginis , prout dictum est in Expositione *Psalm.* 45. & super *Magnificat.*

Ex supradictis sequitur etiam *quinta doctrina* , scilicet , quòd non est mirum si *Aristoteles* , & cæteri Philosophi non potuerunt ex puris naturalibus pervenire ad cognitionem istius mostruosi & perversi ordinis & morbi reperti in nostra sensualitate & natura : quod non accidebat , nisi quia non noverant sacram Scripturam , per quam nobis revelatur, qualiter ista corruptio provenit ex peccato primorum parentum. Sed beatus *Augustinus* nectare sacræ Scripturæ imbutus , & Divino lumine illustratus , *Hypognosticon responsione secunda , & quarta*, reddit hujusmodi causam, dicens: „ Quòd „ primi parentes sibilo venenosi serpen„ tis sunt infecti , & callidis ejus blan„ dimentis sunt decepti. Et ideo hanc in„ quietam & mortiferam pestem corum „ corpora conceperunt , & per legitimum „ usum , postea quam de paradiso sunt „ projecti , in posteros transmiserunt tam„ quam peccati sui testimonium hæredi„ tario jure dimittentes nobis : ut ex hoc „ prævaricatorum filios nos cognoscen„ tes , non gloriemur de natura nostra „ peccatrice in conspectu justi judicii Dei; „ sed ejus misericordiæ, quæ nostris me„ ritis non datur , semper colla nostra „ flectamus &c. In quibus verbis explicat *Augustinus* , unde proveniat humanæ naturæ iste morbus & corruptio , & istud monstrum in natura. Nam postquam *Adam* voluit sequi suasum bestiæ , & uxoris , magis quàm Divinum præceptum ; ideo conversus ad sensualitatem, *comparatus est jumentis* in suis operationibus , *& similis factus est illis.*

Ex supradictis doctrinis sequitur *sexta doctrina* Catholica: quòd infirmitates corporales , & mors , & omnia mala, tam culpæ , quàm pœnæ non dicuntur, nec sunt in nobis mala naturalia , sed pœnalia : quia non insunt nobis ex natura specifica : quia homo valde bonus fuit creatus cum supradictis quatuor bonis naturæ , liber ab omni miseria : sed omnia ista mala in pœnam peccati primorum parentum sunt nobis relicta & inflicta, prout *contra Pelagianos* fuit determinatum in *Concilio Africano* , cui interfuit *Augustinus* : ut patet *de Consecr. dist.* 4. *Placuit* : & in *Concilio Romano* , cui præfuit *Innocentius Papa :* & in *Concilio Lugdunensi* , cui interfuit *Prosper* defensor doctrinæ *Augustini* contra Pelagianos. Ex hoc patet , unde eveniant humanæ naturæ omnia mala , tam culpæ , quàm pœnæ.

Item ex supradictis sequitur etiam *septima doctrina* : scilicet , quòd anima nostra in principio ex consortio corporis, & carnis corruptæ tradu&tæ ex *Adam*, non solum contrahit privationem modi & ordinis : putà , privationem omnium habituum partis sensitivæ , & partis rationalis ; sed etiam traxit debitum illorum habituum , in quo consistit peccatum originale , per quod ilico anima obligatur ad pœnam damni æternam. Unde anima per tale consortium non solum privatur habitibus moralibus in irascibili & concupiscibili , & habitibus intellectûs , & habitu originalis justitiæ ipsius voluntatis ; sed privatur gratiâ gratificâ , & habitu Fidei , Spei , & Charitatis , quos Adam perdidit per peccatum. Sed anima contrahit debitum omnium supradictorum habituum , annexum cum tali privatione : quia obligatur ad habendum omnes habitus supradictos , ad operandum per eos , & serviendum Creatori , reddendo cultum Latriæ , qui est fructus illorum. Et talis privatio cum tali debito annexo dicitur *peccatum originale* , quòd contrahit omnis anima à principio per solum consortium corporis , ut dictum est. Ex quibus sequitur : quòd omnia quinque vulnera , quibus primi parentes fuerunt fauciati per suum peccatum , traximus nos ab eis per generationem carnalem : scilicet ignorantiam , & perversum judicium , & electionem in mente, &

& concupiscentiam pravam in sensualitate, & infirmitatem in complexione, & labores in toto homine, scilicet mentis, A & corporis, & culpam in anima.

Sexta Conclusio.

Licèt voluntas hominis trahatur à sensualitate ad peccandum : tamen voluntas non trahitur, nec concurrit coacta, nec necessitata ; sed persuasione allecta, & spontaneo quodam amore, non solum naturali, in quantum ambo radicantur in anima, sed etiam amore inordinato, prout dictum est.

Probatur. Nam sensualitas non violenter cogit, nec necessitat voluntatem in tali actu ; sed persuadet, & allicit ad sequendum falsum bonum : cui voluntas B non coacta aliqua necessitate, sed allecta ex amore, sponte consentit : Et sic *trahit sua quemque voluptas*, ut inquit *Virgilius* : & *unusquisque tentatur à concupiscentia sua attractus, & illectus* : & sic *concupiscentia parit peccatum*, ut patet *Jacobi primo*. Et sic patet, qualiter liberum arbitrium non tollitur, nec cogitur, sed allicitur ; & sic voluntas semper manet libera in sua prima actione ad volendum, vel non volendum : sed non manet libera ad rectè volundum, eò quòd perdidit originalem justitiam, per quam rectè volebat : & licèt sit quandoque libera ad rectè volendum in affectu, cognoscendo adulterium, vel aliud vitium C esse peccatum, & per consequens vitandum secundum Legem Dei ; & voluntas velit vitare peccatum, & facere bonum : tamen hoc non potest facere in executione effectivè.

Cujus ratio est : nam ad hoc quòd affectus voluntatis veniat in effectum, oportet quòd maneat corpus tamquam organum : sed voluntas per se non potest movere corpus, propter contrariam dispositionem & cortuptionem ; eò quòd perdidit imperium super ipsum, prout dictum est. Ergo sequitur, quòd licèt voluntas sit libera in suo proprio actu primo, & in affectu ; tamen non in effectu : quia non potest movere organum corruptum, & indispositum, & ineptum corporis & sensualitatis. Et ponit *Au-* D *gustinus* exemplum in Libro *de Perfectione Justitiæ hominis*, de homine claudo : unde accidit, quòd quis rectus à natura efficitur claudus ex aliquo casu : sed cùm est claudus, licèt velit ambulare rectè ; tamen non potest propter organum ineptum, nisi perfectè sanetur. Ita pariter liberum arbitrium claudicatum per supradicta, de per se non potest rectè velle, nisi per gratiam sanetur. Et licèt velit rectè vitare malum, & agere aliquod bonum ; tamen non potest exequi in effectu, nisi per gratiam adjuve- E tur, ut patebit. Ex quibus patet : quòd in tali ordine & discursu peccandi non tollitur liberum arbitrium voluntatis : quia ipsa voluntas non cogitur ; sed allicitur ; nec coacta consentit sed allecta sponte consentit sensualitati, & sequitur ejus appetitum : quia peccatum in tantum est peccatum in quantum voluntarium secundùm *Augustinum* : quia voluntas potest impelli, sed non compelli. Item *Anselmus* libro *de Libro Arbitrio* : Voluntas potest impugnari, sed non expugnari : quia non alienâ, sed suâ vincitur potestate. Item *Bernard. de libero Arbitrio* dicit, quòd voluntas ex ingenua nobilitate non cogitur necessitate : & ideo ipsi ad peccatum imputatur, quia sponte fina- F liter consentit sensualitati.

Septima Conclusio.

Licèt sensuaiitas non valeat cogere voluntatem ad peccandum, sed allicere, & suadere : tamen ad vitandum peccatum, & agendum bonum oportet, quòd voluntas cogat, & subjiciat, & in servitutem redigat sensualitatem & carnem.

Prima pars patet per præcedentem Conclusionem. Secunda probatur : Nam sensualitas sic depravata, & morbida, & vitiata semper inclinatur ad malum, & ad id quod Lex prohibet, & ratio dic- G tat, & contra id quod Lex jubet : Ergo oportet, quòd violenter & coactè ducatur, & flectatur ad aliam partem, scilicet ad vitandum peccatum & faciendum bonum, & implendum divinum præceptum. Unde sicut lignum tortuosum non potest flecti ad partem oppositam, nisi cum magna violentia à fortiori virtute ; ita pariter sensualitas vitiata & inepta, non potest flecti ad bonum, nisi violenter per voluntatem, quæ est primum movens in homine. Hoc autem probatur *primæ ad Corinth. 9.* ubi ait *Apostolus* : *Ego autem castigo corpus meum, & in servitutem redigo &c.* Item *Gregorius*, super illud Salvatoris, *Qui non odit animam suam, non potest meus esse Discipulus &c.* ait, quòd *tunc animam nostram odimus, cùm* H *ejus carnalibus desideriis non acquiescimus : cum ejus appetitum frangimus : cum ejus voluptatibus reluctamur &c.* Item super illud, *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam &c.* ait, quòd *forsan laboriosum non est relinquere sua : sed valde laboriosum est relinquere seipsum : minus quippe laboriosum est abnegare quod habet ; sed valde multum est abnegare quod est. Unde si luxuriosus quisque ad continentiam venerit, & vitam mutaverit, abnegat quod fuit. Unde licèt idem sit*

per

per naturam, tamen non per malitiam &c. Ex quibus patet, quòd opposito modo se habent sensualitas & voluntas in bene & male agendo: nam in peccando, voluntas non coacta, sed allecta, complacet carni: sed in vitando peccatum, & bene agendo, ipsa voluntas compellit & cogit sensualitatem & carnem. Et sic voluntas semper est libera. A

Octava Conclusio.

NEmo ex propriis viribus potest vitare peccatum, nec implere Divina præcepta, nisi gratia Dei, & auxilio superiori adjuvetur.

Istam Conclusionem probat *Augustinus* ex fundamento superioris, & præcedentis Conclusionis. Nam homo non potest vitare peccatum, nec agere bonum, nisi voluntas subjiciat & cogat sensualitatem vitiatam, & frangat, & odiat ejus perversum & contrarium appetitum & inclinationem. Sed hoc voluntas, licèt velit, tamen hoc non potest ex propriis viribus efficere: eò quòd perdidit imperium & facultatem supra corpus, & sensualitatem, perdendo originalem justitiam, ut dictum est in *tertia* & *quarta Conclusione*: Ergo sequitur, quòd homo non potest peccatum vitare, nec bonum agere, nisi auxilio superiori adjuvetur. B

Item, nemo potest vitare peccatum, nec bonum agere, nisi moveat corpus tamquam instrumentum: Sed tale instrumentum est ineptum & corruptum per contrariam dispositionem: Ergo non poterit carnem voluntas per se movere, nisi superiori auxilio aujuta. Item, sicut unus homo non potest movere saxum nimis ponderosum, nisi adjuvetur ab alio fortiori; ita voluntas non potest movere, nec superare carnem vitiatam & ponderosam pondere contrariæ dispositionis, nisi roboretur auxilio superiori. Item, homo non potest vitare peccatum, nisi voluntas odiat carnem, & frangat ejus appetitum, ut supra dictum est: sed voluntas diligit sensualitatem & carnem amore naturali, & etiam inordinato, ut dictum est in *quarta Conclusione*: Ergo per talem amorem naturalem voluntas non potest odire sensualitatem, nec ipsi displicere, nisi per amorem supernaturalem. Ergo oportet, quòd voluntas magis diligat Deum, qui prohibet peccatum, & jubet non peccare, quàm sensualitatem, quæ semper suadet peccare. Et sic patet, qualiter voluntas ex se non potest odire sensualitatem, quam naturaliter & inordinatè diligit & amat, nisi feratur, & quasi vincatur amore superiori. Et sic patet, qualiter homo ex propriis viribus non poterit peccata vitare, nec aliquando bonum agere, nisi adjuvetur superiori auxilio, ut magis infrà videbitur. Et hoc de secundo Articulo. C D E

§. V.

SUPER ART. 3.

QUantum ad *tertium Articulum* ponitur *prima Conclusio.*

Solus Jesus Christus, quem colit Christiana Religio, potuit reparare humanam naturam per gratiam & gloriam, quam *Adam* dissipavit per culpam & pœnam.

Secunda pars hujus Conclusionis est probata in *secundo Articulo.* Prima autem pars probatur per omnes Euangelistas & maximè per *Beatum Joannem* per totum discursum ejus Euangelii. Unde arguit sic. Ille solus potuit humanam naturam reparare per gratiam & gloriam, qui ipsam creavit bonam per naturam: Sed Christus est illud Verbum æternum Filius Dei Patris, per quod Verbum facta sunt omnia bona per naturam: Ergo ipse Christus Filius Dei potuit, immò de facto reparavit humanam naturam per gratiam & gloriam. Major est nota: quia cujus est naturam condere bonam, ejusdem est eam lapsam reparare. Ergo sicut solius Dei est naturam condere; ita solius Dei est ipsam lapsam reparare per gratiam & gloriam, qui solus est Creator & dator gratiæ & glorlæ, *Psalm.* 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Sed quod Jesus Christus sit Deus, & Filius Dei, & illud Verbum per quod facta sunt omnia, probat *Beatus Joannes* effectivè & experimentaliter per opera supra totam naturam, quæ Christus fecit in suo adventu, quæ non poterat facere nisi solus Deus, & Filius Dei. F G

Ad cujus intellectum est advertendum: quòd ista decem nomina scilicet, *Verbum Dei, Filius, Veritas Dei æterna, Sapientia Dei, Lux æterna, sive Lumen, ars Patris, æterna vita, & Lex æterna, & Christus, & Reparator humanæ naturæ, & Jesus*, unam & eandem personam Divinam significant realiter: sed differunt quoad modos significandi, & secundum effectus. Unde *Jesus Christus* dicitur Verbum Patris, in quantum ab æterno est dictum à Patre, & est conceptus diffinitivus, quo Pater diffinit & comprehendit seipsum, prout dictum fuit super *Psalm.* 8. Et dicitur etiam *Verbum Patris*, per quod Pater ex tempore dixit & creavit omnia creata ad extra. Item, Christus dicitur *Filius æternus Dei Patris*, in quantum ab æterno est productus à Patre per modum natura. Item, dicitur *Veritas Dei Patris*, in quantum H

est

est imago Patris æqualis, & ipsi per omnia similis. Item, dicitur *Sapientia Patris*, in quantum est genitus & productus de tota scientia & memoria fœcunda Patris, & per ipsum omnia sapienter disponit. Item dicitur *Lumen*, in quantum est coæternus Patri: sicut lumen ipsi Soli, & procedit à Patre æternaliter, sicut lumen à Sole: quia sicut nunquam fuit Sol sine lumine, nec econverso. Et sicut lumen procedens à Sole illuminat & vivificat omnia; ita Filius procedens à Patre illuminat & vivificat omnia, & maxime *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Item, Christus dicitur *ars Patris*, in quantum in eo ab æterno continentur ideæ & rationes omnium rerum creatarum, ad quarum instar ex tempore facta sunt omnia. Item dicitur *vita* per essentiam. Et quia omnibus influit esse, & dat vitam naturaliter, & specialiter hominibus dat vitam gratiæ & gloriæ: & dicitur *Lex æterna*, in quantum ab æterno omnia prævidit, & ex tempore omnia regit, & ritè disponit. Item dicitur *Christus*, in quantum ex tempore Verbum caro factum est, & est Deus & homo, per quod Verbum incarnatum Deus Pater nobis locutus est. Item dicitur *Nomen Dei*, per quod Deus Pater notificavit nobis suam voluntatem. Item dicitur *Jesus*, in quantum est Salvator & reparator humanæ naturæ.

Si ergo Jesus Christus est Verbum incarnatum, per quod Deus Pater locutus est mundo; Ergo quicquid nobis dixit, erat de mente & voluntate Patris. Et sic etiam si est Filius Dei incarnatus, ergo est hæres Patris, & Dominus universi. Et sic etiam si est Sapientia incarnata, ergo sapienter, & sine defectu disposuit nostram redemptionem, & reparavit nos. Et sic si est Veritas incarnata, ergo non potuit falli, nec mentiri in sua Euangelica doctrina. Et si est lux incarnata: ergo nulla admixtio tenebræ, nec ignorantiæ potuit esse in sua doctrina. Et si fuit ars divina incarnata, artificialiter & ritè vicit diabolum, & reparavit nos, ut dictum est in *Cantico sexto.* Et quia fuit vita incarnata: ergo moriendo in carne occidit mortem nostram, & vitam nostram resurgendo reparavit, & sic utramque mortem destruxit, scilicet, corporis & animæ, & nos per gratiam & gloriam vivificavit. Et quia fuit Lex divina incarnata, ideo quicquid dixit ore, & fecit opere, fuit nobis Lex irrefragabilis: quia non solùm locutio, sed omnis Christi actio nostra fuit instructio, ut inquit *Gregorius.*

Et sic patet, qualiter sicut Christus est illud Verbum per quod facta sunt omnia, & illa vita per quam sunt omnia vivificata, & in quo omnia moventur & sunt, & est Deus & Filius Dei, & sapientia, & veritas, & ars, & Lex Patris, & est Deus qui creavit omnia bona per naturam: ita recreavit & regeneravit & reparavit humanam naturam per gratiam & gloriam.

Sed nunc restat probandum quomodo Jesus Christus est Deus & Filius Dei, & illud Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, & quod sit Sapientia, & Veritas Patris &c.

Hanc autem Conclusionem, sive propositionem probat *Joannes Euangelista* per experientiam & effectum sic: ille erat, & est Deus, & Verbum Dei, qui fecit opera quæ nemo poterat facere, nisi solus Deus & Verbum Dei: sed Christus ex solo verbo & præcepto, & in nomine Dei Patris resuscitavit *Lazarum* quatriduanum jam fœtentem in sepulchro, & suscitavit plures alios à mortuis: & imperabat ventis, & mari, & dœmonibus, & infirmitatibus, quia solo verbo sanabat omnes; quæ omnia non potest facere nisi solus Deus, qui est omnipotens, & salus, & vita per essentiam: Ergo Christus est Deus, & Verbum Dei Patris, & Vita per essentiam, per quem Pater omnia ista faciebat. Et ita probat *Joannes* per singula, qualiter Christus est Verbum coæternum Patri, & Filius Dei Patris, per quem facta sunt omnia, dicens: *In principio erat Verbum &c.* Et, *Omnia per ipsum facta sunt*: & quomodo omne quod factum est, erat in eo vita: & quomodo Christus fuit vita, & lux hominum: & quomodo *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: & quomodo vidimus ipsum Verbum, & Deum incarnatum: *& vidimus gloriam ejus quasi*, id est, tamquam gloriam *unigeniti à Patre*: quia nullus poterat illa facere, nisi solus unigenitus Filius Dei. Et sicut *vidimus ipsum plenum gratiæ & veritatis*: ita *de plenitudine ejus omnes accepimus*; quia per gratiam, & gloriam, & doctrinam veritatis nos reparavit. Et sic *Joannes Euangelista*, explicatis miraculis, ex quibus probat Christum esse Deum, & Filium Dei, concludit in fine libri dicens: *Hæc autem facta sunt, ut credatis, quoniam Jesus est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Et ideo hic non oportet nos immorari ad probandum istam Conclusionem: quia in Expositione Euangelicæ veritatis longè lateque probabitur per omnes Euangelistas, Deo condecente. Nunc autem sufficit dicere generaliter, quibus remediis Christus hominem lapsum reparavit.

Ad cujus intellectum est advertendum : quòd sicut homo multiplici vulnere fuit sauciatus ; ita Christus multiplici gratiâ ipsum reparavit & sanavit. Unde dictum est , quòd gratia est donum à solo Deo gratis datum ad sublimandam humanam naturam , sive creaturam rationalem supra se ; vel ad supplendum & reparandum defectum ejus. Ideo sicut homo multipliciter cecidit , & multiplicem defectum incurrit per peccatum: ita Christus reparator humanæ naturæ multiplici gratiâ ipsam humanam naturam sanavit & reparavit. Unde quia *Adam* primò perdidit illam gratiam gratificam , quæ ipsum sublimabat supra facultatem suæ naturæ , quâ post longum tempus absque morte fuisset translatus in vitam meliorem æternam ; & incurrit ultra hoc iram & odium Dei , destinatus cum tota posteritate ad pœnam æternam : & dictum est etiam , qualiter ejus posteri omnes trahunt originale peccatum ex utero matris , quo dicuntur *filii iræ &c.* ideo Christus instituit Sacramentum Baptismi , in quo ex meritis suæ passionis datur gratia gratum faciens , quâ baptizatus absolvitur ab omni debito culpæ & pœnæ , & reducitur in gratiam Dei.

Item , quia talis gratia gratum faciens datur per Baptismum , aut per Confirmationem , aut per Sacramentum Pœnitentiæ , aut per Eucharistiam: ideo Christus instituit Sacramentum Ordinis , in quo datur gratia potestativa Sacerdotibus , per quam possunt , & habent potestatem administrandi Ecclesiastica Sacramenta.

Item , quia homo fuit vulneratus in potentia intellectiva vulnere ignorantiæ: ideo Christus quibusdam hominibus providit , & dedit specialem *gratiam prophetiæ* ad prævidendum futura : & quibusdam dedit *gratiam sermonum* , & quibusdam *gratiam interpretationum*, & *linguarum* : & quibusdam *gratiam sanitatum*. Quæ quidem genera gratiarum *dividit unus & idem Spiritus sanctus* ex meritis passionis Christi singulis *prout vult* , ad utilitatem Ecclesiæ , & totius corporis mystici , ut inquit *Apostolus* 1. *ad Corint.* 12.

Sed quia adhuc post Baptismum & alia Sacramenta relinquitur homini morbus concupiscentiæ in carne ; propter quem morbum caro corrupta semper militat & pugnat adversus spiritum : ex quo nemo ex propriis viribus potest vitare peccatum , nec implere divina præcepta , ut dictum est , & inferius dicetur : Ideo Christus inspirat præter Sacramenta gratiam actualem ad roborandum liberum arbitrium claudicatum ; ut valeat resistere sensualitati & carni , & ipsam opprimere , & in servitutem redigere : & non solùm valeat resistere tentationibus interioribus , sed etiam exterioribus , ut possit præcepta Dei servare & adimplere.

Item , quia per supradicta genera gratiarum solum liberatur anima in præsenti ab omni debito & peccato , & manet corpus subjectum multis miseriis, scilicet , morti , & infirmitatibus , & passionibus : Ideo in virtute suæ resurrectionis Christus suscitabit omnes fideles in novissimo die in corpus glorioſum; per quam glorioſam resurrectionem omnes liberabimur ab omni miseria corporis , & erimus perfectè beati in corpore & anima. Ex quibus patet , qualiter Christus reparavit per gratiam & gloriam humanam naturam , quam *Adam* dissipavit per culpam. Et patet etiam , qualiter solus Christus est metrum , & mensura , & fons , & largitor omnium bonorum naturæ & gratiæ & gloriæ : quia ipse Christus est Filius Dei , & illud Verbum æternum , per quod facta sunt omnia bona per naturam ; sed ex tempore factus est homo , ut hominem lapsum repararet per gratiam & gloriam. Et ideo Christus per talem reparationem recuperavit omnia quæ perdidit *Adam* : nam pretio sanguinis sui & passionis , non solum redemit hominem de potestate diaboli ; sed etiam emit regnum cœlorum pro nobis , & recuperavit etiam paradisum terrestrem. Ideo post suam resurrectionem habitavit in paradiso terrestri per quadraginta dies usque ad Ascensionem : & sic reduxit *Adam* cum Patriarchis & Prophetis in pristinam possessionem illius loci , quem perdiderat : deinde introduxit eos in regnum cœlorum.

Secunda Conclusio.

Patriarchæ , & Prophetæ , & Fideles veteris Testamenti non operabantur , nec salvabantur , nisi cum gratiâ & fide Christi futuri.

Ad cujus intellectum est advertendum : quòd sicut agens naturale intendens introducere formam substantialem, per prius disponit & præparat materiam secundum exigentiam formæ introducendæ : ita pariter Deus postquam ab initio intendit , & proposuit redimere, & reparare hominem per mortem & passionem suam , & per gratiam Legis Euangelicæ ; ideo ab initio voluit ipsum præparare , & disponere per fidem Christi futuri , & per Legem oblationum , & sacrificiorum , & cæterorum legalium figurantium & significantium mortem & passionem ejus.

Et ideo quando expulit primos paren-

rentes de paradiso, ilicò promisit eis se in carne venturum, & pro eis & posteris suis mortem passurum. Et sic dedit A eis Legem oblationum & sacrificiorum in figuram sacrificii futuri in cruce offerendi, & sub tali fide *Adam*, & *Abel*, & *Seth*, & omnes posteri offerebant illa sacrificia. Sed ista Lex semper processit sumendo incrementum per processum & discursum temporis. Nam Deus jam in secunda ætate dedit aliquas cærimonias ipsi *Noe*. Et in tertia ætate dedit Circuncisionem ipsi *Abrahæ*: & exinde dedit Legem scriptam ipsi *Moysi*, cum sexcentis & tredecim præceptis quorum major pars erant cærimonialia significantia Christum & Ecclesiam. Et sub tali Lege processit ille populus usque ad Christum: quæ quidem B Lex nil aliud fuit nisi quædam dispositio, & præparatio, & via ad Christum & Legem Euangelicam: quia omnia illa opera Legis non fiebant, nisi cum protestatione & fide Christi, in quantum erant signacula fidei Christi, ut fuit dictum in *Prologo libri Psalmorum*, & in *Tractatu contra Judæos*, & ut explicat *Apostolus ad Hebr.* 11. dicens: quòd *Abel*, & *Enos*, & *Henoch*, & *Noe*, & *Abraham*, & *David*, & cæteri sancti veteris Testamenti per fidem Christi operati sunt justitiam per totum illud tempus; sed non adepti sunt repromissiones, nisi nobiscum per Christum, qui per suam passionem & resurrectionem reparavit naturam humanam per gratiam C & gloriam, quam primi parentes dissipaverant per culpam.

Ex quibus patet, quòd omnes fideles veteris Testamenti non operati sunt aliquod bonum sine fide & gratia Christi, qui est metrum & mensura omnium bonorum, & caput totius Ecclesiæ ab Adam usque ad Judicium: cujus omnes fideles utriusque Testamenti fuerunt membra. Unde licèt Christus nondum esset incarnatus in primo Testamento; tamen jam erat Patriarchis & Prophetis & cæteris fidelibus veteris Testamenti creditus, & expectatus; & per consequens jam tunc per fidem omnes *currebant in odorem unguentorum* Christi, ut D sanarentur per ipsum. Ut ostensum est in *primo Cantico* discurrendo per totam sacram Scripturam: quia omnes petebant osculari osculo incarnationis, & trahi in odorem sanctitatis, & in odorem unguentorum Sacramentorum Ecclesiasticorum, & doctrinæ Euangelicæ, prout postea in nobis impletum est, ut patuit supra.

Unde sicut corpus aromaticum, putà muscus, aut cinnamomum emittit odorem ante & post, & ad omnem differentiam loci, in tantum quòd undique odor ejus sentitur antequam videatur: ita pariter Christus jam præmittebat odorem suarum virtutum ante adventum suum, & jam per fidem sentiebant ejus odorem Patres veteris Testamenti. Unde quando *Isaac* osculatus est filium suum *Jacob*, jam sensit odorem vestimentorum humanitatis Christi per odorem vestimenti ipsius *Jacob*. Ideo dixit: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, Genesis 27. &c.* Ex quibus patet, quòd Patres veteris Testamenti jam sentiebant odorem virtutis & sanctitatis Christi per fidem & gratiam Christi, per quam fidem jam operabantur bonum: & non solum per virtutes Theologicas, sed etiam per Morales, quæ per Theologicas perficiuntur, ut ostendit *Ambrosius* in libro *de Officiis*.

Tertia Conclusio.

Licèt Philosophi gentium, & famosi Romani non operarentur secundum veras virtutes Morales, nec Theologales; tamen non cohibebant vitia, nec vitabant enormia peccata, nec faciebant opera insignia absque gratiâ Christi.

Prima pars hujus Conclusionis patet. Nam illi non habebant virtutes Theologales, nec cognitionem de Christo: Ergo non operabantur per tales virtutes. Item, si non habuerunt virtutes Theologales: ergo non habuerunt veras & G perfectas virtutes Morales.

Hanc Conclusionem probat *Lactantius*, *quarto & sexto libro* suarum *Institutionum*. Unde ait quod nulla virtus potest esse vera & perfecta, sine vera sapientia; eò quòd virtus Moralis est habitus electivus in mente consistens, prout sapiens determinaret, ut patet 2. *Ethicorum*. Et per consequens nemo potest esse virtuosus, nisi sit verè sapiens. Sed nullus illorum fuit verè sapiens, nec habuit veram sapientiam; quia vera sapientia est vera cognitio veri & summi boni, qui est Deus: Sed nullus illorum potuit pervenire ad veram cognitionem summi boni, nec veri Dei, H nec veræ beatitudinis, & veri finis, ut patet in diversitate suarum opinionum: Ergo sequitur quod nullus eorum fuit verè sapiens, nec per consequens habuit veras virtutes.

Item, nulla vera virtus est sine vera religione: sed illi non habuerunt veram religionem immò falsam: & ideo sicut habuerunt falsam sapientiam falsorum Doctorum, ita exercebant falsam religionem, & falsam & detestabilem Latriam per detestabiles superstitiones & sacrificia, ut patet de Bacchanalibus *Bacchi*, & enormibus & execrabilibus ho-

honoribus deæ *Vestæ*, & *Veneris*, & *Priapi &c.* Ex quibus omnibus patet, quòd non habuerunt veras Morales, nec A Theologales Virtutes, nec operabantur secundum eas.

Item, *Augustinus* 5. *de Civitate Dei Capitulo* 18. & 19. specialiter probat de Romanis, quòd non habuerunt veras virtutes, nec operabantur secundum eas. Ubi dicit, quòd vera virtus est quæ dirigit in optimum finem: sed finis actuum Romanorum laudatorum & famosorum non erat optimus nec bonus: Ergo actus illorum non erant officia veræ virtutis: quia non operabantur, nec fecerunt opera famosa gratiâ boni finis, sed sola cupiditate dominandi, sicut *Cæsar* & *Pompejus*: aut cupiditate libertatis, ut B fugerent servitutem & verecundiam, sicut *Cato* qui occidit seipsum, ne viveret sub Cæsare victore: aut cupiditate immensæ & perpetuæ laudis, ut *Marcus Regulus*, & *Marcus Curtius*. Unde hac triplici cupiditate, scilicet imperii, & libertatis, & perpetuæ laudis apud posteros *Brutus* interfecit filios sub colore libertatis patriæ. Unde ait *Virgilius* 6. *Æneid.*

Vis & Tarquinos reges animamque superbam.
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?
Consulis Imperium hic primus sævasque secures
Accipiet, natosque pater nova bella moventes
*Ad pœnam pulchra pro libertate vo-*C
cabit.
Infelix, utcumque ferent ea fata minores:
Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Ex quibus versibus patet, qualiter ipse *Virgilius* confitetur, quòd *Brutus* non fecit illum actum propter aliquem bonum finem, nisi ex propria passione & superbiâ: scilicet, cupiditate imperii, & laudis, & libertatis: & per consequens, nec ipse, nec cæteri fuerunt verè virtuosi, nec habuerunt veras virtutes. Quòd non accidit nisi quia non habuerunt veram D cognitionem, nec fidem de Christo, qui fuit, & est metrum & mensura omnium virtutum, & rugula omnium actuum humanorum: & per consequens, quia non currebant in odorem unguentorum Christi: ideo errabant in via, & in termino. Et ideo dicit *Augustinus*, *de Verbis Apostoli*: quòd *ubi deest agnitio veritatis incommutabilis*, qui est Deus per fidem, *falsa est virtus, etiam in optimis moribus*: quæ quidem virtutes non sunt veræ virtutes, sed similitudines virtutum.

Secunda pars hujus tertiæ Conclusionis probatur: scilicet, quòd Philoso-
E phi gentium, & famosi Romani non vitarunt vitia & scelera enormia, nec fecerunt bona opera sine gratiâ Christi, licèt non habuerint cognitionem de ipso.

Unde præsuppositâ sententia *Augustini* explicata in 3. & 4. & 5. 6. & 7. & 8. Conclusionibus, manifestum est, quòd *Socrates* & *Pythagoras*, qui fuerunt castissimi; & *Bias* contemptor divitiarum, & cæteri famosi Philosophi, ex propriis naturalibus non potuissent cohibere sensualitatem à vitiis, nec subjicere eam rationi, nisi ex aliquo superiori auxilio fuisset eorum liberum arbitrium roboratum. Quod quidem auxilium non potest dari, nisi per gratiam Christi, ut dictum est.

F Sed quod talis gratia & auxilium esset necessarium humanæ naturæ in illo statu populi Gentilis, probatur. Nam si unusquisque illorum Gentilium fuisset derelictus absque aliquo auxilio in suâ naturâ corruptâ inclinatâ ad omne malum, & infirmâ ad omne bonum, & ineptâ, prout dictum est: tunc manifestum est, quòd unusquisque corruisset in præceps in omnia scelera detestabilia & enormia, & in adulteria & homicidia; in tantum quòd nulla respublica potuisset permanere, nec civitates & oppida: nec societates hominum potuissent stare, nec perseverare, nec durare: & sic totum genus periisset humanum; & per consequens nullus illorum, nec nepotes eorum pervenissent ad fidem Christi: & sic fuisset
G frustrà nostra redemptio. Et ideo licèt illi non cognoscerent, nec haberent fidem Christi; tamen ut civitates eorum permanerent usque ad Christum, fuit necesse ut Christus ante suum adventum in carne daret gratiam specialem auxiliativam liberi Arbitrii aliquibus Philosophis, & principibus de illo populo, qui cohiberent passiones suas, & vincerent & vitarent vitia, & facerent bona multa; ut possent alios docere exemplo vitæ, & instructione doctrinæ: & similiter ut princeps conderet optimas Leges, ut earum metu humana cohiberetur audacia, tutaque esset inter improbos innocentia, ut inquit *Augustinus* & *Isidorus*:
H Et omnia ista fiebant, ut ille populus duraret & perseveraret usque ad Christum, ut ipsi, aut nepotes, aut pronepotes eorum pervenirent ad fidem Christi, prout videmus fuisse factum.

Sed contra hoc fundamentum posset aliquis instare dicens: quòd gratia Christi non potest esse simul cum peccato: Ergo non potest esse in aliquo peccatore, nec infideli.

Ad hoc respondetur, sicut dictum est in *primo Articulo*: quòd gratia Christi est duplex. Nam quædam dicitur *habitualis*, & *gratificans* animam ad me-

ren-

rendum vitam æternam. Et ista non potest esse cum peccato, nec in aliquo infideli, nec peccatore : ex eo quòd non est sine Fide, & Spe, & Charitate. Sed est alia, quæ dicitur *gratia actualis* & *motiva* : quam dividit *August.* in *prævenientem*, & *disponentem*, & *operantem*, & *cooperantem*. Et ideo ista *gratia actualis* & *auxiliativa* liberi arbitrii non solum est necessaria peccatoribus, sed etiam justis, ne in tentationibus perdant gratiam habitualem & gratificam. Et non solum est necessaria omnibus fidelibus, sed & omnibus infidelibus, ne derelicti in suâ naturâ corruptâ præcipitentur in scelera detestabilia, & ne destruatur genus humanum, ut dictum est. Et ita datur talis gratia etiam *Saracenis*, ad cohibendum iniquum appetitum eorum, ne destruant Christianam Religionem, sed faciant aliqua bona, & servetur justitia inter eos, & perseverent usquequo omnes convertantur ad Christum, prout expectat & continuè orat Ecclesia. Et sic patet, quomodo talis gratia est necessaria etiam Infidelibus.

Sed quod talem gratiam actualem prævenientem & auxiliantem habuerint specialiter aliqui de populo Gentili ante adventum Christi, probatur ex sacra Scriptura : unde legitur *Exod.* 4. quòd Deus dixit Moysi : *Ego indurabo cor Pharaonis, & non dimittet populum &c.* Ubi dicit Glossa, quòd Deus non induravit cor Pharaonis *effectivè* malitiam conferendo, sed *defectivè*, gratiam subtrahendo, & ipsum deserendo : quia si Deus contulisset ipsi gratiam, fuisset cor ejus mollificatum, & dimisisset populum Israeliticum, sicut fecit *Cyrus*, qui dimisit captivitatem Babyloniæ, & dedit licentiam, ut possent reædificare Templum & Civitatem, & dedit multa donaria &c. Sed oppositum accidit etiam ipsi *Nabuchodonosor*, qui ex oratione *Danielis* obtinuit à Deo gratiam & misericordiam, & fecit pœnitentiam de peccatis suis, & redemit peccata sua orationibus & eleemosynis, ut patet *Daniel.* 4. de quo mysterio dicit *Augustinus* & habet 23. *Dist. Quæst.* 4. *Capit. Nabuchodonosor*, ubi dicit *August.* quòd *Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam : eò quòd post innumeras impietates flagellatus pœnituit : & ideo regnum quod perdiderat rursus accepit : sed Pharao ipsis flagellis durior est effectus : Et ideo submersus est in mari rubro.* Quæ diversitas non accidit, ut inquit *Augustinus*, nisi quia *Christi bonus odor aliis est odor vitæ in vitam, & aliis odor mortis in mortem. Quia quantum ad naturam ambo erant homines, & quantum ad dignitatem ambo erant reges, & quantum ad causam captivum Dei populum possidebant : & quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid eorum fines fecit diversos, nisi quia unus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit ; alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio ?* Ex quibus verbis *Augustini* sequitur : quòd isti ambo senserunt odorem gratiæ Christi : unus per admonitionem *Danielis* ; & alter per admonitionem *Moysi* : sed ille admisit, & recepit gratiam moventem & disponentem, per quam egit pœnitentiam : iste autem ex iniquo libero Arbitrio restitit gratiæ Christi ipsi oblatæ. Ex quibus patet, quòd ipsi *Nabuchodonosor* data fuit gratia *præveniens*, per quam egit pœnitentiam.

Item hoc ibidem patet de *Ninivitis* : quorum pœnitentiam commendat Salvator, *Matth.* 12. quia *ad prædicationem Jonæ Prophetæ egerunt pœnitentiam* conversi ex via sua mala. Et ideo ex Dei misericordia, per quam datur gratia, evaserunt subversionem civitatis comminatam, ut inquit *Gregorius* ; & habetur *de Pœnit. dist.* 3. *Ninivitæ quoque.* Ex quo patet, quòd illi, licèt per illam gratiam non evadebant penam æternam inferni ; tamen evadebant pœnam temporalem in hoc sæculo ; & per bona quæ faciebant per illam gratiam, merebantur bona temporalia hujus mundi. Ex quibus patet, quòd Infideles, & idolatræ non operabantur bonum, nec vitabant malum sine gratia *præveniente*, & *roborante* eorum liberum Arbitrium ; nec operabantur malum, nisi in quantum erant derelicti in sua natura corrupta : quæ quidem gratia dicebatur *gratia Christi*, in quantum non dabatur nisi per Christum, & ordinabatur ad Christum ; ut illi, vel nepotes eorum pervenirent ad fidem Christi. Unde licèt illa gratia non ordinabatur immediatè ad Christum, nisi ad conservationem reipublicæ, & humani generis ; tamen finaliter ordinabatur ad Christum, eo modo quo dictum est : ideo dicebatur *gratia Christi.* Ex quibus patet, quòd etiam illi licèt non haberent fidem Christi, tamen per illam gratiam adhuc currebant in odorem unguentorum Christi, ut ipsi, vel nepotes eorum pervenirent ad fidem Christi.

Quarta Conclusio.

Licèt Christus fuerit virtualiter generalis & sufficiens Redemptor & reparator totius generis humani per suam passionem & resurrectionem ; tamen non omnes fuerunt redempti actualiter, nec participarunt ejus redemptionem, nisi soli regenerati per Baptismum.

Prima pars probatur. Nam passio Chris-

Christi fuit infinitæ virtutis & meriti, transcendentis omnem culpam & malum. Ergo omnes homines potuit redimere, volentes ejus merita participare, & ad Christum accedere: sicut Sol omnia potest calefacere, quæ ad suam præsentiam accedunt. A

Secunda pars patet: nam sicut *Adam* dissipator generis humani non potuit transferre in omnes posteros reatum & pœnam sui peccati, nisi per generationem carnalem & libidinosam: ita Christus reparator humani generis, ut per justitiam vinceret astutiam antiqui serpentis, noluit transferre merita suæ passionis in omnes homines, nisi per baptismalem & sacram regenerationem. Et sic non possunt participare redemptionem, nec merita passionis Christi, nisi regenerati per Baptismum: per quem Baptismum transfertur in nos gratia Christi, & imprimitur in nobis imago ejus. Et ideo dicit Apostolus 1. ad *Corinth.* 15. quòd *sicut omnes portavimus imaginem primi Adam terreni, portemus omnes imaginem secundi Adam cœlestis*, qui est Christus. Ex quibus patet, quòd si Infideles non sunt redempti, nec reparati in actu; hoc non est ex defectu passionis Christi, quæ est infinitæ virtutis in virtute: sed hoc accidit ex defectu & obstinatione Infidelium, nolentium acedere ad Baptismum, per quem omnes regenerantur, & participant gratiam Christi. Unde sicut de præcedentibus adventum Christi non fuerunt redempti, nec participarunt passionem Christi, nisi illi qui facti sunt membra ejus per Fidem, & Spem Christi futuri, & acceperunt signaculum fidei per circuncisionem, & oblationem &c. ita postea non sunt redempti, nec participant passionem Christi, nisi baptizati Baptismo Christi, & renovati per Sacramenta. Unde sicut medicina non sanat nisi recipientes eam; nec Sol, vel ignis calefacit nisi accedentes ad ipsum: ita passio Christi ac Baptismus non justificat, nisi cum fide ipsum suscipientes. B C

Quinta Conclusio.

Licèt regeneratio baptismalis sufficienter mundet animam, & tollat omnem culpam ab anima, & liberet eam ab omni pœnâ æternâ, & ab omni debito: tamen non tollit concupiscentiam, nec fomitem, nec cæteras pœnalitates ex carne: quia adhuc post Baptismum omnia ista manent in carne. D

Prima pars probatur, *Matth. ult.* & *Marci ult.* ubi dicit Salvator, quòd *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Item *Joann.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei &c.*

Secunda pars patet per experientiam: quia adhuc manent in nobis morbi corporales, per quos ægrotamus & morimur, & miserias patimur, & manet sensualitas corrupta & sauciata per concupiscentiam, ex cujus consensu anima frequenter maculatur mortali peccato post Baptismum. Unde *Apostolus Paulus* jam regeneratus per Baptismum adhuc conqueritur, dicens: *Datus est mihi stimulus carnis* spiritus Satanæ *qui me colaphizet* 2. *ad Corinth.* 11. Item *ad Roman.* 7. in persona cujuslibet Christiani, & hominis jam reparati per Baptismum, dicit: *Scimus enim quia lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum, vænundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo: non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Scio enim, quia jam non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio; jam non ego operor illud, sed, quod habitat in mei peccatum. Invenio igitur legem volent, mihi facere bonum: quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim Legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de morte corporis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio Legi Dei, carne autem legi peccati &c.* Hæc Apostolus. E F G

Ex verbis ergo *Apostoli* concordando cum *Augustino*, patet totus discursus operationis & dispositionis hominis, non solum post lapsum, sed etiam post Baptismum, & reparationem: putà, qualiter adhuc post Baptismum habitat malum, & corruptio, & Lex membrorum in eo, per quam servit legi peccati. Et quomodo per Legem Dei, quam habet in mente, cognoscit omne peccatum esse malum, & per consequens vitandum: sed sibi repugnat lex membrorum & carnis, per quam agit id quod in conscientia cognoscit esse malum. Et quomodo talis pestis, & corruptio carnis, & sensualitatis inest ipsi ex peccato, quo fuit vænundatus in primis parentibus. Et quomodo de tali peste nemo potest liberari, nec eam vincere, nisi per gratiam Christi. Ex quibus patet esse veram & firmam positionem *Augustini contra Pelagianos*, & omnes temerarios: scilicet, quòd nemo potest vitare peccatum, nec implere Divi- H

vina præcepta ex propriis viribus naturalibus, nisi fuerit adjutus gratiâ Christi auxiliativa & robarativa liberi Arbitrii, ad A refrænandum inordinatum appetitum, & refrænandas pasiones. Et ideo semper est orandum pro ista gratiâ, & currendum in odorem unguentorum Christi, ut sanemur à supradictâ peste: ut quod impossibile est fieri ex nostris viribus, fiat nobis possibile per auxilium gratiæ Christi, cui omnia possibilia sunt, *Matth.* 19. Ex quibus omnibus patet qualiter solus Christus est generalis Redemptor, & humanæ naturæ perfectus & sufficiens reparator, & metrum & mensura, & principium omnium bonorum. Et hoc de tertio Articulo.

§. VI. B

SUPER ART. 4.

QUantum ad *quartum Articulum* moventur quatuor dubia, quæ insurgunt ex dictis in primo, & secundo, & tertio Articulo. Unde dictum est in tertio Articulo, quòd Christus fuit verus Redemptor & reparator humanæ naturæ lapsæ, & totius ejus ruinæ: postea dictum est, quòd licèt per Baptismum tollatur peccatum ab anima; tamen adhuc manent pœnalitates in carne: putà, ægritudinis, & corruptio, & concupiscentia, & mors &c. prout manifestè experimur in nobis. Ex quibus patet, quòd Christus non fuit perfectus & sufficiens Redemptor & reparator totius ruinæ, & miseriæ humanæ naturæ: quia C non sanavit nos à quinque vulneribus, quibus fuimus sauciati in Adam.

DUBIUM PRIMUM.

EX quo arguunt Judæi moderni: quòd Christus non fuit verus Messias in Lege promissus: eò quòd ille debebat sufficienter & totaliter liberare humanam naturam ab omni infirmitate, & morte, & miseriâ corporis & animæ, ut patet *Esai.* 25. ubi dicitur, quòd *ipse præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus* D *est: & dicent in die illa: Ecce Deus noster iste expectavimus eum, & salvabit nos. Iste Dominus: sustinuimus eum & exultabimus, & lætabimur in salutari ejus: quia requiescet manus Domini in monte isto &c.* Ex supradictis in hac prophetia arguunt Judæi, quòd Christus non fuit verus reparator, nec Messias: quia non præcipitavit mortem, nec abstulit omnem lacrymam à facie terræ: quia adhuc manemus mortales, & infirmi, & miseri &c.

Ad quod respondetur, quòd si profundè volumus contemplari ordinem nostræ redemptionis, Christus verè, & E sufficienter, & perfectè redemit genus humanum: nam per mortem & pasionem redemit nos, & reparavit quoad animam, & per resurrectionem nos reparavit quoad corpus. Sed illa redemptio fuit virtualis & potestativa, in quantum pro omnibus satisfecit, & habuit potestatem & virtutem ad liberandum omnes volentes participare suam mortem & pasionem per Baptismum & Ecclesiastica Sacramenta, quibus probavit virtutem & efficaciam suæ pasionis, sicut dictum est in *quarta Conclusione tertii Articuli.* Et ideo sicut Christus per suam mortem F & pasionem meruit à mortuis resurgere in corpus glorioşum, & ascendere in cœlum; immò emere Regnum Cœlorum pro omnibus membris suis: ita quilibet baptizatus in Christo, ex meritis suæ pasionis meretur, non solum liberari & mundari à peccato in anima; sed etiam resurgere in corpus glorioşum, & posidere Regnum Cœlorum cum Christo. Sed istud meritum datur baptizato sub quodam ordine: nam per talem gratiam Christi collatam in Baptismo meretur ilico liberari, & de facto liberatur ab omni peccato & culpa animæ de præsenti, & per eandem gratiam meretur evolare ilico anima post mortem in cœlum ad futuram beatitudinem capessendam. Et per eandem gratiam baptismalem meretur resurgere in novissimo die in corpus G glorioşum & immortale, & absolvi ab omni lacryma & miseria corporali: & per consequens per gratiam & regenerationem baptismalem merentur omnes fideles secundam regenerationem, scilicet glorioşam resurrectionem in novissimo die. Et sic Baptismus licèt pro præsenti non ordinetur nisi ad regenerationem animæ; tamen ordinatur in merito ad regenerationem corporis de futuro.

Et ideo Christus duas regenerationes promisit fidelibus suis: scilicet, unam de præsenti quoad animam, de qua dicit *Joann.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire Regnum Dei.* Secundam vero re- H generationem promisit in novissimo die quoad corpus: de qua dicit *Matth.* 19. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel &c.* Item *Joann.* 5. *Qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ &c.* Item *Apochal.* 21. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra &c.* Ex quibus patet, quòd duas regenerationes

pro-

promisit nobis Christus per suam passionem & baptismum: scilicet regenerationem animæ & corporis: sed regenerationem primam, scilicet animæ, recipimus ilico in baptismo: sed per illam regenerationem baptismalem meremur secundam, scilicet regenerationem gloriosam corporis in novissimo die. Et ideo dicit *August. in Sermone Martyrum*, qui legitur tempore resurrectionis, qui quidem sermo attribuitur etiam *Beato Ambrosio*: quòd licèt Martyres omnes nondum surrexerunt in corpore: attamen jam surrexerunt in merito: quia sicut fuerunt socii passionis Christi, ita erunt socii resurrectionis, & nos cum ipsis. Et ita etiam dicit *Apostolus ad Roman. 6.* quòd sicut omnes fuimus baptizati in Christo: ita fuimus in eo consepulti & surreximus cum eo, scilicet in merito: *quia sicut Christus resurrexit, ita & nos resurgemus.*

Ex quibus patet, quòd quatuor facit Baptismus. Nam primò tollit omne peccatum ab anima. Secundò tollit concupiscentiam, *non ut non insit in carne, sed ut non imputetur*, ut inquit *August.* in libro *de Nuptiis.* Tertiò facit ipsum baptizatum meritorium vitæ æternæ ilico post mortem. Quartò facit ipsum meritorium, ut resurgat in corpus glorioſum in novissimo die. Ex quo patet, quòd gratia baptismalis continet in se ista quatuor merita quæ trahit ex passione Christi: per quæ quidem quatuor merita, sive per quatuor effectus meritorum hujus gratiæ successivè absolvitur homo ab omni miseria corporis & animæ, & consequitur perfectam beatitudinem. Ex quibus sequitur, quòd Christus fuit perfectus & sufficiens Redemptor generis humani, & reparator humanæ naturæ lapsæ. Et per hoc patet responsio ad auctoritatem inductam: quia Christus verè *præcipitavit mortem in sempiternum, & abstulit omnem lacrymam* miseriæ corporis & animæ, prout prophetaverat *Isaias.*

DUBIUM SECUNDUM.

SEcundò dubitatur. Nam si per Baptismum datur nobis meritum ut resurgamus in novissimo die ab omni miseria: quare Christus non absolvit nos ilico à tali miseria corporis, sicut ilico nos absolvit à peccato? & quare voluit Christus ut tales pœnalitates relinquerentur nobis post Baptismum, postquam ita poterat ab eis nos liberare de præsenti, sicut ilico liberat animam de peccato, postquam contulit Baptismo virtutem suæ passionis.

Ad hoc respondet *Augustinus* 13. *de Civit. Dei, capit.* 4. quòd hoc fecit Deus ad majus bonum nostrum. Unde dicit, quòd primò relictum est nobis experimentum mortis, & cæterarum pœnalitatum in carne, ad continuum exercitium & pugnam; ut per victoriam talis pugnæ mereamur coronam gloriæ in futura beatitudine: quia *non coronabitur nisi qui legitimè certaverit*: quia si tolleretur talis pugna, tolleretur meritum & corona Martyrum, & omnium justorum. Et sic talis concupiscentia, & tales pœnalitates *sunt bonis bonæ, & malis malæ*: quia istis cedunt in gloriam, illis autem in pœnam æternam.

Secundò sunt nobis relictæ istæ pœnalitates propter meritum spei futuræ resurrectionis: quia si omnes baptizati ilico per Baptismum liberarentur ab hujusmodi pœnalitatibus & morte; tunc omnes currerent ad Baptismum, non virtutis amore, nec spe futuræ resurrectionis; sed ut ilico liberarentur ab hujusmodi miseriis: & sic omnes contemnerent passionem Christi, quæ talem virtutem contulit Baptismo: & nullus curaret, nec appeteret futuram gloriam ex passione Christi promissam: nec etiam peteret gratiam auxiliativam & conservativam; & per consequens quotidie de novo posset homo peccare sicut fecit Adam.

Tertiò hoc factum est ad custodiendam & retinendam memoriam beneficiorum per Christi passionem receptorum. Nam si per Baptismum tollerentur omnia ista pœnalia de præsenti: tunc omnes liberati ab hujusmodi malis, post longum tempus obliviscerentur Deum, & beneficia recepta: & sic putantes nunquam ammittere, nec perdere præsentem beatitudinem, nec cadere à tali statu, nunquam peterent à Deo gratiam, nec exhiberent ipsi Latriam, nec curarent facere aliquod bonum: & sic possent à diabolo superari, sicut Adam; & per consequens possent iterum cadere. Unde Adam in tali felici statu erat ante lapsum, & gratiam habitualem habebat, ut communiter tenetur: sed quia non putabat cadere ab illo statu, ideo forsan non curavit petere gratiam actualem & auxiliativam, quæ conservant gratiam gratificam, ut dictum est: ideo non restitit persuasioni diaboli, & sic fuit superatus & cecidit: & sic perdidit non solum gratiam gratificam cum merito futuræ beatiiudinis, sed etiam perdidit bona modi, & ordinis, & finis suæ naturæ, scilicet, beatitudinem naturalem, quam in illo loco possidebat.

Quartò relictæ sunt nobis prædictæ pœnalitates, propter ruinam Angelorum reparandam: quia illa ruina non poterat reparari, nisi aliqui homines per gratiam & merita laborum conscenderent in gradum illorum Angelorum qui ceciderunt per superbiam: sed hoc non potest fieri

nisi

nisi per magnam pugnam & violentiam: quia *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Matth.* 11. Ergo A oportet, ut quidam homines per violentam pugnam & violentiam vincant carnem, & mundum, & diabolum, ut mereantur illorum sedes possidere: quæ quidem pugna, & per consequens corona, tolleretur, si tales pœnalitates nobis post baptismum non relinquerentur: & sic maneret irreparata Angelica ruina. Et ideo Christus voluit ut istæ pœnalitates nobis post baptismum relinquerentur ad continuam pugnam, & coronam adipiscendam & sedes inter Angelos, & ad reparandam Angelicam ruinam, & ut nos cognoscamus prævaricatorum parentum filios, & non confidamus de nostra natura peccatrice; B sed semper petamus istam gratiam auxiliativam à Christo capite nostro, & semper *curramus in odorem unguentorum ejus.*

DUBIUM TERTIUM.

SED adhuc tertio ex dictis in *quinta Conclusione tertii Articuli*, & duobus dubiis præcedentibus, insurgit aliud dubium satis arduum. Nam si homo jam baptizatus non potest in adulta ætate bene operari, nec vitare peccata, nisi fuerit adjutus novâ gratiâ actuali auxiliativa liberi arbitrii; sequitur, quod frustra datur fides, & spes, & charitas in Baptismo, & dona Spiritus sancti in Confirmatione ad vincendas tentationes, & ad bene operandum. C

Ad hoc respondetur: quòd omni homini post lapsum est necessaria gratia baptismi cum tribus theologicis virtutibus habitualiter infusis ad salutem ante annos discretionis, & cùm pervenerit ad annos discretionis, sunt ipsi necessarii habitus acquisiti fidei, spei, charitatis, ad credendum & diligendum Deum & proximum actualiter, & sperandum bona futura: & est necessaria gratia actualis auxiliativa ad operandum, & complendum divina præcepta.

Ad cujus intellectum, salvo semper meliori judicio, & determinatione D Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, est advertendum: quòd anima nostra per consortium corporis corrupti in suo principio non solum contrahit privationem, & carentiam omnium bonorum modi, & ordinis, & gratiæ, sicut dictum fuit in *quinta Conclusione*: sed etiam contrahit odium & iram Dei, & debitum omnium bonorum perditorum in Adam cum suis operationibus: quia obligatur ad recuperandum illum statum cum omnibus bonis naturæ inditis, scilicet, cum illa originali justitia in voluntate, & cum omnibus habitibus, tàm intellectualibus, quàm moralibus, & cum E illo debito ordine & conformitate sensualitatis ad rationem, & voluntatis ad Deum; & cum illa gratiâ gratificâ, qua fuisset post longam vitam translatus homo in meliorem: & sic Deus non solum requirit ab homine omnes illos habitus tunc inditos & concreatos; sed etiam requirit operationes illorum. Et sic manet ille infans illicò obligatus ad debitum omnium illorum: ideo peccatum originale non solum est privatio & carentia omnium illorum, sed etiam cum debito eorum: immò ratio formalis originalis peccati est debitum illorum cum ira & indignatione Dei. Et ideo non est dicendum, quòd per Baptismum tollatur privatio supradictoF rum bonorum, & quòd justitia originalis cum cæteris habitibus & bonis recuperetur, & corruptio, & fomes auferatur: sed solum absolvitur baptizatus ab omni debito, ne privatio illorum bonorum, & concupiscentia carnis ad culpam & pœnam imputetur. Ideo dicit *Augustinus* in libro *de Nuptiis*, quòd *Baptismus non tollit concupiscentiam, ut non insit; sed ut non imputetur, & non obsit.*

Ergo est dicendum, quòd gratia gratifica habitualis, quæ datur in Baptismo reducit infantem in gratiam Dei, & facit ipsum meritorium vitæ æternæ ex solis meritis passionis Christi, cui configuratur per talem gratiam: & habitus infusi fidei, spei, & charitatis non reduG cunt bona perdita in Adam, nec operationes eorum: sed tollunt & absolvunt infantem ab omni debito eorum, ne talis privatio & carentia imputetur ipsi ad peccatum usque ad annos discretionis. Et ideo mala quæ facit puer ante annos discretionis non imputantur ipsi ad peccatum: immò excusatur propter illos habitus theologicos infusos cum gratia. Et sic licet non operetur per tales habitus; tamen excusatur, & meretur ex solis meritis passionis Christi, ex cujus passionis virtute infunduntur. Sed cum homo pervenit ad annos discretionis, obligatur operari actualiter per tales haH bitus, scilicet, credere Articulis Fidei, & diligere Deum & proximum, & constituere finem suum in bonis cœlestibus. Sed hoc non potest facere per solos habitus infusos, nisi ipsi per doctrinam exponantur Articuli Fidei, quibus debet credere: per quam doctrinam acquirat habitus acquisitos fidei, & spei, & charitatis.

Unde manifestum est, quòd si infans baptizatus nutriatur inter Saracenos & Infideles, nunquam per habitus infusos poterit credere Articulis Fidei, nisi

ipsi noviter & actualiter exponantur, & faciat habitum acquisitum, conversando inter Christianos. Et sic habitus infusi excitantur per habitus acquisitos ex doctrina parentum, aut magistri, aut ex studio sacræ Scripturæ utriusque Testamenti. Et ratio est: quia tales habitus infusi non reducunt habitus perditos in Adam, quibus homo poterat cognoscere in actu: sed tantum dantur ad absolvendum à debito illorum, ut dictum est. Et ideo tales habitus sunt quodammodo sopiti, sicut in dormiente, qui non possunt excitari nisi per habitus acquisitos. A

Sed est iterum advertendum, quòd si Baptismus totaliter tolleret concupiscentiam, & fomitem ex carne, & sanaret sensualitatem à tali morbo, ne pugnaret adversus spiritum, sed ipsi obediret, ut exposcit ordo naturæ: tunc baptizatus liberè posset bene operari, & vitare omnia peccata, & præcepta Dei adimplere per habitus infusos & acquisitos Theologicos. Sed quia adhuc manet talis morbus in carne, qui simul cum mundo & diabolo nunquam cessat pugnare, quibus tribus inimicis voluntas resistere non valet: ideo de se non potest peccata vitare, nec præcepta adimplere, nisi aliquo superiori actuali auxilio fuerit adjuta. Et hoc accidit ratione amoris naturalis, qui est inter voluntatem rationalem & sensualitatem corruptam, cui voluntas studet complacere, prout dictum fuit in 6. *Conclusione*. Et ideo est necessaria gratia actualis noviter à Deo inspirata ad excitandas virtutes Theologicas infusas, & ad roborandas acquisitas, & ad movendum, & auxiliandum, & roborandum liberum arbitrium; ut non solum resistat tentationibus, tàm exterioribus, quàm interioribus, sed etiam ut valeat restringere & cohibere passiones, & confringere, & in servitutem redigere sensualitatem corruptam, & ad omne malum contra rationem inclinatam; ut possit vitare omne peccatum, & adimplere divina præcepta. B C D

Est ergo ista gratia necessaria, non solùm justis, sed etiam peccatoribus, ut per eam valeant detestari peccata in quibus jacent, & velint ipsa dimittere, & cupiant agere pœnitentiam. Et ista dicitur *gratia præveniens bonam voluntatem*. Secundò est necessaria ista gratia eisdem peccatoribus, ut incipiant, & exequantur pœnitentiam: & ista dicitur *gratia incipiens, & operans*. Tertiò est necessaria justis pœnitentibus, ut prosequantur bene operari, & conservent gratiam gratificam quam habent, & recuperaverunt per pœnitentiam, & resistant futuris tentationibus, ne iterum cadant. Et ista dicitur *gratia proficiens*. In fine autem totius cursus vitæ hominis dicitur *gratia consummata*, & *perficiens*: unde de gratia præveniente dicitur *Psalmo* 58. *Misericordia ejus præveniet me*: & de gratia subsequente dicitur *Psalmo* 22. *Et misericordia ejus subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ*. Et ideo *Magister* dividit istam gratiam in prævenientem & subsequentem, 2. *Sententiarum*, *dist.* 16. Et hanc duplicem gratiam petit Ecclesia, cùm dicit in Collecta: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere*. Item in alia Collecta ait Ecclesia: *Gratia tua Domine præveniat & sequatur &c.* E F

Differt ergo ista gratia *actualis auxiliativa* liberi arbitrii multipliciter à gratia *habituali gratifica*, quæ datur in Baptismo & Sacramentis; primò, quòd illa perficit totam essentiam animæ: sed ista perficit liberum arbitrium & voluntatem. Secunda differentia, quòd illa consistit in habitu totius animæ: ista autem in solo actu, & motu liberi arbitrii, cujus est auxiliativa. Tertia: quòd illa gratificat semper habentem, faciendo ipsum gratum & Deo acceptum ad vitam æternam: ista autem non semper facit gratum, nec gratificat habentem: quia potest etiam reperiri in peccatoribus, disponendo eos ad gratiam gratificam. Item quartò: quòd illa gratia habitualis gratifica, vel est ipsa charitas, vel nunquam sine charitate: ista autem quandoque reperitur sine charitate; putà, in aliquo peccatore pœnitentiam desiderante. Item quintò: quòd gratia gratifica communiter datur per Sacramenta: ista vero ut plurimum datur præter Sacramenta. Item sextò: quòd omnes operationes procedentes à gratiâ gratificâ sunt meritoriæ, & Deo acceptæ ad vitam æternam: sed non semper omnes operationes factæ per istam gratiam actualem valent ad vitam æternam pro illo statu: sicut eleemosynæ, & cætera bona facta per homines peccatores. Septima differentia est: nam ista gratia actualis quandoque præcedit tempore gratiam gratificam: quia disponit peccatorem ad illam recipiendam per pœnitentiam, removendo prohibens: quia juvat liberum arbitrium ad detestandum peccatum, & dimittendum illud, & ad resistendum sensualitati, & cæteris tentationibus exterioribus, & ad subjugandam carnem. Et sic recuperat per Pœnitentiam gratiam gratificam, quam homo perdiderat per culpam. G H

Quod quidem mysterium explicat Salvator, *Luc.* 15. de filio prodigo per pœnitentiam ad gratiam patris reducto: qui cum familicus custodiret porcos, ad

se

se reversus per gratiam prævenientem, & motivam liberi arbitrii, dixit: *O quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo.* Sed rursus magis motus per gratiam incipientem dixit: *Vadam ad patrem meum, & dicam: pater peccavi in cœlum & coram te &c.* Sed rursus per gratiam operantem procidens ad pedes patris, dixit: *Pater peccavi &c. Et tunc pater misericordiâ motus accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum; & fecit ipsum indui stolam primam:* per quam designatur gratia gratifica, & charitas recuperata per illam pœnitentiam. Ex quibus patet, quòd ille filius prodigus per *gratiam prævenientem*, cognoscendo seipsum, detestatus est peccatum: & per *gratiam incipientem* proposuit dimittere, cùm dixit: *Surgam, & ibo ad patrem meum*: sed per *gratiam* jam *operantem* procidens dixit: *Pater peccavi &c.* Sed tunc recuperavit *gratiam gratificam*, quando pater osculatus est eum, & induit eum stolam primam &c.

Ex omnibus supradictis solvitur quartus perplexus memoratus in *primo Articulo*: nam quantocumque sit aliquis peritus in Scriptura utriusque Testamenti, & habeat habitum fidei acquisitum; tamen si non habet istam gratiam auxiliativam, nunquam de se poterit resistere tentationibus, nec implere divina præcepta. Et hoc propter morbum concupiscentiæ in carne manente.

DUBIUM QUARTUM.

QUarto dubitatur propter id quod dictum est in *octava Conclusione secundi Articuli*: & in *quinta tertii Articuli*, scilicet, quòd taliter fuit natura corrupta in Adam, quòd nemo ex propriis naturalibus potest vitare peccatum, nec implere divina præcepta, nec agere aliquod bonum absque divina gratia. Quia sequeretur, quòd homo non esset dominus suorum actuum, nec compos suæ voluntatis & liberi arbitrii: quod esset contra illud *Ecclesiastici* 15. *Deus ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilii sui.* Item ibidem ait Dominus ad hominem: *Apposui tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrige manum.* Item ibidem: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Item *Genesis* 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Item *Proverb.* 16. *Hominis est animum præparare.* Item *Augustinus, Nil tàm in nostra potestate, quàm voluntas.*

Item, ex hoc sequerentur multa inconvenientia. Primò, quòd nemo ex frequentatis actibus posset consequi morales virtutes sine gratiâ, quod est falsum: nam *Socrates* & *Plato*, & multi Infideles non habentes talem gratiam, consecuti sunt morales virtutes.

Item secundò sequeretur, quòd nullus posset culpari de aliquo malo, postquam de se illud non potest vitare: & per consequens nemo deberet puniri pro malefactis, postquam talia non potest vitare.

Item sequeretur quod frustra ponerentur leges, ut earum metu humana cohibeatur audacia; & frustra assignarentur pœnæ in legibus contra transgressores.

Item sequeretur quod nemo obligaretur ad servanda præcepta: quia ad impossibile nemo obligatur. Ergo sequitur, quòd ex propriis naturalibus unusquisque potest implere ipsa.

In oppositum est illud *Jerem.* 10. *Non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Item *ad Roman.* 7. *Nec quod volo hoc facio &c.* prout in superioribus probatum est.

Respondetur: quòd quibusdam Catholicis visa fuit nimis dura positio *Augustini* contra Pelagianos: scilicet, quòd *nullus de se potest vitare malum, nec implere divina præcepta*, propter authoritates superius inductas, & propter illa inconvenientia, quæ videntur sequi ex positione *Augustini.* Ideo dixerunt, quòd *Augustinus* in prædictis libris contra Pelagianos non locutus est limitatè, nec determinatè de ista materia; immò locutus est figurativè & excessivè, ad modum volentis rectificare lignum tortuosum, qui curvat ipsum ad aliam partem ultra modum, ut deducat ipsum ad medium. Ita ergo, ut dicunt, fecit *Augustinus.* Nam ut reduceret Pelagianos ad rectitudinem veritatis, eò quòd totaliter negabant gratiam; ideo excedebat modum in loquendo. Item dicunt isti, quòd ibi *Augustinus*, non est locutus, nisi de gratia gratificante & meritoria. Et sic benè concedunt, quòd nemo potest implere divina præcepta, nec agere bonum meritoriè sine gratia gratum faciente: sed cum hoc stat quòd quis ex solo influxu generâli divino, absque aliqua gratia speciali, possit vitare peccata, & facere bona naturaliter, & consequi virtutes morales per frequentatos actus, licet non meritoriè.

Sed in veritate, si bene volumus inspicere fundamenta *Augustini contra Pelagianos*, & maximè in libro *de Perfectione justitiæ hominis*, & *de Natura & gratia*, & *contra Julianum*, & in cæteris, videbimus manifestè, quòd *Augustinus* loquitur limitatè & seriosè,

& non excesivè : sed rectè attentis fundamentis ejus, ut probatum est in *quarta* & *quinta Conclusione*, & ex fundamento *Apostoli ad Rom. 7.* cui valde concordat positio *Aristotelis* 3. *Anima*, & 7. *Ethicorum*, quomodo aliter operamur, quam ratio & conscientia dictat, ut in superioribus visum est. A

Nec est dicendum, quòd *Augustinus* loquatur præcisè de sola gratia gratificante & meritoria, immò loquitur etiam de ista gratia auxiliativa voluntatis, quæ secundùm ipsum quandoque præcedit, & prævenit charitatem, & gratiam gratificam, & quandoque subsequitur & comitatur ipsam : & non solum est in viris justis, sed etiam peccatoribus, sine qua non possent vitare aliqua peccata, nec resistere alicui tentationi; B nec possent velle aliquod bonum propter naturam corruptam. Et hoc manifestè probat *August.* 3. *lib. de Libero arbitrio*, dicens : *Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque, quâ bene uti noluit, potestatem.* Item ibidem: *Homo igitur cum potuisset sine difficultate omnia mandata Dei adimplere, nolens bene uti istâ potestate, perdidit eam: ut etiam volens non possit mandata Dei adimplere.* Item ibidem : *Inflictum est homini propter peccatum, ut non videat quid rectè sit faciendum : & si videt, & vult facere, hoc non possit implere.* C Item ibidem : *Nec tibi imputatur ad culpam quod vulnerata membra non colligis : sed quia volentem sanare contemnis.*

Ex supradictis verbis *Augustini* patet, quòd homo ante lapsum & in sua natura integra ex libera potestate poterat vitare omne malum, & facere bonum ex solis bonis naturalibus sibi inditis, scilicet ex modo, & ordine, & libero imperio, quod habebat supra sensualitatem. Sed post lapsum in natura corruptâ, & diminutâ, & libero arbitrio claudicato, jam non potest ex viribus naturæ vitare peccatum, nec facere bonum, nisi juvetur per gratiam superadditam naturæ : eò quòd natura, D scilicet vires naturales, fuerunt expoliatæ modo, & ordine, & habitibus concreatis, tàm in appetitu sensitivo, quàm intellectivo, quibus libere & expedite poterant operari absque obice intrinseco.

Unde licèt anima hominis non perdiderit suas naturales potentias per peccatum, quæ sunt potentiæ vegetativæ, & sensitivæ, & intellectivæ ; nec perdiderit naturales operationes earum (quia sensitivæ possunt sentire naturaliter sua objecta, & appetitus, tàm sensitivus, quàm intellectivus, potest appetere & non appetere, & voluntas de se potest velle & non velle) sed quia istæ potentiæ perdiderunt modum, & ordinem : quia E tàm irascibilis, quàm concupiscibilis perdidit habitus morales concreatos, quibus rectè & recta appetebat ; & voluntas perdidit originalem justitiam quâ recte & juste volebat & non volebat ; & perdidit ordinem & imperium quod habebat supra sensualitatem : Ideo licèt maneat libera in volendo & non volendo; tamen non manet libera in rectè volendo, vel non rectè volendo. Et licèt quandoque rectè velit ; tamen non paret ipsi sensualitas rebellis & sauciata: & ipsa voluntas non solum fuit expoliata illa originali justitiâ quâ rectè volebat, & ordine quo divinæ voluntati conformabatur, & obediebat, & sensua- F litati imperabat : sed etiam fuit totaliter ad sensualitatem conversa amore naturali, & per immoderatam complacentiam. Et ideo voluntas non concurrit ad peccandum coacta, sed allecta per sensualitatem, in quantum ipsi ex amore consentit, & ejus inordinato appetui vult satisfacere. Et sic liberum arbitrium non dicitur coactum : quia volens trahitur, prout dictum est in *sexta Conclusione secundi Articuli.* Et per hoc patet responsio ad objecta. Nam voluntas semper manet libera in sua actione naturali, scilicet, volendo vel nolen- G do : sed non manet recta in rectè volendo ; eò quòd perdidit modum & ordinem, qui ante lapsum fuerat inditus naturæ, sive viribus naturalibus. Et ideo homo est dominus suorum actuum primorum ipsius voluntatis ; sed non actuum rectorum & justorum, propter defectum modi & ordinis.

Et ideo omnes authoritates prius inductæ, scilicet, quòd *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit ipsum in manu consilii sui &c.* omnes illæ authoritates tenent verum, & sunt intelligendæ de homine ante lapsum in suâ integrâ naturâ. Sed omnes authoritates *Apostoli*, & *Augustini* ductæ in contrarium, tenent verum de naturâ corruptâ post H lapsum, in qua voluntas nostra sic expoliata non potest vitare peccatum, nec resistere malo, nec per consequens implere divina præcepta, nisi fuerit superno auxilio adjuta & roborata.

Ad aliud autem, quando dicitur, quòd Philosophi Gentium consecuti sunt virtutes morales absque gratia Christi &c. jam respondit *Augustinus*, quòd illi Philosophi, & Romani nunquam habuerunt veras, sed fictas morales virtutes, in quantum una passio vincebat aliam in eis : nam cupido laudis & dominandi vincebat in eis quandoque luxuriam, aut avaritiam, & cætera vitia aut passiones, ut æstimarentur & honorarentur

tur apud vulgus, ut dictum est in *undecima Conclusione*. Item etiam bona quæ A faciebant, non faciebant sine gratia Dei propter conservationem reipublicæ, ut ille populus duraret usque adventum Christi, ut ibidem dictum est. Item, leges feruntur, & assignantur pœnæ in eis, ut una passio vincat aliam, scilicet, ut metus pœnarum vincat & prohibeat audaciam male agendi, & cohibeat alias passiones impellentes ad malum, ut inquit *Augustinus*, & *Isidorus*: quia leges ideo conditæ sunt, ut earum metu humana cohibeatur audacia. Et sic homines non vitant mala publica virtutis amore, sed formidine pœnæ, ut inquit *Horatius*, & *Augustinus*.

Ad aliud quando dicitur, quòd nemo B obligaretur ad servanda divina præcepta, eò quòd ad impossibile nemo obligatur &c. Respondet *Augustinus Contra Julianum*, & ut dictum est super *Psalmo* 118. quòd quandoque quis obligatur ad sibi impossibile, quando ipse, vel sui, perpetrarunt malum: sicut homicida obligatur ad restituendum quem occidit, & fur restituere furtum quod jam dissipavit. Item, licèt vitare peccatum sit impossibile homini ex ejus viribus; tamen est possibile cum auxilio gratiæ: ideo petat gratiam cum perseverantia; quia *oportet semper orare*, *Luc.* 18. ideo dicit *Augustinus Contra Donatum*: quòd *Deus non solùm damnat peccatorem, quòd peccavit; sed quia non cucurrit ad medicum.* Item libro *de Libero Arbitrio*: *Non tibi im-* C *putatur ad culpam, quòd vulnerata membra non colligis: sed quia volentem sanare contemnis.*

Sed quod magis videtur militare contra positionem *Augustini* est illa authoritas *Genes.* 4. ubi dicit Dominus ad *Cain. Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Ex supradictis verbis Domini videtur, quòd adhuc post lapsum voluntas habet liberum imperium & dominium supra appetitum, & supra sensualitatem, & per consequens per se potest vitare peccatum, & facere bonum D absque aliâ gratiâ.

Ad hoc respondetur: quòd voluntatem subjicere sensualitatem & ipsi dominari, potest intelligi dupliciter: uno modo ex propriis viribus sic expoliata habitu originali justitiæ & vulnerata. Alio modo prout est adjuta gratiâ auxiliativâ liberi arbitrii. Primò modo est impossibile secundùm *Augustinum*, propter corruptionem & rebellionem carnis, & claudicationem liberi arbitrii: quia perdidit liberum imperium ad rectè volendum, & fuit voluntas vulnerata amore inordinato erga sensualitatem, ut dictum est. Sed secundò modo ipsa voluntas adjuta per gratiam potest dominari sensualitati, & cuilibet tentationi. Et isto modo sunt intelligenda verba Domini ad *Cain*. Quasi dicat, si tu vis petere gratiam, sicut frater tuus *Abel*: tunc adjutus tali gratiâ subjicies appetitum, & dominaberis illius: quia fuisses adjutus per gratiam, & vicisses iram & odium, quod concepisti contra fratrem tuum. Et hæc videtur esse intentio *Augustini Contra Pelagianos*. Verumtamen quicquid sit, semper dicta in hac Quæstione, & cæteris locis F per me, volo subjiciantur determinationi & correctioni Ecclesiæ Catholicæ.

ALIUD DUBIUM.

ITEM dubitatur propter illud quod frequenter dicitur in hac Quæstione, scilicet, quòd homo propter peccatum perdidit modum, & ordinem, & finem. Nam idem *Augustinus* dicit, quòd *species, modus, & ordo manent in unaquaque creatura tanquam vestigium Creatricis Trinitatis*: Ergo homo non perdidit modum & ordinem per peccatum.

Ad hoc respondetur; quòd *species*, *modus*, & *ordo* dupliciter sumuntur in homine: uno modo per respectum ad G Deum, & universum, & ad modum sui esse: & sic idem est quod numerus, pondus, & mensura. Et sic omnia fecit Deus sub certo numero & specie: quia species sunt sicut numeri, & sub certo pondere & modo: quia in certo loco universi collocavit, & sub certa mensurâ & ordine procedunt à Deo secundùm gradum perfectionis. Et isto modo species, modus, & ordo respiciunt esse & essentiam rei. Secundo autem modo species, modus, & ordo respiciunt operationes, & finem: & isto modo sequuntur formam: & sic vires & potentiæ animæ dicuntur bona naturalia speciei, quibus anima immediate operatur. Et habitus & dispositiones dicuntur modi potentiarum quibus H potentiæ bene & expeditè operantur. Et subalternatio inferiorum potentiarum ad superiores in operando dicitur rectus & debitus ordo: & ista dicuntur bona naturalia. Nam sicut vires dicuntur bona animæ: ita habitus & dispositiones dicuntur bona potentiarum. Et rectus ordo dicitur bonum operationum & potentiarum & habituum. Et isto secundo modo dicimus, quòd licèt homo per peccatum non perdiderit bona speciei, scilicet, vires & potentias; tamen perdidit

dit bona modi & ordinis : quia vires fuerunt expoliatæ & vulneratæ : & voluntas perdidit liberum imperium supra sensualitatem , nisi juvetur per gratiam, eo modo quo dictum est. Et ideo *oportet semper orare , & non deficere* , & *currere in odorem unguentorum Christi* , ut sanemur.

Ex solutione supradictorum quatuor dubiorum resultant *quatuor Conclusiones*: quarum *prima* est : quòd licèt per Baptismum non tollantur pœnalitates , nec miseriæ corporales de præsenti : tamen Baptismus confert meritum baptizato, ut possit resurgere in corpus glorioſum in novissimo die. Et sic licèt baptizatus non resurgat & liberetur ab illis pœnalibus in actu ; tamen jam resurgit & liberatur in merito.

Secunda Conclusio : quòd propter majus bonum nostrum relictæ sunt nobis pœnalitates in carne post baptismum ; scilicet , ad pugnam pro majori coronâ adipiscendâ , & ne tollatur meritum Fidei & Spei : & ut reparetur ruina Angelorum per homines.

Tertia Conclusio : quòd licèt baptizatus recipiat habitum Fidei , & Spei , & Charitatis per Baptismum ad solvendum ab omni debito : tamen non potest per illos habitus operari , nisi excitetur per habitus acquisitos , & adjuvetur per gratiam auxiliativam liberi arbitrii tempore discretionis.

Quarta Conclusio : Licèt homo ex propriis viribus non possit implere Divina præcepta , nisi adjuvetur per gratiam Christi ; obligatur tamen semper ad observandum Divina præcepta. Et sic obligatur ad ipsi impossibile : quia Deus semper exigit ab homine bonos habitus, quos *Adam* perdidit per culpam , & exigit operationes eorum : & ideo *oportet semper orare* , & petere gratiam , per quam homo possit adjuvari ad complendum Divina præcepta per gratiam, quæ non potest implere per naturam sauciatam.

Ex supradictis omnibus patent & manifestantur nobis *quinque diversi status hominis* succesivè. Quorum *primus* fuit *status innocentiæ* ante lapsum , in quo homo fuit in sua integrâ naturâ constitutus cum omnibus bonis humanæ naturæ proportionatis , scilicet , cum modo & ordine in sua natura , per quæ bona poterat ex propriis viribus sic modificatis & ordinatis vitare omne peccatum, & implere Divina præcepta : & sic merebatur de præsenti illam naturalem beatitudinem possidere in illo terrestri paradiso , sub illo favorabili hemisphærio Australi : & sic poterat non mori , nec pati miseriam. Sed ultra hoc per gratiam gratificam , sibi supra facultatem naturæ largitam merebatur post longam vitam temporalem absque morte transferri in vitam meliorem & cœlestem , & æternam felicitatem.

Secundus status hominis fuit *post lapsum* , in quo statu postquam homo perdidit locum & situm illius paradisi , & perdidit lignum vitæ , non potest non mori , nec infirmari : immò habet necessitatem moriendi , & infirmitates , & innumeras miserias patiendi. Et quia perdiderunt modum & ordinem vires naturales , ideo homo non potest vitare peccatum , nec implere Divina præcepta absque supernaturali auxilio divinæ gratiæ, naturæ superaddito in supplementum bonorum perditorum. Et sic *Adam* cum tota sua posteritate mansit in ira & odio Dei obligatus ad pœnam æternam sensûs vel damni : & per consequens fuit privatus illâ gratiâ gratificâ, qua poterat transferri in vitam meliorem. Sed homo in isto secundo statu per gratiam fidei Christi futuri poterat vitare peccata , & implere Divina præcepta , & merebatur redimi per Christum in suo adventu , ut patet de *Adam* , & *Abel* , & *Enos* , & *Noe* , & *Abraham* , & cæteris Patriarchis , & Prophetis , & fidelibus veteris Testamenti , qui cum protestatione fidei Christi futuri non solum expiabant peccata , sed etiam merebantur redimi per Christum in suo adventu , & participare passionem ejus. Et ideo quia sub tali protestatione offerebant oblationes & sacrificia , & recipiebant aliqua sacramenta in signum fœderis & in figura Christi , hinc est quod meruerunt participare passiones Christi & recipere nobiscum repromissiones.

Tertius status hominis est *post adventum Christi* in quo omnes homines mundi possunt participare passionem Christi per Baptismum Christi , & cætera Sacramenta : per quem Baptismum datur gratia gratifica in actu , & Fides , & Spes, & Charitas in habitu : quæ quidem gratia baptismalis tollit omne debitum , & omne peccatum ex anima , ut non insit, nec imputetur homini ad pœnam æternam : & tollit ex carne concupiscentiam, non ut non insit , quia ibi manet in habitu ; sed ut non imputetur animæ ad peccatum per ejus consortium : unde ille fomes & concupiscentia , quæ manet in carne post Baptismum non imputatur homini , nec animæ ad peccatum per solum habitum : sed reputatur ad peccatum per actum cum consensu ; scilicet, quando voluntas consentit actibus concupiscentiæ.

Item , gratia baptismalis ultra hoc quòd tollit omne debitum & peccatum, confert duplex meritum : primò , quia per talem gratiam homo meretur vitam æter-

æternam post istam mortem corporalem. Secundò, meretur glorioſam resurrectionem in noviſsimo die. A

Item, homo in isto tertio statu constitutus, licèt ex propriis viribus non posſit vitare peccatum, nec implere divina præcepta propter corruptionem & concupiſcentiam manentem in carne, & impedientem habitus theologicos in ſuis operationibus: tamen per gratiam auxiliativam & actualem postulatam & largitam potest vitare omne peccatum, ne admittat, & consentiat voluntas tentationibus: & ſi homo est in peccato, potest per talem gratiam disponi ad pœnitentiam, & gratiam gratificam.

Quartus ſtatus hominis eſt poſt mortem corporalem, in quo, ſi deſcendit ab hoc sæculo cum gratia & charitate, licèt corpus resolvatur in terram; B tamen anima fruitur in Cœlo visione Divinæ essentiæ cum certa & firma spe recuperandi corpus glorioſum in noviſſimo die, ut ait *Auguſtinus* 12. *ſuper Geneſim*, & *Magiſter* 4. *Sententiarum diſt. ult.*

Quintus & ultimus *ſtatus hominis erit poſt ſecundam regenerationem & reſurrectionem*, per quam auferetur ab homine omnis lacryma & miseria corporalis. Et sic erit homo in ultima sui perfectione, & sufficienti reparatione, & perfecta beatitudine corporis & animæ: quia posſidebit gloriam utriusque, scilicet, corporis & animæ, & totus homo fruetur toto Christo: Nam per oculos glorificatos corpotis videbit humanitatem Christi: & per partem rationalem videbit, & fruetur totâ Trinitate in unitate Essentiæ: & sic erit perfectè beatus. Ex quo patet magna differentia inter istam secundam regenerationem factam per resurrectionem, & primam factam per Baptiſmum & Pœnitentiam, quæ tantùm purgabat animam à peccato, & absolvebat ab omni debito contracto, sed non contrahendo: & conferebat gratiam gratificam meritoriam vitæ æternæ, & futuræ resurrectionis, ut dictum est: sed non tollebat, nec auferebat causas peccati futuri; quia non tollebat corruptionem, nec morbum concu- D piſcentiæ ex carne: nec recuperabat juſtitiam originalem cum cæteris omnibus bonis perditis in Adam. Sed ista secunda regeneratio, & finalis resurrectio non solum beatificabit animam, sed etiam corpus, & totum hominem: nec solum absolvet juſtos ab omni debito, sed etiam tollet, & auferet omnem causam peccati, & miseriæ ex anima & corpore: & recuperabit omnia bona corporis & animæ, quæ perdidimus in Adam: immò adipiſcemur omnia bona gloriæ corporis & animæ cum securitate & satietate: & tunc erimus perfectè beati in E ultima perfectione. Ex quibus omnibus patet, qualiter Christus fuit perfectus & sufficiens Redemptor & reparator humanæ naturæ, & metrum, & mensura, & fons omnium bonorum naturæ, & gratiæ & gloriæ.

RESPONSIO AD ARGUmenta.

SED nunc restat respondere ad Argumenta in principio totius Quæſtionis inducta: *Ad primum* ergo patet responſio per *ſecundam Concluſionem* positam in *tertio Articulo*: quia omnes F fideles veteris Testamenti erant membra Christi per fidem: & jam per Legem sacrificiorum & oblationum, & cæterorum cærimonialium *currebant in odorem unguentorum Chriſti*; & per consequens jam operabantur per gratiam Christi.

Ad ſecundum autem patet responſio per *tertiam Concluſionem* tertii Articuli: quia licèt Philoſophi Gentium non haberent fidem Christi; tamen non operabantur aliquod bonum, nec cohibebant vitia ſine gratia Christi prohibitivâ malorum, ne periret genus humanum, ſed perſeveraret usque ad adventum Christi, & reciperet fidem ejus. Et hoc idem est dicendum de Saracenis, ut ibi dictum est.

G Ex dictis etiam in *ſecundo Articulo* solvuntur tres primi perplexus positi in primo Articulo. Nam quia primi parentes fuerunt creati cum quatuor bonis naturæ, immortales, & liberi ab omni miseria, & cum copia omnium bonorum naturalium in illo paradiso delitiarum; sed propter peccatum fuerunt privati & expoliati illo felici statu: ideo omnes homines desiderant naturaliter illum statum: quia privatio est causa appetitus. Item quia homo non solum fuit expoliatus bonis naturæ, modi, & ordinis, & finis: sed etiam fuit sauciatus in omnibus potentiis: ideo agit contra id quod conſcientia, & ſcientia, & ratio dictat: & H sic solvitur secundus & tertius perplexus.

Quartus autem perplexus, putà, quòd scandalizantur & mirantur ſimplices Christiani, quando vident homines scientificos & in sacra Scriptura utriusque Taſtamenti peritos, operantes contra id quod dicunt & prædicant: iſte perplexus solvitur per hoc, quia gratia sermonum & scientiæ acquisitæ &c. non sunt gratiæ gratificæ, sed gratis datæ aliquibus ad utilitatem corporis myſtici: ideo gratiæ dantur etiam malis; quæ quidem gratiæ quia non tollunt morbum

bum & concupiſcentiam carnis , ideo eſt ſemper neceſſaria gratia auxiliativa liberi arbitrii ad vitanda peccata , & implenda præcepta : quam gratiam contemnunt petere , ut plurimum , inflati, de ſua ſcientia & viribus præſumentes. Et ideo confunduntur in operationibus ſuis. A

Alii autem dicunt , quòd cauſa quare multi viri periti , & mali Prælati ducut vitam pravam , eſt defectus fidei; & per conſequens charitatis : nam licèt prædicent Legem Euangelicam , & ſubtiliſsimis diſputationibus reddant rationem de rebus Divinis , & noverint Canonica Jura ; tamen non firmiter credunt Articulis fidei : ideo factis negant quod verbis confitentur. Et ſic committunt multo enormia & illicita contra Legem Dei & ſacros Canones Eccleſiæ. B C

Ex quo patet , quòd non habent firmam fidem , ſed ſolam opinionem de his quæ dicunt , ſicut dicit Ariſtoteles de incontinente. Quicquid ergo ſit , ſemper hoc accidit ex defectu gratiæ motivæ & auxiliativæ liberi arbitrii , per quam virtutes Theologales excitantur & moventur ad operandum , ut ſupra dictum eſt , & magis explicabitur in Euangelica veritate. *Oportet* ergo pro iſta gratia *ſemper orare , & non deficere* , & ſemper *currere in odorem unguentorum Chriſti*: qui eſt principium , & fons , & largitor omnium bonorum naturæ , & gratiæ, & gloriæ. Ad quam nos perducat ipſe Chriſtus , qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. D E F

Amen.

IN

IN SYMBOLUM S. ATHANASII EXPOSITIO.

Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem.

PROOEMIUM.

TITULUS hujus Cantici eſt, *Symbolum Fidei Catholicæ:* vel *Pſalmus Fidei*: aut *Symbolum Athanaſii*. Eò quòd *Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus* contra Hæreſim Arianam edidit illud, ad explanandum Fidei Catholicæ veritatem. Erat quippe *Arius* Presbyter, & Magiſter Scholarum Alexandriæ, qui Epiſcopatum ambiens, quia adipiſci non potuit, hanc hæreſim condidit, ut diceret Patrem majorem, Filium minorem, & Spiritum ſanctum ſervum Patris & Filii, vel creaturam. Ob hanc cauſam ab Epiſcopo Alexandriæ pellitur ab urbe: poſtea in Nicæna Synodo damnatur, & *Conſtantino* jubente in exilium portatur. Tandem pœnitentiam fictè agens, in communionem recipitur, ac poſtremo in Alexandria Divinâ ultione hâc percutitur: quòd videlicet in ſeceſſum effuſis viſceribus rumpitur.

Contra ejus errorem per orbem pullulantem hoc Symbolum Fidei ab *Athanaſio*, ut prædictum eſt, editum, ab Eccleſia in Concilio Nicæno approbatum acceptatur: ac inſtituitur, ut diebus Dominicis ad Primam decantetur: hoc ideo, ut Fidelis in principio diei, & initio operum ſuorum Deum, quem invocat, veraci Fide credat, & confiteatur: & ſic loricâ Fidei circumdatus, contra omnia adverſa muniatur, ac in operibus bonis vitam æternam Fidelibus promiſſam mereatur.

Intentio eſt, oſtendere Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unum eſſe Deum, indiſtinctum in Eſſentia, & diſtinctum in Perſonis, & Filium ſolum incarnatum: & hunc eſſe verum Deum & Hominem, Deum verum ex Patre ab æterno genitum, & hominem ex Matre virgine in tempore natum. Et ſic in duas partes principales dividitur. In prima parte agit de Sanctiſsima Trinitate: in ſecunda de Chriſti humanitate. Hæc Honorius. Dicit itaque ſic.

De Summa Trinit. & Fide Cathol. cap. Firmiter.

Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem.

ID eſt: oportet, vel neceſſarium eſt ad ſalutem conſequendam. i. univerſalem Fidem Chriſtianæ Eccleſiæ. Nam ſcribitur *Hebr.* 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Ideo ſubditur:

Quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit.

INtegra *Fides* eſt, ut omnes & ſingulos Articulos Fidei credat firmiter, & in nullo articulorum dubitet: ſicut faciunt Hæretici, & Schiſmatici, qui licèt Articulos principales credant; tamen Eccleſiæ Sanctæ Romanæ obediendum eſſe non credunt; contra Articulum illum *Credo in Spiritum ſanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam:* tenentes, quòd Romana Eccleſia non ſit caput Eccleſiarum, nec ei ſit obediendum: cùm Chriſtus dixerit, *Matth.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* &, *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Item, *inviolatam* Fidem ſervat, qui uſque in finem perſeverat in Fide formata charitate, nec apoſtatando, aut aliquo mortali peccato eam violat, aut ſaltem de peccatis pœnitendo in Fide finaliter perſeverat. Sed quæ ſit hæc fides ſubdit:

Rom. Eccleſ. eſt caput omnium Eccleſiar.

Fides autem Catholica hæc eſt: ut unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur.

21. diſt. Quanvis, & 22. diſt. Sancta Rom.

NAM Deus in Eſſentia unicus eſt, & ut dicit *Boetius*, ſi dici libeat, *Uniſſimus eſt:* quia ſuper omnia ſimpliciſsimus, & unicisimus, ac indiviſibilis eſt in Eſſentia. Sed tamen huic ſimplicitati nil repugnat trinitas perſonalis in eadem Eſſentiæ unitate. Et ſic unitatem Eſſentiæ in trinitate perſonarum, Patris, ſcilicet, & Filii & Spiritus ſancti, ac ipſam Trinitatem perſonarum in unitate Eſſentiæ Divinæ veneramur. Unde non licet adorare tres Deos, ſed unicum. Et quis uni-

Deus uniſſimus.

Unicus Deus adorandus.

unicus Deus est adorandus ? Respondetur secundùm *Augustinum*, quòd *ipse Deus unicus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Sed quomodo hæc subdit?

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Cõfundere personas quid sit?

UBI notandum, quòd *Sabelliani* Hæretici dicebant unam Essentiam trium personarum *confusivè*. quia confundebant personas, dicentes, eamdem esse personam Patris, quàm & Filii & Spiritus sancti. Et dum ipse Pater vellet vocari Pater, vocat se in Scriptura, vel nominat Patrem; atque dum vult, vocat se Filium : & similiter dum vult, vocat se Spiritum sanctum. Et hoc est confundere personas. Contra hos dicitur hìc: *Trinitatem in unitate veneremur: Neque confundentes personas*, sicut faciunt prædicti Hæretici Sabelliani.

Error Joachim reprobatur.

Item, alii Hæretici dixerunt : quòd tres personæ in Divinis sunt *collectivè*: hoc est, sicut quando plures res diversarum substantiarum in unum convenientes faciunt unum : putà, quando tres personæ, v. g. Petrus, Paulus, Joannes convenirent in unum aliquid, putà, in unum consilium, vel judicium faciendum, dicuntur unum consilium, vel judicium: & plures homines dicuntur unus populus: vel plura membra integrativè faciunt unum corpus. Et nec hoc modo sunt tres personæ in Divinis : quia sic dicere, esset error *Joachim*, qui reprobatur *Extrav. de Summa Trinitate & Fide Catholica, cap. Damnamus.* Contra tales errores, & consimiles dicitur : *Neque substantiam separantes*, id est, dividentes Essentiam. Non enim Essentia Divina dividi potest in plures substantias: nec putandum est, unam partem Divinæ Substantiæ esse Patrem ; alteram partem esse Filium ; tertiam partem esse Spiritum sanctum. Unde *Augustinus, lib. 1. de Trinit.* „ Singulus quisque horum „ est Deus, & simul omnes unus Deus: „ & singulus quisque horum plena est „ substantia : & simul omnes una substantia. Pater enim nec Filius est, nec „ Spiritus sanctus, sed tantummodo Pater : & Filius nec Pater est, nec „ Spiritus sanctus, sed tantummodo Filius : & Spiritus sanctus nec Pater est, „ nec Filius, sed tantùm Spiritus sanctus. Propterea subditur:

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.
Sed Patris & Filii & Spiritus sancti una est Divinitas, æqualis gloria, & coæterna majestas.

UNA, inquit, *est divinitas*, non confusiva unitate, nec collectiva, vel integrativa, sed identica : quia plures personæ sunt eadem Essentia Deitatis ; sicut in Anima rationali plures potentiæ, videlicet Intellectus, Memoria, & Voluntas, licèt sint tres distintæ potentiæ animæ, tamen sunt unica anima in essentia. Et ne quis crederet, quòd istæ tres personæ Divinæ in unica Essentia essent inæquales, ita quòd una esset major alterâ, sicut credidit Arius : ideo addit, quòd earum *æqualis est gloria, & coæterna majestas.* Hæc declarat dicens:

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

NAM licèt in proprietatibus propriis, seu personalibus distinguantur (quia Pater à nullo est, Filius à Patre solo est genitus, & Spiritus sanctus ab utroque procedens, ut infra dicetur) tamen in proprietatibus impropriis, vel communibus omnino sunt æquales, videlicet in creationis proprietate, & immensitate, æternitate, omnipotentia, Deitatis majestate, & dominio. Unde subdit dicens.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.
Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Id est, infinitæ virtutis, & incomprehensibilis bonitatis est, ac infinitæ sapientiæ, & pietatis. Et æqualiter

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Exemplum secundum Augustinum. Si ignis esset æternus ; & ejus splendor, qui ab igne procedit, atque ejus calor procedens ab igne & splendore, simul esset coæternus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus:

Scilicet, Deus est.

Sicut non tres increati, nec tres immensi ; sed unus increatus, & unus immensus.

Si-

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus. A

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Quia, ut ait Augustinus, tota plenitudo Deitatis, vel Divinæ Essentiæ est in singulis, & simul una Deitas. Ideo subditur:

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus. B

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unumquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur. C

Quæsitum SED quæritur. Quare non possumus Catholicè dicere, *Tres Deos, aut Dominos*? Nam *Deus* idem est quod *habens Deitatem*; & *Dominus* idem est quod *habens dominium*: sed tres sunt personæ habentes Deitatem; & hoc dici potest Catholicè, quia, ut prædictum est, *Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*: similiter tres personæ sunt habentes dominium: quia, *Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.* Quare ergo non possumus Catholicè dicere, *Tres Deos, aut Dominos*? Item, cùm tres sint personæ increatæ, immensæ, & æternæ, & omnipotentes, ut patet ex hoc ipso Symbolo: quare non dicuntur, *Tres increati*, vel *tres immensi*, vel etiam *tres æterni*, & *tres omnipotentes &c.* D

Aliud quæsitum.

Responsio. Respondetur secundùm Bonaventuram super 1. *Sententiar. dist.* 23. *quæst. & artic. ult.* quod Catholicè non possumus dicere tres Deos: quia hoc est contra sacram Scripturam, *Deuteron.* 6. *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Item, quia Fides Catholica in hoc Symbolo hoc expressè dicit: & hoc ipsum ratio dictat, secundùm eumdem *Bonaventuram* contra *Petrum de Tarantalis*: quia hoc nomen *Deus*, dicit, vel significat Divinam naturam, sive substantiam solam (vel Essentiam) sine proprietate relativa. Sed Divina natura, vel essentia non plurificatur, nec potest numerari in Divinis, eò quòd unica & simplicissima est in omnibus & singulis personis: Ergo nec hoc nomen *Deus* plurificatur; & per consequens non potest dici, *Tres Dii*, vel *plures Dii*: sic nec *plures*, vel *tres Domini*, vel *increati*, vel *immensi*, aut *omnipotentes &c.* Quia istæ proprietates accipiuntur, in quantum concernunt & restinguntur ad Essentiam solam, vel naturam, quæ non potest plurificari in Deo: Ut sit sensus: *Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus: Æternus Pater &c.* E

F *Et tamen non tres æterni, sicut non tres increati*, scilicet Dii, vel etiam *immensi &c. Nec tres omnipotentes* Dii, aut Domini sunt. Quia sunt tres personæ increatæ, æternæ, & omnipotentes; non sunt tres increatæ Deitates, vel omnipotentes tres Essentiæ Divinitatis: sed in una increabili, immensaque, æterna, & omnipotente Deitate sunt tres personæ relativâ proprietate distinctæ; scilicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus &c. quorum dominatio est unica, & Essentia unica, increabilis, immensa, æterna, & omnipotens Deitas.

Ad illud autem quod arguebatur, scilicet: *Deus idem est quod habens Deitatem &c.* respondet *Bonaventura:* G quòd hîc *Deus* non significat habentem Deitatem; sed significat Deitatem ipsam, scilicet essentialiter in comparatione ad habentem: & ideo non multiplicatur, cùm sit unica ista Essentia, licèt ratione relationis possit in personis plurificari per proprietates personales &c.

Postquam ostendit æqualitatem personarum in communibus proprietatibus Essentiæ Divinæ, consequenter jam ostendit earumdem distinctionem in propriis proprietatibus, vel notionibus personalibus, dicens postea:

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

H Hoc quippe est proprium personale Patris, scilicet à nullo esse, & innascibilem esse.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Hoc enim est proprium Filii, quo distinguitur ab aliis personis: quia à Patre solo est genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus

tus, nec genitus, sed procedens.

A Quia hoc est proprium Spiritus sanctus, scilicet procedere à Patre simul ex Filio.

Quæsitum Si quæras: In quo differt processio Spiriti sancti à genitura Filii? Respondet *Bonaventura super* 1. *sent. dist.* 13. *quæst.* 2. dicens: quòd *generatio Filii est emanatio secundum modum naturæ: sed Spiritus sanctus procedit per modum amoris. Ergo non dicitur generari, sed procedere.* Ad id declarandum nota, quòd Deus est intellectualis naturæ, sicut præsupponitur ab omnibus, etiam Philosophis, & Theologis: ideoque in Deo ponitur Verbum, vel Sapientia, juxta illud *Joann.* 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et B quia Deus intelligit per propriam Essentiam vel per se ipsum; ergo Deus erat ab æterno Verbum, ut declarat *Lira* super *Joann.* 1. Itaque secundum *Honorium* declarando advertendum est, quòd Dei Sapientia immutabilis, quia semper eadem est, dupliciter se habet: Uno modo prout est *Sapientia dicens;* id est, omnia fieri jubens. Et hæc est Pater, qui dixit, & facta sunt omnia secundum ejus jussum. Alio modo, prout est *Sapientia dicta*, sive in mente Divina concepta. Et hæc Sapientia est Verbum Dei, ac Dei Filius à Patre genitus per modum naturæ intellectualis. Et quia inter generantem & generatum est naturalis amor; & C inter intelligentem ac ejus intelligentiam, vel Sapientiam est naturalis delectatio amorosa: talis amor in Deo dicitur Spiritus sanctus secundum eamdem Sapientiam. Sed quoniam in Deo nullum cadit accidens (7. *Metaphys.*) Ergo ibi est processio amoris secundum propriam Essentiam Divinam, & non accidentalis. Ideoque in Deo Pater intelligens, vel sapiens, & Filius, qui est Verbum Sapientiæ, vel Sapientia Patris; & Spiritus sanctus, qui est amor, vel nexus Charitatis amborum, sunt una Essentia in tribus prædictis personis juxta proprietates prædictas, distinctionem personalem habentes. Propter quod subditur:

D

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Quia unica est persona, quæ à nullo habet esse, ut prædictum est: quia unica est persona, quæ à solo Patre gignitur per modum naturæ intellectualis: quia unica est persona, quæ per modum amoris procedit ab utroque; unde & Spiritus sanctus dicitur: quia spiratur sanctissimè per modum amoris.

E

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Quia sunt coæternæ, *August.* 7. *de Trinit. In Trinitate*, inquit, *non est aliquid majus duæ personæ, vel tres, quàm una: neque prior tempore, vel major Pater, quàm Filius, aut Spiritus sanctus. Unde Christus dixit: Ego & Pater unum sumus.* Et est hoc contra errorem Arii. Proinde subditur:

F

Ita ut per omnia, sicut jam supradictum est, & unitas in trinitate, & trinitas in unitate veneranda sit.

Quid vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sicut in præmissis dictum est. Consequenter in parte secunda hujus Cantici agitur de mysterio & fide Incarnationis. De qua subditur:

G *Sed necessarium est ad æternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu-Christi fideliter credat.*

Unde *Marc. ult.* Christus ait: Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Est ergo Fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius Deus & homo est.

H

Unde Leo Papa, *Æqualis*, inquit, *periculi est, Dominum nostrum Jesum Christum aut Deum tantummodo sine homine, aut hominem sine Deo credidisse: cum utrumque sit necessariò confitendum: quia Verbum caro factum est:* id est, Dei Filius homo factus est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo est ex

subs-

Contra Græcos, patet in Clement. Fideli de Summa Trinitat. & Fide Chatol.

substantia matris in sæculo natus.

Scilicet Dei, id est, ab æterno A secundum suam Deitatem, sicut lumen de lumine Deus verus de Deo vero, ut supra ostensum fuit, id est, secundum suam humanitatem, hoc est, ex puro Virginis sanguine, virtute Spiritus sancti, id est, temporaliter in hoc mundo.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.

SCilicet ab instanti suæ conceptionis. Fuit enim mox perfectus in corpore secundum omnia membra & lineamenta corporis Divina virtute formatus. Et B in eodem instanti anima ejus creata fuit, & omni sapientiâ, scientiâ, & gratiâ repleta. Et in eo instanti creationis animæ, ac formationis corporis fuit Divinitati perfectissimè unita. Unde *Damascenus*: *Non priùs caro: non prius animata caro; sed simul caro, simul animata caro, simul Verbi Dei caro: unde fuit statim perfectus Deus, & perfectus homo.* Unde errant qui putant, quod Christus animam non habuerit, sed Divinitatis in eo, loco animæ fuerit. Contra quod scriptum est *Joann.* 19. *Inclinato capite emisit spiritum*, id est animam.

Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem. C

SCilicet Deo: quia ut sic creatura est, id est, secundùm humanitatem. Ergo minor est Deo Patre: sed secundùm Deitatem, æqualis gloriæ, & sapientiæ, majestatis, bonitatis, ac ejusdem Essentiæ cum Patre est. Unde *Joann.* 10. Christus dicit: *Ego & Pater unum sumus.* Hoc dixit de se in forma Dei, vel secundùm Deitatem. Et idem Christus, *Joann.* 14. dixit: *Pater major me est.* Ait in forma servi, id est, secundum humanitatem.

Qui licèt Deus sit & homo: non duo tamen, sed unus est Christus. D

Quia una persona est in duabus naturis, scilicet, in Deitate & humanitate consistens. Sed quomodo sit ista unitas Christi, vel unio humanitatis ad Deitatem Christi, subdit:

Unus autem non conversione Divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum.

E NON enim Deitas mutata est, vel conversa in carnem, vel humanitatem, quia Deitas est immutabilis, scilicet, per unionem, non per conversionem, sive commixtionem: sed, ut dicit *Leo Papa in Serm. Nativitatis*, *Salva proprietate utriusque substantiæ*: scilicet, tam Divinæ, quàm humanæ, *in unitate personæ suscipitur à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas &c.*

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

F PRO quibus notandum est, quòd secundùm *Albertum Magnum* 4. *lib. Naturalium*, *cap.* 1. & *Concord. Thom. in* 3. *part. quæst.* 2. quatuor modis fieri potest unum aliquid ex pluribus. Uno modo *per compositionem*; quando scilicet remanentibus partibus principalibus, & etiam secundariis in sua integritate, ex pluribus componitur unum: ut in compositione domus, ubi manent integræ partes principales, scilicet parietes, vel muri; & etiam manent partes minus principales, vel secundariæ, scilitet ligna, vel lapides in parietibus; & sic componitur domus. Secundò fit unum ex pluribus *per confusionem*: scilicet quando manent tantummodò partes minùs G principales, vel secundariæ, & mutantur partes principales confusione factâ: sicut si ex modio frumenti, & modio hordei confundendo fit unum: ibi enim partes principales mutantur, scilicet mensura modii & modii; tamen in se ipsis integræ manent partes secundariæ, scilicet grana frumenti, & grana hordei, quamvis confusæ. Tertiò, fit unum ex pluribus *per conversionem*, vel *commixtionem*; scilicet quando nec principales, nec secundariæ partes manent: quemadmodum ex commixtione aquæ & mellis fit hydromel, ubi nec manet aqua in se purè, nec mel, sed commiscentur sibi. Quartò, fit unum ex pluribus *per unionem*: quando scilicet plures res permanentes in sua natura, in H unum aliquid numero conveniunt; ita quòd simul operantur, & unum non agit sine alio, sed sibi mutuò communicant suas operationes: sicut ex anima & corpore fit unus homo. Et hoc ultimo modo, scilicet *per unionem* in Divinitate & humanitate unus Christus subsistit: non autem per compositionem; quia Deitas non habet partes, nec secundùm partes humanitati compositibilis est: Nec per confusionem; quia confundi non potest, sicut nec permisceri: sed ut est per unionem qua Deitas assumpsit

Unum pō test fierì aliquid ex pluribus.

sit humanitatem. Propter quod in Symbolo statim subditur:

A *Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo: ita Deus & Homo unus est Christus.*

Duplex unitas.

SED juxta hoc etiam est notandum, quòd hæc similitudo non est omnimoda, ut patet per Sanctum *Thomam, ubi supra in solutione 2. argum.*„ Quia in„quit, ex anima & corpore in unoquoque „nostrûm constituitur duplex unitas: una „naturæ, alia personæ. Naturæ quidem, „in quantum anima unitur corpori perfi„ciens ipsum, ut ex ipsis fiat una natura „sicut ex materia & forma. Et quantum ad „hoc non tenet ista similitudo: eò quòd „natura Divina non potest esse forma B „corporis, cùm sit incomponibilis. Unitas „autem personæ constituitur ex anima & „corpore, in quantum sit unum aliquid „subsistens in corpore & anima. Et „quantum ad hoc bene attenditur, ac „tenet ista similitudo: scilicet, quia sicut „unus homo, vel una persona est subsis„tens in carne & anima: sic unus Christus „subsistit in Divina & humana natura. Hæc *Thomas*. Item, quia sicut anima nullam habet operationem, quam non communicet corpori: (3. *de Anima*) sic Deus & homo per hanc unionem in Christi persona communicant sibi mutuò idiomata; ut dici possit verè, quòd Deus passus est, mortuus est, resurrexit, & hujusmodi. Et similiter; Iste homo, vel puer Chris- C tus natus, creavit Cœlos, & Rex est omnium sæculorum: & hujusmodi. Item, quia sicut anima est tota in corpore humano, & in qualibet parte tota secundum essentiam, ut ait *Augustinus*: sic Deus fuit totus in humanitate, & in qualibet parte totus: & sic de aliis aliquo modo est assimilatio, quòd videlicet *Deus & homo unus est Christus* unitate personæ.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Scilicet Christus: scilicet, secun- D dùm animam: id est, ad Limbum Sanctorum patrum, ut eos inde educeret, visitando eos & consolando.

Ascendit ad Cœlos: sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

Secundùm *Augustinum* hoc exponitur dupliciter. Uno modo, intelligendo de Christi Deitate: & sic ad dexteram E Patris manere. Alio modo, de Christi humanitate: & sic dicitur Christus sedere in dextera Patris, id est, in potioribus bonis gratiæ & gloriæ, ac summo honore super omnes creaturas. Nam quos honoramus, dexteram illis damus.

Quomodo sedet Christus ad dext. Patris.

Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

Hoc est justos, & impios, qui vivi reperientur usque ad finem mundi, & qui jam mortui sunt.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus F *suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.*

Scilicet præteriti, præsentes, & futuri: scilicet, ut in eis præmientur, vel puniantur perpetuò. Unde subditur, scilicet ut recipiat unusquisque pro operibus in corpore suo sive bonum, sive malum, secundùm merita & demerita. Propter quos sequitur:

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.

G Scilicet, in corpore & anima.

Hæc est Fides Catholica: quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

HOC idem in principio positum fuerat, licèt sub aliis verbis: & hic in fine repetitur, sicut solet fieri sæpissimè in Canticis & Psalmis ad firmiorem assertionem veritatis; & etiam ob mysterium: quia per hoc instruimur, quòd nos qui hîc in vita tamquam in principio operum me- H ritoriorum confitemur fidem Trinitatis, & humanitatis Christi mysteria secundùm omnes Articulos fidei in hoc Cantico descriptos; tandem in fine vitæ & mundi merebimur æternam salutem consequi in ejusdem Sanctissimæ Trinitatis, & Christi Jesu faciali visione. Quam nobis præstet Deus omnipotens Pater & Filius & Spiritus sanctus.

Amen.

IN-

INDEX ALPHABETICUS
RERUM AC VERBORUM, QUÆ IN HOC SECUNDO Tomo continentur.

A

Aaron. Per Aaron significatur Sacerdotium Christi. 52. F.

Abel, dicitur primus justus & Martyr, qui mortuus est pro justitia & innocentia in figura Christi, & pro Christo. 620. G.

Aben Ezra impugnatur ut hæreticus, à pag. 238. H.

Abraham, Isaac, & Jacob, fuerunt uncti oleo spirituali Spiritus sancti, & sic fuerunt veri Prophetæ. 48. D.E. Sic fuerunt Christi, id est, uncti, Ibid. F. Utrum *Abraham* antequam à Deo vocaretur, & exiret de *Ur* Chaldæorum, adoraverit idola secundum consuetudinem patriæ, & patris ejus Thare ? 291. à lit. E. *Abraham*, & Israel, & semen Abrahæ & Israel, non sunt nomina carnis & naturæ, sed nomina fidei, & gratiæ, & mysterii. 443. F. & seqq. Duplex merces & hæreditas fuit promissa *Abrahæ*, Isaac, & Jacob, scilicet cœlestis, & terrena, & per consequens præter terram Chanaam fuit eis promissa hæreditas in cœlo. 549. H. & seqq. Ita nomina *Abraham*, Israel, & Jacob non sunt nomina carnis & naturæ, sed nomina gratiæ, & promissionis, & fidei, & Sacramenti. 559. A. & seqq.

Adam, primus & secundus. 1. A. Isti duo sunt principia omnium hominum. Ibid. B. Lapsus Adami significatus per parabolam illius qui descendit ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui expoliaverunt eum, & percusserunt, & plagis affectum reliquerunt &c. Ibid. D. & deinceps. Comparatur Nicticoraci & pellicano. 3. H. & 4. A. B. Adami felicitas in statu innocentiæ describitur pag. 143. H. & 144. A. Post lapsum incidit in sex mala, quæ recensentur. Ibidem B. C. Adam mysticus peregrinus & infirmus per hanc vallem lacrymarum. 144. E. Cui Deus in principio dedit Legem naturalem. Ibid. Iterum Adam significatus per illum hominem qui descendit ab Jerusalem in Jericho qui incidit in latrones, &c. 143. F. G. & 146. C. Justitia originalis Adami in quo consistebat. 269. F. G. Adam novit quatuor essentialia in Deo. 286. E. F. Adam cum tota posteritate fidelium per unam legem ambulavit & peregrinatus est ab *Aleph* usque ad *Tau*, id est, à principio mundi usque ad finem, discurrendo per omnes ætates sub una side Christi. 290. H. Adam appellavit & vocavit *Nomen Dei*, & voluit scribere & significare ipsum per illas quatuor literas, *jod, he, vau, he.* 310. B. C. &c. Sub his quatuor literis incæpit colere Deum, & invocare nomen Domini. Ibid. D. Fides & spes Adami de Christo futuro. 620. C. D. & seqq. & 761. A. Adam fuit creatus cum omnibus quatuor bonis naturæ. 758. H. & seqq. Naturalis finis & præmium Adami & posterorum ejus erat vivere in hemisphærio Australi, qui dicitur *paradisus* voluptatis, &c. 760. B. C. & seq. Adam & Eva fuerunt creati in gratia supernaturali gratum faciente. 760. G. & seqq.

Adam per peccatum licèt non perdiderit bona speciei, quæ sunt vires naturales animæ & corporis; tamen perdidit modum, & ordinem, & finem: quia fuit expoliatus omnibus bonis & habitibus omnium potentiarum, quibus expeditè, & rectè, & ordinatè operabatur: & per consequens fuit expoliatus illâ originali justitia cum suo præmio. 761. B. C. & seqq. Ultra hoc per peccatum fuit percussus & sauciatus in omnibus potentiis, & in tota persona; & hoc, quintuplici vulnere; propter quod non potest liberè, nec faciliter operari. 761. F. G. & seqq.

Adjumentum. Tria adjumenta & auxilia quæ Christus contulit Christianis ad vitam æternam consequendam. 53. F. *fusè.*

Adolescentulæ, dicuntur civitates & oppida. 722. H.

Adoratio, quid contineat. 45. F. G. De adoratione Imaginum vide pag. 595. & seqq.

Adventus secundus Christi, licèt terribilis damnatis; tamen erit delectabilis justis & salvatis, maximè Apostolis & Martyribus. 313. B. C.

Ædificatores dicuntur Doctores & Prælati Ecclesiæ. 137. G. H.

Æternum, tripliciter sumitur in Scriptura. 91. H. Vide hoc latius tractatum pag. 521. à lit. D. Æternitatis definitio. 596. A.

Agnus. Vide *Oblatio.*

Alphabetus Hebraicus. Quare David scripserit Psalmum 118. per litteras Alphabeti Hebraici secundum ordinem, declaratur pag. 145. B. C. Vide etiam pag. 285. à lit. G.

Amana mons describitur. 684. F.

S. Ambrosius fuit primus qui ordinavit Antiphonas ad cantandum cum Psalmis in Ecclesia, & ordinavit Hymnos feriales, & divisit Officium Matutinale in duas partes, scilicet, Psalmodiam & Laudes. 503. C.

Amor triplex: naturalis, perversus, & ordinatus; & iste dicitur Charitas. 645. H. Amor charitativus habet 19. proprietates. 649. C. & seqq.

Amplexus. Tres amplexus Sponsi ad Sponsam memorantur. 739. H. & seqq.

Ananias, Azarias, & Misael. De his agitur pag. 319. & 320. Missi in caminum ignis & non combusti & laudantes Deum &c. Per hoc mysterium præviderunt mysterium Incarnationis. 320. à lit. C. Item speciatim recensentur quinque mysteria, quæ viderunt in spiritu. Ibid. à lit. F. Quare invitant omnes creaturas ad laudandum & benedicendum Deum? 320. à lit. E. Quibus modis isti tres pueri invitant omnes creaturas ad benedicendum & laudandum Deum? 322. A. B.

Angeli obligantur Christum laudare & benedicere, & quare. 13. E. Angelorum dominium super elementa. 14. B. Angeli quomodo dicuntur Virtutes Dei. Ibidem. Ordo Angelorum, qui dicitur Ordo virtutum. Ibid. C. Omnes Angeli ante lapsum præviderunt mysterium futuræ Christi Incarnationis, &c. 17. F. Angeli dicuntur equi, & quadrigæ Dei, quando aliquid operatur in mundo. 362. C. Angeli custodes populorum. 373. G. H.

Angeli, quadruplici ex causa cantarunt *Gloria in excelsis Deo* in nativitate Domini. 463. C. & seqq. Angelorum prælium cum dracone describitur. Ibidem. Angeli revelant sanctis hominibus & perfectis voluntatem Dei per visibiles apparitiones &c. 751. F. Sunt mediatores inter Sponsam & Sponsum. Ibi. F. G.

Angelus qui expulit Adam de paradiso, docuit eum modum colendi & exhibendi Latriam Deo, & offerendi sacrificia in signum futuri pretii, & in signum sacrificii Christi. 512. F. G.

Animalia in lege immolata & sacrificata, nec cætera Sacramenta legis veteris poterant pro peccato satisfacere. 508. F.

Anima sine gratia Dei est sicut terra sine aqua, quæ non potest germinare. 273. à lit. D.

Anna Prophetissa. Ejus historia narratur, & causa ob quam confecit suum Canticum. 388. à lit. D. Quot filios habuerit, in dubio est. Vide hanc controversiam pag. 339. à lit. C. Anna in extasi posita, & Spiritu sancto & lumine prophetico illustrata, prævidit dejectionem & reprobationem Synagogæ, & populi Judaici, & electionem Ecclesiæ ex populo Gentili. 340. F. G. &c.

Annuntiatio Virginis Mariæ facta per Angelum Gabrielem cum quatuor bonis, in absolutionem à quatuor malis, quæ etiam annuntiata fuerunt per Angelum primis parentibus propter esum cibi prohibiti. 387. à lit. D.

Antichristus, forsan egressurus est ex secta Mahometi. 191. C.

Apostoli & Discipuli Domini frequenter dicuntur sagittæ in Scriptura. 206. F. G. Etiam dicuntur *excussi*, & *excussores*, id est, expediti ad bellum. Ibid. H. In præsentia Apostolorum non poterant Idola dare responsa. 365. C. D.

Appetitus in viventibus, alius naturalis, & alius voluntarius. 35. B.

Aquæ super montes, quomodo. 23. H. Utrum aqua convertatur & resolvatur in aerem. 28. D. E. Cursus aquarum explicatur. Ibid. G. H. &c.

Aquila. Ejus studium & ingenium erga pullos suos describitur. 374. E. F.

Arcus fœderis. Per hanc figuram promisit Deus Noe Christum Salvatorem mundi. 447. H.

Arius. Ejus errores. 67. F.

Articuli Fidei Christianæ licèt non sint demonstrabiles, nec possint à nobis in via demonstrari de facto: tamen eorum possibilitas non solùm est nobis probabilis, sed etiam demonstrabilis ex primo suo fundamento. 582 D. & seqq. In eorum possibilitate est ordo: nam ita sunt ordinati, quòd unus præsupponit alterum in sua possibilitate, & sic sunt priores in sua possibilitate usque ad primum Articulum, scilicet, Articulum Trinitatis, qui est causa omnium Articulorum in veritate & possibilitate &c. Ibi. E. F. Possibilitas Articuli Incarnationis demonstratur. 587. F. G. & seqq. Possibilitas Sacramenti Altaris. 588. G. H. & seqq. Possibilitas ceterorum Articulorum qui habent fundamentum in mysterio Incarnationis. 590. E. & seqq.

Atria Ecclesiæ fidelium sunt Fides, Spes, & Charitas. 227. Qui habitant in his atriis referuntur pag. 227. à lit. H. Item alii atrii, id est, tres status. Ibid.

Avaritia, luxuria, invidia, &c. non sunt creata à Deo, nec de se sunt aliqua substantia, nec habent aliquam essentiam. 306. à lit. C.

Avarus qui negat eleemosynam & auxilium Christiano indigenti, committit furtum. 113. D. E. F.

Auditio mala, quid significet. 112. A. B.

Augustinus. Qua de causa, & quo spiritu B. Augustinus & Ambrosius moti fuerunt ad faciendum & cantandum *Te Deum laudamus*. 472. à lit. B. Elogium Augustini ex Possidonio, & Datio. 472. *& deinceps*.

Augustinus, Antidotum contra venenosam doctrinam Pelagii. 501. H. & seqq. S. Augustinus in Concilio Episcoporum Africæ condemnavit hæresim Pelagianam. 502. E. Ordinavit plura Officia Ecclesiastica in Ecclesia Hipponensi, inter quæ composuit *Officium defunctorum*, & *Missam pro defunctis*, contra perfidiam Pelagianorum. Item ordinavit Officium Nativitatis Virginis Mariæ: & fuit multum facilis & aptus in orationibus ordinandis. 502. F. G. Item fuit primus qui fecit *Responsa*, quæ cantantur post Psalmos in quolibet Nocturno. 503. C.

B

Babylon, sive Babylonia, quæ interpretatur confusio, civitas diaboli, &c. 237. A. & 353. C. Dicitur *Edom*, quod interpretatur *terra*, sive terrenum, & rubeum. Ibid. Babylonis provincia &. civitas Babylon: ejus situs. 238. A. B. Expoliatio & destructio Babylonis fuit figura expoliationis & destructionis regni diaboli. 353. A B. Magna Babylon cur dicitur regnum diaboli. 353. B. C. &c. Totus populus Infidelium & peccatum dicitur Babylonia in Sac. Script. & quare. 354. A.

Balaam Propheta, licèt esset hariolus & Magus & necromanticus, & sacrificaret dœmonibus. 664. H. & seqq.

Baptismus. Non tollit concupiscentiam & fomitem, ut non sit in baptizato, sed ut non imputetur ipsi ad peccatum. 150. G. Postquam Baptismus fuit per Christum institutus, omnes fideles veteris Testamenti obligabantur baptizari. 513. C. & seqq. Cur per Baptismum tollitur peccatum animæ, & non tolluntur infirmitates corporales, nec efficimur impassibiles & immortales? 576. C. & seqq. Vide etiam pag. 774. D. Quatuor quæ operatur Baptismus in baptizato. 776. B. C.

Beatitudo hominis misericordis non solum æterna, sed etiam temporalis. 110. D. F. *& deinceps*. Beatitudo quid sit. 283. G. H. Beatitudinis definitio secundum Aristotelem & Boetium. 467. G. H. *Beatitudinis appetitus* cùm omnibus inditus sit à natura, cur nullus unquam hanc adeptus fuerit? 757. D. E.

Benedicere, quid significet. 322. E. F. *& deinceps*.

Beneficia collata patribus antiquis, dicuntur mirabilia, & prodigia, & judicia. 46. G. *& deinceps*.

Bona. Quinque bona provenerunt nobis ex adventu Christi. 337. B.

Bona gloriæ, sunt bona corporis, bona animæ, & bona quæ pertinent ad utrumque. 757. C.

Bonorum gratiæ tria genera: bona gratiæ Sacramentorum, bona donorum Spiritus sancti, & bona meritoria ex observantia præceptorum, & consiliorum Euangelicorum. 437. F. G. & seqq. Bona sunt in triplici genere: bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ, &c. 756. B. C. & seq. Bo-

na naturæ ſunt in quadruplici genere. Ibid. D.

Bonum dicitur a *beo, as*. Ideo bonum eſt illud quod beat, & ſatiat, & quietat appetitum & voluntatem, &c. 467. G.

Botrus Cypri quid? 642. H.

Brachium dicitur Dei filius. 434. C. D.

C

Calamus, ſive nardus, quid ſit. 640. A.

Canticum novum cantare, quid ſignificet. 282. A. B Canticum novum dicitur Lex Euangelica quadrupliciter. 312. G. H. Canticum trium puerorum exponitur. 319.

Canticum Iſaiæ, non ſolum eſt propheticum, ſed etiam Euangelicum. 327. H. & 330, D. Materia, & diviſio hujus Cantici. 328. A. Canticum Moyſis poſitum in Arca Domini, ut eſſet in teſtimonium contra filios Iſrael quoties peccarent & apoſtatarent. 370. B. Differentia inter cantica veteris ac novi Teſtamenti. Cantica veteris Teſtamenti fuerunt figura & prophetia Canticorum novi Teſtamenti. 393. D. E. *& deinceps*. Quare Maria Virgo cantavit ſuum novum Canticum Euangelicum? 394 C. D. Canticum Virginis Mariæ eſt finis totius Legis & Prophetarum, & principium totius Legis Euangelii. 443 C. & ſeq.

Cantica Canticorum excedunt omnes alios libros, & obtinent principatum inter omnia opera Salomonis. 612. A. B. & ſeq. In hoc libro procedit Salomon metro Sapphico, aut Pindarico, & generaliter Lyrico, per metaphoras & parabolas, &c. Ibi. C. D. & ſeqq. Finis eſt propheticus & anagogicus. Ibi H. & ſeqq. De titulo hujus libri agitur. pag. 613. H. & ſeqq. Quare inſcribitur *Cantica Canticorum*? 614. G. H. & ſeqq. Cur liber iſte dicitur *Epithalamium*, quandoque Bucolica, & quandoque Georgica? 633. G. H. & ſeqq.

Capilli, & *comæ* idem ſunt, ſed differunt in reſpectu: dicuntur enim *capilli*, in quantum derivantur, & procedunt, & dependent à capite; *comæ* autem in quantum ornant & decorant caput, & faciem, & totum corpus mulieris: quid ſignificent vide 730. E. & ſeq. Quinque genera capillorum qui dependent à noſtro capite Chriſto exponuntur. 731. A. B & ſeq.

Capreæ, & cervi, dicuntur Patriarchæ & Prophetæ. 648. C. D.

Capreæ ſylveſtris proprietates referuntur. 655. H. & fuſius 752. E. F.

Captivitas Babyloniæ figurabat preſſuras & perſecutiones futuras Eccleſiæ. 236. G.

Cardines Eccleſiæ ſunt Prælati, & Doctores, & Sacerdotes. 345. A. B.

Carmelus mons altiſſimus in terra promiſſionis: per eum ſignificantur Prælati Eccleſiæ, & Summus Pontifex. 730. C. D.

Caro Chriſti, fuit illi quaſi cilicium pœnitentiale. 12. G. H. *& deinceps*. Caro Virginis Mariæ figurata per lignum arboris *ſetim*. 688. E. F.

Caſia, quid ſit. 640. H.

Cataplaſma, per cataplaſma quod confecit Iſaias de maſſa ficorum ad ſanandum Ezechiam, ſignificatur cataplaſma & medela Sacramentorum Eccleſiæ. 332. E.

Cedrus, ejus natura & proprietates aptantur Prælatis, Doctoribus, & Miniſtris Eccleſiæ, juxta quas dicuntur portæ cedrinæ. 746. F. G. & ſeqq.

Ejus deſcriptio. 688. G. Significat Virginem Mariam. Ibi.

Cella vinaria tripliciter dicitur. 645. B. C. & ſeqq.

Chanaam, interpretatur *negotatio*, ſive *mercatio*. Ideo per terram Chanaam intelligitur Regnum Cœlorum, quod non poteſt acquiri niſi per negotiationem operum miſericordiæ & laboris. 47. F. G.

Charitas Euangelica. Differt à charitate legali. 169. C. D. Charitas eſt forma & perfectio omnium virtutum, ſine qua nulla virtus alia poteſt perfici, nec valere, nec mereri. 397. A. & 689. G. Charitas eſt amor ordinatus. 645. H. Et definitur, Amor ordinans voluntatem ad diligendum Deum & proximum. 646. B.

Chriſtus Redemptor, quomodo ſanavit omnes infirmitates noſtras. 15. D. E. F. Quare noluit ut per Baptiſmum liberemur à pœnis corporalibus? vid. ibid *fuſè*. Quare Chriſtus eſt magis pronus ad miſerendum, quam ad æternaliter puniendum? 16. A. *& deinceps*.

Chriſtus ſatisfecit pro omnibus, & in eo ſufficienter omnia peccata noſtra fuerunt punita. 17. C. Chriſtus ante caſum Luciferi fuit caput omnium bonorum Angelorum. 17. H. Item fuit Redemptor bonorum Angelorum. 18. A. Eſt caput hominum & Angelorum, & utriuſque Eccleſiæ Ibid. C. D. Chriſtus caput Eccleſiæ. 37. F. Chriſtus Sol juſtitiæ, quando accedit ad Eccleſiam per favorem temporalem, vel recedit ab ea propter peccata noſtra, cauſavit, & variavit in ea quatuor tempora, ſicut Sol materialis. 40. F. G. & 41. C. Sicut Deus in exitu Ægypti dedit populo ſuo tria adjumenta pro itinere, ita Chriſtus quando liberavit populum ſuum à jugo legis & peccati, contulit tria adjumenta & auxilia neceſſaria nobis in hac peregrinatione ad vitam æternam conſequendam. 53. E. *& deinceps*. Chriſtus dicitur pſalterium. 70. E. F.

Chriſtus in quantum homo tres dignitates adeptus eſt ſuper omnes creaturas. 83. F. Quomodo Pater poſuit inimicos ſub pedibus ejus. 85. F. G. A primo inſtanti ſuæ Incarnationis incepit operari noſtram redemptionem, & ineffabiles virtutes edere. 88. B. C. Chriſtus etiam in quantum homo eſt Filius Dei naturalis. 89. à lit. D. Ut Chriſtus eſſet verus & perfectus Meſſias in lege promiſſus, oportebat quod eſſet Deus & Homo, Rex, & Sacerdos. 91. B. *& deinceps*. Chriſtus quare dicatur lapis. 137. E. & 138. B. Tria quæ pertinebant ad officium & legationem Chriſti, expenduntur. 251. à lit. D.

Chriſtus venit ut doceret & manifeſtaret mundo myſterium Trinitatis: ideo miſit Spiritum ſanctum in ſigno viſibili ſuper Diſcipulos, &c. 274. G. H. *& deinceps*. Chriſtus Verbum Dei liquefecit nobis nivem & nebulam, & glaciem Scripturæ veteris Teſtamenti &c. 298. A. Chriſtus etiam in quantum homo lucet in viris Sanctis, quantum ad labores & perſecutiones, & mortem, & paſſionem. 315. C. D. Nullus potuit declarare melius, & verificare Legem & Prophetas, quàm Chriſtus. 342. F. Chriſtus ſolus eſt Sanctus Sanctorum. Ibid. H. Quare dicitur ſolus fortis? Ibid. & pag. 343. B. C. Chriſtus in primo adventu judicavit mundum judicio diſcretionis. Ejus dominium & imperium magis erit manifeſtum in ſecundo adventu. 345. E. F. Chriſti

nativitas. V. *Nativitas.* Christus est, & dicitur filius legis veteris, & quare. 357. E.

Christus secundum carnem descendit de monte tenebroso, id est ab Adam. Ibi.C. Christi fortitudo abscondita in Cruce, & quare. 358. A. Christus in descensu ad inferos expoliavit Limbum SS. Patrum, & Purgatorium. Item quidam dicunt, quòd etiam abstraxit aliquos de Limbo incircuncisorum & imbaptizatorum, & etiam de inferno damnatorum, ut ostenderet se habere verum dominium super omnia loca inferni, sicut habet dominium super omnes cœlos, & super omnes partes terræ. 358. G. Quomodo Christus venit de monte Pharan. 359. C. D. Christus est Filius Dei naturalis, sed non carnalis: & est Filius Virginis naturalis & carnalis: & est filius David non naturalis, sed carnalis, id est, secundum carnem, & consequenter est filius Jacob, Abrahæ, & Adami. 388. D. Regnum Christi æternum ipsi David in Christo promissum. Ibid. E. F. G. &c. Christus, germen Sanctum, & quare. 390. à lit. E. Christus tripliciter est Sanctus quoad humanitatem. 399. G H.

Christus ut homo primus prædestinatus. 401. B.C. Quomodo Christus dicitur Filius Dei, & Filius Virginis Mariæ, explicatur. 417. E. F. & seqq. Christus filius legalis Joseph dupliciter. 420. C. & seqq. Christus Mediator Dei & hominum, & Advocatus apud Patrem, explicatur. 428. A.B. Christus tanquam verus Pastor venit in mundum, & officium veri Pastoris exercuit. 462. F.G. & seqq. Christus venit in carne ad reddendam & recuperandam toti generi humano illam pacem quam perdidit Adam in paradiso 466. F.G. & seqq. Christus semper suscitavit aliquem Salvatorem & defensorem, qui suam Ecclesiam liberaret: & hoc in utroque Testamento. 472. C. & seqq.

Christus sempiternus Filius Patris, contra errorem Ebion & Cerinthi. 487. F. In Christo viatore triplex forma consideratur; forma servitutis, forma veritatis humanæ, & forma deitatis. 522. H. & seqq. Christus observavit literaliter totam Legem Moysis, non solum quoad præcepta moralia, sed etiam quoad cæremonialia. 566. E.F. Christus tanquam Magister & Interpres in Lege promissus, declaravit doctrinaliter Legem Moysis, verum & spiritualem sensum, & spiritualem intelligentiam manifestando. Ibi. G. H. Christus etiam in se realiter & exemplariter totam Legem & Prophetas tamquam verus Magister verificavit & declaravit. 567. A.B. Et etiam declaravit, & verificavit in se præcepta judicialia. Ibi. C. & seq. Septem exponuntur, quæ Christus Messias erat inter cætera principaliter facturus. Omnia hæc probantur ad longum, *à pag. 569. lit. E. usque ad* 576. Majora miracula fecit Christus & Apostoli in Lege Euangelica, quàm Moyses in Lege veteri. 581. A. & seqq.

Christus osculatus est Ecclesiam quadruplici osculo. 624. Dicitur *osculum oris Patris*, & osculum inter nos & Patrem. 624. H. & seqq. Christus primò desponsavit Ecclesiam in Maria & in Joseph: & quando vocavit Joannem Baptistam de ventre matris, desponsavit Ecclesiam in eo, & in Elisabeth. 651. F.G. Christus Deus & homo, Rex & Sacerdos figuratus per Manna, & Virgam Aaron, & tabulas Legis repositas in Arca. 659. H. Item ejus Anima ornata donis Sapientiæ & Intellectus & omnium virtutum, significata per unctionem Arcæ ex illo pretiosissimo unguento diversorum aromatum. 660. A. &c.

Christus in Cruce dimisit Patrem quantum ad apparentiam: & dimisit Matrem commendatam Discipulo, non appellans eam matrem, sed mulierem. 667. B. Christus redemptor consideratur tanquam unum corpus aromaticum, sive tanquam una apotheca, sive tanquam unus hortus plenus arboribus & plantis aromaticis. 691. F.G. Christus ad quatuor habuit respectum in suo adventu & passione. 698. B.C. Necesse fuit Christum pati, ad complendam voluntatem Patris, & ad adæquandam justitiam cum misericordia. Ibi. C.D.

Christus septem modis potuit assumere causam nostram tanquam suam, & sufficienter pati pro nobis 699. E. Necesse fuit Christum pati, ut confirmaret Testamentum vetus. 700. A. & seqq. Necesse fuit Christum pati tale genus mortis, ut verificaret totam Scripturam Legis, & Prophetarum. Ibi G. H. & seqq. Necesse fuit Christum pati, ut pro nobis solveret omne debitum; scilicet, pro omnibus præsentibus, præteritis, & futuris. 701. G. H. & seqq. Necessaria fuit Passio Christi ad purgandum & mundandum hominem à sorde peccati. 703. B.C. Necesse fuit Christum pati tale genus mortis, ut Passio ejus esset metrum & mensura omnium virtutum, & exemplum patientiæ in omnibus adversitatibus. 703. D. & seqq. Passio Christi fuit necessaria non solum ad redimendum totum hominem, sed etiam ad recuperandum Regnum Cœlorum pro membris Christi. 704. B. C. & seqq. Necesse fuit Christum pati tale genus mortis & passionis, ut non solùm potentiâ, sed justitiâ diabolus vinceretur. 704. D. & seqq. Christus eumdem ordinem servavit in nostra redemptione, quem tenuit diabolus contra primos parentes, & posteros suos: & sic vicit non solùm diabolum, sed & ejus astutiam. 705. B. C. & seq.

Christi Passio fuit necessaria ad roborandos & adæquandos, & condignificandos omnes actus humanos erga Deum, ut essent fructiferi, & digni gratiâ in præsenti, & gloriâ in futuro: & etiam ad adæquandum omnes actus humanos inter se, sive erga proximum. 706. C. D. & seq. Christus meruit à primo instanti suæ conceptionis per vulnus lateris, & per sepulturam, & quomodo. 708. A.B. & seqq.

Christus in triduo mortis, quomodo erat homo secundum positionem *Magistri & Ægidii de Roma*, & per consequens erat caput Ecclesiæ 709. A.B. & seqq. Conclusio Authoris in hac materia est, quod licet Christus in hoc triduo non fuerit naturalis homo, quia erat verè mortuus, & partes humanitatis erant realiter separatæ: tamen adhuc Christus erat verè caput Ecclesiæ. Ibi. E.F. & seqq. Utrum corpus Christi mortuum in illo triduo fuerit, & manserit substantialiter idem numero cum vivo? Vide hanc quæstionem late disputatam. 710. à lit. B. Utrum Christus in illo triduo fuerit Filius Virginis Mariæ, & Maria fuerit Mater Christi? 711. B. *latè.* Decem membra Christi enumerat Sponsa, per quæ denotat decem dignitates & perfectiones Christi Sponsi sui: & quæ sint, vide pag. 717. B. & seqq.

Christus dicitur Sponsus Ecclesiæ, in quantum eam sibi univit per gratiam & fidem; & ipsa dicitur filia Christi, in quantum ipsam regeneravit.

723.B. Christus non perrexit ad populum Gentilem ad prædicandum & miracula faciendum, triplici ex causa & ratione. 725. D.E. & seqq. Christus dupliciter dicitur frater Ecclesiæ Sponsæ suæ. 737. G.H. Christus dicitur pacificus propter tria 748.E.F. & seqq. Utrum solus Christus sit metrum, & mensura, & largitor omnium bonorum, & reparator humanæ naturæ &c. Hanc quæstionem luculenter fuseque differit Author in fine totius operis, à pag.755. Solus Jesus Christus, quem colit Christiana Religio, potuit reparare humanam naturam per gratiam & gloriam, quam Adam dissipavit per culpam & pœnam. 768.E.F. & seqq. Licèt Christus fuerit virtualiter generalis & sufficiens Redemptor & reparator totius generis humani per suam passionem & resurrectionem; tamen non omnes fuerunt redempti actualiter, nec participarunt ejus redemptionem, nisi soli regenerati per Baptismum. 773. H. & seqq. Quare Christus non absolvit nos à miseria corporis, sicut ilico nos absolvit per Baptismum à peccato? & quare voluit ut pœnalitates relinquerentur nobis post Baptismum? 776. D. & seqq.

Cinnamomum. Species aromatica, sapida & odorifera, & à corruptione prætervativa. 640. A.

Circumcisio non poterat hominem de se absolvere à peccato originali, & reducere ipsum in gratiam Dei, & facere ipsum meritorium & dignum vita æterna. 508. D. & seq. Licet in circumcisione tollebatur peccatum originale; tamen non in virtute circumcisionis, sed in virtute fidei Christi futuri. 509. H Circumcisio non dabatur in pretium pro peccato, sed in signum pretii & pacti, sive in signum fœderis. 510.H. Quinque signa illius circumcisionis notantur. 511.B.C.

Civitas. Civitatis definitio: & quæ sint de ratione ejus. 195.C.D. Duæ Civitates; Civitas Dei, & Civitas diaboli &c. 236.G. Ad felicitatem & nobilitatem Civitatis sex requiruntur. 296. G.

Cœlum. Tripex Cœlum reperitur in Scriptura: Empyreum, Aqueum, & Firmamentum. 22.B. Impugnatur opinio eorum, qui dicunt, quod si Cœlum cessaret moveri per momentum & horam, tunc omnia ista inferiora cessarent in suis naturalibus operationibus. 331.C.D. Cœli & terra dupliciter sunt pleni gloria Domini. 482.D. & seqq.

Cognitio. Ad cognitionem alicujus rei sex requiruntur. 246.B. Cognitio Dei in via & in patria. 314. G.H.

Colere. Utrum in secunda ætate mundi fuerint aliqui justi, qui Deum coluerint? 291. à lit.A.

Commodare, pro dare eleemosynam. 112. C.

Concupiscentia, & libido, & mors, & ceteræ passiones, non sunt homini à natura, sed pœna peccati, & in peccati pœnam inflictæ, & quare. 150. C.D.E. Concupiscentia & libido obligat hominem ad debitum peccati Adami, hoc est ad culpam & pœnam damni &c. Ibid.F. Licet concupiscentia, quæ manet in carne post Baptismum, non imputetur homini quoad debitum originalis justitiæ, nec imputetur ad peccatum: tamen effectus & actus ejus causat peccatum actuale per consensum in voluntate, quod imputatur homini ad culpam, & pœnam æternam. 150. H. Nulla alia causa potest tollere, quin actus concupiscentiæ carnalis imputetur ad peccatum mortale, nisi sola gratia Sacramenti Matrimonii. 151. B.

Confessio. Ut Confessio alicujus sit valida & accepta apud Deum, oportet quod vivat duplici vitâ: h. e. vitâ naturali, & vitâ gratiæ. 336.F.G.

Corona quibus dabatur. 677. A.B.

Corpora cœlestia, quomodo præteribunt post judicium. 302. E.F.

Creatio mundi materialis, figura fundationis Ecclesiæ. 36. G.

Creatio Angelorum, intellecta cum creatione lucis. 302.C. Quare Moyses non memoravit explicitè creationem Angelorum? Ibid.

Creatura. Omnes creaturæ tam animatæ, quàm inanimatæ tenentur laudare Deum. 299.G. Bona quæ à Deo receperunt creaturæ. Ibid. G. H. & *deinceps.* Quælibet creatura dependet à Deo in triplici genere causæ propter triplex esse quod à Deo habet. 300.E.F. Quomodo omnes creaturæ suo Creatori obediunt. 321. à lit.A. Tripliciter possunt Deum laudare. 321. à lit.E.

Credere, pro obedire. 119. H.

Crinis colli Sponsæ, qualis. 678. E.F.

Crudelium pœna quadruplex in die judicii. 112.F.G. Crudelitas tyrannorum consistit in dominio, & tyrannide, & copia divitiarum, & filiorum, & prosperitate mundana. 283. F.

Cultus Latriæ præsupponit Fidem. 286.A.B.

Cyprus, arbor ex qua nascitur balsamum, quam Salomon transtulit ex Assyria in Judæam, & ex ea plantavit vineam Engaddi &c. Ejus descriptio & proprietates. 642. G.H. & seq.

Cyrus. De eo agitur pag. 359. C.D.

D

Damnum. Tria damna hæreditaria quæ incurrit genus humanum ex peccato Adami exponuntur. 62.B. Duo damna generalia incurrit Adam per peccatum. 189. C.

David, duo merita habuit, propter quæ Deus promisit ipsi Messiam de carne sua, & perpetuitatem Regni Christi. 218.A.B. Dignior & sanctior Salomone. 220.G. & *deinceps.* Decem dona promisit Deus Davidi. 222. à lit.C. Pugna David cum Goliath, & ejus occisio, significat mysterium pugnæ Christi cum diabolo. 280.C.D. &c. David totum Canticum Annæ interpretatur ad literam in Psalmo 112. Vide pag. 340. C.D.

Dentes Ecclesiæ, qui sint? 669. G.H.

Desiderium. Non omne desiderium declinandi à malo & faciendi bonum justificat hominem, & quare. 158. D.E. *fusè.*

Desiderare & esurire, sive sitire, in quo differant. 436. E.F.

Desponsatio. Vide V. *Ecclesia.*

Destructio. Duæ destructiones generales Jerusalem & Templi: una per Nabuchodonosor & Chaldeos; alia per Titum & Romanos. 370. G. H. &c. Has prædixerunt quasi omnes Prophetæ. Ibi. à lit.H.

Deus dicitur à *Theos* Græcè, quod idem est quod speculabile, & insensibile, & actus purus & immaterialis, & quid per se intelligibile Latinè. &c. 476. A. & seqq.

Deus, duplici judicio potest judicare peccatorem: judicio obstinationis, & finalis impœnitentiæ; & judicio pœnitentiali. 16. G. Quomodo tribuit unicuique secundum opera sua tamquam justus Judex. Ibidem H. & *deinceps.*

Deus est causa omnium in genere causæ effi-

cientis, formalis, & finalis: ita cuilibet creaturæ tribuit triplex esse, scilicet esse essentiale, actuale, & operativum. 35. F. & *deinceps*. Eumdem ordinem servavit in fabricatione Ecclesiæ, quem tenuit in creatione mundi. 36. G. & *deinceps*. Quibus modis Deum laudamus. 74. B. Dicere Dei, idem est quod facere, vel præcipere. 84. B. Cùm nominatur *Deus* in libro psalmorum, frequenter additur, *Qui fecit cœlum & terram*: & hoc quare? 227. D. E. F. Causa quare Deus scit omnia præsentia, præterita, & futura. 246. F.

Deus cognoscit omnia antequam fiant, & quo ordine respectu nostri. 249. C. D. & *deinceps*. Quomodo Deus tentavit Abraham, explicatur 250. H.

Deus misit Verbum suum, scilicet Christum, qui liquefecit nobis nivem & nebulam & glaciem Scripturæ veteris Testamenti. &c. 297. H. & *deinceps*. Solus Deus existit & operatur per suam essentiam & substantiam: quia sua operatio est sua substantia & essentia. 300. D. Cur Deus solo verbo & præcepto, dicendo ad extra produxit cœlum & terram & totam universitatem creaturarum? 306. à lit. G. Vide etiam 307. D. E.

Deus potuit solo verbo producere creaturas *ad extra*, non communicando eis substantiam. 307. G. H. Deus dupliciter loquitur; *ad intra*, & per modum naturæ, & ad *extra*, & per modum artis. 308. A. B. Deus aliter cognoscitur in patria, quàm in via, & aliter laudatur in via, quam in patria. 314. G. H.

Deus ab omnibus est magnificandus propter quatuor. 372. F. Cum Deus sit summè bonus, & ipsa bonitas, unicuique naturæ specificæ dedit in sua creatione aliquam naturalem perfectionem consequentem formam & naturam illius, ut appareat bonitas artificis in artificiato &c. 467. H. & seqq. Modus diligendi Deum traditur ibi C. & seqq. In *Deo* tria considerantur. 1. quia est primum ens. 2. quia verum ens. 3. quia summum bonum ens. Vel, quod est prima entitas, & prima veritas, & prima bonitas. 478. G. & *deinceps*.

Deus potuit aliter liberare hominem, quàm per incarnationem & mortem: sed iste modus fuit magis congruus & justus. 488. B. & seqq. Quare Deus dedit multitudinem præceptorum cæremonialium populo Hebræo? 549. E. & seqq.

Deus in quantum est primum Ens, habet inter cæteras, septem proprietates & perfectiones, ex quibus infert Augustinus totum mysterium Trinitatis, & productionem duarum Personarum Divinarum à prima. 582. F. G. & seqq. Licèt Deo non defuerit alius modus nos redimendi sibi possibilis, tamen iste modus passionis Christi fuit magis justitiæ congruus, & nobis magis utilis. 698. A.

Dii Gentium victi, & impotentes. 380. B.

Dextrum, quatuor modis sumitur in sacra Scriptura. &c. 84. E. F.

Diaboli ejecti à simulacris idolorum. 276. A. B. Diabolus quando tentat hominem, servat eumdem ordinem quem tenuit in tentatione Adami. 278. F. G.

Diabolus caput Babylonis, plures vias invenit, quibus dilatavit & ampliavit regnum & civitatem suam. 355. A.

Dies tribulationis, dicitur Judæorum status. 368. B. C.

Doctrina. Nulla doctrina de rebus divinis est vera, nisi illa, quæ tradita est à Spiritu sancto per Patriarchas & Prophetas, & Apostolos, & Doctores, in quibus locutus est Spiritus sanctus. 128. B. C.

Dominus dicitur à dominando, & quare. 476. B.

Domus Israel dicitur tota Ecclesia Christi. Domus Aaron, dicitur totus status ecclesiasticorum. 132. F. G.

Donec, & *usque*, quomodo sumuntur in Scriptura. 86. D.

E

Ecclesia, est quidam mundus spiritualis. 36. E. Ejus Caput est Christus, & totum residuum dicitur Corpus ejus, sive membra. 37. F. Fundatio Ecclesiæ quoad partes, quæ sunt Apostoli, Doctores, Martyres, Prælati, & populi. 38. A. B. Ecclesiæ pluvia, quæ? 39. C. *fuse*. Ecclesia comparatur navi fluctuanti in mari hujus mundi. 41. F. G. Agitata à persecutoribus describitur. 65. C. D. Deinde ab Hæreticis. 67. à lit. E. Quare Ecclesia non vult cantare Psalmos secundum translationem D. Hieronymi, sed secundum translationem Septuaginta? 90. H.

Ecclesia dicitur domus Israel. 132. F. Ecclesia Christi constructa ex lapidibus vivis ex utroque populo excisis. 138. E. Ecclesia ordinavit officium Ecclesiasticum per horas & vigilias nocturnas 214. A & *deinceps*.

Ecclesia trina. 485. C. D. Continet tres hierarchias. Ibi E. F. Ecclesia propter perfidiam Pelagianorum ordinavit *preces* quæ fiunt ad Primam, quas vide pag. 502. G. H.

Ecclesia Sponsa Christi incæpit ab Adamo & Abèl: quæ semper crevit in fide & perfectione per successum temporis, sicut continue accepit novas promissiones, & novos modos colendi Deum. 620. F. & seqq. Desponsatio Christi & Ecclesiæ facta est in Adam & Abel &c. 621. B. C. & seqq. Hæc desponsatio non fuit facta per verba de præsenti in præsentia sponsi, sed per verba de futuro in absentia Sponsi per Moysen tamquam per Procuratorem Christi futuri. Numquam verò fuit confirmata nisi per præsentiam Christi &c. 622. C. D. Non solum plebs Israelitica erat Christum susceptura, & ipsi desponsanda, sed etiam plebs Gentilis: ideo hæc desponsatio Christi & Ecclesiæ fuit etiam populo Gentili facta & manifestata. 622. G. H.

Ecclesiæ ornatus & prosperitas prænuntiata per *Balaam & Moysen*. 664. D. & seqq. Item ornatus Ecclesiæ Christi describuntur 665. F. & seqq. & 677. H. & seqq. Ecclesia dicitur uxor Christi, & quare? 666. G. H. *Ecclesia* hortus, & quare 679. H. & seqq.

Ecclesia Sponsa Christi quomodo verificatur quod sit tota pulchra? 683. C. D. & seqq. Tota Ecclesia erat virtualiter in corpore & ventre Christi ante passionem, quæ postea exivit de latere Christi, quando miles aperuit ipsum, & exivit sanguis & aqua. 691. H. & seqq.

Ecclesia dicitur filia Christi in quantum ipsam regeneravit. 723. B. Ecclesiæ status memorantur. 723. G. H. & seqq. & pag. 726. F. G. & seqq. Decem membra Ecclesiæ per membra mu-

mulieris figurata. 727. H. & seqq. Ecclesia assimilatur palmæ. 731. D. E. & seqq. Ecclesia conversa de populo Gentili habebat duplicem matrem: unam carnalem, ex qua descendebat secundum carnem; alteram spiritualem, quæ est Virgo Maria. 737. H. & seqq.

Ecclesia præsens respectu futuræ quandoque dicitur ager, in quo seminamus: sed futura Ecclesia dicitur horreum, in quo reponimus fructus gloriæ, quos hîc seminamus per gratiam. Item præsens Ecclesia dicitur vinea &c. 749. C. D. & seqq.

Edom, interpretatur terra, sive terrenum, & rubeum. 237. A. *Edom* vocabant Hebræi omnes populos ipsis adversantes. 240. C. Per *Edom* & Idumæam intelligitur Synagoga in sacra Scriptura. Ibid. D. & deinceps. Judæi moderni vocant *Edom* Ecclesiam Romanam, & totam christianam religionem. 241. D. E.

Equi & quadrigæ Dei dicuntur Angeli. 362. C.

Error quorumdam Christianorum qui psalmum 108. recitant contra persecutores suos Christianos, petendo à Deo vindictam de eis, desiderando ut prædictæ maledictiones eveniant eis. 71. A. B.

Error Porphyrii, & Arii circa sessionem Filii à dextris Patris impugnatur. 85. A. B. C. Error Pelagii proponitur. 149. E. F. Error Manetis Ibid. F. G. & 308. B. Error eorum qui dicunt, quòd non omnes actus carnalis concupiscentiæ est peccatum. &c. 149. H. Error Donatistarum dicentium, pœnitentiam & remissionem esse impossibilem post lapsum, eo quod charitas semel amissa non poterat recuperari, confutatur. 154. A. B. & deinceps. Error Avicennæ. 308. C. Error Aristotelis dicentis, mundum fuisse ab æterno. 308. C.

Esau, quare dictus est Edom. 239. G. H.

Eucharistia. In Eucharistiæ Sacramento continentur & repræsentantur, & memorantur quatuor principalia & maxima opera divinæ misericordiæ, quæ Christus operatus est in nobis ad nostram salutem. 102. A. B. Multipliciter est mirabile inter omnia opera Dei. 106. F. & deinceps. Agitur de possibilitate transubstantiationis, seu conversionis panis in Corpus Christi. 107. A. *latè*. Quomodo hanc operatur Sacerdos. Ibid. D. De veritate existentiæ Corporis & Sanguinis Christi in hoc Sacramento. Ibid. F. G. H. De officio & utilitate hujus Sacramenti. 108. A. *latè*. De congruitate ejus formæ visibilis. Ibid. E. F. & *deinceps*. De munditia suscipientium hoc Sacramentum. 110. B.

Exemplum memorandum cujusdam Sanctimonialis in Saxonia super Canticum Te Deum laudamus. pag. 504. à litt. E.

Ezechias. Ejus sanatio miraculosa describitur. 330. à lit. G. Quinque mysteria quæ præcesserunt, quibus Ezechias motus est ad conficiendum suum Canticum. 331. à lit. E. Ezechias peccavit per superbiam & ingratitudinem, quia cor ejus fuit elevatum post punitionem & recessum Sennacherib. &c. Ibid. Pœnitentia Ezechiæ videns se ulceratum, & mortem sibi denuntiatam: & per hoc mysterium prævidit Isaias pœnitentiam populi Dei ab Adam usque ad Christum. &c. Ibid. G.

Ezechias interpretatur *auxiliatus à Domino*, & quare. 331. H. Pietas & virtutes Ezechiæ. 332. à lit. G. Quinque damna quæ sequerentur ex morte Ezechiæ, si tunc decessisset quando illi denuntiata fuit mors. 333. C. D.

F

Fabricatio Ecclesiæ per Christum figurata per quinque fabricationes sensibiles quæ leguntur in veteri Testamento. 19. C. D. & *deinceps*.

Fabula Thalmudistarum circa fossionem fundamentorum Templi Salomonis. 188. H.

Ficus, id est, lex vetus, non florebit &c. 368.

Fides Dei Creatoris, Redemptoris, & Trinitatis, incæpit ab Adam primo cultore Dei. 286. B. Fides, Spes, & Charitas faciunt voluntatem bonam theologicè, & meritoriè. 468. H. & seqq. Per solam fidem de Christo futuro omnes fideles & Patres veteris Testamenti fuerunt justificati, & à peccatis absoluti. 509. F. G

Filius Dei æternus non assumpsit humanitatem nudam, quia non potuisset in ea pati; nec assumpsit personam & suppositum humanum, quia tunc fuissent duæ personæ in Christo: sed voluit assumere illam humanitatem *in atomo*; id est, accepit eam cum corpore organizato &c. 488. C. Quare Filius Dei non horruit Virginis uterum. Ibi. F. & seqq.

Filii Israel. Utrum peccaverint, & commiserint furtum & mendacium asportando secum vasa argentea & aurea, quæ mutuò acceperant ab Ægyptiis? 51. F. G. Filii Israel secundum veritatem & repromissionem & regenerationem sunt omnes Christiani. 305. G. Filii Adam divisi post diluvium per Asiam, Europam, & Africam in septuaginta generationes, seu populos, sive nationes, aut regiones &c. 373. E.

Filii Prophetarum, quando habuerunt simplicem spiritum? 346. D

Flumina in Scriptura frequenter sumuntur pro persecutionibus & tribulationibus &c 217. C.

Forma. In Christo victore triplex forma considerabatur; forma servitutis, forma veritatis humanæ, & forma deitatis. 521. H. & seqq. Ita in Lege Moysis consideratur triplex forma; forma officii & signi, & forma veritatis, & forma præmii finalis. 523. B C & seqq.

Fornicatio. Simplex fornicatio, & omnis actus venereus extra Matrimonium commissus, est peccatum mortale. 151. C. D.

Fortitudo Christi in Cruce abscondita, & quare. 358. A.

Fructus Spei Theologicæ 168. H. & 169. A. Quindecim fructus ex studio sacræ Scripturæ, & Legis Euangelicæ. 177. E. F. Octo fructus ex vita contemplativa. 183. H. Fructus Legis Euangelicæ; gratia Sacramentorum, fides articulorum, & doctrina & observantia præceptorum & consiliorum. 329. B. Octo fructus qui proveniunt ex Cantico *Te Deum laudamus*. 498. E. & seqq. Omnia bona quæ fiunt in Ecclesiæ vinea pariunt triplicem *fructum*. 750. C. D. & seqq.

G

Gelasius Papa, composuit Præfationem Missæ, & fecit additionem ad Canticum Angelorum, *Laudamus te* &c. 469. F. Item ordinavit, ut Canticum Augustini *Te Deum laudamus* can-

cantaretur post tres Nocturnos ad Laudes. 503. C. Vide etiam alia quæ iste Papa disposuit, ibidem.

Genarum proprietates memorantur. 670. B.C. & seqq.

Gentiles. Apud Gentiles & Romanos nulla fuit vera virtus moralis, quia nulla in eis fuit vera humilitas nec Charitas. 689. G.

Gladius malignus dicitur peccatum. 282. H.

Gloria Sanctorum qualis in extremo judicio. 313. C. D. Gloria Sanctorum duplex; essentialis, & accidentalis. 464. D. & seqq. *Gloria Dei* dupliciter sumitur: pro illo summo gaudio quod Deus ab æterno habet de se ipso; & pro honore Latriæ, quam dant ipsi Angeli & Beati in Cœlo. &c. Ibi. H.

Gradus. Tres gradus fidelium in Ecclesia Militante: incipiendium, proficientium, & perfectorum. 155. A. Quindecim gradus pro ascensu ad Templum Salomonis denotant quindecim gradus virtutum, sine quibus nemo potest in Cœlum ascendere. 189. D.

Gratia Christi. Sola Gratia Christi absolvit hominem à debito peccati originalis per Baptismum in novo Testamento, & per circuncisionem & oblationem in veteri. 150. G. Sine Gratia Christi impossibile est cuique homini servare Divina præcepta, nec vitare peccatum, nec resistere tentationibus. 151. F. & *deinceps.* Gratia nulli petenti & conanti, & se præparanti negatur. 152. A. Sine Gratia nemo potest vitare peccatum, nec resistere concupiscentiæ & pugnæ, nec agere bonum. Probatur manifeste ex parabola de illo homine, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho &c. 153. à lit. D. Gratia duplex: una præveniens bonam voluntatem, & alia subsequens. 170. E. F. Omnes Gratiæ sunt gratis datæ à solo Deo, & naturæ superadditæ: sed aliqua est gratia, quæ non solum est à Deo gratis data, sed etiam est gratum faciens habentem. 756. H. & seqq. Item est Gratia motiva, & auxiliativa liberi arbitrii, sine qua homo post lapsum non potest resistere tentationibus interioribus, nec vitare peccata, nec implere divina præcepta. 757. A B. Item hoc idem vide pag. 772. H. & seqq.

H

Habacuc Prophetavit tempore Babylonicæ captivitatis. Ejus Canticum est difficillimum ad intelligendum, quia est de rebus altissimis, & quia procedit per verba metaphorica. 351. F. Habuit duplicem spiritum prophetiæ. 353. E. F.

Hesebon. In porta Hesebon erant duæ piscinæ fontales plenæ aquâ clarissimâ & transparenti propter ejus munditiam, ad quas conveniebat multitudo mulierum ad hauriendam aquam, propter ejus salubritatem & claritatem. Ideo Hesebon dicebatur *filia multitudinis.* 729. D. E.

Herodius. Hujus avis natura & proprietates. 32. A. Hæc avis est symbolum refugii omnium fidelium, ut salventur ab omni periculo. 40. A.

Hierarchiæ Angelorum. Vide pag. 484. Tres hierarchiæ in Ecclesia: hoc est Sacerdotum, contemplativorum, & conjugatorum. 485. A.

Hierusalem, sive Sion spiritualis ædificata ex lapidibus vivis &c. 5. G. & 6. A.

Hierusalem, tota ejus ædificatio & dispositio, ac Templi, fuit figura Christi, & Ecclesiæ Militantis ac Triumphantis. 189. B. & 193. H. & 194. A. Duplex Hierusalem, terrena & superna. 194. B. Triplex Hierusalem; materialis, militans, & triumphans. 239. A. Nomen *Hierusalem*, compositum ex *Salem*, & *hiere.* 458. B.

Homo non solum accepit à Deo esse naturale, sicut ceteræ creaturæ, sed pulchrum esse; & præesse. 303. G. Etiam accepit à Deo dona naturæ, & fortunæ, & gratiæ, intellecta per illa talenta parabolæ patris familias tradita servis suis ad negotiandum. 303. H. & *deinceps.* Si homo jam baptizatus non posset in adulta ætate benè operari, nec vitare peccata, nisi fuerit adjutus nova gratia actuali auxiliativa liberi arbitrii; sequeretur, quòd frustra daretur Fides, & Spes, & Charitas in Baptismo, & dona Spiritus sancti in Confirmatione ad vincendas tentationes, & ad bene operandum. Hoc dubium proponitur & solvitur latè à pag. 777. lit. B. & seqq. Item ex hac positione D. Augustini: *Nullus de se potest vitare malum, nec implere Divina præcepta absque Divina gratia*, proponitur hoc inconveniens: quòd homo non esset dominus suorum actuum, nec compos suæ voluntatis & liberi arbitrii. Simulque proponuntur alia inconvenientia quæ ex hac positione insurgunt: quæ vide pag. 779. à lit. C. Aliud dubium. Si homo per peccatum perdidit modum, & ordinem, & finem; quomodo Augustinus dicit, quod species, modus & ordo manent in unaquaque creatura tamquam vestigium Creatricis Trinitatis? Vide etiam hoc dubium cum sua solutione pag. 781. à lit. F. & seqq.

Homo mysticus est Ecclesia fidelium, qui per quatuor millia annorum peregrinatus est ab Adam usque ad Christum ut ab eo sanaretur &c. 145. A. Homo mysticus significatus per parabolam de illo qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones &c. 143. F. G. & 146. C. Iste homo mysticus & peregrinus ab exitu paradisi usque ad Christum, complevit quatuor cursus, sive status, significatos per quatuor priores litteras quæ sunt *Aleph*, *Beth*, *Gimel*, *Daleth.* &c. 162. H & 163. A. Post Ascensionem Christi quadrupliciter profecit in Lege Euangelica. 172. C. D. Homines *bonæ voluntatis* qui sint. Vide V. *Voluntas.*

Honoris, & laudis definitiones. 299. F.

Honorare Deum. Tenemur Deum honorare, quia est bonus de se, sed etiam tenemur jugiter laudare eum commemorando beneficia. 299. F. Item omnes creaturæ tam animatæ, quàm inanimatæ. Ibid. G.

Hortus nucum dicitur populus Gentilis. Item Hortus amygdali. 724. D. E. F.

Humanitas Christi Domini simul cum Verbo adoratur & veneratur ab Angelis & Beatis. 85. C. D. Numquam dimissa fuit à Verbo. 88. E. Quomodo humanitas Christi est adorabilis? 592. H. & seqq. Humanitas non adoratur per se, nec est terminus adorationis principalis, sed quia includitur & coexistit termino adorationis. 593. D. E. Ita est dicendum de Accidentibus in Sacramento Eucharistiæ. Ibid. E. F. & seqq. Et de Cruce. Ibi G. H. Humanitas Christi figurata per Arcam Testamenti. 659. H.

Humilitas principium & radix omnium virtutum

tum & bonarum operationum, dicitur ab humo, quæ est terra, infimum elementorum. Est virtus; qua quis cognoscit & considerat se ipsum. 396. D. E. Sine humilitate & Charitate nulla virtus potest exerceri nec perfici. Ibi. H. & seqq.

Humilitas, timor Dei, charitas affectiva, & spes, se habent per ordinem, quia ultimum præsupponit primum, & per ordinem omnia sequentia. 432. F. G. Humilitas est quasi lucerna & oculus dirigens omnes virtutes &c. 689. A.B.

Hymnus dicitur laus Dei cum exultatione & cantico. 285. F.

I

Ideæ rerum creatarum sunt ab æterno in mente & essentia Divina. 13. H.

Idolorum comminutio & destructio significata per comminutionem statuæ aureæ Nabuchodonosoris. &c. 320. H. In præsentia Apostolorum non poterant idola dare responsa; immò ruebant & comminuebantur. 365. C. D.

Ignorantia. Sex causæ ignorantiæ in aliquo cognoscente. 246. C. D.

Imago primi Adami, peccatum originale, pag. 1. C.

Imago. Duplex imago reperitur in quolibet homine; imago Trinitatis impressa in anima; & imago Adami impressa in carne. 765. D. E. Item imago Christi per baptismum. Ibi F. De adoratione Christi, & Imaginum vide à pag. 529. & seqq.

Inclinatio perversa, quam experimur in carne & sensualitate ad malum, unde proveniat, non potuerunt omnes Philosophi cognoscere. 757 E. F. & seqq. Incidebant in varios errores, volentes reddere causam hujus perversitatis. 758. A. B. & seqq.

Incarnationis mysterium, quare oportuit quòd multis figuris & mysteriis & exemplis, & modis, & per multos Prophetas prædiceretur? 326 E. F. Revelatum Isaiæ. 327. à lit. A. *fusè*

Incarnationis mysterium fuit revelatum Adamo in illo sopore. 284. C. D. Incarnationis mysterium figuratum per osculum Sponsi & Sponsæ: quod prævidit Salomon in spiritu per fabricationem Arcæ & Tabernaculi. 637. D. & seqq.

Incarnationis mysterium denotatum per *accubitum & amplexum*. In eò facta fuit triplex unio. 641. E. & seqq.

Infernus frequenter sumitur in Scriptura pro fossa, sive sepulchro. 262. F.

Infideles dicuntur equi & currus diaboli. 349. A. Ingratitudo & idololatria populi Judaici. 375. F.G.

Injustitia hominis & ejus mala non proveniunt ipsi ex natura specifica, nec à Deo creante: & quare. 271. E. F.

Instrumenta musicalia, cum quibus psalmi cantabantur, recensentur, & eorum significationes. 316. à lit. D.

Intelligentiæ separatæ, id est Angeli & Dæmones, quam virtutem habeant & dominium super elementa. 14. B.

Iris, arcus cœlestis. De hoc agitur pag. 362. F. G. Ejus significata. Ibid. G. &c. Vide etiam 447. H.

Isaias, verus Propheta. 326. C. inter ceteros prophetas potius texuit Euangelicam historiam de Christo, quam prophetiam. Ibid. F. Non una sola revelatione & visione, sed & pluribus visionibus & exemplis prævidit & prædixit mysterium Incarnationis Christi, & nostræ redemptionis. 326. F. Per pœnitentiam Regis Ezechiæ prævidit in spiritu pœnitentiam populi Dei ab Adam usque ad Christum. &c. 331. G. Per missionem Isaiæ ad sanandum, & instruendum Ezechiam fuit figuratum, & prævidit Isaias totum mysterium Incarnationis & prædicationis Christi, & nostræ Redemptionis Nam Isaias interpretatur *Salvatio Domini*, & Ezechias interpretatur *auxiliatus à Domino*. &c. Ibid. H.

Iter. Tria sunt quæ impediunt nostrum iter ad vitam æternam: culpa quam commisimus, fragilitas carnis, & corruptio sensualitatis, & pœna pro culpis commissis debita, per quam in Purgatorio detinemur. 470. D. E.

Jerusalem. Vide in *Hierusalem*.

Justitia & misericordia considerantur in voluntate Dei in regimine mundi. Et quomodo hæc voluntas Dei, hoc est justitia cum summa misericordia, possit compleri & servari circa eumdem hominem, vide pag. 698. C. D. & seqq.

J

Jacob, dicitur supplantator, eò quòd supplantavit fratrem suum Edom. 239. G. Dicitur Israel: ubi notantur quatuor mysteria. 305. B. C. &c.

Jesus, quare venit in nomine Domini. 142. E. Quare Jesus Filius Dei Verbum incarnatum magis dicitur Nomen Dei in tota Scriptura, quàm Persona Patris, aut Spiritus sancti? 306. H. Jesus Christus eduxit populum Israel de captivitate Ægypti: & quomodo. 347. E. F.

Jesus interpretatur Salvator, & dator vitæ, & extinctor mortis & miseriæ. 388. C.

Joachim Abbas. Ejus error damnatur. 786. B. C.

S. Joannis Baptistæ exultatio in utero matris describitur & explicatur. 391. G. Ejus dignitas & officium præcursoris. 456. A. B. & seqq. Multipliciter prævit ante Christum. Ibi E. & seqq.

Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis laudatur. 420. F.

Johesua hebraicè, significat Jesus latine 142. F.

Jordanis fluvius, interpretatur *descensus*: per eum figuratur defluxus generis humani. 122. G. Ejus ortus & descriptio. Ibidem.

S. Joseph. Quomodo Joseph dicatur pater Christi in Scriptura, cùm ipse nec sit pater Christi naturalis, nec carnalis, nec secundum carnem? 418. E. S. Joseph fuit pater Christi legalis, & secundum legem. 419. B. C. & seqq.

Judas proditor, caput & principium omnium Judæorum obstinatorum, qui fuerunt, & sunt post passionem Christi. Et ideo ab eo denominantur Judæi hodierni, non verò à Juda filio Jacob. 73. G. Judæi moderni, licèt sint filii Jacob secundum carnem; tamen falsò nominantur Israel, seu filii Israel. 305. F. G.

Judæorum maledictiones in psalm. 108. memoratæ. Vide à pag. 75. Peccatum Crucifixionis Christi quod perpetrarunt Judæi, fuit majus

quam

quam peccatum Idololatriæ. Vide à pag. 81. Judæi non laudant, immò semper blasphemant *Nomen Domini* in Scriptura frequenter memoratum. 118. B. C. *Judæi* moderni in suis Synagogis docent, quòd homines post hanc vitam non ascendunt in cœlum, nec ascendent post resurrectionem, sed manebunt in terrestri paradiso cum Abraham, Isaac, & Jacob. Hic error confutatur pag. 124. à lit. C. Judæi moderni non laudant Deum, & quare. 317. E. Judæorum status in inferno, & in hac vita dicitur dies tribulationis, & quare. 368. B. C. &c. Judæi quomodo sunt gens absque consilio, & sine prudentia 379. à lit. D.

Judæi. Sex quæ detinent Judæos in sua perfidia proponuntur pag. 506. C. Judæi post mortem Christi offerunt rem mortuam & putridam & inutilem observando legalia : ideo sunt eis mortifera. 520. D. Offerendo legalia rumpunt & violant pactum & fœdus : nam illa data fuerunt in pactum & fœdus Christi venturi &c. Ibi. D. E. Per talem observantiam falsificant Legem & Prophetas : nam per talem observantiam negant Christum venisse. Ibi. E. F. Item observantia legalium est eis mortifera, in quantum est prohibita per Christum & per Prophetas. 520. G.H. & seqq. Judæi moderni sunt corruptores & truncatores Legis, & latrones, & sacrilegi, & totalites faciunt contra authoritatem, quam contra nos adducunt &c. 526. B & seqq.

Judæi moderni celebrant falsum Sabbatum. 536. C. D. Non solùm celebrant falsum Sabbatum in tali die quantum ad signum, sed etiam quantum ad integritatem temporis : quia non observant diem naturalem & integrum naturaliter præceptum, quia adhuc non servant Sabbatum literaliter. Ibi. D. E. & seqq.

Judæi vocati *Charraim*, quomodo Sabbatum observant, ad distinctionem eorum qui habitant inter nos, quos vocant *Rabanim*. 537. B. C. & seqq.

Judæi & Saraceni non exhibent Deo veram, sed falsam Latriam, & quare. 544. D. E. Omnes Judæi moderni sunt Hæretici in Lege Moysis & Prophetis. 561. D. & seqq. Vide etiam de hac materia pag. 597. A. & seqq. Judæorum sectæ referuntur. Ibid. C. & seqq. Et eorum dogmata ibi. & pag. 598. usque ad 602. Quare Judæi non convertuntur ? 602. H. & seqq. Triplici ex causa recipiunt baptismum. 603. C. D.

Judæi moderni falsò & stultè gloriantur de natura sua. 632. H. & seqq. Judæorum obstinatio, punitio & damnatio prænuntiata per Moysen, in qua hodie perseverant. 673. B. C. & seqq.

Judicium Dei triplex : examinationis, discretionis, & secretionis. 103. B. In extremo judicio apparebit Crux Christi, spinea corona, & clavi, & totus ejus triumphus. 313. C.

Julianus Apostata, vide 254. C. D.

Justificatio impii est maximum inter opera Dei & quare. 11. D. E.

Justificari apud Deum de peccato, nemo potest de jure suæ naturæ. 279. B. C. & *deinceps*.

Justitia. Originalis justitia in Adam, qualis erat. Dicebatur *originalis*, in quantum ab origine creationis cum cæteris habitibus traxit ipsam : & etiam in quantum omnibus suis posteris per generationem communicasset ipsam. &c. 759. F. G.

K

Kalendæ. Modus qui servabatur Romæ in Kalendis pronunciandis, notatur. 532. H. & 533. A.

L

Latria dicitur Adoratio, quæ soli Deo convenit. 395. B. De Latria agitur fusius pag. 543. à lit. G. Octo sequentia præsupponit, nempe revereri, honorare, laudare, magnificare, sanctificare, benedicere, adorare. 394. G.H. & seqq. Quæ omnia præstitit B. V. Maria in suo Cantico. 395. B. C.

Latriæ cultus consistit in laude, & benedictione, & adoratione, & gratiarum actione pro beneficiis receptis. Et hoc facit Ecclesia in Cantico Angelorum. 470. A. & seqq. Tota *Latria* nostra & servitus erga Deum non est nisi quædam mutua & reciproca retributio 734. C.D.

Lectulus Salomonis, humanitas Christi. 660. G. H.

Lex Moysis fuit mortua simul cum Christo, & tunc finivit cursum suum, & cessavit ab officio suo. 513. G.

Lex vetus multipliciter comparatur ad Christum & Legem Euangelicam. Ibi. H. & seqq. Lex Moysis continet 613. præcepta, quorum quædam sunt moralia, quædam judicialia, & quædam cæremonialia 515. D. E. seqq. Quod omnia sacra & sanctificata Legis veteris & reliqua quæ præscribebat, fuerunt mortua cum Christo, item Judæa, & Jerusalem, & Pascha & Sabbatum, demonstratur per decem Conclusiones à pag. 516. E. usque ad 520. In Lege Moysis considerabantur tres ætates, & tria sæcula, & per consequens tres æternitates. 523. G. & seqq.

Lex Moysis potest tripliciter considerari : quantum ad scripturam in se & intentionem Dei, qui dedit illam : quantum ad intellectum legis : & quantum ad observantiam ejus. 526. E. & seqq.

Lex Divina tripliciter differt ab humana, scilicet fine, officio, & præmio. 548. F. & seqq. Forus judicialis & punitio veteris Legis figurabat forum & punitionem pœnitentialem Legis Euangelicæ per Christum instituendam. 567. E. & seqq.

Lex vetus. Erat sicut arbor, quæ faciebat folia, sed non ferebat fructus. 66. C. F. *fusè*.

Lex Moysis intellecta per *argentum*, per *aurum* verò doctrina prophetarum : & quare. 170. C. Lex vetus nil aliud est nisi præparatio ad Christum & Euangelium. 342. E. F. Lex vetus vocatur ficus. 368. D.

Lex vetus fuit data ad duplicem finem. 458. E & seqq. Totus discursus *Legis Divinæ* describitur in psalmo 118. ideo David scripsit hunc psalmum per litteras Alphabeti Hebraici secundum ordinem per viginti duos octonarios versuum. 145. B. C.

Lex Dei quindecim nominibus in psalmo 118. appellatur, quæ nomina recensentur & explicantur pag. 156. F.

Lex Dei dicitur via Domini. Dicitur etiam Voluntates Domini, & quare. pag. 10. D. Tota Lex Divina consistit in dilectione Dei & proximi : sed in tali dilectione oportet quod serve-

tur

tur ſpecies, modus, & ordo. 147. E.F.&c. Appelatur etiam variis nominibus. pag. 368. D.

Lex Euangelica tripliciter juſtificat, & facit hominem dignum vitâ æternâ. 163. D. Dicitur pſalterium decachordum, & quare. 282. C. Dicitur Canticum novum quadrupliciter. 312. G.H. Lex Euangelica dicitur *lex libertatis*, amore futuræ beatitudinis, & non dicitur *lex ſervitutis* formidine pœnæ temporalis, ſicut Lex Moyſis, nec oneroſa jugo cæremoniarum, ſicut illa. Item dicitur *Lex juſtitiæ*, & *Lex ſanctitatis*: & quare. 454. F.G. Lex Euangelica eſt certior, & magis authentica certitudine teſtium & ſcriptorum, quàm Lex Moyſis. 581. E. & ſeqq.

Libanus mons, interpretatur candidus & albus, eo quòd ſemper candet, & albet nivibus &c. ſignificat Chriſtum. 676. F.G.

Liber in quo apud Deum omnes ſcribuntur, duplex; liber vitæ, & liber mortis. De his latè pag. 249. à lit. F.

Liquor. Sex liquores memorantur, quibus Paſsio Chriſti comparatur. 693. C. D.

Literæ Hebraicæ. Quælibet littera Hebraica habet ſuam ſignificationem à prima uſque ad ultimam. 145. C. D.

Loqui Dei ad extra, nihil aliud eſt, niſi multiplicare ſimilitudines idearum exiſtentium in Verbo, ſpirando actualem exiſtentiam: & ſic creantur creaturæ ad ſimilitudinem illarum idearum. 307. A. B. &c. Quomodo loquutus eſt Spiritus ſanctus in veteri & novo Teſtamento, explicatur. 421. H. & ſeqq.

Loquutio Dei prophetica poteſt habere reſpectum ad tria. 338. A. B.

Lucifer primus ſuperbus in mente cordis ſui, qui voluit, & ſtatuit uſurpare ſedem imperialem Chriſti Filii Dei, & aſcendere ad ſimilitudinem & æqualitatem Dei, & uſurpare Imperium mundi Chriſto debitum. dejectus è Cœlo per Michaelem. 441. D. & ſeqq.

M

Magi Pharaonis virtute dœmonum fecerunt ranas & cætera. 14. B.

Mahometus, in Alcorano plura refert de Chriſto & Virgine Maria, videnda pag. 430. à lit. A.

Maim vox Chaldaica, idem eſt Latinè quod fluxibilis & mobilis. 22. B.

Mair Necromanticus: ejus hiſtoria. 240. G.

Mala, orum. Tria mala pœnæ: ſeparatio à Deo per peccatum, infirmitas ad bonum faciendum, & pronitas ad cadendum & malum perpetrandum, tertium, fœditas libidinis. 437. G.H. Omnia mala tam culpæ, quàm pœnæ traxerunt omnes poſteri à primis parentibus per carnem corruptam. 764. D. E. & ſeqq.

Malus arbor: per hanc arborem intelligitur arbor Crucis. 742. E. F. & ſeqq.

Mandragora eſt pomum genitum in radice cujuſdam herbæ facientis folia ad modum parvæ lactucæ. &c. 736. B. C. & ſeq.

Manè, intelligitur pro tempore gratiæ, & adventus Chriſti. 334. G.

Manna, cur ſex diebus pluebat Manna, & in Sabbato ceſſabat? 546. G.

Manus, præter alias acceptiones ſignificat extenſiones locorum, brachia, & ſinus, & receſſus maris. 33. F.

Maria, ſunt valles infimæ inter altiſſimos montes, in quibus congregantur omnia flumina, & omnes aquæ, à montibus per valles & campos declives deſcendentes & decurrentes. 27. à lit. C.

B. Virgo Maria. Ejus caro fuit ſanctificata & mundata ab omni fomite ante animationem; & anima fuit ſimul creata, & ſanctificata, & gratificata, & in gratia confirmata, & infuſa in illa carne munda: ideo nec caro potuit inficere animam, nec anima infici à carne per culpam originalem. 165. A.B. &c.

In ejus Annuntiatione per Angelum Gabrielem quatuor magna & nova beneficia promittuntur in abſolutionem à quatuor malis quæ etiam per Angelum denuntiata fuerant primis parentibus propter eſum cibi prohibiti. 387. à lit. D. *fusè*. Quatuor naturaliter impoſsibilia viſa ſunt Mariæ in Annuntiatione Angeli, quando dixit: *Quomodo fiet iſtud &c.* 389. B.C. Reſponſio Angeli. Ibi. à lit. D. Quomodo virtus Altiſſimi obumbravit Virgini? 390. B. C. Quomodo Spiritus ſanctus ſupervenit in eam. Ibi D. E. Spiritus ſanctus venit in eam in ſua creatione, ut eam ſanctificaret: & ſupervenit in eam, ipſi ventrem & mentem obumbrando &c. 191. C. Obumbravit & illuſtravit mentem faciendo ipſam Prophetiſſam & Euangeliſtam. Ibi. E. Octodecim dignitates, & honores, & magna dona & beneficia, quæ Virgo Maria recepit à Deo ſuper omnes alias puras creaturas, recenſentur. 392. à lit. F.

Maria Virgo in ſuo Cantico *Magnificat* poſuit decem verſus juxta numerum decem Canticorum veteris Teſtamenti. & ex hoc dicitur *Pſalterium decachordarum Euangelicum*. 394. C. Cauſa triplex unde mota eſt ad cantandum iſtud Canticum. Ibi. D.

Maria in ſuo Cantico exhibet Deo omnia quæ ſunt Creaturæ poſsibilia facere. 395. B.C.

Humilitas Virginis fuit cauſa quare exultavit in Deo, & non in ſeipſa, & quare magnificavit Deum, & non ſeipſam, & quare Deus accepit carnem ex ea, & per conſequens quare omnes generationes dicunt eam beatam. 396. à lit. D. *fusè*. Duodecim dignitates & privilegia Virginis Mariæ proponuntur. 400. H. & ſeqq.

Maria Virgo ab æterno fuit immediatè poſt Chriſtum in primo gradu, & ad altiores dignitates prædeſtinata. 401. E. Fuit ab æterno prædeſtinata ad gratiam ſanctificationis, ut in primo inſtanti ſuæ animæ creationis & infuſionis eſſet ſimul cum corpore ſanctificata per gratiam adoptionis filialis &c. 401. à lit. G. *fusè*.

De ſanctificatione Virginis Mariæ in primo inſtanti ſuæ animationis & conceptionis agit Author fusè à pag. 402. lit. G. per quatuor concluſiones uſque ad 412.

In Virgine Maria acceleravit Deus liberum arbitrium ad merendum ſuper omnes creaturas. &c. 412. E. & ſeqq.

Singulare conjugium Virginis Mariæ, celebratum cum voto virginitatis. 413. H. Quomodo inter Joſeph & Mariam fuit verum Matrimonium explicatur. 414. A. & ſeqq. Virginalis conceptus & partus Virginis Mariæ explicatur. 415. à lit. G. cum ſeqq. In ſupradicto myſterio Incarnationis fuit facta naturalis & carnalis Mater Dei. 416. & ſeqq. Quomodo Virgo Maria fuit

vera & naturalis Mater Dei, explicatur. 417. lit. G. H.

Maria singulariter fuit illustrata & inspirata per obumbrationem Spiritus sancti: unde adepta est spiritum Propheticum & Euangelicum super omnes Prophetas & Euangelistas. 420. H. & seq. Quando Spiritus S. supervenit in Mariam, & obumbravit eam sua virtute & lumine, non est dicendum, quòd purgaverit eam ab aliqua labe peccati; sed purgavit intellectum & mentem ejus ab omni ignorantia, ipsam rapiendo usque ad tertium Cœlum, præbendo ipsi veram intelligentiam totius sacræ Scripturæ, & patefaciendo ipsi divina arcana, & mysteria cœlestia, quæ non licèt homini loqui 421. D. & seqq.

Virgo Maria non solum ante Incarnationem per obumbrationem Spiritus S. fuit rapta, sed etiam in die Pentecostes cum cæteris Apostolis, & iste raptus Virginis multipliciter fuit perfectior quàm raptus Apostolorum. Ultra hoc contemplando Dominum incarnatum, quem in utero gerebat, sæpè rapiebatur ad arcana cœlestia: & multa revelavit ipsi post nativitatem familiari locutione, quæ postea ipsa docuit Apostolos & Euangelistas &c. 422. D. E. & seqq.

Virgo Maria fuit præ cæteris singularis & familiarior Christi ministra, & cubicularia, & secretaria. 423. C. & seqq. Christus post resurrectionem prius apparuit suæ Matri, quàm Magdalenæ, nec alicui alteri. Ibi. H. & seqq.

Virgo Maria singulariter fuit Martyr super omnes Martyres: quia absque laniatione corporis atrocius passa est in anima in passione Christi, quàm aliquis aliorum Martyrum passus unquam fuit in carne. 424. H. & seqq. Propter tria Virgo Maria dicitur vere Martyr. Ibi. C. D. & seqq. Christus non permisit Corpus Virginis Matris suæ in sepulchrò manere, sed tertia die in corpus glorioſum ipsam resuscitavit, & secum in gloria cœlecti collocavit. 425. H. & seqq.

Virgo Maria. super omnes choros & hierarchias Angelorum & omnium Beatorum meruit evaltari, & collocari immediatè post Jesum-Christum Filium suum. 426. D. & seqq.

Virgo Maria adhuc in utero matris incœpit mereri vitam æternam super omnes sanctificatos in utero, in quibus usus liberi arbitrii fuit acceleratus. &c 427. B. Excessit in merito omnes status hominum, & omnium Angelorum. 427. F. G. & seqq. Dignitas Intercessionis *Virginis Mariæ* per quam sola dicitur Mater gratiæ, & misericordiæ, & advocata peccatorum, & mediatrix inter nos & Christum. 427. H. & 428. Quomodo omnes generationes Virginem Mariam dicunt beatam, explicatur. 429. F. & seqq. Sepulchrum Virginis Mariæ veneratum à Saracenis. 431. B. C.

Virgo Maria & Joseph cum fidelibus qui tunc erant suscepit Jesum-Christum vice & in persona totius Israel, & omnium Patriarcharum & Prophetarum, & omnium præteritorum veteris Testamenti, & tamquam verum Messiam & Redeptorem & Salvatorem in lege promissum. 445. H. & seqq.

Virgo Maria figurata per liguum arboris Setim, & per Cedrum, quoad corpus & animam. 688. E. F. & seqq. Sanctificatio Virginis Mariæ, & totius Ecclesiæ præfigurata per unctionem Arcæ & Tabernaculi ex illo unguento pretiosissimo quod Deus præcepit Moysi *Exod.* 30. 639. D. Ornamenta diversarum virtum Virginis Mariæ prafigurata per ornatum cortinarum & florum Tabernaculi &c. 640. F. *Vide etiam plures excellentias & privilegia Virginis Mariæ ex Arca & Tabernaculo fœderis deducta.* Ibi F. G. & seqq. *Item plura de Virgine Maria invenies*, pag. 663. a lit. A.

Virgo Maria dicitur Oculus columbinus, & crinis, & collum Ecclesiæ. 678. G H & seqq. Virgo Maria licèt non fuit Sacerdos ad conficiendam Eucharistiam; habuit tamen aliquid æquivalens, & etiam superexcedens, quod nunquam habuit aliquis Sacerdos. &c. 684. B. C. & seqq. Quomodo Virgo Maria triumphavit *de capite Amana, & de vertice Sanir &c.* 684. F. G. & seqq. Triumphus *Virginis Mariæ* ex decreto Dei promulgatus contra diabolum, & ejusdem exceptio à communi sententia aliorum, antequam communis sententia promulgaretur. Totum hoc probatur pag. 685. & 686.

Virgo Maria triumphavit de montibus Sanir & Hermon, &c. per quos intelliguntur quatuor potestates & conditiones hominum, qui conati sunt impugnare Virginem Mariam, & ejus Virginitatem & dignitatem. 686. H. *& deinceps.*

Semper habitavit in monte Libano, id est, in monte candido, & in monte puritatis & sanctitatis. 688. D. E. & seqq. In triduo mortis Christi fuit in Virgine Maria conservata integra fides Ecclesiæ Spe & Charitate formata: & in eadem fuit conservata tota perfectio formæ Ecclesiæ, tanquam in uno membro sano & principali post Christum. 713. H.

Martyr, idem quod testis latinè. Alio modo dicitur à Marte, deo bellorum, & quare. 424. B.

Martyrium, sive tormentum est tantùm materialiter in corpore, sed formaliter in anima: ideò magis & perfectius est in anima, quam in corpore. 425. A.

Matrimonium à Deo propter quatuor bona institutum. 151. B. C.

Matrimonium. Ejus institutio ad triplicem finem, & ad triplex remedium. 414. C. & seqq.

Mediator. Tres Mediatores inter Sponsam & Sponsum: Angeli, & Sancti in Cœlo, & Sacerdotes, qui audiunt peccata nostra. 751. F. G. & seq.

Medium sumitur pro medio excludente principium & finem, pag. 356. D. *In medio duorum animalium*: id est, in medio duorum Testamentorum, quæ per duo animalia designantur & figurantur. Ib. F.

Melchisedech Rex Salem. Origenes putavit fuisse Angelum Domini, qui occurrit Abrahæ. 92. B. C. Civitatem Hierusalem vocavit *Salem*, id est pacificam. 458. B.

Messias in Lege promissus non erat daturus bona temporalia, sed spiritualia: nec erat liberaturus illum populum de captivitate temporali, sed totum genus humanum à peccato & servitute æterna & spirituali. 557. H & seq.

Misereri. Deus misereretur aliter quàm extraneus, proximus, amicus, aut consanguineus. 11. H. & 12. A.

Misna, secunda lex conficta à Mairnecromantico 240. G.

Misericordis hominis bona quæ in hac vita consequitur. 110. E. *latè.* Et in altera vita. Ib. H. & 111. D.

Montes famosissimi quinque. 25. à lit. D. *fusè.* Montium Civitatis Hierusalem utilitates. 191. G.H. Eorum significationes 192. A. Duo montes frugiferi inter ceteros in terra promissionis, Hermon, & Sion. 226. C.

Mors. Pauci audebant aggredi mortem & tormenta pro veritate & justitia defendenda, ante mortem & passionem Christi, & cognitionem Euangelii. &c. 703. D. E. & seqq.

Moyses. Per Moysen significatur Regnum Christi. 52. F. Utrum Moyses in suo Cantico habuerit duplicem spiritum propheticum? 346. B. & 370. F.

Moyses non fecit præcisè suum Canticum pro liberatione temporali populi Israel, nec pro punitione Pharaonis; sed principaliter intendit cantare, & gratias agere de universali Redemptione futura per Christum. &c. Et sic habuit spiritum duplicem propheticum. 347. C. D.

Moyses invocavit Nomen Domini Tetragrammaton, quod est Verbum Incarnatum. 371. A Omnia gesta Moysis facta fuerunt in figura mysteriorum Christi. Vide à pag. 673. B. usque ad 675. C. Item ejus ascensus in montem *Abarin*, ejus mors & sepulchrum memorantur, & mysteria quæ per hæc significantur 691. B.C. & seqq.

Moyses de Ægypto in pugnatur. 568. A. & seq.

Mulier. Tres mulieres de populo Gentili sociatæ populo Dei, in quibus fuit figurata spontanea conversio populi Gentilis ad fidem Christi, *Thamar*, *Rahab*, & *Ruth Moabita.* De his *fusè.* 630. à lit. B. & 720. E.

Mundus quadruplex memoratus in sacra Scriptura. 19. à lit. H. Totus mundus consistit in triplici naturâ. 20. H. In toto universo mundo est trinitas naturarum sub unitate mundiali. 21. A. Quomodo mundus dicatur solitudo. 62. E.

Mundus non est productus ex necessitate ab æterno: sed Deus potuit ex tempore ipsum producere & creare. 307. H. Deus Pater producit Verbum & Filium per modum naturæ, & non per modum artis; ideo producit ipsum ab æterno, & non ex tempore. Sed mundum produxit per modum artis, ideo mundus non potuit esse ab æterno. &c. 307. à lit. H.

Mundus licèt sit tantum unus in numero, tamen est trinus in natura, & gradu, & machina, secundum quod Deus trinam machinam creavit in eo. 484. C. & seqq. Secundum Hebræos, totus discursus mundi dividitur in septem dies, sive status, & ætates. 529. B.C. & seqq. Totum tempus Messiæ usque ad finem mundi dicitur septima ætas, & septimus dies mundi. Ibi. F.

Munus, quod Deo tamquam servi offerimus non est æqua retributio, nec recompensatio pro beneficiis quæ à Deo accepimus. 129. B.C.D.

Myrrha arbor humilis. Ejus descriptio & proprietates. 639. E. & seqq. Per eam intelligitur Passio & Sanguis Christi. Ibi H. & seq. Duobus modis distillat liquorem suum 692. A.B.

Mysteria repræsentata in Visione Jacob Patriarchæ quando fugiebat in Mesopotamiam, recensentur. 136. lit. H. & *deinceps.*

N

Nabuchodonosor. De hoc agitur. pag. 320. *Nabuchodonosor* obtinuit à Deo gratiam & misericordiam, & fecit pœnitentiam de peccatis suis, & redemit peccata sua orationibus & eleemosynis. &c. 773. C. D.

Nativitas Christi duplex; una est æterna à Patre sine matre; altera temporalis à Matre sine patre. 357. A.B. Quare nativitas Christi fuit prius pastoribus euangelizata, quàm cæteris? 462. A. & seqq.

Natura. Omnis natura & essentia est bona, & quare. 300. G. *Natura Angelica* est trina & una; nam distinguitur per tres hierarchias. Et quælibet hierarchia continet tres ordines substantiarum spiritualium. 484. D. & seqq. *Natura cœlestis* incorruptibilis distinguitur per tres ordines & gradus cœlorum. Ibi. G. & seqq.

Natura humana tripliciter sumitur in sacra Scriptura: pro essentia & natura specifica; pro tota generatione & collectione omnium posterorum Adami per naturalem generationem: & pro carne quam unusquisque traducit ex Adam per naturalem generationem. 765. H. & seqq.

Necromantici qui quærunt Nomen Dominî quatuor litterarum, putantes esse majoris virtutis, quàm nomen Jesus, impugnantur. 311. [illegible]

Nobiscum Deus: id est, qui erit Deus & Homo, scilicet Deus junctus nobiscum, assumens nostram humanitatem. 327. C.

Nomen dicitur à notificando: ideo illud per quod magis notificatur res, dicitur nomen rei, & habet rationem nominis rei: quia tota plenitudo Divinitatis, & omnium divinarum perfectionum, & Trinitatis personarum magis notificantur in Verbo, quæ est Persona Filii, quàm in alia personarum; ideo dicitur *Nomen Dei.* 308. H. *fusè.*

Nomen Christi quare dicitur sanctum & terribile. 104. F.

Nomen Domini idem est quod Verbum incarnatum, scilicet Dominus noster Jesus Christus, Deus & Homo, Messias in lege promissus. 117. B. & 398. D. Hoc nomen Domini est quod cæpit *Enos* invocare, similiter omnes Antiqui Patres. Ibid. G.

Nomen Dei Tetragrammaton quatuor litterarum, importat & significat quatuor proprietates Dei, scilicet summam omnipotentiam, & sapientiam, & justitiam, & misericordiam, quæ maximè fuerunt in Christo. 142. F. Quare Nomen Domini jam non debet scribi cum quatuor litteris, sed Jesus? 310. à litt. H. Impugnatur litteris, sed Jesus? 310. à litt. H. Impugnatur error Christianorum qui scribunt Nomen Dei cum illis quatuor litteris, & sub hoc nomine Adonai portant in collo, aut persona sua. 311. B. *Omnipotens nomen ejus*: nam Jesus, qui est *nomen Dei*, est nomen omnipotentiæ, & summæ sapientiæ, & justitiæ, & misericordiæ, in cujus virtute Moyses fecit omnia miracula. 348. H. & *deinceps.*

Numerus. Omnes numeri procedunt ab unitate. 300. G.

Nuptiæ. Duplices nuptias celebravit Christus cum Ecclesia Sponsa sua: nuptias Redemptionis & Incarnationis; & nuptias glorificationis. 752. B. & seqq.

Nyctícorax græcè interpretatur corvus nocturnus, sive noctua. Huic comparatur Adam, 3. H.

O

Oblatio matutina, & vespertina. Per agnum sacrificatum de mane significabatur Abel occisus in principio mundi, in figura Christi. Agnus vero sine macula immolatus in vespere, significabat Christum, qui in fine Legis Moysis & veteris Testamenti occisus est. 259. H. & 260. A.

Oblationes & sacrificia veteris Legis non offerebantur in solidum pretium pro peccatis actualibus, sed in signum fœderis & pretii futuri, in quantum illi promittebant & protestabantur solvere per Christum. 512. C. & seqq.

Obumbrare, idem est, quòd per umbram aliquid circundare & comprehendere. Quomodo obumbrat corpus opacum, & quomodo corpus lun inosum, & explicatur. 421. A.B.

Octonarius. Quare David scripsit psalmum 118. per 22. octonarios versuum juxta numerum Alphabeti Hebraici, vide 145. D. F. G.

Oculus Sponsæ quali. 678 B.C. & seqq. *Oculus* dicitur quasi lumen occultum: & ideo prius verificatur de oculo mentali interiore, quàm de corporali. 689. A.

Oculus rectus, & oculus sinister in homine. 689. D. Tria genera *oculorum* vulneraverunt Christum, & fecerunt ipsum avolare, ut veniret ad redimendum nos: *oculi* imaginis naturalis, *oculi* prædestinationis, & *oculi* gratiæ. 721. E.F. & seqq. Per oculos possunt intelligi Doctores Ecclesiæ, per quos videt Ecclesia. Ibid. H.

Oleum, sive unguentum, quo ungebatur summus Sacerdos in lege veteri, conficiebatur ex balsamo, & multis aliis oleis aromaticis. 225. E. Oleum in capite Aaron, quid significet. Ibid. E. F.

Oleum effusum, quid sit. 625. G. H. & seqq.

Omnipotentia Dei, ob quam est laudandus, variè explicatur, pag. 115. à lit. C.

Opera legalia Judæorum, erant quædam protestationes & professiones Christi futuri, & futuræ redemptionis. 527. B.C.

Opera humana licita in duplici genere: nam quædam dicuntur temporalia & profana, utilia nobis: alia sunt opera sancta, facta in auxilium & necessitatem proximi. 545. B. C.

Oratio est deprecativa, laudativa, gratiarum activa, & narrativa. 255. D.

Ordo nostræ redemptionis fuit necessarius necessitate congruentiæ ad vincendam astutiam diaboli. 705. B. C. & seqq.

Osculum, dicit quamdam unionem. Quadruplex osculum petit Sponsa à Christo Sponso. 624. A. B. *Osculum oris Patris*, & *osculum* inter nos & Patrem dicitur Christus. 625. A. B. & seqq.

P

Palma arbor, denotat & designat victoriam. 732. A. Per eam communiter intelligitur arbor Crucis, quæ est arbor summæ victoriæ. Ibi. Per *Palmam* ad quam ascendit Ecclesia Sponsa Christi, intelligitur campus pugnæ & victoriæ. 733. C. D. & seqq.

Paradisus voluptatis est hemisphærium Australe: hoc describitur secundum Ptolomæum & Aristotelem, & felicitas Adami quam in illo habuisset. 760. B. C. & seqq.

Parcæ, secundum fictionem poetarum, filant & texunt vitam & durationem hominis. 334. C.

Passio Christi. Hæc sola fuit sufficiens pretium ad satisfaciendum pro peccato, & ad justificandum omnem hominem &c. 508. H. & 699. A. B. & seq.

Pastor. Septem requiruntur ad officium veri pastoris. 462. & seqq.

Pater naturalis in generatione non concurrit nisi activè ad generationem fœtus, in quantum spiritus prolificus, sive virtus generativa conservata in semine tantùm formatfœtum in matrice mulieris ex menstruo 89. E. Pater carnalis & spiritualis, quæ docere debeant suos filios. 336 H.

Pater, idem est quod principium: ideo genitorem vocamus, patrem, quia est principium generationis activum; & genitricem vocamus *matrem*, quia est quasi materia & principium passivum in tali naturali generatione. 476. E. & *deinceps.*

Patriarchæ. Omnes Patriarchæ & Prophetæ præter terram Chanaam & præter Jerusalem terrenam desiderabant & expectabant hæreditatem in cœlo, & aliam Jerusalem cœlestem. 550. G. & seqq. Omnes isti non desiderarunt sepeliri in terra promissionis propter bonitatem terræ, sed ut resurgerent cum Christo. &c. 502. C.D.

Patriarchæ, & Prophetæ, & Fideles veteris Testamenti non operabantur, nec salvabantur, nisi cum gratia & fide Christi futuri. 770. G.H. & seqq.

Pauper. Omnes pauperes Christiani & indigentes petentes amore Christi, sunt hæredes & successores Christi. 113. F.

Pax, ejus etymologia & definitio secundum Augustinum. 465. H. Pax septempliciter distinguitur. 466. C. & seqq.

Peccator quomodo movetur ad pœnitentiam. 276. F. G. Quomodo allegat misericordiam Dei. 277. D.

Peccatum nihil aliud est nisi deviare à specie, aut modo, aut ab ordine dilectionis & Latriæ. 481. C. D.

Peccatum sex mala affert homini, & quæ sint, vide, pag. 9. G. Duo *peccata* generalia quæ infecerunt totam naturam Judæorum crucifixorum Christi, & transierunt in omnes posteros tamquam morbus hæreditarius: peccatum Adami, & peccatum crucifixionis Jesu Christi. 75. A.

Peccatum crucifixionis Christi fuit majus quàm idololatria. Vide à pag. 81. *Peccata* quæ fiunt in die, & quæ in nocte. 193. B. C. *Peccatum* primi parentis fuit elatio cordis. &c. 216. F.

Pelagii & Pelagianorum error proponitur. 149. E.F. & pag. 502. B.C. & seqq. Respondet Augustinus ad objectionem Pelagii sumpta ex impossibilitate resistendi malo, & faciendi bonum. 496. C.D. & seqq.

Personalitas. Christus in quantum homo nullam habet propriam personalitatem, nisi solam personalitatem Verbi, in qua subsistit. 89. G.H.

Petrus. Utrum Petrus, & cæteri Apostoli perdiderint totaliter fidem in triduo, & potuerint dici Hæretici? Vide hoc dubium latè disputatum, pag. 712. à lit. F.

Pharan mons: id est umbrosus. 357. B.C.

Phenenna fœcunda, contemnens & improperans

rans Annæ, præfigurabat Synagogam, & Scribas & Phariſæos, qui deſpecturi erant Chriſtum pauperem & Apoſtolos. &c. 340. G.

Philoſophi. Licèt Philoſophi Gentium, & famoſi Romani non operarentur ſecundum veras virtutes morales, nec Theologales; tamen non cohibebant vitia, nec vitabant enormia peccata, nec faciebant opera inſignia abſque gratia Chriſti. 771. F. G. & ſeqq.

Populus Dei tribus nominibus explicatur; hoc eſt populus ſanctorum, filii Iſrael, & populus appropinquans Deo: & quare. 305. à lit. A.

Populi Hebraici ingratitudo & idololatria. 375. F. G. Punitio & deſtructio illius populi per Moyſen prænuntiata. 376. A. B. & ſeqq. Duplici ex cauſa Deus voluit ſervare reſiduum illius populi? 378. G. H. Item 380. E. Totus ille populus ab Adam uſque ad Chriſtum dictus fuit vinea Chriſti. 380. H. & 381.

Populus Gentilis erat efficiendus filius Abrahæ ſecundum repromiſsionem, in quantum erat benedicendus in Chriſto & regenerandus. 560. & ſeqq. Item erat recepturus Chriſtum in Lege promiſſum, & venturus ad fidem & Legem Euangelicam, & adoraturus Deum Iſrael. Ibi. E. & ſeqq.

Populus Chriſtianus. Solus populus Chriſtianus eſt verus *Jacob* & Iſrael, & verum ſemen Abrahæ. 561. A. & ſeqq.

Populus Gentilis deſcendebat ex Noe vero Dei cultore: ſed receſsit à vero cultu Dei per filios Cham & Japhet, maxime in confuſione linguarum in fabricatione turris Babel. 724. H.

Pœnitentia magis & perfectius punit peccatum, quàm lex ſæcularis, & quàm lex vetus puniebat. 568. D. E. & ſeqq.

Porphyrius. Impugnatur error Porphyrii, qui aſſerebat Legem Euangelicam eſſe injuſtam, caſſam, & vanam, eò quòd præcipit impoſsibilia: & per conſequens, quòd non omnes poterant, nec poſſent in ea juſtificari &c. 158. à lit. H.

Portæ Eccleſiæ dicuntur Prælati & Doctores & Miniſtri Eccleſiæ, in quantum introducunt in eam bonos, & excludunt malos per Eccleſiaſticam poteſtatem. 746. F. Dicuntur portæ cedrinæ ſecundum quatuor proprietates quas habet cedrus, quas vide ibi & ſeqq.

Poteſtas quadruplex: Regia, Sacerdotalis, doctrinalis, & virtutis, ſcilicet, miracula faciendi. 87. B. C.

Præcepta Dei ſolis propriis viribus adimpleri non poſſunt ſine gratia. 148. E. *& deinceps.* Omnes obligamur ad ſervanda Divina præcepta. &c. 152. B. *fusè.*

Prædeſtinatio ante præviſa merita. 250. B. C. Ejus definitio. 401. B. Quando dicitur, quod *prædeſtinatio* eſt ab æterno ad gratiam præparatio, non eſt intelligendum, quòd gratia ſit finis prædeſtinationis, ſed diſpoſitio ad finem: nec prædeſtinatio reſpicit gratiam tamquam finem ultimatum, ſed tamquam diſpoſitionem ad finem ultimum, qui eſt glorificatio & beatificatio. 426. E. & ſeqq.

Præfatio Miſſæ explicatur. 504. A. & ſeqq.

Prodigia in Nativitate Chriſti recenſentur. 88. B. G. & 123. B. C.

Prophetæ mittebantur à Deo ad duplicem finem: ad annuntiandum ſcelera & peccata, & punitiones populi: & ad prænuntiandum generalem redemptionem totius generis humani futuram per adventum Chriſti. &c. 326. D. E.

Prophetæ in ſuis oraculis non commendarunt Civitatem Jeruſalem & terram Chanaam propter ſeipſam, ſed quia præviderunt Chriſtum in illam Civitatem & terram venturum, & in ea noſtram redemptionem operaturum. 552. E. & ſeqq.

Prophetæ in ſuis Oraculis etiam interdum commendare intendunt Jeruſalem toto orbe diffuſam, hoc eſt Eccleſiam. 553. C. & ſeqq.

Prophetæ intellecti per cervos, hinnuloſque cervorum, & quare. 652. B. C.

Prophetia Iſaiæ ſemper proceſsit de imperfecto ad magis perfectum, & de minus claro ad magis clarum, ſecundum quod lumen propheticum ipſi augebatur in viſionibus & revelationibus. 326. F. G. *& deinceps.* Cur prophetia Iſaiæ de morte Ezechiæ non fuit completa, quin immò Ezechias vixit poſtea quindecim annos? 387. H.

Pſalterium decachordum, id eſt, decem chordarum, dicitur Lex Euangelica. 282. C.

Pugna Davidis cum Golia, & ejus victoria ſignificat myſterium pugnæ Chriſti cum diabolo. 280. C. D. &c.

R

Raptus, ſive mentis exceſsus Prophetarum & & Apoſtolorum. 422. B. & ſeqq.

Redemptio Chriſti copioſa tripliciter. 214. H. *& deinceps.*

Refugium in Eccleſia figuratur per *Herodium.* 40. A. Triplex refugium in Eccleſia ad quæ refugiamus tempore neceſsitatis. Ibid. C.

Regeneratio. Licèt regeneratio baptiſmalis ſufficienter mundet animam, & tollat omnem culpam ab anima, & liberet eam ab omni pœna æterna, & ab omni debito: tamen non tollit concupiſcentiam, nec fomitem, nec ceteras pœnalitates ex carne: quia adhuc poſt Baptiſmum omnia iſta manent in carne. 774. D. E. & ſeqq.

Regnum diaboli, & civitas terrena dicitur magna Babylon, & quare. 353. C. D. *Regna*, & regiæ poteſtates metaphoricè dicuntur *uxores Dei*, & *reginæ*: tyranicæ autem poteſtates, quia violenter regunt & reguntur, dicuntur, *concubinæ*, quaſi adulterinæ, quia non legitimè poſsidentur. &c. 622.

Reprobatio poſt demerita præviſa. 250. C. D. Deus non reprobavit homines ab æterno, ut eſſent mali & damnati: ſed quia præſcivit eos ſemper & finaliter malos & impœnitentes, ideo eos reprobavit. 377. A.

Res. Omnis res, & omnis ſubſtantia eſt bona naturaliter: & quare. 306. D.

Reſpondere aliquando ponitur in Scriptura pro rogare. 8. A. B.

Retiaculum ſecundum Auguſtinum ſignificat eſum ligni prohibiti, quem comederunt primi parentes contra voluntatem Dei. &c. 264. à lit. A. Duplex retiaculum paravit diabolus contra hominem. Ibid. F. G. In hoc retiaculo fuit capta B. Virgo Maria quoad naturam, ſed non quoad culpam originalem. &c. 265. A. B. C. D. Aliud retiaculum quod Chriſtus paravit contra ratiaculum diaboli, ut liberaret hominem. 265. G. *& deinceps.*

Retroceſſio Solis. Vide verb. *Sol.*

S

Sabbatum Judæorum. Sabbati præceptum magis est cæremoniale, quàm morale. 527. F.

Sabbatum hebraice idem est quod requies latinè, non dicit diem in septimana determinatam: quia quælibet dies septimanæ ad requiem & festivitatem dedicata dicebatur Sabbatum in Lege. Ibi G. H. & seqq. *Sabbatum* observatur ad requiem hominis, & ad sanctificationem. 528 B. & seqq.

Sabbatum præcepit Deus celebrari in die septimo propter memoriam creationis, & in memoriam exitus Israel de Ægypto 528. D. & seqq.

Sabbatum usuale, & omnia alia Sabbata annualia præcepit Deus celebrari in fine semper alicujus septenarii. Ibi H. & seqq.

Sabbatum usuale, figurabat futuram requiem Christi in sepulchro in die Sabbati, in quo Christus jacuit per totam diem Sabbati. 529. H. Quomodo præcepit Deus *Sabbatum* celebrandum & sanctificandum, declaratur. 530. A. B. Et quare Deus toties iteravit hoc præceptum magis quàm alia per totum discursum Legis, explicatur *ibid.* C. D. Præceptum de *Sabbato* celebrando est partim morale. *Ibi* G. H. Item magis est cæremoniale, quàm morale. 531. B. & seqq. Item hoc præceptum partim est judiciale. 532. B. C. Præceptum de celebrando Sabbato debuit cessare adveniente Christo, id est postquam resurrexit. Ibi D. & seqq. Quia *Sabbatum* datum fuit in signum futuræ veritatis, & non gratiâ sui: ideo adveniente veritate debuit cessare. 533. E. F. Cessavit per adventum Christi. Ibi F. & seqq.

Sabbatum tripliciter dicitur æternum, hoc est quoad signum in illa ætate, quoad significatum immediatum in ista, & quoad ultimatum in futuro sæculo: & sub tali intentione Deus præcepit sub fœdere æterno Sabbatum observari. 545. H. & seqq. Locutio Dei de observando *Sabbato* est figuraliter intelligenda. 537. B. C. & seqq. Sola Christiana Religio servat verum & perfectum *Sabbatum legale* figuratum. 539. C. & seqq. Christiana Religio celebrat verum *Sabbatum morale* in die Dominica quoad tempus, id est, quòd in debito convemente die celebrat illud. 541. E. & seqq. Sola Christiana Religio verè celebrat omnia *Sabbata annualia*, & ceteras festivitates in memoriam mysteriorum novi Testamenti. 542. F. & seqq. Sola Christiana Religio verè & rictè celebrat omnia *Sabbata*, & verè sanctificat ea quoad modum sanctificandi 543. B. & seqq.

Sabellius hæreticus. Ejus error. 67. E. & 786. A.

Sacramenta & cæremoniæ veteris legis comparantur fœno nato super tectum. 211. A. B.

Sacramenta novæ legis virtutem sumpserunt ex quinque vulneribus Christi. 329. C. & 309. B.

Sagittæ, in Scriptura sæpè Apostoli & Discipuli Christi dicuntur sagitæ. 206. F. G.

Salix. Per salices intelliguntur fideles & simplices. 237. C. D.

Salomon comparatur cum David; sed inferior Davide. 220. G. Tria *Salomoni* difficilia explicantur. 359. F.

Salomon Author trium librorum Sapientialium. An illustratus fuerit à Spiritu sancto in compositione horum librorum, dubitarunt quidam Hebræorum. 607. a lit. D. Authoritas D. Ambrosii pro pœnitentia Salomonis. 608. Causa materialis ob quam scripsit Salomon hos libros, exponitur. 609. D. & seqq.

Salomon in suis Canticis præcicit omnia mysteria Christi & Ecclesiæ, & nostræ Redemptionis. &c. 616. D. E. & seqq. Per *Salomonem* intelligitur Deus in toto libro Canticorum 661. E.

Sanctus. Sanctum dicitur à sanciendo, quod idem est quod benè & rectè ordinare res in suum bonum finem: sic ille dicitur sanctus, qui sapienter & rectè, & justè disponit & ordinat res, & operationes suas in debitum & bonum finem. Solus Deus est sanctus per essentiam. 399. B. C. & seqq. Vide iterum. 488. E. F.

Sapere & scire, scientia, & sapientia, in quo differunt. 105. D. *Scientia* legis dicit solam cognitionem & intelligentiam: *sapientia* dicit intellectum cum operatione. 106. A.

Scientiæ purè speculativæ, & scientiæ moralis differentia. 105 B.

Scribæ & Pharisæi, post Christi resurrectionem excogitaverunt fraudes quibus tegerent suum errorem & malitiam. &c. 240. F. G. & *deinceps*.

Scribæ & Pharisæi, & sequaces eorum superbi in mente & intentione cordis sui, & quomodo. 434. D. E. &c. Quomodo dicuntur divites. 437. E. Quomodo inanes. 440. H. & seq. Secta *Scribarum* & Pharisæorum surrexit quadraginta annis ante adventum Christi, qui negabant legem esse datam in signaculum fidei, sed solùm ad officium; & sic negabant redemptionem spiritualem, & futura bona spiritualia. De his plura, pag. 149. & seqq. Vide etiam de hoc argumento, pag. 653. à lit. F.

Scriptura veteris Testamenti habet quasi tres defectus respectu Legis Evangelicæ. Nam est coagulata ut nix, obscura ut nebula, & indurata ut glacies. 297. F. G. Quatuor partes in sacra Scriptura multum difficiles ad intelligendum, quas apud Hebræos non debebant legere, nisi provecti & antiqui Doctores. 369. F. G.

Sectæ hæreticorum. 68. A. B. & *deinceps*.

Secta Mahometi plus duravit quàm omnes hæreses & sectæ. 191. B.

Sedere, tripliciter accipitur in sacra Scriptura. 84. D. Aliæ ejus significationes. 246. G. H.

Sedere in tenebris, & umbra mortis, exponitur multipliciter. 457. C. & seqq.

Sedes David, est sedes Ecclesiæ, & quare. 222. E. F.

Septenarius numerus pro indeterminato frequenter usurpatus in Scriptura. 339. D. E.

Sepulchrum Virginis Mariæ veneratum à Saracenis. 431. B. C.

Setim arbor, describitur. 688. E. Per eam significatur caro Virginis Mariæ. Ibi.

Simeon. De hoc & ejus Cantico agitur. 459. à lit. G.

Sion dicitur Ecclesia fidelium. 237. E.

Sol. Solis retrocessus per decem lineas, in umbra horologii Ezechiæ. 330. H. Tunc realiter retrocessit per decem horas à decima hora usque ad primam diei illius. &c. 331. A. Quid significet hoc mysterium, vide 332. A. B. Impugnantur qui dicunt, quòd illa retrocessio Solis

non

non fuit realis, ſed ſolum in apparentia. Ibid. C. D.

Solicitudo Chriſti in noſtra redemptione comparatur ad ſolicitudinem ſponſi & amantis temporalis erga ſuam ſponſam, ſive amaſiam. 694. C. & ſeqq.

Spatium Legis veteris comparatum ad ſtatum gratiæ, dicitur nox: & tempus legis gratiæ dicitur dies. 213. B. C.

Spes, Spei Theologicæ fructus enarrantur, pag. 168. H. & 169. A.

Spiritus Sanctus dicitur mater Eccleſiæ, ideo Eccleſia dicitur *columba*, & *columbina*. 623. B C.

Spiritus Sanctus dicitur ſpiritus bonus, & quare. 275. C.

Spiritus prophetieus duplex, & ſpiritus propheticus ſimplex declarantur. 346. F. G. In quo differant. 360. H. & 361. A.

Sponſa. Quantò magis tardabat venire Chriſtus, tanto magis creſcebat ejus deſiderium videndi perſonaliter Sponſum ſuum Chriſtum. 623. G. & ſeqq.

Sponſa quadruplex oſculum petit à Sponſo ſuo Chriſto. 624. A. B. & ſeqq. Vid. etiam. 625. C. D. Septem petitiones Sponſæ factæ in primo Cantico declarantur. 636. B. Dignitas & excellentia Sponſæ in ſtatu novi Teſtamenti ſupra ſtatum veteris Teſtamenti. 649. G H. & ſeqq.

Sponſæ ornatus & pulchritudo ſumpta ſimilitudine ab ornatu Sponſæ carnalis. 665. F. & ſeqq. & 677. & ſeqq. Membra *Sponſæ* memorantur, & eorum ſignificata exponuntur. 667. H. & 668. & ſeqq.

Sponſa Chriſti eſt etiam unaquæque anima Chriſtiana cujuſcumque fidelis & juſti, & per conſequens de ea verificantur quæ dicuntur in Canticis. 682. D. E. & ſeqq. Item melius & perfectius verificantur de Virgine Maria. 683. A. B. Caſus qui accidunt inter amantes & ſponſos carnales, deſcribuntur, & applicantur ad Chriſtum & Eccleſiam, qui ſunt Sponſi ſpirituales. 734. G. H. & ſeqq.

Status. In Eccleſia ſunt tres ſtatus vitæ: vita activa, vita miſtrativa, & vita contemplativa. 155. A. B. Alii tres *ſtatus* conſiderati in Lege Euangelica. 188. C.

Status Judæorum vocatur *dies tribulationis*: & quare. 368. B. C. &c.

Sunamitis, interpretatur *captiva*, ſeu *lapidea*. Salumit autem interpretatur *integra* & *perfecta*. 725. A. B.

Superbia, initium omnis peccati. 353. G. *Superbia* derivata eſt à Babylonia. Et diffuſa per totum orbem. Ibi.

Superbus. Ejus vitia & ſcelera deſcribuntur. 353. G. H. Differentia inter ſuperbum & humilem. 395. F.

Superſtitio, erat fundamentum dominationis diaboli in mundo. 365. B.

Synagoga Judæorum multipliciter punita poſt Chriſti mortem. 211. E. F. Dicitur *Edom*, & quare. 240. A. B. & D. & 241. C. Ejus reprobatio prænuntiata. pag. 340. G.

Synagoga ſimilis aſpidi, & quare. 382. B. Et quaſi venenum aſpidum inſanabile. Ibid.

T

Tempus faciendi. Totum tempus veteris legis fuit tempus ſignificandi, figurandi, & prænuntiandi; ſed in Chriſto incœpit *tempus faciendi*, & verificandi. 180. A. B.

Termini populorum conſtituti juxta numerum Angelorum: quia quiſque populus ſive natio, aut regnum habet proprium Angelum Cuſtodem: & quot ſunt populi, tot ſunt Angeli Cuſtodes &c. 373. G. H.

Terra. Ejus diſpoſitio ſecundum varias philoſophorum ſententias. 24. C. & *deincep*. Sententia Authoris Ibid. G. *fuse*.

Terra ſine aqua non germinat. 273. D.

Terra Chanaam cum fructibus & bonis temporalibus non fuit promiſſa & data filiis Iſrael in præmium præciſum & ſolidum pro obſervantia Legis Moyſis. 556. E. F. & ſeqq. Item ſolum fuit data illa terra in ſignum præmii futuri & æterni, quod accepturi erant à Chriſto in ſuo adventu. 557 & ſeqq.

Terra Chanaam eſt miſera, & ſterilis, & ſicca, & inaquoſa. 681. E.

Terra Chanaam ſignificat Regnum Cœlorum, & quare. 47. F. G

Terra promiſſionis, figura Eccleſiæ Chriſti ſecundum omnes ſuas partes quas continet, & quibus clauditur. 676. B. C. & ſeqq. Terra promiſſionis cincta & obſeſſa montibus, ſignificat Eccleſiam infeſtatam & obſeſſam ab inimicis. 677. B. C. & ſeqq.

Teſtamentum vetus & novum deſignatum per duo animalia. 356. F.

Teſtamentum Dei dicitur tota ſacra Scriptura Legis & Prophetarum: & quare. 452. F. G.

Teſtamentum dicitur à *teſtor aris*, quod idem eſt quod confirmare, & ratificare. 700. A. & ſeqq.

Thalmud Judæorum liber: ejus origo & inventio. 241. A. B.

Thamar. Concubitus Thamar cum Juda non fuit illi imputatus ad ſcortum, ſed ad juſtitiam & myſterium: & tota Eccleſia reputat illum fuiſſe factum in propheticum & myſticum myſterium, in quantum Thamar prævidit in ſpiritu, quòd Chriſtus erat naſciturus de Tribu Juda ſecundum carnem. 419. H. & 420. A. B.

Ticu, vocabant Hebræi ſecreta cæremoniarum, id eſt, ſilentium relinquendum declarandum pro Rege Meſsia 529. G.

Timor Dei filialis eſt principium omnium bonorum. Nihil aliud eſt quam ſumma Charitas. 109. F. *Qui timent Dominum*, dicuntur ſoli juſti 132. G. Timor quadruplex recenſetur. 433. A. B. &c.

Tribulationes, à quibus liberatus fuit homo myſticus per Chriſtum. 133. à lit. D.

Trinitas. Quomodo tota Trinitas ſimul & indiviſibiliter concurrit ad productionem creaturarum, explicatur. 20. E. F. &c. In toto univerſo, & in qualibet natura ſervatur quædam Trinitas. 21. A. Trinitas Perſonarum cum unitate ſubſtantiæ, probatur. 308. D. & *deinceps*.

Trinitatis myſterium Iſaiæ revelatum. 326. G. H. Veſtigium Trinitatis apparet in omnibus creaturis, nempe ſubſtantia, virtus, & operatio: hunc ordinem noverunt omnes Philoſophi in crea-

creaturis. 480. A. B. & seqq. Augustinus perfectius assignat istam Trinitatem in omnibus creaturis. Ibi. E. Mysterium Trinitatis explicatur à pag. 582. lit. H. Ista Trinitas Personarum in Divinis non est inventa & reperta in sola Christiana Religione ; sed jam fuit memorata ab antiquis Philosophis. Vide eos latè, pag. 584. à lit. A. Probatur Trinitas Divinarum Personarum ex variis authoritatibus veteris Testamenti, à pag. 586. lit. D. In quo sensu est Articulus fidei Deum esse trinum & unum. 584. E. & seqq. & 591. A. B. & seqq.

Turris David describitur. 671. D. E. & seq. *Turris* Libani, quam ædificavit Salomon inter montem Libanum & Hermon, ubi posuit continuos speculatores. &c. 729. G. H.

U

Ubera, Christo attributa per quamdam similitudinem. 625. E. Comparantur vino Ibi. F.

Ubera Ecclesiæ ; uber & mammilla doctrinæ sacræ Scripturæ, & uber gratiæ Sacramentorum. 672. A. & 679. B.

Umbra mortis. Limbus inferni vocatur umbra mortis, & lacus tenebrarum. Populus Gentilis sedebat in tenebris idolorum & umbra mortis. Populus Israel sedebat in tenebris cærimonialibus, & umbra mortis legis. 457. C. D.

Unctio Summi Sacerdotis in lege veteri describitur. 225. E. Hujus rei figura & significatio. Ibidem.

Unguentum. Decem unguenta aromatica & odorifera effudit Christus in suo adventu, quibus reparavit totum genus humanum, & sanavit omnes infirmitates nostras. &c. 628. B. C. & seqq.

Uterus, memoria fœcunda æterni Patris, ex qua Verbum generatur substantialiter : quæ memoria paterna similitudinariè & metaphoricè dicitur uterus, sive matrix. 89. A.

Uxor Christi dicitur Ecclesia, & quare. 666. G. H.

Uxores Dei & reginæ, dicuntur metaphoricè regiæ potestates & regna. 722. G.

V

Verbum. Septem verba quæ Christus dixit in Cruce memorantur & exponuntur. 694. E. F. & seqq.

Veritas, dicuntur viæ Domini, & quare. 284. C. *Veritas Dei* erga nos, in quo consistat. 270. B.

Verum. Nihil potest esse verum, nisi procedat à prima veritate : sicut nullum est ens, qui non procedat à prima entitate. 127. G.

Verum à quocumque dicatur, à Spiritu sancto est. 128. B.

Via iniquitatis in homine : una dicitur in anima, quæ dicitur culpa peccati : altera dicitur in carne, quæ dicitur concupiscentia, & fomes peccati. &c. 255. F. & *deinceps.* Via umbrosa & tenebrosa dicitur lex vetus. 457. D.

Viæ Domini sunt mandata & præcepta in lege scripta. 184. C.

Vigiliæ, in quas dividitur nox. 213. E. F. & 214. A. B. Et inquas dividitur dies. Ibid. G. H.

Vigiliæ nocturnæ in Ecclesia institutæ, & earum origo. 494. D. & seqq.

Vinea Christi, dictus fuit populus judaicus ab Adam & Abel usque ad adventum Christi 380. H. & 381. Quomodo facta est *de vinea Sodomorum.* Ibi B. C.

Vinea Domini est Ecclesia. 607. C. *Vineæ Engaddi*, quæ sint ? 642. G. H. Quando vineæ florent, omnes serpentes fugiunt. 653. C.

Virga, pro potestate. 87. B.

Vita contemplativa facit octo fructus. 183. A. Quomodo vita hominis semper est misera & amarissima ratione corporis & animæ. 335. à lit. G.

Vitare peccatum. Nemo ex propriis viribus potest vitare peccatum, nec implere Divina præcepta, nisi gratiâ Dei, & auxilio superiori adjuvetur. 768. A. B. & seqq.

Voluntas hominis dicitur bona, quando servat modum & ordinem in dilectione Dei & proximi : quando deviat ab isto modo & ordine diligendi, dicitur *mala* & perversa. &c. 468. D. & seq. Triplex officium *bonæ voluntatis.* Hæc officia perficiuntur per virtutes Theologales. Ibi. G. H. & seqq. Soli fideles veri & justi sunt homines bonæ voluntatis meritoriæ vitæ æternæ. 469. C. D. & seqq. Quatuor *voluntates* concurrerunt in mortem & passionem Christi : Voluntas bona Dei Patris, mala voluntas Judæorum, bona voluntas Patriarcharum & Prophetarum, & omnium fidelium veteris Testamenti ; & bona voluntas Christi. 692. C. D. & seq. Licèt voluntas hominis trahatur à sensualitate ad peccandum ; tamen voluntas non trahitur, nec concurrit coacta, nec necessitate ; sed persuasione allecta, & spontaneo quodam amore, non solum naturali, in quantum ambo radicantur in anima, sed etiam amore inordinato. 767. A. B. & seqq. Licèt sensualitas non valeat cogere voluntatem ad peccandum, sed allicere & suadere ; tamen ad vitandum peccatum, & agendum bonum oportet, quòd voluntas cogat, & subjiciat, & in servitutem redigat sensualitatem & carnem. 767. F. G. & seqq.

Vulnera. Ex quinque vulneribus Christi sumpserunt virtutem Ecclesiastica Sacramenta. 329. C.

Z

Zacharias pater Joannis Baptistæ. De eo & ejus Cantico agitur. 451. *fusè.*

ESTANTE 1.°
Tabla 7.ª
N.° 10

4

70

VALENTIA
IN PSALM.

TOM. II.

12754